13
11 F
10

N.I. 17

Digitized by Google

Digitized by Google

13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

TOMVS II.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS II.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.

Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

CENSVRA
TOMI II.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

Eodem modo, quo Authores primi Tomi, permitti poterunt & hi in hoc ſecundo contenti videlicet Adolphus Schulchenius, Aegidius Columna, Agobardus, Alanus Copus, Albertus Pius, Albertus Pighius, Alexander à Sancto Elpidio, Alexander à Turre, Alphonſus Aluarez, Alphonſus de Caſtro; nam de mandato eiuſdem Reuerendiſs. P.M.S.A.P. perlectos ſentio nihil continere contrà fidem, aut bonos mores. Hac die 18. *Auguſti* 1695.

Franciſcus Maria Campionus
Congreg. Matris Dei.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatij.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

Digitized by Google

AVTHORES

Quorum opera in hoc ſecundo Tomo continentur.

Ægidius Columna. De Renunciatione Papæ.

Adolphus Schulchenius. De Poteſtate Romani Pontificis Temporali.

Agobardus. De Comparatione vtriuſque Regiminis Eccleſiaſtici, &c.

Alanus Copus. Dialogus primus contra oppugnatores, &c.

Albertus Pighius. De Hierarchia Eccleſiaſtica.

Albertus Pius. De Primatu Diui Petri Pontificis Maximi, &c.

Alexander à Sancto Elpidio. De Eccleſiaſtica Poteſtate, &c.

Alexander à Turre. De Fulgenti Radio Hierarchiæ Eccleſiæ Militantis.

Alphonſus Aluarez. De Eccleſiaſtica Diuina Poteſtate, &c.

Alphonſus de Caſtro. Aduerſus omnes hæreſes, Liber duodecimus.

INDEX CAPITVM

Huius Secundi Tomi.

ÆGIDII COLVMNÆ ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS,

& Primatis Aquitaniæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

Liber De Renuntiatione Papæ, eiuſque Synopſis. pag. 1.

Caput I. IN quo eſt prologus huius libri, vbi oſtenditur, quę fuit neceſſitas cōponendi hunc librum, in quo agitur, quod Papa renuntiare poteſt. ibid.

Caput II. Vbi agitur de ordine dicendorum. 2

Caput III. In quo ponuntur duodecim rationes, quas faciunt Aduerſarij veritatis, quod Papa renuntiare non poteſt. 4

Caput IV. Vbi declaratur, quomodo omnis poteſtas, & ſpecialiter poteſtas Eccleſiaſtica eſt à Deo. 5

Caput V. Vbi declaratur, quod omnes illæ quinque viæ, quibus oſtendebatur à Deo eſſe quamlibet poteſtatem, poſſunt ad noſtrum propoſitum adaptari, videlicèt, quod Papa renuntiare poteſt. 8

Caput VI. In quo ſoluitur ratio prima arguens, quod non poteſt Papa renuntiare, vel cedere, quia Papatus eſt à ſolo Deo. 11

Caput VII. In quo ſoluitur ſecunda ratio, quod nullus niſi ſolus Deus poteſt auctoritatem, & Papalem poteſtatem auferre, cùm nullus niſi Deus poſſet eam conferre. 14

Caput VIII. In quo ſoluitur ratio tertia arguens, quia Papatus nullo modo poteſt tolli ab aliquo, quia cùm ſit ſuprema poreſtas conſequens eſſet, quia maior digniras, per minorem tolleretur. 16

Caput IX. In quo ſoluitur ratio quarta arguens quod Papatus, qui eſt ſumma virtus cauſara, per nullam virtutem cauſatam tolli poteſt. 20

Caput X. In quo ſoluitur ratio quinta, & habet hoc caput partes octo. 21

In prima parte oſtenditur, quod in ordine Epiſcopali non imprimitur character. ibid.

Incipit ſecunda pars huius capitis declarans, quod licèt in ordine Epiſcopali non imprimatur character, imprimitur tamen perfectio characteris. 23

Incipit tertia pars huius Cap. declarans quomodo Epiſcopatus ſit ordo, & quomodo non ſit ordo. 24

Incipit quarta pars huius Capitis diſtinguens, quot ſunt ordines Epiſcoporum. 25

Incipit quinta pars huius Capit. declarans, quod vltra ſimplicem Epiſcopum non imprimitur character, nec perfectio characteris. 26

Incipit ſexta pars huius Capit. declarans,

rans, quod inter Epiſcopum , & Eccleſiam Spirituale coniugium reperitur. 27
Incipit ſeptima pars huius Capituli declarans, quot modis habet eſse ſpirituale coniugium, & quomodo poteſt ſolui, & non ſolui. 29.
Incipit octaua, & vltima pars huius cap. declarans quod ſi ſimplex Pontifex non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex, Summus tamen Pontifex poteſt deſinere eſſe Summus Pontifex, in quo fundatur ratio quinta. pag. 30
Caput XI. In quo agitur de quinque alijs rationibus, videlicet de ratione, 6. 7. 8. 9. 10. quomodo ſunt intelligendæ, & ab inuicem diſtinguendæ. 33
Caput XII. In quo ſoluitur ratio vi arguens, quod quia Papa eſt Papa per Legem Diuinam, & quia iam conſenſit, & iam ſe ſubiecit legi ſponſæ, ideo renuntiare non poteſt. 35
Caput XIII. In quo ſoluitur ratio ſeptima arguens, quod per votum, quod Papa emiſit de cura habenda de grege Dominico, non poteſt renuntiare, nec ſe ipſum deponere. 37
Caput XIV. Vbi ſoluitur ratio octaua arguens, quod quia nullus poteſt ſe ipſum abſoluere, ideo Papa non poteſt renunriare. 38
Caput XV. In quo ſoluitur ratio nona arguens, quod quia nullus poreſt abſolui ab obligatione, quam Deo fecit, nisi per ſuum Superiorem, ideo Papa non poteſt ſe ipſum deponere. 39
Caput XVI. In quo ſoluitur ratio decima arguens, quod quia dignitas Eccleſiaſtica poſt confirmationem legitimam non poteſt tolli, niſi per ſuum Superiorem ideò Papa renuntiare non poteſt. Et Prima pars cap. 40
Secunda pars huius Cap. In qua ſoluitur decima ratio. 42
Caput XVII. Vbi declaratur, Quomodo Chriſti Sacerdotium non habuit initium, neque finem, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſtus fuit Sacerdos in æternum. 44
Caput XVIII. In quo aſſignantur tres alij modi, quomodo Chriſti Sacerdotium dicitur eſſe perpetuum, & æternum. 46
Caput XIX. Vbi aſſignantur rationes, & tres reliqui modi, quod Chriſti Sacerdotium eſt perpetuum, vel æternum. 48
Caput XX. Vbi declaratur, quod duæ vltimæ rationes Aduerſariorum non vadunt ſecundùm mentem Apoſtoli, & concluſiones nihil arguunt, nec concludunt. 50
Caput XXI. Declarans quomodo ſub Sacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus, & idem Sacerdos. 51
Caput XXII. In quo ſpecialiter pertractantur Aduerſariorum duæ vltimæ rationes, & per iam dicta clarè, & manifeſtè ſoluuntur. 53
Caput XXIII. In quo præter præhabitas 12. rationes adducuntur quædam obuiationes aliæ, quibus per præſens cap. reſpondetur. 55
Caput XXIV. In quo adducuntur rationes ad propoſitum ſecundùm quatuor genera cauſarum, & etiam ſecundùm Auctoritates, quod Papa renuntiare poteſt. Et Prima pars. Secunda pars cap. In qua probatur per tria genera cauſarum, & per Auctoritates Doctorum, quod Papa renuntiare poteſt. 60
Caput XXV. In quo imponitur finis huic libro, vel huic operi, quod intitulari volumus de Renuntiatione Papæ. 61

ADOL-

Digitized by Google

ADOLPHI SCHVLKENII GELDRIENSIS,

Sacr. Theologiæ apud Vbios Doctoris.

Apologia pro Illuſtriſſimo Domino D. Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali de Poteſtate Romani Pontificis Temporali, aduerſùs librum falsò inſcriptum Apologia Cardin. Bellarmini Pro iure Principum &c. Auctore Rogero Widdringtono Catholico Anglo, ibique Synopſis,

pag. 1.

Cap.I. EXaminatur Inſcriptio libri, quæ eſt huiuſmodi Apologia Cardinalis Bellarmini pro iure Principum aduerſùs ſuas ipſius rationes pro Auctoritate Papali &c. Auctore Rogero VviddringtonoCatholico Anglo. 2

Cap II. Examen Præfationis. Præfatio enim quinque habet,quæ cenſura digna videntur 1. quod aſſerit imperium Principum eſſe de iure Diuino naturali, 2. quod ait Bellarminum Auctoritatem Pontificis erigere in derogationem Regiæ Maieſtatis. 3. quod Bellarmini doctrinam de Principibus d ponendis dicit nouam. 4. quod dicit timuiſſe, ne eſſet reus malorum inde orientium. Quintò quod proteſtationem habet contra factum. 4

Caput III. Examinantur Catalogus Auctorum contrariæ ſententiæ à num. 1. vſque ad 35. 6

Caput IV. Examinantur quinque rationes, quæ continentur iu eius libro à num 35. vſque ad num 64. 29

Caput V. Examinatur quinque corollaria,quæ Aduerſarius deducit ex doctrina Bellarmini à num. 64. vſque ad 102. 35

Caput VI. Examinatur ſtatus quæſtionis à num. 103. vſque ad num. 142. 46

Caput VII. Examinatur reſponſio ad primam rationem Card. Bellarmini à num. 143. vſque ad num. 172. 59

Caput VIII. Examinatur reſponſio ad ſecundam rationem Cardinalis Bellarmini à num. 206. vſque ad 302. 83

Caput X. Examinatur Reſponſio ad quartam rationem Bellarmini à num. 302. vſque ad num. 325. 97

Caput XI. Examinatur Reſponſio ad quintam rationem Bellarmini à num. 335. vſque ad num 353. 103

Caput XII. Examinatur reſponſio ad exempla ex teſtamento veteri à num. 353. vſque ad 373. 111

Caput XIII. Examinatur reſponſio ad exempla ex SS. Ambroſio, Gregorio I. Gregorio II. & Zacharia deprompta à num. 413. 117

Caput XIV. Examinatur Reſponſio ad exempla reliqua, quæ deſumpta ſunt ex rebus geſtis Leonis III. Gregorij V. Gregorij VII. Innocentij III. Innocentij IV. & Clementis VI Pontificum Romanorum à num. 413. vſque ad 464. 122

Caput XV. Examinatur Conſilium Aduerſarij, quo inſtruit ſubditos Regum, quomodo ſe gerere debeant in caſu depoſitionis Principum ſuorum à num. 464. vſque ad 472. & finem libri. 126

AGOBARDVS ARCHIEPISCOPVS LVGDVNENSIS,

De Comparatione vtriuſque regiminis Eccleſiaſtici, & Politici; & in quibus Eccleſiæ dignitas præfulgeat Imperiorum Maieſtati. Synopſis. pag. 1.

Epiſtola Gregorij IV. Papæ ad Epiſcopos Regni Francorum. pag. 2.

ALANVS COPVS ANGLVS;

Dialogus Primus contra Eccleſiaſtica de Vitis Sanctorum Hiſtoriæ Summi Pontificatus, & Sacri Cælibatus oppugnatores. ibique Synopſis. pag. 1.

Caput I. SVmma, & ordo eorum, de quibus in hiſce Dialogis diſſeritur. ibid.

Caput II. Defenditur Hiſtoria Gregorij Neocęſarienſis contra Magdeburgenſium calumnias. 4

Caput III. Retunditur Magdeburgenſium calumnia contra Theodoretum pro Hiſtoria Marcelli Apameenſis, & eorum fraudes in diſſimulanda ſimili ex Epiphanio hiſtoria de Ioſepho Cõfeſſore aperiuntur. 6

Caput IV. Propouuntur argumenta varia, quæ Magdeburgenſes coutra Rom. Pontificis auctoritatem præſertim ex hiſtoria ſexta Cartag. Synodi de Nicęnis per eum canonibus deprauatis præferunt. Quibus additur, quod ijdem Magdeburg. aſſerunt Romanum Pontificem nulli ex octo primis Oecumenicis ſynodis præſediſse, niſi quod ſemel Legati eius in Chalcedonenſi ſynodo per fraudem hùc irrepſerunt. 7

Caput V. Reſpondetur ſupradictis Magdeburgenſium argumentis, & primam ſemper fuiſſe Romani Pontificis in generalibus Concilijs, & alijs cauſis Eccleſiaſticis auctoritatem oſtenditur. 9

Caput VI. Zoimum, & alios Romanos Epiſcopos non corrupiſſe Nicęnos canones, neque cauſam fuiſſe, cur corrumperent, cum etiam ſine illis Africanos ex recentibus ipſorum chirographis obſtrictos ita tenerent, vt tergiuerſari non poſſeut. 14

Caput VII. Non fuiſſe vera, perfecta, & ſincera Nicœnorum canouum exemplaria è Græcia ad Africanos trauſmiſſa, ex multis, qui in eiſdem deſiderantur, cauonibus oſtenditur. pag. 15

Caput VIII Liberium Romanum Pontificem non fuiſſe Arianum. Apologię præterea Anglicanæ in Ioannem 23. & Ioannem 8. calumnia confunditur, ac vera Victoris, Romani Pontificis, & Martyris hiſtoria explicatur. 16

Caput IX. Oſtenditur ex vera Iulij apud Athanaſium epiſtola, & alia Leonis Primi datam fuiſſe à Nicæna Synodo Epiſcopis vbicumque gentium damnatis ad Romanam Sedem appellandi facultatem. 19

Caput X. Calumniæ Magdeburgen. contra Leonem, & Gelaſium Romauos Pontifices deteguntur, & ſi quid in ſexta Chartaginenſi Synodo contra appellationes tranſmarinas ſtatutum fuerat; id non ad Epiſcoporum, ſed infetioris Cleri appellationes primũ oſtenditur pertinere; deinde quidquid hoc ipſum fuerit, id totum poſtea à Carthaginen. Clero imperante, tum Iuſtiniano fuiſſe reuocatum. pag. 20

Caput XI. Inſignis Muſculi, & Magdeburgenſium, vel imperitia, vel impudentia, qui pro eo, quod Socrates, & alij habent non poſſe ſine Romani Pontificis conſenſu Synodum haberi ſubſtituerunt non poſſe canonicè dedicari Eccleſias. 22

Caput XII. Primas Oecumenicas Synodos ſine conſenſu, & Auctoritate Romani Pontificis non fuiſſe habitas; nec quicquã prodeſſe Euangelicis, quod Imperatores olim Concilia coegerint, & cur id hodiè commodè fieri non poterit. 24

Caput XIII. Non eſſe credibile Auguſtinum cum reliquis Patribus Africanis in ſexto Concilio Carthaginenſi ſic egiſſe, vt Magdeburgenſes ſcribunt. Præterea varia Patrum illius ſæculi, quo habita eſt ſexta Carthaginenſis Synodus, præſertim Chryſoſtomi, Cyrilli, & Auguſtini proferuntur teſtimonia, quæ Magdeburgenſes ne attingere quidem voluerunt. 26

Caput XIV. Græcos Africanorum canonum Patres corrupiſſe ex Auguſtino palam oſtenditur, & ſi vera hæc ita geſta ſint in ſexta Carthaginenſi Synodo, vt Magdeburgenſes aiunt, non tamen maioris momenti eam eſſe oportere, quàm illam, quæ olim ſub Cypriano Carthagine habita ſunt. 31

Caput XV. Impudentia Magdeburgeuſium, & aliorum Euangelicorum, qui aut dubitant, aut negant Petrum Apoſtolum fuiſſe Romæ detegitur. pag. 32

Ca-

Caput XVI. Inſignis, & inaudita hacte-nus per omnem Eccleſiæ memoriam Magdeburgenſium contra Corneliū Romanum Pontificem, & Martyrem calumnia, & aliud Petri Martyris in Stephanum Romanum item Pontificem commentum exploditur. 33
Caput XVII. Referuntur Lutheri, Magdeburgenſium, & Apologeticorum corraſa ex Cypriano verba, & argumenta, quibus infirmare nituntur Romani Pontificis authoritatem. 36
Cap. XVIII. Loca Cypriani de Romanæ Sedis principatu breuiter perſtringuntur, & quædam Tertulliani eadē de re adhibentur teſtimonia.. 37
Caput XIX. Reſpondetur ad Superiora Lutheri, atque Magdeburgeſium ex Cypriano teſtimonia, & argumenta contra Romani Pontificis Primatum. pag. 38
Caput XX. D. Petrum cæteris Apoſtolis, & vniuerſæ Eccleſiæ fuiſſe à Chriſto præpoſitum, & in ea præfectura Romanum Pontificem Petro ſuccedere ex Cypriano contra Apologeticos, & Magdeburgenſes oſtenditur, & ad idem probandum Anacleti, & Leonis Primi teſtimonia proferuntur. Variæ item Magdeburgenſium fraudes in deprauando verborū Cypriani ſenſu deteguntur, & Monarchiæ Eccleſiæ Chriſti neceſſitas varijs modis probatur. 41
Caput XXI. Apologetici ſuis ipſorum armis, quæ ex Cypriano contra Summi Pontificis Authoritatem emēdicarunt proſternuntur. Vera Cypriani, Irenæi, & Optati ſententia de Petri, & Romanæ Sedis Principatu explicatur. Ad quam elucidandam, ſceleratæ Magdeburgenſium detegūtur impoſturæ; malitioſæ & ineptæ conuelluntur interpretationes Ambroſij, Hieronymi, Arnobij, Epiphanij, Victoris, Liberati teſtimonia, quædam de Primatu Petri proferuntur. Conſtantini factum in iudicio Milthiadis contra Donatiſtas expenditur, & diſcrimen ciuilis, & Eccleſiaſtici principatus indicatur. 44
Caput XXII. Reſpondetur ad Magdeburgenſium, & Apologeticorum in Anglia calumnias, quas ex ficta Vldarici Epiſtola de miſerabili quadam infantium cæde ad inuidiam cœlibatus proferunt. 48
Caput XXIII. Oſtenditur ex Patribus, qui circa Nicœnæ Synodi tempora vixerunt dubiam eſſe hiſtoriæ illius tam decantatæ apud Euangelicos de Paphnutio fidem, & quanta Magdeburgenſes perfidia in recitanda quadam Epiphanij ſententia, vocem (canones) ſilentio inuoluerint. 52
Capur XXIV. Non eſſe contra Dei verbum, aut Apoſtolorum canones, vt Magdeburgenſes, Balſamon, & alij Græci aſſerunt perpetuam ex conſenſu coniugum continentiam. Lepida item refertur hiſtoria, quomodo Balſamonis ambitionem eluſerit Imperator Iſaacius. 55

ALBERTI PIGHII CAMPENSIS.

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ibique Synopſis. pag. 1.

LIBER TERTIVS.

Caput I. Eorum, quæ deinceps tractabuntur ordo cōſtituitur. 1
Caput II. Petrum conſtitutum à Chriſto Apoſtolorum, atque adeò totius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, caput Principem. 3
Caput III. Orthodoxæ; ſanæque intelligentiæ dictorum Chriſti Verborum ad Petrum aſſertio aduersùs deprauationem hæreticam. 6
Caput IV. Obiectionum quarumdam aduersùs præaſſertam, de Chriſti verbis Primatum in Eccleſiaſtica Hierarchia ſtatuentibus, orthodoxam Catholicæ Ecceleſiæ intelligentiam diſſolutio. pag. 13
Caput V. Ad Obiectiones ex verbis Diui Hieronymi & Auguſtini, quæ prædictis repugnare videntur reſpondere. 17
Caput VI. Vniuerſam pœnè Euangelicam Hiſtoriam Primatui Petri in Eccleſiaſtica Hierarchia conſonāter perhibere teſtimonium. 20
Caput VII. Rationes explicare, quibus Petrum in ordinem cogere nituntur Hæretici, Apoſtolorumque omnium æqualitatem ſtatuere, & aduersùs eaſdem Orthodoxas veritates aſſerere. 24
Caut VIII. Rationes diſſoluere, quibus perſuadere conantur fuiſſe pares omnes in Apoſtolica dignitate Apoſtolos,

los, & æquè Ocumenicos, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ curæ regiminiq; præpoſitos, 26
Caput IX. Rationes diſſoluere, quibus Apoſtolorum, & Petri parem inter ſe Authoritatis plenitudinem ſtatuunt. pag. 29
Caput X. Rationes diſsoluere, quibus ex Actis Apoſtolicis contendunt non apparere maiorē ſuper ceteros Apoſtolos Authoritatem exercuiſſe Petrum, ſed contra potiùs. 33
Caput XI. Quę ex Paulo obijciuntur diſſoluere. 37
Caput XII. Aduersùs illorū calumnias, qui Petri cathedram, eiuſque in Eccleſiaſtico Primatu ſucceſſores nobis in dubium reuocant. 41
Caput XIII. Aduersùs eorum impudentiam, qui negant Petrum Romæ fuiſſe, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum aſſerere. 44
Caput XIV. Prædictorum calumnias breuiter diluere. 50

LIBER QVARTVS.

Caput I. QVam diſtrictam ſubditi obedientiam debeant in Eccleſiaſtica Hierarchia ſibi Præpoſitis. 54
Caput II. Qualem quantamque Authoritatem conueniebat habere Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidem ex ipſa ratione Eccleſiaſticæ ſocietatis inueſtigare. 57
Caput III. Eccleſiaſticæ Hierarchię Præſidi talem, tantamque iuriſdictionis Auctoritatem competere, qua vniuerſam ſibi commiſſam Eccleſiam in officio continere poſſit. Inſuper & definiendi controuerſias omnes, quę in fide, Religione, legeque Chriſti emergunt. Cuius ſit vltimum iudicium, quod omnes ſine contradictiòne ſequi oporteat, ex vmbra ſynagogæ veteris demonſtrare. 61
Caput IV. Authoritatem omnem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidis, quam ex ipſa primum ratione ſocietatis Eccleſiaſticæ, deinde ex eius vmbra, & figura Synagogæ veteri competere ipſi demonſtrauimus, ipſius Chriſti verbis confirmare, vel adſtruere. pag. 67
Caput V. Quæ de Authoritate Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidis, & ſingulari priuilegio eius cathedræ triplici iam medio demonſtrauimus, ex communi catholicæ Eccleſiæ fide, & confeſſione, ipſaque atteſtante rerum fide, adhuc euidens facere. 71
Caput VI. Fidem, ſententiam, ac definitionem Apoſtolicæ Sedis ſemper concordare cum orthodoxa fide, & ſententia Catholicæ Eccleſiæ. Proinde ipſam eſſe tertium indubiæ veritatis eorum, quæ certa nobis fide tenenda, credendaque ſunt, principium. pag. 76
Caput VII. Hæreticorum aduersùs prææſſertam Catholicam, Orthodoxamq; de priuilegio Cathedræ Petri veritatem, calumnias, obiectionesque diſſoluere. 81
Caput VIII. Non ſolùm ad cathedram Petri, ſed etiam ad ipſum, & ſucceſſores eius Romanos Pōtifices pertinere illud Chriſti oratione eidem impetratum priuilegium, ne quando deficere poſſit eius fides ad Fratrum confirmationem in fide. 83
Caput IX. Vt ab initio omnes ſe geſſerint Romani Pontifices pro Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principibus, illamq; principalem Eccleſiaſtici regiminis Authoritatem ſuper vniuerſam Eccleſiam reipſa, & facto exercuerint luculentiſſimè demonſtrare. 94
Caput X. Quæ fuerit in illo flore iuuentutis Chriſtianæ Eccleſiæ, eius Hierarchiæ, facieſque in ea Romanorum Pontificum Authoritas; vtque ne ordinarentur quidem ex toto orbe, niſi horum Authoritate confirmati Epiſcopi ex Beatiſſimi Leonis epiſtola demonſtrare. 99
Caput XI. Quanti momenti fuerint eo ſæculo confirmationes Apoſtolicæ Sedis in electionibus, atque ordinationibus toto orbe Epiſcopalibus. Imò quanta in vniuerſum eiuſdem Sedis Authoritas, ex hiſtoria Iulij Romani Pontificis, & Antiochenæ Synodi demonſtrare. 103
Caput XII. Idem demonſtrare ex Agapeti Romani Pontificis, & Anthemij aliiſque certiſſimæ fidei hiſtorijs. pag. 107
Caput XIII. Ex Acatij Conſtantinopolitani Antiſtitis ſub Simplicio Romano Pontifice excitata tragædia idem euidentiſſimè demonſtrare. 110
Caput XIV. Vt vna hæc ſedes toti ſemper orbi orthodoxæ fidei, & vindicem ſe exhibuerit, & Magiſtram exemplis, & certiſſimæ fidei hiſtorijs demonſtrare. 117

LI-

De Controuerſijs inter Regnum, & Sacerdotium. pag. 122.

Caput I. MArſilij Patauini de Eccleſiaſtica Auctoritate ſententiam explicare. ibid.

Caput II. Aduersùs Impietatem prædictam Catholicam veritatem aſſerere, & demonſtrationis principalis, cui nititur, inefficaciam demonſtrare. pag. 126

Caput III. An Chriſtus negando regnum ſuum eſſe de hoc mundo, quin & illud vltrò oblatum fugiendo, recuſandoque, cum ad hoc interpellaretur, iudicium exercere ſuper diſſidentes Fratres, quin potiùs ſubmittẽdo ſe ipſum iudicio Præſidijs interdixerit ſuis huius mundi magiſtratus gerere, iudiciariam Authoritatem ſuper alios exercere, ſubiecerit que Sacerdotium Principibus ſæculi. 135

Caput IV. Rationibus reſpondere, quibus nititur demonſtrare Chriſtum, tam opere, quàm ſermone docuiſſe vniuerſos, & æquè Sacerdotes, & Laicos, realiter, ac perſonaliter ſubijci debere coactiuo iudicio Principum ſæcularium. 138

Caput V. Non interdixiſſe Chriſtum ſuis Primatum, aut Principatum ſuper alios gerere, ſed rectam eius gerendi formam, & rationem præſcripſiſſe dicendo apud Euangeliſtas. Principes gentium dominantur eorũ, vos autem non ſic. 142

Caput VI. Rationibus quibuſdam reſpondere, quibus demonſtratum volunt, nec principatum ciuilem, nec vllam coactiuæ iuriſdictionis Authoritatem Eccleſiaſticis poſſe competere. pag. 145

Caput VII. Obiectioni reſpondere ex verbis Apoſtoli ad Rom. 13. Ex quibus omnes æquè Eccleſiaſticos, vt Laicos ſubiectos videri volunt coactiuæ poteſtati Principum huius ſæculi. 148

Caput VIII. Succenturiatis quibuſdam rationibus, quibus prædictam adhuc ſententiam confirmare nititur reſpondere. 153

Caput IX. Marſilij Patauini ſententiam, quæ iam Lutheranorum eſt omnium de Authoritate, quam videmus Eccleſiaſtica, eius ortu, & origine explicare. 159

Caput X. Dictæ ſententiæ impietatem, falſitatemque conuincere, & Eccleſiaſticam aduersùs eamdem Authoritatem aſſerere. 162

Caput XI. Summam querimoniarum omnium, quæ in Sedem Apoſtolicam atque eius Pontifices ex vſurpatæ (vt volunt) plenitudinis poteſtatis abuſu offunduntur ab hoſtibus dignitatis Eccleſiaſticæ, & quæ Imperiali Authoritati, & ſæculari poteſtati per ipſos iniquè detracta conqueruntur breuiter complecti, & explicare. pag. 171

Caput XII. Romanis Pontificibus, vt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Rectoribus Gubernationis quoque, & regiminis vniuerſæ familiæ Eccleſiaſticæ plenam poteſtatem competere aduersùs prædictorum impietatem aſſerere. pag. 174

Caput XIII. De poteſtate ordinandi Sedem Apoſtolicam, & iure inueſtiturarum Eccleſiaſticarum, Prælaturarumque, & collationum Eccleſiaſticorum beneficiorum omnium, an quo iure Imperatoribus, aut ſecularibus Principibus conueniant. 177

Caput XIV. Vt dependeat ſecularis in Eccleſia iuriſdictio ab Eccleſiaſtica, & præſertim quod nunc eſt Imperium vniuerſaque Imperialis Authoritas ab Authoritate Eccleſiaſtica Hierarchiæ Præſidis, particulariùs explicare. 184

Caput XV. Ludouici Bauari aduersùs Ioannis vigeſimi ſecundi contra ſe habitas proceſſus reſponſiones, excuſationeſque ſub Bulla Imperiali publicatas, & editas explicare excutere. pag. 196

Caput XVI. Ditionem ſæcularem Eccleſiæ vindicare ab hoſtium eius calumnijs. 201

ALBER-

ALBERTI PII COMITIS CARPENSIS.

De Primatu Diui Petri Pontificis Maximi poteſtate,titulíſque, & honore cæterorum Præſulum,ibique Synopſis. pag. 1.

INitio ponit quamplurimas obiectiones Eraſmi. 2
Probat deinde particulam tibi,non poſſe interpretari Matth. 16. de omnibus Chriſtianis, & Apoſtolos omnes non eſſe pares gradu. 4
Proſequitur tertiò confirmare Primatű Petri, ex Scriptura, & Patribus. 6
Defendit quartò Papam, Epiſcopos, & Theologos, contra quos acriter inuehitur Eraſmus. 9
Vltimò confutat conuicia Eraſmi aſſerentis Papatum eſſe palliatam tyrannidem, & habere quamplures abuſus. 13

ALEXANDER A S. ELPIDIO VMBER.

Incipit poſt Synopſim tractatus de Eccleſiaſtica poteſtate, & epiſtola ad Summum Pontificem, cap. 1.

Incipit proœmium, in quo exprimitur materia, & intentio præſentis opuſculi. pag. 2.

Caput I. IN quo agitur de triplici Sacerdotio, Magno, Maiori, & Maximo. ibid.
Caput II. In quo agitur de triplici poteſtate ordinis Iuriſdictionis, & mixta ex vtroque. 4
Caput III. In quo oſtenditur, quod poteſtas ordinis ſit immediatè à Chriſto. 5
Caput V. In quo oſtenditur quod poteſtas iuriſdictionis etiam in Apoſtolis & diſcipulis fuerit immediatè à Chriſto. 6
Caput VI. In quo rationes aliquorum ponuntur oſtendentes, quod poteſtas iuriſdictionis in Epiſcopis, & curatis ſit immediatè à Chriſto. 7
Caput VII. In quo probatur, quod talis poteſtas iuriſdictionis non eſt immediatè à Chriſto in Epiſcopis, & Curatis. 8
Caput VIII. In quo reſpondetur ad rationes, quæ nituntur probare, quod talis poteſtas iuriſdictionis ſit immediatè à Chriſto in Epiſcopis, & Curatis. 9
Caput IX. In quo ex præmiſſis oſtenditur, qualiter poteſtas mixta ſit immediatè à Chriſto, & qualiter immediatè à ſuis Vicarijs. 10
Caput X. In quo agitur de Succeſſione Perſonarum Eccleſiaſticarum, ex qua plura clariùs apparebunt, quæ in præmiſſis poſita ſunt. 11

De Poteſtate Chriſti Vicarij, ſeu Summi Pontificis in ſpeciali Cap. X. pag. 13.

Caput I. QVod ſicut eſt vna Eccleſia, ita & vnus Vicarius Chriſti, qui vniuerſali Eccleſiæ præeſt. ibid.
Caput II. In quo oſtenditur, quod talis Chriſti Vicarius vniuerſalis Pontifex eſt non ſolùm ratione orbis, ſed etiam ratione vrbis. 15
Caput III. In quo agitur, quod poteſtas Spiritualis, cuius apicem in vniuerſali Eccleſia tenet Summus Pontifex præcedit poteſtatem temporalem, non ſolùm dignitate, ſed etiam tempore, & cauſalitate. 16
Caput IV. In communi oſtenditur, quod Poteſtas Summi Pontificis ſe extendit ad ſpiritualia, & temporalia. 17
Caput V. In quo ſpecialiter probatur, quod Summus Pontifex plenam poteſtatem habet in ſpiritualibus. 19
Caput VI. In quo oſtenditur, quod Summus Pontifex etiam in temporalibus habet plenitudinem poteſtatis. 21
Caput VII. In qno adducuntur aliqua motiua nitentium probare, quod Summus Pontifex in temporalibus non habet plenitudinem poteſtatis. pag. 23
Caput IV. In quo ſpecialiter oſtenditur, quod quilibet Rex, ſeu Princeps temporalis cuiuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat, non ſolùm in ſpirituali-

tualibus, ſed etiam in temporalibus ſubditus eſt, & eſſe debet Summo Pontifici. 26
Caput X. In quo ponitur Epiſtola Conſtantini directa vniuerſali Eccleſiæ, ex qua plura euidentiora fient, quæ in alijs capitulis dicta ſunt. 28

TRACTATVS TERTIVS.

In quo agitur de Ceſſione Perſonali, & Sedium fundatione & earum mutatione, & diuiſione, quæ fit à Summo Pontifice per 10. cap. pag. 30.

Caput I. IN quo agitur de Charactere & ordine Sacerdotali. 31
Caput II. De Charactere, & ordine Epiſcopali. 32
Caput III. De Dignitate, & ſtatu Papali. pag. 34
Caput IV. Quod Epiſcopus, & Sacerdos characteri, & ordini renuntiare non poſſunt. 35
Caput V. Rationes quorumdam probare nitentium, quod Papa Paparui renuntiare non poteſt. ibid.
Caput VI. In quo probatur per Authoritates, & rationes, quod Papa Papatum reſignare poteſt. 36
Caput VII. In quo reſpondetur rationibus factis in præcedenti Capitulo, quæ videntur probare Papam non poſſe reſignare; 37
Caput VIII. In quo oſtenditur, quod Papa Paparui cedere poteſt. 38
Caput IX. In quo oſtenditur, quod ipſe ſolus Sedes Epiſcopales vnire, mutare, & diuidere poteſt. 39
Caput X. Quod ſola ſedes Romana ſic eſt propria Papæ, & Succeſſorum eius, quod Papa eam mutare non poteſt. 40

ALEXANDRI A TVRRE CREMENSIS, Canonici Ordinis Lateranenſis.

De fulgenti radio Hierarchiæ Eccleſiæ Militantis Liber quartus. De Maieſtate Romanæ Eccleſiæ, ibique Synopſis. pag. 1.

Radius XI. DE Monarchia Petri, totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Oecumenici Principis. ibid.
Radius XII. De Præpotentibus Sancti Petri clauibus. 9
Radius XIII. De Optimis, & præclariſſimis Principis Apoſtolorum priuilegijs, quæ ter ternis Filij Dei prærogatiuis concinnè reſpondent, ibiq; de primo ternario. 14
Radius XIV. De ſecundo priuilegiorum Beati Petri ternario. 24
Radius XV. De tertio priuilegiorum ternario Sancti Petri. 26
Radius XVI De ſublimi, almaque ciuitate, cui Apoſtolorum Coryphæus viginti quinq; annorum curriculo pręſedit. 27

LIBER QVINTVS.

De Apoſtolicæ Sedis amplitudine, & cultu. pag. 34.

Radius XVII. SVmmum Romanum Pontificem in vniuerſa Eccleſiaſtica Hierarchia ſummoperè eſſe neceſſarium apertiſſimo demonſtratur elogio. 16
Radius XVIII. De vero, ac certo Apoſtolicæ Sedis Oraculo. 37
Radios XIX. De Singulari ornatu Summi Romani Pontificis. 44
Radius XX. De Triplici aurea Summi Pontificis corona, quam vſitato vocabulo Regnum appellant, cum adhortatione ad Principes, ac proceres Chriſtianos, vt ſuos faſces, ſuaque Imperia, ſicuti par eſt, & decet, Pontificum Maieſtati ſubmittant & Diuinum priorum Regum exemplum imitati, inuicto animi robore Chriſtianam Religionem tueantur. 47
Radius XXI. De Candidis atque Purpureis Summi Romani Præſulis indumentis. 53
Radius XXII. De Calceis, atque Sandalijs aurea cruce obſignatis. 55
Radius XXIII. De Salutifero Crucis Vexillo, quod Sceptri loco ante Pontificem defertur. 57
Radius XXIV. De Pontificio pluuiali, vbi longitudo, latitudo, ſublimitas, atque profundum pontificiæ Auctoritatis enucleatur. 59

Digitized by Google

ALPHONSI ALVAREZ GVERRERO

De Eccleſiaſtica Diuina Poteſtate, & De Vnitate Sanctæ Matris Eccleſiæ, & de vnitate, & pleniſſima poteſtate Sacri Summi Romani Pontificis, ibique Synopſis. pag. 1.

Caput I. DE Eccleſiaſtica Diuina poteſtate, & de pleniſſima poteſtate Sacri Summi Romani Pontificis. ibid.

Caput II. Quod ad ſolum Summum Romanum Pontificem ſpectat de fide, & hæreſi determinare. 14

Caput III. Quod Papa cum teneat primam Sedem habet Authoritatem congregandi Concilium Generale. pag. 15

Caput IV. An ſit licitum deſiderare Summum Epiſcopatum, & Pontificatum, & de illis, qui appetunt minores Epiſcopatus ratione honoris, vel abundantiæ bonorum temporalium. pag. 16

Caput V. An Principatus Summi Romani Pontificis, non ſolùm ad ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia ſe extendat, ita quod in toto orbe iuriſdictionem habet temporalem. 19

FR. ALPHONSI DE CASTRO

Zamorenſis Minoritæ.

Aduerſùs omnes hæreſes Liber XII. Papa, ibique Synopſis. pag. 1.

PRimò enarrat hæreſim, & errores, Lutheri, Græcorum, Armenorum, deinde probat Primatum Petri ex Scriptura. 2

Inuehitur contra Rhenanum, & proſequitur probare primatum Petri, ex ſcriptura, & Doctoribus. 3

ÆGI-

D. FR. ÆGIDIJ
COLVMNÆ ROMANI,
Archiepiſcopi Bituricenſis, & Primatis Aquitaniæ, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini,

LIBER
DE RENVNCIATIONE PAPÆ.

Ægidius Columna nobilis Romanus D. Thomæ Aquinatis Diſcipulus pro quo tanquam pro Magiſtro diffenſorium ſcripſit; Auguſtinianæ familiæ Generalis creatus fuit Anno 1292. A Bonifatio VIII. Pontif. Max. Archiepiſcopus Bituricenſis, & Aquitaniæ Primas creatus ac Cardinalium Cætui adſcriptus, qui tamen morte præuentus euulgatus non eſt. Multa reliquit ingenij ſui monumenta, numeratim ab Antonio Poſſeuino in ſuo Apparatu ſacro relata, de quo etiam in eodem opere ita ſcribit. *Hic Ægidius ob mirum in eruenda veritate ingenium, fundatiſſimi nomen aſſecutus eſt, & à Hieronymo Seripando Cardinali eiuſdem familia, viro doctiſſimo Prora & Puppis Theologorum appellatus cuius doctrinam plerique illuſtres viri, ac pracipuè Iacobus Viterbienſis eiuſdem inſtituti Archiepiſcopus Neapolitanus ſecuti ſunt, cum tanti eſſet ingenij tenaciſque memoria vna cum generis claritate, animi demiſſione ita coniunxit, vt etiam in alienis opinionibus refutandis, nil appareat temperatius; Quin cum in ſcriptis D. Thoma Praceptoris ſui aliquid minus ſibi arrideret, id ſupra captum ſuum eſſe ingenue ſcribit, ac doctorem ipſum ſuppreſſo nomine virum magnum ſiue praſtantem vocat; ſcripſit, qua vel ad nos peruenerunt, vel alicubi aſſeruantur libros quorum Catalogus eſt ſequens.* In gratiam Bonifatij Papæ VIII. ob controuerſiam renunciationis; Proſequitur Poſſeuinus tractatus libroſque enumerare quos conſcripſit, Ægidij mortem non refert licet floruiſſe xiij. ſæculo declaret, ex Honuphrio tamen Panuinio alijſque probatis authoribus conſtat Anno xvi. ſæculi xiv. Auenione ſub Ioanne XXII. obijſſe.

CAP. I.

In quo eſt prologus huius libri, vbi oſtenditur, quæ fuit neceſſitas componendi hunc librum, in quo agitur, quòd Papa renunciare poteſt.

NON ei placebit vecordia ſua, & ſicut tela aranearum fiducia eius. Quidam moderni temporis, de ſuo ſenſu nimium præſumentes, quaſdam rationes ſophiſticas ad includendum mentes fidelium ediderunt: exinde confidentes de ſua vecordia in ſummum noſtrum Pontificem Sanctiſſimum patrem Dominum Bonifacium Papam VIII. diuina prouidentia verum Dei Vicarium, ac Sacroſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ ſponſum legitimum impugnare ſunt conati; contra quos in perſona Dei dici poteſt verbum propoſitum, quod legitur Iob. 8. Non placebit ei (ideſt Deo) vecordia ſua (ideſt inſipientia ſua) & ſicut tela aranearum fiducia eius (ideſt cuiuslibet eorum.) Dicitur enim eſſe vecordia, vel dicitur habere vecordiam, qui habet ve in corde, ideſt qui habet malum in corde. Itaque ſicut in iſtis ſenſibilibus qui habent malum in oculis ſuis non bene vident quæ ſunt ſenſibilia, ſic qui habet vecordiam, & qui habet malum in corde, non bene percipit quæ ſunt intelligibilia. Et quia ex hoc dicitur quis inſipiens, quia habet obſcuratum cor, & non bene percipit huiuſmodi intelligibilia, ipſa vecordia de qua tractatur in auctoritate propoſita, inſipientia dici poteſt. Vere ergo prædicti homines de ſua vecordia ſunt confiſi, quando credentes rationes facere efficaces, tela aranearum eſt eorum fiducia; quia aranearum

Iob. 8.

Iſa. 59. telas texere conuincuntur. De quibus dici poteſt quod dicitur Iſaiæ, Telas araneæ texuerunt. Cmnis enim verborum ordinatio, (quia ſi ordinatè profeiuntur verba ſibi inuicem ſunt connexa) textura quædam meritò nuncupatur. Et exinde inoleuit, quod liber aliquis vbi ordinata, & connexa ſunt verba, textus eſſe dicitur. Sed textura huiuſmodi aliquando eſt ferrea, & quaſi adamantina, ſecundum quem modum Proclus inde Diuina Proclus prouidentia volens comendare Platonem, dicit, Plato adamantinis (vt eſt dicere) ſermonibus nos cogit. Ille quidem cogit aliquos adamanrinis ſermonibus, qui rationibus irrefragabilibus auditores cogit ſuis ſermonibus conſentire. Sed licèt aliquando ita ſit vt textura verborum poſſit dici ferrea vel adamantina, multoties tamen vel ex malitia affectus intellectum excæcante, vel ex ignorantia rationis mentem obſcurante, verba confecta. prolata, & rationes conſutæ ſunt, ſicut telæ aranearum: quæ ſic rumpuntur de facili, quod inefficaces eſſe liquido decernantur. Verum quia quamuis aranearum tela ſic ſcindatur faciliter, aliqua tamen animalia debilia quantumcunque ſint alis donata, quibus ſuper terram ſunt apta nata efferri, aranearũ etiam telis, vt viſibiliter percipimus, capiuntur. Sic & multi hominum licet alas habent rationis, quibus hæc terrena debent volatu tranſcendere, illas tamen alas habent rantum debiles, vt texturi verborum inualidis, & rationibus debilibns capiantur: quæ telis aranearum ſimiles eſſe cernuntur. Hinc ergo apparere poteſt, quæ fuit neceſſitas quæ nos mouit ad componẽdum Tractatum huiuſmodi, vt ſoluerimus rationes quaſdam, quod ſummus Pontifex renunciare non poteſt, factas per præfatos viros de ſua vecordia confidentes: in quo etiam Tractatu obuiamus quibuſdam alijs additamentis, quæ etiam ſuper vecordia ſunt fundata: nam omnia talia ſunt relæ aranearum. Tamen quia debilia volarilia aliquando telis talibus inuoluuntur, bonum eſt telas diſrumpere antedictas, vt cæteri Chriſtiani tanquam vera membra ſummum præſulem Dominum Bonifacium ſuum caput legitimum recognoſcant.

Hæc ergo vicordia, ſuper qua, quæque huiuſmodi ſunt fundata, minime placet Deo: & qui tales telas orditi vel texere ſunt conati, non Diuino conſilio, nec diuino ſpiritu mouebantur. Ipſi ergo ſunt deſertores filij, quia deſerunt ſummum Patrem, & vias aliorum tenere fidelium contempſerunt. Iſtis ergo ſic habentibus Vc in corde, & non facientibus ſecundum diuinum conſilium, nec ordinantibus talem ſecundum diuinum ſpiritum, dici Iſa. 30. poteſt quod dicitur Iſaiæ 30. Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum.

CAP. II.

Vbi agitur de ordine dicendorum.

Sapientis munus. DIxerunt Philoſophi, duplex eſſe opus ſapientis in vnaquaque re, Non mentiri de quibus nouit, veritatem aſſerendo: & mentientem manifeſtare poſſe, ſalſitatem deſtruẽdo: hæc enim duo, veritatem aſſerere, & falſitatem deſtruere, ſunt duo opera ſapientis in omni negotio. Hæc autem dicimus, non quod ſimus illius dementiæ, quod inter ſapientes nos connumerare velimus: dicimus tamen nos ſapientiam diligere quantum humana fragilitatis ſinit, ſapientes imitari velle. Nec eſt arrogantiæ verborum quod quis dicat ſe velle imitari ſapientes, cum & Apoſtolus Paulus ad Eph. 5. ad imitandum Deum, Eph. 5. qui eſt ipſa ſapientia, viriliter nos inducat, dicens, Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij cariſſimi. Et quia debemus in omni negotio ſapientes pro viribus imitari, ideo in hoc tractatu, quem habemus præmanibus, quo declarare intendimus, quod ſummus Pontifex poteſt ſuo offitio, ſiue ſuæ iuriſdictioni cedere, vt poſt ceſſionem deſinat eſſe Papa. Nam volumus illud duplex opus ſapientis prætactum pro viribus exercere, videlicet non mentiri de quibus nouimus, veritatem aſſerendo: mentientes manifeſtare, falſitatem deſtruendo. Sed his dictis, vt habeamus ordinem dictorum, de qnu agitur in hoc capitulo, oritur nobis rationalis quæſtio, Quid prædictorum prius eſt faciendum: ve Vtrum prius ſit extirpanda falſitas, quàm veritas declaretur: an potius econuerſo. Huic autem quæſtioni videntur ſatisfacere verba philoſophi. Nam prius ait, quod opus ſapientis eſt non mentiri de qua nouit veritatem: 3. Ethic c. 4. quod pertinet ad declarationem veritatis. Et poſtea ſubdit, quod opus ſapienris eſt mentientes manifeſſare; quod pertinet ad extirpationem ſalſitatis. Igitur prius etir declaratio vericatis, quam extirpatio falſitatis. Sed ille modus prioritatis non ſatisfacit. Quæſtioni noſtræ, de qua agitur in hoc capitulo.

Certum eſt enim quod declarare veritatem eſt prius quam extirpare falſitatem: ſed non oportet quod ſit prius tempore, vel prius in excuſatione, ſed eſt prius intentione: nam extirpatio falſitatis eſt propter ſeminare, & inſerere veritatem. Et quia declaratio veritatis in hoc negotio ſe haber vt finis, oporret quod hoc ſit primum in noſtra intentione, quia prius debet eſſe intentus finis, quàm ea quæ ſunt ad finem. Vel ſi volumus loqui de prioritate ſicut loquitur Auguſtinus 12. Confeſs. vbi diſtinguit modos prioritatis, dicemus, quod declarare veritatem eſt prius electione, non tamen oportet quod ſit prius tempore, vel prius in executione. Nam & flos præcedit fructum, & fructus florem, vt idem ibinem Auguſt. tangit, quia flos præcedit fructum tempore, & ſecundum executionem, natura quidem prius exequitur, & prius facit flores, & poſtea fructus; ſed fructus præcedit florem electione, quia eligibilior eſt fructus flore. Vel poſſumus tertio dicere, quod declaratio veritatis eſt prius extirpatione falſitatis perfectione, quia hoc eſt perfectius quam illud. Igitur ſi philoſophus enumerando præfata ſapientis opera, prius locutus eſt de aſſertione veritatis, quam de deſtructione falſitatis, non propter hoc ſoluta eſt quæſtio noſtra, vt ſciamus, quo ordine procedendum eſt in hoc Tractatu, verum debeamus ipſum incipere à declaratione veritatis, & conſumare ipſum in deſtructione falſitatis: vel potius

tius

tius è conuerſo. Nam ſi philoſophus prius locutus eſt de declaratione veritatis, quam de deſtructione falſitatis, dicere poſſumus, quod illa prioritas referenda eſt ad prioritatem ſecundum intentionem, vel ſecundum electionem, vel ſecundum perfectionem: nam hoc eſt eligibilius, & debet eſſe quid magis intentum. Sciendum ergo, quod hæc duo ſecundum vnum modum accipiendi ſunt ſimul tempore, & ſecundum alium modum accipiendi poſſunt eſſe non ſimul tempore. Sunt enim ſimul tempore, quia inſertio veritatis, & amotio falſitatis ſe vidêtur habere ad intellectum, ſicut inductio formæ propoſitæ, & expulſio formæ oppoſitæ habent ſe ad materiam: expellendo enim formam oppoſitam, à materia, inducimus in eam formam propoſitam, & e conuerſo. Sic & in propoſito, deſtruendo falſitatem, aliquomodo affirmamus veritatem, & è conuerſo. Propter quod ſic loquendo de his duobus operibus, erunt ſimul tempore. Sed ſi quæratur, accipiendo hæc duo opera, vt ſunt ſimul tempore, Vtrum ſit inter ea aliquis prioritatis modus. Dici poteſt, quod, vt tetigimus, idem eſt de veritate inſerendi in animo, & falſitate expellenda ab eo, & de forma propoſita introducenda in materia, & de oppoſita expellenda: quia licet illa ſint ſimul tempore, tamen ordine, generatione, & natura ſe præcedunt.

Dicimus enim quod vnum præcedit aliũ natura, ideſt naturali intelligentia, & naturali origine ſiue naturali generatione. Simul enim tempore facta fuerunt ſol, & ſplendor, quia ſtatim cum fuit ſol incepit ſplendere tamen natura, ideſt naturali intelligentia ſol præceſſit ſuum ſplendorem. Naturale eſt enim, quod prius intelligamus ſolem eſſe factum, & poſtea intelligamus ipſum ſplendere. Sic etiam naturali origine, vel naturali generatione ſol præcedit ſplendorem: quia cum natura ſplendoris deriuat à natura ſolis, naturale eſt, quod prius fuerit factio, & generatio ſolis, & poſtea fuerit ſplendor ortus ab eo. Secundum hunc autem modum loquitur Auguſt. 12. Confeſs. quod ſonus & cantus ſunt ſimul tempore, ſed ſonus eſt prior cantu origine; cantores enim prius emittunt ſonum & cantant. Sed cum cantus ſit modulatio ſoni, quia hoc eſt cantus, ſonus modulatus, cum modulatio ſonus ſit quædam proprietas eius, quia ſubiectum naturali origine, & naturali intelligentia eſt prius ſua proprietate, ideo dictum eſt, quod origine & generatone, & etiam natura ſonus præcedit cantum, licet ſint ſimul tempore. Quæ ſi velimus ad propoſitum aptare, dicimus, quod naturali origine, & naturali intelligentia expulſo formæ oppoſitę vno modo præcedit introductionem formæ propoſitæ, & alio modo è conuerſo. Sic & expulſio falſitatis ab animo ſecundum vnum modum præcedit introductionem veritatis, & ſecundum alium modum è conuerſo.

Nam hæc expulſio, & introductio formarum, vel comparantur ad materiam, quæ expoliata vna forma introducitur alia: vel comparantur ad agens, qui introducendo vnam formam, expellit aliam. Si ergo hæc duo comparantur ad materiam, quia forma propoſita non poteſt eſſe in materia, nec poteſt habere locum in ea, niſi expellatur inde forma oppoſita, ideo quantum ad materiam primum eſt expulſio formæ oppoſitæ, quam introductio propoſitæ. Sed ſi hæc comparantur ad agens, quia cum agentis ſit imprimere, ſic materiæ eſt recipere, quia materia non poteſt recipere, niſi prius euacuetur ideo ſecundum naturalem noſtram intelligentiam primò euacuatur materia & expoliatur, quam introducatur, & perficiatur. Sic cum agentis ſit imprimere, ſic materia recipiendo perficitur, ſicut agens imprimendo perficit. Agens ergo, imprimendo formam propoſitam, expellit oppoſitam: materia autem quia euacuatur à forma oppoſita imo induitur propoſita: propter quod reſpectu materiæ, prius eſt expoliari, quam indui: reſpectu autem agentis, prius eſt induere, quam expoliare. Sic & de veritate & falſitate, vt ſi ſit falſitas ſiue error in animo, & aliquis velit inde expellere faſitatem, quantum eſt ex parte animi prius eſt expellere falſitatem quam inducatur veritas: ſed quantum eſt ex parte agentis, cum agens, ſiue doctor expellat faſitatem, inducendo veritatem, prius intellige, quod agens veritatem inducat, quam quod falſitatem expellat. His itaque prælibatis, patet quamodo loquendum eſt de prioritate, & poſterioritate, prout hæc duo ſunt ſimul tempore. Sed poſſumus loqui de his duobus etiam, prout tempore ſe præcedunt.

Inter pretis munus.

Dicimus enim quod declarando aliquid, duo ſunt ibi fienda, videlicet, argumenta ad oppoſitum deſtruere, & argumenta ad propoſitum conſtruere. Et licet vtrunque faciendo deſtruatur falſitas, & aſſeretur veritas, quia & qui ſoluit argumenta oppoſita, falſitatem deſtruit & veritatem aſſerit, & etiam qui conſtruit argumenta propoſita, quodammodo vtrunque facit: attamen in deſtruendo argumenta oppoſita, magis videmur extirpate falſitatem, in coſtruenda autem argumenta propoſita, magis videmur aſſerere veritatem. Hoc modo ergo veritatem aſſerere, & falſitatem deſtruere poſſunt ſe inuicem tempore præcedere, quia poteſt quis primum argumenta oppoſita deſtruere, & poſtea propoſita conſtruere, & poteſt etiam econuerſo. In hoc ergo ſtat Quæſtio noſtra principaliter, an ſine argumenta oppoſita per aduerſarios facta prius ſoluenda, vt deſtruatur falſitas; & poſtea ſint argumenta propoſita conſtruenda, vt aſſeratur veritas: vel ſiendum ſit econuerſo. Aduertendum itaque, quod ſi inſtruendi per doctrinam aliquam non eſſent ipſi infecti, nec infeciſſent alios, rationabiliter poſſet dubitari à quo eſſet inchoandum, Vtrum ab informatione veritatis argumenta propoſita conſtruendo, vel ab expulſione falſitatis argumenta oppoſita diſſoluendo. Sed ſi inſtruendi per doctrinam aliquam, vel ſi compellendi ad confitendum aliquam veritatem ſunt infecti, vel (quod peius eſt) ſi aliquos infecerunt, quia animus infectus non recipit doctrinam, niſi expulſa infectione, rebus ſic ſe habentibus, primum eſt expellenda falſitas, & infectio ab anima, diſſoluendo argumenta oppoſita: & poſtea inferenda eſt veritas, conſtruendo, & firmando argumenta propoſita, quia, vt vult Philoſophus in Rhetoricis, Oportet facere locum futuræ orationi. Animus ergo falſitate plenus non poteſt veritate repleri, niſi prius

3. Reth. c. 14

inde

inde falſitas expellatur. Sicut vas amaritudine plenum, non poteſt tepleri dulcedine, niſi prius amaritudo inde euacuetur: in vaſe enim amaritudine repleto, non eſt locus, vbi recipiatur dulcedo. Si ergo volumus facere locum dulcedini recipiendæ, ſunt inde prius amaritudines repellendæ. Sic cum eſt in anima error & falſitas, non eſt ibi locus, vbi tecipitur veritas, niſi inde falſitas expellatur: quilibet enim abominatur quodcunque contratium. Ita prius oſtendendū eſt aduerſario, quod ſua dicta ſint falſa, vt ex hoc poſſit acquieſcere veritati. Et ſi dicatur, quod ſi arguentes vel ſatisſacientes non credunt corde quod proferunt ore: quod in hac materia credimus verum eſſe, vt & ipſi veritatis aduerſarij corde non credant, quod ore pronunciant. Dicimus quod tanto magis eſt cum eis prius extirpanda falſitas, & ſunt diſſoluenda eorum argumenta oppoſita quam ſiut conſtruenda propoſita, quia tales pertinaciotes eſſe conſueuerunt in eorum dictis quam alij. His itaque omnibus enarratis, hoc ordine procedemus in hoc tractatu, quia prius enarrabimus argumenta oppoſita huic veritati. Quod Papa renunciare poteſt. Secundo illa argumenta oppoſita diſſoluemus. Tertio, quia aduerſarij præter falſitatem quam aſſerunt, quod Papa renunciare non poteſt, aliqua etiam alia plura ſuperaddiderunt, ideo illa ſuperaddita enunciabimus. Quarto his ſuperadditis obuiabimus: ex quibus omnibus deſtruetur falſitas. Quinto, & vltimo faciemus argumenta, & rationes idoneas ad noſtrum propoſitum, quod Papa renunciare poſſit: ex quibus declarabitur veritas. Quo facto, imponemus finem his noſtris dictis, & conſumabimus opus noſtrum.

CAP. III.

In quo ponuntur duodecim rationes, quas faciunt aduerſarij veritatis, Quòd Papa renunciare non poteſt.

PErmiſſo itaque ordine dicendorum, volumus exequi hunc Tractatum ſecundum prætaxatum ordinem, ſecundum quem primò ponendæ ſunt rationes, quas ſaciunt aduer-
Prima. ſarij noſtri. Quarum prima ſumitur ex eo quod Papatus, vt dicunt, à ſolo Deo eſt: Sed quæ à Deo, vel ab aliquo ſuperiori committuntur, à nullo poſſunt inferiori remoueri: & ſic papalis poteſtas, quæ à ſolo Deo committitur, à nullo inferiori remoueri poſſe videtur.
Secunda. Secūda ratio ſumitur ex eo, quia nullus poteſt auctoritatem vel dignitatem aliquàm auferre quam conferre non poteſt: Sed auctoritatem papalem nullus conferre poteſt, niſi Deus: ergo neque eam auferre: ſed ſi teneret renunciatio, auferretur papalis poteſtas; Ergo re-
Tertia. nunciatio videtur fieri non poſſe. Tertia ratio, etiam Decretalis inter corporalia, expreſſe innuit, quod depoſitio Epiſcoporum, tranſlatio eorum, & abſolutio eorum per ceſſionē ſoli Papæ eſt reſeruata: nec etiam ipſi Papæ concederetur niſi in quantum Papa quodammodo Deus eſt, ideſt Dei Vicarius, vt patet ex textu; ergo remotio ipſius Papæ, quia Papatus omnes dignitates excellit, per nullū ſuperiorem poteſt fieri. Nulla enim ratio capit quod Deus voluerit inferiores dignitates per ipſum Deum tamen, aut per eorum ſuperiorum dignitatem tolli poſſe, nec per ipſum ſuperiorem, niſi in quantum ipſe ſuperior ſcilicet Papa eſt Dei Vicarius: & tamen voluit ipſū Papatum, quæ eſt ſumma dignitas, quæ propre Chriſti eſt, ne dum per inferiorē Deo, ſed etiā per inferiorem ſeipſa dignitate tolli poſſe. Et ſic ſolus Deus videtur tollere poſſe papatum, & nullus alter, ſicut multipliciter videtur colligi ex textu prædictæ Decretalis. Quarta ra-
tio ſumitur ex eo quod ſumma virtus increata per nullam virtutem creatam videtur poſſe **Quarta.**
tolli: ſed Papatus eſt ſumma poteſtas, increata, ergo per nullam virtutem creatā tolli poſſe videtur.

Quinta ratio ſumitur ex eo, quod **Quinta.**
nec Papa, nec tota creaturarum vniuerſitas poteſt facere, quod aliquis Pontifex non ſit Pontifex; ergo multo magis non videtur poſſe facere, quod Summus Pontifex non ſit Summus Pontifex: nam minus eſt tollere ſimpliciter Pontificem, quam ſummum Pontificem: ergo cum ſimplicem Pontificem nullus poteſt tollere niſi Deus, nec ſummum Pontificē videtur aliquis poſſe tollere niſi Deus. Quod fieret, ſi renūciare poſſet, ita quod valeret eius renunciatio. Sexta ratio ex eo, quod Papa non **Sexta.**
eſt Papa niſi per legem diuinam, & non per legem alicuius creaturæ, nec omnium, creaturarum ſimul: Ergo nullo modo videtur quod Papa poſſit eximi, quod non ſit Papa. Non enim Papa ex quo conſenſit, & ſubijcit ſe legi ſponſæ, poteſt eſſe non Papa per aliquam creaturam, neque per omnes ſimul, vt videtur.
Septima ratio, ex eo quod nullus poteſt tol- **Septima.**
lere votum, alicuius, ſeu ab ipſo abſoluere, niſi ille qui eſt ſupra votum: ſed papatus eſt quoddam votum maximum ſuper omnia vota: nam vouet Papa de facto ipſi Deo, quod curam habebit vniuerſaliter gregis ſui, totius ſcilicet vniuerſalis eccleſiæ: & quod de ipſis reddet rationem: Ergo ab iſto, ſolum eum Deus abſoluere poſſe videtur. Ergo de Papa nullo modo videtur fieri poſſe non Papa, niſi tantūmodo à ſolo Deo aliqua ratione. Nullus enim alieno obligatus poteſt ab obligacione ſeipſum abſoluere, qua tenetur obnoxius, maxime ſuperiori obligatus: ſed Papa nullum habet ſuperiorem niſi Deum, & per papatum ſe Deo obligauit. Ergo à nullo videtur poſſe
abſolui niſi à Deo. Octaua ratio, ex eo quod **Octaua.**
nullus videtur ſeipſum poſſe abſoluere. Nona **Nona.**
ratio, ex eo quod papalis obligatio non videtur poſſe tolli niſi per maiorem poteſtatē quā papalis ſit, ſed nulla potentia creata eſt maior quam papalis: ergo fieri non poteſt quod per Papam, nec per aliquod aliud, niſi per Deum, vt quod ſemel eſt Papa, non ſit ſemper Papa,
dum viuit, vt videtur. Decima ratio, ex eo **Decima.**
quod nulla dignitas eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem poteſt tolli, niſi per eius ſuperiotem: ſed Papa ſolus Deus eſt ma-
ior, ergo à ſolo Deo tolli poſſe videtur. Vnde- **Vndecima.**
cima ratio, ex eo quod Apoſtolus vult, & probar ſacerdotium Chriſti eſſe in æternum: ſi adiungit in æternum in Sacardotem, ſequitur
ipſum eſſe ſacerdotem in æternum: ergo nul- **Heb. 7.**
lo modo poteſt eſſe vita ſummi Pontificis, & ſum-

ſummi Sacerdoeis ſine ſummo ſucerdotio, ergo renuntiare non poteſt vt videtur: & minus extraneum,& ratione remotum apparet quod ſummus Pontifex, qui eſt verus ſucceſſor, & Vicarius Ieſu Chriſti, qui eſt Sacerdos in æternum, poſſit abſolui ab aliquo, quam ab ipſo Deo, & quamdiu vixerit nō maneat ſummus Pontifex, & quod aliquo modo poteſt eſse vita ſummi Sacerdotis ſine ſummo Sacer-

Duo decima

dotio, vt videtur. Duodecima ratio, ex eo quod ſi diceretur, quod vita ſummi Sacerdoeis eſse ſine ſummo Sacerdotio, argumentum Apoſtoli, vbi dicit, Secundum legem Moſaicam plures facti ſunt ſacerdotes &c. penitus nullum videretur eſse, ſed falſitatem contineret. Nam poſset argui contra ipſum, quare Chriſtus ſempiternum habet Sacerdotium. Reſpondet Apoſtolus, eo quòd manet in æternum. Dico tibi beate Apoſtole, Non eſt verum, quia poteſt in vita ſua renuntiare, & ſic non erit Sacerdos amplius. Ex hac ergo poſitione, quod Papa renuntiare poteſt totius ſacræ ſcripturæ,& verbi Apoſtoli falſitas ſequi videretur; & ex multis alijs rationabilibus, & euidentibus cauſis, hoc ipſum, Vtrum Papa renuntiare poſſit, videtur veriſimiliter, & iuſtiſſime in dubitationem deduci. Hæc igitur ſunt illæ duodecim rationes, quas faciunt præfati aduerſarij veritatis,quod Papa renunciare non poteſt.

CAP. IV.

Vbi declaratur, quomodo omnis poteſtas & ſpicialiter poteſtas eccleſiaſtica eſt à Deo.

PRæmiſſis rationibus aduerſariorum ſecundum ordinem ante factum, conſequens eſt, quod omnes rationes dictas per ſingula perſoluamus. Habent autem rationes illæ pro magna parte hoc fundamentum. Quod quia poteſtas papalis eſt à Deo, ideo per ſolum Deum tolli poteſt. Et quia ſecundum philoſophum, Vero verum conſonat, falſo autem cito diſsonat verum: ratio, quæ verum dicit in aliqua materia, quanto magis pertractat illam materiam, tanto magis apparet dictum ſuum eſse verum. Si autem falſum dicat, pertractando veritatem, in materia illa cito veritas diſsonabit falſitati, & cito apparere poterit dictum illud eſse falſum. Ea propter de poteſtate, quomodo eſt à Deo, volumus ſpeciale capitulum facere, vt veritate huius pertractata clare apparere poſſit, quod licet poteſtas papalis ſit à Deo, hoc tamen non obſtante, Papa renunciare poteſt.

Cōtinet ergo hoc capitulū (vt patet) ex ſua rubrica duo. Primum quidem eſt, quod omnis poſteſtas eſt à Deo. Secundum quidem eſt, quod poteſtas eccleſiaſtica quodam ſpeciali modo dicitur eſseà Deo. Propter primum, ſciendum, quod, quantum ad præſens ſpectat, quinque vijs probare poſsumus, quod omnis poteſtas eſt à Deo, vt ex his vijs habeamus materiam inueſtigandi, quod multa ſunt à Deo, quæ poſsunt tolli operatione humana. Prima quidem via ſumitur ex ipſa poteſtate. Secunda vero ex ipſis rebus, quibus innititur poteſtas. Tertia quidem ex ordine, quem videmus in poteſtatibus. Quarta autem ex cauſalitate, quæ competit poteſtati. Quinta, & vltima ex actibus, vel ex operibus, ex quibus habet eſſe poteſtas. Prima autem via ſic patet. Prima via.

Poſſumus enim dare quandam maximam generalem, quod quin aliquid reperitur in ſuperioribus, & in inferioribus, illud repertum in ſuperioribus eſt cauſa repertorum in inferioribus, vt puta ſi motus reperitur in cæleſtibus, tanquam in ſuperioribus, & in iſtis alijs, tanquam in inferioribus, conſequens eſt, quod motus cœli ſit cauſa omnium aliorum motuū. Propter quod dicitur 8.Phyſ. Motus cœli eſt vita in viuentibus. Quia ſicut viuum differt à non viuo, ex eo quod viuum mouetur, non viuum non mouetur, cum omnia moueantur propter motum cæli, ideo motus cęli, per quem mouentur etiam, erit quaſi vita omnium. Et ſi hoc dictum, eſt dubium in creaturis prout comparantur ad creaturas, nullo autem modo dubium eſt prout creaturæ comparantur ad Deum, quia ſi quid reperitur in Deo, & in creaturis, oportet quòd id repertum in Deo ſit cauſa reperrorum in creaturis; vt ſi ſapientia reperitur in Deo, & in creaturis, oportet quod ſapientia reperta in Deo, ſit cauſa cuiuſque ſapientiæ repertæ in creaturis. Eccleſ.1.a. Secundum quem modum habetur Eccleſiaſtici primo, Omnis ſapientia a Domino Deo eſt. Et ibidem ſubditur, Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Igitur ſi ſapientia eſt in Deo, ſiue in excelſis, oportet quod illa ſapientia ſe habeat vt fons, a quo omnis alia ſapientia deriuatur. Eph.3 c. Secundum hunc etiam modum loquitur Apoſtolus ad Eph. 3. cum ait. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Videtur enim eſſe ratio Apoſtoli, quia eſt paternitas in diuinis, oportet quod ex illa paternitate eſſe habeat quæcunque alia paternitas: ſiue paternitas illa ſit in cælis quantum ad Angelos, qui ſunt patres noſtri in quantum inteudunt ſaluti noſtræ: ſiue ſit in terris, quantum ad homines, qui vt alios generant, vel vt alios regunt, ſunt eorum patres. Si ergo potentia eſt in diuinis, quia Deus eſt ſumme omnipotens, oportet quod ab illa potentia omnis alia potentia deriuetur. Iob.36. a. Secundum hunc itaque modū poteſt exponi illud quod habetur Iob. 36. Deus potentes non abijcit, cū & ipſe ſit potens. Spectat enim ad quemlibet agentem diligere opera ſua, iuxta illud Sapientiæ vndecimo. Sap.11.d. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quę feciſti. Quia ergo omnia ſunt opera Dei omnia diliguntur à Deo inquantum ſunt opera eius. Si ergo potentia reperitur in Deo, & in creaturis, oportet quòd potentia creaturarum deriuata ſit à potentia Dei. Exponatur ergo ſic verbum, quod habetur in Iob, quòd cum Deus potens ſit, oportet, quod à potentia eius ſint omnes alij potentes: & quia nullus abijcit opera ſua, conſequens eſt, quod Deus potentes non abijcit, cum & ipſe ſit potens, à qua potentia omnis alia potentia deriuatur.

Secunda via. Secunda via ad hoc idē ſumitur ex ipſis rebus, quibus innititur ipſa potentia: huiuſmodi autem res, quibus potentia innititur ſunt bona inte-

Digitized by Google

interiora, & etiam bona exteriora. Nam per vtraque bona ſumus potentes ad aliqua, ad quæ non eſſemus, ſi careremus illis bonis. Vocamus enim bona interiora, quæcunque ſunt in nobis, ſiue ſint bona corporalia, cuiuſmodi ſunt membra noſtra: ſiue ſint virtutes fundatæ in corporalibus, ſicut ſunt potentiæ motiuæ, & ſenſitiuæ, tam exteriores ſicut ſunt quinque ſenſus, quam etiam interiores ſicut ſunt ſenſus communis, imaginatio, æſtimatiua, memoria, & huiuſmodi: ſiue ſint potentiæ non organicæ, ſicut ſunt intellectus, & voluntas. Per omnia enim illa bona, quæ ſunt in nobis ſumus potentes ad aliqua facienda, vt per membra multa facimus, quæ ſine membris facere non poſſemus. Et per potentias motiuas, & per ſenſitiuas exteriores, vt per viſum, auditum, & huiuſmodi multa poſſumus, quæ ſine illis non poſſemus: ſic per potentias ſenſitiuas interiores, vt per ſenſum communem, & æſtimatiuam, & memoriam multa operari poſſumus, quæ non poſſemus ſine illis Per potentias enim non organicas, vt per intellectum, & rationem, multa poſſumus, quæ non poſſemus ſine illis: immo philoſophus in 1. Politicorum vocat intellectum, &

s. Polit. c. s.

rationem eſse ſæuiſſima arma.

Propter quod hominem perfectum virtute dicit eſſe animalium optimum, ſeparatum autem à lege, & iuſtitia dicit eſſe animalium peſſimum, quia, vt aie, habet ſęuiſſima arma: habet enim intellectum, & rationem, quæ ſi vult conuertere ad bonum, erit optimus animalium, ſi ad malum erir peſſimus. Fundatur ergo porenria noſtra in bonis, quæ ſunt in nobis. Fundatur etiam, & in bonis, quæ ſunt extra nos vt puta in diuitijs, & in facultatibus. Mulra enim poſsumus per facultates, & pet diuitias quæ ſine illis non poſsemus.

In his ergo duobus generibus bonorum, vt in bonis exterioribus, & interioribus, conſiſtit omnis potentia noſtra, vel etiam cuiuſcunque creaturæ. Quod ſi dicatur, quod etiam potentia noſtra conſiſtit in habendo amicos, in habendo ſubiectos. Conſtat, quod & hæc reducuntur ad illa, quia ſi ſubditi, vel amici non haberene bona exteriota, vel interiora, in nullo eſſemus potentiores propter eos. Si ergo omnis potentia noſtra vel cuiuſcunque creaturæ fundatur in bonis exterioribas, vel interioribus, dubitare an omnis potentia ſit a Deo, eſt dubitare an omnia bona ſint à Deo, Cum ergo certum ſit omnia bona eſſe à Deo, certum eſt

3. Top. c. 3.

omnem potentiam eſſe ab ipſo. Et ex hoc illa conſideratio Topica dicit, Potentiam eſſe de genere bonorum, quia ſemper fundatur iu aliquibus bonis. Omnis ergo potentia, vt diximus, eſt a Deo, quia omnia bona ſunt a Deo. Et exinde ſeqnitur, quod potentia ſemper ſit bona quia res in quibus fundatur ſemper bonæ ſunt: vſus tamen potentiæ poteſt eſſe bonus, & non bonus. Nam, & membris proprijs vti poſſumus bene, & non bene. Et potentijs ram ſubiectiuis, quam motiuis, quibus etiam porentes ſumus vti poſſumus bene, & non bene. Ipſo enim intellectu, & ipſa ratione, & ipſis actibus, & ſcientijs, quæ ſunt ſæuiſſima arma quãdo eis male vtimur, & optima arma quando bene vtimur ipſis poſſumus vti bene, & non bene.

Potentia ſemper eſt bona, eius autem vſus anceps eſt.

Diuitijs etiam, & facultatibus poteſt quis bene, & non bene vti. Ideo dicitur in primo Rhetoricorum quod hoc eſt commune cum omnibus bonis (exceptis virtutibus) puta robore, ſanitate, diuitijs, amicitialibus enim quis perderit vtens, iuſte, & nocebit, ſupple, vtens iniuſte. Omnium enim talium bonorum, per quæ potentes ſumus, vſus poteſt eſſe bunus, Ipſis etiam virtutibus non formalirer, ſed materialiter contingit aliquãdo male vti, vt puta quando de virtutibus ſuperbimus. Formaliter enim virtutibus ſemper bene vtimur, quia virtutes de ſe ſemper inclinant ad bonum: ſed materialiter accipiendo virtutes, non prout per eas perfecti, & informati agimus, ſed pro ut ſunt materia, & obiectum noſtræ conſiderationis, & pro ut de eis poſſumus ſuperbire, ſic virtutibus poſſumus male vti.

Cap. 1. circa finem.

Aeg. in c. 1. lib 1. Rhet.

Ipſis etiã bonis exterioribus, per quę multoties potentes ſumus, bene, & male vti poſſumus. Et quia loquendum eſt de poteſtate, ſicut loquimur de rebus ſuper quibus ſundatur poteſtas: ſicut res ſemper ſunt bonæ, ſed earum vſus poteſt eſſe non bonus: ſic poteſtas ſemper eſt bona, ſed eius vſus poteſt eſſe non bonus. Non enim vitiatur aurum, nec dicitur aurum eſſe non bonum, propter hoc quod aliquis eo male vtatur. Ideo dicitur in 5. Ethicorum, Debemus orare quod diuitiæ, quæ ſunt bonæ in ſe, ſint bonæ nobis. Bonæ enim ſunt diuitiæ, ſed ſunt malæ ei qui eis male vtitur. Sic cum omnes res bonæ ſiut, ſunt tamen malæ, vtenti. Ita, & poteſtas quælibet bona eſt, ſed poteſt eſſe mala male vtenti.

Cap. 1.

Aduertendũ tamen, quod licet res quęlibet bonę ſint, multoties bonũ eſt ab ſtinere à multis bonis, vt vacemus maioribus bonis. Et quantũuis coniugium bonum ſit, bonum eſt à connubio abſtinere, vt virgines exiſtentes magis poſſimus vacare diuinis. Ideo dicit Apoſtolus prima Cor. 7. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit; & qui non iungit, melius facit. Sic, & de rebus temporalbibus, licet ipſæ bonæ ſint, abrenuntiare tamen eis vt poſſit quis liberius vacare diuinis poteſt eſſe perfectioris meriti. Sic, & poteſtates quantumcumque bonæ ſint, à multis tamen poteſtatibus abſtinendo, poteſt nobis eſſe ad meritum. Attamen propter commune bonum poteſt multoties eſſe maioris meriti ſe poteſtatibus implicare, quam à poteſtatibus abſtinere. Sed de hac materia non oportet hic loqui diffuſius. Sufficit enim ſcire, quantum ad præſens ſpectat, quod poteſtas ſemper bona eſt, & à Deo eſt, vſus tamen poteſtatis poteſt eſſe non bonus. Aduertendum etiam, quod illud, quod dictum eſt de vſu poteſtatis, veritatem habere poteſt de acquiſitione poteſtatis. Nam licet res iſtæ exteriores bonæ ſint, eas tamen poſſumus alijs vſurpare, & iniuſte eas poſſidere: tamen propter iniuſtitiam noſtram res non vitiantur, nec fiunt malæ. Et quod dictum eſt de rebus, verum eſt de poteſtate, quod ipſa ſemper bona eſt, vſus tamen, & acquiſitio eius poteſt eſſe non bonus.

Coniugium

1. cor 7. g.

Tertia via ſumitur ex ordine, quē videmus in poteſtatibus. Vult enim Deus quodam ordine gubernare vniuerſum, vt inferiora regantur per ſuperiora, & ſint ſubdita ſuperioribus: ſecundum quem modum loquitur Aug. tertio

Tertia via.

de

de Trinitate, Vbi ait Voluntas Dei eſt prima
& ſumma cauſa omnium. Et ibidem vult, quod
Cap. 4. per voluntatem Dei quodam ordine regatur
vniuerſa creatura, vt corpora grauiora, vel
groſſiora per ſubtiliora, & omnia corpora per
ſpiritum. Si ergo ſic eſt in regimine naturali,
quod quodam ordine regatur vniuerſa crea-
tura, ita quod creatura inferior regatur per
ſuperiorem, oportet ſic eſſe in regimine homi-
num, & in regimine morali, vt ſubditi regan-
tur per poteſtates ſibi præſidentes, & pote-
ſtas inferior per ſuperiorem; in quo ordine
maxime refulget diuina ſapientia, & diuina
bonitas. Nam ordinare potiſſime attribui-
tur ſapienti: nam ex hoc omnia in ſapientia
facta ſunt, quia omnia per diuinam ſapien-
tiam ſunt congrue ordinata. Et inde eſt, quod
ſapientes philoſophi dixerunt: duplex Bonum
ſcilicet bonum ducis, & bonum ordinis, vt
patet ex 12. Metaphy. Dixerunt etiam quòd
Cap. 10. ſeu Com. 52. poſt bonum ducis non eſt tantum bonum, ſi-
cut eſt bonum ordinis. Nam quod omnia
ordinata ſint ſub duce, hoc eſt magis bonum
poſt bonum ducis: ſic quod omnia ordinata
a Deo, hoc eſt maius bonum poſt Diuinum
bonum. Quòd ergo hoc bonum ordinis, quod
eſt tantum bonum, non ſit à Deo, eſt incon-
ueniens dicere. Et quia ex huiuſmodi ordine
quòd vnum ſit ſub alio, ſumitur ratio pote-
ſtatis, ideo dicitur omnis poteſtas eſſe a Deo.

Propter quod, & Apoſtolus ad Rom 13. cũ
Rom. 13 a prius dixiſſet, quod non eſt poteſtas niſi ſit a
Deo, ſtatim ſubdit, quæ autem à Deo ſunt
ordinata ſunt. Vult ergo ex ipſo ordine pote-
ſtatum probare Apoſtolus, quod non ſit po-
teſtas niſi à Deo.

Quarta via. Quarta via ad hoc idem ſumitur ex
cauſalitate, quæ competit poteſtati. Nam
poteſtas, vt poteſtas eſt, eſt cauſa efficiens:
ſi autem ſit cauſa deficiens, hoc non eſt po-
teſtas, vt poteſtas eſt, & vt potentia, ſed
Cap. 7. vt eſt in potentia: ſecundum quem modum
loquitur Aug. 12. de Ciuitate Dei cum ait, Ne-
mo igitur quærat efficientem cauſam malæ
voluntatis. Non enim eſt efficiens, ſed defi-
ciens. Vnde, & ibidem vult, quod malum
non habeat cauſam efficientem, ſed deficien-
tem. Exinde etiam eſt, quod tam Aug. quam
Ioan 1. a. Origenes exponentes illud Ioannis, Et ſine
ipſo factum eſt nihil, dicunt hoc intelligendũ
eſſe de peccato, quod ſecundum ſe nihil eſt,
quia ſecundũ ſe non habet cauſam efficientẽ,
ſed deficientem. Ex nobis enim eſt, quod defi-
ciamus, ſed ex Ipſo Deo eſt quòd aliquid facia-
mus, iuxta illud, Sine me nihil poteſtis facere.
Io. 15 a. Omnes ergo cauſæ efficientes reducuntur in
primũ efficiens, & ſunt à primo efficiente, vt à
Deo. Et quia poteſtas, vt diximus ſecundum
quod huiuſmodi eſt cauſa efficiens, conſe-
Quinta via. quens eſt, quod non eſt poteſtas niſi à Deo.

Quinta, & vltima via ſumitur ex actibus vel
ex operibus, ex quibus habet eſſe poteſtas. Et
hæc via potiſſime reſpicit ordinẽ poteſtatũ in
actibus humanis, vel in moralibus. Primę enĩ
quatuor viæ, & ad naturalia, & ad moralia
adaptari poſſunt. Nam vbicunque contingat
poteſtas ex actibus hominum, ſiue contingat
ex actu generationis, vt in his quæ ſuccedunt
iure hæreditario, ideſt qui iure hæreditario
habent aliquam poteſtatem ſiue ſit ex conſen-
ſu, vt in his quæ fiunt per electionem, vel
etiam dato, quod non ſit poteſtas legitima,
ſed vſurpata ipſa poteſtas ſemper de genere
bonorum eſt: licet forte poſſeſſor eſſet malus,
vel male vteretur ea, vel non legitimo modo
acquiſiuiſſet illam. Et quia, vt diximus, lo-
quendum eſt de poteſtate, ſicut loquimur de
rebus, ſuper quibus fundatur huiuſmodi pote-
ſtas. (Nam qui habet poteſtatem, vel habet
eam, quia habet ſub ſe caſtra, ciuitates, &
homines: vel quia habet diuitias naturales,
ſicut ſunt ea, quæ ſunt in ſubſtentamentum
corporis.) Qualitercunque ſumatur huiuſ-
modi poteſtas, ipſa quidem bona erit, ſicut,
& res bonæ ſunt: licet vſus, ſiue acquiſitio re-
rum, vel poteſtas poſſit eſſe non bona. Quan-
tumcumque enim furtiue habeatur aurum, ip-
ſum quidem aurum bonum erit: licet modus
huiuſmodi, vel modus vtendi, poſſit eſſe non
bonus. Dicemus quidem quod totus mundus
regitur Diuina prouidentia: & quod homo
vnus aſſumatur ad poteſtatẽ, vel aſſumatur al-
ter, hoc eſt ex diuino opere, vel ex diuina per-
miſſione, vt ex hoc omnis poteſtas dicatur eſse
à Deo. Ex hoc autem patere poteſt, ſecundum
quod proponebatur in Rubrica huius capitu-
li, videlicet quod omnis poteſtas eſt a Deo, &
ſpecialiter eccleſiaſtica. Nam ſicut dicimus de
rebus prout ſunt a Deo, ſic dicimus de modis
eſſendi, prout Deus eſt in rebus. Dicimus enim
quia per præſentiam, eſsentiam, & potentiã
eſt Deus in rebus omnibus generaliter: ſed in
his, quæ ſpectant ad ſalutem noſtram, dicitur
Deus eſse ſpecialiter. Nam licet illis tribus
modis ſit Deus in omnibus rebus generaliter,
ſpeciali tamen modo eſt in omnibus Iuſtis per
gratiam, in Beatis per gloriam. Vnde dicitur
Deus ad nos venire cum nobis ſuam dat gra-
tiam: & à nobis recedere, cum ſuam gratiam
perdimus.

Igitur quia Deus ſpeciali modo dici-
tur eſse in nobis quantum ad ea quæ ſpectant
ad ſalutem noſtram, ideo licet quadam pro-
uidentia totum mundum regat generaliter,
& de toto vniuerſo ſit ſibi curæ generaliter:
quodam tamen ſpeciali modo curam gerit de 1. Cor. 9. b.
Eccleſia ſua, & de hominibus ſaluandis, iuxta
illud Pauli ad Corinth. Nunquid de bobus cu-
ra eſt Deo? Certum eſt quidem, quod Deus,
& de duobus, & de omnibus ſuis creaturis ha- Math 10 d.
bet curam, & prouidentiam: quia, & ſi duo
paſseres aſse veneunt, vnus tamen illorum
non cadet ſuper terram ſine patre noſtro, ideſt
ſine prouidentia patris noſtri. De omnibus
ergo habet prouidentiam, ſed illam curam, &
illam prouidentiam, quam habet de ſua ec-
cleſia, & de nobis, non habet de alijs anima-
libus. Et quia quandam ſpecialem curam ha-
bet de nobis, & de Eccleſia ſua, ideo omnino
eſt fatendum, quod nullus ad poteſtatem ec-
cleſiaſticam aſsumitur, ſine ſpeciali diuino Iob. 12 c.
opere, vel ſine ſpeciali eius permiſſione. Et
ſi aliquando, vt inquit Iob, adducit conſilia-
rios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem.
Hoc fit, quia illi, qui debent conſulere de per-
ſona eccleſiaſtica eligenda, & qui debent iu-
dicare quæ perſona ſit aſſumenda ad eccleſia-
ſticum regimen, ducuntur in ſtultum finem
quia præficiunt hominem non idoneum, & nõ
habentem ſufficientem ſcientiam ad regendũ.
Omnis ergo poteſtas eſt à Deo ſecundum
quendam modum generalem, & totus mundus

regitur diuina prouidentia, vt ſine Dci prouidentia nullus aſsumatur ad aliquod regimen, & ſine ea nulli competat habere aliquam poteſtarem. Quodam tamen ſpeciali modo poteſtas, Eccleſiaſtica eſt à Deo, quia quodam ſpeciali modo Deus habet curam, & prouidentiam de Eecleſia ſua, & de nobis. Diu itaq; locuti ſumus, quomodo omnis poteſtas eſt à Deo vt ex hoe habeamus viam ad ſoluendum multa argumenta ad oppoſitum quæ fuudata ſunt ſuper huiuſmodi fundamento.

CAP. V.

Vbi declaratur, quod omnes illæ quinq; viæ, quibus oſtendebatur à Deo eſſe quamlibet poteſtatem, poſſunt ad noſtrum propoſitum adaptari, videlicet quod Papa renunciare poteſt.

LIcet non ſic noſtra intentio principalis declarare in hoc capitulo, quod Papa renunciare poteſt, quia de hoe in ſequentibus ſpecialiter proſequetur: tamen cum intendamus ſoluere rationes oppoſitas volentes probare, quod Papa renuntiare uon poſſit, ideo volumus declarare, quod omnes illæ quinque viæ, per quas oſtendimus in præcedenti capitulo omnem poteſtatem eſſe à Deo, ſunt ad noſtrum propoſitum, & non ad oppoſitum. Ex illis quidem quinque vijs erant quatuor generales, oſtendentes quod omnis poteſtas tam iu regimine naturali, quam in morali eſt à Deo. Quinta vero via ſpecialiter videbatur reſpicere morale negocium. Et quia rationes aduerſariorum ex hoc fundamento, quod papalis poteſtas eſt a Deo, nos impugnare conantur, ideo oſtendere volumus, quod tam primæ quatuor viæ geuerales, quam etiam quinta, & vltima ſpecialiter noſtrum propoſitum, quod Papa renuntiare poteſt, arguunt, & affirmant. Erat quidem prima via ſumpta ex parte ipſius potentiæ. Nam qniequid reperitur in Deo, & in creaturis, oportet, quod illud repertum, in Deo ſit cauſa omnium repertorum in creaturis: & quia potentia reperitur in Deo, & in creaturis, ideo à potentia reperta in Deo, erit omnis alia potentia. Arguit enim illa ratio, quod non eſt poteſtas, quæ non ſit à Deo: ſed non arguit, qnod opere creaturarum nõ poſſit poteſtas tolli, vel amoueri, vel deſinere eſſe.

Iſta ergo propoſitio generalis, quod omnis poteſtas eſt a Deo, vel omnis ſapieutia eſt a Deo propter prætaxatam regulam, quia a potentia in Deo eſt omnis alia potentia, & a ſapientia, in Deo eſt omnis alia ſapientia a perfectionibus in Deo, ſunt omnes aliæ perfenes: iſta quidem vniuerſalis regula non tollit operationem creeturarum, quin ipſæ creaturæ cooperantur ad huiuſmodi perfectiones: non ſunt enim ſuperuacua opera diuinæ ſapientiæ, nec ſunt creaturæ otioſæ, vt poteſt haberi Sapientiæ. 14. Et quia in his, quæ ſunt a Deo, cooperantur ipſæ craturæ, ideo ſicut creaturę cooperantur vt illud fiat, ſic operatione creaturarum fieri poteſt vt illud nou fiat. Prima ergo via, qua concludebatur in præcedenti capitulo, quod omnis poteſtas a Deo, & quod papatus eſt a Deo, ſicut, & alia bona ſunt à Deo, non obuiat dicto noſtro, quod Papa renuntiare poteſt: ſed potius quantum ad præſens ſpectat, aſſerit dictum noſtum, quod renuntiare poteſt: quia illud quod ſic eſt a Deo, quòd ad illud poſſunt cooperari creaturæ, creaturarum opere tolli poteſt, vt patet per præhabita, quia quamuis papatus ſit à Deo. tamen quia ex eiſdem contrario factis vt ex conſenſu eligentium, & ex aſſenſu electi quod iſte ſit Papa fiet de non Papa Papa: & ex eiſdẽ contrario modo factis vt quod eligentes conſeutiant quod Papa renuntiet, & ſit non Papa & ipſe aſſentiat, ceſſabit in eo Papalis poteſtas, & fiet de Papa non Papa. Via ergo prima quod omnis poteutia eſt à Deo ſumpta ex ipſa potentia, eſt pro nobis quod Papa renuntiare poteſt. Erat autem ſecunda via ſumpta ex ipſis rebus. Nam quia omnis poteſtas fundatur in aliquibus rebus: ſicut omnes res bonæ ſunt, & omnes res ſunt a Deo, ſic omuis poteſtas eſt de genere bonorum, & non eſt poteſtas niſi à Deo. Ex illa igitur ſecunda via non arguitur quod non poſſint opere creaturarum amoueri poteſtates: nam & ſi poteſtates ſunt a Deo ſicut, & res, tamen ad productionẽ rerum aliquid cooperãtur creaturæ.

Ille ergo res, ad quarum productionem aliquid cooperantur creaturæ, nullum videtur inconueniens ſi opere creaturarum tolli poſſunt; vt ſi ad productionem pluuiæ operatur ſol, vapores humidos eleuans, eadem occaſione ſolis incontrarium facta, vapores ſcilicet humidos deſiccante, tollitur pluuia. Sic quia adhoc quod aliqua perſona ſit Papa cooperantur homines ipſum eligendo, & cooperatur ipſemet electioni de ſe factę aſſentiendo: ideo ſicut opera humana adhoc cooperantur, ita operibus humanis poterit hoc tolli. Iſta ergo ſecunda via eſt pro nobis, quod Papa renuntiare poteſt. Sed dices, Nunquid omnia, ad quæ operantur creaturæ, poſſunt opere creaturarum tolli? Dicemus quod ſi illa operatio non excedit facultatem creaturæ, ſi poteſt opere creaturarum fieri, poterit opere creaturarum tolli. Nam licet deſtructa non poſſint ſemper refici, quia non ſemper a priuatione ad habitum ſit regreſſus: conſtructa tamen poſſunt deſtrui. Et ſi inſtantiã videatur habere in ſpiritualibus, apparebit in ſequentibus, quod non eſt inſtantia, vbi creditur eſſe inſtantia: quia ſpiritualia, quæ ſic poſſunt conſtrui quę non poſſunt deſtrui, hoc eſt, quia alijs corporalibus, quę ad illa ſpiritualia cooperantur aliquid, eſt collatum ſupra facultatem naturæ: ſed de hoc in ſequentibus clarius proſequemur. Nunc autem ſcite ſufficit, quod ſi ex ipſis rebus volumus arguere omnem poteſtatem eſſe a Deo, non propter hoc obuiatur dicto noſtro, nec propter hoc concludit, quod Papa renuntiare non poſſit: ſed potius, quod renunciare poteſt. Erat tertia via, per quam venebamur omnem poteſtatem eſſe a Deo, ſumpta ex ipſo ordine, quem videmus in poteſtatibus. Vult enim Deus, vt dicebatur, quodam ordine gubernare vuiuerſum, vt inferiora regantur per ſuperiora. Iſte etiam modus, quem videmus in regimine vniuerſi, voluit Deus quod eſſet in

regi-

Digitized by Google

regimine hominunt; vt quòd aliqui eſſent ſuperiores, aliqui inferiores, aliqui eſsent ſubditi, aliqui prælati; ex quo ordine ſumitur ratio poteſtaris. Et quia ille ordo eſt a Deo inſtitutus & ordinatus tam in regimine rerum quam in regimine hominum, ideo, vt dicebatur, Apoſtolus ſignanter cum prius dixiſset nō eſt poteſras niſi a Deo: ſtatim poſtea ſubdit, Quæ autem a Deo ſunt ordinata ſunt: vt ex ipſo ordine, vnde ſumitur rario poteſtatis, ſufficienter appareat, quod non eſt poteſras niſi a Deo. Sed ex illa via non obuiatur propoſito noſtro: immo magis concluditur propoſitum noſerum; quod Papa renuntiare poteſt. Nam ſi ex ordine quem videmus in rebus, arguimus omnem poteſtatem eſse a Deo: ad iſtum tamen ordinem ipſe res cooperātur: vt ſi aer eſt ſupra aquam ordine naturali, tamen ad hoc quòd hæc materia, in qua eſr forma aeris, ſit ſupra mareriam in qua eſt forma aquæ. coopera itur corpora cæleſtia, & etiam iſta inferiora: quia poteſt ſubtiliari aqua, & fieri inde aer, & ex hoc habebit ſuperius: ſic etiam poteſt aer ingroſsari opere creaturarū, & fiet inde aqua, & habebit inſerius. Et quod dictum eſt de ordine rerum naturalium quod opere naturæ fit hæc res ſuperior, & hæc inferior: ſic eodem opere in contrariū facto quod eſt ſuperius fiet inferius, vt ſi actione naturali aqua ſubtilietur, & fiat aer, quod erat inferius fiet ſuperius: ſic eadem actione naturali incontrarium ſacta, vt puta, ſi aer ingroſſetur, fiet aqua, & quod erat ſuperins fier inferius. Hoc etiā in regimine homnium veritatem habet. Nam & homines, ſi ſit regimen ſeculare ſiue eccleſiaſticum, poſſunt ſibi præficere alios ſupra ſe ita quod ad huiuſmodi regimen & ad huiuſmodi poteſtatem cooperentur ipſi homines, ſibi aliquem præficiendo: & cooperetur ipſe, qui eſt præfectus, huiuſmodi regimini aſſentiendo. Et vt deſcendamus ad popoteſtatem Papalem, licet huiuſmodi poteſtas fundetur in quodam ordine, prout omnes alij ſunt inferiores, & ipſe eſt ſuperior: ad hunc tamen ordinem cooperati ſunt ipſi homines, videlicet ipſi electores conſentiendo vt hic Papa ſit ſuperior: cooperatus eſt etiam ipſe electus, huic ſuperioritati de ſe ſactæ aſſentiendo. Sic ergo in naturalibus, opere naturæ fit inferins ſuperius: & opere naturæ incontrarium facto, ſuperius fit inferius.

Ideo dictū eſt, nihil eſſe tam naturale, quā morale quod per eadem, per quæ ſunt condita, incontrarium facta non deſtruatur: ſecundum quem modum philoſophus ait in 2. Eth. Quod ex eiſdem virtus generatur, & corrumpitur: ex eiſdem enim vt ex operibus noſtris incontrarium tamen factis, generantur virtutes & corrumpuntur. Sic ex eiſdem vt ex conſenſu eligentium, & aſſenſu electi incontrarium tamen ſactis, fiet & tolletur poteſtas Papalis. Vt ſi eligentes conſentiant, & electus aſſentiat quod ſit Papa, erit in eo poteſtas Papalis: ſic ex eiſdem incontrarium factis, vt ſi & eligentes renunciationi conſentiant, & qui fuerat electus renuntiat, & aſſentiat, quod non ſit Papa, non erit amplius Papa, & deſinet eſſe in eo poteſtas Papalis. Immo plus

NOTA

credimus, quod ſi præficientes aliquem in Papam, nullo modo aſſentirent quod confectus renuntiaret, ipſe tamen ſic præfectus liberè & ſponte renuntiaret coram eis qui eum præfecerint, non vlterius eſſet Papa. Quia non oportet quod tot requirantur ad deſtruendum quot ad conſtruendum. Nam ſi ad conſtruēdum, & ad hoc quod aliquis ſit Papa requiritur vtrunque, & conſenſus præficientium, & aſſenſus præfecti: non tamen oportet quod ambo concurrant ad deſtruendum, & ad hoc quod præſectus non vlterius ſit Papa, ſed ex ſuperabundanti eſt, quod ibi vtrunque occurrat.

Quinta.

Quinta vero via ad oſtendedum omnem poteſtatem eſse à Deo ſumebatur ex cauſalitate, quę competit poteſtati. Dicebatur enim quod poteſtas ſecundum quod huiuſmodi eſt cauſa efficiens, non deficiens. Nam ſi ſit poteſtas deficiens, hoc non comperit ei, vt eſt poteſtas, vel vt eſt potentia, ſed vt eſt impotentia. Poſse enim deficere non eſt poſse, ſed eſt non poſſe. Et quia omnes cauſæ efficientes reducuntur in cauſam efficientem primam: quod ſint cauſæ hoc habent ex cauſa prima, conſequens eſt, quod omnes poteſtates reducantur in poteſtatem primam; & quod ſint poteſtates, hoc habent per poteſtatem primam, videlicet per poteſtatem diuinam: ideo concludere poſsumus, quod non eſt poteſtas niſi à Deo. Sed ex hac via generali, quę arguit de omni poteſtate quod ſit à Deo, non concludirur quod Papa renuntiare non poteſt, ſed potius quod renuntiare poteſt. Nam quod hoc ſit cauſa, & hoc cauſatum ex opere naturæ contingere poteſt: quia loquendo de cauſis agentibus, vt hic loquimur, ad cauſam ſpectat agere, ad cauſatum vero pertinet ſuſcipere actionem agentis. Sed quodlibet agens agit vt eſt in actu, & agit per ſuam formam; & illud quod recipitur in paſſo ab agente, eſt forma vel perfectio aliqua, per quam aſſimilatur agenti. Sed cum formam inducere in materia, & remouere formam à materia, ſit opus naturæ, quia naturale eſt ipſi materiæ vt eſt ſubiecta contrarijs formis, quod poſſit expoliari vna forma, & indui alia: ad opus naturæ reducere poſſumus, quod hæc ſit cauſa, & hoc ſit cauſatum: vel quod hoc ſit actiuum, & hoc paſſiuum. Et quia quæ opere naturæ fiunt, per opus naturæ tolli poſſunt: ergo à ſimili poteſtas eccleſiaſtica, ad quam cooperatur opus humanum, opere humano tolli poteſt.

Immo ſi volumus deſcendere ad ſummum actiuum in iſtis naturalibus, & ad ſummam poteſtatem in Eccleſiaſticis, dicemus quod vt hoc ſit multum, & ſummè actiuum, hoc autem multum paſſiuum, per opus naturæ fit contrario modo ſactum. Nam ſi materia, quę eſt ſub forma aeris, multum rareſiat, & intendatur in calore, fiet inde ignis, qui eſt maximè actiuus: Si vero contrario modo fiat, vt puta ſi materia, quæ eſt ſub forma ignis condenſetur, & remittatur in ea calor, fiet inde aer, qui eſt multum paſſiuus: ita quod opere naturæ contrario modo ſactæ, actiuum fiet paſſiuum & econuerſo. Ex illa itaque via generali per quam arguitur omnem poteſtatem eſſe à Deo ex cauſalitate, & actione rerum, patet quod per idem contrario modo ſactum, aliquid generatur, & corrumpitur: vt ſi opere naturæ per rareſactionem generatur ignis,

opere naturæ per condenſationem; quæ opponitur rarefactioni, corumpetur ignis. Et quia ignis eſt ſummè actiuus, & ſummè habet potentiam agendi inter hæc inferiora, conſequens eſt, quod ſumma potentia agendi in iſtis inferioribus per idem contrario modo factum, generabitur, & deſtruetur.

Qua propter ſi hoc volumus adaptare ad ſummam poteſtatem de regimine hominum, quæ dicitur poteſtas Papalis, dicemus quod ſicut poteſtates, quas videmus in rebus naturalibus ſunt à Deo, tamen quia ad poteſtates illas cooperatur natura, ideo tales poteſtates ſicut poſſunt per naturam fieri, ſic opere naturæ contrario modo factæ poſſunt corrumpi & tolli, ita quod etiam ſumma poteſtas in in hac ſphera actiuorum, & paſſiuorum per opus naturæ generatur, & tollitur: ſic & poteſtas Eccleſiaſtica licet ſit à Deo, tamen quia ad huiuſmodi poteſtatem Eccleſiaſticam cooperantur homines, conſequens eſt, quod per opus humanum contrario modo factum poſſit talis poteſtas eſſe, & deſinere eſſe: ita quod & ſumma poteſtas eccleſiaſtica cuiuſmodi eſt poteſtas Papalis tolli poterit, ſi ex iſtis naturalibus volumus ſumere exemplum, cum ſi ea, quæ videmus in naturalibus, volumus adaptare ad regimen hominum, & ad poteſtatem eccleſiaſticam. Dicimus ergo, quod poteſtas eccleſiaſtica, & etiam ſumma poteſtas, ſicut eſt poteſtas Papalis, quam ad huiuſmodi cooperantur homines, (vt ſæpius dictum eſt) quia cooperatur ibi conſenſus præficientium, & aſſenſus præfecti, ideo ſi hoc in contrarium fiat, tolletur à præfecto in Papam poteſtas illa, & ex tunc præfectus huiuſmodi non vlterius habebit iuriſdictionem papalem: vt ſi poſtea eligatur, & præficiatur alius, non erunt duo capita, nec erit propter hoc Eccleſia monſtruoſa, quia primus, qui renuntiauit, deſinit eſſe caput.

Sed diceret aliquis nos inuoluere ſcientias ſermonibus imperitis, quia dicet nos accipere fundamentum inualidum, contra quod multæ inſtantiæ poſſunt aſſignari, quam non quicquid fit opere humano poteſt per opus humanum tolli. Eſt enim inſtantia in matrimonio. Nam ſolus conſenſus facit matrimonium: ſi poſt conſenſum coniuges diſſentiant, matrimonij vinculum non tolletur. Eſt etiam inſtantia in impreſſione characteris, quia ſi in ordinibus ſacris character imprimitur & etiam in baptiſmo, & in confirmatione, per nullum opus humanum poterit huiuſmodi character remoueri. Poſſunt etiam multæ aliæ inſtantiæ aſſignari quantum ad ſpiritualia, qæ facilius fiunt, quam deſtruantur. Sed quia rationes ſequentes aliqualiter iſta tangunt, ideo in proſequendo omnia iſta ſoluentur. Ad præſens autem in tantum ſit dictum, quod per ſe eſt hæc propoſito vera, videlicet, Quicquid opere humano fit, humano opere tolli poteſt. Si autem in aliquibus habet inſtantiam, hoc eſt quia aliquid aliud obuiat. Ideo, vt in proſequendo patebit, omnes huiuſmodi inſtantiæ non ſunt contra noſtrum propoſitum, quia in noſtro propoſito nihil obuiat, vt in ſequentibus capitulis clarius oſtendetur. Ea propter ſi ex conſenſu præficientium, & aſſenſu præfecti, præficitur quis in Papam, his in contrarium factis non amplius erit Papa, ideſt non amplius habebit iuriſdictionem Papalem. Viſo, quomodo illæ viæ quatuor generales, per quas arguitur quod non eſt poteſtas niſi à Deo; non ſunt contra nos, ſed potius ſunt pro nobis, quia ex qualibet earum concludere poſſumus, quod Papa renunciare poteſt: volumus exequi de via quinta, prout ſupernaturaliter adaptatur ad hanc materiam prout Deus habet ſupernaturalem prouidentiam de ſua Eccleſia, & ſpecialiter de capite Eccleſiæ, vt nullus præficiatur vt ſit caput Eccleſiæ ſine ſpeciali Dei opere, vel ſine ſpeciali ejus permiſſione, vt ex hoc poteſtas Papalis ſpecialiter dicatur eſſe à Deo. Nam ſi Deus habet ſpecialem curam de ſe ſua Eccleſia; ſi aſſumptus ad talem regimen ſit inſufficiens nec ſciat Eccleſiam gubernare, nonne quilibet exiſtimare debet, quod ſit ſupernaturalis diuinus inſtinctus, quod ſic aſſumptus cedat, & alius expertus, & ſcientia prçditus præficiatur in Papam? Sed diceret aliquis ſi Deus habet ſpecialem curam de ſua Eccleſia, & de capite Eccleſiæ, quomodo fieri poteſt quod ſic ſimplex præficererur in caput. Sed, vt diximus, poteſtas Papalis ſpecialiter eſt à Deo, ſed quod ſit in hoc vel in illo, non eſt ſemper ex ſpeciali diuino opere, ſed eſſe poteſt ex ſpeciali diuina permiſſione; ita quod ſemper eſt hæc poteſtas ſpecialiter à Deo in hac perſona, vel in illa, vel ex ſpeciali eius opere, vel ex ipſius permiſſione ſpeciali. Cœleſtinus

* Et ſi volumus aſſumptionem & ceſſionẽ Cœleſtini adaptare ad hæc duo, aſſumptionem eius adaptabimus ad ſupernaturalem Dei permiſſionem, & ceſſionem ad ſpecialem eius operationem. In aſſumptione quidem refulgebat diuina permiſſio: in ceſſione, diuina operatio. Quod tamen de his neſciremus cum Auguſt. 21. de Ciuitate Dei, qui ait, Fixam tamen rationem apud nos eſſe, non ſine ratione omnipotentem facere, vnde animus humanus infirmus rationem non poteſt reddere. Ergo ſi animus noſter neſciret reddere rationem, nullo tamen modo concedere debemus omnipotentem damnum aliquid ſine ratione facere, vel ſine ratione aliquid permittere. Nam, & ſi permittit mala hoc tamen facit, vt inde eliciat bona, iuxta illud Auguſt. in Enchiridion. Omnipotens non ſineret mala fieri, niſi adeo omnipotens eſſet, quod poſſet de malis bona elicere. Immo ſi ſi nulla etiam alia ratio, quare Deus illud permiſit, hoc eſſet ſatis ſufficiens, quia tunc adimpletum eſt quod dicitur. 1. Corinth. 1. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Quia enim tanto tempore vacauerat Eccleſia, quam vacationem qui habebant caput eligere ſecerant, quia forte nimis de ſua prudentia confidebãt, congruum fuit, vt eorum reprobaretur prudentia, & talem eligerent, de quo euidenter appareret, quod neſciret Dei Eccleſiam gubernare. Sed volens Chriſtus compati Eccleſię ſponſæ ſuæ, nolens ſuam Eccleſiam ſub imperito gubernatore diu conſiſtere, piè debemus credere, quod fuit eius ſpeciale opus, & ſpiritualis inſtinctus quod ſic aſſumptus renuntiaret & cederet.

* *At Clemen. V Dei prouida diſpenſatione dixit cœleſtinum ad ſummi Pontificatus apicem fuiſſe promotum.*

Bul. Cam. Cap. 5. Multa ſunt quæ non recte agnoſci queunt.

Iſa. 33. c.

CAP.

CAP. VI.

In quo ſoluitur ratio prima arguens quod non poteſt Papa renuntiare vel cedere, quia Papatus eſt a ſolo Deo.

ARguebarur ſuperius contra renuntiationem Papæ, quod cum papatus ſit à ſolo Deo, & quæ à Deo vel ab alio ſuperiori committuntur, à nullo poſſunt inferiori renuntiari: papatus qui à ſolo Deo eſt, à nullo inferiori remoueri poteſt. Sed hæc ratio falſa quidem recipit quia peccat in materia: & non ſyllogizat quia peccat in forma. Diſtinguendum eſt ergo, quomodo poteſtas Papalis eſt à Deo ſolo, & quomodo non eſt à ſolo Deo. Nam ſi loquimur de huiuſmodi poteſtate in ſe dicemus, omnia eſſe à ſolo Deo, quia quis poſſet illam poteſtatem dare hominibus, quòd ligatus in terra, ſit ligatus in cælo: & ſolutus in terra, ſit ſolutus in cælo, niſi ſolus Deus: nam illa eſt tanta poteſtas quòd ſolus Deus eam conferre poteſt. Sed ſi conſideratur huiuſmodi poteſtas prout eſt in hoc vel in illo, ſic pro tanto eſt a ſolo Deo, quia omnia opera noſtra attribuenda ſunt Deo, iuxta illud Iſaiæ, (Iſa. 26.b.) Omnia enim opera noſtra operatus es nobis. Ipſe eſt enim qui operatur omnia in omnibus & qui operatur in nobis velle, & perficere. Sed quæ ſunt ſic a ſolo Deo, quia ei ſoli debet attribui omne opus noſtrum, quia ab ipſo eſt ſi operatur, a nobis eſt ſi in opere deficimus, non excludit cooperationem noſtram, quia coadiutores Dei ſumus. Ipſi enim ſoli (Dei nos ſumus cooperatores.) hæc omnia ſunt attribuenda, quia ipſe ſolus in bonis noſtris operibus eſt laudandus: nos tamen ſumus cooperatores eius.

Igitur ſi a ſolo Deo eſt papatus, eſt tamen in hac perſona vel in illa per cooperationem humanã. Et quia ad talem poteſtatem habendam interuenit opus humanum, ideo opere humano deſinere poteſt, quia cooperatione humana eſſe habuit. Exemplũ autem habemus in naturalibus, & in gratuitis. In naturalibus quidem de anima humana: in gratuitis vero de gratia. Nam quis dubitare poteſt quòd anima humana eſt a ſolo Deo? Nam anima humana immaterialis eſt, quia, vt dicit ille Boethius, nulla ſpiritalis ſubſtantia, alicuius materiæ innititur fundamento. Dato tamen quòd anima humana haberet materiam partem ſui, non tamen ſit ex materia præiacente, ita quod oporteat non per creationem producatur in eſſe: quæ autem non niſi per creationem producuntur, a ſolo Deo produci poſſunt, iuxta illud Ezechielis. (Ezech. 18.a.) Omnes animæ, meæ ſunt: quia per creationem a ſolo Deo anima in eſſe producitur. Sed licet anima humana ſit a ſolo Deo, eſt tamen in hoc corpore per operationem naturæ, vt per operationem virtutis, quæ eſt in ſemine, formantis membra, & depurantis humidum radicale in membris: quod faciendo diſponitur corpus ad ſuſceptionem animæ, ita quod humidum radicale depuratum, eſt diſpoſitio corporis, vt ſit in eo anima: idem humidum factum impurum, diſponit corpus, vt ſeparetur ab eo anima: hoc enim modo moritur homo, quia calor naturalis depaſcit humidum radicale, & conſumit carnem noſtram. Iſtud tamen conſumptum reſtauratur per cibum ſiue per alimentum, ſed iſtud quod reſtauratur non eſt ita purum, ſicut eſt illud quod conſumitur: Sicut ſi aliquis extraheret vinum ab aliquo dolio, & poneret ibi aqua: toties enim poſſet hoc facere, quod eſſet vinum ita aquoſum, quod non poſſet facere vini opus: Sic etiam in propoſito ſemper conſumitur illud quod eſt magis purum, & reſtauratur quod eſt minus: tantum ergo poteſt homo viuere, & toties poſſet ſic fieri, quòd erit caro ita impura, quod non poſſet facere carnis opus: propter quod oportet animam recedere a corpore.

Per idem ergo contrario modo ſe habens infunditur anima corpori, & deſinit eſſe in corpore: nam per humidum radicale purum in membris formatis diſponitur corpus vt infundatur illi anima, & Deus infundit illi animam: & per idem humidum factum impurum diſponitur corpus, vt ſeparetur inde anima. Exemplum etiam habemus in gratuitis de gratia; nam nullus dubitare poteſt quin gratia ſit a ſolo Deo, non tamen quod ſit in hoc homine vel in illo cooperatur ibi voluntas humana, vt voluntas eſt, quæ ſuſcepit gratiam. Nam nullus adultus poteſt ſuſcipere gratiam niſi per voluntatem conuertat ſe ad Deum, a quo eſt gratia: nam ſi Deus creauit te ſine te (loquendo de adultis) non iuſtificabit te ſine te: (Aug. de ver. Ap. Ser. 15.) oportet enim quòd per voluntatem te conuertas ad Deum, a quo eſt gratia, ſi vis ſuſcipere gratiam. Nam ſicut ſi vis illuminari, oportet quòd te conuertas ad lumen: ſic ſi vis habere gratiam, oportet quod te conuertas ad fontem gratiæ.

Arguitur ergo ſic, a ſolo Deo eſt anima humana, & a ſolo Deo infunditur in hoc corpore, ergo non niſi per ſolam virtutem diuinam poteſt ſeparari ab hoc corpore. Conſtat quod iſtud argumentum eſt falſum: Peccat enim in materia, quia falſa recipit; & peccat in forma, quia non concludit vel non ſyllogizat. Falſum quidem recipit, quia cum dicis quòd anima humana eſt a ſolo Deo, ſi intelligas quod ita ſit a ſolo Deo, & in ſe & in hoc corpore, quod nihil cooperatur ibi natura, falſum eſt: & quia aliter non concludit ratio præfata niſi ſub hoc ſenſu quod anima humana ita ſit a Deo, & in ſe & in hoc corpore, quòd ad hoc nihil operatur Natura, ideo bene dictum eſt quòd prædicta ratio falſa recipit, & peccat in materia. Rurſus ratio præfata non ſyllogizat, vel non concludit, quia peccat in forma: nam cum dicit Anima humana a ſolo Deo infunditur in hoc corpore, ergo non poteſt ab hoc corpore tolli opere Naturæ, nec alio opere quam diuino, ita quòd nec calor naturalis poteſt per ſuam naturam tantùm depaſcere humidum radicale, quòd corrumpat hominem, nec ad aliud poterit hominem permutare, ſed ſolum opere diuino poterit hoc fieri, patet falſum eſſe. Peccat enim hæc ratio per accidens: accidit humanæ animæ vt infunditur huic corpori a ſolo Deo, quòd tollatur ab hoc corpore opere naturæ vel opere alio quam diuino, quia non

Digitized by Google

non tollitur anima ab hoc corpore opere naturæ prout infunditur illi corpori a ſolo Deo, ſed prout illi infuſioni cooperatur natura: nam ſi poteſt natura diſponere corpus vt infundatur ei anima, poteſt ſic natura tranſmutare corpus & reddere ipſum ſic indiſpoſitum, quòd ab eo ſeparabitur anima. Accidit ergo animæ quod dictum eſt, quia hoc non competit ei prout a ſolo Deo eſt infuſa, ſed prout illi infuſioni alia ſunt cooperata: nam ſi alia poſſunt cooperari vt huic corpori infundatur anima, poterunt etiam alia cooperari vt ab illo corpore etiam ſeparetur anima: & quia accidens, vt hic de accidente loquimur, eſt vna de 13. fallacijs, cum ergo omnes illæ, 13. fallaciæ, de quibus agitur in Elenchis,
a Elench. non ſyllogizant nec concludunt & peccant in forma, conſequens eſt quòd præfata ratio, quæ peccat per fallaciam accidentis, non ſyllogizat nec concludit, & peccat in forma: quod declarare volebamus. Oſtenſum eſt itaq; quòd ratio arguens quòd anima rationalis, quæ eſt infuſa huic corpori, a ſolo Deo eſt, non poteſt ab illo corpore opere naturæ, vel alio opere quam diuino tolli vel ſeparari, peccat in materia, quia falſa recepit: & peccat in forma, quia non arguit nec concludit nec ſyllogizat.

Ideo per ſimile manifeſte patet, quòd ratio arguens quòd quia predictas Papalis eſt a ſolo Deo, ideo non poteſt opere humano ab homine tolli, peccat in materia, quia falſa recipit, & peccat in forma, quia non ſyllogizat nec concludit. Nam ſi dicatur, quòd poteſtas Papalis ſic eſt a ſolo Deo in hoc homine, quia ad hoc quòd ille homo ſit Papa, nihil cooperati ſunt homines, patet falſum eſſe. Et quia huiuſmodi ratio non concludit vniuerſaliter niſi ſub hoc ſenſu, ideo benè dictum eſt, quòd falſa recipit, & peccat in materia: peccat enim huiuſmodi ratio per fallaciam accidentis: accidit enim ipſi poteſtati Papali quod poteſt tolli per opus humanum in quantum eſt a Deo, quia prout huiuſmodi poteſtas eſt a Deo non tollitur per opus humanum, ſed prout talis poteſtas eſt in hoc homine quod cooperantur ad hoc ipſum homines, poterit per opus humanum tolli ab hoc homine, vel deſinere eſſe in illo homine. Erat autem ad hoc idem aliud exemplum de gratia: nã ſi dictus modus arguẽdi valeret, ſequeretur quòd nunquã per culpam nec per prædictum aliqua tolleretur gratia.

Arguatur ergo ſic, a ſolo Deo gratia infunditur animæ, ergo non niſi a Deo gratia poterit remoueri ab anima, ſed culpa & peccatum non ſunt a Deo, quia, vt ſupra tetigimus, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil ita peccatum vel cul-
Io.1.a. pa, ſecundum quòd plures ſanctorum exponunt: culpa itaque & peccatum, quæ non ſunt a Deo, non poterunt tollere gratiam ab anima, quæ a ſolo Deo infunditur animæ. Conſtat quòd & hæc ratio, ſicut & alia, falſa recipit & non ſyllogizat: peccat enim in materia & in forma: nam ſi ſic eſſet gratia a Deo quod nihil ad eam habẽdam cooperatur homo, non poſſet opere humano tolli ad quod nihil cooperari poteſt opus humanum. Oportet ergo quòd illa ratio, gratia eſt a ſolo Deo, ergo non niſi opere diuino tollitur, ſub hoc ſenſu intelligatur, quòd ita ſit gratia a ſolo Deo, quòd ad eam habendũ nihil cooperetur vel cooperari poſſit homo: ſecundum quem modũ eſt propoſitio falſa: propter quòd præfata ratio falſa recipit & peccat in materia.

Rurſus non ſyllogizat, & peccat in forma, quia peccat per fallaciam accuſantis: accidit enim gratiæ quòd tollatur per voluntatem noſtram ſe auertentem a Deo prout huiuſmodi gratia eſt a ſolo Deo. Non enim tollitur gratia ab homine prout a ſolo Deo, ſed prout ad eam habendam cooperari poteſt humana voluntas: eandem enim voluntas contrario modo ſe habens cooperabitur vt ſit in nobis gratia, & vt perdamus gratiam. Sicut idem homo aliter & aliter ſe habens cooperari poteſt vt illuminetur ſi ſe conuertat ad lumen, & vt obtenebretur ſi ſe auertat a lumine: ſic eadem voluntas cooperabitur vt ſit in nobis gratia ſi ſe conuertat ad Deum, qui eſt fons gratiæ, & qui illuminat hominem per gratiam, & cooperabitur vt perdamus gratiam ſi ſe auertat a fonte gratiæ. Quia igitur ad habendam gratiam cooperatur homo ſi ſe conuertat ad Deum, ſic contrario modo ſe habens tolletur ab eo gratia ſi ſe auertat a Deo: ſic & in propoſito, quia Papalis poteſtas ſit in homine, cooperantur præficientes & etiam ipſe præfectus aſſentiendo, ſi hæc in contrarium fiant, deſinit eſſe Papalis poteſtas in homine illo. Eſt ergo diligenter notandum, quòd, quantum ad præſens ſpectat, ſimile eſt de Papatu vt eſt in hoc homine, & de gratia vt eſt in hac anima. Nam non poſſumus per nos ipſos habere gratiam, quia (vt ait Apoſtolus) Non eſt volentis (velle) nec currentis (curre- Rom 9 c.
re), ſed miſerentis eſt Dei. Non eſt enim in poteſtate noſtra, niſi iuuaremur a Deo, quòd poſſimus conuerti ad ipſum. Ideo habetur Iere. 31. Conuerte me, & conuertar. Niſi Iere. 31.c.
enim Deus nos conuerteret, non poſſemus conuerti ad ipſum: ipſum enim velle noſtrum ſi bonum eſt & perfectum, operatur in nobis Deus, iuxta illud, qui operatur in nobis vel- Philipp.2 b
le & perficere. Poſſumus ergo per nos ipſos deficere & auertere nos a Deo, ſed non poſſumus per nos ipſos perficere & conuertere nos ad ipſum. Sic & in propoſito, per ſe ipſum poteſt quis renuntiare papatum, & non eſſe Papa, ſed non ſufficit quod aſſentiat papatui ad hoc quòd ſit Papa: ad conſtruendum enim hoc quòd aliquis ſit Papa, duo oportet concurrere, vt ſupra tetegimus, aſſenſum præficientium, & aſſenſum præfecti: ſed ad hoc quòd non ſit Papa, ſufficit ſolus aſſenſus præfecti quod aſſentiat renuntiare & quòd renuntiet, vt non ſit vlterius Papa.

Eſt etiam notandũ diligenter, quod in alijs prælationibus inferioribus, vt puta in Epiſcopatibus, in Archiepiſcopatibus nõ poteſt quis pro libito renũtiare quòd non teneatur habere curam de grege ſibi cõmiſſo, quia huic obuiat ſtatutum ſuperioris. Nec propter hoc infringitur illa regula generalis, per eadem contrario modo facta res conſtruitur, & deſtruitur, vt ſi aliquis eligatur in Epiſcopum per aſſenſum eligentium, & aſſenſum electi, & aſſenſum metropolitani confirmantis eum, erit ille Epiſcopus. Dato tamen quòd omnia iſta contrario modo fiant, vt quòd eligentes, & præfectus iam in Epiſcopum, & Metropolitanus

tanus contrario modo ſe habeant, ita quod omnibus eis placeat quod iſte cedat, non propter hoc poterit cedere, quia Epiſcoporum translatio, depoſitio, & conceſſio ſoli eſt Romano Pontifici reſeruata, vt dicitur extra de translatione Epiſcoporum inter corporalia. Dedit enim Romanus Pontifex in electoribus, & Metropolitano, quod poſſint Epiſcopum ſtatuere, ſed non dedit eis poteſtatem quòd poſſit eius ceſſionem excipere. Propter quòd ad conſtruendum Epiſcopum quatuor concurrunt, videlicet aſſenſus eligentium, aſſenſus electi, aſſenſus Metropolitani confirmantis ipſum, & voluntas Papæ, de cuius voluntate eſt quod Metropolitanus poſſit Epiſcopum confirmare. Ideo niſi adſit voluntas Papæ, & niſi papa ſit de hoc ſpecialiter requiſitus. Epiſcopus confirmatus non poteſt cedere. Sed cum papa nullum habeat ſuperiorem, totum eſt in poteſtate ſua: nullum enim iure ligatur, eum poſſit cedere, quin velit. Poſſet enim cedendo peccare, & poſſet cedendo mereri. Si enim viderit ſe vtilem Eccleſiæ, & ad fugiendum laborem, & vt parceret carni ſuæ cederet, grauiter peccaret. Sed ſi videret ſe inſufficientem ad gubernandum eccleſiam, & quia nollet quod bonnm publicum ſub ipſo langueret, ſi hoc modo cederet, multum mereretur. In poteſtate ergo ſua eſt cedere cum vult: & ſi cedat tenebitur eius ceſſio: ſed caueat quo animo illud faciat.

Ad creandum Epiſcopum quatuor cōcurrunt.

Sed diceret aliquis, Non poſſet etiam Papa cedere, ſi vellet: quia ſicut Epiſcopus cōfirmatur per ſuperiores ita per Papam, qui vel ipsū cōfirmat, vel legē condidit qualiter debeat cōfirmari ſine cōſenſu Papæ ita quod non poteſt cedere: ita electio Papalis confirmat per Deū, ita quod ſine aſsēſu Diuino nō poterit cedere. Sed tales obiectiones ſunt modici ponderis: nā huiuſmodi diuina confirmatio non eſt aliud niſi quia, ex quo rite ipſe poteſt eſſe Papa, quia eſt a duabus partibus eligentium electus, & acceptatus, ſi ipſe aſſentiat electioni, Deus confirmat, ita acceptat quod factum eſt. Sic & in propoſito, cum nulla iura poſſit Papam ligare: ſicut in poteſtate ſua eſt aſſentire electioni, & aſſumere illud onus, ſic poſtquam aſſumpſit, in poteſtate ſua eſt deponere huiuſmodi onus, & renuntiare illi oneri. Si enim appareret aliquod Diuinum ſtatutum quod Papa renuntiare non poſſet, ſicut apparet papale ſtatutum quod Epiſcopus ſine aſſenſu Papæ non poteſt cedere, certum eſſet quod ratione ſtatuti ſuperioris, Papa renuntiare non poſſet: quia etſi Papa non habet ſuperiorem hominem, loquendo de homine puro, habet tantum ſuperiorem Deum, vel habet ſuperiorem Chriſtum, qui non eſt homo purus, ita non eſt homo tantum, ſed eſt homo & Deus, cuius ſtatuto ligari poteſt.

Sed nūquā Chriſtus hoc ſtatuit, immò poſſumus dicere quod eſt īpoſſibile quod ipſe Chriſtus hoc ſtatuiſſet: eo enim modo quo eſt impoſſibile quod ſtatuiſſet legē, ita quaſi etiā impoſſibile eſt, quod ſtatuiſſet quod Papa renuntiare non poſſet: iniqua enim eſſet lex, quod non poteſt cedere, qui manifeſte eſſet inſufficiens ad Eccleſiam gubernandum. Quicunque enim Papa cederet, ex quo nullum ſtatutum ſuperioris eum ligat, quoniam poteſt hoc facere teneret ceſſio ſua, & non haberet vlterius iuriſdictionem papalem. Et quia Deus ſic adminiſtrat res vt eas proprios curſus agere ſinat, vt dicit Auguſt. in Ciuit. Dei lib. 7. cap. 30. cum iſte ſit proprius curſus rerum, quod quilibet poteſt proprie officium aſſumptum deponere, niſi ad id faciendum ſuperiori ſtatuto prohibeatur, nullam cauſam videmus, nullam rationem conſpicimus, quare Papa renuntiare non poſſit, & quod Deus non acceptet ſuam renuntiationem, eo ipſo quod ipſe ſic vult gubernare mundum, quod res ſuos proprios curſus agere ſinat. Notandum etiā quod in adminiſtratione rerum, & in eo quod Deus ſinit res agere ſuos curſus, aliquin fit Diuina permiſſione, aliquin Diuina operatione.

In Papa quidem duo ſunt, de quibus locuti ſumus, aſſumptio, & ceſſio: non oportet tantum quod ſemper vtrumque ſit diuina operatione. Sed aliquin vnum eſt diuina permiſſione, aliud verò diuina operatione; aliquin poteſt eſſe econuerſo. Si ergo aſſumatur qui manifeſte eſt inſufficiens, hoc pertinebit ad diuinam permiſſionem. Si autem talis cedat, videbitur pertinere ad diuinum inſtinctum, & ad diuinam operationem. Sic autem eſſet econuerſo, quod eligerentur, qui, ſecundum quod patitur humana fragilitas, eſſet manifeſtè ſufficiens, & ille propter peccata noſtra cederet, aſſumptio eſſet attribuenda Diuino inſtinctui, & diuinæ operationi: ceſſio verò diuinæ permiſſioni.

Ex his autē reuertamur vnde venit ſermo, dicētes cōtra aduerſarios, qui fortè per confirmationē ita per acceptationē diuinā vellēt ſe iuuare: volētes ex hoc quod Papa nō poteſt cedere, quia ex quo aſsētit Papatui, Deus hoc acceptauit, ratione cuius nullatenus renuntiare poteſt. Sed quis eſſet illius dementiæ, qui diceret quod Deus acceptaret aſſumptionem hominis manifeſtè inſufficientis, & ceſſionem non acceptaret? Quis etiam eſſet illius dementiæ, qui diceret quod illud quod pro charitate factum eſt, contra charitatem militare debeat? Et quod pro bono publico factum eſt, debeat contra bonum publicum militare? Cur ergo conſtitutio capitis pro bono publico facta ſit. ea propter ſi tale ſit caput quod non ſit ſufficiens ad habendam curam de mēbris, quis diceret quod Deus aſſumptionem talis capitis acceptaret, non autem acceptaret ceſſionem ipſius? nonne iſta ratio indicat, quod aſſumptio eſſet attribuenda diuinæ permiſſioni, ceſſio autem Diuino inſtinctui, & operationi? Propter quod tanto magis acceptaret Deus eius ceſſionem quam aſſumptionem, quanto ea quæ fiunt diuino inſtinctu, & operatione, magis videntur procedere ex diuino beneplacito, quam quæ fiunt ex eius permiſſione. Concludamus ergo, & dicamus, quod ſiue ſit Papa inſcius, ſiue ſcius, cum ad hoc nullo ſuperiori ſe obligetur mandato, renuntiare, & cedere poteſt. Et ſi cedat aut renuntiet, tenebitur eius ceſſio, & renuntiatio. Propter quod quantum ad poſſe cedere vel renuntiare, nulla eſt diuerſoria: ſed diuerſoria eſſe poteſt, & ex parte Dei, & ex parte cedentis. Ex parte quidem Dei, quia ſi forte propter peccata noſtra cederet qui eſſet ad regnū vtilis iuxta fragilitatem humanam, fieret ex diuina permiſſione; ſed ſi cederet qui non eſ-

ſet

ſet ſufficiens, fieret ex diuino inſtinctu, & ex diuina operatione. Rurſus poteſt eſſe differentia ex parte cedentis, quia ſi cedens hoc faciat, videns ſe non ſufficientem, & timens ne bonum publicum ſub ipſo langueat, merebitur. Si autem hoc faciat non amore boni publici, ſed volens laborem ſugere, demerebitur.

CAP. VII.

In quo ſoluitur ſecunda ratio, quod nullus niſi ſolus Deus poteſt auctoritatem, & Papalem poteſtatem auferre, cum nullus niſi Deus poſſet eam conferre.

ARguunt aduerſarij noſtri (& vt diximus, In hac parte aduerſarij veritatis) quod Papa renuntiare nõ poteſt. Eſt enim hæc eorũ ſecunda ratio, quia nullus poteſt authoritatẽ, & poteſtatem aliquam auferre quam conferre non poteſt. Cum ergo authoritarem Papalem nullus conferre poſſit niſi Deus, ergo (vt aiunt) neque eam auferre. Sed ſi teneret (vt dicunt) renunciatio Papalis, auferretur papalis poteſtas: ea propter concludunt quod Papalis renunciatio non videtur fieri poſſe. Dicimus itaque quod hæc ſecũda ratio nõ videtur aliud habere fundamẽtũ quã ratio prima.

Arguebat quidem prima ratio, quòd quia papalis poteſtas eſt à ſolo Deo, ideò à nullo inferiori remoueri poteſt. Et hæc ſecunda ratio hoc idem arguit, videlicèt quod quia Papalem poteſtatem nullus alius à Deo poteſt conferre, ergo nullus alius poteſt auferre. Patet quidem, quod per illa duo exempla, per quæ nos iuuabamur contra rationem primam, poſſumus nos ſufficienter iuuare contra hanc rationem ſecundam. Dicemus enim quia animam rationalem ſolus Deus creare poteſt, & ſolus Deus huic corpori infundere, & ſolus Deus poteſt eam huic corpori dare: Ergo ſecundum hunc modum arguendi, ſic ſolus Deus poteſt animam humanam huic corpori dare, ergo ſolus ipſe poteſt eam ab hoc corpore ſeparare: ſecundum quem modum loquendi, homo non moritur naturaliter nec poteſt mori violenter, ſed ſolum opere diuino, & miraculoſo poteſt homo mori: quod quantæ dementiæ ſit hoc dicere, ex dictis clarius eſſe poteſt. Propter quod vt prius diximus etiam nunc dicemus, quod licet anima humana à ſolo deo infunditur in hoc corpore, tantum ad huiuſmodi infuſionem, qua operantur natura, & ars, natura quidem formando membra, & purificando humidum radicale in membris: ars quidem quia Medicus eſt miniſter Naturæ, & poteſt in multis iuuare naturam, vt per induſtriam artis in muliere prægnãte magis purificetur huiuſmodi humidum radicale in membris. Ideò ſicut ad huiuſmodi infuſionem ad diſponẽdum fœtum cooperatur Natura, & poteſt cooperari humanum ingenium, vt ibi infundatur anima, quia non infunditur niſi corpori diſpoſito: ſic quia anima non ſeparatur niſi à corpore indiſpoſito, poterit animam à corpore ſeparare natura, & humanum ingenium: & omne illud poteſt corpus ſic diſpoſitum reddere, quod non poteſt ibi vlterius anima remanere.

Eodem etiam modo arguemus de gratia: nam licet gratia ſit in hac anima à ſolo Deo, tamen quia Deus non infundit gratiam niſi animæ diſpoſitæ ad ſuſcipiendam gratiam, ideo quicquid poteſt reddere animam indiſpoſitam ad gratiam, poteſt ab anima gratiam tollere. Opere ergo diuino infunditur gratia, & per culpam, & per peccatum, quæ non ſunt opera diuina, tollitur gratia. Concludit ergo ratio manifeſte falſum, tam prima quam ſecunda. Dicebat enim prima quòd illud quod à ſolo Deo eſt, a nullo alio auferri poteſt. Dicebat autem ratio ſecunda quod id quod poteſt ſolus Deus conferre, nullus alius poteſt auferre. Sed manifeſtè patet falſum eſſe quod dicitur: nam anima humana à ſolo Deo infunditur corpori, tamen opere Naturæ, & opere humano poteſt auferri à corpore. Et gratiam ſolus Deus eam confert animæ, & tamen culpa, & peccatum, quæ ſunt opera noſtra, eam tollunt ab anima: quæ omnia ideo contingunt, quia & ad infuſionem animæ, & ad collationem gratiæ, aliquid cooperantur vel cooperari poſſunt creaturæ, ideo opere creaturarum poteſt hæc tolli. Sic, & in propoſito, quantumcumque Papatus ſit à ſolo Deo, tamen quia ad hoc quod Papatus ſit in hoc homine, vel in illo, cooperantur ipſi homines, ideo opere humano tolli poteſt. Idem ergo, & eodem modo videtur arguere ratio ſecunda, & prima: propter quod ſoluta ratione prima, ſoluitur, & ſecunda.

Poſſumus tamen ſi volumus aliqualiter diuerſificare rationem hanc ſecundam à ratione prima, vt dicamus quod hæc ratio ſecunda ſit ſupplementum rationis primæ. Nam non valet, ſi dicatur quod hoc eſt à ſolo Deo, & ad id nihil cooperata eſt creatura, ergo non poteſt corrumpi opere creaturæ. Nam ſi Deus nunc de nihilo crearet vnum animal, vtpũta vnum bouem, vel vnum equum, ad productionem illius animalis nihil cooperaretur creatura: attamen ille bos, vel ille equus ſic productus eſſet eiuſdem ſpeciei cum alijs bobus, vel cum alijs equis: quapropter animal ſic productum niſi Deus miraculosè ſuſtentaret ipſum, poſſet occidi, & poſſet mori ſenio, ſicut, & alij equi, vel boues: propter quod ſupplenda eſt illa ratione, & dicendum eſt, quod ſi hoc eſt à ſolo Deo, ergo non poteſt tolli à creatura: ſupplendum eſt enim ibi, quod ſi hæc eſt à ſolo Deo, ſicut ad illam, vel ad ſimilem illi non poteſt cooperari creatura, quod non poſſit illud tolli opere creaturæ. Nam, & ſi Deus poteſt facere vnum equum, quantumcumque ad productionem illius equi nihil fuiſſet cooperata creatura, attamen quia equus producitur, vel produci poteſt opere creaturæ, ideo ille equus, ſicut, & alij equi, corrumpi poteſt operæ creaturæ.

Dicebat ergo ratio prima, quod Papatus non poteſt conferri ab alio quam à Deo, ita quod plus dicit hæc ratio ſecunda, quam prima ratio dixit. Addit etiam hæc ratio ſecunda ſupra primam, quod papatus non quocumque modo eſt à ſolo Deo, ſed ita eſt à ſolo Deo, quod ſolus Deus poteſt ipſum conferre: ſed licet aliqualiter diuerſificata ſit iſta ratio

ſecun-

Digitized by Google

ſecunda a ratione ptima, attamen eandem ſolutionem habet cum illa. Nam nec eſse, nec poſse competit animæ tationali, vel gratiæ niſi à ſolo Deo: nam ſicut ſolus Deus infundit animam huic corpoti, & ſolus ipſe poteſt eam conferre vel infundere huic corpori: ſiç etiam ſolus Deus infundit gratiam huic animæ, & ſolus ipſe poteſt eam inſuudere huic animæ. Sed vt poteſt patere ex habitis, licet in ipſam animam, & in ipſam gratiam non poſſit creatura aliqua: attamen poteſt creatuta aliquid facere in hoc corpore, quia poteſt diſponere ipſum ad ſuſceptionem animæ: propter quod dicebatut quòd ad infuſionem animæ aliquid cooperatur creatura. quia cooperatur ibi virtus, quæ eſt in ſemine: nou quòd huiuſmodi virtns ipſam animam producat, nec huiuſmodi vittus animam infundat in hoc corpore: ſed aliquid cooperatut talis vittus in tali corpore vt ſit diſpoſitum ad ſuceptionem animæ, ratione cuius diſpoſitionis dicitur cooperari ad hoc quòd ibi anima infundatur.

Sed cum ſic ſit de anima, nunquam ſimile eſt de gratia, quia opere creatnræ ſit diſpoſitio ad gratiam, non autem ipſa gratia. Dicemus ergo non eſſe omnino ſimile de anima infuſa corpori, & de gratia inſuſa animæ, quia diſpoſitio ad animam eſt per operationem creaturæ, ipſa tamen anima eſt à Deo. Non autem ſic eſt de gratia, quia tam gratia quam diſpoſitio ad gratiam ſunt à Deo. Vnde Damaſcenus lib. 2. cap. 30. dicit, quia virtus ex Deo data eſt, & ipſe eſt omnis boni principiũ & cauſa: & ſine eius coopetatione & auxilio impoſſibile eſt bonum velle vel facere. Conſtat autem quòd diſpoſitio ad virtutem & ad gratiam eſt per noſtrum bonum velle. Et quia à Deo eſt quòd volumus bonum, oportet quia ab eo ſit tam gratia quam diſpoſitio ad gratiam. Sed licet non ſit per omnia ſimile de anima infuſa corpori, & de gratia infuſa animæ, tantum quantum ad propoſitum ſpectat eſt potentia ſimile, quia ſicut ad infuſionem animæ aliquid cooperatur natura, ita ad infuſionem gratiæ aliquid cooperatur ipſe homo, cum infuuditur gratia, vel aliquid cooperari poſſent etiam alij homines. Nam licet Deus operetur in nobis velle & perficere, tamen in noſtra poteſtate eſt vel ſequi Dominum vocantem ad virtutem, vel ſequi Diabolum vocantem ad malitiam vt dicit Damaſcenus præfatis lib. & cap.

Diſpoſitio ad gratiam ſit gratia.

Damaſcen. lib. 2. c. 30.

Dicemus ergo cum Pſalmiſta, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Multi enim nolunt audire illud quod loquitur in eis Deus, & nolunt ſequi diuinos inſtinctus. Aliquod ergo cooperamnr ad infuſionem gratiæ, quia ſequimur vocationem diuinam, ſic etiam aliquid cooperari poſſent ad hoc alij homines: nam cum vnus homo inducit alium, vt bene faciat, & ſequatur vocationem diuinam, conſequens eſt quòd tam inductus prout ſequitur vocationem diuinam, & etiam inducens aliquid cooperantur ad gratiæ infuſionem. Reuertamur ergo ad propoſitum & dicamus, quia licet hæc ſecunda ratio aliquid ſuperaddat primæ, quia prima dicebat quòd papatus eſt à ſolo Deo, hæc autem ſecunda ſuperaddit & dicit quia non ſolum papatus eſt a ſolo Deo, ſed non poſſit eſſe ab alio, & non poteſt ipſum papatũ conferre alius quam ſolus Deus: attamen eadem ſolutione & per eadem exempla ſoluitur hæc ſecunda ratio, vt prima. Nam vt diximus, Anima humana à ſolo Deo infunditur corpori, & nou poteſt niſi à ſolo Deo infundi: & gratia à ſolo Deo inſunditur animæ, & non poteſt niſi à ſolo Deo inſundi animæ: tamen quia & ad hoc quod anima infundatur corpori, & gratia infundatur animæ, aliquid cooperatur creatura, ideo operatione creaturæ anima poteſt ſeparari à corpore, & gratia poteſt deſinere eſſe in anima. Et quia nullus negare poteſt, quando papatus ſit in iſto vel in illo homine operatione humana, quòd eſt in eo per aſſenſum ſcilicet præficientium, & per aſſenſum præfecti, ideo his contrario modo ſe habentibus & ſpecialiter præfecto contrario modo ſe habente, deſinit in ipſo eſſe papalis poteſtas: quod maxime veritatem habet de poteſtate papali, cum nullum ſit ſtatutum ſuperioris, & cum Chriſtus nunquam ſtatuerit oppoſitum quòd Papa renuntiare non poſſit.

Sicut ergo diximus de corpore reſpectu animæ & de anima reſpectu gratiæ, ſic dicemus de Papa reſpectu poteſtatis papalis: nam corpori diſpoſito inſunditur etiam anima; & poſtquam infuſa eſt ei anima, ſi contrario modo ſe habeat, & fiat indiſpoſitum, ſeparabitur ab eo anima. Sic & anima ſi ſequatur Deũ vocantem, & conuertat ſe ad Deum, erit in ea gratia: & poſtquam habet gratiam, ſi contrario modo ſe habeat & auertat ſe à Deo, deſinet in ea eſſe gratia. Sic etiam ſe habet de poteſtati Papali, ſi ritè electus conſentiat electioni de ſe factæ, erit Papa, & habebit papalem poteſtatem: & poſtquam eſt Papa, ſi contrario modo ſe habeat, & diſſentiat & renuntiet papatui, deſinit eſſe Papa ita non habebit vlterius poteſtatem Papalem. Cum enim nullum ſit ſtatutum ligãs Papam quod renuntiare non poteſt, & cum poteſtas Papalis non magis ſit à Deo in hoc homine, quam anima humana in hoc corpore, vel quam gratia in hac anima, quod poteſt mouere aduerſarios huic veritati, cum clare videant, quod corpore, poſtquam infuſa eſt ſibi anima, contratio modo ſe habente, ſeparetur ab eo anima: & anima, poſtquam infuſa eſt gratia, contrario modo ſe habente, deſinit in ea eſſe gratia? Quare Papa poſtquam eſt Papa, contrario modo ſe habente & eo renuntiante papatui, deſinet eſſe Papa: & poſt reſurrectionem quidem anima non poterit ſeparari à corpore, quia non poterit corpus fieri ita indiſpoſitum, quòd ſeparetur ab eo anima: Et anima beata non poterit gratiam perdere, quia ita conuerſa eſt ad Deum, quòd non poteſt contrario modo ſe habere, nec poteſt peccare, nec poteſt ſe auertere à Deo quin gratiam perdat: ſi enim anima in patria poſſet bonum & male facere ſicut poteſt cum eſt in via, poſſet gratiam habere & habitum perdere. Quid ergo obſtat, quare anima poſt operationem bonam adipiſcitur gratiam, per operationem malam deſinit habere gratiam, quia nou ſimili modo prefectus in Papam per loquelam conſentiendo electioni de ſe factæ, ſit Papa; per loquelam etiam renuntiando papatui deſinat eſſe Papa? Nullum ſanius ſtatutum incontrarium, nullam videmus rationem ad oppoſitum, quin Papa renuntiante, deſinat eſſe Papa. Verum quia

iutelleɁus hominis non quieſcit, volumus dicere, quòd eſt diuinum ſtatutum & quòd Deus ſtatuit quòd renuntiare poteſt, quia, vt diximus, Lib 7. c.30 de Ciu. Dei. Auguſtinus dicit, quòd ſic Deus adminiſtrat res, vt eas proprios curſus agere ſinat. Statutum eſt ergo dininum, quòd Deus ſic adminiſtrat res, ſecundum quod ordo requirit & conditio rerum. Et quia ordo & conditio Eccleſiæ hoc requirit, quòd Papa renuntiare poſſir, quia talis poteſt eſſe aſſumptus quòd langueret ſub eo bonum publicum, ideo Papa renuntiare poteſt. Non ergo dicere poſſumus quòd ſit diuinum ſtatutum quòd Papa renuntiare non poſſit, ſed potius quòd ſit diuinum ſtatutum quod renuntiare poſſit, cum hoc requirat ordo & conditio rerum.

CAP. VIII.

In quo ſoluitur ratio tertia arguens quia Papatus nullo modo poteſt tolli ab aliquo, quia cum ſit ſuprema poteſtas, conſequens eſſet, quia maior dignitas per minorem tolleretur.

SOlutis duabus rationibus, volnmus in hoc capitulo, ſoluere rationem tertiam. Arguunt enim quia Decretalis illa extra de tranſlarione Epiſcoporum cap. Inter corporalia, expreſsè iunuit quòd depoſitio Epiſcoporum, tranſlatio, & abſolntio eorum poſt confirmationem, ſoli Papæ eſt reſeruata. Immo in eadem decretali dicitur, quòd ſpirituale vinculum eſt † fortins quàm carnale: ſed potius diuina poteſtate coniugium ſpirituale diſſoluitur. Ex quo manifeſte patet, quòd ſi Papa poreſt aliquem Epiſcopum abſoluere, vel ſi poteſt ceſſione alicuius Epiſcopi recipere, quia hoc faciendo ſpirituale coniugium ſeparat, quia igitur vt dictum eſt hoc non ſit niſi per poteſtatem diuinam, ideo ipſe Papa hoc non poteſt facere, niſi in qnantum eſt Vicarius Dei. Arguatur ergo ſic, ſpirituale coniuginm non poteſt ſeparari niſi per diuinam poteſtatem, ergo cum inter Papam & Eccleſiam ſit ſpiritnale coniugium, conſequens eſt ergo quòd Papa nullo modo renuntiare poterit, cum non aliquis alius Dei Vicarius, in cuius manibus poſſit cedere, ratione cuins dicatur per poteſtatem diuinam ita per poteſtatem Vicarij Dei, huiuſmodi coniugium ſeparari. Addunt antē iſti volentes reſpondere tacitæ quæſtioni, vt quia forte aliquis diceret, quia etiam alij Epiſcopi ſunt Vicarij Dei, propter quod Papa poteſt rennntiare in manibus alterius Epiſcopi. Ideo iſti dicunt, quòd nulla ratio hoc capit, qnia Deus voluerir inferiores dignitates quam Papatus, per ipſum Deum tantum, aut per dignitatem ſuperiorem tolli poſſe: & tamen voluerit ipſum paparum, quæ eſt ſumma dignitas, quæ propriè eſt ipſius Chriſti, nedum per inferiorem Deo, ſed etiam per dignitates inferiores ſe ipſa, tolli poſſe.

† Fortius ita dignius, inquit Gloſ. ibidem.

Aduertendum ergo, quòd antequam ſoluamus rationem propoſitam, eſt diligenter notandum quòd omnes hæ tres rationes factæ vtuntur hoc modo loquendi, quòd papatus non poteſt renuntiari, quia uon poteſt remoueri vt dicit prima ratio, nec auferri vt dicitur ſecunda, nec tolli, vt dicit hæc tertia, ab eo qui eſt Papa, niſi per ſolum Deum. Sed cum omnia iſta verba ſonent in quandam violentiam, ſi ipſi vellent ſic intelligere rationes factas quòd inuito Summo Pontifice uon poteſt ab eo auferri papatus, non eſſet vlterius cum eis diſputandum; concederemus qnidem propoſitum ſuum, quia rationes vlterius arguunt, videlicet quòd Papa renuntiare non poteſt: volunt enim ex hoc concludere, quòd etiam voluntariè Papa non poteſt cedere. Ideo omnia præfata verba, videlicet, remoueri, auferri, & tolli papatum ab eo qni eſt Papa, accepimus ſub quadam ſignificatione generali, pro qnacunque renunciatione, pro quacunque ceſſione, pro quocunque modo quo ille qui eſt Papa, dum viuit, poteſt deſinere eſſe Papa. Aduertendum etiam, quòd quia ratio quarta inferius poſita ad hoc tangit, vbi dicitur quòd ſumma virtus creata cuiuſmodi eſt poteſtas Papalis per nullam inferiorem virtutem creatam videtur poſſe tolli, cum tolli ſonet quid in violentiam, ideo in ſolntione dictæ rationis intendimus hoc plenius declarare.

His itaq; prælibatis, dicemus, quòd hæc ratio tertia videtur ſuper duobus fundari. quorum primum eſt, quòd cum ſpirituale vinculum ſit ſortius quam carnale, cum inter Papam & Eccleſiam ſit ſpirituale vinculum, ſiue ſpirituale coniugium, quia quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, nullus niſi Deus poterit huiuſmodi coniugium ſeparare. Secundum autem fundamentum huius tertiæ rationis eſt, qnod nulla ratio capit quòd Deus voluerit qnod ceſſio inferiorum dignitatum fiat in manibns ſuperiorum: ceſſio verò ipſius papatus fiat in manibus ipſorum inferiorum, quia cum omnes aliæ dignitates ſint inferiores ipſo paparu, conſequens eſt, quia ſi Papa poteſt cedere, quod cedat in manibus eorum qui ſnnt inferiores eo. Diſſoluemus ergo primo hanc tertiam rationem, quantum ad hoc ſecundum fundamentum: & poſtea diſſoluemus eam, quantum ad fundamentum primnm. Sciendum ergo, quia aliquando intelligitur prohibitum quod non innenitur expreſſum: alioquin autem è contrario intelligitur eſſe conceſſum quod non inuenitur eſſe prohibitũ. Ad quam contrarietatem ſoluendam forte dicerent Iuriſtæ, quia primnm tenet in ijs quæ ſunt ſtricti iuris: ſecundum vero ſiue ſecunda regula tenet in alijs. Sed vt loquamur ductu rationis, dicamus quia alioquin id de quo agitur eſt ſupra naturam negocij, ſupra actionem cauſæ, ſupra conditionem & exigenriam rerum. Et tunc valet prima regula, quia omne illud eſt prohibitum quod non inuenitur expreſſum; vel illud eſt prohibitum qnod non eſt conceſſum: vel, vt magis proprie loquamur, qnicquid in talibus non eſt conceſſum, eſt prohibitum, ideſt ſuperiori porentiæ eſt reſeruatum. Poſſumus autem ponere exemplum in naturalibus & moralibus. In naturalibus quidem vt puta, quia ambulare ſiccis pedibus ſuper aquam eſt ſuper actionem noſtram humanam, ſupra naturam negotij noſtri, ſupra conditionem & exigentiam rerum, quia conditio, & exigentia rerum hoc non patitur, quod quis vadat ſiccis pedibus ſuper aquam. Ideo niſi hoc alicui homini ſit ſpeciali-

cialiter conceſſum à Deo, dicitur ei eſſe in inhibitum.

Eſt enim hoc ſuperiori potentiæ ideſt diuinæ potentiæ teſeruarum: vt quando Deus voluerit, poterit hoc illi homini, vel alij concedere, vt poſſit ſuper aquam ſiccis pedibns ambulare. In moralibus quidem poſſumus de hoc exemplnm ponere, quia ordinare totam Eccleſiam, & ſtatuere qui ſunt Epiſcopi, qui Archiepiſcopi, qui primates & Patriarchæ: & ſtatuere quomodo hi confirmentur, & quomodo poſſint cedere, vel quomodo poſſint abſolui, vel transferri, ſpectat ad Summum Pontificem, quia cum ipſe ſolus ſit caput totius vniuerſalis Eccleſiæ, ad ipſum ſpectat ſtatuere ea quæ reſpiciunt ordinem vniuerſalis Eccleſiæ. Ideo omnia iſta ſunt ſupra naturam negotij aliorum, ſupra actionem omnium aliarum dignitatum, ſupra conditionem, & exigentiam rerum. Conditio enim, & exigenria rerum hoc non patitur, quod ea quæ reſpiciunt ordinem vniuerſalis Eccleſiæ, aliqui infra Papam poſſint facere illa, niſi quatenus ſunt cis à Papa conceſſa. In talibus ergo quicquid non eſt conceſſum, eſt prohibitum, vel quicquid nou eſt conceſſum, eſt ſuperiori potentiæ reſeruatum. Ea propter ſi Epiſcopus poteſt ab Archiepiſcopo, vel à Metropolitano confirmari, & non poteſt in manibus Metropolitani cedere, hoc eſt, quia iura concedunt confirmationem, non autem concedunt ceſſionem: immo ipſa confirmatio eſt ſuper vires cuiuſcunque alterius à Papa. Propter quod omnes alij à Papa ſolum illos Epiſcopos, & co modo confirmare poſſunt, quo conceſſum eſt eis à iure, vel quo conceſſum eſt eis à Papa, cuius eſt iura condere. Daro ergo quod iura concederent quod Epiſcopus poſſet à ſuo Archiepiſcopo, vel à ſuo Metropolitano confirmari, & nulla iura aliquid tangerent quod Epiſcopus, vel electus in epiſcopum, & confirmatum non poteſt cedere in manibus ſui Metropolitani, eo ipſo eſſet hoc ſuo Metropolirano inhibitum, & etiam ſuperioti potentiæ ideſt Papali potentiæ reſeruatum.

Sed dices, Quare inra hoc dicunt, quare iura hoc inhibent quod non poreſt Epiſcopus cedere in manibus Metropolitani, cum ſufficiat, non eſſe hoc conceſſum Metropolitano ad hoc, quod non poteſt hæc facere, cum in talibus (ſicut dictum eſt) quicquid non eſt conceſſum, intelligatur eſſe inhibitum, vel intelligatur eſſe ſnperiori potentiæ reſeruatum? Dicunt ergo; quod ſi omnes eſsent tantæ prudentiæ qnod ſcitent talia conſpicere, non fuiſſet opus hoc per iura exprimere: ſed ne aliqni propter ignorantiam facerent de facto, quod non poſsent de iure, bene ſe habuit de hoc iura condere. Sed nulli dubium eſſe debet, qnod ſicnt Papa ſtatuit quod Epiſcopus poteſt per ſuum Metropolitanum confirmari, ſic ſi volniſſet, vel adhuc vellet, poteſt ſtatuere, quod poſſit in manibus eius cedere. Vtrunque enim iſtorum tam confirmatio, quam ceſſio reſpicit id quod pertinet ad ordinationem vniuerſalis Eccleſię: propter quod, quantum ad hoc, tantum poſſunt alij prælati à Papa, quantum eſt eis conceſſum per Papam.

Ideo Decretalis illa Inter corporalia dicit, quod Epiſcoporum tranſlatio, depoſitio, & conceſſio, eſt ſoli Romano Pontifiei reſeruata: quia quicquid pertinet ad ſuperiorem potentiam, ſi non cocedatur inferiori, dicitur illud ſuperiori potenriæ reſeruatum. Ex his itaque paret quod in talibus argnere de Epiſcopo ad Papam, & velle concludere, quod ſi Epiſcopus non poteſt cedere niſi in manibus ſuperioris, & ſpecialiter in manibus Papæ, quod Papa non poteſt propria authoritate cedere, ſicut nec Epiſcopus, non eſt arguere pro ſe, ſed contra ſe. Credunt enim, quod hoc magis teneat in Papa, quam in ſimplici Epiſcopo: & crediderunt ex hoc fundare domnm ſuam ſupra petram, cum ſit ſuper arenam: tenet enim hoc in ſimplici Epiſcopo, & non in Papa. Dicebamus quidem, quod in his quæ ſunt ſupra naturam negotij, ſupra actionem agentis, ſupra conditionem, & exigentiam rerum, quidquid non eſt conceſſum eſt prohibitum, vel eſt ſuperiori potentiæ reſeruatum: ſed in his quæ contrario modo ſe habent, eſt contrario: in talibus enim quidquid non eſt prohibitum, eſt conceſſum. Illi ergo qui non habent liberam ſuſcrptionem oneris, & ex ſolo aſſeuſu electioni de ſe factæ, non habent plenam iuriſdictionem adminiſtrandi, ſicut per ſuperiores confirmantur, ita, ſi volunt cedere, oportet quod cedant prout ſnperiores ordinant.

Nam cum confirmatio, & conceſſio, & cetera talia reſpiciant ordinem vniuerſalis Eccleſiæ, non poterunt alij à Papa in eis aliquid facere, niſi quatenus eſt eis à Papa conceſsum. Sed cum Papa nullum habeat ſuperiorem, cum ex libero ſuo aſſenſu electioni de ſe factæ, ſuſcipiat huiuſmodi onus: & ex hoc ipſo habeat plenam iuriſdictionem adminiſtrandi in ſuo officio, non eſt hoc vltra naturam negorij, imo hoc poſtulat actio agentis, hoc exigit ordo, & conditio rernm, quod ſicut ſufficit ſuus liber eſsenſus electioni de ſe factæ, ad ſuſcipiendum onus ad hoc, quod ipſe ſit Papa, & habeat plenam iutiſdictionem Papalem: ita etiam ſufficit ſuus liber diſsenſus, vel ſua libera renuntiatio ad hoc, quod ipſe deponat huiuſmodi onus, & quod ipſe vlterius non ſit Papa, ideſt quod non habeat vlterius iuriſdictionem Papalem. In ceſsione ergo aliorum Epiſcoporum, quod nou eſt conceſsum eſt prohibitum; ſed in ceſſione ſummi Pontificis eſt econuerſo; ibi enim, vt poteſt patere per habita, quod non eſt prohibitum, eſt conceſſum.

Cum ergo nullo ſuperiori Decreto, nullo ſtatnto diuino hoc prohibeatur, conſequens eſt, quod ipſo iure hoc ſit conceſsum. Bene ergo ſupra diximus, quod iſti texuerunt telas aranearum: arguendo enim de ſimplici Epiſcopo ad Papam, credunt arguere pro ſe; ſed, vt patet, arguut contra ſe. Sed dicet forte aliquis, quod non ſolum ſimplex Epiſcopus. ſed etiam Papa confirmatur per ſuperiorem, quia confirmatur per Deum. Sed, vt ſupra diximns, iſta diuina confirmatio nihil eſt aliud quam diuina acceptatio, qui ſic adminiſtrat res, vt eas proprios curſus agere ſinat. Sed cum hoc exigat curſus rerum, quod ſi aliquis liberè aſsentiendo ſuſceprioni oneris, habet ex hoc plenam iuriſdictionem ſecundum onus ſibi impoſitum, qnod poteſt li-

Digitized by Google

bere illi oneri renunti are, & ex hoc illa iuriſdictione carere: conſequens eſt, & eos ipſos conuincat ratio, cum non videamus aliud ligamen diuinum, vel aliud ſpirituale vinculum eum quis aſſentit papatui, quam cum renunciat. Si ergo ex ſolo libero aſſenſu ad ſuſceptionem dicti oneris Deus hoc acceperit, ad ſolam liberam renunciationem dicti oneris Deus hoc acceptabit. Immo, vt dicebamus, ſi non eſt ſufficiens qui præficitur in Papam ad gubernandum Eccleſiam, cum ſpecialis cura ſit Deo de Eccleſia ſua, nullus debet eſſe tantæ dementiæ qui diceret, quod Deus huiuſmodi hominis acceptat aſſumptionem, & non acceptat ceſſionem. Immo eſt diligenter aduertendum, quod in hac parte, diuina acceptatio oportet quod ſumatur valde large, videlicet non tantum pro diuino inſtinctu, videlicet per diuina operatione, ſed & per diuina permiſſione: quia, vt ſupra diximus, ſi præficiatur inſufficiens ad regendum, magis attribuendum eſt diuinæ permiſſioni, quam eius inſtinctui vel operationi. Nec propter hoc negamus Deum habere ſpecialem curam & prouidentiam de ſua Eccleſia. Attribuemus enim hoc ſuæ permiſſioni, vt ideo hoc ſpecialiter permittat, vt aliquod magnum bonum inde eliciat.

Poſtquam ſoluimus hanc rationem tertiam quantum ad vnum fundamentum quod Papa non poteſt cedere, quia nullum habet ſuperiorem, in cuius manibus cedat. Oſtendimus quidem hanc rationem eſſe pro nobis, non pro aduerſarijs. Nam habens ſuperiorem non poteſt pro libito ſuæ voluntatis cedere, ſed oportet quod cedat ſecundum iura & ſecundum leges à ſuperioribus conditas. Sed non habens ſuperiorem pro libito poteſt cedere. Non eſt enim hoc, vt dicebatur, ſupra actionem agentis, ſed eſt ſecundum conditionem, & exigentiam rerum: vt qui liberè aſſentiendo oneri, ad quod eſt electus, ex ipſo aſſumit ſupra ſe huiuſmodi onus, & habet plenam iuriſdictionis adminiſtrationem, quod liberè diſſentiendo dicto oneri, deponat huiuſmodi onus, cedendo pro libito voluntatis. Ibi enim, vt probauimus, quod non eſt conceſſum, eſt prohibitum: hic autem econuerſo, quod non eſt prohibitum, dicitur eſſe conceſſum. Reſtat ergo ſoluere rationem præfatam, quantum ad fundamentum aliud, videlicet quod quia fortius eſt ſpirituale vinculum, quam carnale, quod nullo modo humana poteſtate ſolui poteſt ſpirituale vinculum. Dicere ergo, vt communiter dicitur, quod ſpirituale coniugium eſt fortius dignitate, quia eſt dignius, ſed non eſt fortius duratione, quod ſit durabilius: diſſoluitur enim ſpirituale coniugium etiam poſt conſecrationem, & confirmationem Epiſcopi tranſlatione, quia poteſt vnus Epiſcopus de vna Eccleſia transferri ad aliam: diſſoluitur etiam renuntiatione, & pluribus alijs modis. Sed nunquam dicere ſic poterimus de carnali coniugio poſt conſumationem carnalis copulæ, quod poſſit quis authoritate etiam Papali transferri de vna vxore ad aliam, vt quod poſſit vnam vxorem dimittere, & aliam accipere, & cum ea matrimonium conſumare, ſicut Epiſcopus authoritate Papali, cum eſſet ſponſus vnius Eccleſiæ, transfertur ad aliam, & ſit ſponſus alterius. Dato ergo quod neſciremus diſtinguere, quomodo ſpirituale vinculum eſt fortius quam carnale, & quomodo non eſt fortius: tamen quantum ad propoſitum ſpectat, patet quod ratio peccat in materia, & aſſumit falſa ſupponens, quod ſit fortius ſpirituale vinculum quam carnale, & quod minus poſſit ſeparari ſpirituale coniugium quam carnale: quod patet eſſe falſū.

Vtrum autem etiam quantum ad hunc ſenſum habeant veritatem, quod ſpirituale vinculum eſt fortius quam carnale, in illo capitulo apparebit, vbi ſoluemus quintam rationem. Oſtendemus enim ibi, quod ſi aliquo modo eſſet indiſſolubilius vinculū ſpirituale quam carnale, illa tamen indiſſolubilitas non obuiat propoſito noſtro. Diſtinximus ergo de fortitudine vinculi ſecundum diſtinctionem communem: volumus autem nunc diſtinguere ſecundum diſtinctionem aliam. Dicimus quidem quod ſpirituale vinculum eſt fortius quam carnale, quia plus angit & plus ſtringit, ſed non eſt fortius quod plus duret vel plus permaneat. Eſt ergo huiuſmodi vinculum fortius intenſiue, quia quamdiu manet, plus ſtringit: ſed non eſt fortius extenſiuè, loquendo de extenſione temporis, videlicet quod plus duret, quod non poteſt diſſolui niſi per mortem. Magis enim conſtringit coniugium ſpirituale quam carnale, quoniam maiorem curam, & maiorem diligentiam debet habere ſponſus ſpiritualis de Eccleſia ſibi commiſſa, quam ſponſus carnalis de vxore carnaliter ſibi copulata. Et ſi dicatur quod Apoſtolus ait ad Eph. 5. Eph. 5. c.
Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſi. Propter quod videtur ſecundum ſententiam Apoſtoli, quod æqualem diligentiam debet habere vir de vxore, ſicut Prælatus de Eccleſia. Dici poteſt, quod ly ſicut, dicit ſimilitudinem, non æqualitatem: ſicut eſt mandatum diuinum, Diliges proximum Matth. 22. d
tuum ſicut te ipſum: ſufficit enim quod diligas eum eo modo, ſicut debes diligere te ipſum, quia ſicut debes diligere te ipſum ad vitam æternam, ſic ad illum eundem finem, videlicet ad vitam æternam debes diligere proximum. Sic & in propoſito vir debet diligere vxorem, ſicut prælatus Eccleſiam: ſed non oportet, quod tantam diligentiam habeat vir de vxore, quantam debet habere prælatus de Eccleſia: ſed ſufficit, quod ad illum finem diligat vir vxorem, ad quem Chriſtus ſiue prælatus diligit Eccleſiam.

Hic autem finis, eſt ſanctificatio. Nam vt dicitur Eph. 5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, Eph. 5. c.
& tradidit ſeipſum pro ea, vt illam ſanctificaret. Sed viri debent diligentiam apponere, vt ſuæ vxores bene viuant, & ſint ſpirituales & ſanctæ. Quod autem maiorem diligentiam teneatur habere ſponſus de Eccleſia quam vir de vxore, patet per Apoſtolum dicentem 1. Cor. 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt. 1. Cor. 13. b.
Quod Aug. exponens in libro, quem vocauit Speculum Clericorum, ait, Charitas de qua N O T A.
ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quod quia proprijs, non propria communibus anteponit. Maior ergo dilectio habenda eſt de bono communi, quam de bono priuato, ſiue de bono proprio. Et quia vxor ſpiritualis cuiuſmodi eſt Eccleſia,

eſt

Digitized by Google

eſt quædam res publica, & quoddam bonum commune: vxor autem carnalis eſt quoddam bonum particulare, ideo maior diligentia eſt [Cap. 2.] de ſponſa ſpirituali, quam de carnali. Propter quod & primo Ethicorum ſcribitur. Et ſi idem ſit bonum ciuitatis, & vnius ſolius ſingularis; ſemper tamen melius eſt bonum gentis ciuitatiſuè quam vnius ſolius. Poſſumus autem & tertiam diſtinctionem facere de diſtinctione vinculi, vt dicamus, quod vinculum ſpirituale fortius ſit, quam carnale quantum eſt de ſe: ſed carnale ſit fortius, & durabilius, & quod ſeparari non poſſit quamdiù viuunt coniuges: hoc potiſſimè habet ex mandato Chriſti, qui hoc præcepit, & mandauit in euangelio dicens, Quòd Deus coniungere fecit &c.

Ideo ait Apoſt. 1. Corin. cap. 7. præcipio non ego ſed Deus vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, ita quod dato quod ſeparetur coniugium quantum ad redditionem debiti, vel quantum ad torum, vel quantum ad habitationem, nunquam tamen ſeparatur quantum ad vinculum loquendo de coniugio conſumato; Si enim ſit legitimum matrimonium, & perfectum, quamdiù viuunt coniuges etiam authoritate Papali non poſſunt ſeparari, quod vir haberet aliam vxorem, vel vxor alium virum, ita quod tolleretur vinculum quod eſt inter eos. Ex his autem tribus diſtinctionibus factis de forritudine vinculi, nihil concluditur contra nos, ſed ſemper pro nobis: nam ſi dicatur ſpirituale vinculum eſſe fortius quia dignius vt dicebat diſtinctio communis & prima, dicemus quod tale vinculum eſt dignius quia fundatur ſuper re valde digna cuiuſmodi eſt Eccleſia, quæ ſi bene gubernetur eſt res magni meriti: & per locum à contrario ſi gubernetur non bene, eſt res magni demeriti, quia maiori bono maius malum opponitur. Conſiderare ergo debet Prælatus qui curam gerit Eccleſiæ ſibi commiſſæ, cum quanta diligentia debeat tractare rem tam dignam, & quanto vniuerſalior eſt Eccleſia, tanto indiget maiori diligentia: propter quod ſummus Pontifex cui commiſſæ ſunt omnes oues, præ omnibus alijs ad gubernationem tantæ rei debet eſſe diligens, ſollicitus, & attentus. Quare ſi videat ſe non ſufficientem, & non valentem habere tantam diligentiam, ſi induret cor ſuum, & renuntiare nolit, non attribuetur hoc diuino inſtinctui, nec diuinæ operationi, ſed magis temprationi diabolicæ. Valde ergo diſipiuntur illi qui de vxore carnali quæ eſt vna ſingularis perſona, quod coniugium ſi non diſſoluatur, forte poteſt inde accidere particulare malum, & ſi ſoluatur poteſt ille accidere malum vniuerſale, quod ex hoc inducerentur communiter homines vt ſuas vxores dimitterent.

Ex hoc ergo velle arguere de coniugio ſpirituali, circa quod ſi non ſit debita diligentia, accidet inde malum vniuerſale, quod eſt valde inconueniens: immo quia naturale eſt, quod pars exponat ſe periculo pro toto, ſicut homo naturaliter obijcit brachium, vt defendat totum corpus, brachium ergo quod eſt particulare membrum naturaliter ſe exponit periculo, & obijcit ſe ictui ne lædatur corpus: ſic quia quilibet eſt quædam perſona ſingularis, ſi commiſſa eſt ſibi cura boni publici, & videat ſe manifeſtè inſufficientem ad hoc agēdum, & manifeſtè cognoſcit quod huiuſmodi bonum languet ſub ipſo, ratio naturalis dictat quod omni modo quo poteſt, & quam citius bono modo quo poteſt, debet ſe exonerare ab onere aſſumpto: & vt patet per habita, & prout ratio naturalis dictat, oportet quod exoneratio ſiue depoſitio oneris reſpondeat aſſumptioni eius; vt per idem opus contrario modo factum, eſſe habeat hoc, & illud Papa itaque vt ſæpius dictum eſt, quia nullo confirmatur, ſed ex libero ſuo aſſenſu electionis de ſe factæ habet plenitudinem poteſtatis, & eſt ſub huiuſmodi onere, ex libero ſuo diſſenſu, & ex libera ſua renuntiatione erit exoneratus ab huiuſmodi onere.

Secunda etiam diſtinctio eſt pro nobis: dicebatur quidem quod ſpirituale vinculum eſt fortius intenſiuè, quia intenſius ſtringit, & magis angit, & requirit diligentiorem curam: propter quod idem quod prius. Nam vt patet quod ſi aſſumptus ad tantam curam habendam & factus eſt ſponſus Eccleſiæ, circa quam diligentem curam prout expedit habere neſcit, manifeſtè hoc dictat ratio naturalis quod huiuſmodi coniugium diſſoluatur: cum enim optima ratione gubernetur vniuerſum, dicere quod vinculum illud non poteſt tolli per quod peticlitatur commune bonum, eſt à ratione deficere, & eſt rationi opponere.

Tertia etiam diſtinctio de fortitudine vinculi quod vinculum ſpitituale eſt fortius, verum eſt ſecundum ſe: vinculum autem carnale eſſe indiſſolubilius, verum eſt ex mandato Chriſti, quod etiam èſt pro nobis: nam ſi quæratur cauſa, quare Chriſtus hoc mandauit de ſponſa carnali, & non de ſpirituali? plana eſt ſolutio: quia ſi poſſet tolli vinculum matrimonij, poſſet inde conſurgere fortè aliquod bonum particulare, vt quia fortè in coniugio iſtius fuit error fortunæ, credens accipere vxorem diuitem, accepit pauperem, vel fuit error qualitatis, credens accipere virginem accepit corruptam; vel credens accipere bene morigeratam, & patientem, accepit diſcolam: propter quod fortè eſſet ſibi bonum ſi poſſet illam dimittere. Sed ex iſto bono particulari oriretur vniuerſale malum, quia cum homines magis ſequantur concupiſcentiam, quam rationem, communiter homines inducerentur vt ſuas vxores dimitterēt. Ex hoc igitur ſurgeret vniuerſale malum, quia non haberetur debitè cura de filijs. Ideo nil mirum ſi Chriſtus qui erat ipſa ſapientia, præamans vniuerſale bonum, mandauit, quod vir non poſſet vxorem dimittere excipiens inde fornicationis cauſam, in qua fornicatione licet à coniuge fornicante tollatur ius exigendi debitum, ſemper tamen manet vinculum, quia ſi fiat ſeparatio, tamen non poteſt vir alij vxori nubere, neque vxor alij viro.

Verum quia ſcire mandata domini non eſt ſcire verba mandatorum, ſed vim & intentionem mandantis, quia voluntas quidem Principis non fundatur in verbis, ſed in vi, & intentione verborum: propter quod dicebat Chriſtus, Siquis ſcit voluntatem Domini [Luc. 12.] ſui, & non facit plagis vapulabit. Sed ſi conſideramus voluntatem, & intentionem Chriſti mandantis non diſſolui coniugium carnale,

Digitized by Google

le, poſſumus rationabiliter arguere quod mãdauit poſſe diſſolui coniugium ſpirituale, nam ſi diſſolueretur coniugum carnale poſſet eſſe bonum priuatum, ſed eſſet malum publicum in coniugio autem ſpiritnali econtrario, quia ſi non poſſet diſſolui, cum huiuſmodi coniugium ſit inter Prælatum, & Eccleſiam quæ eſt bonum commune, & publicum, manifeſtè patet quod hoc eſſet malum publicum, & commune. Et ſi coniugium quod eſt inter inſufficientem Prælatum, & ſuam Eccleſiam eſt malum publicum, & commune, & coniugium quod eſt inter Papam, & vniuerſalem Eccleſiam (ſi Papa non eſſet ſufficiens) eſſet malum publicum, & commune, quia tota Eccleſia eſſet ſub ductore inſcio, non valente habere debitam curam, & diligentism de vniuerſitate ouium ſibi commiſſa. Arguatur ergo ſic, Chriſtus mandauit quod non diſſolueretur matrimonium carnale quia oriretur inde commune malum, ergo hoc mandando mandauit quod poſſet diſſolui coniugium ſpirituale, quia ſi tale coniugium diſſolui non poſſet, oriretur inde publicum & commune malum. Videant ergo texentes telas aranearum, quid valet ratio fundata ſuper coniugio carnali, vt ex hoc procedatur ad coniugium ſpirituale, quia vt patet credentes arguere pro ſe, arguunt contra ſe, & credentes cooperire ſe, diſcooperiunt ſe.

CAP. IX.

In quo ſoluitur ratio quarta arguens quod Papatus, qui eſt ſumma virtus cauſata, per nullam virtutem cauſatam tolli poteſt.

QVamuis tertia ratio ſit manifeſtè diſtincta à ratione prima & ſecunda, vt patere poteſt intuenti, hæc tamen ratio quarta, quod ſumma virtus creata cuiuſmodi eſt Papalis, à nulla virtute cauſata tolli poteſt, non videtur eſſe diſtincta à ratione prima & ſecunda. Dicebat enim ratio prima quod Papatus à nullo alio niſi à Deo poteſt remoueri. Dicebat ſecunda quod Papatus à nullo alio à Deo poteſt auferri. Dicit autem hæc ratio quarta quod Papatus à nulla virtute creata poteſt tolli. Per omnia autem hæc reritur aqua mortario, & ſemper videtur haberi idem in eodem: tamen quia fortè non eſt bonum ſic aduerſarios vilipendere, quod rationes ſuas dicant omnino idem, ideo ſicut ſupra diuerſificauimus rationem ſecundam à ratione prima, ſic in hoc cap. volumus diuerſificare hanc rationem quartam à ratione ſecunda & prima. Sed non videmus quod iſta ratio quarta poſſit diuerſificari à ratione prima & ſecunda, quæ dicit Papatum non poſſe remoueri niſi à ſolo Deo: & ratio ſecunda quæ dicit Papatum nõ poſſe auferri niſi à ſolo Deo, arguantur de quacunque ceſſione ſiue voluntaria ſiue alia. Sed hæc quarta ratio ſpecialiter concludit de amotione inuoluntaria videlicet quod Papatus inuito Papa non poteſt tolli ab ipſo, & in hoc ſatis bene ſonant verba huius rationis quartæ, ait enim quod quia Papatus eſt ſuprema virtus, ideo non poteſt tolli per virtutes alias creatas quæ omnes ſunt inferiores ea: propter quod ſi loquamur de amotione violenta verum eſt quod concluditur, quia impoſſibile eſt quod Nanus inferat violentiam Giganti, & quod inuito Gigante moueat ipſum de loco ſuo debilis enim non poteſt violentare fortiorem.

Ideo dicitur in Iſaia. Nunquid tolletur à forti præda? Sed licet non poſſit debilis proſternere fortem violenter, voluntariè tamen quantumcunque debilis poſſet proſternere fortem. Si itaque hæc quarta ratio arguit de quacunque amotione ſiue voluntaria ſiue alia, habebit eandem ſolutionem cum ratione ſecunda & prima, in qua per exempla reperta in naturalibus & gratuitis, oſtendimus quod ea quæ ſunt à ſolo Deo, ſi ad ea fienda cooperantur, vel cooperari poſſunt creaturæ, quod opere creaturarum tolli poſſunt. Si vero hæc ratio ſpecialiter loquitur de amotione violenta, per ea quæ in alijs vidimus poſſumus ad hanc rationem faciliter reſpondere: habemus enim exemplum manifeſtum diſt. 21. in capite. Nunc autem: vbi dicitur quod nullus poteſt ritè ab his qui inferioris ſunt dignitatis vel ordinis, iudicabilibus ſubmitti deffinitionibus.

Deinde etiam ponitur exemplum de Marcellino Papa, qui compulſus non ſimpliciter ſed paſſionis metu ingreſsus paganorum templum, grano thuris ſuper prunas impoſuit: quod faciendo Idolis ſacrificauit. Et cum idẽ Papa coram concilio Epiſcoporum ſe hoc feciſſe confiteretur, nullus tamen Epiſcoporum in eum proferre ſententiam auſus eſt: ſed ſæpiſſime dicebant ei, non noſtro iudicio ſed ore tuo iudica cauſam tuam. Rurſus dixerunt ei, Noli ergo audiri in noſtro iudicio, ſed collige in ſinu tuo cauſam tuam. Rurſus inquiunt, ex ore tuo condemnabis. Aſſignabant quidem illi Epiſcopi huius rationis cauſam, dicentes, quia prima ſedes non iudicabitur a quoquam. Propter quod legitur in legenda dicti Marcellini, quod ipſe ſeipſum depoſuit: ſed omnis turba eum iterum re elegit, & ſic reaſſumptus in Papam, glorioſus martyr effectus eſt: quia cum nullo modo vlterius ſacrificare vellet, capite truncatus eſt.

Ex ijs itaque manifeſtè patet, quod ſummus Pontifex à nullo iudicari debet, niſi fortè in hæreſim eſſet lapſus: quia ſi vellet Pontifex aliquis, in errore contra fidem pertinaciter permanere, ageretur cum eo ſicut cum mortuo, vt non eſſet vlterius Papa: qui cum hæreticus ſit mortuus fidei Chriſtianæ, conſequens eſt, quod non poteſt chriſtinorum eſſe caput. Soluta eſt ergo hæc ratio quarta per ea quæ legimus facta in Marcellino Papa, qui à nullus eſt depoſitus, nullus in eum ſententiam protulit, ſed ipſe ſeipſum depoſuit. Quod ſi dicatur, quod iterum fuit reelectus, argumentum eſt pro nobis: conſequens enim eſt, quod ſi fuit reelectus, ergo non erat Papa: nullus enim elegit Papam in Papam: claro enim clarius eſt, quod ille qui eligitur non eſt Papa: ſua ergo depoſitio fecit eum non Papam. Eſt ergo hoc rationi conſentaneum, rebus geſtis conſonum, & patribus approbatum, quod ſi Papa ſe ipſum deponit, non eſt vlterius Papa, niſi iterum reeligatur, & iterum ſuæ electioni con-

Diſt. 40. c. Si Papa. Vide ibi gl. in ver. A fide de uius.

conſentiant. Nulla igitur virtus creata poteſt poteſtatem papalem ab eo qui eſt Papa innitè tollere : ipſe tamen poteſt ſeipſum deponere, vt eſt per habita manifeſtum. Aduertendum eſt tamen, quod in multis eſt ſimilitudo inter Epiſcopum, & Eccleſiam, & virum, & vxorem : nam epiſcopus non debet Eccleſiam dimittere niſi ſit neceſſitas quaſi ineuitabilis, vel niſi ſit Apoſtolica, aut Regularis immutatio : licet ergo nullo modo vir debeat dimittere vxorem ſuam, & ſi eam dimittat non tollitur vinculum, epiſcopus tamen vel ex neceſſitate, vel ex Apoſtolica, & regulari immutatione poteſt dimittere Eccleſiam ſuam, & ſi dimittat tollitur illud vinculum quod erat inter Epiſcopum, & Eccleſiam, vt poſſit authoritate Apoſtolica ad aliam eccleſiam promoueri, & eadem authoritate poteſt Eccleſia illa alij Epiſcopo ſociari : ideò dicitur Can. 7. q. 1. c. Sicut: quod ſicut vir non debet dimittere vxorrm ſuam, ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſnam, vt illam dimittar abſque ineuitabili neceſſitate, ad quam conſecratus eſt, niſi in Apoſtolica vel regulari mutatione. Epiſcopus ergo non debet nec poteſt, niſi authoritate ſuperioris, dimittere eccleſiam ſibi commiſſam : quia ſicut ipſe ex ſolo ſuo conſenſu non poteſt plenam, vel liberam adminiſtrationem habere, ita ex ſolo ſuo libero diſſenſu, vel ex ſola ſua renunciatione libera, non poteſt onus aſſumptum dimittere. Papa verò qui ſuperiorem non habet prout ſæpius tactum eſt, ſicut ex ſolo libero conſenſu habet plenam iuriſdictionem, ita ex ſolo ſuo libero diſſenſu, & ex ſola ſua libera renũciarione poteſt onus aſſumptum deponere. Semper ergo poteſt ipſe Papa aſſumptum onus deponere, ſed non debet niſi ex manifeſra cauſa, & in caſu hoc facere: quia valde periculoſum eſt in diuinis rebus, quod quis cedat iuri ſuo, & poteſtati, vt habetur Can. 7. q. 1. c. Quam periculoſum: ex cauſa tamen manifeſta, & in caſu licet non poſſet ad id cogi, ipſe tamen debet hoc facere, & debet ſeipſum deponere, ſi videat ſeipſum inſufficientem ad gubernandum Eccleſiam, ne publicum bonum ſub eo langueat.

Euariſtus Pp. epiſt. 2.

CAP. X.

In quo ſoluitur ratio quinta, & habet hoc Cap. partes octo: in prima parte oſtenditur, quod in ordine Epiſcopali non imprimitur character.

SOlutis quatuor rationibus antedictis, ſoluere volumus rationem quintam, quæ arguit, quod cum nec Papa nec tota creaturarum vniuerſitas poteſt facere, quod aliquis Pontifex non ſit Pontifex : ergo multo magis non videtur poſſe facere, quod Summus Pontifex non ſit ſummus Pontifex. Addunt enim iſti ad confirmationem ſui dicti, quod minus eſt tollere ſimplicem Pontificem, quam Summum Pontificem : exinde concludunt, quod cum ſimplicem Pontificem nullus poſſit tollere niſi Deus, ergo nec Summum Pontificem aliquis videtur poſſe tollere niſi Deus : ergo Papa renuntiare non poreſt, nec ſua renunciatio valet. Videtur autem iſtis benè arguere, & videtur eis, quod arguant per locum à minori, & quod minus ſit tollere ſimplicem Pontificem, ità quod ſimplex Pontifex non ſit Pontifex. Sed ſi bene conſiderant vim ſuorum dictorum, non arguunt per locum à minori, immò arguunt per locum à maiori, quia eo modo quo ſimplex Epiſcopus opere creaturæ tolli non poteſt, maius eſt facere quod ſimplex Pontifex non ſint ſummus Pontifex: immo ſecundum communem conditionem rerũ, maius eſt deſinere à ſimpliciter eſſe, quam ab optimo eſſe : nam quicumque deſinit vel priuatur à ſimplicirer eſſe, conſequens eſt, quod illud ſit priuatum optimo eſſe, cum ipſum ſimpliciter eſſe ſit fundamentũ omnium aliorum. Sicut ergo difficilius eſt deſtruere rationem fundamenti, & arborem euellere à radice, quam deſtruere ipſam in ramis: ſic quia eſſe Summum Pontificem præſupponit eſſe pontificem, non valer ſi pontifex non poteſt deſinere eſſe pontifex, quod Summus Pontifex non poſſit deſinere ſummus Pontifex. Sed dicemus, quod ille idem qui non eſt pontifex poteſt habere plenam iuriſdictionem, & authoritatem ſummi Pontificis : vt ſi aliquis ſit in Papam electus antequam ordinetur in Epiſcopum, habebit plenam iuriſdictionem Summi Pontificis, non tamen erit Summus Pontifex niſi ſit Pontifex. Verumtamen quia verba generalia menti non ſatisfaciunt nec quietant intellectum, ideò volumus ad ſpecialia deſcendere, & quantum ad præſens cap. ſpectat, circa epiſcopatum, de quo eſt nunc quæſtio noſtra, octo declarabuntur.

Epiſcopatus

Primo quidẽ declarabitur quod in Epiſcopatu nõ imprimitur character. Secundo quod licet in Epiſcopatu nõ imprimatur character, imprimitur tamẽ ibi perfectio characteris: ille enim qui ordinatur in epiſcopũ non ſuſcipit characterem, qui ſit alius à charactere Sacerdotali, ſed perficitur in eo Sacerdotalis character. Tertio oſtendetur quomodo epiſcopatus ſit ordo, & quomodo non ſit ordo. Quarto declarabitur quot ſunt epiſcoporum ordines. Quinto manifeſtabitur, quod vltra ſimplicem epiſcoparum non imprimitur character, nec perfectio characteris: propter quod ſi Epiſcopus fiat Archiepiſcopus, vel Patriarcha, vel etiam Papa, ex hoc ſolam iuriſdictionem ſuſcipit, non characterem, vel perfectionem characteris. Sexto demonſtrabitur, quod inter epiſcopum, & eccleſiam ſpirituale coniugium reperitur. Septimo patefiet, quot modis habet eſſe ſpirituale coniugium, & quomodo poteſt ſolui, & non ſolui, & quomodo eſt fortius, & durabilius quam ſit coniugium carnale, & quod magis poteſt diſſolui coniugium carnale quam ſpirituale. Octauo, & vltimo ex his quæ diximus ſoluemus rationẽ propoſitam, quomodo Summus Pontifex poteſt deſinere eſſe Summus Pontifex, & tamen ſimplex pontifex non poteſt deſinere eſſe ſimplex pontifex.

Propter primum, ſciendum, quod character ſecundum ſe, ſignum directiuum importat. Vnde, & Dionyſ. dicit, characterem eſſe ſignum ſanctæ contractionis, & participatio-

patio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

pationis diuinorum : & ſecundum commune dictum Magiſtrorum, character eſt diſtinctio impreſſa animæ rationali. Sed omnis diſtinctio, & omnis differentia, & omnis relatio fundatur in aliquo, vt ſi aliqui ſunt ſimiles hoc eſt quia habent eaſdem qualitates: & ſi ſunt differentes hoc eſt quia habeut alias perfectioues. Aliqua ergo perfectio imprimitur in anima poſtquam diſtingitur ab alia anima, ratione cuius dicitur illi animæ eſſe character impreſſus. Si ergo quæratur quid ſit ille character. Dicemus, quod eſt quoddam ſignaculum, & quædam poteſtas impreſſa animæ, per quam ad ſpiritualia dedicatur. Propter quod Magiſter 4. ſen. diſt. 24. volens diſſinire ordinem quantum ad ipſum characterem ait, Quod ordo eſt ſignaculum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. Et ideo ibidem ait, quod character ſpiritualis, eſt promotio poteſtatis:

Verù quia per hæc ſenſibilia ſumus apti nati manudici in intelligibilia, cũ character non ſit aliud quã potẽtia quedam ſpiritualis per quã anima habẽs huiuſmodi potẽtiã quaſi per quoddã ſignaculũ, & per quendam characterẽ diſtinctũ ab alia anima huiuſmodi potentiam nou habente: cum ergo inueniamus triplicem potentiam in rebus corporalibus, videlicet potentiam recipiendi cuiuſmodi eſt potentia materiæ, potentiam reſiſtendi, ſicut dura, & fortia habent potentiam vt reſiſtant, & potentiam agendi, ideò uon ponimus uiſi triplicẽ characterem, videlicet, characterem Baptiſmalem, qui eſt potentia ſpiritualis vt poſſit ſpiritualia recipere: & characterem impreſſum in Confirmatione, qui eſt potentia ſpiritualis, vt poſſit ſpiritualiter reſiſtere, & ſpiritualiter reſiſtendo poſſit in Ieſu Chriſti notitiam deducere: & characterem impreſſum in Ordinibus, qui eſt potentia ſpiritualis agendi, vel ſpiritualia miniſtraudi. Imprimitur quidem character in baptiſmo, vt poſſimus ſpirituales potentias, & characteres recipere. Ideò ſi quis ordinaretur, & non eſſet baptizatus, non reciperet ordiues, ſed eſſet baptizandus, & iterum ordinandus. Imprimitur etiam character in Confirmatione, vt confirmati, & firmi exiſtentes poſſimus nomen Chriſti audacter confiteri, & obuiantibus reſiſtere. Imprimitur quoque character in ordinibus, vt poſſimus ſpiritualia miniſtrare. His itaque prælibatis, dicemus quòd cum character ſit quædam potentia ſpiritualis, ille qui ordinatur in Epiſcopum, non ſuſcipit characterem alium à charactere ſacerdotali: nam ſi epiſcopatus eſſet ordo imprimens alium characterem à ſacerdotali, ſicut Sacerdotium eſt ordo imprimens alium characterem à charactere diaconali, ſequeretur illud inconueniens, quod quis poſſet fieri Epiſcopus, etiam ſi non eſſet Sacerdos. Ordinatio ergo Epiſcopali, quæ eſt ſupra Sacerdoralem, poſſet fieri per ſaltum, & poſſet quis fieri Epiſcopus non factus Sacerdos: quod falſum eſt. Eſt tamen diligenter aduertendum, quod Hugo diſt. 52. c. Solicitudo: notauit tria notanda.

Primum, quod prætermiſſo baptiſmo, nullus ordo poteſt recipi. Secundum, quod prætermiſſis omnibus minoribus ordinibus, Sacer Ordo uon confertur. Tertio quod prætermiſſo Sacerdotio, epiſcopalis ordo non datur. Primum quidem, quod prætermiſſo baptiſmo, non confertur aliquis ordo: & tertium, quod prætermiſſo Sacerdotio, non confertus ordo epiſcopalis, vera ſunt ſed ob aliam, & aliam cauſam: nam in baptiſmo confertur chacter, qui eſt poteuria receptiua, per quam ſumus apti ad recepiendum alios characteres, ideo ſi illo charactere, & illa potentia careamus, characteres Ordinis non poterimus recipere: ſed quod prætermiſſo Sacerdotio, nou imprimatur nobis ordo Epiſcopalis, ex hoc veritatem habet, quia in Sacerdotio imprimitur character Sacerdotalis, qui character per ordinem Epiſcopalem perficitur: nec videtur differentia inter Sacerdotem, & Epiſcopum niſi illa, quæ eſt inter hominem puerum, & hominem virum, quia homo vit eſt homo magnus, & eſt homo perfectus, homo puer non eſt magnus nec eſt homo vſquequaque perfectus.

Vide glo. ibi in ver. Subdiaconatus.

Epiſcopus, & Sacerdos quomodo differant.

Ideò de quolibet Pontifice dicitur, quod eſt Sacerdos magnus: & Dionyſ. de Angelica Hierarchia in cap. de Sacerdotalibus perfectionibus, Diaconibus attribuit purificare, Sacerdotibus illuminare, Epiſcopis perficere. Sicut ergo ſecundum hunc ordinem, quem videmus, habet eſſe aliquid ſimpliciter quam habeat eſſe perfectum, vt prius eſt puer quam ſit vir: ita prius oportet quod ſit ſacerdotium in quo imprimitur character ſacerdotalis, quam detur Epiſcopalis ordo, in quo imprimitur perfectio illius characteris. Sed illud ſecundum notabile, quod non recipiatur ſacer ordo niſi prius recipiatur aliquis de minoribus ordinibus, falſum eſt: nam omnes ordines habent characteres ſuos diſtinctos, vt poſſit vnus ſine alio recipi, & poſſit quis per ſaltum ordinari: & ſi ordinatur per ſaltum, non reordinatur, ſed imponitur ei pœnitentia, & ſuppletur quod eſt omiſſum. Vnde purus laicus poteſt recipere ordinem ſacrum, ſicut dicitur in gloſa ſuper Diſt. 40. c. Sicut. Tametſi nulla gloſa diceret, ex quo characteres ſunt diſtinctæ, conſequens eſt, quod poteſt imprimi charãcter ſuperior ſine inferiori, vt communiter Theologi tenent. Reuertamur ergo ad propoſitum, & dicamus quod quia ordines ſe inuicem nõ præſuppouunt de neceſſitate, ſed de congruitate, quia poteſt conferri quilibet ordo ſuperior ſine inferiori, conſequens eſt quod quilibet ordo tam ſacerdotis, quam non ſacerdotis habeat ſuum proprium characterem: ſed cum ordo Epiſcopalis non poteſt conferri ſine ſacerdotio, vt communiter teuent Theologi, & Iuriſtæ, conſequens eſt quod ordo epiſcopalis non habeat per ſe diſtinctuu characterem ab ordine ſacerdotali: quod primo declarare volebamus.

Incipit ſecunda pars huius Capitis, declarans quòd licet in ordine Epiſcopali non imprimatur character: inprimitur tamen perfectio characteris.

VIſo, quomodo in ordine Epiſcopali non imprimitur per ſe character alius a cha-

charactere Sacerdotali, quia tunc poſset conferri Epiſcopatus ſine Sacerdotio, volumus declarare quod ſecundo proponebatur, videlicet quòd in ordine Epiſcopali quamuis non imprimatur ibi character, imprimitur tamen ibi perfectio characteris non cuiuſcunque, ſed characteris Sacerdotalis. Hoc ergo fit in ordine Epiſcopali quod ex huiuſmodi ordine perficitur, & completur character Sacerdotalis, quod ſic declaratur: quia ſi ſunt duo agentia, quorum vnum non poteſt aliquid, quod non poteſt aliud, ex duplici cauſa cæteris paribus hoc poteſt contingere: vel quia aliquam potentiam habet hoc agens, quam non habet illud: vel quia illam eandem potentiam perfectiorem habet, quam illud: vt ſi aliquis poteſt videre a longe aliquid, quod non poteſt alius, vel hoc eſt, quia hoc habet virtutem viſiuam, quam non habet alius: vel ſi vtrique habent virtutem viſiuam, completiori tamen habet huiuſmodi virtutem ille, quam alius conſtat quidem, quod multa poteſt facere Epiſcopus, quæ non poteſt ſimplex Sacerdos: quia poteſt conſecrare, & conferre Ordines non ſolum minores, ſed etiam maiores: quod non poteſt ſimplex Sacerdos nec ex commiſſione, nec alio modo. Numquam enim ſimplex Sacerdos poteſt conſecrare aliquem in Epiſcopum, nec poteſt conferre ſacros Ordines: vel ergo hoc eſt, quia aliqua potentia Spiritualis eſt in Epiſcopo, quæ non eſt in ſimplici Sacerdote: vel quia perfectiori modo eſt in Epiſcopo, quam in Sacerdote. Sed primum ſtare non poteſt quod potentia ſpiritualis aliqua ſit in Epiſcopo, quæ non ſit in ſimplici Sacerdote: quia huiuſmodi ſpiritualis potentia, de qua hic loquimur, nihil eſt aliud quam character: Si enim ordo Epiſcopalis haberet per ſe diſtinctum characterem a Sacerdotali, ſequeretur illud inconueniens quod ſupra tetigimus, quod poſſet fieri aliquis Epiſcopus abſque eo quod eſſet Sacerdos, ſicut poteſt fieri Sacerdos abſque eo quod ſit Diaconus. Poterit ergo aliquid Epiſcopus quod non poteſt Sacerdos, non propter modum primum, quod aliqua potentia Spiritualis, vel aliquis character imprimatur in ordine Epiſcopali alius a charactere Sacerdotali; conſequens ergo eſt quod hoc ſit ſecundo modo, videlicet quod Epiſcopus non habeat characterem nec aliam ſpiritualem potentiam, ſed habeat perfectiorem huiuſmodi characterem, & perfectiorem huiuſmodi poteſtatem. Propter quod benè dictum eſt, quod in ordine Epiſcopali non imprimitur character, ſed perfectio characteris: nihil eſt enim aliud Epiſcopus quam Sacerdos perfectus, vel eſt ſacerdos qui poteſt alios Sacerdotes facere: Sicut enim dicemus de Sacerdote, & de huius ordinibus, ſicut dicimus de alijs naturalibus rebus.

Aliud eſt enim eſſe hominem, & aliud eſſe hominem qui poteſt alios homines generare: nam homo puer homo eſt, ſed non eſt homo perfectus qui poteſt alios homines generare: & ſi ille, qui eſt homo puer, creſcat, & fiat vir, vt poſſit alios homines generare, non eſt factus homo alius, ſed factus eſt homo perfectus. Sic Sacerdos ſimplex Sacerdos eſt, ſed non eſt Sacerdos qui poteſt alios Sacerdotes facere. Si ergo ſimplex Sacerdos Epiſcopetur, non imprimitur ei alia Sacerdotalis potentia, nec imprimitur ei alius character, ſed ille character Sacerdotalis quem habebat perficitur, vt ex hoc ſit Sacerdos perfectus vt poſſit alios Sacerdotes facere: quia ſecundum ſapientum ſententiam, Vnumquodque perfectum eſt, cum poteſt ſibi ſimile generare. Sacerdos ille, qui non poteſt alios ſacerdotes facere, non eſt Sacerdos vſquequaque perfectus; Epiſcopus autem qui hoc poteſt, dicitur Sacerdos perfectus. Aduertendum ergo, quod multum videtur ſimile de Sacerdote ſimplici, & de Sacerdote Epiſcopo, & de homine puero, & de homine viro: puer enim per potentiam caloris naturalis, quam habet, poteſt cibum conuertere in alimentum: ſed non eſt tantæ potentiæ ille calor quod poſſit ſemen decoquere, vel quod poſſit alium hominem generare. Sic, & ſimplex Sacerdos per potentiam ſpiritualem, ſiue per characterem, quem habet, poteſt ſubſtantiam panis conuertere in verum corpus Chriſti, qui eſt noſter cibus, & noſtrum ſpirituale alimentum: ſed non eſt tantæ potentiæ ille character quod poſſit alium in ſacerdotem ordinare, ita quod quantum ad ſacerdotium non poteſt ſimile generare, ſicut, & homo puer quantum ad naturam humanam non poteſt ſibi ſimilem generare, homo autem magnus, cum perfectus ſit, poteſt ſibi ſimilem hominem generare. Sic & Epiſcopus, quaſi Sacerdos perfectus poteſt alios Sacerdotes facere, vel poteſt alios in ſacerdotium ordinare.

Eſt tamē nihilominus diligenter notandū, quod Diony. in de.eccl. Hierar. c.de Sacerdotalibus perfectionibus vbi Epiſcopum vocat Sacerdotē perfectū: quia quidquid perfectionis eſt, attribuit Epiſcopis, ita quod quamuis ſacerdos ſimplex poteſt baptizare, & poteſt cōficere corpus Chriſti, modo tamen perfecto ideſt modo ſolemni non poteſt ſine epiſcopo, ideſt ſine adiutorio epiſcopi: quia, vt innuit, licet quædam myſteria per ſacerdotes impleantur, vt baptiſmus, & confectio Euchariſtię: tamen, vt ait, baptiſmus non celebratur ſolenniter ſine chriſmate, & Euchariſtia non conficitur ſine altari. quod altare non niſi ab Epiſcopo conſecratur. Poteſt ergo ſimplex ſacerdos baptizare, quia hoc poteſt quicunque alius homo, & poteſt corpus Chriſti conficere: attamen vt hæc fiant ſolemniter, & ſecundum ritum eccleſiæ, non fiunt ſine actione epiſcopali, quia ſecundum Dionyſium non fit ſolemniter, baptiſmus ſine chriſmate, & ſecundum ritum Eccleſiæ non conficitur corpus Chriſti niſi in altari conſecrato. Etiam ipſe Præsbyter conficiens ſecundum ritum eccleſiæ, debet eſſe indutus veſtibus ab Epiſcopo benedictis. Epiſcopus ergo eſt ſacerdos perfectus, tum quia poteſt alios Sacerdotes facere, quod perfectioni attribuitur, quia, vt diximus, vnumquodque perfectum eſt, cum poteſt ſibi ſimilem generare: tum etiam, quia quæ poteſt ſimplex Sacerdos, ſicut eſt baptizare, & Euchariſtiam conficere, non poteſt ea *Chriſma.* perfectè ideſt ſolemniter, & ſecundum ritum eccleſiæ, ſine actione epiſcopali, ideſt ſine vnguento vt Dionyſius dicit libro prædicto, & cap. Appellat enim ibi vnguentum ſanctum Chriſma, quod (vt dicit) requiritur ad ſolemnitatem baptiſmi, & ad conſacrationem altaris, in quo conficitur corpus Chriſti.

Concludamus igitur, & dicamus quod quia Epiſcopus nihil aliud eſt quam Sacerdos perfectus, ideo in ordine epiſcopali, & cum quis efficitur epiſcopus, non imprimitur ei alius character à ſuo charactere Sacerdotali, ſed ille character perficitur: propter quod bene dictum eſt, vt ſupra dicebatur, quod in ordine Epiſcopali non imprimitur character, ſed perfectio characteris.

Incipit tertia pars huius Cap. declarans quomodo Epiſcopatus ſit ordo, & quomodo non ſit ordo.

HIs itaque prælibatis, volumus declarare quod tertio proponebatur declarandũ, videlicet an Epiſcopatus ſit ordo. Dicemus quidem, quod Magiſter 4. ſen. diſtin. 24. definiens ordinem, dicit, quod Ordo eſt ſignaculum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. In qua diffinitione duo tanguntur, videlicet ipſum ſignaculum, & poteſtas ſpiritualis, quæ traditur in huiuſmodi ſignaculo: quæ licet ſint duo, tamen poſſunt referri ad vnum, & idem ſecundum rem, videlicet character impreſſus in ordine eſt ſignaculum quod datur, & eſt poteſtas quædam ſpiritualis. Ipſe enim character Sacerdotalis vel cuiuſcumque alterius ordinis ſignaculum quoddam eſt, per quod diſtinguitur huiuſmodi ordinatus ab his qui non habent huiuſmodi ordinem: & poteſtas quædam ſpiritualis eſt, quia per illum characterem quis dedicatur Deo ad aliquid ſpirituale agendum, vt ex tunc poſſit præparare materiam quæ requiritur in ſacramento Euchariſtiæ, quod pertinet ad Subdiaconum: vel ex tunc dedicatur Deo, vt poſſit miniſtrare immediate ſacerdoti in his quæ aguntur in huiuſmodi Sacramento, quod pertinet ad Diaconum: vel ſic dedicatur Deo, vt ex tunc poſſit conficere Euchariſtiæ ſacramentum, quod pertinet ad characterem ſacerdotalem, omnes enim ordines accipiendi ſunt prout ordinantur ad Euchariſtiæ ſacramentum, quia huiuſmodi ſacramentum eſt finis non ſolum omnium Ordinum, ſed etiã omnium Sacramentorum, vt dicit Dionyſ. in de eccleſ. Hierarch. cap. de contemplatione miniſterij illuminationis. Cum ergo Sacerdos poſſit conficere corpus Chriſti, conſequens eſt quod reſpectu ſacramẽti Euchariſtiæ nullus ſit maior ordo quam Sacerdotalis. Epiſcopatus itaque qui eſt ſupra ſacerdotium, non eſt ordo (vt hic de ordine loquimur) ſed eſt dignitas vel officium: propter quod, & Magiſter 4. ſent. Diſtin. 24. loquens de epiſcopatibus, ait, quod ſunt epiſcopi, quędam non ordinum ſed dignitatum, vel officiorum nomina: & ſubdit, quod dignitatis ſimul, & officij non eſt epiſcopus: ergo ſecundum Magiſtri ſententiam, epiſcopus non eſt nomen ordinis, ſed dignitatis, & officij. Aduertendum ergo quod vt diximus, Ordo non eſt niſi quædam poteſtas, qua quis ad ſpiritualia dedicatur: ſed poteſtas poteſt dici alia, & alia, vel ſecundum eſſentiam vel ſecundum actum. Dicetur enim aliquis habere aliam potentiam quam alius, ſi illa potentia ſit alia in eſſentia à potentia, quam habet alius.

Dicetur etiam alio modo habere aliam potentiam, ſi poſſet in aliquem actum, in quem non poſſit alius: nam, & ſi non eſt alius calor per eſſentiam in homine iam facto viro, & cũ erat puer, tamen quia aliqua poteſt homo vir, quæ non poterat cum erat puer, quia poteſt decoquere ſemen, & generare, quod non poterat cum erat puer, dici poteſt aliqua potentia eſſe viro, quæ non eſt in puero: eſt ergo ad vnum dicere, quod ſicut, & aliæ res, & ipſa potentia diuerſificari poteſt per aliam, & aliam eſſentiam, vel per perfectum, & imperfectum. Primo quidem modo habent diſtinctos characteres, & diſtinctas ſpirituales potentias omnes ſeptem ordines, quia character, & ſpiritualis potentia, quam imprimit vnus ordo, eſt alia per eſſentiam à charactere, & à ſpirituali potentia, quam imprimit alter: & inde eſt quod etſi de congruitate ſemper inferiores ordines debent præcedere ſuperiores, non tamen hoc eſt de neceſſitate, quia poteſt quis ſuſcipere ſuperiorem ordinem prætermiſſo inferiori.

Sed ſecundo modo differt character, & potentia per imperfectum, & perfectum in Sacerdote, & Epiſcopo, quia (vt patuit) in ordine Epiſcopali non imprimitur alius character à charactere ſacerdotali, ſed ille character perficitur, & completur. Quærere ergo, vtrum Epiſcopatus ſit per ſe ordo diſtinctus ab alijs ordinibus, eſt quærere vtrum in ordine Epiſcopali imprimatur alia ſpiritualis potentia ab omnibus alijs ſeptem ordinibus. Si ergo loqueris de alietate potentiæ per eſſentiam, patet quod non eſt alius character, vel alia potentia quantum ad ea quæ ſunt ordinis in Sacerdote, & Epiſcopo: ſed ſi loqueris de alietate potentiæ non ſecundum eſſentiam ſed ſecundum perfectum, & imperfectum, ſic in epiſcopo eſt alia ſpiritualis potentia, quia eſt in eo perfectior potentia, & perfectior character quam ſit in ſimplici Sacerdote. Et quia potentia perfecta poteſt in aliqua in quæ non poteſt potentia imperfecta, ideo non ſolum quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, ſed etiam quantum ad ea quæ ſunt ordinis, poteſt aliqua Epiſcopus quæ non poteſt ſimplex Sacerdos.

Epiſcopatus itaque nõ eſt per ſe ordo, quod ſecundũ ſe imprimat characterẽ, ſed eſt per ſe ordo prout per ſe imprimit perfectionẽ characteris. Ideo Magiſter lib. 4. diſtin. 24. cũ prius dixiſſet quod Epiſcopus non eſt nomen ordinis ſed dignitatis, & officij, poſtea dixit, quod ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt: prius ergo negauit Epiſcopatum eſſe nomen ordinis, & poſtea conceſſit quod epiſcopus erat nomen ordinis: & Dionyſ. in de Eccleſ. Hierarchia cap. de Sacerdotalibus perfectionibus dicit, eſſe tres Ordines in Eccleſiaſtica Hierarchia, videlicet ordinem epiſcoporum, ſacerdotum, & aliorum miniſtrorum, ita quod ſub ordine miniſtrorum comprehendit ſex ordines, videlicet quatuor ordines minores cum diaconatu, & ſubdiaconatu; quia omnes iſti miniſtrant ſacerdoti, cuius eſt conficere corpus Chriſti. Poteſt ergo concedi quod epiſcopus ſit nomen ordinis, & poteſt negari ſecundum aliam, & aliam acceptionem, vt eſt per habita manifeſtum.

Inci-

Incipit quarta pars huius Capituli, diſtinguens, quot ſunt ordines Epiſcoporum.

QVoniam oſtenſum eſt, quod ſecundum vnum modum accipiendi, Epiſcopus eſt nomen ordinis, ideo volumus diſtinguere, quot ſunt ordines Epiſcoporum, dicit enim Magiſter 4. ſent. diſtin. 24. Quod ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt, in Patriarchas, Archiepiſcopos, Metropolitanos, & Epiſcopos. Videtur ergo Magiſtri diſtinguere inter Metropolitanum & Archiepiſcopum: quia (vt ipſe ait) Archiepiſcopus accipitur pro Primate ſecundum quem modum accipiendi, erit diſtinctio inter Primatem, & Patriarchã. Sed nos diſtinguemus de Patriarchis: Eſt enim Patriarcha (vt ait Magiſter in diſt. præfata) idem quod ſummus Patrum: & quia quod per ſuperabundantiam dicitur, vni ſoli conuenit, ideo ſequendo etymologiam nominis non eſt in Eccleſia niſi vnus ſolus Princeps, videlicet Romanus Pontifex. Diſtinguemus ergo Romanum Pontificem ab omnibus alijs. Patriarchas ergo alios aſſociabimus ipſis Primatibus, vt dicamus quod idem ſit eſſe Primatem & Patriarcham. Sed quia inter ipſos primates aliqui ſunt maioris dignitatis, dicti ſunt Patriarchæ: illi qui ſunt minoris, retinuerunt ſibi commune nomen, & vocati ſunt Primates: pro eodem ergo genere poſſumus accipere Primatem, & Patriarcham. Sic etiam pro eodem poſſumus accipere Archiepiſcopum, & Metropolitanum. Dicitur enim Archiepiſcopus quaſi princeps epiſcoporum: dicitur autem Metropolitanus quaſi menſura ciuitatis; archos quidem idem eſt quod princeps: & metrum idem eſt quod menſura, vt idem Magiſter in eadem diſtin. exponit. Et quia princeps Epiſcoporum debet regulare, & menſurare ciuitates Suffraganeorum, quæ ſunt ſub ipſo, ideo pro eodem accipiemus Archiepiſcopum, & Metropolitanum.

Quatuor ergo ſunt ordines epiſcoporum; quia in infimo gradu ſunt epiſcopi, ſupra quos ſunt Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi, ſupra quos ſunt Primates ſeu Patriarchæ, ſuper omnes quidem eſt Romanus Pontifex: quæ omnia (ſecundum Magiſtrum in diſtin. præfata) accepta ſunt a Gentilibus. Sed dicet quis. Quare in hoc, Magiſter, imitamur Gentiles quam Iudeos, cum ſalus ex Iudęis ſit, & cum pater noſter dicatur eſſe Abraham, & cum teſtamentum nouum contineatur in veteri, ſicut rota in rota iuxta viſionem Ezechielis? Dicemus ergo, quod gens iudaica erat vnus populus, & lex illa Moſayca data fuit vni populo, ita quòd tempore legis ſcriptæ poterat quis ſaluari in gentilitate: non enim tenebantur ad cæremonias illius legis niſi ſoli Iudæi, vel illi qui volebant ſe conuertere ad ritum Iudæorum. Sed noſtra eccleſia eſt catholica, & vniuerſalis, vt extra eam non poſſit eſſe ſalus, ergo de iure, eccleſia occupat totum mundum, quia de iure omnes deberent obedire Euangelio, omnes deberent eſſe ſub ſummo Pontifice: illud enim tenetur de iure quiſque agere, ſine quo non poteſt iuſtè viuere, vel ſine quo non poteſt iuſtus eſſe, vel ſine quo non poteſt ſalutem conſequi: extra enim eccleſiam non eſt ſalus. Sic ergo eſt de iure quod eccleſia totum contineat, & etiam de facto multo magis eſt dilatata eccleſia, quam fuit Synagoga. Ideo ordo iſtarum dignitatum dicitur à Gentilibus ſumpſiſſe originem, quia ſicut Gentiles propter ſui diffuſionem, vt quia multi erant, & valde diffuſi, ideo in eis erant diuerſi gradus dignitatis: ſic quia Eccleſia eſt ſic diffuſa, & quia lex Euangelica non reſpicit vnum populum, tantum, oportet quod ſecundum tam diffuſam, & tam vniuerſalem auctoritatem, & iuriſdictionem ſint in Eccleſia diuerſi ordines dignitatis.

Papa, Imp. Ro. Patriar. Coſs Card. Senat. Prim. Reges Archiepiſcopi Duc. Epiſc. Comites. Coepiſcop. Præfec. Archipreſby. Trib. mil. Cácel. trib. pl. Archid. Pret. Decani, centur. Presby parroe. Decuriones. Sacerdo. alij, Aduocati. Diac. Aediles, Subdiac Quaterniones. Exor. Duumuiri. Oſtiarij, Queſtores. Lecto. poetæ. Acolyti, Scriptores.

Poſſumus autem, quantum ad præſens ſpectat, aſſignare ſex genera communitatis, ſecũdũ quæ ſex genera cõmunitatum, accipientur quatuor gradus, ſiue quatuor ordines Epiſcoporum. Dicemus quidem, quod ex pluribus perſonis fit prima communitas, quæ dicitur communitas domus: ſecundo, ex pluribus domibus fit communitas vici: tertio, ex pluribus vicis fit communitas ciuitatis: quarto, ex pluribus ciuitatibus, & ex pluribus caſtris fit communitas prouinciæ: quinto ex pluribus prouincij communitas regni: vltimo ex pluribus regnis fit communitas totius mũdi, ſiue totius orbis. Secundum quidem cõmunitatem primam ſiue ſecundam communitatem domus non ſumitur rectoria, nec dignitas eccleſiaſtica: non enim ſtare poteſt quod in qualibet modo eſſet rector eccleſiaſticus, vt quod eſſet ibi Sacerdos, vel Epiſcopus. Quantum autem ad ſecundam communitatem, vt quantum ad communitatem vici ſumi poteſt rectoria eccleſiaſtica: nam communitas vici eſt ſimilis communitati parochiæ, vt ſicut in vno vico ſunt multæ domus, ſic ſub vna parochia ſunt multæ domus, quibus ſpiritualiter præeſt parochialis Sacerdus. Secundum quidem communitatem tertiam, vt ſecundum communitatem Ciuitatis ſumitur dignitas Epiſcopalis: ad Epiſcopum, enim pertinet ſuperintendere omnibus qui ſunt in ciuitate ſua, & etiam in circumadiacentibus partibus: habet enim Epiſcopus curam de ciuitate, & de Diœceſi, quæ circumſtat ciuitati: eſt enim ciuitas, vt dicitur in 1. Politicorum, communitas perfecta: igitur Sacerdos ſimplex qui Cap. 1.
non eſt vſquequaque perfectus non debet præeſſe toti ciuitati quæ eſt communitas perfecta, ſed debet ciuitati præeſſe epiſcopus, qui eſt ſacerdos perfectus.

Hinc ergo accipitur primus ordo Epiſcoporũ ſecundũ præeminentiã ciuitatum, vt ille, qui ſpiritualiter præeſt ciuitati, vocetur Epiſcopus. Verũ quia ſupra cõmunitatẽ ciuitatis eſt cõmunitas prouinciæ, & ſupra cõmunitatẽ prouinciæ, poteſt eſſe communitas regni, quia ſub vno regno poſſunt contineri plures prouinciæ: & ſupra communitatem regni eſt Monarchia, & eſt communitas totius mundi: ideo ſicut Gentiles diuidebant orbem in Ciuitates, Prouincias, Regna, & Monarchias, ita ſecundum hæc quatuor accipiuntur quaſi quatuor ordines epiſcoporum, quia ſimplices Epiſcopi præſunt ciuitatibus, Archiepiſcopi vero præſunt prouincijs, ita quod illud, quod ſubeſt Archiepiſcopo, poteſt dici prouincia: poſtea autem, & Patriarchæ quaſi præſunt regnis: Summus autem Pontifex præeſt toti mundo.

Incipit quinta pars huius Capituli, declarans quod vltra ſimplicem Epiſcopum non imprimitur character, nec perfectio characteris.

SAtis poteſt patere ex dictis, quod in ſacerdotio, & in alijs ſex ordinibus imprimitur character: in ordine vero Epiſcopali imprimitur perfectio characteris: in alijs vero dignitatibus quæ ſunt ſupra epiſcopatum, cuiuſmodi ſunt Archiepiſcopus, & Primates, & cuiuſmodi eſt Papa, non imprimitur character nec perfectio characteris: talia enim (vt patet) accepta ſunt ſecundum maiorem, & minorem communitatem, vt quia prouinciæ communitas eſt maior quam communitas ciuitatis, eum qui præeſt prouinciæ vocamus Archiepiſcopum, & eum qui præeſt Archiepiſcopo vocamus primatem, & eum qui præeſt omnibus vocamus Papam. Vnde ſi Archiepiſcopus habet poteſtatem ampliorem quam habeant Epiſcopi, & in collatione pallij confertur ei quædam plenitudo pontificalis officij, iuxta illud exemplum de auctoritate, & vſu pallij cap. Niſi, quod in pallio, pontificalis officij plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur.

Archiepiſcopus.

Glo. in ver. nominis.

Ante acceptionē pallij non vocatur Archiepiſcopus: propter quod ſibi tunc cōfertur hoc nomen quod vocatur Archiepiſcopus, & tunc dicitur ſibi cōferri plenitudo Pontificalis officij quātum ad iuriſdictionem, quia habet pleniorem, ſiue ampliorem iuriſdictionem, quam habeat Epiſcopus: ſi etiam Primates, vel Patriarchæ iuriſdictionem nominant ampliorē: Papatus verò omnem iuriſdictionem continet. Et quia ea quæ ſunt iuriſdictionis ex ſola commiſſione poſſunt habere vigorem, ideo in talibus non imprimitur character, nec perfectio characteris: habent enim Epiſcopi aliqua quæ ſunt ſupra ordinem Sacerdotis, quia aliqua poteſt epiſcopus, quæ non poteſt committere: ſed quamuis epiſcopus habet aliqua quæ ſunt ordinis ſimplicis Sacerdotis, ea tamen, quæ ſupra epiſcopum ſunt, ſolam iuriſdictionem nominant. Sed dicet aliquis, quod cum Summus Pontifex habeat plenam poteſtatem, & non ſolum ſecundum partem ſicut alij Prælati habere poſſunt, iuxta illud exemplum de auctoritate & vſu palli cap. Ad honorem, quoniam vocati ſunt in partem ſolicitudinis non in plenitudinem poteſtatis, videbitur quod aliquid habeat ſupra Epiſcopum, & Archiepiſcopum. Dicimus ergo quod illa plenitudo poteſtatis licet ex multis cauſis poſſit oſtendi, ex ipſa tamen iuriſdictione vniuerſali competet ſibi poteſtatis plenitudo. Eſt ergo diligenter notandum, quòd ſemper habens curam vniuerſalioris boni habet ordinare de alijs quibus commiſſum eſt minus bonum vniuerſale: ideo ars gubernandi ciuitatem quæ dicitur politica, cuius eſt habere curam de vniuerſali bono & de toto populo, debet ponere menſuram & regulam in omnibus alijs artibus: ideo dicitur primo Ethicorum, quòd videbitur autem vtique eſſe hæc per omiſſionem & architectonicè talis vtique eſt ciuilis, hæc enim prædordinat qualis vnuſquiſque conuenit addiſcere & vſquequo. Spectat enim ad gubernatorem ciuitatis qui habet curam de bono vniuerſali, imponere menſuram, & regulam artibus mecanicis, vt puta fabrili qualiter ſe intromittat de ferro, & carpentario qualiter de ligno, & ſic de alijs; immo non ſolum artibus mecanicis, ſed etiam alijs artibus imponit menſuram, & modum: eius enim eſt determinare qualiter Rhetores vtantur Rhetorica, & qualiter Medici medicina, & qualiter milites vtantur militia. Ideo dicitur Eth. primo, ſub hac autem ideſt ſub politica ſiue ſub Rectore ciuitatis præcioſiſſimas virtutes exiſtentes, vtputa militarem & Rhetoricam & ſic de alijs artibus: ipſa enim cura boni publici hoc agit vt ad eum ſpectet leges condere his quæ ſunt ſub ipſo. Et quia ſummus Pontifex habet curam de vniuerſo mundo, conſequens eſt quod ad ipſum ſpectat omnibus alijs leges imponere, & omnes alij tenentur ſecundum leges ab eo conditas viuere. Iſta ergo plenitudo poteſtatis ex ſua iuriſdictione vniuerſali, & ex ſua vniuerſali cura ſufficienter concludi poteſt, quod ſi bene aſpicimus non ſolum patriarchatus vel Epiſcopatus, ſed etiam papatus ſupra ſimplicem Epiſcopum non quæ ſunt ordinis, ſed quæ ſunt iuriſdictionis dicunt. Et quia quæ ſolius iuriſdictionis ſunt, non reſpiciunt characterem nec perfectionem characteris, ideo bene dictum eſt quòd ſupra ſimplicem Epiſcopum non eſt impreſſio characteris nec perfectionis characteris.

NOTA.

Et vt hæc magis pateant, dicemus quòd ſi electus in Papam non ſit nec Sacerdos nec Epiſcopus, non poterit ea quæ ſunt ordinis, quia non poterit conficere corpus Chriſti, nec poterit conferre ordines: poterit tamen ea quæ ſunt iuriſdictionis, vt poterit conferre præbendas, dignitates, & alia huiuſmodi facere. Diſtincta ergo ſunt ea quæ ſunt ordinis, quæ reſpiciunt characterem vel perfectionem characteris, quæ poteſt ſimplex Epiſcopus: & ea quæ ſunt iuriſdictionis cuius plenitudinem habet Papa in papatu. Ergo vltra ſimplicem ordinem epiſcopalem, & per conſequens ad eſſe Primatem aut Patriarcham, ad eſſe Archiepiſcopum ſeu Metropolitanum, non imprimitur character nec perfectio characteris: quod declarare volebamus. Verum quia ex hoc dicto multum dependet tota materia præſentis negotij, quia quæ ſunt Ordinis non poſſunt tolli nec deſinere eſſe, ea vero quæ ſunt iuriſdictionis tolli poſſunt, vel deſinere eſſe, ideo perfectius declarare volumus, quomodo in papatu vltra epiſcopatum ſimplicem non imprimitur character nec perfectio characteris, ſed ſolum ex hoc acquiritur plena iuriſdicto poteſtatis. Tenetur autem communiter, quod Papalis poteſtas perpetua eſt, ex qua perpetuitate dicitur Eccleſia non poſſe mori, iuxta illud can. 12. quæſt. 2. c. Liberti. vbi dicitur quòd Eccleſia nunquam moritur: & 24. qu. 1. cap. Putenda, Pelag. pp. teſtimonio Auguſt. comprobat, quòd Eccleſia non poteſt eſſe nulla, quia nunquam illa poteſtas moritur, quia Papa decedente, remanet huiuſmodi poteſtas (vt quidam dicunt) in Romana Eccleſia, ſiue in Collegio Cardinalium, ſiue in ipſa Eccleſia. Quodcunque enim horum ponatur, ſemper habemus intentum, videlicet

El. 2. ex conc. Tol. 4. can. 69 §. quod ſi nullo.

quod

Digitized by Google

quod in aliquo collegio reſernatur poteſtas Papalis, decedente Papa. Arguatur ergo ſic, illud quod reſpicit characterem vel prefectionem characteris, pet ſe loquendo, non poteſt competere collegio vt collegium eſt, vel multitudini vt mnltitudo eſt, quia character, vel perſectio characteris ſemper imprimitut huic vel illi: & ſi multi ſunt habentes characterem vel perfectionem characteris, tot erunt characteres quor erunt huiuſmodi habentes characterem, vel perfectionem characteris: ſed vna eadem poteſtas, vel illa eadem poteſtas, quæ eſt in Papa, eo viuente, temanet in collegio aliquo ſiue in Eccleſia, etgo huiuſmodi Papalis poteſtas nec dicit characterem nec perfectionem characteris, ſed ſolum iuriſdictionem. Immo ſi quis diceret quod propter hoc poteſtas Papalis dicit characterem, vel perfectionem characteris, oporteret quod tor eſſent tales poteſtates, quot eſſent illi in quibus poteſtas huiuſmodi ſeruaretur: quod eſt erroneum dicere, quia cum non poſſit eſſe niſi vnus Papa, non poreſt eſſe niſi vna poteſtas Papalis, quæ poteſtas ſi reſeruatur in Collegio Cardinalium, erat in toto huiuſmodi collegio, ita quòd ſecuudum huiuſmodi poteſtatem agere ea quæ Eccleſiæ expediunt, non poterit niſi totum collegium ſimul, vel illi qni habent totius collegij poteſtatem: quia ſi ſufficienter vocetur Capitulum, dato quod aliqui deeſſent, habebunt illi qui ſunt in capitulo totius capituli poteſtatem.

Exinde ergo clarè apparet, quod talis poteſtas nõ eſt character nec perfectio characteris, quia quilibet de collegio haberet poteſtatem Papalem in ſolidũ, vt poſſer agere omnia quæ ſunt Papę: quod eſſet magnę demẽtię ponere: & quod dictum eſt de Collegio Cardinalium ſi in eo reſidet poteſtas Papalis non viuenre Papa, veritatem habet de Eccleſia ſiue de multitudiue fidelium, ſi in ea reſidet talis poteſtas. Nam ſi papatus ſiue poreſtas papalis diceret chatacterem, ſiue perfectionem charaćteris, cum tam character quam perfectio characteris imprimatur ſingularibns perſonis: & cum tam character quàm perfectio characteris multiplicari habeanr iuxta numerum eorum quibus imprimuntur, omnia præſara inconuenientia ſequentur, videlicet quòd huiuſmodi poteſtas non remaneret in ipſa multitudine, ſed in ſingularibus perſonis ipſius multitudinis: multiplicaretur etiam huiuſmodi poteſtas iuxta numerum talium perſonarnm, quæ (vt patet) omnia falſa ſunt. Amplius qnia, vt ſupra tetigimus, ex hoc dicto, vtrum poteſtas papalis vitra ſimplicem Epiſcopum dicat characterem vel perfectionem characteris, aut dicat meram iutiſdictionem, in hoc enim depender tota materia præſenris negotij, ideo volumus ab omnibus prædictis hoc aliter declarare. Nam, vt patet, ea quæ ſunt Papæ, etiam viuente Papa, poſſunt committi alijs qui non ſunt Papa. Nam ſi Papa conſtitueret in Eccleſia Atchidiaconum, ſicut Laurentius fuit Archidiaconus Sixti, apud quem erant theſanri Eccleſiæ reconditi, qui diſperſit eos & dedit panperibus: & conſtitueret cancellarium, ita quòd ad Archidiaconum ſpectaret recipere omnes theſauros, & omnia tributa, & omnia numiſmata, & quæcunque poſſunt numiſmate menſnrari, & non ſolum ſpectaret ad eum hæc recipere, ſed diſpenſare & expendere: ad cancellarium vero ſpectaret beneficia confirmare, & cauſas, & negotia decidere: tunc Papa nihil haberet facere, niſi fortè ſi oriretut aliqua quæſtio de fide, quia ad eum ſpectaret huiuſmodi quæſtionem decidere. Verum quia cõgregata aliqua multitudine ſapientum, poſſet eis illius quęſtionis deciſionẽ committere, cõſequens eſt, quod ea quæ poteſt Papa, cõmitti poſſunt his qui nõ ſunt Papa. Sed ſi in papatu imprimeretur character alius a Sacerdotali, ille character eſset longe altior quã characiet Sacerdotalis; vel ſi imprimeretur ibi nõ character ſed perſectio characteris, illa perfectio eſſet lõge altior, & nobiliot quam perfectio qnæ imprimitur in ſimplici ordine Epiſcopali.

Arguatut ergo ſic, ea quæ ſunt Sacerdotis non poſsunt committi non Sacerdoti propter characterem, qui imprimitur in ordine ſacerdotali: & ea qnæ ſunt Epiſcopi non poſsunt committi non Epiſcopo propter petfectionem characteris, quæ imprimitur in ordine ſimplici epiſcopali: ſi ergo in papatu imprimeretur character vel perfectio characteris, cnm paparus ſit longè quid altius & nobilius quam ſimplex ſacerdotium, vel quam ſimplex epiſcopatus, ea quæ ſunt Papæ non poſsunt committi ei qni non eſt Papa: quod cum ſalſum ſit, maniſeſtè concluditur, quod poreſtas papalis vltra poteſtatem ſimplicis Epiſcopi, non dicit characterem nec perfectionem characteris, nec dicit ea qnæ ſunt ordinis, ſed ſolum ea quæ ſunt iuriſdictionis. Patet ergo quod Papa renuntiare poreſt, & poteſt in eo deſiuere eſse poteſtas papalis, etiam eo viuente, quia licet ea quæ ſunt ordinis non poſſint eſse in eo in quo ſunt, ea tamen quæ ſunt iutiſdictionis tolli poſsunt vel poſsunt deſinere eſse. Imo ſi poteſtas papalis diceret characterem, vel petfectionem characteris, vel diceret ea quæ ſunt ordinis, nec pro hæreſi nec pro quocunque alio poſset Papa, dum viueret, deſinere eſſe Papa. Hoc enim poſito, ſemper haberet poteſtatem papalem, quia etiam hæretici ſi ſunt ſacetdotes, poſſunt quidem quæ poſſunt Sacerdotes quantum ad ea quæ ſunt ordinis, & poſſunt conficere: & ſi ſunt Epiſcopi poſſunr quod poſſunt alij Epiſcopi, quia poſſunt alios otdinare, & otdinati ab eis, dumtamen ſint ordinati ſecundum ritum Eccleſiæ, non ſunt reordinandi, ſed ſunt de perpetrato ſcelere corrigendi. Proprer quod pater quòd fundamentum aduerſariorum noſtrorum, & in hac parte aduerſariorum vetitatis, erat falſum, & ſophiſticum, quia volebant loqui de his quæ ſunt iuriſdictionis tanquam de his quæ ſunt ordiuis.

Incipit ſexta pars huius Capituli, declarans, quòd inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſpirituale coniugium reperitur.

QVòd inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſit quoddam ſpirituale coniugium poteſt multis authoritatibus probati: nam vt habetur, Extra de ttanslatione Epiſcoporum, cap. Intet

Digitized by Google

Inter corporalia. Inter Epiſcopum, & Eccleſiam eſt ſpirituale coniugium, quod diſſoluendum Deus omnipotens ſuo tantum iudicio reſeruauit: Et can. 7. quæſt. 1. c. Sicut, dicitur quod ſicut vir non debet dimittere vxorem ſuam: ita nec Epiſcopos Eccleſiam ſuam. Inuenitur enim ibi quod ſic eſt ſponſus Eccleſiæ Epiſcopus, ſicut vir vxoris ſuæ. Verum quia, vt habetur in rubrica huius ſextæ partis, inter Epiſcopum & Eccleſiam eſt ſpirituale coniugium, ideo declarare volumus, quomodo, & qualiter huiuſmodi ſpirituale coniugium habeat eſſe, vt ex hoc in ſequenti cap. deſcendamus, quot modis poteſt accipi tale ſpiritale coniugium: vt ex hoc habeamus viam ad inueſtigandum qualiter huiuſmodi coniugium poteſt ſolui, & qualiter non poteſt ſolui: nam, vt patebit, taliter poteſt accipi tale coniugium, quod poreſt ſolui etiam viuente Epiſcopo, & taliter quod non poterit ſolui niſi per mortem, & tertio taliter poteſt accipi tale coniugium, quòd etiam per mortem non poterit tolli illud quod erat fundamentum talis coniugij. Propter primum, ſciendum, quòd licet ſint authoritates inductæ, quod eſt quoddam ſpirituale coniugium inter Epiſcopum, & Eccleſiam, volumus tamen declarare qualiter habeat eſſe tale coniugium, vt ex hoc poſſimus deſcendere ad declarandum quot modis huiuſmodi coniugium ſumi poteſt. Dicamus quidem quod Epiſcopos eſt ſponſus Eccleſiæ: nam officium ſponſi eſt ex ſponſa filios generare: nam coniugium carnale vt eſt in remedium non debet transferri ad ſpirituale, vt ſumantur ſimilitudines de coniugio carnali ad ſpirituale: ſumendæ quidem ſunt huiuſmodi ſimilitudines prout coniugium carnale eſt in officium, ſecundum quem modum coniugium fuiſſet in ſtatu innocentiæ ſiue in paradiſo, ſi primi parentes non peccaſſent. Debemus enim dicere cũ Apoſtolo ad Philip. 3. Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Nam illi qui prauè ambulant ſunt qui terrena ſapiunt, & illorum conuerſatio debet eſſe in cœlis, ideſt in altitudine innocentiæ. Cum ergo coniugium carnale ſit hoc modo in officium cauſa generandæ, & propagandæ prolis, conſequẽs eſt, quod ſi eſt coniugium ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſit quia ex officio poteſt in Eccleſiam ſpirituales filios generare, & promouere, cum de eis curam habeat. Sed dices ergo quilibet homo etiam laicus dicitur ſponſus Eccleſiæ, quia ipſe poteſt filios generare, quia poteſt ſacramentum baptiſmi conferre per quod pabtizati fiunt Chriſtiani, & filij Eccleſiæ, vel ſaltim ipſe Sacerdos cui ex officio conuenit baptixare poterit dici ſponſus Eccleſiæ.

Aduertendum itaque quia ex officio coniugij carnalis primò homo generatur vt habeat naturale eſſe: ſecundo roboratur, vt poſſit obuiantibus reſiſtere, nam homo ita naſcitur tener in primordio ſuæ natiuitatis quod niſi faſcia ſtringeretur de leui diſtringerentur eius membra, & imo poſtquam natus eſt, roboratur, vt membra eius magis ſe poſſint continere, & magis poſſint leſiuis reſiſtere, tertiò poſtea ſic vigoratur vt poſſit ſtare, ſedere, ambulare, & hæc opera naturalia facere: quarto, & vltimo roboratus, & vigoratus ſic perficitur; vt poſſit ſibi ſimilẽ generare: ſic eſt in coniugio carnali. Sed cũ in coniugio ſpirituali, illi, qui non ſunt Epiſcopi, vel non poſſunt omnia, vel ea quæ poſſunt, non poſſunt vſquequaque perfecte, concluditur quia ipſi Epiſcopi ſoli ſint ſponſi Eccleſiæ. Dicemus enim quod illa quatuor, quæ narrauimus in coniugio carnali, poſſumus adaptare ad ea quæ videmus in Eccleſia. Nam generationi correſpondet Baptiſmus: roborationi, vt poſſit obuiantibus reſiſtere correſpondet Confirmatio: vigorationi vt poſſit ſpirituale agere correſpondet Ordo: perfectioni, vero vt poſſit ſiui ſimile generare correſpondet Epiſcopatus. Nam per babriſmum quis generatur, & accipit ſpirituale eſſe: per confirmationem roboratur vt poſſir obuiantibus reſiſtere, & audacter nomen Chriſti in notitiam deducere: per ordines vero homo vigoratur vt poſſit ſpirituales actiones agere: ſed per epiſcopatum quis perficitur vt poſſit alios ordinare, & ſibi ſimiles facere: eſt enim Epiſcopus Sacerdos perfectus vt poſſit alios in Sacerdotium ordinare, & vt poſſit conſecranda conſecrare: illi ergo qui non ſunt Epiſcopi, vel non poſſunt aliquid prædictorum ex officio, vel non poſſunt omnia prædicta, vel etiam ea quæ non poſſunt ea quæ poſſunt ex officio non poſſunt ea perfectè. Propter quod ſciendum quia ſi laici poſſunt baptizare, hoc non poſsunt ex officio, ſed ex diuina diſpenſatione.

Nã quia baptiſmus eſt maximæ neceſſitatis, quia ſine baptiſmo, vel in re, vel in voto nõ poteſt, quis ſaluus fieri, ideo materia baptiſmi eſt maximè communis, quia quilibet homo: licet tamen ſic ſit, hoc eſt ex diuina diſpenſatione, & in caſu neceſſitatis, nam laicus vir, vel mulier non debet baptizare niſi magna adſit neceſſitas, & quamuis ſi baptizat aliquem, ille baptizatus eſt: tamen niſi immineat neceſſitas, ſi laicus baptizat, peccat, quia hoc non competit laicis ex officio: immo etiam clericis non Sacerdotibus non competit hoc ex officio: ipſi enim diaconi, qui poſt Sacerdotem tenent ſupremum gradum, ex ſuo officio nõ competit eis, quod baptizent. Nam ſecundum Dionyſium in de cœleſt. Hierar. in ordine de Sacerdotalibus perfectionibus, Diaconibus competit purgare, Sacerdotibus illuminare, Epiſcopis perficere. Diaconi enim purgant, cum ſeparant mundos ab immundis: ad diaconos enim ſpectat in Eccleſia clamare, quod cathecumini recedant, quod qui non ſunt apti ad recipiendum Euchariſtiã non acedant, quòd faciendo, quia ſeparant mundos ab immundis, eorum officium eſt purgare: Sacerdotum, autẽ eſt illuminare. Et quia in baptiſmo quis illuminatur per gratiã, non competit diaconibus ex officio ſuo quod baptizent, ſed Sacerdotibus.

Reuertamur ergo ad propoſitũ, & dicamus quod ad officiũ carnalis cõiugij ſpectat quòd filij generentur, & quòd geniti ſic nutriantur quod roborentur, vt poſſint leſiuis reſiſtere; & roborati ſic vigorãtur, vt poſſint actiones naturales agere; & vigorati ſic perficiuntur, vt poſſint ſibi ſimiles generare: quæ quatuor adaptamus ad quatuor, quæ videmus in Eccleſia, quia per baptiſmum accipimus ſpirituale eſſe: per confirmationem quod poſſumus ſpiritua-

Digitized by Google

ritualitet reſiſtere: per ordinem quòd poſſumus ſpiritualia agtre, vel ſpiritualia miniſtrare: per epiſcopatum quòd poſſumus omnia hæc perficere. Et quia alij ab Epiſcopis, vel non poſſunt aliquid prædictorum ex officio, ſicut omnes, qui non ſunt Sacerdores non poſſunt aliquid prædictorum ex officio: vel ſi poſſunt aliquid prædictorum ex officio ſicut Sacerdotes qui poſſunt ex officio baptizare, non tamen poſſunt omnia præfata, quia Sacerdotes ſecundum quia huiuſmodi non poſsunt confirmare, nec poſsunt alios in Sacerdotium ordinare: illud etiam quia poſsunt, ex officio, baptizare non poſsit omni modo perfectè ſine opere Epiſcopali.

Nam licet poſsint conferre baptiſmum prout eſt quoddam ſacramentum, non tamen poſsunt ipſum perfectè conſerre quantum ad ſolemnitatem ſine opere epiſcopali, quia ſecundum Dionyſium, non fit ſolemniter baptiſmus ſine Chriſmate, & Chriſma nou fit ſine Epiſcopo: conſequens ergo eſt quod illi qui poſsunt omnia præfata ex officio, & perfectè cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, ſint ſponſi Eccleſiæ, inrer quos, & Eccleſiam ſpirituale coniugium habet eſse.

Incipit ſeptima pars huius Capituli, declarans quot modis habet eſſe ſpirituale coniugium, & quomodo poteſt ſolui, & non ſolui.

Dicebatur quidem ſupra qnia ſicut ratione generandæ, & ptomouendæ prolis carnalis ſumebatur coniugium carnale: ſic ratione generandæ, & promouendæ prolis ſpiritualis ſumitur coniugium ſpirituale: & dicebatut quòd maximè ſunt ſpirituales, & ſponſi qui ex officio, & perfectè poſsunt prolem ſpiritualiter gignere, & ptomouere. Dicemus ergo quia ſicut in alijs tria ſunt conſideranda: Primò poſse, Secundò agere, Tertiò ritè, & debitè hoc facere: ſic & in coniugio ſpirituali eſsent illa tria conſidetanda, primo quidem poſse filios generare, & promouere ex officio, & perfecte, ſecundo vero illud agere, tertio debitè, & ritè hoc facere. Epiſcopus enim ratione perfecti characteris poteſt filios generare, & promouere: ſecundo ex hac potentia poreſt in actum exire, & illud ſacere: nam aliud eſt poſse & aliud agere nam poſſe quidem agere reſpicit ipſam potentiam, agere, vero reſpicit ipſum actum, vel vſum potentiæ: erit ergo primum poſse opera ſpiritualia agere, ſecundum vero erit in actum operum illorum exire, tertium autem erit huiuſmodi opeta ſpititualis coniugij ritè, & debitè ſacere. Ptimnm reſpicit perfectionem porentiæ, ſecundum vſum poteutiæ, tertium vero reſpicit ipſam iuriſdictionem. Perfectio quidem potentiæ, eſt perfectio characteris: ille ergo qui habet characterem ſacerdotalem perfectum ſicut eſt Epiſcopus qni eſt Sacerdos perfectus, & Sacerdos coſecratus, ex ipſa perfectione characteris habet potentiam, vt poſſit opera ſpiritualis coniugij facere: ſed ſi faciat huiuſmodi opeta conſecrando Chriſma, coufirmando infantes, & tribuendo ordines, habebit vſum illius potentiæ, quæ potentia nihil aliud eſt quam character ſacerdotalis perfectus, vel perfectio ſacetdotalis characteris. Tertio quidem, ſi ritè, & debitè hoc faciat, habebit iuriſdictionem ad id agendum propter quod bene dictum eſt quia poſse facere opera ſpiritualis coniugij reſpicit characterem ſacerdotalem perfectum: & quia character ille eſt quædam potentia, ideo reſpicit perfectionem illius potentiæ: ſed talia opera facere reſpicit vſum dictæ potentiæ: ritè & debitè illa opera agere teſpicie iutiſdictionem: & quia nemo debet mittere ſalcem in meſsem alienam, ideo Epiſcopus præſata opera ſpiritualis coniugij non debet ſacere niſi vbi habet iuriſdictionem, vel ordinariam, vel commiſsam.

Ex dictis ergo patere poteſt, quòd ſpirituale coniugium quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, tripliciter ſumi poteſt, quia vel ſumitur ex ipſa potentia ptout poteſt ſecũdum ritum, & ſormam Eccleſiæ filios generare, & alios ordinare, & ipſos in ſacertium promouere: vol ſumitur ſecundo ex vſu iſtius potentiæ, quo præſata opera actu exercet, & actu ſacit: vel ſumitur tertio ex ipſa iuriſdictione provt præſata opeta ritè, & debitè ſacit. Erit ergo Epiſcopus ſponſus Eccleſiæ, quia vel habet perfectum eharacterem qui eſt potentia per quam fiunt opera ſpiritualis coniugij: vel quia illa opera ſacie, & habet vſum illius potentiæ: vel quia dicta opera ritè ſacit, & habet iuriſdictionem ad id faciendum. Aduertendum ergo, quòd ſi hoc ſpirituale coniugium reſpiciat ipſam iuriſdictionem, ſecundum quam huiuſmodi opera debitè & ritè fiunt, ſic eo viuente poteſt Epiſcopus deſinere eſſe Eccleſiæ ſponſus, et poteſt ſeparari huiuſmodi coniugium, quia poteſt ab eo tolli omnis iuriſdictio, vt nihil tale, vel nulla opera talia poſſit debitè, & ritè facere, niſi ſorte in caſu ueceſſitatis, in quo poteſt baptizare, quia poſſunt, & laici hoc ſacere. Sed ſi accipiatur coniugium ſecundo modo quantum ad vſum potentiæ, ſiue huiuſmodi vſus fiat rite, vel uon rite, ſiue hoc faciendo peccet, vel non peccet, ſic viuente Epiſcopo, vel viuente eo qui ordinatus eſt in Epiſcopum, nec Papa, nec tota Eccleſia poteſt tale coniugium tollere, vel etiam ſeparate.

Nam ex quo quis ordinatus eſt in Epiſcopum, & iam eſt impreſſa ei characteris perſectio, & iam habet characterem ſacerdoralem perfectum iam potentiam perſectam ad ordinandum alios, & ad ſaciendum eos Sacerdotes: ſi exeat in vſum iſtius potentiæ, & teneat ordines, & ſaciat alios Sacerdotes, vel conferat eis alios ordines: qui ſic ordinati ſunt veros otdines ſuſcipiunt, nec ſunt de cætero reordinandi: ſunt tamen corrigendi, eſtque eis pęnitentia imponenda, ſi ſuſceperunt ordines ab his, qui ſunt hæretici, vel ſunt ab eccleſia ſeparati, vel per Eccleſiam depoſiti. Dixerunt enim aliqui Iuriſtæ quod ſi ſuſcipiantur ordines ab Epiſcopis qui ſunt per Eccleſiam degradati, ſic ordinati nihil ſuſcipiunt: cum character, & perfectio characteris ſint quid indebile, quæ reſpiciunt chara-

cte-

Digitized by Google

ćtetem, perfectionem characteris: vel ea quæ ſunt ordinis ſuut indelebilia, vt ſemper habeāt ſuum effectum. Dicemus enim quod ſicut conficere corpus Chriſti reſpicie characterem perfectum: ſic quia ſimplex ſacetdos quantumcumque degradatus vel hæreticus (dum tameu intendat ſacere quod facir Eccleſia) ſine aliqua diſtinctione tenent communiter Theologi qnod ſi ſuper materia panis, cum intentione conſecrandi dicat verba, quæ ſunt de ſorma conſecrationis, videlicet Hoc eſt corpus meum, verum corpus Chriſti conficit. Et quia ſicut charactet ſacerdotalis eſt potentia ſpititualis qua Corpus Chriſti conficitur, ſic perfectio illius characteris, quæ imprimitur in ordine epiſcopali, eſt potentia conferendi ordines, & faciendi Sacerdotes, ideo Epiſcopus ſiue ſchiſmaticus, ſiue degradatus, ſiue etiam hæreticus (dum tamen intendat facere, quod ſacit Eccleſia, & ſecundum titum, & formam Eccleſiæ ordinet aliquos) illi erunt ordinati: & ſi diſpenſatum eſt cum eis, non erunt teordinandi, ſed eis erit pænitentia impnnenda, quia contra mandata Eccleſiæ ordines ſuſceperunt.

Spirituale ergo coniugium ſumptum hoc ſecundo modo prout non reſpicit iuriſdictionem ſed ſolum vſum potentiæ prout per perſectionem characteris ſacerdotalis poteſt Epiſcopus alios ordinare, nunquam ſeparari poteſt, vel tolli viuente Epiſcopo, quia, & character, & perfectio characteris quid indelebile nominant: ſolus autem Deus poteſt coniugium ſic acceptum tollere, quia poſſet tollere ab anima characterem, & perſectionem characteris. Ipſe enim Papa nec vt Vicarius Dei, nec aliquo modo poteſt huiuſmodi characterem, vel perfectionem characteris tollere, ſed ſolus Deus hoc poteſt, & ſibi ſoli hoc ſeruauit, & nulli alij hoc conceſſit. Secundum hoc etgo poteſt exponi quod dicitur in decretali illa: Inter corporalia, quod dubitari non debet, quantum omnipotens Deus ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſuo cantum iudicio reſeruauit diſſoluendum. Sed ſi accipiatur huiuſmodi coniugium quantum ad omnem modum videlicet non quantum ad iutiſdictionem nec quantum ad vſum potentiæ, ſed ſolum quantum ad ipſam potentiam quę nihil aliud eſt quam charactet Sacerdotalis perfectus, ſic non ſolum viuente Epiſcopo, ſed etiam mortuo Epiſcopo non tollitur tale coniugium ita nō tollitur ille perfectus character in quo fundabatur tale coniugium: nam, & in anima ſeparata remanet talis character, & perfectio characteris. Sed notandum quod in anima ſeparata remaner charactet, & perfectio characteris, non quantum ad illum vſum, qui erat ordines conferre vel corpus Chriſti conficere, ſed temanet quantum ad decotem, & gloriam in beatis, & quantum ad pudorem, & ignominiam in damnatis.

In anima ſeparata remanet character.

Nam Sacerdotes, & Epiſcopi ſi bene vixerunt, animæ eorum ſæparatæ habebunt characterem ſacerdotalem quantum ad animas Sacerdotum, & habebunt illum characterem perfectum quantum ad animas Epiſcoporum: ſed non habebunt huiuſmodi characterem, aut perſectionem characteris quantum ad vſum qui nunc eſt, ſed habebunt illa quantum ad hunc vſum, qui eſt decor, & gloria. Si malè vixerunt, & ſunt damnati, habebunt huiuſmodi characterem, & perfectionem characteris quantum ad contrarium vſum, qui eſt pudor, & eguominia. Nam ſicut habere inſignia Regis eſt honor, & gloria ijs qui ſequuti ſunt voluntatem eius, ita eſt pudor, & iguominia his qui auerterunt ſe a Rege, & commiſerunt crimen contra regem quia quāto altior eſt quis in curia regis, tanto ignominioſius eſt ei agere contra regem. Ergo mortuo Epiſcopo, in anima eius ſeparata temanet charactet perfectus, qui erat potentia ad operandum opera ſpititualis coniugij, & qui erat fundamentum iſtius coniugij, ita quod ſecundum hunc modum, nec viuente Epiſcopo nec eo mortuo tollitur id quod erat talis potentia, & tale fundamentum, ſed tollitur vſus talis potentiæ, quia non remanet ad hunc vſum qui eſt ſacete opera ſpititualis coniugij quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſed temanet ad vſum alium vt eſt per habita declaratum. Sed viuente Epiſcopo nec huiuſmodi character perfectus ſine huiuſmodi potentia, nec etiam vſus iſtius potententiæ poteſt ab ipſo tolli, ſed ſemper eo viuente licee forte cum peccato, & cum damnatione animæ ſuæ poteſt exire in actum potentiæ, & poteſt ſacere opera ſpiritualis coniugij. Sed (vt diximus) ſi accipiatur tale coniugium tertio modo, prout teſpicit ipſam iuriſdictionem ſecundum quam talia opera debitè, & ritè fiunt, etiam viuente Epiſcopo poteſt tale coniugium tolli, & ſeparari.

Incipit octaua, & vlima pars huius Capituli, declarans quod ſi ſimplex Pontifex, non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex, ſummus tamen Pontifex, poteſt deſinere eſſe Summus Pontifex, in quo fundatur ratio quinta.

Argnunt autem aduetſarij noſtri quod ſi ſimplex Pontifex, non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex ergo multo magis ſummus Pontifex non poteſt deſinere eſſe ſummus Pontifex. Sed vt ſupra terigimus hoc non eſt magis immo eſt minus, quia vt patebit minus eſt facere quod ſummus Pontiſex non ſit ſummus Pontiſex, quam quod ſimplex Pontifex non ſit Pontifex ſimplex. Ad clariorem tamen notitiam, & ſolutionem huius tationis quæramus à ſic dicentibus, cùm nomina ſint ad placitum, quid intelligunt nomine ſimplicis Pontificis: nam tale, quod poteſt ſignificari hoc nomine, quod verum dicunt, & tale quid, quod ſalſum. Nam ſi dicatut quod nomine ſimplicis Sacerdotis non intelligitur aliud niſi quod habeat charactetem ſacetdotalem, ſi ſic volūt quod nomine ſimplicis Pontificis nō intelligatur aliud niſi quod habet petfectionem huius characteris, & talem perfectionem, quod poſſit exire in vſum; dictæ perfectionis: ſic cettum eſt quod nec Papa, nec vniuerſalis eccleſia poteſt ſacere quod ſimplex Pontifex non ſit Pontifex ſimplex, quia non poteſt ab eo tolli nec character, nec perfectio characteris: immo Epiſcopo mortuo, etiam manet

in

in anima eius ſeparara character, & perfectio characteris, Sed non ad hunc vſum: eo autem viuente non ſolum remanet character, & perfectio characteris, qui eſt ſpiritualis potentia qua aguntur ſpiritualis coniugij opera, ſed etiam remanet vſus dictæ potentiæ, vt qnando vult poſſit dicta opera facere, licet agar ea ad damnationem animæ ſuæ, ſi ea faciat contra mandara eccleſiæ. Quare ſi nomine ſimplis Pontificis volumus intelligere hanc ſpiritualem potentiam, & vſum iſtius ſpiritualis potentiæ, ſicur nomine ſimplicis Sacerdotis intelligebatur character Sacerdotalis cum proprio vſu characteris, cum ſit quid indelebile perfectio characteris quæ imprimitur in ordine ſacerdotij, dicemus quod ſicut ſimplex Sacerdos nunquam poteſt deſinere eſſe Sacerdos, ſic ſimplex Epiſcopus nunquam poteſt deſinere eſſe Epiſcopus.

Loquuti ergo ſumus de potentia, & de vſu potentiæ ram ſacerdotali, qnam epiſcopali, quæ innititur characteri, qui eſt in ſimplici Sacerdote, & quæ inniritur perfectioni characteris, quæ eſt in Epiſcopo. Sed aduertendum quòd mentionem fecimus non ſolum de potentia, ſed de vſu potentiæ, qnam in anima ſeparata Sacerdotis, vel in anima ſeparata Epiſcopi remanet huiuſmodi potentia: ſed ramen, quia non remanet ad ſuum proprium vſùm, vt eſt per habita manifeſtum; ideo in anima Sacerdotis ſeparara non dicimus abſolutè quod remanet poteſtas ſacerdotalis, ſed dicere poſſumus quod remanet in ea character ille in quo fundabatur ſacedotalis poteſtas, quam Sacerdos eo viuente poterat conficere corpus Chriſti: & in anima Epiſcopi ſeparata remanet character ille perfectus in quo fundabatur ſpiritualis porentia, per quam Epiſcopus eo viuente faciebat opera epiſcopalia, ſiue opera ſpiritualis coniugij.

Reuertamur ergo ad propoſitum, & dicamus, quod ſi nomine ſimplicis Pontificis intelligatur ſua ſpiritualis potentia, & etiam vſus potentiæ, ſic viuente eo non poteſt deſinere eſſe Epiſcopus, quia eo viuente non poteſt tolli ab ipſo huiuſmodi potentia, quin poſſit exire ad vſum potentiæ prædictæ, licet ſi ea vtatur contra mandata eccleſiæ, grauiter peccer. Sed ſi nomine Epiſcopi, vel nomine ſimplicis Pontificis inrelligimus non ſolũ potentiam præſatam ſpiritualem, & vſum potentiæ, ſed etiam iuriſdictionem vt poſſit illa potentia iurè, & ritè vti, ſic ſimplex Pontiſex ita habens ſimplicem iuriſdictionem epiſcopalem, poreſt deſinere eſſe ſimplex Pontiſex, quia per ceſſionem, vel per depoſitionem, vel quodlibet aliud poreſt carere iuriſdictione præſata. Cum ergo Papa vltra ea quæ ſunt ſimplicis Epiſcopi, & vltra ea quæ ſuut ordinis, non dicat niſi iuriſdictionem, cum iuriſdictio poſſit committi, & poſſit deſiuere eſſe, non valet hæc ratio, Si ſimplex Pontifex nõ poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex, quod ſummus Pontifex nõ poſſit deſinere eſſe ſummus Pontifex: quia per ſimplicem Pontificem poſſumus intelligere habentem characterem ſacerdotalem perfectum, qui eſt potentia ſpiritualis perfecta quantum ad ea quæ ſunt ordinis cum vſu illius potentiæ: & quia tam ſpiritualis potentia, quam eius vſus non poſſunt tolli, ideo ſecundum hunc modum loquendi ſimplex pontifex non poteſt deſinere eſſe ſimplex Pontifex: ſed nullus diceret quod diceretur ſummus Pontifex vel diceretur Papa qui ſolum habet characterem ſacerdotalem perfectum, & poteſt vti illo charare. Propter quod patet cuilibet intuenti quod plus dicit ſummus Pontifex, quam dicat ſimplex: ſed cum ſimplex Pontifex dicat omnia quæ ſunt ordinis, conſequens eſt quod ſummus Pontifex ea quæ dicir ſupra ſimplicem Pontificem, non ſinr ordinis, ſed iuriſdictionis, vt ſæpius dictum eſt: & quia ea, quæ iuriſdictionis, ſunr, poſſũnt deſinere eſſe, ideo cum ſummus Pontifex non dicat ſolum ea quæ ſunr ordinis ſed quæ ſunt iuriſdictionis, ſummus Pontifex poteſt cedere, & deſinere eſſe.

Numquam tamen poteſt deſinere eſſe Summus Pontifex, vocando Pontificem, qui haber cheracterem, & perfectionem characteris, quia quantumcunque renunciet, & cedat, nunquam deſinet in eo eſſè character, nec perfectio characteris, & quamdiu viuit ſemper poterir vti illa potentia ſpirituali quæ fundatur in illo perfecto charactere: nunquam ergo carebit nec charactere, nec perfectione characteris, ſed poterit carere, & carebit auctoritate, & iuriſdictione. Dicemus itaque quod quantum ad ea qnæ ſunt ordinis omnes ſimpliees Sacerdotes ſunt æquales, quia omnes poſſunt conficere corpus Chriſti: quantum aurem ad iuriſdíctionem non ſunt æquales, quia fortè vnus habet curam, & habet parochiam, quam cnram, & quam parochiam non habet alius: vel vnus habet maiorem curam, & maiorem parochiam, quam habeat alius. Sic quantum ad ea quæ ſunt ordinis, Epiſcopi ſunt æquales.

Et exinde eſt quod electus in Papam, ſi non ſir Sacerdos, omnem iuriſdictionem habet quæ poteſt pertinere ad Papam: ſed nihil habet de his quæ ſunt ordinis Sacerdotalis, nec de his quæ ſunt ordinis epiſcopalis; propter quod poteſt, & in Sacerdorem, & in Epiſcopum ab alio Epiſcopo ordinari: quod fieri non poſſer, ſi ſacerdotium, vel Epiſcopatus in eo qui eſt Papa, quantum ad ea quæ ſunr ordinis eſſent maiora, vel altiora quam ea quæ ſunt in ſimplici quocumque Epiſcopo, quia ſecundum quod vult Apoſtolus ad He- Heb.7.b.
bræos 7. quod ſine vlla autem contradictione quod minus eſt à maiore benedicitur. Papa in quantum ad ea quæ ſunt ordinis ſi non ſit Sacerdos, eſt minus quam alij Sacerdotes, & ſi non ſit conſecratus vel ſi non ſit Epiſcopus, eſt minus, quam alij Epiſeopi. Quod ſi in his quæ ſunr ordinis Papa factus Epiſcopus haberer pluſquam alij Epiſcopi, non poſſer conſecrari Epiſcopus a nullo Epiſcopo, quia runc maior a minori benediceretur. Quid ergo vltra egemus teſtibus? clarè enim patere poteſt quod ea, quæ ſuut iuriſdictionis, minuuntur, & creſcunt, quia hic habet iuriſdictionem minorem, ille autem maiorem; & omnia poſſunt tolli, vel deſinere eſſe, quia poteſt quis totam ſuam iuriſdictionem perdere, vel præceſſionem, vel qnomodolibet aliter: ſed ea quæ ſunt ordinis in eodem ordine nec minuuntur, nec creſcunr, nec poſſunt deſinere eſſe: omnes enim Sacerdotes ſunt pares quantum ad ea, quæ ſunt ordinis

ſimplicis Sacerdotij: & omnes Epiſcopi ſunt pares quantũ ad ea quę ſunt ordinis epiſcopalis. Et exinde eſt quod quilibet Epiſcopus poteſt dici ſummus Sacerdos, quia quilibet Epiſcopus poteſt dici ſummus quanrum ad ea quæ ſunt ordinis epiſcopalis. Si ergo Papa quantum ad ea quæ ſunt ordinis eſſet maior Epiſcopo, tunc non poſſet ab aliquo Epiſcopo ordinari vel couſecrari, quia tunc maior a minoti benedieeretur, quod eſt contra Apoſtolum. Ex his autem manifeſtè concludirut quod cum ea quæ ſunt ordinis ſint immobilia, ea autem quæ ſunt iuriſdictionis mobilia, quod Papa poteſt cedere quanrum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, non autem quãtum ad ea quæ ſunt otdinis. In Sacerdotio autem quantum ad ea quæ ſunt otdinis, ſunt gradus.

Dicemus quidem quod eſt duplex corpus Chriſti, videlicet corpus Chriſti verum, & corpus Chriſti myſticum, cuiuſmodi ſunt fideles. Quantum ad corpus Chriſti verum non poteſt eſſe authoriras, vel poteſtas niſi ſolum ordinis, prout quis poteſt conficere Corpus Chriſti verum. Sed quantum ad Corpus Chriſti myſticum poteſt eſſe authoritas Ordinis prout quis poteſt fideles ordinare, & facere illos Sacerdotes, vel etiam Epiſcopos: & poteſt eſse ibi authoritas iuriſdictionis pro ut poteſt eos abſoluere, vel ligare. Ergo quãtum ad ea quæ ſunt ordiuis ſuut gradus in ſacetdotio, quia Epiſcopi quantum ad ea quæ ſunt otdinis plus poſsunt quam ſimplices Sacetdotes, quia ſimplices Sacerdotes ſecundum quod huiuſmodi ſolum poſsunt conficere verum Corpus Chriſti: ſed Epiſcopi etiam quantum ad ea quæ ſunt ordinis habent authoritatem non ſolum vt poſſint conficere Corpus Chriſti verum, ſed etiam vt poſſint otdinare fideles & facere eos Sacerdotes, vel conſecrare eos in Epiſcopos, qui fideles ſunt Corpus Chriſti myſticum. Et quia quãtum ad hoc, ea quæ ſunt ordinis non plus ſe extendunt, ideo quantum ad hoc omnes Epiſcopi ſunt æquales ita quantum ad ea quæ ſunt otdinis. Propter quòd omnes dici poſſunt ſummi Sacetdotes, quia quantum ad ea quæ ſunt ordinis non eſt vnus Epiſcopus perfectior, quam alius: quamuis enim Epiſcopus ſit perfectior Sacerdos quam ſimplex Sacerdos, quia in otdine Epiſcopali recipitur character ſacerdotalis, nullus tamen Epiſcopos quantum ad ea quæ ſunt ordinis eſt perfectiot Sacerdos, quam alius Epiſcopus. Propter quod Magiſter. 4. ſententiatum diſtin: 24. dicit, quod Pontifex eſt Princeps Sacerdotum. Et quia ipſe ſummus Sacerdos nuncupatur, vult Mugiſter ibi quod quilibet Pontifex poſſit nuncupari ſummus Sacerdos: & can. 2. quæſt. 7. c. Accuſatio, ſummi Sacerdotes dicuntur eſse Epiſcopi. Volnerunt autem quidam quod quilibet Epiſcopus, vel quilibet Pontifex poſſit dici ſummus Pontifex, adhærentes illi dicto quod omnes Epiſcopi dicuntur eſse ſimplices Sacerdotes: ſed vt putauit in ſacerdotio ſunt gradus etiam quantum ad ea quæ ſunt otdinis, ex quibus gradibus arguitur quod ſimplex Sacerdos nõ poteſt dici Sacerdos ſummus, quia ſimplex Sacerdos non poteſt omnia quæ ſunt ordinis: Sed quilibet Epiſcopus poteſt dici ſummus Sacerdos, quia quilibet Epiſcopus poteſt omnia quæ ſunt ordinis. In Epiſcopatu ergo non ſunt gradus quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed ſunt ibi gradus quantum ad ea quę ſunt iuriſdictionis. Erit etgo vnus Pontifex maior alio, non quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis. Solus etgo erit ſummus Pontifex, qui ſummam habet iuriſdictionem: & quia ſolus vnus habet, & poteſt habere ſummam iuriſdictionem, non poteſt eſse niſi vnus ſummus Pontifex: propter quòd ſi Papa cedat, temanebit Pontifex quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed non quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis.

Sed quæret aliquis vtrum aliquo modo Papa cedens poſſit dici ſummus Pontifex. Ad quod dici poteſt quòd Papa cedens etiam poſt quam ceſserit poteſt dici ſummus Sacerdos, quia poteſt omnia quæ ſunt ordinis, ſed nec Pontifex, nec ſummus Pontifex debet tunc nominari quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, niſi fortè de nouo eligeretur in Papam, & ipſe aſsentiret ſicut legitur fuiſse factum de Marcellino: vel de nouo committeretur ſibi aliqua alia iuriſdictio. Verum quia vſque nunc non diſtinximus niſi duo membra, videlicet quòd aliqua ſunt ordinis, & aliqua ſunt iuriſdictionis: poſsumus autem ſuperaddere tertium membtum quod aliqua ſunt inſignia præteritæ iuriſdictionis, vt ſi Archiepiſcopus de ſua Eccleſia transfertur ad aliam, vel etiam cedat Archiepiſcopatui, remanebunt etiam ei quædam inſignia præteritæ iuriſdictionis, quia ſepelietur cum pallio illo in quo pontificalis officij plenirudo ſimul cum Archiepiſcopalis nominis appellatione ſibi collata fuit: propter quod extra de authoritate, & vſu pallij cap. Adhoc, dicitur, § inquiſitioni.
quod quiſque Archiepiſcopus cum ſuo pallio ſepelliri debet:

Hoc criam modo poſset ordinari de Papa cedente quod ſepeliretur cum aliquibus inſignijs papalibus: & quia nomina ſunt ad placitum, ſi vellem vocare Papam ſiue ſummum Pontificem eum qui ceſſit, hoc non poteſt eſse quantum ad ea quæ ſunt otdinis, quia quantum ad talia inter ipſos Epiſcopos non ſunt gradus, ſed quilibet Epiſcopus in talibus dicitur eſſe ſummus: nec hoc erit quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, quia Papa cedens renunciauit ſuæ iuriſdictioni vel ſuo iuri: ſed quantum ad aliqua inſignia iuriſdictionis præteritæ, cui iam ceſſit eo modo quo diximus, quia nomina ſunt ad placitum ſi quis talem vellet vocare Papam, vel ſummum Pontificem, quia ordinatur ſic de ipſo quod ſepeliretur cum aliquibus inſignijs papalibus, ſi fuiſſet ſic ordinatum per Eccleſiam quod ſic ſepeliretur Papa cedens, poteſt fortè tollerari quod dicitur. Vel poſſumus dicere quòd ſummus poſitiuè dicit ſub quo alij, & ſic loquuti ſumus de ſummo Pontifice: & hoc modo nullus ſimplex Pontifex poteſt dici ſummus Pontifex: ſed ſummus negatiuè dicit ſupra quem nullus: & ſic quilibet Pontifex quantũ ad ea quę ſunt ordinis poteſt dici ſummus Pontifex, quia hoc modo omnes Pontifices ſunt æquales: ſed ſic non loquimur de ſũmo Pontifice vt per habita eſt manifeſtũ.

His itaque expeditis, patet quod cum

ar-

Digitized by Google

arguitur quod fieri non poteſt quod ſimplex Pontifex non ſit ſimplex Poutifex, ergo multo magis fieri non poteſt quòd ſummus Pontifex non ſit ſummus Pontifex, patet quòd non eſt mains, immo eſt minus: nam licet bubalus ſit maior mure, tamen quantum ad intrare per foramen bubalus eſt minor mure, quia minus poteſt intrare per foramen bubalus quã mus: & mus magis poteſt intrare per foramen, quam bubalus. Sic & in propoſito, qnamuis eſſe ſummum Pontificem ſit longè quid maius, quam eſſe ſimplicem Pontificem, tamen quantum ad indiſſolubilitatem non eſt maius, immo minus: magis enim ſunt indiſſolubilia ea quæ ſunt ordinis quæ nullo modo tolli poſſunt, & minus ſunt indiſſolubilia ea quæ ſunt iuriſdictionis quæ tolli poſſunt vel deſinere eſſe poſſunt: Et quia ſummus Pontifex ſupra ſimplicem Pontificem non dicit quæ ſunt iuriſdictionis, magis eſt. indiſſolubilis ſimplex pontificatus prout dicit ea quæ ſunt ordinis, quia ſummus pontificatus qui ſuper ea, quæ ſunt ordinis, ſolum dicit quæ ſunt iuriſdictionis.

GAP. XI.

Inquo agitur de quinque alijs rationibus, videlicet de ratione. 6.7.8. 9.10. quomodo ſunt intelligendæ, & ab inuicem diſtinguendæ.

QVoniam rationes ad eandem partem nec debent ſibi contradicere, nec debent idem dicere, quia ſi ſibi contradicunt non erunt ad oſtendendam partem: ſi autem idem dicunt, committetur nugatio, quæ eſt vnius, & eiuſdem inutilis repetitio. Exiude, vt claræ, & manifeſtæ appareant ſolutiones noſtrorum aduerſariorum, qnamuis pro maiori parte ſemper videantur habere idem fundamentum, volumus laborare vt eas diſtinguamus vt ſuum fundamentum demus cuilibet rationi. Solutis igitur primis quinque rationibus, volumns in hoc capitulo de quinque ſequentibus rationibus agere, & oſtendere quomodo ſunt intelligendæ, & ab inuicem diſtinguendæ. Tractabimus itaque in hoc capite de ratione. *6. 7. 8. 9.* & 10. quomodo ſiut ab inuicem diſtinguendæ: & poſtea inſequẽti capitulo eas per ordinem diſſoluemus.

Erat autem ſexta ratio quod papatus erat per legem diuinã, ergo non niſi per Deum diſſolui poteſt: ex quo enim Papa ſubijcit ſe legi ſponſæ, a ſolo Deo poteſt abſolui ab huiuſmodi lege. Septima autem ratio erat, quia papatus eſt quoddam votum: ſed nemo poteſt ſeipſum abſoluere, ſolus ergo Deus poteſt abſoluere Papam quod non ſit Papa. Octaua quidem erat, quia nullus poteſt ſeipſum abſoluere. Nona verò erat, quod quia Papa obligauit ſe Deo, ideo a nullo alio poteſt abſolui. Decima autem erat, quia poſt legitimam confirmationem nullus Prælatus poteſt abſolui niſi a ſuo ſuperiori, Papa non habet ſuperiorem niſi Deum, ergo non poteſt deſinere eſſe Papa. Aduertendum ergo, quod cum dicitur quod Papa non eſt Papa niſi per legem diuinam non per legem alicnius creaturæ, & quia per huiuſmodi legem diuinam ſubiecit ſe legi ſponſæ, ideo a ſolo Deo poteſt liberari a tali ſubiectione, & ab hoc quod nõ ſit ſponſus Eccleſiæ.

Dici poteſt quod quæritur a ſic dicentibns, quid intelligunt per legem diuinam, & quomodo loquuntur de lege diuina? Vtrum loquantur de ea ſicut loquitur Diouyſi. in 4 c. de cæleſti Hierar. qui ait, quòd diuino legali ordine, hæc ponitur lex: per primam, ſecunda reduci in Deum. Vult enim ibi Dioniſi. quod Deus hanc legem ſtatuit quod ſecunda reducantur in Deum pro prima ita quod inſeriora reducantur in Deum per ſuperiora. Ordinauit Deus Eccleſiam, & quoſdam poſuit primos, & quoſdam ſecundos, de quo ordine tractat Apoſtolus primo Corinth. 12. vbi ait, quòd, poſuit Deus in Eccleſia primo Apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, & ſic de alijs. Ad prophetas enim & ad doctores ſpectat alios docere: ad Apoſtolos autem & Prælatos ſpectat alios regere, & gubernare: & in huiuſmodi rebus, gubernare & habere curam de alijs eſt ſupremum: ideo Apoſtoli, vel illi qui gerunt curam Apoſtolorum cuiuſmodi ſunt præfati quorum eſt alios regere & gubernare, tenent primum locum: & inter Apoſtolos omnino tenet ſupremum locum Romanus Pontifex, qui eſt ſucceſsor Petri qui erat Princeps Apoſtolorum: ad quod principaliter deſignandum, & ſi omnes Apoſtoli habuerunt claues, ſpecialiter tamen dictum fuit Petro, Tibi dabo claues regni cælorum. Vnde ſuper illa verba Matthæi. *16.* Tibi dabo claues regni cælorum, dicit gloſa quod ſpecialiter hanc poteſtatem Petro conceſſit, vt ad vnitatem nos inuitaret: & ſubdit, quod ideo Petrum Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia vnum principalem haberet Chriſti Vicarium, ad quẽ diuerſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi fortè inter ſe diſsentirent.

24. q. 1. c. Loquitur.

Et ſi quæras, qui ſunt illi in Eccleſia qui gerunt vices Apoſtolorum. Dicemus quod Cardinales, & Epiſcopi alij etiam qui non ſunt Cardinales gerunt vices Apoſtolorum, aliter tamen & aliter: quia Apoſtoli, & Chriſto aſtiterunt, & per diueſſas partes mundi fuerunt diſperſi, quia vnus Apoſtolus accepit in ſortem prædicationis ſuæ hanc partem orbis, & alijs aliam partem orbis. Cardinales itaque qui aſſiſtunt Papæ gerunt vices Apoſtolorum prout Apoſtoli Chriſto aſſiſtebant: Epiſcopi vero habentes curam ſecundum diuerſas partes orbis gerunt vices Apoſtolorum prout Apoſtoli per diuerſas partes orbis fuerunt ſparſi. Supremum ergo locum in Eccleſia tenent gerentes vices Apoſtolorum, quorum omnium Princeps eſt Romanus Pontifex. Poſt Apoſtolos verò ſunt Prophetæ, & Doctores; & primo ſunt Prophetæ, qui ex diuina inſpiratione habuerunt rerum cognitionem, & poſteà ſunt doctores, qui per doctrinã poſſunt de hac notitia aliquid participare. Cum ergo arguitur quod per legem diuinam habet eſſe Papatus, quia Deus hanc legem indidit rebus quod inferiora reducantur in Deum per ſuperiora, & ipſe Deus ſecundum hanc legem ordinauit Eccleſiam

Aegid contra Exemptos c. 11.

ſuam quod in ea primo ponit Apoſtolos, & Petrum, & quemliber alium Succeſſorem conſtituit principem Apoſtolorum, propter quod per legem Diuinam habet eſſe Papatus. Si vult hæc ratio ſe fundare in lege diuina per quam inferiora per ſuperiora reguntur, & quia hoc eſt à Deo ideo ſolus Deus poteſt eã infringere. Reſpondebimus volentibus ſic arguere, quod hanc legem formaliter non poteſt creatura infringere, quia Deus per ſeipſum hanc legem indidit quod inferiora per ſuperiora regantur, vt patet per Auguſtinum 3. de Trinitate c.4. Sed materialiter poteſt creatura ad hanc legem aliquid operari, quia quod huic perſonæ competat locus ſuperior, & quod ſit Papa, vel quod huic competat locus immediatè poſt ipſum, & quod ſit Patriarcha, vel quomodolibet aliter ad hoc cooperatur creatura, quia cooperantur ad hoc homines, per quorum electionem, & aſſenſum electi, hic præficitur in Papam: ſic etiam, vel per electionem, vel per inſtitutionem præficitur aliquis in Patriarcham. Quod ergo Papa exiſtens Papa non ſit ſuper omnes, hoc eſt impoſſibile, quia hoc eſſet contra legem diuinam: ſed quod ille homo aſſentiendo electioni de ſe factæ ſit Papa, vel renunciando deſinat eſſe Papa, ad hoc cooperatut creatura, & ideò opere creaturæ poteſt hoc fieri, & tolli.

Simile autem videmus in naturalibus: tota enim creaturarum vniuerſitas non poſſet dicere quod aer naturaliter non eſſe ſuper aquam quod de plumbo poſſet taliter vas concauum fieri quod nataret ſuper aquam propter aerem quem contineret. Natura ergo non poteſt facere contra hanc legem formaliter, poteſt tamen ad hanc legem cooperari materialiter, quia poteſt ita condenſare materiam aeris quod fiet aqua· & ita rarefacere aquam quod fiet aer: poteſt ergo natura facere quod illud quod erat materia ſuperioris ſit materia inferioris, & e conuerſo. Sed quia ſicut ſi habet materia ex opere naturæ ad ſuſcipiendum formalem perfectionem, ſic ſi habent homines vt opere humano ſuſcipiant eccleſiaſticam Prælationem: & ideo ſicut opere naturæ materia rei ſuperioris ſit materia rei inferioris, & e conuerſo, ità quod materialiter loquendo in regimine rerum naturalium quod erat inferius ſit ſuperius, & e conuerſo. Sic in regimine hominis opere humano homo ille, qui tenebat locum ſuperiorem, poteſt tenere locum inferiorem, & e conuerſo. Itaque qui volunt hanc legem fundare ſupra ipſam legem diuinam, non faciunt rationem nouam à rationibus ſuperius dictis: propter quod hæc ſexta ratio ſecundum hunc modum accepta ſoluitur per dicta in ſuperioribus capitulis. Dicamus enim de lege diuina ſicut dicebamus de opere diuino: dicebamus quidem quod ea quæ ſic fiunt opere diuino, quod ad ea fienda non cooperatur creatura nec poteſt cooperari creatura, per nullam creaturam tolli poſſunt: & ideo quia ad productionem intelligentiarum ſiue angelorum non cooperatur creatura nec poteſt cooperari, per nullam creaturam tolli poſſunt: quia non eſt data talis potentia creaturæ quod poſſit cooperari Deo in opere creationis. Vtrum autem potuerit creaturæ talis potentia conferri non eſt præſentis ſpeculationis. Sufficiat autem nunc ſcire quod talis potentia non eſt collata creaturæ. Exinde ergo eſt quod tota creatura non poſſet deſtruere vnam ſpiritualem ſubſtantiam, nec ipſa ſpiritualis ſubſtantia poſſet deſtruere ſe ipſam: animæ enim damnatæ quærent mortem, & non inuenient. Dicent enim damnati ſecundum ſententiam Domini, Lucæ 23. Montes cadite ſuper nos, & colles operite nos. Vniuerſa ergo creatura non poteſt deſtruere vnam ſpiritualem ſubſtantiam, quia ad productionem eius nihil cooperatur creatura. Sed eo modo, quo creatura operatur ad productionem ſpiritualis ſubſtantiæ, poteſt tolli operæ creaturæ. Nam licet creatura non cooperatur ad productionem ſpiritualis ſubſtantiæ ſecundum ſe, operatur tamen ad productionem eius quod ſit in hoc corpore, ſicut ponebatur exemplum de anima rationali. Et quia rationalis anima opere creaturæ poteſt tolli ab hoc corpore. Sic etiam dicebamus de Papatu: poteſtas enim Papalis eſt in Eccleſia à Deo, & ideo non poteſt vnquam tolli poteſtas Papalis ſecundum ſe, quin ſemper huiuſmodi poteſtas ſit in Eccleſia, quę nunquam moritur: ſed licet creatura non cooperetur ad ipſam poteſtatem Papalem ſecundum ſe, quia huiuſmodi poteſtas ſecundum ſe eſt à Deo, ſit tamen opere creaturæ, quia ſit opere humano, quod Papalis poteſtas ſit in hoc homine. Ideò ex opere humano fieri poteſt, quod talis poteſtas deſinat eſſe in hoc homine: quomodo autem opere humano quis præficiatur in Papam, & deſinat eſſe Papa, ſupra diffuſius dicebatur.

Quod ergo dicendum eſt de opere humano, quoniã illud quod ſic eſt opere diuino quod, ad illud, nec operatur, nec operari poteſt creatura, nõ poteſt tolli opere creaturæ: dicetur, & lege Diuina, quia illud, quod ſic eſt per legẽ diuinam, quod ad illud nihil operatur creatura, fortè non poſſet tolli opere creaturæ. Ad legem ergo illam formaliter, quod inferiora ritè, & de iure regantur per ſuperiora, nihil cooperatur creatura, cooperatur tamen materialiter: quia quod hoc ſit materia ſuperioris, & hoc inferioris in naturalibus facit creatura, quia poteſt hoc natura facere, quod materia, quæ eſt ſub forma corporis ſuperioris, & dignioris, poſſit fieri ſub forma corporis inferioris, & groſſioris, & è conuerſo: & quod facit natura in naturalibus, poſſunt homines facere in moralibus: quia opere humano fieri poteſt, vt perſona, quæ erat ſubiectum dignitatis inferioris, poſſit fieri ſubiectum dignitatis ſuperioris, & è conuerſo. Si ergo ad Papatum nihil cooperarentur homines, & nihil ibi cooperaretur conſenſus eligentium, & conſenſus electi, non poſſet opere humano deſinere eſſe: eo ergo modo, quod opere humano ſit, poteſt ex opere humano tolli. His itaque prælibatis, dicemus, quod ſi hæc ſexta ratio intelligatur eo modo quo dictum eſt, erit eadem cum rationibus dictis, & habet eandem ſolutionem cum illis, vt eſt per habita manifeſtum.

Verum quia, vt diximus, quamuis quaſi omnes rationes factæ videantur habere vnum fundamentum, nos tamen, vt diximus, ad hoc laboramus, vt demus ſuum fundamentum cuilibet rationi. Diſtingui ergo poſſunt hæ quinque rationes à quibuſdam rationibus

aure

Digitized by Google

antedictis, vt rationes illæ innitantur huic fundamento, quod illud quod fit à Deo non poteſt diſſolui opere creaturæ, & rationes antedictæ diuerſimodè innitantur huic fundamento, prout nos diuerſificauimus rationes illas in capitulis antedictis, & eas diſſoluimus in eiſdem capitulis, vt eſt per habita declaratum. Sed hæ quinque rationes in hoc capitulo poſitæ, huic fundamento innitantur, quod cum quis ligatus, vel obligatus ad aliqua non poteſt ab illis ſeipſum diſſoluere.

Dicemus itaque, quod quinque modis, quantum ad preſens ſpectat, quis poteſt obligari ad aliqua. Primo, per mancipationem, vel per ſeruitutem, quam contraxit. Secundo, per votum, quod emiſit. Tertio per culpam, quam voluntarie incurrit. Quarto, per iuramentum, quod præſtitit. Quinto, per onus, cui ſe ſuppoſuit. Mancipatione autem, & ſeruitute, quam quis contrahit, innititur ratio ſexta: nam ille, qui eſt Prælatus, & efficitur ſponſus eccleſiæ, mancipatur diuinis obſequijs, & quodam ſpeciali modo in quadam ſeruitute redigitur, vt ſubijciat ſe legi ſponſæ, & vt curam habeat de ſponſa, ſiue de Eccleſia ſibi commiſſa, ſiue ſit Eccleſia tota, & vniuerſalis quæ commiſſa eſt Papæ, ſiue ſit eccleſia particularis quæ commiſſa eſt hic vel illi Prælato. Huic ergo fundamento innititur ratio ſexta, vt quia Papa ſubiecit ſe legi ſponſæ, & quia ſeipſum mancipauit, & in ſeruitutem redegit, vt Eccleſiæ ſponſus: & cum lex diuina videatur hoc velle, quod non poſſit quis ſe ſeruum faciens à ſeruitute illa pro libito voluntatis ſuæ ſe amouere, non poterit (vt videtur) Papa ſuo renunciare Papatui: primo ergo fundamento, quantum eſt ex parte mancipationis vel ſeruitutis, quam quis contrahit, innitur ratio ſexta.

Sed ſecundo fundamento, quod eſt ex parte voti, quod quis emiſit, poteſt inniti ratio ſeptima: dicebatur enim in ratione illa, quod nullus poteſt tollere votum alicuius, nec poteſt ipſum à ſuo voto abſoluere, niſi ille, qui eſt ſupra votum: ideo, quia Papatus eſt quoddam votum maximum ſuper omnia vota, eo quod Papa Deo vouet de ſeipſo, quod curam habebit vniuerſaliter totius diuini gregis, ſolus Deus poteſt Papam ab hoc voto abſoluere.

Sed tertio fundamento ex parte culpæ, quam quis voluntariè incurrit, innititur ratio octaua: poteſt enim ex ratione octaua argui à ſimili ex parte culpæ, quam quis voluntariè ſuſcepit. Arguatur ergo ſic, Nullus poteſt ſibi ipſi confiteri, & nullus poteſt ſeipſum à culpa abſoluere, quantumcumq; illam culpam voluntariè incurrerit: ergo nullus poteſt ſeipſum ſubtrahere à prælatione, quantuncumque Prælationem illam voluntariè ſuſceperit. Sicut ergo per culpam fit quis debitor Dei, ita per prælationem ſuſceptam fit quis debitor Dei, quantum ad pœnam ſibi debitam: ſed per prælationem fit quantus debitor Dei, quãtum ad animarum curam ſibi commiſſam, quia de animabus ſibi commiſſis reddet Prælatus, ante tribunal Chriſti in die iudicij, rationem. Sic ergo quis factus debitor per culpam non poteſt ſibi ipſi confiteri, nec poteſt ſeipſum abſoluere, ergo quis factus debitor per curam animarum ſuſceptam non poterit per ſeipſum renunciare, nec poterit ſeipſum deponere.

Quarto quidem fundamento, prout quis ſe obligauit per iuramentum, quod præſtitit, poteſt inniti ratione nona, quæ ait, quod Papalis obligatio non videtur poſſe tolli niſi per maiorem poteſtatem: nulla autem eſt maior poteſtas quam Papalis, niſi poteſtas diuina, ergo, &c. Si igitur iſti nonæ rationi, quæ de obligatione loquitur, volumus dare proprium fundamentum, oportet, quod demus ſibi fundamentum de obligatione iuramento firmata, quia ſi vellemus ſibi dare fundamentum de obligatione per mancipationem, vel per ſeruitutem, contracta eſſet hæc ratio nona eadem cum ratione ſexta: ſi verò vellemus ſibi dare fundamentum de obligatione per votum commiſſa, eſſet eadem cum ratione ſeptima. Vt ergo huic rationi nonæ demus proprium fundamentum, dicemus, quod intelligatur de obligatione per iuramenta præſtita: vt dicamus, quod Papa in ſuſceptione papatus non ſolum vouet, & promittit ſe debitam curam habere de toto grege, ſed hunc votum, & hanc promiſſionem quaſi quodam iuramento firmat: & quia ſic obligatus eſt per iuramentum præſtitum ad ſuſcipiendam curam de Grege ſibi commiſſo, non poteſt ſeipſum à tali obligatione abſoluere.

Fundamento autem quinto, quantum ad onus, cui ſe ſubpoſuit, innititur ratio decima, quæ ait, quod Nulla dignitas eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem poteſt tolli niſi per eius ſuperiorem: & quia Papatus non habet ſuperiorem niſi Deum, per ſolum Deum poterit tolli papatus. Videtur enim hæc ratio inniti huic fundamento, quia ex quo Papa conſenſit ſuſpicere huiuſmodi onus, cum ſuus conſenſus ſit ſua confirmatio, ex ipſo conſenſu eſt legitimè confirmatus, & habet ſupra ſe huiuſmodi onus, vt curam de toto grege dominico habeat: non ergo poteſt ſe abſuluere ab huiuſmodi, onere cum poſt ſuſceptionem iſtius oneris intelligatur eſſe legitimè confirmatus.

CAP. XII.

In quo ſoluitur ratio vj. arguens, quòd quia Papa eſt Papa per legem diuinam, & quia iam conſenſit, & iam ſe ſubiecit legi ſponſæ, ideo renuntiare non poteſt.

POſtquam in capitulo præcedenti præfatas quinque rationes diſtinximus, & cuilibet rationi ſuum proprium fundamentum dedimus: in hoc capitulo ſextam rationem ſoluere volumus, quæ innititur fundamento huic, quòd, quia Papa eſt obligatus Deo, non poteſt ſeipſum deponere, nec poteſt ſeipſum abſoluere, vt hac ratione ſoluta, ſoluantur rationes aliæ, quæ idem accipiunt fundamentum. Dicebatur quidem ſupra, quòd omnes dictæ rationes innituntur huic fundamento, quod obligatus ad aliqua non poteſt ſeipſum diſſol-

diſſoluere : iuxta ergo quinque modos obligarionis ſuperius traditos, vt diximus, ſumi poſſunt illæ quinque rationes, videlicet, ratio ſexta, ſeptima, nona, & decima. Sed ſexta ratio ſatis ſpecificat ſuum ſundamentum : legitur enim de lege diuina per quam quis ſubditur legi ſponſæ : ille antem, qui eſt ſponſus Eccleſiæ, dedicatur, & mancipatur diuinis obſequijs : ergo illa ratio loquitur de obligatione per mancipationem. Et etiam ratio ſeptima ſatis ſpecificat ſuum ſundamentum, quia loquitur de obligatione per votum. Et etiam ratio decima ſatis ſpecificat fundamentum ſuum, quia loquitur de dignitate eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem, per quam acquiritur iuriſdictio; ideo loquitur de obligatione per aſſumptam iuriſdictionem. Sed rationes octaua, & nona, non ſpecificant fundamentum ſuum. Dicit enim ratio octaua quod nullus poteſt ſeipſum abſoluere, ſed non ſpecificat de qua abſolutione loquatur. Sic etiam & ratio nona generaliter loquitur de obligatione. Dicit enim quod papalis obligatio non poteſt tolli : ſed, cum papalis obligatio poteſt ſumi multis modis, non ſpecificat de qua obligatione loquatur. Nos verò, vt vtrique rationi præfatæ daremus proprium fundamentum, adaptauimus rationem octauam ad obligationem per culpam commiſſam, & rationem nonam ad obligationem per iuramentum firmatam. His itaque prælibatis, volumus, vt dicebamus, in hoc capitulo ſoluere rationem ſextam.

Arguit enim illa ratio, quod Papa per legem diuinam eſt Papa, & eſt ſponſus Eccleſiæ : videtur enim eſſe lex diuina, quod ex quo quis conſentit quod ſit ſponſus Eccleſiæ, quod ipſe ſit ſubiectus legi ſponſæ, & quòd ipſe mancipatur obſequijs ſponſæ, vt ipſe ſit ſeruus ſeruorum Dei, & quod tota intentio ſua ſit, quod intendat obſequia ſponſæ ideſt tota obſequia Eccleſiæ Catholicæ, vt dicat cum Apoſtolo. Inſtantia mea quotidiana,
2. Corinth. cap. 2. g. ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Sollicitabatur enim quotidie Apoſtolus circa ea quæ inſtabant, & circa ea quæ poterant inſurgere de quibuſcunque Eccleſijs; vel ad hæc potiſſimè inſtabat, & laborabat Apoſtolus, vt ſollicitationem circa omnes Eccleſias haberet. Papa ergo ſic mancipatus, ſic dedicatus, ſic in ſeruitutem redactus, vt ſit ſponſus Eccleſiæ, vt intendat circa obſequia Eccleſiæ, non videtur, quod poſſit ab iſta ſeruitute ſeipſum abſoluere. Sciendum ergo, quod, vt ſupra tetigimus, Epiſcopus poteſt dici ſponſus Eccleſiæ tripliciter : vel quantum ad potentiam, quia poteſt facere opera ſpiritualis coniugij : vel quantum ad vſum potentiæ, quia facit huiuſmodi opera : vel quantum ad iuriſdictionem, quia rite & debite facit huiuſmodi opera. Quantum eſt ad ipſam potentiam, certum eſt, quod Epiſcopus dedicatur, & mancipatur diuinis obſequijs, a qua dedicatione & mancipatione non poteſt abſolui. Inde autem eſt, quod quilibet character & perfectio characteris quid indelebile dicitur, quia in impreſſione cuiuslibet characteris, & etiam perfectionis eiuſdẽ efficitur quis ſeruus Chriſti, vt extunc ſit regeneratus ſpiritualiter, & habeat ſpirituale eſſe, & ſit aſcriptus in numero fidelium, & ex tunc denominatur a Chriſto, cuius ſeruus factus eſt, & vocatur Chriſtianus. In charactere vero, qui imprimitur in confirmatione, efficitur quis vlteriori modo ſeruus Chriſti, vt non ſolum ſit chriſtianus, & habeat ſpirituale eſſe, ſed etiam vt poſſit ſpiritualiter reſiſtere, & audacter nomen Chriſti confiteri. Per illos autem ſeptem ordines efficitur quis vlteriori modo ſeruus Chriſti, quia dedicatur & mancipatur diuinis obſequijs, vt poſſit non ſolum ſpiritualiter reſiſtere, ſed etiam poſſit ſpiritualia miniſtrare, & circa ſpiritualia ſe exercere. In ordine quidem Epiſcopali, vbi imprimitur perfectio characteris, perfectè quis dedicatur obſequijs Eccleſiæ, vt ex tunc dicatur ſponſus Eccleſiæ, & poſſit agere opera ſpiritualis coniugij. Quantum ergo ad hanc potentiam, quæ fundatur in charactere, vel in perfectione characteris, per quam Epiſcopus poteſt agere opera ſpiritualis coniugij : & etiam quantum ad vſum iſtius potentiæ, indiſſolubile eſt coniugium inter Epiſcopum, & Eccleſiam : & quantum ad hoc dicitur eſſe dedicatus, vel mancipatus Eccleſiæ obſequijs. Sed quantum ad iuriſdictionem non eſt indiſſolubile huiuſmodi coniugium · immo, ſi bene aduertimus, non eſt ibi dedicatio quantum ad ſuſceptionem iuriſdictionis : quia datur talis iuriſdictio abſq; eo quod imprimatur ibi character, vel perfectio characteris.

Nam electus in Papam, ſi aſſentiat electioni, dato quòd non ſit Sacerdos, & dato quòd non habeat characterem Sacerdotalem, nec perfectionem illius characteris, plenam iuriſdictionem habebit. Cum ergo arguitur, quod per legem diuinam eſt Papa ſubiectus legi ſponſæ. Dicimus, quod dedicatus in Epiſcopum, & factus ſponſus Eccleſiæ ſecundum diuinam legem, ſemper erit ſponſus Eccleſiæ quantum ad dedicationem : ſed non oportet, quòd ſit ſemper ſponſus Eccleſiæ quantum ad iuriſdictionem. Eſſet enim iniqua illa lex diuina, ſi Papa videns ſe inſufficientem ad exercendum iuriſdictionem ſibi commiſſam, ſi Deus ſtatuiſſet legem vel ordinaſſet, quod non poſſet illi iuriſdictioni cedere, quia langueretur ſub ipſo commune bonum. Igitur ſi hæc ratio innitatur obligationi per mancipationem; & ſi hæc mancipatio accipiatur ſecundum ipſam dedicationem, & ſecundum perfectionem characteris, certum eſt, quòd talis mancipatio non poteſt tolli : ſed ſi capiatur huiuſmodi mancipatio quantum ad iuriſdictionem, quæ non innititur rei indelebili, quia nec innititur characteri, nec perfectioni characteris, tolli poterit. Iuriſdictio igitur poterit tolli, & poterit deſinere in aliquo, quæ non innititur rei indelebili, cum non innitatur nec characteri nec perfectioni characteris. Et ſi dicatur, quod ipſe in hoc conſenſit, vel votum commiſit, vel iuramentum præſtitit, quod eſſet ſubiectus legi ſponſæ, & quod haberet curam de vniuerſali Eccleſia, & quòd eſſet ſerus ſeruorum Dei : omnia talia intelligenda ſunt quamdiu vult tale officium retinere, & vult eſſe ſub huiuſmodi onere: quamdiu enim vult hoc & quamdiu vult habere huiuſmodi iuriſdictionem; tandiu obligabitur ad talem curam habendã : ſed ſi velit renuntiare, & velit onus deponere, ceſſabit obligatio, & remanebit coniu-

gium

gium quantum ad ea quæ ſunt ordinis, non quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis: tolletur onus iuriſdictionis, & remanebit honor Epiſcopalis. Erit quidem Epiſcopali dignitate præditus, nullius tamen Eccleſiæ erit Epiſcopus, quod ſecundum iura fieri poteſt, vt patet in Decretali illa: Inter corporalia.

De tranſlatione Epiſcopi. & fuerunt verba Inn. 3. lib. 1. epi. 519.

Quod ergo dicebatur de promiſſione, vel voto ſeu de iuramento, quia ſequentes rationes hoc ſpecialiter tangunt, ideo omnia hæc in ſuis locis clarius diſſoluemus: ſufficiat autem nunc ſcire, quæ eſt illa lex ſponſæ, quæ eſt perpetua, & quæ non perpetua. Ex his autem patere poteſt, quod præfata ratio non concludit: nam cum papatus non ſolum dicat ea quæ ſunt ordinis, ſed etiam ea quæ ſunt iuriſdictionis, quia tunc quilibet Epiſcopus eſſet Papa, cum quilibet Epiſcopus habeat omnia quæ ſunt ordinis, ſi Papa renuntiet, non vlterius erit Papa: nam quantumcunque ſummus Pontifex ſecundum diuinam legem ſe ſubiecit legi ſponſæ, tamen per diuinam legem non oportet eum perpetuari ſub lege ſponſæ quantum ad ea quę ſunt iuriſdictionis. Non ergo concludit ratio, quòd ſi renuntiet, quod remaneat ſummus Pontifex, ſed ſolum quod remaneat Pontifex, id eſt quod remaneat Epiſcopali dignitate præditus: nullam tamen habebit iuriſdictionem, nec erit alicuius Eccleſiæ Epiſcopus, ſed dicetur ſponſus Eccleſiæ, quia ſecundum formam & ritum Eccleſiæ poteſt ea quæ ſunt ordinis conferre. Si quis tamen vellet appellare ſummum Pontificem quemlibet Epiſcopali dignitate præditum, vel quemlibet conſecratum in Epiſcopum, quia conſecratio eſt perpetua, & nunquam conſecratus in Epiſcopum, eſt iterum conſecrandus, non diſcordaret a nobis quantum ad mentem & quantum ad intentionem, ſed quantum ad verba: non enim negamus, quod Papæ cedenti non remaneant omnia quæ prius habebat quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed dicimus, quod non remanent ſibi quæ ſunt iuriſdictionis. Verum quia intellectus hominis non quieſcit, & aduerſarij noſtri forte libenter cum proprio baculo nos verberarent, dicent: Quare poſſunt tolli quæ ſunt iuriſdictionis, non autem quæ ſunt ordinis? nonne illud eſt fundamentum noſtrum generale, quod per eadem contrario modo facta, res conſtruitur, & deſtruitur? ſicut ergo per idem contrario factum, vt per aſſenſum Papæ electioni de ſe factæ, & per eius aſſenſum vt renunciet ſuo iuri, fit Papa, & deſinit eſſe Papa: ergo a ſimili, ſi aliqua fiant, potiſſimè ea quæ ſunt ordinis. Sed de hoc, in capitulo. 16. in ſolutione illius rationis, quòd nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem tolli poteſt, diffuſius intendimus pertractare.

* * * * *

CAP. XIII.

In quo ſoluitur ratio ſeptima arguens, quòd per votum, quod Papa commiſit de cura habenda de grege Dominico, non poteſt renuntiare, nec ſeipſum deponere.

SOluta ratione ſexta, quæ fundabatur ſuper obligatione Papali, & ſpecialiter fundabatur ſuper lege diuina, per quam Papa obligatur, & ſubditur legi ſponſæ, volumus ſoluere alias ſequentes quatuor rationes, quæ quamuis aliter & aliter procedant, ex papali tamen obligatione vnum accipiunt fundamentum. Et primo ſoluemus rationem ſeptimam de voto, quæ ſic arguebat: Quòd nullus poteſt ſoluere votum alicuius, niſi ille, qui eſt ſupra votum: ſed papatus, vt dicunt, eſt quoddam votum maximum, quia ſuper omnia vota, quia Papa de facto, vt aiunt, vouet ipſi Deo, quod curam habebit vniuerſaliter gregis ſui totius, id eſt vniuerſalis Eccleſiæ, & quòd de ipſis reddet Deo in die iudicij rationem: ſolus ergo Deus poteſt Papam ab hoc voto ſoluere: non ergo, vt concludunt, poteſt Papa renuntiare. Volunt itaque iſti, quod Papa de neceſſitate habebit curam gregis ſibi commiſſi, vt non poſſit deponere aſſumptum onus. Diſtinguemus ergo de neceſſitate, dicentes, quod duplex eſt neceſſitas, conſequentiæ, & conſequentis. Aliud eſt enim, quòd ipſa conſequentia ſit neceſſaria, & aliud, quòd partes conſequentiæ, cuiuſmodi ſunt Antecedens, & Conſequens, ſint neceſſariæ: Iſta eſt enim conſequentia neceſſaria, quòd ſi currit, mouetur: & quod quandiu currit, mouetur: partes tamen iſtius conſequentiæ non ſunt neceſſariæ, quia nec eſt neceſſarium, quòd quis currat: nec eſt neceſſarium, quod moueatur. Sic hæc eſt conſequentia neceſſaria, quod ſi eſt Papa, tenetur habere curam de grege ſuo: partes tamen iſtius conſequentiæ non ſunt neceſſariæ, quia poteſt cedere Papatui, cui cedendo, non tenebitur curam illam habere, ad quam obligabatur, dum erat Papa, & antequam cederet. Sed dices, ipſe commiſit votum, propter quod oportet, quòd ſit quid perpetuum.

Dicemus ergo, quod in voto & in iuramento, & in cæteris talibus, conditio bona & debita, etiam non appoſita, intelligitur, quia votum non eſt aliud, niſi quædam ſpontanea promiſſio facta de his, quæ ſunt Dei, vt ait Magiſter 4. ſententiarum. Si ergo Papa commiſit votum, vel fecit promiſſionem, quòd curam haberet vniuerſalem ſui gregis, ſubintelligendum eſt quamdiu erit Papa, vel quamdiu huiuſmodi officium retinebit. Sicut & illi, qui fiunt Rectores ciuitatis, iurant tenere ſtatuta illarum ciuitatum, & ſeruare in bono ſtatu: ſed omnia hæc intelligenda ſunt, quandiu durat eorum officium. Quòd ſi tamen expreſsè emitteret votum, quod quandiu viueret, & quocunque caſu contingente, ipſe habe-

habebit curam vniuerſalis Eccleſiæ, & retinebit ſibi officium, & uullo modo renuntiabit poteſtati papali, eſſet votum illicitum: quia ſi acciderer ſibi grauis infirmitas, ita vt alienaretur à mente, vt non poſſet Dei Eccleſiam debitè gubernare, vel aliqua alia huiuſmodi, conſtat, quod bene faceret, ſi tenuntiaret: & contra bonnm commune ageret, ſi papale officium retineret.

Si quis enim promittit virginitatem, vel promittit obedientiam, quia hæc, eo modo quo ſeruanda ſunt, non poſſunt militare contra bonum publicum, ideo talia vota poſſunt eſſe perpetua: ſed emittens votum, quòd habebit curam de vniuerſali bono,& de tam vniuerſali bono, ſicut eſt tota vniuerſalis Eccleſia, ſi videat ſe inſufficientem, & manifeſtè cernat bonum publicum ſub ipſo languere, maleſaceret, ſi tale votum ſeruaret, & illicitum fuiſſet tale votum emittere, per quod exponeretur periculo commune bonum. Ideo Can.22.q.4.c.
Ex Concil. Tol.8.can.2 Si publicis, dicitur, qnòd Tollerabilins eſt ſtultæ promiſſionis vota reijcere, quàm per inutilium promiſſorum cuſtodiam, exhortendam criminum adimplere menſuram. Quid autem magis horrendum, quàm periculo exponere, & male gubernare totam vniuerſalem Eccleſiam? Eadem etiam cauſa & quæſtione ſcribitur quod ait Iſidorus, In male promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. Et quia quod fit ſapienri conſilio, dicendum eſt, quòd debito modo ſit factum, ſi Papa vouet ſe talem curam habere, intelligendum eſt, quandiu tale officium retinebit: vel aliter non eſſet rectum votum: & idem eſſet iudicium de huiuſmodi voto, ſicut de alijs votis non debitè factis.

C A P. XIV.

Vbi ſoluitur ratio octaua arguens, quod quia nullus poteſt ſeipſum abſoluere, ideo Papa non poteſt ſeipſum renuntiare.

VOlumus autem in hoc cap. ſoluere rationem octauam, quæ etiam erat ſundata ſuper obligatione papali, vbi dicitur, quòd non videtur quòd aliquis poſſit ſeipſum abſoluere: & ex hoc volunt concludere, quòd Papa rennnciàre non poteſt. Sed quæramus à ſic arguentibus, de qua abſolutione loquuntur: quia ſi loquuntur de abſolutione facta ex eo quod quis rebns mancipatur diuinis, quod fit, cum quis ſuſcipit characterem ſaur perfectionem characteris: ſed tunc eſſet hæc ratio eadem cum ratione ſexta. Si autem hoc intelligatur de abſolutione, prout quis ſe obligauit per votum, eſſet eadem cum ratione ſeptima: & vt non oporteat nos per omnia diſcurrere, dicemus quod non poterimus huic rationi dare proprium fundamentum, niſi intelligatur de abſolutione, prout quis ligatus eſt per peccatum, ſiue per culpam. Arguatur ergo ſic, Si Papa poteſt ſeipſum deponere, & poteſt ſeipſum abſoluere à papatu, videretur, quòd poteſt ſeipſum abſoluere à culpa,& poſſet ſibi ipſi confiteri. Sicut ergo in ſoro pœnitentiali alius eſt qui abſoluit, & alius eſt qui abſoluitur, ita quod idem non agit in ſeipſum: ita videtur quòd in omni foro, & in omni abſolutione, alius ſit abſoluens, & alius qui abſoluitur, vt idem ſeipſum non poteſt abſoluere.

Ad hanc autem obiectionem poſſumus tripliciter reſpondere: Primo quidem, ſi conſideramus quid eſt eulpa, & quid eſt peccatum, quia culpa & peccatum non ſunt effectus, ſed defectus. Secundo poſſumus præfatam rationem diſſoluere, ſi conſideramus quomodo ſit abſolutio à culpa, quia fit per ſacramentum pœnitentiæ. Tertio, hoc idem poſſumus, ſi aduertimus, qnare tenemur, & quare obligamur ad illud ſacramentum. Propter primum Cap. 7. ſciendum, quod ſecundum Auguſtinum lib. 12 de Ciuitate Dei, Peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem. Et quia ſicut loquimur de cauſa, ita loqui debemus de eo quod habet eſſe per illam cauſam: ſicut peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, ſic ipſum peccatum nec eſt effectus, ſed defectus. Abſolui ergo à culpa vel à peccato, non eſt abſolui ab effectu, ſed defectu: propter quod ſic abſolni, non eſt deficere, ſed proficere: ille enim qui abſoluitur à defectu, tollitur ab eo quod non ſit deficiens, & tribuitur ei quòd ſit proficiens: ſic ergo abſolui non eſt deſcendere, ſed aſcendere. Sed ille, qui ſe deponit à papatu, facit ſeipſum inferiorem: quia cathedra Prælatorum tenet ſupremum locum in Eccleſia Dei; & inter Prælatos Romanus Pontifex.

Loquendo ergo de altitudine ſtatus, multum deſcendit qui papatum renuntiat. Cum ergo in abſolutione à culpa quis aſcendat, in hac abſolutione quis deſcendat, quis eſſet tantæ ruditatis, quod diceret, Si quis non poteſt per ſeipſum aſcendere, quòd non poſſit per ſeipſum deſcendere. Non ergo valet, ſi quis non poteſt ſeipſum abſoluere à culpa, quod non poſſit ſeipſum deponere à papatu. Quòd ſi ſic arguentes volunt inniti huic fundamento, quòd nullus poteſt ſeipſum abſoluere, quia nullus poteſt in ſeiqſum agere, eo quod agens & actum mouens & motum ſint diſtincta loco & ſubiecto (loquendo de accidente & paſſione, quæ in iſtis corporalibus reperiuntur, prout vnum corpus agit in aliud vel mouet aliud) plana eſſet huinſmodi ſolutio, & modici eſt ponderis quod dicitur.

Reſpondetur quidem, quod non ſit iſta abſolutio per modum actionis, ſed per modum ceſſionis: & quia quilibet poteſt cedere iuri ſuo, propterea ſi Papa ſolum cedat iuri ſuo, & renuntiet iuri ſuo, ſe deponit à papatu: licet hoc non ſit in alijs Prælatis, qui ſunt ſuis ſuperioribus obligati, & ab eis confirmati. Ideo Papa poteſt renuntiare, & poteſt ſe deponere, vt hæc omnia ſunt ſuperius diffuſius pertractata. Secundo, poſſumus hanc obiectionem ſoluere, ſi conſideramus ſacramentum pœnitentiæ, per quod ſit abſolutio à culpa: omnia enim quæ ſinnt per ſacramenta Eccleſiæ, oportet, quòd fiant eo modo, quo requirunt ſacramenta: nam poteſtatem excellentiæ circa ſacramenta Chriſtus ſibi reſeruauit, & nulli hoc conceſſit. Vnde & Magiſter quarto ſententiarum, loquens de poteſtate Diſtinct.5. baptiſmi ſiue de poteſtate ſacramentorum, ait, Aliquam poteſtatem ſibi Chriſtus reſeruauit. Quod Magiſter exponit de poteſtate excellentiæ,

tiæ, quam dicunt conſiſtere in tribus. Primo, quia merito paſſionis Chriſti habuerunt efficaciam ſacramenta: ideo dicit Gloſ. ad Rom. 5. Quòd ex latere Chriſti profluxerunt ſacramenta Eccleſiæ. Secunda poteſtas excellentiæ eſt, quòd Chriſtus poterat dare effectum ſacramenti ſine ſacramento. Tertia quidem erat, quia iu nomine Chriſti conferebatur ſacrificium, ideo dicebat Apoſtolus, Nunquid Paulus crucifixus eſt pro nobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Paulus enim non erat crucifixus pro eis, quia à paſſione Pauli non habebant efficaciam ſacramenta: nec in nomine Pauli baptizati erant, quia in nomine Pauli non conferebantur ſacramenta: & baptizati non debebant dicere ſacramentum huiuſmodi eſſe Pauli neque Cephæ, ſiue Petri: quia nec Paulus, nec Petrus fuerunt inſtitutores ſacramentorum, quòd poſſint ſine ſacramento dare effectum ſacramenti. Cum ergo abſolutio à culpa reſpiciebat ſacramentum pœnitentiæ, & hoc Chriſtus ſibi reſeruauit, quod nullus poſſit ſine ſacramento dare effectum pœnitentiæ, quicunque vult abſolui à culpa, oportet quòd hoc fiat per ſacramentum pœnitentiæ, & oportet quòd ſic abſolutus ſubdat ſe alij vel in re vel in voto, prout requirit huiuſmodi ſacramentum. Sed ceſſio Papæ non reſpicit niſi ſolam iuriſdictionem, cui renuntiando dicitur renuntiare Papatui.

Super illud, Qui eſt forma futuri.

1. cor. c. 1. c.

Non ergo eſt ſimile de his, quæ reſpiciunt ſacramenta Eccleſiæ: & de his, quæ non reſpiciunt huiuſmodi ſacramenta: ſed ſolum reſpiciunt Ius aliquod acquiſitum, cui poteſt quis cedere, quando placet; ſed videat, vt ſupra diximus, quo animo cedat, quia poteſt cedendo mereri, & poteſt cedendo peccare. Tertio, poſſumus præfatæ rationi reſpondere, ſi conſideramus quantum tenemur, & quantum obligamur, vt confiteamur alijs. Nam ad hoc obligamur ex mandato Domini, qui Lucæ cap. 17. dixit leproſis, per quos intelliguntur peccatores, quoòd oſtenderent ſe ſacerdotibus. Et Iacobi 5. dicitur, Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra. Si ergo volumus facere ſimile de abſolutione à culpa, & de abſolutione à papatu, dicemus quod homo ſeipſum quodammodo abſoluit à culpa, quia in ſola contritione dimittuntur peccata, & contritio nihil eſt aliud quam dolor de peccato. Ergo per idem aliter & aliter factum homo peccat, & abſoluitur à peccato: nam ſi aſſentiat prauæ delectationi, & delectetur in rebus peſſimis, incurrit peccatum; ſi aſſentiat dolori, & doleat de commiſſis, abſoluitur à peccato. Verumtamen iſtud dolere, & iſtud conteri non eſt à nobis, ſed à Deo: quia omnia opera noſtra operatus eſt Dominus, ipſe enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Sic etiam & in propoſito, ſi iſte, qui non eſt ſufficiens ad gubernandam Eccleſiam, renuntiet omnino, autumare debemus, quod inſtinctu diuino hoc ſit, & quòd diuino opere hoc perficiatur.

Eſai. c. 26. b.

Philipp. cap 2. b.

Ergo ſi volumus accipere ſimilem de abſolutione à culpa, & à Papatu, dicemus, quod ratio eſt pro nobis, non contra nos: nam eo quo adiutores Dei ſumus, per idem contrario modo factum, vt aſſentiendo electioni & aſſentiendo dolori, incurrimus prædictum, & abſoluimus à peccato, & per idem contrario modo factum poſſumus habere gratiam, & perdere gratiam: ſic & in Papatu, per idem contrario modo factum, vt quod iſte aſſentiat electioni, & aſſentiat renuntiationi, & renuntiet, erit Papa, & deſinet eſſe Papa. Sed dices, quare ergo tenemur alteri confiteri, vt per alterum abſolutionem habeamus? Dicemus, quòd hoc eſt ex mandato Domini: abſolutionem tamen poſſumus conſequi etiam antequam confiteamur, iuxta illud Pſalm. Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et quando Dominus mandauit leproſis, vt oſtenderent ſe ſacerdotibus, dum irent, mundati ſunt. Mandauit ergo Dominus, quòd oſtenderemus nos ſacerdotibus, & quod conſequeremur abſolutionem per alium: & quia hoc mandauit, tenemur hoc facere. Si autem hoc non mandaſſet, in ſola contritione dimitterentur peccata: & ex eodem contrario quod facto eſſemus obligati Deo ratione peccati commiſſi, & eſſemus abſoluti ratione contrictionis, & doloris ſuſcepti. Sed cum Deus nunquam mandauerit, quod Papa non renunciaret, & ſic ſe habentibus conditionibus, non potuerit hoc mandare, quia fuiſſet iniquum mandatum: ideo licet abſolutio pœnitentiæ debeat fieri per alium ratione mandati diuini, abſolutio tamen à Papatu, eo quod non interuenerit mandatum dominicum, non oportet quod fiat per alium, ſed per aſſenſum, & diſſenſum: vel per aſſenſum, & renunciationem fiet Papa, & deſinet eſſe.

Pſal. 31.

Luc. cap. 5.

CAP. XV.

In quo ſoluitur ratio nona arguens, quod quia nullus poteſt abſolui ab obligatione, quam Deo fecit, niſi per ſuum Superiorem, ideo Papa non poteſt ſeipſum deponere.

DEcreuimus autem in hoc cap ſoluere rationem nonam, quæ etiam fundatur ſuper obligatione Papali. Dicit autem præfata ratio, quod Papalis obligatio non videtur poſſe tolli, niſi per maiorem poteſtatem, quam ſit poteſtas papalis: ſed nulla poteſtas creata maior eſt quam papalis, ergo qui ſemel eſt Papa, ſemper erit Papa, niſi à Deo tollatur ſibi papalis poteſtas. Dici ergo poteſt, quod ſi ſic arguentes volunt loqui de eo quod tollitur ab aliquo violenter, vel loqui volunt de amotione prout quis iudicatur, & amouetur à ſuo maiori, prout videntur ſonare verba rationis præfatæ: cum Papa non habeat maiorem niſi Deum, ſecundum hunc modum à ſolo Deo poterit iudicari. Nam electio Papalis licet fiat à Cardinalibus, electio tamen ſeu amotio eſt tantum diuino Iudicio reſeruata, ſecundum quod habetur diſt. 79. cap. Si tranſitus. Vbi dicitur, quod electio ſummorum Pontificum à Cardinalibus, & Religioſis Clericis debet fieri: eiectio verò eorum eſt diuino Iudicio reſeruata. Et diſt. eadem, cap. Eiectionem. Eiectionem verò Summorum Pontificum ſibi Dominus reſeruauit

S. Sicut ſup.

Anacletus epiſtol. 1. ad Epiſcopos Italiæ.

uauit, licet electionem eorum bonis Sacerdo-
ribus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet:
ſed omnia hæc intelligenda ſunt de eiectione,
uel amotione inuoluntaria, quia inuitè non
poteſt deponi ab aliquo, niſi per hæreſim tan-
tum; nam ſecundum antiqua iura, etiam in-
feriores Prælati non poterant deponi inuitè.
Ecce his. Ideò Cap. 7. q. 1. c. ſicut vit. dicitur, quod
ſi quis ſenectute, vel iuſirmitate grauatus ſu-
ſceptum officium miniſtrare non valet, ſi ali-
um ſibi ſubſtitui petierit, rationabiliter fieri
poteſt. Et ibidem ſubditur, quod eo ideſt Epi-
ſcopo petitionem ſcripto dante, quod vult ce-
dere, cedendum eſt, ideſt concedendum eſt,
Gregorius lib 9. epiſt. 41. quod cedat. Et ſubdit Summus Pontifex,
Aliter id facere non valemus. Dicit ergo Pa-
pa, quod nec pro infirmitate, nec pro ſene-
ctute poteſt Epiſcopum deponere, niſi ipſe
petierit depoſitionem, cum tamen per infir-
mitatem poteſt quis demens fieri, & per ni-
miam ſenectutem poteſt quis omnino eſſe ine-
ptus ad paſtorale officium exercendum; ſed
dicit Papa ſe hoc non poſſe, quia forte non
poterat ſecundum ſcripta iura, poterat ta-
men de plenitudine poteſtatis, quæ eſt ſupra
iura, & per quam conduntur iura.

Si ergo in inferioribus Prælatis non eſt
hoc ſic indifferenter agendum, vt inuitè re-
moueantur, dicemus, quod in ſummo Ponti-
ſice, qui nullum habet ſuperiorem, nullo mo
do eſt hoc faciendum, & nullo modo poteſt
niſi à ſolo Deo inuitè remoueri. Verum quia
ratio plus concludit, quia loquitur de amotio-
ne, & abſolutione obligationis: quia non vi-
detur quod cum quis eſt obligatus, & maxime
ſi eſt obligatus Deo, quod poſſit abſolui ab
huiuſmodi obligatione, niſi à ſuo Superiori,
vel à Deo qui eſt ſuper omnes. Ideò dici po-
teſt de qua obligatione hic loquitur; & ſi lo-
quitur de obligatione facta per mancipatio-
nem, ſicut quis obligatus, & in ſeruitutem
redactus, & mancipatus diuinis rebus: patet,
quod de hac obligatione loquebatur ratione
ſexta. Si autem de obligatione per votum,
loquebatur de tali obligatione ratio ſeptima,
& vt non oporteat nos per omnia diſcurrere,
patet, quod ſi volumus huic rationi dare pro-
prium fundamentum, dicemus quod hæc ra-
tio fundat ſe ſuper obligatione facta per iura-
Votum. mentum, vt dicamus, quod differentia eſt
inter iuramentum, & votum: quia votum eſt
ſpontanea promiſſio facta Deo, de his, quæ
Iuramentū. ſunt Dei: ſed iurare eſt Deum in teſtem in-
uocare. Tunc ergo concurrit vtrumque quan-
do quis promittit aliquid ſe facturum, &
promiſſionem illam iuramento confirmat, &
inuocat Deum teſtem, quod ipſe obſeruabit
promiſſionem illam. Sic forte volunt dicere
aduerſarij noſtri, quod cum quis aſſentit Pa-
patui votum emittit, & promiſſionem facit,
quòd curam habebit vtilis Gregis ſibi com-
miſſi, & quod de his reddet Deo in die iudi-
cij rationem: & ad hoc votum, vel ad hanc
promiſſionem ſeruandam inuocat Deum te-
ſtem, vel cum iuramento confirmat. Ideo ar-
guunt, Cum iſta ſit tanta obligatio, quomo-
do poteſt niſi per Superiorem tolli; & cum pa-
pa non habeat ſuperiorem niſi Deum, à ſolo
Deo poterit ab hac obligatione abſolui, cui
voto, & iuramento eſt obligatus.

Sed hanc rationem nonam de obligatio-
ne per iuramentum ſoluemus; ſicut ſolui-
uimus rationem ſeptimam de obligatione
per votum. Nam non ſolum in voto, ſed eti-
am in iuramento conditio bona, & debita
non appoſita intelligitur: propter quod ſi
Papa vouet habere curam de vniuerſali grege,
& illud iuramento firmat, oportet, quod
hoc intelligatur quamdiu tale officium reti-
nebit: quia ſi vellet ſic ſe obligare, & vellet
hoc per iuramentum firmare, & huiuſmodi
votum, & iuramentum vellemus intelligere
ſimpliciter obligaret ſe ad impoſſibile, quia
etiam viuens poteſt ſic demens fieri, quod
non poſſit curam habere de grege: vel obliga-
ret ſe ad aliquod iniquum, & iniuſtum, quia
ſi aſſumptus in Papam proceſſu temporis co-
gnoſceret inſufficientiam ſuam, iniquus, &
iniuſtus eſſet, ſi vellet huiuſmodi officium re-
tinere; cum manifeſtè cognoſceret, quod non
poſſet præfatum officium debite exercere. Eſ-
ſet ergo iuramentum illud illicitum, & per
conſequens non eſſet obſeruandum.

Nam libro Iudicum legitur, quod Iephte
Cap. ij c. occidit filiam ſuam per iuramentum, quod
emiſit: votum enim vouerat Domino, dicens,
Si tradidero Ammon in manus meas: quicun-
que primus fuerit egreſſus de foribus domus
meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pa-
ce à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram
Domino. De quo iuramento ait Magiſter in
Petrus Comeſt. auctoritate Ioſephi lib. 5. cap 12. Antiq. Iudaicarum. hiſtorijs, quod Iephte fuit in vouendo ſtul-
tus, & in ſoluendo impius. Et Dauid (vt ha-
betur 1. Regum 25.) iurauit, quòd de om-
nibus, quæ pertinebant ad Nabal, non relin-
queret vſque mane mingentem ad parietem.
Impiè autem iurauit: & pie fecit, quod iura-
mentum non ſoluens, effuſionem ſanguinis
non impleuit. Debemus igitur iuramento da-
re bonos comites, quia debemus ei dare om-
nes illas conditiones, ſine quibus poſſent im-
piè, & iniuſtè iuramenta ſeruari.

Et quia impie, & iniuſtè ſeruaretur iu-
ramentum, ſi quocunque caſu interueniente,
& quacunque conſcentia vrgente, vellet quis
dum viueret habere curam vniuerſalis Eccle-
ſiæ, oportet, ſi quę vota, vel iuramenta fa-
cit Papa de habendo curam vniuerſalis Gre-
gis, quod huiuſmodi iuramenta, & vota ha-
beant comitem, & intelligenda ſint cum hac
conditione, quod ipſe hæc faciet, cum habe-
bit talem curam, & quamdiu Papale officium
retinebit.

CAP. XVI.

In quo ſoluitur ratio decima arguens, quod quia dignitas Eccleſiaſtica poſt confirmationem legitimam non poteſt tolli, niſi per ſuum ſuperiorem, ideò Papa renuntiare non poteſt.

IVxta ordinem ſuperius prætaxatum volu-
mus in hoc 16. cap. ſoluere decimam ra-
tionem, quæ etiam fundata eſt ſuper obliga-
tione papali. Sed vt patet, hæc ratio decima
ſatis ſuum. ſpecificat fundamentum de qua
obligatione loquatur: loquitur enim non de
obli-

Digitized by Google

gatione ordinis aſſumpti, per quem quis dedicatur diuinis rebus, & diuinis obſequijs, ſed de obligatione ſuſceptæ iuriſdictionis, per quam quis obligatur ad habendam curam de animabus ſibi commiſſis. Ait enim præfata ratio, quod nulla dignitas eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem poteſt tolli, niſi per eius ſuperiorem: & quia Papa non habet ſuperiorem niſi Deum, ideò ab hac obligatione à ſolo Deo abſolui poterit. Verum quia in 12. cap. diximus, quòd volebamus reddere rationem, & cauſam, Quare tolli poſſunt quæ ſunt iuriſdictionis, & non quæ ſunt ordinis, ideò hoc capitulum diuidemus in duas partes: in prima enim parte lucide declarabitur quod dictum eſt, in ſecunda verò diſſoluemus præfatam decimam rationem: nam ex declaratione præfata hæc ratio decima, quæ fundat ſe ſupra iuriſdictione ſuſcepta, & plures aliæ rationes clarius diſſoluentur.

Aduertendum ergo, quod, vt ſupra tetigimus, aliquando quidquid non eſt expreſſum, vel expreſſe conceſſum, eſt potentiæ ſuperiori reſeruatum; aliquando verò quidquid non eſt prohibitum eſt conceſſum. Dicebamus quidem, quod, quando id de quo agitur eſt ſupra naturam negotij, ſupra conditionem rei, & ſupra actionem agentis, in talibus ſolum illa fieri poſſunt, quæ ſunt conceſſa, vel quæ ſunt per ſuperiorem potentiam ordinata. In talibus quidem non valet, ſi poſſunt agere, quod contrario modo ſe habentia poſſint deſtruere: quia ſicut non poſſunt ex ſua natura agere, ſed poſſunt, quia tolleratum eſt eis ex ſuperiori potentia, ita in contrario modo ſe habentia non poterunt per ſeipſa deſtruere, niſi hoc eis expreſſe per ſuperiorem potentiam conferantur.

Ideò ponebatur exemplum de Metropolitano, quod non valebat, ſi poterat electionem Epiſcopi confirmare, quod poſſet eius ceſſionem recipere: quia ſtatuere qualiter debeat fieri electio Prælatorum, qualiter confirmatio, qualiter ceſſio, & alia huiuſmodi ordinare, quæ reſpiciunt vniuerſalem Eccleſiam, quæ tota Eccleſia regenda eſt per prælatos, ad ſolum illum hæc omnia pertinent, qui præeſt vniuerſali Eccleſiæ, cuiuſmodi eſt Romanus Pontifex. Propter quod, vt dicebatur, in omnibus talibus, quæcumque non ſunt expreſſe conceſſa, ſunt prohibita, vel ſunt ſuperiori potentiæ reſeruata. Et quia conceſſit Rom. Pontif. quod Metropolitanus poſſe electum Epiſcopum confirmare, non autem conceſſit, quod poſſet eius conceſſionem ſuſcipere, ideò illud poteſt, & non aliud.

Ex his autem habemus viam ad aſsignandam rationem, & cauſam, Quare quæ ſunt iuriſdictionis poſſunt tolli, non autem quæ ſunt ordinis. Namque vnus homo ſit ſub (Iuriſdictio pur poteſt tolli.) alio, & quod populus, & multitudo aliqua ſit ſub aliquo capite, hoc eſt quaſi naturale: iſtud non excedit naturam negotij, nec eſt ſupra conditionem rerum, nec ſupra actionem agentium. Ideò in talibus eo modo quo habent fieri, eo modo poſſunt diſſolui, conditionibus contrariè ſe habentibus: nec oportet, quòd tot concurrant ad deſtruendum, quot ad conſtruendum.

Attamen quando in talibus omnia, quæ concurrunt ad conſtruendum, concurrunt etiam ad deſtruendum, nullus dubitare debet, illud eſſe deſtructum. Sed dices, Ad hoc quod aliquis ſit Epiſcopus alicuius eccleſiæ, concurrunt tria ſcilicet aſſenſus eligentium, aſſenſus electi, & confirmatio Metropolitani: dato tamen quod omnia iſta, quæ concurrunt ad conſtruendum, contrario modo ſe habentia concurrerent ad deſtruendum, non propter hoc fieret, quod iſte non eſſet Epiſcopus. Cui obiectioni reſpondebimus. quod ad hoc quod aliquis ſit Epiſcopus alicuis Eccleſiæ, concurrunt quatuor, videlicet, præfata tria, & quarto concurrit ibi, ordinatio Papæ, quod ſcilicet ordinet Metropolitano quod electum Epiſcopum poſſit confirmare. Si ergo ad ceſsionem concurreret etiam iſtud quartum, quod ſcilicet ordinaſſet Papa quod Metropolitanus poſſet recipere Epiſcopi ceſsionem, poſſet in manibus Metropolitani Epiſcopus cedere.

Reuertamur ergo ad propoſitum, & dicamus, quod non eſt ſupra naturam negotij, nec ſupra conditionem rerum, quod homines hominibus præferuntur: immò eſt naturale, quod qui ſunt potentiores in intellectu, & magis vigent induſtria, illi præſint. Et ideò videmus, quod homines naturaliter præſunt beſtijs, viri fæminis, ſenes pueris. Quod totum ideo eſt, quia hi magis vigent induſtria naturali; eo enim ipſo quod Deus maiorem induſtriam dedit hominibus quam beſtijs, & conſimiliter loquendo maiorem induſtriam dedit viris quam fæminis, & adultis quam pueris, ij dicuntur præeſſe, & hi ſubeſſe.

Quod autem mulieres, & pueri non ita (Cap. 8.) vigeant induſtria ſicut viri, patet, quia 1. Politicorum ſcribitur, quod mulier habet conſilium inualidum, puer autem imperfectum: inter adultos etiam aliquibus dedit Deus maiorem induſtriam, quam alijs. Ex hoc ergo voluit, quod non ſolum homines beſtijs, viri fæminis, adulti pueris præeſſent, ſed etiam voluit quod, & ipſi adulti aliquem ſuper ſe præficerent, quia vt dicitur in prouerbijs, Intelligens, gubernacula poſſidebit. (Cap. 1. 2)

Vult enim ſapiens Salomon, quod per intelligentiam homo ſic aptus ad alios gubernandum. Sed quamuis ſic requirit natura negotij, quod ſcientes melius pericula præuidere, alijs præficiantur, vt ſub eorum gubernaculo multitudo ſaluetur, oportet tamen quod hoc compleatur per conſenſum hominum. Et ſicut per conſenſum hominum perficitur, & completur, vt quis alijs præficiatur, ſic per conſenſum hominum contrario modo factum fieri poteſt, quod Præfectus cedat, vel quod etiam deponatur. Hæc ergo, quia non ſunt ſupra exigentiam rerum, nec ſupra naturam negotij, fieri, & tolli poſſunt. Hoc itaque modo ſe habet in his, quæ ſunt iuriſdictionis, vt non oporteat ipſa perpetua eſſe. Sed in his, quæ ſunt ordinis, & in omnibus, in quibus imprimitur character vel perfectio characteris, non oportet, ſi poſſunt fieri, quod poſſint tolli, quia hæc valde excedunt conditiones rerum, naturam negotiorũ, & actiones cauſarum: fiunt enim prædicta per hæc corporalia, & per verba ſenſibilia. Vnde hæc aqua quod animam mundet, & quod in ea characterem imprimat baptiſmalem? Vnde hæc chriſmati, & verbis, quæ dicuntur in confirmatione, quod imprimant charac- (Ea quæ ſunt ordinis cur non poſſint tolli.)

Digitized by Google

rem confirmationis in anima? Et vnde hæc his, quæ fiunt iu ordinibus, quod poſsinr characterē imprimere in animabus ſuſcipientibus ordines? Et vnde hæc his, quæ fiuut in conſecrarioue Epiſcopi, quod poſsint imprimere perfectionem characteris? Patere enim debet cuilibet intuenti, quod quæcumque ſunt ordinis, & quæcumque reſpiciunt characterem (cum talia fiant per res naturales, & per verba ſenſibilia) quod talia ſunt ſupra actionem talium cauſarum, & ſupra naturam talium rerum: ideo in talibus quidquid non eſt collatum eſt ſuperiori potentiæ reſeruatum, & quidquid non eſt expreſſe conceſſum eſt prohibitum: contulit euim Deus huic rei corporali, vt elemento aquæ, quod ſi accedat verbum ad illud tale elementum, quod fiat ſacramentum, & quod ſit ibi verus baptiſmus, & verè imprimatur in anima character baptiſmalis.

Contulit ergo Deus aliquibus rebus ſenſibilibus, qnod poſsint hæc facere, ſed non videmus quod contulit aliquibus rebus ſenſibilibus, quod poſsint homini characterem tollere. Ideo dicit Auguſtinus, & habetur in quarto ſententiarum, diſt. 3. Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Et ſubditur deinde, Vnde eſt hæc tanra virtus aquę, vt corpus tangat, cor abluat. Non enim poteſt hoc habere aqua ex ſui natura, ſed hoc habet ex verbis, ex quibus eſt forma baptiſmi, & ex virtute ſibi diuinitus collata. Nam dicimus, quod ideo Chriſtus baptizari voluit, vt tactu ſuæ mundiſsimæ carnis vim generatiuam conferret aquis. Propter quod Auguſt. loquens de bapriſmo Chriſti in quodam ſermone de Epiphania, dicir, Saluator noſter baptizari voluir, non vt ſibi munditiam acquireret, ſed vt nobis fluenta mundaret. Et ſubdit, ex quo ille in aquis mergitur, ex eo omnia peccara abluir aqua. Quod ergo aqua abluat peccata, & qnod poſsit facere effectus iſtos Spirituales, vt quod poſsit characterem imprimere in anima; non habet ex natura ſua, ſed ex virtute ſibi à Chriſto collata. Et quod dictum eſt de charactere baptiſmali, etiam intelligendum eſt de charactere, & perfectione characteris quantum ad ea quæ ſunt ordinis, quia verba ſenſibilia, & alia quæ fiunt in his, quæ ſnnt ordinis, non poſſunt ex ſui natura imprimere characterem nec perfectionem characteris. Et quia hoc exeedit naturam illarum rerum, ideo qnidquid non eſt eis collatum, eſt potentiæ ſuperiori reſeruatum: & quidquid non eſt ibi conceſſum eſt prohibitū. Et quia, vt tetigimus, rebns corporalibus collatum eſt, vt poſsint imprimere ea, quæ ſunt ordinis: non autem eſt eis collatum quod poſsint ea tollere: ideo ea quæ ſunt ordinis poſsunt dari, & incipere eſſe: ſed non poſſunt deſinere eſſe. Sed ea quæ ſunt iuriſdictionis non ſunt ſupra exigenriam rerum, nec ſupra actiones cauſarum, nec ſupra actiones hominum: poſſunt autem eſſe ſupra actionem iſtius hominis, vel illius hominis: vtputa confirmare ipſum electum, vel ſuſcipere ceſſionem electi confirmati, eſt ſnpra electionem huius hominis, vtputa ſupra actionem Metropolitani, quia nihil poteſt in talibus, niſi quatenus eſt ſibi conceſſum à Romano Pontifice. Propter quòd ſi vtrumque eſt ſibi conceſſum, vtrumque poteſt: ſi neutrum, neutrum poteſt: ſi vnum & non aliud, vnum, & non aliud poteſt.

Super Ioan. Tract. 80.

De tempore, Serm. 36.

Hæc itaque, quæ ſunt iuriſdictionis, vt diximus poſſunt eſſe ſupra conditionē huius hominis, vel illius: ſed non ſunt ſupra conditionem humanam ſimpliciter. Et ideo quando ex parte hominum omnia, quæ concurrunt ad conſtruendum, contrario modo facta concurruut ad deſtruendum, quod erit conſtructum erit deſtructum, & qui erat Præfectus, non vlterius erit Præfectus, vt patuit in exemplo, quod poſuimus. Vt ſi ad hoc, quod aliquis ſit Epiſcopus alicuius Eccleſiæ, & habeat iuriſdictionem ſuper Eccleſiam illam, concurrunt quatuor, aſſenſus eligentium, aſſenſus electi, confirmatio Metropolitani, ordinatio Papæ ordinantis quòd Metropolitanus poſſit electum Epiſcopum confirmare, non oportet, ſi deſinat talem iurisdictionem habere quod concurrant omuia præfata quatuor. Sed ſi omnia præfata qnatuor concurrerint, videlicet: quod coucurrerent ibi præfata tria, & concurreret ibi quartum, videlicet, ordinatio Papu ordinautis quòd Epiſcopus confirmatus poſsit in manibus Metropolitani cedere, pater, quòd ſi capitulum vellet, quòd cederet, & epiſcopus aſsentiret, & Metropolitanus ceſsionem acceptaret, & ordinatio Papæ hoc diceret, quod hoc fieri poteſt. Quis tantæ eſſet ruditatis, quod dubitare poſset, quod ceſſio non tenet? Semper ergo ſtat regula, vt in his, quæ non ſunt ſupra naturam negotij, ſupra actiones cauſarum, cuiuſmodi ſunt quæcunque ſunt iuriſdictionis (quia ſunt ſecundum exigentiam operum humanorum) omnia, quæ requiruntur ad conſtruendum, contrario modo facta concurrant ad deſtruendum. Oportet igitur talem iuriſdictionem eſſe deſinere, & ceſſare.

Secunda pars huius Cap. In qua ſoluitur decima ratio.

POſtquam in prima parte huius eap. præmiſsimns quædam præambula, & antedicimus, quomodo quæ ſunt iuriſdictionis poſſunt tolli, non autem quæ ſunt ordinis: volumus in hac ſecunda parte iſtius cap. ſoluere præſatam rationem decimam, quæ, vt dicebatur, innitur obligationi Papali non quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis. Dicit enim prædicta rario, quod poſt legitimam confirmationem nulla eccleſiaſtica dignitas tolli poteſt, niſi per eius ſuperiorem.

Conſtat autem, quod confirmatio non dat Prælato quæ ſunt ordinis, ſed ſolum quæ ſunt iuriſdictionis. Hæc enim duo, videlicet, quæ ſunt ordinis, & quæ ſunt iuriſdictionis ſic ab inuicem ſunt diſtincta, vt vnum ſine alio eſſe poſſit. Poteſt enim quis habere quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, nihil habendo de lis quæ ſunt iuriſdictionis. Ideo dicitur in illa decretali Inter corporalia, quod poteſt quis eſſe Epiſcopali dignitate præditus, nullius tamen Eccleſiæ erit Epiſcopus. Et in eadem Decretali dicitur, quod poſt electionem, & confirmationem canonicam inter perſonas

De tranſlatione Epiſcopi, § ſicut autem Epiſcopus.

eligen-

eligentinm, & electi coniugium eſt ſpirituale contractnm, cui profecto Epiſcopalis dignitas nihil addit. Quod verum eſt quantum ad ea quæ ſnnt ordinis. Electus ergo, & confirmatus habet quæ ſunt iuriſdictionis, ſed non habet quæ ſuut ordinis. Cedens verò Pontificali oneri, & non honori, habet omnia quæ ſunr ordiuis, ſed ſecundum quod huiuſmodi nihil habet de his quæ ſunt iuriſdictionis.

Quia ergo, vt dictum eſt, confirmatio dat quæ ſunr iuriſdictionis, character autem, & perſectio characteris dant quæ ſunt ordinis, ideò hæc ratio decima, quæ loquitur de obligatione poſt legitimam confirmationem, vt

loquitur

clarè patet, non legitur de obligatione prout eſt mancipatus, & dedicatns rebus diuinis quantum ad ea quæ ſunt ordinis, ſed prout quis eſt obligatus ad habendam curam de grege quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis. Dicemus ergo, qnod hæc obiectio decima ſatis ſolui poteſt per præambula antedicta in prima perte huius cap. in qua oneroſum eſt, quod quæ ſunt ordinis ſemper manent, quæ autem ſunt iuriſdictionis tolli poſſunt. Obligatio ergo quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis ſicur humano opere cepit eſſe, ſic & humano opere tolli poteſt, cum non ſir ſupra exigentiam rerum, nec ſupra naturam negocij, nec ſupra conditiones cauſarum, quod homines hominibus præficiantur.

Eſt enim Prælatus quædam lex, & quædam regula Subditorum: non eſt eniin differentia inter Principem, & legem, niſi quod

Princeps. Lex.

lex eſt inanimatus Princeps, Princeps eſt animata lex. Sicut ergo quamdiu poſſumus facere lineam tortuoſam, tamdiu indigemus regula: ſic quamdiù poſſumus benè, & malè facere, tamdiù indigemus Legibus, & Principibus, Et quia quamdiù durat mundus, poſſumus benè, & malè facere, ideò propter directionem, & exercitationem electorum, quãdiù durabir mundus, Homines præerunt hominibus, Angeli Angelis, & Dæmones dæmonibus. Sed Angeli angelis, & Homines præerunt hominibus. vt electi dirigantur: Dæmones verò præerunt dæmonibus, vt electi exercitentur. Ordinant enim ſe Dæmones vt inter ſe inuicem magis valeant electos impugnare: per quam impugnationem electi non deprimuntur, ſed exercitantur; & ſic exercitati merentnr. Itaquæ illuditur in hoc Diabolus, quia quod procurat ad malum electorum, eſt ad bonum, & ad meritum eornm, iuxta illud Pſalmi. Draco ille quem tu formaſti ad illudendum ei.

Dæmonum rabies.
Pſal. 103.
Lib. 11.

Quod Auguſtinus ſuper Gen. ad lireram exponens, air, Illuditur Diabolus, cum de ipſius malitia Dei Eccleſiæ conſulitur: prouenit enim ad bonum electorum, quod diabolus machinatnr ad malum. Prælatio itaque quæ eſt in dæmonibus, eſt propter electorum exercitationem: ſed Prælatio, quæ eſt in Angelis, & hominibus, eſt propter electorum directionem: quamuis, quia alioquin homines Prælati, & præcipientes ſint mali, quod deberet eſſe ad bonorum directionem, eſt interdum ad eorum exercitationem.

Mali homines.

Sunt enim mali homines membra diaboli: & principatus malorum hominum eſt qnaſi principatus dæmonnm: ſecundum quem ad hanc partem ſic illnduntur mali homines, ſicut illuduntur dæmones, qnia quæ faciunt ad malum electorum, Deus conuertit illa ad exercitationem, & ad meritum eorum. Non eſt ergo ſupra naturam negotij, & ſupra exigentiam rerum, quòd quandiu durat mundus, præferantur, & principentur non ſolum homines hominibus, ſed & angeli angelis, & dæmones dæmonibus. Ideo Gloſ. ſuper 1. ad Corinth. cap. 11. ait, Dum durat mundus, angeli angelis, dæmones dæmonibus, & homiues hominibus præſunt. Sufficienter ergo poteſt ſolui

In illud, & propter Angelos.

hæc decima ratio per iam dicta: quia per præambula poſita in prima parte huius cap. & prr ea quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte iſtius cap. patet, quod quæ ſunt iuriſdictionis (quia non ſunt ſupra exigentiam rerum, ſed humano opere) ſecundum exigentiam rerum, & ſecundum naturam negorij fiunt & conferuntur. Cum ergo in tali bus per eadrm contrario modo facta res conſtruatur & deſtruatur, ſicut per conſenſum eligentium, & aſſenſum electi, quis præſectus eſt in Papam; ſic per eadem contrario modo ſe habentia deſinet eſſe Papa. Veruntamen, quia intellectus hominis non quieſcit, ſed ſemper vult ſcire, Quare, & vult cognoſcere cauſam negotij, volumus clariori modo diſſoluere præfatam decimam rationem.

Et quia præfata ratio ſe fundat ſuper electione legirimè confirmara, ideo diſtinguemus duplicem confirmationem viſibilem, & inuiſibilem: appellamus quidem confirmationem viſibilem, qnicquid ſenſibiliter cognoſci poteſt: Inuiſibilem autem confirmationem vocamus, quæ ſenſibus comprehendi non valet. Erit ergo viſibilis confirmatio, quæ fit opere humano: inuiſibilis verò, quæ fit diuino. Quantum ergo ad confirmationem viſibilem Papa confirmat ſeipſum: nam ſuus aſſenſus eſt ſua confirmatio. In alijs ergo Prælatis, quia etiam inter homines habenr ſuperiores ſeipſis, eorum coufirmatio viſibilis non eſt per ſeipſos, ſed per ſuos ſuperiores. Sed Papa, quia nullum habet ſuperiorem quantum ad confirmationrm viſibilem, quæ fit humano opere confirmatur per ſeipſum, ita quod ſuus aſſenſus eſt ſua confirmatio; nam ſtatim, cum aſſentir ſuæ electioni de ſe factæ, haber omnem papalem iuriſdictionem. Er quia iuriſdictio coufirmationi innititur, ſicut Papa ex ſuo libero aſſrnſu conſequitur plenam iuriſdictionem, ſic ex ſuo libero aſſenſu conſequitur confirmationem, vt ipſe ſe ipſum confirmet, & ſuus aſſenſus ſit ſua confirmatio. Vtraque ergo electio tàm Papæ quàm aliorum Prælatorum inferiorum habet ſuam confirmationem viſibilem; ſed ſecundum huuc modum Prelati inferiores confirmantur per ſuperiores, Papa vero, quia ſuperiorem non habet, confirmatur per ſeipſum, & ipſe ſeipſum confirmat. Sed ſicut tam electio Prælatorum inferiorum quam etiam Papę habet ſuam confirmationem viſibilem, ſic vtraque electio habet ſuam confirmationem inuiſibilem. Nam quanrumcunque Prælari inferiores confirmentur per ſuperiorem, niſi Deus aſſentiret illi confirmationi, ſic confirmatus non deberet dici eſſe Prælarus, nec habere auctoriratem, cum non ſit poteſtas nec auctoritas, niſi à Deo, vr innuit Apoſtolus ad Romanos: Sic eriam, niſi Deus aſſentiret electioni papali, non deberet Papa dici Papa, nec deberet dici, quòd haberet auctoritatē papalē.

Cap. 13. a.

Supponere tamen debemus cum Auguſtino, quòd quæ hic inferius fiunt, ſi fiant eo modo, quo fieri debent, à Deo fiunt: & Deus illis aſſentit vel agendo, vel permittendo. Cap 4. Nam tertio de Trinitate, ait, Nihil viſibiliter & ſenſibiliter hic inferius agitur, quod non de interiori, inuiſibili, atque intelligibili aula ſummi Imperatoris (Dei) aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pęnarum. Et quia, vt ſæpius diximus, Deus ſic adminiſtrat res, vt eas proprios curſus agere ſinat, ſi inferiores Prælati ritè eligantur, & non per ſeipſos ſed per eorum ſuperiores ritè confirmentur, Deus aſſentit illi confirmationi: & ſi ſecundum quod ſuperiores ordinant, ritè cedant, Deus aſſentit eorum ceſſioni. Vtrunque enim in inferioribus Prælatis tam acceptio iuriſdictionis (quod fit per debitam confirmationem) quam depoſitio iuriſdictionis (quod fieri poteſt per ritam ceſſionem) fit aſſenſu humano, ideſt aſſenſu ſenſibili: & aſſenſu diuino, ideſt aſſenſu intelligibili, accipiendo aſſenſum large non ſolum pro eo quod quis facit, ſed etiam pro eo quod quis non impedit quod impedire poſſit. Deus enim in omnibus talibus aſſentit, non quia fiunt diuino inſtinctu & diuina operatione, ſed quia fiunt diuina permiſſione, cum ea non impediat, quæ impedire poſſet.

Quod ergo dictum eſt de inferioribus Prælatis, vt claré patere poteſt, veritatem habet in Summo Pontifice. Si ergo Summus Pontifex ritè eligatur, & ipſe ſuæ electioni aſſentiat, cum ipſe ſuperiorem non habeat quantum ad confirmationem viſibilem, quæ fit opere humano, ipſe proprio aſſenſu & proprio opere ſe confirmat: quia ſuus aſſenſus eſt ſua confirmatio: & quia hoc requirit curſus rerum, quòd Papa, quia inter homines non habet ſuperiorem, proprio aſſenſu & proprio opere confirmetur. Deus, qui adminiſtrat res iuxta earum curſum, tali negotio aſſentit: & ſua operatione vel ſua permiſſione aſſentiendo ei quod factum eſt, dicitur confirmare illud. Sed ſi Papa ſeipſum confirmat, nec habet aliquem ſuperiorem quantum ad hæc viſibilia, ſicut ſuus aſſenſus eſt ſua confirmatio, ſic ſuus diſſenſus eſt ſua renunciatio: ſicut ergo ritè & & debitè datur ſibi iuriſdictio & confirmatur aſſentiendo, ſic ritè & debitè deſinit in eo eſſe iuriſdictio & deponit ſeipſum renuntiando. Sicut enim curſus rerum exigit, quòd inferiores Prælati, qui habent ſuperiores, confirmentur eo modo, ſecundum quòd ſuperiores, & ſpecialiter ſecundum quòd Romanus Pontifex ordinauit: & ſi cedunt eo modo, quo Romanus Pontifex ordinat, ritè cedunt & deſinit in eis eſſe iuriſdictio. Sic cum rerum curſus exigit, quòd Romanus Pontifex ſuperiorem non habet, ſicut ſuo aſſenſu ſeipſum confirmat & in eo incipit eſſe poteſtas papalis, ſic ſua renuntiatione ſeipſum deponit & in eo deſinit eſſe præfata poteſtas. Et quia, vt diximus, Deus adminiſtrat res ſecundum quòd exigit curſus rerum, Papa, qui inter homines nullum ſuperiorem habet, ſicut ſuo aſſenſu ſe confirmat, ſic ſua renunciatione ſe deponit.

Deus ergo, qui in ſua generali adminiſtratione hunc curſum ſeruat, vtrique dicendus eſt aſſentire, tam aſſumptioni oneris, quam etiam depoſitioni: ita quòd ad inferiores Prælatos, & ad Papam quantum ad confirmationem, & quantum ad ceſſionem concurrit opus humanum & diuinum, & aſſenſus humanus & diuinus, vt eſt per habita manifeſtum. Cum ergo arguitur, quòd nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem tolli poteſt niſi per eius ſuperiorem, patet quòd dignitates Eccleſiaſticæ, quæ inter homines habent ſuperiorem, per ſuperiorem confirmantur: & ſi eo modo fiat ceſſio in eis, ſecundum quòd ſuperiores ordinant, & ſpecialiter ſecundum quod ordinat Romanus Pontifex valet & tenet huiuſmodi ceſſio. Papa vero, qui ſuperiorem non habet, ſicut aſſentiendo poteſt ſeipſum confirmare, ita renutiando poteſt ſeipſum cedere. Si vero dicatur, quòd confirmatur à Deo, & requiritur ibi diuinus aſſenſus.

Reſpondebimus, quod & inferiores Prælati confirmantur à Deo, & requiritur ibi diuinus aſſenſus, quia quantumcunque Prælati inferiores confirmantur per ſuperiores, niſi Deus illi confirmationi aſſentiret effectiuè vel permiſſine, non eſſet ille verè Prælatus, quia eſſet ſua poteſtas & ſua auctoritas non à Deo: cum tamen, ſecundum Apoſtolum, non ſit poteſtas niſi à Deo: Rom.13. ſed ſi Prælatus inferior aſſumatur vel cedat ſecundum quòd requirit ordo & curſus rerum, dicimus Deum aſſentire tam aſſumptioni quam ceſſioni. Sic cum ordo & curſus rerum exigat, quòd Papa, qui non habet ſuperiorem hominem, non alio opere humano, ſed per ſuum aſſenſum confirmetur, & per ſuam renunciationem cedat: Deus, qui ſecundum curſus rerum res adminiſtrat, acceptabit vtrumque, vel aſſentiet vtrique tam aſſumptioni oneris quam etiam ceſſioni.

CAP. XVII.

Vbi declaratur, Quomodo Chriſti ſacerdotium non habuit initium neque finem, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech Chriſtus fuit Sacerdos in æternum.

QVoniam duæ vltimæ aduerſariorum rationes, vndecima videlicet & duodecima fundāt ſe ſuper æternitate ſacerdotij Chriſti, arguentes, Quòd quia Chriſti ſacerdotium eſt æternum, ideo Papa renunciare non poteſt. Cum rationes præfatæ vadant extra mentem Apoſtoli, & cum non concludant, nec arguant, vt in ſequentibus capitulis apparebit, ideo nunc volumus declarare, Quomodo Chriſti ſacerdotium, ſecundum quòd fuit figuratum in Melchiſedech, dicitur eſſe æternum. Ad cuius euidentiam ſciendum, quòd æternitatem vel perpetuitatem ſacerdotij Chriſti multis modis & multis vijs declarare poſſumus, quæ omnia tangit Apoſtolus ad Hebręos ſcribens. In præſenti tamen cap. hoc volumus declarare, Quomodo Chriſtus fuit ſacerdos Cap.7.e. in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Propter quòd ſciendum, quòd Apoſtolus in epiſtola ad Heb. volens præferre ſacerdotium

Chri-

Chriſti ſacerdotio Leuitico, dicit Chriſti ſacerdotium eſſe æternum: quod probat per id
Pſal.109. quòd habetur in Pſalmo, Iurauit Dominus) ideſt inconcuſſa veritate firmauit & non pęnitebit eum) ideſt non immutabit quod iurauit (tu) ideſt Chriſtus (es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.) Ipſe enim Melchiſedech, qui fuit ſacerdos Dei altiſſimi vt dicitur in lib. Geneſis, ſecundum quòd ait
Cap.14.c. Cap.7.a. Apoſtolus ad Hebræos, erat ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ hominis. Ideo, vt dicitur, aſſimilatus eſt filio Dei, qui manet ſacerdos in æternum.

Melchiſadech cur ſine patre & matre dicitur.

Dicitur autem Melchiſedech fuiſſe ſine patre & ſine matre, non quod non habuerit patrem neque matrem, ſed quia ſacra Scriptura mentionem de hoc non facit. Hoc etiam modo non habuit initium dierum neque finem, quia ſcriptura ſacra ſic facit mentionem de Melchiſedech, quòd nullam mentionem facit de patre eius, nec de matre, nec de initio dierum eius, nec de fine, vt per ipſum (qui erat ſacerdos Dei altiſſimi, & non ſcribieur habuiſſe initium neque finem) figuraretur ſacerdotium Chriſti, quod eſt quid perpetuum. Hanc autem perpetuitatem ſine initio & ſine fine poſſumus ſibi attribuere ſacerdotio Chriſti ex parte remedij, ſiue ex parte perſonarum, quibus fuit Chriſti ſacerdotium in remedium. Nam nullus nec ante aduentum Chriſti, nec poſt eius aduentum potuit, nec poterit ſpiritualem Hieroſolymam conſequi
Cap.47. ſine fide Mediatoris. Vnde Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei ait, Nemini conceſſum eſt (ſupple pertinere ad ſpiritualem Hieroſolymam) niſi cui diuinitus reuelatus eſt vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Et idem ibidem ſubdit. Vna eademque fides antiquorum & noſtra. Quia ſicut illi credebant Chriſtum venturum, ita nos credimus ipſum veniſſe: ſiue enim in ſtatu gentilitatis, ſiue in quocunque ſtatu, ſemper fuit ſalus per fidem Mediatoris.

Non habebant primò ipſi Gentiles, quibus reuelatus eſt Mediator noſter, nec habuerunt Iudæi, quibus promiſſus eſt Meſſias, ita claram intelligentiam de noſtro Mediatore, ſicut nos habemus: cum non ſit aliud nomen ſub cęlo, ſub quo oporteat nos ſaluos fieri,
Act.4.b. niſi Chriſtus, vt dixit Petrus in Actibus. Et quicunque ſaluati ſunt à principio mundi, vſque nunc, & quicunque ſaluabuntur vſque in finem, oportet quòd in fide Mediatoris ſaluentur. Verè iſtud ſacerdotium Chriſti ratione huius remedij, videlicet, quia fides de hoc Sacerdote, ideſt, de Chriſto Mediatore ſemper fuit in remedium, & ſemper erit, dicitur eſſe in æternum, & non habuiſſe initium neque finem. Sed dices ipſe mundus habuit initium, & habebit finem, quomodo ergo Sacerdotium Chriſti ratione remedij dicitur non habere initium neque finem? Dicemus ergo quòd homines peccatores habuerunt initium, & habebunt finem, quia incepit mundus & finietur. Pro tanto tamen poteſt dici tale remedium non habuiſſe initium neque finem, quia ſi ante fuiſſent homines peccatores, & ante incepiſſet mundus quam inceperit, ante fuiſset huiuſmodi remedium: & ſi adhuc ante fuiſsent peccatores adhuc ante fuiſset tale remedium. Propter quod videtur tale remedium non habuiſse initium formaliter, quia ab æterno fuit prædeſtinatum tale remedium: ſed habuit initium materialiter, prout perſonæ illæ, quibus competit tale remedium, non fuerunt ab æterno, ſed inceperunt eſse in tempore. Et quod dictum eſt de initio, verum eſt & de fine. Nam ſi finietur tale remedium, hoc eſt, quia finietur Mundus, & finietur ſtatus vitæ præſentis: ſed ſi ſemper duraret Mundus, ſemper duraret tale remedium, vt ex hoc dicatur eſse ſine initio & ſine fine. Vel poſsumus dicere, quod tale remedium eſt æternum, & quòd nunquam habebit finem, quia perſonæ quæ ſaluantur per tale remedium, habebunt vitam æternam, & nunquam finietur eorum vita, iuxta illud Pſal. Beati, qui habitant in domo tua Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Quia Pſal 83.a.
nunquam finietur beatitudo illorum. Quantum ergo ad hoc remedium, Chriſti Sacerdotium fuit ſine initio, & eſt ſine fine. Sine initio quidem, quia ex quo fuerunt homines peccatores, nunquam fuit opus, quòd fides Mediatoris non eſset in remedium: ſine fine vero, quia quamdiu peccatores durabunt, nunquam erit tempus, quòd Sacerdotiũ Chriſti, & oblatio Chriſti non ſit nobis remedium.

Aduertendum tamen, quod omnia iſta ſunt ſecundum ordinem Melchiſedec propter quinq; Tangit enim gloſa quinq; Sacerdotio Melchiſedec, quæ Chriſto conueniunt. Primum quidem eſt, quòd Melchiſedec fuit Rex & Sacerdos; Rex quidem Salem, & Sacerdos Dei altiſſimi: ſic & Chriſtus Rex, & Sacerdos erat. Secundum verò, quia Melchiſedec fuit functus Sacerdotio ante circumciſionem, vt ex hoc oſtendatur (vt gloſa ait) quòd Iudæi a gentibus, non Gentes a Iudæis Sacerdotium acceperunt: In quo figuratur Sacerdotium Chriſti, quia non eſt res propter figuram nec a figura, ſed magis figura propter rem, & a re originem ſumit: & omnia in figura contingebant illis, Sacerdotium ſcilicet leuiticum fuit propter Sacerdotium 1.Cor.10.e.
Chriſti non autem econuerſo: & Sacerdotium Chriſti magis fuit cauſa Sacerdotij leuitici, quam econuerſo. Tertium quidem quia Melchiſedec cum fuerit functus Sacerdotio ante circumciſionem, non fuit vnctus oleo viſibili ſecundum quòd mandauerit Moyſes, quia tempore illo nondum natus erat Moyſes, nec adhuc fuerat data lex: fuit ergo vnctus oleo inuiſibili, & oleo lætitiæ ſiue exultationis, ſicut legitur fuiſſe vnctus Chriſtus. Quartum, quia ipſe Melchiſedec non obtulit animalia, ſed obtulit panem & vinum, vt habetur in lib. Gen. in qua oblatione, vt gloſa tangit, Chriſti Sacerdotium figurauit. Quintum, Gen.14.
quia Melchiſedec habuit patrem & matrem: & fuit ſine patre, & ſine matre. Habuit quidem patrem, & matrem ſecundum rei veritatem, ſed fuit ſine patre & ſine matre ſecundum commemorationem Sacræ Scripturæ, quia Sacra ſcriptura nec de genealogia eius, nec de patre, nec de matre facit aliquam mẽtionem: vt quod diximus non carnaliter factum eſt, ſed vt ex hoc Dei filius figuraretur, quia habet, & patrem & matrem, & eſt ſine patre & ſine matre. Habet patrem ſecundum Deitatem, a qua per generationem æternam

acce-

Digitized by Google

accepit naturam diuinam: & habet matrem ſecundum humanitatem, ex qua accepit naturam humanam: & eſt ſine patre ſecundum quod homo, quia nullus homo fuit pater ſuus, & eſt ſine matre ſecundum quod Deus. Propter quòd patet, qualiter Chriſtus eſt Sacerdos in æternum ſine initio & fine, ſiue ſecundum ordinem Melchiſedec idest eo ordine, & eo modo, quo fuit figuratus in Melchiſedec, in quo fuerunt quinque, quæ, vt patuit, poſſunt Chriſti Sacerdotio congrue adaptari.

CAP. XVIII.

In quo aſſignantur tres alij modi, quo modo Chriſti ſacerdotium dicitur eſſe perpetuum, & æternum.

QVoniam Chriſti Sacerdotium, quantum ad præſens ſpectat, ſeptem modis poteſt dici æternum, vt ex verbis Apoſtoli colligere poſſumus, imo declarare volumus. Vnde iſti ſeptem modi ſumi poſſunt, quia cum de vno illorum modorum tractatum ſit in capitulo præcedenti, de tribus alijs modis intendimus tractare in capitulo præſenti: & de reliquis tribus modis in capitulo ſequenti. Aduertendum ergo, quòd æternitas eſt quædam res extra terminos, hoc enim æternum eſt quod eſt quaſi extra terminos: Ergo quia æternitas eſt res extra terminos, oportet quòd ſit quid totale, & quid continens alia, & a nullo contineatur, quia ſi contineatur ab aliquo non eſſet extra terminos, quia eſſet intra terminos continentis. Rurſus oportet, quòd æternitas ſit res eadem & ſimplex, quia ſi eſſet compoſita, non eſſet extra terminos, quia eſſet intra terminos componentium. Intelligemus itaque, quòd æternitas ſit quædam res totalis & ſimplex, ſiue totalis & eadem: propter quod ſi volumus probare Sacerdotium Chriſti eſſe æternum, vel hoc eſſet ratione totalitatis, quæ competit huic Sacerdotio, vel ratione rei, quæ conſideranda eſt in hoc Sacerdotio, vel ratione identitatis, quæ reperiri habet in dicto Sacerdotio.

Primo modo videlicet ratione totalitatis tractabatur de æternitate Sacerdotij Chriſti in cap. præcedenti, vbi oneroſum eſt, quod quia Sacerdotium Chriſti eſt remedium totale, ideo eſt æternum. Nam huiuſmodi Sacerdotium, remedium eſt ſufficiens, & totale quantum ad omnia peccata, quantum ad omnes perſonas, & quantum ad omnia tempora tam præterita quam futura. Quia ergo huiuſmodi Sacerdotium fuit ſufficiens quantum ad omnia peccata quæ fuerunt, quantum ad omnes perſonas quæ præterierunt, & quantum ad omnia tempora quæ præceſſerunt, ideo dicitur hoc Sacerdotium fuiſſe ſine initio, quia nunquam fuerunt aliqua peccata, nunquam fuerunt aliquæ perſonæ, nec aliqua tempora, quòd hoc Sacerdotium non eſſet ſufficiens remedium ex parte ante. Et ſi dicatur, quod non omnes perſonæ ſunt ſaluatæ per tale remedium. Dicimus, quod hoc non fuit ex inſufficientia iſtius Sacerdotij, ſed ex malitia perſonarum. Sic etiam tale Sacerdotium eſt ſine fine, quia nunquam erunt aliqua peccata, nec aliquæ perſonæ, nec aliqua tempora, quòd non ſit hoc Sacerdotium in remedium ex parte poſt. Ergo ratione totalitatis probabatur æternitas huius Sacerdotij in cap. præcedenti, quod fiebat vno modo. Sed ratione rei, quæ conſideranda eſt in tali Sacerdotio, probabitur eius æternitas in cap. præſenti quod fiet tribus modis. Ratione verò identitatis, probabitur æternitas dicti Sacerdotij in cap. ſequenti, quòd erit etiam tribus modis. Propter quòd ſeptem ſunt modi, quibus probatur æternitas Sacerdotij Chriſti.

Vel poſſumus aliter loqui de æternitate, & leuius dicemus, quòd Dionyſius decimo cap. de Diuinis nominibus, aſſignat proprietates æternitatis eſſe antiquum, & inuariabile: per eſſe antiquum intelligit non habere initium, & eſſe ſemper: per eſſe inuariabile intelligit eſſe ſine ſucceſſione. Proprietas itaque æternitatis ſunt ſempiternitas, & inſucceſſibilitas: tempus enim quid ſucceſſiuum eſt, & vna pars ſuccedit alteri, ſed in æternitate nulla eſt ſucceſſio, ſed eſt ibi inſucceſſibilitas, quia nihil eſt in ea, quod ſuccedat alteri. Præcedens ergo capitulum arguebat æternitatem Sacerdotij Chriſti ex parte ſempiternitatis, quia fuit ſemper ſine initio, & ſine fine. Hoc autem capitulum arguit æternitatem illius Sacerdotij ex parte rei, quæ conſideranda eſt in hoc Sacerdotio, quod, vt dicimus, ſit tribus modis. Sequens autem capitulum probabit huiuſmodi æternitatem ex parte inſucceſſibilitatis, quod etiam tripliciter fiet: probabitur enim tripliciter, quod in Sacerdotio Chriſti eſt inſuccebilitas, quia nec aliud Sacerdotium ſuccedit illi Sacerdotio, nec alius Sacerdos illi Sacerdoti, nec alia oblatio ſuccedit illi oblationi. Ideo, vt dicebatur, ſeptem ſunt modi, quibus probabitur æternitas Sacerdotij Chriſti.

Notandum ergo, quod, quantum ſpectat ad hoc capitulum, in Sacerdotio Chriſti, ſiue in oblatione eius triplicem rem conſiderare poſſumus, videlicet, rem offerentem, rem oblatam, rem quæ erat oblationis effectus: omnibus autem his modis probabimus Chriſti Sacerdotium eſſe æternum. Propter primum, ſciendum, quòd Chriſti Sacerdotium dicitur eſſe æternum, ſi conſideramus Sacerdotem qui obtulit. Nam in Sacerdotio Leuitico homines mortales accipiebant Decimas, & homines mortales & infirmi fiebant Sacerdotes, ideo ad Hebræos loquens Apoſtolus (Heb. 7.) de Sacerdotio Leuitico ait, Homines morientes decimas accipiunt. & poſt multa in eodem capitulo, ait, Lex enim conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes. Arguatur ergo ſic. In Sacerdotio Leuitico homines mortales, & infirmitatem habentes accipiebant Decimas, & erant Sacerdotes, & offerebant oblationes, ergo ex parte offerentium illud Sacerdotium non erat perpetuum, nec æternum: ſed in Sacerdotio Chriſti, ipſe Chriſtus, qui eſt immortalis, qui eſt æternus, qui eſt verus Dei filius, obtulit oblationem Deo patri, ergo ex parte offerentis, Chriſti Sacerdotium eſt æternum, quia perſona illa erat æterna, quæ offerebat. Sed dicens non ne Chriſtus fuit homo mortalis, & pro nobis paſ-

Digitized by Google

paſſus, mortuus, & ſepultus? Reſpondebimus, quod Sacerdotes Leuitici erant ſimpliciter mortales, ſed Chriſtus erat mortalis, & immortalis: erat enim ſuppoſitum & vna perſona, quæ erat homo, & Deus; ergo propter vnitatem ſuppoſiti & perſonæ, erat in Chriſto, ſecundum Damaſcenum, & ſecundum ſanctos, communicatio idiomatum ideſt communicatio nominum, vel denominationum, quia nomina, ſeu denominationes, quæ illi homini inerant, poterant verè dici de Deo, & e conuerſo: vt quia homo ille patiebatur, & fuit mortuus, cum homo ille eſſet Deus, & Dei filius, verè dici poterat, quòd Dei filius patiebatur, & Dei filius fuit mortuus; ſic quia Dei filius erat immortalis, & Dei filius cauſauit ſtellas, verè dici poterat, quòd homo ille erat immortalis, & quod cauſauit ſtellas, ſed non in eo quod homo, ſed in eo quòd Deus, quia ille homo Deus erat: fuit enim ſimul in vnum diues & pauper, homo & Deus, mortalis & immortalis. Sacerdotium itaque Chriſti, ex parte Sacerdotis offerentis poterat dici æternum eſſe, quia perſona illa, quæ offerebat, erat perſona Chriſti, quæ erat perſona æterna, & homo ille erat Deus, & poterat dici æternus: ſed Sacerdotes Leuitici ſimpliciter erant mortales, & non poterant dici æterni, cum eſſent homines puri.

In Petro cur dicitur, fuit ſopita charitas non extincta, cum Chriſto negauit.

Secundo ad præfatam obiectionem poſſumus reſpondere, quod ſecundum ſententiā ſapientum, quando modicum deeſt, intellectus accipit nihil deeſſe. Propter quod quando modico tempore eſt quid tale, vt ſi modico tempore ſit quid mortuum, quaſi ſemper dicitur eſſe vinum, Dicunt enim plures Sancti de Petro negante, quod charitas in eo non fuit extincta, ſed ſopita: certum eſt tamen, quòd negando peccauit mortaliter, & extincta fuit in eo charitas: ſed dicitur charitas non fuiſſe extincta, ſed ſopita, quia ita cito fletu culpam deleuit, & flens amare cito recuperauit charitatem, vt ex hoc poſſet dici ſua charitas non extincta. Sic etiam dicitur, Chriſtus venturus iudicaturus viuos, & mortuos, quod ſi licet illi, qui tunc erunt viui ità cito morientur, & reſurgent, vt quaſi dicantur ſemperuiui. Sic, & in propoſito, ita modico tempore Chriſtus iacuit mortuus, vt quaſi dicatur ſemper viuus. Poſſumus, & tertio reſpondere, quod Chriſtus vt Sacerdos & cum erat mortuus dicebatur viuus: nam illud dicitur mortuum quod eſt inefficax ad agendum; & illud dicitur viuum, quod eſt efficax ad operandum: cum ergo Chriſtus tanquam Sacerdos obtulit ſe ipſum in Cruce vt nos redimeret, & nobis aperiret cæleſtem ianuam, vt poſſimus clare videre diuinam eſſentiam, quæ erat nobis occulta, & velata ante paſſionem eius, nunquid eo mortuo erat hæc oblatio inefficax ad hoc agendum? imo dum erat mortuus, & illo die quo fuit mortuus latro fuit in Paradiſo, ideſt vidit diuinam eſſentiam: ibi enim poteſt Paradiſus accipi pro aperta viſione Dei. Ergo quantum ad Sacerdotium, & quantum ad oblationem, quam fecit etiam mortuus, poterat dici quòd eſſet viuus, quia erat efficax ad agendum id quod tale Sacerdotium requirebat. Sacerdotium ergò ſuum, & oblatio ſua non fuit ſine efficacia; nam efficaciam habuit antequam fieret homo, & antequam moreretur, & efficaciam habuit dum erat mortuus, & efficaciam habet, & habuit poſtquam reſurrexit à mortuis. Ante enim Chriſti aduentum hoc Sacerdotium, & hæc oblatio efficaciam habuit in quantum quicumque ſaluati ſunt ante Chriſti aduentum, ſalui facti ſunt in fide mediatoris, & morientes viderunt diuinam aſſentiam non in re, ſed in firma ſpe. Quicunque enim habentes fidem mediatoris, & operantes ſecundum illam fidem, mortui ſunt, firmi erant, & nullo modo dubitabant, quòd poſt paſſionem Chriſti viſuri eſſent diuinam eſſentiam. Mortuo tamen Chriſto, & eo reſurgente, habet hęc oblatio maiorem efficaciam, quia quicunque habent fidem Chriſti, bene moriuntur, & ſi non habent impedimentum particulare ſtatim vidēt diuinam eſſentiam. Iſtud ergò Sacerdotium ſemper fuit & erit efficax, vt ex hoc dicatur eſſe æternum, vel perpetuum.

Aduertendum tamen, quod quantum ad conditionem prædictam, vt ratione perſonæ offerentis, quæ erat æterna, dubitare non poſſumus Sacerdotem illum eſſe æternum, & hoc modo Sacerdotium dici æternum ex parte rei offerentis. Secundo Chriſti Sacerdotiū poteſt dici æternum ratione rei oblatæ, quia eadem res erat offerens, & oblata, idem erat Sacerdos, & hoſtia, Chriſtus enim ſe ipſum obtulit. Igitur ſi Sacerdotium Chriſti ratione rei offerentis poteſt dici eſſe æternum, quia perſona offerens, vel res offerens erat æterna, cum eadem res eſſet offerens & oblata, conſequens eſt quod ratione rei oblatæ, Chriſti Sacerdotium dicatur æternum. Hoc eſt ergo quod ait Apoſtolus ad Hebræos, Accedens (vel vt habet alia litera) accedens perſemetipſum a Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Ipſe ergo Chriſtus, ſe ipſum offerens Deo patri, per ſe ipſum erat accedens ad Deum Patrem, & nos ipſi per ipſum Chriſtum ſumus accedentes ad Deum patrem: & ex hoc eſt ſemper viuens ad interpellandum. Quod verum eſt tam ratione offerentis, quæ eſt perſona æterna, quam ratione rei oblatæ, quæ eſt eadem res cum perſona offerente: quia ipſi ſe ipſum obtulit, & Ipſe per ſe ipſum acceſſit. Eſt tamen diligenter notandum, quod cum Chriſtus fuit mortuus ſecundū carnem, non dicebatur mortuus quantum ad Sacerdotium, nec dicebatur mortuus quantum ad ſalutem: quia per mortem illam non erat Chriſtus inefficax ad ſaluandum nos: immo moriendo, nos ſaluauit. Ideo quantum ad efficaciam ſaluandi, & quantum ad efficaciam redimendi, & pacificandi Deum patrem, ſemper dicitur viuens: quia morien non redebant inefficax ad hoc agendum, cum moriendo, nos ſaluauerit, & nobis Deum patrem reconciliauerit.

Tertia via ad hoc idem ſumitur ex parte rei, quæ erat effectus oblationis, & hoc Apoſtolus appellat ad Hebræos virtute inſolubilis dicens, qui non ſuam legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conſuetudo enim etiam loquendi, quod cum quis loquitur de aliqua re, quæ virtutem habet, intelligit quem effectum efficiat. Et quia Sacerdotium Chriſti habet efficere effectum ſpiritualem, quia facit in no-

bis gratiam,& virtutes ,& alia ſpiritualia bona , quæ non pereunt poſt hanc vitam , ſed perficiuntur in æterna vita,ideò dicitur Chriſti Sacerdotium , quantum ad hanc rem , & quanrum ad hunc effectum habere virtutem vitæ inſolubilis : quia vt diximus gratia , & virtutes , & huiuſmodi effectus ſpirituales , quos facit in nobis Chriſti Sacerdotium , & eius oblatio non ſoluuntur cum hac ſolubili vita, ſed proficiuntur in æterna vita,ipſa enim gratia perficitur in patria , ita quod ipſe virtutes remanent in anima ſeparata , non adhunc vſum , quem habet in hac vita , ſed ad alium vſum . Hoc etiam ergo quod Apoſtolus ait manifeſtum eſt , ſi ſuam ſimilitudinem Melchiſedech exurgae alius Sacerdos (ideſt Chriſtus) qui factus eſt Sacerdos non ſecundũ legem mandati carnalis, ſed ſecundũ virtutem vitæ inſolubilis . In Sacerdotio itaque Leuitico nec Sacerdos offerẽs erae perſona diuina , nec res oblata erat res æterna, nec effectus illius oblationis erat quid ſpirituale , vel quid æternum , ſed erat quid carnale , & quid temporale . Ideo gloſa exponeus illud verbum,Chriſtus factus etiãSacerdos ſecundũ virtutem vitæ inſolubilis,air diſtare inter hoc, & illud Sacerdotium , quia illud Sacerdotium ſcilicet Leuiticum erat carnale , hoc videlicet Sacerdotium Chriſti ſpirituale,illud temporale, hoc æternum . Oblationes enim veteris legis non erant ad Sanctificationem Spiritus , quantum etiam ex opere operato , ſed erant ad emundationem carnis , vt dicitur ad Hebræos 9. & non ad emundationem animæ , vt exponit gloſa : mundabantur à contactu hominis mortui , vt gloſa ibidem ait : nam tangens mortuum immundus erat ſeptem diebus , & per oblationes illas mundabatur , vt non reputaretut immundus . Erat ergo illa mundatio quantum ad ceremonias carnales .

C A P. X I X.

Vbi aſſignantur rationes tres reliqui modi, quod Chriſti Sacerdotum eſt perpetuum , vel æternum .

Dicebatur in præcedenti eapitulo ; quod ſeptem modis declarare poterit , Chriſti Sacerdotium eſſe æternum ſiue perpetuum, de quibus ſunt modi quatuor enarrati . Dicebantur enim quod æternitas erat quædam res quæ era quid totale, & quid ſimplex, & idem: ratione ergo totalitatis accipiebarur vna pro batio , quod Chriſti Sacerdotium erat æternum de qua agebat in 17. Capitulo : ratione autem realitatis ſumebantur tres probationes ſiue tres modi ad oſtendendum Chriſti Sacerdotium eſſe æternum , de qnibus agebat in præcedenti capitulo : ratione aut identitatis ſumentur tres alię probationes ſiue tres alij modi de quibus agetur in hoc capitulo : ita quod in vniuerſo , quantum ad præſens ſpectat ſunt ſeptem probationes , & ſeptem modi ad oſtendendum Chriſti Sacerdotium æternum eſſe : vel poſſumus ſi volumus iſtos ſeptem modos probandi æternitatem Sacerdotis Chriſti adaptare ad ea quæ diximus de Dionyſio .

Dicebamus quidem quod Dionyſius decimo capitulo de diuinis nominibus aſſignat proprietates æternitaris , ſempiternitatem ſcilicet & inſucceſſibilitatem . Ergo probationes de æternitate vel accipiebantur ex ipſa re , cui competit æternitas : vel accipiebantur ex ſempiternitate , quæ eſt proprietas æternitaris : vel ex inſucceſſibilitate , quæ eſt & æterniratis proprietas . Ex ſempiternitate quidem ſumebatur vna probatio videlicet quòd Sacerdotium Chriſti probabatur æternum , quia erat ſemper ſine initio , & ſine fine : ex parte autem rei quæ conſideranda etiam in Sacerdotio Chriſti,ſumebantur tres rationes vna ex parte rei offerentis , alia ex parte rei oblatæ , & terria quæ erat ex parte oblationis effectus . Sed in hoc capitulo ſumentut tres ex parte inſucceſſibilitatis, videlicer , quod quia in hoc Sacerdotio non eſt ſucceſſio , ſed eſt ibi inſucceſſibilitas , ideo dicitur eſſe æternum . Dicemus quod ſicut ſumebantur tres rationes ex parte rei , quæ conſideranda eſt in Sacerdotio Chriſti , ad probandum illud Sacerdotium eſſe æternum , quæ omnia oſtendebant procedere ſecundum mentem , & intentionem Apoſtoli .

Nam primo Sacerdotium Chriſti dicetur æternum , quia Sacerdotio eius nullum aliud ſuccedit Sacerdotium . Secundo , quia ipſi Sacerdoti nullus alins ſuccedit Sacerdos. Tercio , quia oblationi eius nulla alia ſuccedit oblatio . In Sacerdotio enim Chriſti eſt vnum, & idem Sacerdotium , vnus & idem Sacerdos , vna , & eadem oblatio . Eſt enim diligenter animaduertendum , quod hæc eſt potiſſima differentia inter temporale, & æternum ſiue inter tempus , & æternitatem , videlicet ſucceſſibilitatem quæ eſt in tempore , & inſucceſſibilitatem quæ eſt in æternitate : nam tempus eſt menſura ſucceſſiua , & æternitas eſt menſura ſine ſucceſſione . Quando ergo in menſura pars vna ſuccedit alteri , illa menſura eſt temporalis ; quando verò nulla eſt ibi ſucceſſio illa menſura eſt æterna , vel ſempiterna . Propter quod Boethius in ſuo libro de Trinitate, volens aſſignare differentiam inter tempus , & æternitatem , ait , nunc currens facit tempus , nunc permanens facit æternitatem . Tempus ergo eſt menſura currens , & eſt menſura) quæ eſt in fluxu , & in motu .

Propter quod ſicut in motu vna pars motus ſuccedit alteri , ſic , & in tempore vna pars temporis ſuccedit alteri : ideo nox , & dies , quæ ſunt partes temporis , ſuccedunt ad inuicem , nam nox ſuccedit diei , & nocti dies : & in ipſa die vna pars diei ſuccedit alteri , & in ipſa nocte vna pars noctis alteri . In tempore ergo nulla eſt permanentia ſicut e contrario in æternitate nulla eſt ſucceſſio . Sacerdotium itaque Leuiticum erat temporale , quia ibi erat omnimoda ſucceſſio : ſed Sacerdotium Chriſti eſt æternum , quia hic nulla eſt ſucceſſio . Nam Sacerdotio Leuitico ſucceſſit aliud Sacerdotium , quia ſucceſſit ei Sacerdotium Chriſti . Rurſus Sacerdoti Leuitico ſuccedebat alius Sacerdos & oblationi alia oblatio : ſed in Sacerdotio Chriſti non eſt ſucceſſio , nec ex parte Sacerdotis , nec ex parte oblationis . His ergo tribus modis ex parte Sacerdotij , & ex par-

parte Sacerdotis, & ex parte oblationis probabimus ſecundũ intentionẽ Apoſtoli Chriſti Sacerdotium æternum eſſe. Propter primum, ſciendum, quod Chriſti Sacerdotium non debet dici temporale, cum tempus non ſit ſine ſucceſſione: ſed debet dici æternum, & hoc ex parte ipſius Sacerdotij, quia ſicut in æternitate nulla poteſt eſſe ſucceſſio, ſic Sacerdotio Chriſti nullum aliud Sacerdotium poteſt ſuccedere. Hoc eſt ergo, quod ait Apoſtolus ad Hebræos. 7. volens, quod, quia non erat confirmatio, ideſt non erat perfectũ Sacerdotium Leuiticum, exurgeret aliud Sacerdotium, videlicet Sacerdotium Chriſti, quod Sacerdotium non fuit ſecundũ ordinem Aron, ſed ſecundũ ordinem Melchiſedech. Vnde Sacerdotium Leuiticum appellat Sacerdotium translatum: & legem moſaicam, ſub qua fuit datum tale Sacerdotium, appellat legem translatam iuxta illud ad Hebr. 7. Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, vt legis translatio fiat. Dicamus ergo, quod Sacerdotes Leuitici facti ſunt Sacerdotes ſine iureiurando, quia Sacerdotio Leuitico debebat ſuccedere aliud Sacerdotium: ſed Chriſtus factus fuit Sacerdos cum iureiurando, quia Sacerdotio Chriſti nullum aliud debet ſuccedere. Hoc eſt ergo quod ait Apoſtolus ad Hebr. 7.

Alij quidem (ideſt Sacerdotes Leuitici,
Heb. 7. c. ſine iureiurando Sacerdotes facti ſunt: hic autem (ideſt Chriſtus) cum iureiurando (ſupple factus eſt Sacerdos) & hoc per eum, qui
Pſal. 109. a. dixit ad illum, Iurabit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. Secundò probare poſſumus, Chriſti Sacerdotium eſſe æternum, non ſolum ex parte Sacerdotij, cui non poteſt ſuccedere aliud Sacerdotium, ſed etiam ex parte Sacerdotis, cui non poteſt ſuccedere alius Sacerdos. Eſt enim diligenter notandum, quod aliud eſt Sacerdotium ſuccedere Sacerdotio, & aliud Sacerdotem Sacerdoti, & aliud oblationem ſuccedere oblationi. Nam ſub eodem Sacerdotio Leuitico fuerunt ſucceſſiuè plures Sacerdotes, & ſub eodem Sacerdote Leuitico ſucceſſiuè factæ fuerunt plures oblationes: nam tam diu dicitur eſſe idem Sacerdotium quamdiu durat idem ritus, idem ordo, & idem offerendi modus. Quamdiu ergo ſecundum legem Moyſi offerebantur animalia, & durabat ille ritus, & ille ordo, & ille modus offerendi ſecundum quòd lex præcipiebat, dicebatur eſſe idem Sacerdotium: ſed mutato illo ritu & illo modo, quia modò non offeruntur animalia, ſed offertur panis & vinum, ideſt offertur Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguis eius, ſub ſpecie vini, prout figuratum fuit in Melchiſedec, qui panem & vinum obtulit, dicitur vetus Sacerdotium eſſe translatum, & lex vetus eſſe translata, & dicitur quòd illi Sacerdotio leuitico ſucceſſit Sacerdotium Chriſti. Durauit itaque Sacerdotium Leuiticum vſque ad Chriſtum. Sub eodem ergo Sacerdotio Leuitico fuerunt multi Sacerdotes, quia nullus Sacerdos potuit tantum viuere vel tantum durare, quantum durauit Sacerdotium leuiticum: & ſub eodem Sacrdotio Leuitico fuerunt ſucceſſiuè multæ oblationes, quia idem Sacerdos Leuiticus quotidie offerebat; & faciebat aliam, & aliam oblationem. Probauimus ergo ſupra, Sacerdotium Chriſti eſſe æternum ex parte ipſius Sacerdotis, quia Sacerdoti Chriſto non poteſt ſuccedere Sacerdos alius. Ideo dicit Apoſtolus ad Hebræos, alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere. Heb. 7. d. Alij Sacerdotes Leuitici erant Sacerdotes plures, quia per mortem vnus ſuccedebat alij. Mors ergo cogebat, quòd non poſſet ſemper permanere idem Sacerdos, ſed fierent plures Sacerdotes ſaltem ſucceſſiuè.

Vult ergo Apoſtolus, quòd in lege veteri erant plures Sacerdotes, ſed in lege noua non eſt niſi vnus, & idem Sacerdos ſcilicet Chriſtus. Arguatur ergo ſic. Quandocunq; ſemper manet vnus, & idem Sacerdos (quia Sacerdos ibi non ſuccedit Sacerdoti) illud Sacerdotium eſt æternum: ſed in Sacerdotio Chriſti ſemper eſt vnus & idem Sacerdos, ergo eius Sacerdotium eſt æternum. Sed dices, Nonne in lege noua ſunt multi Sacerdotes, & quotidie moriuntur Sacerdotes, & alij eis ſuccedunt in Sacerdotium, & fiunt quotidie noui Sacerdotes? Dici poteſt, quod de hoc in ſequentibus capitulis diffuſius pertractabitur. Nunc autem ſcire ſufficiat, quòd ſicut probamus æternitatem Sacerdotij Chriſti ex identitate Sacerdotij, quia nunquam in poſterum exurget aliud Sacerdotium: ſic etiam probauimus æternitatem dicti Sacerdotij ex identitate & vnitate Sacerdotis: nam ſicut Sacerdotio Chriſti non ſuccedit aliud Sacerdotium, ita nec Sacerdoti Chriſto ſuccedit alius Sacerdos. Et quia menſura ſucceſſiua eſt tempus, conſequens eſt, quod Chriſti Sacerdotium, quia in eo non cadit ſucceſſio, per ſe, & directè non menſuretur tempore. Tertio, poſſumus hoc idem probare ex identitate & vnitate, ſiue ex inſucceſſibilitate ipſius oblationis. Nam ſicut Sacerdotio Chriſti Sacerdotium aliud non ſucceſſit, nec Sacerdos alius huic Sacerdoti: ſic nec oblatio alia ſuccedet huic oblationi. Hoc eſt ergo, quod Apoſtolus ait ad Hebr. Sacerdotes (Leuitici quotidie ideſt ſæpe ſæpius) prius pro Heb. 7. d. ſuis delictis, deinde pro populo hoſtias offere. Hoc enim fecit (Chriſtus) ſemel, ſe offerendo. In Sacerdotio ergo Leuitico, vbi quotidie fiebant oblationes, oblatio ſuccedit oblationi: ſed in Sacerdotio Chriſti, qui non niſi ſemel ſeipſum obtulit, oblatio non ſucceſſit oblationi. Arguatur ergo ſic, vbicunque non eſt ſucceſſio, illud non menſuratur menſura ſucceſſiua, & per conſequens non menſuratur tempore, nec eſt temporale: ſed in Sacerdotio Chriſti non eſt ſucceſſio, quia eius Sacerdotio non poteſt ſuccedere aliud Sacerdotium, nec Sacerdoti alius Sacerdos, nec eius oblationi alia oblatio: ergo ipſius Sacerdotium non eſt quid temporale, eſt ergo perpetuum vel æternum.

CA P. X X.

Vbi declaratur, quòd duæ vltimæ rationes aduerſariorum non vadunt ſecundum mentem Apoſtoli, & concluſiones nihil arguunt, nec concludunt.

VOlumus autem in hoc capitulo declarare, quomodo vltimæ duæ rationes aduerſariorum fundantes ſe ſuper æternitate Sacerdotij Chriſti, de qua loquitur Apoſto- Heb 7.
lus ad Hebræos, non vadunt ſecundum mentem, & intentionem Apoſtoli, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt. Verum quia ad hoc oſtendendum ſunt quædam alia declaranda, ideo in hoc capitulo quatuor faciemus. Nam primò oſtendemus, quòd ſecundum intentionem Apoſtoli, æternitas Sacerdotij Chriſti directè reſpicit perſonam Chriſti. Secundo debemus declarare quòd ſi illa quæ dicuntur de æternitate Sacerdotij Chriſti volumus adaptare ad homines mortales, dicemus quod per ſe loquendo non differt in hoc Papa a quocunque Epiſcopo, nec differt quicunque Epiſcopus a quolibet ſimplici Sacerdote. Tertio oſtendemus quod ſi verba Apoſtoli de æternitate Sacerdotij Chriſti adaptamus ad alios Sacerdotes, non erit ibi ceſſio, nec acceſſio, nec ſucceſſio, nec renuntiatio, nec per mortem, nec quocunque alio modo. Quarto & vltimo declarabimus quòd aduerſarij noſtri in præfatis rationibus non vadunt iuxta mentem Apoſtoli, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt.

Sciendum ergo, quòd probabatur quidem ſupra, Sacerdotium Chriſti eſſe æternum, vno modo ex ſua ſempiternitate, quæ fuit ſine initio, & ſine fine: vel ex ſua totalitate, quia fuit remedium omnibus perſonis, & cōtra omnia peccata. Poſtea probabatur hoc idem ex ipſa re, quæ conſideranda erat in tali Sacerdotio; & hoc tripliciter, videlicet, ex re offerente, & ex re oblata, & ex re, quæ erat oblationis effectus. Poſtea probatur hoc idē ex inſucceſſibilitate, ſiue ex identitate ipſius Sacerdotij; & hoc tripliciter. Primo ex parte ipſius Sacerdotij, quia nullum Sacerdotiū ſucceſſit, nec ſuccedere poteſt Chriſti Sacerdotio. Secundo ex parte ipſius Sacerdotis, quia nullus ſucceſſit Sacerdos, nec ſuccedere poteſt Chriſti Sacerdotio, qui ſit Deus, & homo, ſicut eſt Chriſtus. Tertio ex parte oblationis, quia nulla oblatio ſucceſſit, nec ſuccedere poteſt oblationi Chriſti: ita quòd in Sacerdotio Chriſti ſemper eſt idem Sacerdotium, idem Sacerdos, & eadem oblatio.

Si ergo æternitatem Sacerdotij Chriſti volumus referre ad eius ſempiternitatem, quia fuit ſine initio, & ſine fine, vel ad eius totalitatem, quia fuit remedium omnibus perſonis, & contra omnia peccata, de qua æternitate agebatur in decimoſeptimo capitulo, dicendum, quòd per hoc declarabitur primum, quod diximus declarandum in hoc capitulo, videlicet, quod directè non reſpicit niſi perſonam Chriſti. Sed ſi æternitatem huius Sacerdotij volumus referre ad multiplicem rem, quæ conſiderari poteſt in Sacerdotio Chriſti; & ſi talia volumus adaptare ad Sacerdotes, qui ſunt puri homines, declarabitur ſecundum, quod dicebatur declarandum in hoc capitulo, videlicet, quòd per ſe loquendo non differt in hoc Papa a quocunque Epiſcopo, nec quicunque Epiſcopus a ſimplici Sacerdote. Sed tertiò, ſi æternitatem Sacerdotij Chriſti volumus referre ad eius identitatem, vel ad eius inſucceſſibilitatem, quia ſemper fuit, & eſt in Sacerdotio Chriſti identitas, quia ſemper fuit, & eſt idem Sacerdotium, idem Sacerdos, & eadem oblatio; & ſemper fuit, & eſt ibi inſucceſſibilitas, qui nunquam Sacerdotio Chriſti ſuccedit, nec ſuccedere poteſt aliud Sacerdotium, nec Sacerdoti alius Sacerdos, nec oblationi alia oblatio.

Ideo ſi hoc volumus adaptare ad homines puros, & ad mortales Sacerdotes, declarabitur tertium, quod dicebatur declarandum in hoc capitulo, videlicet quod in tali Sacerdotio non eſt propriè ceſſio, nec acceſſio, nec renunciatio, nec ſucceſſio, nec per mortem, nec quocunque alio modo. Ex quibus omnibus declarabitur quartum, quod dicebatur declarandum, videlicet quod aduerſarij noſtri in duabus rationibus ſuis vltimis, quæ ſoluendæ reſtabant, non vadunt ſecundum mentem Apoſtoli, nec contra nos arguunt, nec concludunt. Propter primum, ſciendum quod, vt ſæpe ſæpius tactum eſt, Sacerdotium Chriſti probatur eſſe in æternum, primo ex ſempiternitate eius, quia eſt ſine initio, & ſine fine, vel probatur hoc ex totalitate, quæ fuit in Sacerdotio, quia fuit totale remedium omnibus perſonis, & contra omnia vitia. Ex hoc autem declaratur primum, videlicet, quod verba Apoſtoli de æternitate Sacerdotij Chriſti, directè reſpiciunt perſonam Chriſti.

Nam ſi æternitas huius Sacerdotij ſumatur vel ex ſempiternitate, quia reſpicit omnia tempora, & eſt ſine initio, & ſine fine: vel ſumatur eius æternitas ex quadam totalitate, quia fuit, & eſt ſufficiens remedium omnibus perſonis, & contra omnia vitia, conſtat quod hæc puro homini competere non poſſunt. Nam nullus purus homo poteſt ſufficienter ſatisfacere pro ſeipſo, quia ſecundum ſententiam Euangelij, cum omnia benefecerimus debemus dicere, Serui inutiles ſu-
mus, quod debuimus facere, fecimus. Si er- Luca 17.
go nullus purus homo poteſt ſufficienter ſatisfacere pro ſeipſo, quomodo poteſt tantum ſupererogare quod ſatisfaciat pro omni tempore, pro omnibus perſonis, & pro omnibus peccatis? Ideo ſic accepta æternitas Sacerdotij directè reſpicit ſolam perſonam Chriſti. Propter ſecundum, ſciendum quod ſi æternitatem Sacerdotij Chriſti volumus accipere alio modo, videlicet reſpectu rei quæ conſideranda eſt in tali Sacerdotio, & hoc tripliciter, videlicet reſpectu rei offerentis, rei oblatæ, & rei quæ erat oblationis effectus, & volumus illa adaptare ad homines puros, vel ad Sacerdotes mortales, ex hoc (vt dicebatur) declaratur ſecundum, videlicet quod Apoſtoli verba non magis verificantur de Papa, quam de quocunque ſimplici Pontifice, nec de ſimplici Pontifice magis quam de ſimplici

Sacer-

Sacerdote. Nam ſi conſiderantur verba Apoſtoli, non loquitur ibi de iuriſdictione, ſed de oblatione; loquitur enim ibi de Corpore Chriſti vero, quod Chriſtus in Cruce obtulit Deo patri. Si autem loquitur ibi de Corpore Chriſti myſtico, ſiue de ipſis fidelibus, hoc non eſt ratione iuriſdictionis, ſed ratione oblationis, in quantum illa oblatio habet ſpiritualem effectum in omnes fideles, ſi volunt ad hunc effectum debitè ſe habere. Vndè & Apoſtolus ſolum de oblatione loquitur, dicens ad Hebræos. 7. Alij Sacerdotes pro ſe, & pro populo offerebant hoſtias, ſed Chriſtus hoc fecit ſemel ſe offerendo. Et ad Hebr. 8. dicitur, Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur. Ergo ſolum de oblatione, & de Corpore Chriſti vero, quod fuit oblatum Deo patri, & quotidie offertur in altari loquitur Apoſtolus. Siautem loquitur de corpore Chriſti myſtico, hoc eſt ratione iſtius oblationis: nam, & idem Apoſtolus ad Hebr. 8. vult quod neceſſe eſt hunc, ideſt Sacerdotem, vel Pontificem habere aliquid quod offerat: vbi vult quod Chriſtus oblationem habuit, quia obtulit ſemetipſum.

Arguatur ergo ſic, Quantum eſt ad conficiendum corpus Chriſti verum, quod facit quotidie Sacerdos ſuper altare, non eſt plus quàm ſimplex Sacerdos, nec eſt plus Papa per ſe loquendo, quàm quicunque Pontifex, vel quicunque Sacerdos; quia poſt confectum corpus Chriſti verum, quod facit quilibet Sacerdos, nulla eſt alia potentia reſpectu eiuſdem corporis Chriſti veri: ergo ſimplices Sacerdotes in hoc ſunt æquales Pontificibus, & quicunque Pontifices in hoc ſunt æquales Papæ: & hoc eſt ſecundum, quod dicebatur declarandum. Aduertendum tamen quod poſſunt eſſe maior ſolennitas in miſſa vnius ſacerdotis, quàm in miſſa alterius: ſed quantum ad confectionem corporis Chriſti veri, quod offertur in altari; & fuit oblatum in cruce, æqua eſt potentia per ſe loquendo omnium Sacerdotum. Propter tertium autem, ſciendum, quod ſi æternitatem Sacerdotij Chriſti volumus referre ad identitatem, quia ibi eſt idem Sacerdos, idem Sacerdotium, & eadem oblatio: vel quod idem eſt, ſi volumus referre hoc ad inſucceſſibilitatem, quia vt diximus, nec Sacerdotium poteſt ibi ſuccedere Sacerdotio, nec Sacerdos Sacerdoti, nec oblationi: &, vt dicebatur, ſi volumus hoc adaptare ad homines puros, & ad Sacerdotes mortales, declarabitur tertium, videlicet quod in talibus nec cedimus, nec accedimus, nec renuntiamus, nec alij ſuccedunt nobis. Sed dices, Quid ergo facimus, & quid alij faciunt? Reſpondebimus, quod Chriſtum induimus, & alij Chriſtum induunt, nam in omni hoc ſacerdotio, Sacerdos non ſuccedit Sacerdoti, & oblatio non ſuccedit oblationi, nec ſacerdotium ſuccedit ſacerdotio.

Sacerdos enim in conſecratione corporis Chriſti dicitur non ſuccedere Sacerdoti, quia nullus Sacerdos loquitur in propria perſona, cum conficit corpus Chriſti: dicit enim Sacerdos cum hoc facit, Hoc eſt enim Corpus meũ. Conſtat autem quòd illud non eſt corpus Sacerdotis, ſed eſt corpus Chriſti: ergo non loquitur Sacerdos in propria perſona, ſed loquitur in perſona Chriſti. Ergo Sacerdos conficiendo non dicitur cedere Chriſto, nec accedere, vt ipſi de acceſſu loquuntur, ſicut dicitur vnus Epiſcopus accedere alij Epiſcopo quia alio Epiſcopo viuente aſsumitur ad curam Eccleſiæ eius: nec dicitur hic Sacerdos renuntiare, vel ſuccedere Chriſto, ſed magis dicitur induere Chriſtum inquantum, loquens in perſona Chriſti, conficit corpus Chriſti. Non hic ergo de ſucceſſione loquimur, prout vnus Papa ſuccedit alij: nihil enim tale hic conſpicimus.

Ex his autẽ omnibus poteſt declarari quartũ, videlicet quod aduerſarij noſtri in ſuis vltimis rationibus non vadunt ſecundum mentẽ Apoſtoli, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt. Non enim vadunt, vt patuit, ſecundum mentem Apoſtoli, quia omnia prefata de æternitate Sacerdotij Chriſti referenda ſunt ad oblationem ipſam: aduerſarij tamen noſtri non intendunt arguere de ipſa oblatione, nec de ipſa confectione corporis Chriſti veri, ſed intendunt arguere de auctoritate papali, & de plenitudine iuriſdictionis. Immo extra mentem Apoſtoli vadunt, & cõtra nos nihil arguunt, nec concludunt, quia illæ duæ vltimæ rationes nihil omnino concludunt: vel ſi concludunt, hoc faciunt de ipſa cõſecratione, & oblatione corporis Chriſti veri, de qua hic agitur, & in qua per ſe loquendo ſimplices Sacerdotes ſunt æquales Papæ. Sunt enim ſimplices Sacerdotes in hoc æquales Papæ, quia ita poſſunt conficere corpus Chriſti verum, ſicut, & Papa: non autem ſunt æquales Papæ, nec æquales Epiſcopis, quod poſſint ordinare alios in Sacerdotes, ſicut Papa poteſt, & ſicut poſſunt Epiſcopi. Simplices itaque Sacerdotes quantum ad poſſe conficere ſunt æquales Papæ: ſed ad dandam conficiendi potentiam, quod fit, cum alij ordinantur in Sacerdotes ſunt infra Papam, & infra quoſcunque Epiſcopos.

CAPVT XXI.

Declarans quomodo ſub Sacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus, & idem Sacerdos.

QVamuis ex præcedentibus ſit ſufficienter oſtenſum, quod aduerſariorum duę vltimæ rationes vadunt extra mentem Apoſtoli, & contra nos nihil arguunt, nec concludunt, bonum eſt tamen rationes illas magis pertractare, & eas clarius ſoluere: ſed antequam hoc fiat, oſtendere volumus, quomodo ſub Sacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes dicuntur eſſe vnus Sacerdos, quia in hoc multum declarabitur mens Apoſtoli, qui volẽs dare differentiam inter Sacerdotium leuiticũ, Heb. 7.
& Sacerdotium Chriſti, ait ad Hebr. 7. quòd in Sacerdotio leuitico plures facti ſunt Sacerdotes. Quare ſi differt ſacerdotium Chriſti à ſacerdotio leuitico, quia ibi plures facti ſunt Sacerdotes, oportet quod in Sacerdotio Chriſti non ſit niſi vnus Sacerdos. Itaque declarare vnitatem Sacerdotis in Sacerdotio Chriſti facit ad clarius intelligere mentem Apo-

quod

Digitized by Google

ſtoli, & etiam facit ad clarius diſſoluere duas vltimas rationes. Propter qnod ſciendum, quod ſi ſub ſacerdotio Chriſti vnitatem ipſius Sacerdotis volunius referre ad ſolam perſonã Chriſti, clarum eſt quod dicitur, quia non eſt niſi vnus Chriſtus, nec vnquam ſuit, nec vnquam eric niſi vnus Chriſtus, non enim ipſi Chriſto vnquam acceſſit alius Chriſtus, nec vnquam renuntiauit, nec vnquam ſacerdotium eius ceſſauit. Immo eſſet moriens [poterat dici eius Sacerdotium ſemper viuere, quia per mortem eius ſuum ſacetdotium non amiſit; ſuam efficaciam, cum ex ſua morte, & ex ſua paſſione habuit hoc ſacerdotium efficaciam.

Nam hoc modo fuit Chriſtus Sacerdos, & hoſtia, quia moriendo in cruce obtulit ſe Deo Patri, & ſoluit prætium pro humana na-eura propter quod nos redemit, & Deo Patri nos reconciliauie. Poſſunt enim alij homines fieri Sacerdotes, & fieri Pontifices, & eſſe Vicarij Chriſti, ſed non propriè dicuntur eſſe Chriſti ſucceſſores, quia tunc fierent pares Chriſto, quod eſt impoſſibile. Succeſſor quidem dicitur eſſe par, & æqualis ei, cui ſuccedit. Refetendo igitut verba Apoſtoli ad ipſam perſonam Chriſti ſicut referri debene, rationes aduerſariorum nihil concludunt. Arguunt enim qnod quia Chtiſtus eſt Sacerdos in æternum, ideo tali Sacerdore viuente non poteſt ibi eſſe renuntiatio, ſed non plus concedimus, quamrationes arguant.

Dicimus autem quod quantum ad perſonam Chriſti, de qua loquitur Apoſtolus, cum ſuum Sacerdotium ſit æternum, non poteſt ibi eſſe renuntiatio, nec ceſſio, quia non poteſt eſſe alius Chriſtus · ideo enim quis cedie, vel quis renuntiat, vt alius in ſuo loco inſtituatur; nec etiam poteſt ibi eſſe acceſſio, quæ ſit propter defectum eius, cui aceedit, ſecundum quem modum dicimus Auguſtinnm Valerio non ſucceſſiſſe, ſed acceſſiſſe, quia viuente Valerio factus eſt Auguſtinns Epiſcopus Hipponcnſis, ſieut habetur, can.7.q.4.c. Non aueem. Hoc enim eſſe non poteſt in Chriſto, quia tune eſſet defectiuus Chtiſtus, & eſſent duo Chriſti. Nec poteſt ibi eſſe depoſitio, quia Chriſtus peccatum non fecit. nec inuentus eſt dolus in ore eius. Nec poteſt ibi eſſe ſucceſſio, quæ ſit per mortem, quia Chriſto moriente dici poterat eius Sacetdotium viuũ, quia non amiſit ſacerdotiũ illud vigotẽ ſuum per mortem Chriſti, imo habuit Sacerdotium ſuam vim, & ſuum vigorem, cum ex latere

Eccleſia vnde ſumpſit initium.

Chriſti dormientis in cruce dicatur eſſe formata Eccleſia, & exinde ſacramenta eccleſiaſtica dicaneur habere ſuam virtutem, vt poteſt patere ex Gloſa ad Rom. 5. Verum quia intellectus hominis non quieſcit, cum ſub ſa-

Heb 7. d.

cerdotio Chriſti fiant quotidie noui Sacerdotes, meritò dubiratur, quando dicat Apoſtolus, quod ſub ſacerdotio Leuitico plures facti ſunt Sacerdotes, volens ex hoc illud ſacerdotium diſtinguere à Sacerdotio Chriſti, cum & ſub ſacerdotio Chriſti plures facti ſint Sacerdotes? Sciendum ergo, quod ſub ſacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus Sacerdos propter tria. Primo ratione oblationis. Secundo ratione rei oblatæ. Tercio tatione commemorationis, ſiue annunciationis. Primò quidem omnes Sacerdotes ſunt vnus Sacerdos ratione oblationis, quia omnes offerunt in perſona vnius Sacerdotis, & omnes conficiunt iu perſona vnius Sacerdoeis ideſt in perſona Chtiſti, quia, vt ſupra tetigimus, quilibet Sacerdos cum conficit, dicit, Hoc eſt enim corpus meum.

Conſtat autẽ quòd corpus quod conficit Sacerdos non eſt cotpus ipſius Sacerdotis, ſed eſt corpus Chriſti, ergo cum quilibet Sacerdos conficiendo dicat, Hoc eſt corpus, & illud non ſit corpus ſuum, ſed ſit corpus Chriſti, ergo nullus Sacerdos cum conficit loquitur in perſona ſua, ſed quilibet loquitur in perſona Chtiſti: ergo cum conficiune offerendo, & conficiendo corpus Chriſti, omnes dicuntur vnus Sacerdos, quia omnes induunt perſonam vnius Sacerdotis ideſt Chriſti. Non autem ſic erar in Sacerdotio Leuitico, quod ipſi offerrent in perſona vnius, & eiuſdem Sacerdotis: tot ergo erant tunc Sacerdotes quot erant offerentes, & ideo dicuntur ibi plures facti Sacerdotes, quot erant offerrentes, & ideo dicuntur ibi plutes facti Sacerdotes, & dicũtur ibi homines mortales fieri Sacerdotes: ſed ſub ſacerdotio Chriſti, cum omnes Sacerdotes offerant in perſona Chriſti, qui eſt æternus: & immortalis, dicuntur omnes Sacerdotes eſſe vnus Sacerdos, & quantum ad hoc poſſunr dici immortales, quia conficiunt in perſona eius qui æternus eſt, & immortalis.

Secundo ſub Sacerdotio Chriſti dicuntur omnes Sacerdotes eſſe vnus Sacerdos non ſolum ratione rei offerentis, ſed etiam ratione rei oblatæ, quia omnes offerunt, vnam & eandem rem, videlicet corpus Chriſti verũ. Non autẽ ſic etat in Sacerdotio leuitico, quia non offerebant ipſam rem, nec ipſum verum corpus Chriſti, ſed offerebant animalia quæ erant figura eius. Conſtar autem qnod ipſa res in ſe non eſt niſi vna & aedem, ſed vnius & eiuſdem rei poſſunt eſſe multæ figuræ. Ideo ratione rei oblatę ſub Sacerdotio Leuitico vnus Sacerdos etat multi Sacerdotes, quia vnus Sacerdos multas res offetebat, & iterando oblationes, ſemper aliam, & aliam rem offerebat, qnia non erat idem animal quod offerebatur vno die, & quod offerebatur alio: etſi erae idem ſpecie, nonerat idem numero. Sed ſub ſacerdotio Chriſti multi Sacerdotes, immo omnes Sacedotes, & ratione rei oblatæ ſunt vnus, & idem Sacerdos, quia omnes offerunt in perſona vnius Chriſti, & omnes offerunt vnum, & idem corpus, non ſolum vnum, & idem ſpecie, ſed etiam vnum & idem numero: omnes enim Sacerdotes offerunt, & omnes conficiunt illud idem corpus numero, qnod Chriſtus traxit de Virgine, quod fuit eleuarũ in eruce, quod reſurrexit à mottuis, & cum quo Chriſtus aſcendit in cœlum.

Tertio ſub Sacerdotio Chriſti, omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus Sacerdos ratione commemorationis, ſiue tatione annunciationis: cum enim hoc Sacramentum celebramus, commemoramus mortem Chriſti, vel annunciamus mortem eius; ixuta illud Lucæ 22. Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur hoc facite in meam commemotarionem. Et prima ad Cor. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem domini annuntiabitis. Sed ſi

que-

Digitized by Google

Cap.11.d. queratur, qnare in hoc ſacro commemoratur vel annuntiatur mors Chriſti? Dici poteſt, quod imminente morte, inſtituit hoc ſacramentum, ideo hoc facimus in memoriam mortis eius; & hoc ſaciendo anountiamus mortem eius. Vel poſſumus dicere quòd ex vi ſacramenti, in hoc ſacrameuto corpus eſt ſeparatum a ſanguine, & e conuerſo: eſt enim ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus: ſed hoc oon eſt vi ſacramenti, ſed ex naturali concomitantia. Id enim ibi dicitur eſſe ex vi ſacramenti in qnod ſacta eſt conuerſio, vel in quod facta eſt tranſubſtantiatio, & quia ſubſtantia panis non connertitur, nec tranſubſtantiatur oiſi in corpus Chriſti, ideo ex vi ſacramenti ſub ſpecie panis non eſt niſi ſolum corpus: ſed quia illud corpus habet ſanguinem ſuum ſibi oaturaliter coniunctum, & eſt animatum, ideo ex naturali concomitantia etiam ſub ſpecie panis eſt ſangnis, anima, & totus Chriſtus. Sic ſub ſpecie vini, ex vi ſacramenti non eſt niſi ſanguis tantum, quia ſubſtautia vini non conuertitur niſi in ſanguinem, attamen quia ille ſanguis eſt coniunctus corpori, quod eſt animatum, ideo etiam ſub ſpecie vini, eſt ſanguis, corpus, & totus Chriſtus. Igitur quia ex vi ſacramenti ſub ſpecie vini eſt ſanguis tantum, ideo dicitur quod in hoc ſacramento conficitur corpus ex vi ſacramenti ſeparatum a ſanguine, & e conuerſo. Et quia hoc fuit in morte, qnod ſanguis fuit ſeparatus a corpore, ideo quotieſcunque hoc facimus, agimus memotiam mortis Chriſti, & annuuciamus mortem eius.

Ex his ergo patere poteſt, quod in hoc ſacrameuto idem commemorat, & annuntiat ſeipſum: vt quia ſub ſpecie panis ex vi ſacramenti non eſt niſi corpus tantum, ideo corpus Chriſti ſub ſpecie panis commemorat, & annunciat ſeipſum vt fuit ſepatatum a ſanguine, quod fuit in mnrte Chriſti. Sic etiam quia ſub ſpecic vini ex vi ſacramenti non eſt niſi ſanguls tantum, ideo ſanguis ſub ſpecie vini commemorat, & annuntiat ſeipſum prout fuit fuſus in paſſione, & prout fuit ſeparatus a corpore. Ergo quia io hoc ſacramento idem commemorat, & annuntiat ſeipſum, eadem eſt commemoratio, & eadem annuntiatio, & ratione rei commemorantis ſiue annuutiantis, & ratione rei commemoratæ ſiue annuntiatæ: quia (vt diximus) idem commemorat, & annuntiat ſeipſum: ſed in ſacerdotio leuitico commemoratio ibi eſſe uon poterat, quæ eſt de re præterita, quia Chriſtus nondum erat paſſus: ſi vero illa animalia oblata annuutiabant, vel ſignificabant mortem Chriſti, hæc annunciatio non erat per eandem rem, ſed per aliam, & aliam, quia non erat eadem res annuntians, & annuntiata, & figurans, & figurata, quia res figurans erat agnus, res figurata erat Chriſtus: & quia ſemper aſſumebatur alius, & alius agnus, qui immolatus figurabat, & annnntiabat mortem Chiſti poterat dici, & alia annunciatio. Patet ergo ex dictis, qnod ſub ſacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus Sacerdos ratione eorum qui conficiunt, vel qui offerunt, quia omnes conficiunt, in perſona vnius Chriſti: & ratiooe rei quam offerunt: & ratione eius, quod commemorant, & annuutiant, quia omnes commemorant, & annuntiant eandem mortem Chriſti. Hoc fit idem per idem, vt eſt per habita manifeſtum, & declaratum.

CAP. XXII.

In quo ſpecialiter pertractantur aduerſariorum duæ vltimæ rationes, & per iam dicta clarè & manifeſtè ſoluuntur.

Declarata mēte Apoſtoli, quomodo Chriſti ſacerdotium ſit æternum, & quomodo ſub ſacerdotio leuitico plures facti ſunt Sacerdotes: ſed ſub ſacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus Sacerdos, volumus ex his deſcendere ad ſoluendum aduerſariorum duas vltimas rationes, vndecimam, videlicet, & duodecimam. Oſtendebatur quidem in præcedentibus, quod præfatæ rationes non erant ſecundum mentem Apoſtoli, & contra nos nihil concludebant, ſed hic volumus dictas rationes ſpecialiter pertractare. Arguebat quidem vndecima ratio, quòd quia Apoſtolus vult, & probat ſacerdotium Chriſti eſſe æteronm, ſequitur ipſum eſſe Sacerdotem æternum: ergo, vt dicunt, nullo modo poteſt eſſe vita ſummi Pontificis, & ſummi Sacerdotis ſine ſummo ſacerdotio: ideo concludunt quod Papa renuntiare non poteſt. Addunt quidem quòd videtur nimis extraneum, & a ratione remotum quod ſummus Poutifex, qui eſt verus ſucceſſor, & Vicarius Ieſu Chriſti qui eſt Sacerdos in æternnm, poſſit abſolui ab alio quam ab ipſo Deo, quia aliquo modo poſſet vita ſummi Sacerdotis eſſe ſine ſummo ſacerdotio.

Adducunt autem duodecimam rationē, quod ſi poteſt renuntiare ſummus Pontifex quod Apoſtolus oihil concluderet. Dicunt enim quod ſi vita ſummi Sacerdotis poteſt eſſe ſine ſummo ſacerdotio, argumentum Pauli, vbi dicit quod ſecuodnm legem Moſaicam plnres facti ſunt Sacerdotes &c. penitus nullum videretur eſſe, ſed falſitatem contineret: oam poſſet argui contra Apoſtolum. Quare Chriſtus ſempiternum habet ſacerdotium? Reſpondet Apoſtolus eo quod manet in æternum: Dico tibi Apoſtole non eſt verum, quia poteſt in ſua vita renuntiare, & non erit Sacerdos amplius. Præmiſſis ergo his duabus rationibus eo modo quo aduerſarij eas formāt, & ſub eiſdem verbis, ſub quibns eas formant, volumns dictas rationes ſoluere. Soluemus quidem eas qnadupliciter. Primo prout verba Apoſtoli directè tangunt perſonam Chriſti. Secundo prout illa verba ſi applicentur ad Sacerdotes, qui ſunt puri homines, non arguunt de his quæ ſunt iuriſdictionis, ſed de his quæ ſunt oblationis, vel arguunt de bis quæ ſunt ordinis, & de his quæ reſpiciunt characterem ſacerdotalem, quem habent etiam Sacerdotes ſimplices. Tertio, ſoluemus rationes præfatas prout Apoſtolus loquitur de ſucceſſione per mortem, nullam mentionem faciens de ſucceſſione per renuntiationem. Quarto ſoluemus rationes illas prout ſecundum mentem Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli ſub ſacerdotio leuitico multi facti ſunt ſacerdotes, non autem ſub ſacetdotio Chriſti, ſub quo onmes ſacerdotes ſunt quaſi vnus ſacerdos.

Propter primum ſciendum, quod ſicut ſupra tetigimus verba Apoſtoli de æternltate ſacerdotij directè non reſpiciunt aliquem hominem purum, ſed ſolam perſonam Chriſti: Loquitur enim Apoſtolus, vt patet ad Heb.7. de ſacerdotio, quod iureiurando firmatum
Heb.7. eſt, illud Pſalmi adducens, Iurauit dominus &c. Cum ergo ſic habeatur in Pſalmo, ex vtero aute luciferum genui te, quod propriè cõpetit filio: poſtea ſequitur, iurauit Dominus, & non pænitebit eum, tu es ſacerdos &c. Ille ergo Deus pater qui genuit te ex vtero, ideſt ex ſua ſubſtantia, & ex ſua natura fæcunda, ille iurauit, ideſt inconcuſſa veritate firmauit. & non pœnitebit eum, quia non mutabit ſuum firmnm propoſitum, ſed ſemper erit ſacerdos in æternum. Cum ergo hoc non poſſit competere niſi Perſonæ Chriſti, verba Apoſtoli nõ ſunt referenda directè ad purum homiuem, ſed ad perſonam Chriſti. Nihil ergo concludie de tenunciacione Papæ, qui erat homo purus. Optimè ergo concludit ratio penultima, ſiue ratio vndecima, quod quia Chriſtus eſt Sacerdos in æternum, ideo ibi non poteſt eſſe renuntiatio: quia ſi renuntiaret, non eſſet ſacerdos in æternum; immo nec per mortem, nec quocunque alio modo poteſt eſſe ſucceſſio ſub tali ſacerdotio. Sic etiam optime arguit ratio duodecima, quia ſi poteſt Chriſtus renuntiare poſſet ei alius ſuccedere qui eſſet verus Chriſtus ſicut ipſe, & ſic non eſſet Sacerdos in æternum.

Concludunt ergo rationes præſatæ quandam veritatem de perſona Chriſti, ſed ſi ad aliquem purum hominem adapteneur, uon arguunt, nec concludunt. Secundo poſſumus præſaras rationes ſoluere, quia ſi illa verba Apoſtoli adaptentur ad Sacerdotes, qui ſune homines puri, cum Apoſtolus non loquatur de Sacerdotio quantum ad ea, quæ ſune luriſdictionis; ſed quantum ad ea quæ ſunt oblationis, patet quòd dictæ rationes nihil arguunt, nec concludunt. Cum euim Apoſtolus loquitur de huinſmodi Sacerdotio æterno, ſolũ de oblatione loquitur, iuxta illnd ad Hebr. 7. quod Chriſtus fecit hoc, ideſt oblationem huiuſmodi ſemel ſe offerendo, & 8. cap. dicitur, quod omnis Pontifex ad offerenda munera, & hoſtias conſtituirur: & nono cap. ſcribitur, quod neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. Ergo non loquitur Apoſtolus de ſacerdotio, niſi quantum ad oblationem prout Chriſtus ſe ſemel obtulit prout factus eſt Sacerdos, & Pontifex ad offerendum ſeipſum hoſtiam, pront non per aliennm ſanguinem, ſeipſum oblationem fecit. Hæc ergo ſi volumus adaptare ad alios Sacerdotes, qni quotidie in altari conficiunt corpns Chriſti, & offernnt illud idem corpus, quod Chriſtus obtnlit: licet Chriſtus obtulit ſuum proprium corpus in cruce ſub propria ſpecie, Sacerdotes autem offerunt illud idem corpus non ſub propria ſpecie, ſed ſub ſpecie panis, quia iſta reſpiciunt ipſam confectionem corporis Chriſti, vel oblationem eius, cum ad hoc ſufficiat ſimilis ſacerdotalis character, quia ſimplices Sacerdoees verè conficiunt: patet quod præfatæ rationes ſi aliquid arguunt, vel concludunr de charactere Sacerdotali, per quem quis conficie verum corpus Chriſti, qnod fiat oblatio, & hoſtia pro peccaro: non arguunt, quod Papa non poſſit renuntiare papatui. Et cum directè non poteſt renuntiare Papatui. Et cum directè non poteſt renuntiare ſno characteri ſacerdotali, quem quis ſuſcepie, ex quo nunquam poteſt ipſum deponere, quia huiuſmodi character remanet etiam in anima ſeparata, licet non adhuc vſum, ad quem eſt in præſenti vita: nec arguunt dictæ rationes plus de Papa, quam de qnocunque Sacerdote, quia nullus Sacerdos poteſt rennntiare ſuo characteri, cum non poſſit ſuum characterem deponere, vel quod poſſit ipſum a ſe remouere.

Tertio poſſumus præſatas tationes ſoluere, quia Apoſtolus loquitur de ſucceſſione per mortem, & nullam expreſſionem facie de ſucceſſione per renuciationẽ: propter quod aduerſarij noſtri petunr, quod eſt incontratium, & cum credunt contra nos arguere, contra ſeipſos arguunt. Volunt enim ipſi quòd poteſt eſſe ſucceſſio in Papatu per mortem, ita quod cum Papa moritur, poteſt ei alius ſuccedere, quod verum eſt, & negare non poſſumus: volunt etiam quod poteſt fieri ralis ſucceſſio per renunciationem, & hoc volunt probare pet Apoſtolum dicentem Chriſti Sacerdotium eſſe æternum: ſed Apoſtolus probae æternitatem Sacerdotij Chriſti per immorralitatem, non probat autem huiuſmodi æternitatem per non poſſe rennntiare: ſed per non poſſe mori. Ideo ſi volunt iſti ſequi Apoſtolum, non concludunt quod Papa non poteſt tenuntiare, ſed quod eſt immortalis, & non poteſt mori. Nam ſi Chriſtus eſt Sacerdos in æternum, oportet, quod ſemper viuat, & quod non poſſit mori, vt ſe fundabat ratio vndecima.

Sie etiam tatio duodecima, quia ſecundum iegem Moſaicam plures facti ſun Sacerdotes, fundat ſe ſupet ſemper viuere, & non poſſe mori. Ideo ad Heb.7, vnde ſumpta ſunt illa verba, ſicut iacet textus, quod alij quidem ſupplent (ſub lege Moſaica, vel ſub Sacerdocio leuitico) plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem, videlicet Chriſtus, eo quod maneat in æternnm ſempiternum habet Sacerdotium.

Hæc ergo concludunr. Si volnmus hoc adaptare ad Papam, concludetur, quod Papa maneat in æternum, & concluditur quod non poſſunt plures aſſumi ad papatum, ita quod vno moriente ſuccedat alius. Propter quod cum aduerſarij volnnt, quòd Papæ morienti poteſt alius ſuccedere, & nolunt quòd renuntianti poſſit hoc fieri, cum Apoſtolus exptesſè velit quòd ſub Sacerdotio Chriſti Sacerdoti morienti non poteſt alius ſuccedere, patet, quòd non vadunt ad mentem Apoſtoli, ſed potius ad oppoſitum mentis eius. Sed dices, ſi non poteſt in papatu eſſe ſucceſſio per mortem vt quòd vnus ſuccedat alij morienti, multo magis non poterit eſſe per renuntiationem, vt qnod vnus ſuccedat alteri renuntianti. Reſpondebimus quòd detis nobis Papam immortalem,

talem,

talem, vel ſummum Sacerdotem immortalem, tunc dicemus quod ille renuntiare non poteſt: ſed nulla perſona (per ſe loquendo) poteſt eſſe talis niſi perſona Chriſti, quæ eſt æterna: ille autem cum ſit Sacerdos iureiurando, quia iurauit Deus, & non pęnitebit eum, quia nunquam illud iuramentum mutabit, nec infringet, quòd Chriſtus eſt Sacerdos in æternum, nec poteſt renunciare, nec poteſt cedere, quia ſi hoc poſſet, non eſſet Sacerdos in æternum.

Quarto poſſumus ſoluere rationes præfatas prout ſub Sacerdotio Leuitico nobis facti ſunt Sacerdotes, ſed ſub Sacerdotio Chriſti omnes Sacerdotes poſſunt dici vnus Sacerdos. Dicebatur quidem in præcedenti cap. quod omnes Sacerdotes ſub Sacerdotio Chriſti ſunt vnus Sacerdos ratione confectionis, quia omnes conficiunt in perſona Chriſti: & ratione rei oblatæ, quia omnes offerunt eandem rem, videlicet verum Corpus Chriſti: & ratione annuntiationis, quia in hoc Sacramento, vbi Corpus Chriſti, quod ex vi Sacramenti dicitur eſſe ſeparatum a ſanguine, annuntiat ſeipſum in morte, quòd fuit ſic ſeparatum: & Sanguis Chriſti, qui ex vi Sacramenti conficitur ſeparatus a corpore, annuntiat ſeipſum in morte, qui fuit effuſus, & ſeparatus a corpore. Igitur ſi iſtam æternitatem Sacerdotij volumus adaptare ad alios Sacerdotes, dicemus quòd omnes Sacerdotes in quantum conficiunt ſunt immortales, quia omnes conficiunt in perſona Chriſti, qui eſt perſona immortalis: & in quantum offerunt ſunt immortales, quia offerunt rem immortalem, quia totum Chriſtum: & in quantum annuntiant, & in quantum illud faciunt in commemorationem Chriſti ſunt immortales, quia rem immortalem annuntiant. Sed dices, Quomodo annuntiant, & quomodo commemorant rem immortalem, cum hoc faciendo mortem Chriſti annuntient, & paſſionis Chriſti memoriam faciant?

Sacerdotes noui teſtamenti ſunt immortales.

Dicemus quòd Chriſtus moriens erat immortalis, quia ſi erat moriens vt homo, erat immortalis, vt Deus: & vt ſupra diximus, poſſumus dicere melius; & magis ad propoſitum, quia licet Chriſtus moreretur per ſeparationē animę à corpore, tamen non moriebatur quātum ad efficaciā moriendi, imo moriendo fuit efficax remediū ad nos ſaluandum. Ideo Apoſtolus loquens de Sacerdotio Chriſti, ait. Accedens ad Deum per ſemetipſum, ſemper erat viuens ad interpellandum pro nobis. Cum ergo per mortem acceſſerit ad Deum, quia per proprium ſanguinem introiuit in ſancta, ideo moriens in carne, erat viuus ad interpellandum: & quia vt Sacerdos interpellat pro nobis & offert, oblatus pro nobis quantum ad Sacerdotium poteſt dici ſemper viuere, & eſſe Sacerdos in æternum. Ex hoc autem patere poteſt illud quod dicebatur in cap 19. quomodo in Sacerdotio Chriſti non eſt niſi vnus Sacerdos, cum in lege noua multi ſint Sacerdotes, & quotidie noui Sacerdotes fiant, quia, vt patet, licet huiuſmodi Sacerdotes ſint multi, & mortales, tamen vt conficiunt non ſunt mortales, ſed immortales, quia conficiunt in perſona Chriſti, qui eſt immortalis. Non ſolum itaque ex tribus pręhabitis, ſed etiam ex eo quod nunc quartò

Heb. 7.d

diximus, patet ſolutio ad illas duas obiectiones fundantes ſe ſuper æternitate Sacerdotij Chriſti: quia cum verba Apoſtoli intelligenda ſint de oblatione prout Chriſtus ſeipſum obtulit, patet quod Papa quantum ad huiuſmodi oblationem, & in quantum conficit Corpus Chriſti, eſt immortalis, quia hoc conficit in perſona Chriſti, ſicut & alij Sacerdotes, qui eſt perſona immortalis. Cum ergo omnes Sacerdotes ſecundum hunc modum ſint vnus, & idem Sacerdos, & cum in vno, & eodem non propriè ſit ceſſio, nec acceſſio, nec renuntiatio, nec depoſitio, nec translatio, nec ſucceſſio: quoniam omnia iſta alietatem important: nam ſi quis cedit, hoc fit vt alius ſit loco ſui: & ſi quis accedit, hoc fit vt locum eius teneat; & ſi quis deponitur, hoc fit vt alius præponatur: & ſi quis renuntiat, hoc fit vt alius illud officium habeat: & ſi quis transfertur, hoc eſt vt ipſe alium locum teneat, & alius locum eius habeat: & ſi quis ſuccedit, hoc eſt quia ipſe ponitur vbi alius ſtetit. Cum ergo iſta alietatem importet, vbi ergo erit vnitas & identitas, talia propriè reperiri non poſſunt: eo ergo modo quo Sacerdotium Chriſti eſt æternum, & prout omnes Sacerdotes ſunt vnus & idem Sacerdos, talia propriè non reperiuntur: & per hoc ſunt ſolutæ aduerſariorum rationes duæ vltimæ. Et quia in prioribus capitulis ſoluebantur aliæ rationes decem, ideo iam ſolutæ ſunt omnes aduerſariorum duodecim rationes.

CAP. XXIII.

In quo præter præhabitas. 12. rationes adducuntur quædam obuiationes aliæ, quibus per præſens capitulum reſpondetur.

DIcebatur quidem in ſecundo cap. in quo tractabatur de ordine dicendorum, quod in toto hoc opere quinque agere volebamus, quia primo narrare volebamus omnes rationes, quas aduerſarij faciebant, quod fuit factum, in vno & eodem cap. Secundo volebamus illis rationibus reſpondere, quod valde diffusè factum eſt, & per multa & varia capitula rationes illæ ſunt ſolutæ, & pertractatæ, & ad nihilum redactæ. Tertio quidem quia præter narratas duodecim rationes, aduerſarij adducebant quaſdam alias falſitates, & quaſdam alias obuiationes, ideo volebamus illas falſitates & obuiationes deſcribere, & narrare. Quarto volebamus dictis falſitatibus, & obuiationibus reſpondere. Quinto, & vltimo intendebamus adducere rationes ad propoſitum, & imponere finem dictis. Verùm quia illæ falſitates & obuiationes, quas ſuis rationibus aduerſarij addiderunt, ſunt modici ponderis, & quaſi nullius momenti, ideo in hoc cap. combinabimus illa duo, & deſcribemus falſitates, & obuiationes illas, & reſpondebimus ad eaſdem. Sciendum ergo quod falſitates & obuiationes, de quibus locuti ſumus, & quas faciunt aduerſarij noſtri, ad duo reducuntur, videlicet ad ea quæ fuerunt in renuntiatione Summi Pontificis, &

ad ea quæ ſunt poſt renuntiationem huiuſmodi ſubſequuta, quæ credimus referenda eſſe ad electionem: ita quod aduerſarij dupliciter obuiant noſtro propoſito, & veritati, vno modo ex parte renuntiationis, & inde dicunt ſe accipere tertiamdecimam rationem: & alio modo ex parte electionis, & inde dicũt quartamdecimam rationem facere. Ita quòd ex hoc duplici modo obuiandi dicunt ſe facere duas rationes, quas numerant in duodecim rationibus antedictis, vt in vniuerſo dicant eſſe 14. rationes. Ex parte ergo renuntiationis bene ſumunt tertiamdecimam rationem. Dicunt quod in renuntiatione ipſius multæ fraudes, & doli conditiones, & intendimenta, & machinamenta, & talia interueniſſe mille, ita quod eſtò, quod poſſet fieri renuntiatio, iſta tamen quæ interuenerunt vitiarunt ipſam renuntiationem, & reddiderunt eam illegitimam, ineſficacem, & nullam.

Volunt ergo per hoc concludere, quod renuntiatio ſic machinata, & tot doloſitatibus perpetrata, non debet dici renuntiatio: propter quòd dato quod potuerit renuntiare prout per habita declaratum eſt, non tamen renuntiauit, quia falſa renuntiatio non eſt renuntiatio, ſicut falſus denarius non eſt denarius, & homo mortuus non eſt homo: vt ex his verbis fortificetur dictum aduerſariorum, vt fortificatum plenius deſtruatur: nam quanto aliquid eſt magis eleuatum in altum, ſi caſum pariatur, magis colliditur, & maiorem patitur fractionem, iuxta illud Iob, Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valide.

Iob.30.e.

Hæ autem obuiationes de renuntiatione, ſunt quaſi ſupra ventum poſitæ, & faciliter elidentur. Ex parte etiam electionis, vndè ſumunt quartamdecimam rationem, dicunt quod eſtò quod renuntiatio tenuiſſet (quod nullo modo ſe dicunt aſſerere, neque credere) multa tamen, vt aiunt, poſtea interuenerunt conſequuta, quæ electionem ineſficacem, & nullam reddiderunt omnino. His itaque prælibatis, volumus primo ſoluere rationem tertiamdecimam, in qua narrantur obuiationes ſumptæ ex parte renuntiationis, ad quã quadrupliciter reſpondebimus. Primo quia obuiationes illæ ſunt falſæ, & peccant in materia: ſecundo quia non ſyllogizant, & peccant in forma: tertio quia non ſunt ad propoſitum, & in noſtra materia non concludunt: quarto quia quod dicunt non eſſe renuntiationem, eſt renuntiatio: nam non ſolum doloſa, & fraudolenta renuntiatio (dato quod ſic eſſet, quod non eſt credendum fuiſſe) poteſt dici renuntiatio ſed etiã coacta eſt dicenda renuntiatio, cum voluntas coacta ſit voluntas ſecundum ſententiam Sapientum.

Dilutio 1.

Primo quidem ſoluimus dictas obuiationes per interemptionem, dicentes quod ſunt falſæ, & peccant in materia. Poteſt quidem ex pluribus adhuc viuentibus comprobari D. Bonifacium Papam VIII. tunc in minoribus agentem, & Cardinalem exiſtentem perſuaſiſſe Domino tunc Cæleſtino, quod non renuntiaret; quia ſufficiebat collegio quòd nomen ſuæ ſanctitatis inuocaretur ſuper eos. Et quia etiam pluribus audientibus hoc factum fuit, ideo in renuntiatione non fuerunt illæ doloſitates, nec illa machinamenta, nec illæ fraudes, vt aduerſarij aſſerebant.

Non ergo tantum in hoc Bonifacio fuit ambitionis, & arrogantiæ, quantum ei imponit Platina.

2.

Secundo poſſumus ſoluere dictas obuiationes, quia non ſolum recipiunt falſa & peccant in materia, ſed etiam non ſyllogizant & peccant in forma. Nam cum aliquid perſuadetur alicui, vel illud eſt ad bonum non ſolum perſonæ, ſed totius Eccleſiæ: vel eſt ad malum perſonæ, vel (quod peius eſt) ad malum Eccleſiæ. Si autem ſit ad bonum Eccleſiæ & perſonæ, nullo modo debent dici fraudes, nec doloſitates, nec machinamenta, niſi fortè ſecundum reputationem hominum, qui ea, quæ bonitates ſunt, fraudes & doloſitates nominant.

Nam in quibus ſumus Dei miniſtri, non debemus curare, ſi ex hoc famemur apud bonos, & infamemur apud alios: & ſi ex hoc vocemur veraces apud peritos, & ſeductores apud alios, iuxta illud ad Cor. 6. In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros (& poſt multa verba idem ſubditur) per infamiam, & bonam famam, & vt ſeductores, & veraces.

2.Cor.6 a b

Manifeſtè enim patet, quod inducentes Cęleſtinum ad renunciandum, erant Dei miniſtri, cum hoc expediret Eccleſiæ, & perſonæ. Vbi ergo erat tantus profictus, fraus & doloſitas dici non debet, niſi fortè ſecundum reputationem hominum, quibus ſi vellemus in omnibus placere, non eſſemus ſerui Chriſti, iuxta illud Apoſtoli, Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.

Gal. 1.b.

In his ergo quæ ſunt ſecundum reputationem hominum, dumtamen agamus quæ ſunt in Dei miniſterium, non debemus curare, vtrum dicamur veraces, vel ſeductores: nec etiam vtrum inde ſimus famoſi vel infames.

3.

Tertio poſſumus ſoluere obuiationes habitas, dicentes, quod non ſunt ad propoſitum, & in materia noſtra non arguunt, nec concludunt.

Nam in electionibus alijs vel renunciationibus alijs talia locum haberent, quia ibi etiam ſuperior qui poteſt de talibus cognoſcere: ſed in renunciatione papali, & in electione papali nulla talia ſunt admittenda, niſi forte eſſet hæreticus qui eſſet electus in Papã, quia tunc eſſet in deſtructionem Eccleſiæ talem exceptionem non admittere, cum ad ipſum ſpectet determinare quęſtiones de his quę ſunt fidei; ſed ſi aliæ exceptiones admittuntur, hoc eſſet in malum, & in deſtructionem Eccleſiæ tales exceptiones admittere, quia tunc non eſſet ſuperior qui iudicare poſſet: eſſet Eccleſia acephala, & ſub magno periculo vacillaret. Quarto ſoluere poſſumus obiectiones iam dictas, quia dicunt non eſſe renunciationem vbi eſt renunciatio: aiunt enim quod renunciatio cum talibus, quas vocant doloſitates, & fraudes, eſt ineſficax, & nulla ad quod dicere poſſumus quod plus habet de inuoluntario id quod fit per coactionem, quam quod fit per inductionem, vel per ſuggeſtionem: & ſuggeſtio vel perſuaſio tunc etiam dicenda fraudulenta, quando etiam in malum perſonæ, & quando ſcienter perſuadetur quod etiam in malum alicuius, & potiſſime perſuaſio etiam dicenda doloſa, quando etiam in malum Eccleſiæ: ſed hæc non fuerunt in renunciatione Cæleſtini, vt ſupra tetegimus: propter quod quæ ibi fuerunt cõmiſſa, fraudes vel doloſitates, vel machinationes, vel aliqua huiuſmodi non debent dici. Reuertamur autem ad propoſitum, & dicamus, quod plus debet de inuoluntario quod

fit

ſit per coactionem, & tamen voluntas coacta voluntas eſt non quod in coactione ſit aliquid de inuoluntario, & de diſplicentia. Tamen voluntas coacta dicitur volſitas, quia plus etiam ibi de voluntario quod de inuoluntario, vt ſi quis metu nauſtagij dicatur coactus proijcere merees in mari, vel ſi quis metu mortis coactus dicatur ſacrificare Idolis. Licet hoc, vel illud, vel quodcumque ſimili habeat aliquid de inuoluntarlo, plus tamen habet de voluntario, quia, & ſi diſplicet ſibi proijcere merces in mari, plus diſplicet ſibi perdete vitam. Et quia potius vult habere vitam quod habere res ideo illa proiectio, vt ſaluet vitam, licet ſi voluntaria, & inuoluntaria, plus eſt tamen voluntaria, quam inuoluntaria. Sic eſt dicendum etiam de ſacrificatione Idolorum, & de quocunque ſimili. Immo cum aliquis proijcit merces in mari, cum in poteſtare ſua, & in voluntate ſua ſit accipere res, & proijcere, vel non accipere, & non proijcere, quis vnquam dicere poſſet, quod hoc non ſit magis voluntarium quam inuoluntarium?

Voluntas ergo coacta voluntas eſt. Ideo in tertio Ethicorum, vbi philoſophus determinat de factis per violentiam, ait, Talia ſcilicet voluntaria, & inuoluntaria, (& ſubdit) magis aſſimiliaretur voluntarijs, ideſt plus habent de voluntario quod de inuoluntario. Igitur vt diximus ſi voluntas coacta eſt voluntas, renunciatio coacta debet dici renunciatio: multo ergo magis renunciatio perſuaſa dicenda eſt renunciatio. Sed dices quod licet tenunciatio perſuaſa ſi renũciatio, tamen cum ſic agens ignoret, quid renuncians faciat, & de dolo inducatur ad hoc agendum, quamuis hoc non faciat, quòd illa renunciatio non ſit renunciatio hoc tamen facit quod nihil valet, & nihil teneat quod per talem renunciationem efficitur. Simili enim videmus de voluntate coacta, quia licet voluntas coacta ſi voluntas tamen non videtur tenere nec valere quæ fuerint per coactionem vel per metũ facta, & maximè ſi eſſet metus qui poſſet cadere in conſtantem virum. Sed quicquid de coactione ſit, quia hoc non tangit noſtram materiam: quantum autem ad renunciationem dicere poſſumus, quod vt ſupra tetigimus, renunciatio illa non debet dici doloſa, quæ ſit in bonum Eccleſiæ, & perſonæ: immo quod plus etiam in tantum forte talia non tenent, vel non valent in quantum habent aliquid de inuoluntario. Sed oſtendere volumus quod dato, quod percircumuentione, & per pulcra verba fuiſſet inductus ad renuntiandum, non deberet dici, quod renunciatio habuiſſet aliquid de inuoluntario. Nam in tantum qui ſunt huiuſmodi habent de inuoluntario, in quantum habent de ignorantia, vt quia ſic agens neſcit, & ignorat quid faciat: ſed vt probat philoſophus. 3. Ethi. non omne quod ſit per ignorantiam debet dici inuoluntarium, ſed quod eſt triſte, & quod ſit cum pænitudine: quando enim quis aliquid facit per ignorantiam, ſi poſtea cum recognoſcit ſe, & cogitat, & videt quid fecit, ſi triſtatur, & peniter, poteſt illud dici inuoluntarium quia participat aliquid de inuoluntario. Dato ergo quod Cæleſtinus fuiſſet inductus ad renuntiandum, quantumcumque poſtea cogitaret, & quantumcumque aduerteret de hoc quod fecit, quia renunciauit, non debuiſſet triſtari nec pænitere, & ſi triſtaretur, vel pæniteret male faceret cum hoc eſſet bonum animę ſuę, quod præponderat omni bono corporali. Et cum eſſet bonum totius Eccleſiæ, quod præponderat omni bono cauſato, ergo ſicut de iure non debebat triſtari nec pænitere, & iniuſte fuiſſet triſtatus, vel pænituiſſet, ſic dato quod per ignorantiam, & inductus hoc feciſſet, non deberet de illa ignorantia habere aliquid de inuoluntario, dato quod haberet de inuoluntario, ſibi facto non tamen haberet de iure: quia iuſtior eſſet, & magis ſuum ius & magis ſuam rationem ageret, non pænitendo de hoc quam pænitendo: nam & ſi forte talia eſſent admittenda, quæ rem inuolutariam rationabiliter facerent, quia doloſa fuit illa inductio, & fraudulenta fuiſſet illa perſuaſio, attamen præfata nihil tale habent, cum non ſit rationale, quod quis de bono opere doleat.

Quod autem addebatur, quod homo mortuus non eſt homo, & quod falſus danarius non eſt danarius. Dicemus quod non debet dici illa renunciatio mortua, imo debet dici viua, & ſecundum ius, & ſuam rationem valere, cum ſuum ius, & rationem ageret renuntiando, & non exponendo ſe periculo in commune bonum. Nec debet dici illa renunciatio falſa, nec fraudulenta, quæ erat in bonum Eccleſiæ, & perſonæ. Hæc autem non dicimus quod homo ſapiens, & peritus, & qui bene ſciat gubernare Eccleſiam, renunriare non poſſit, ſed hoc ideo diximus quod præfata renunciatio non ſolum fieri potuit, ſed ſine peccato, & cum merito facta fuit; ſed ſciens, & peritus qui vis poteſt hoc facere, peccaret fortè id faciendo. Diximus quidem hæc omnia, vt ſemper concludamus contra aduerſarios qui falſum aſſerunt. Nam ſi dicant quod illa renunciatio non fuit renunciatio, aſſerunt falſum cum & coacta voluntas, ſit voluntas. Si vero dicant quòd fuit renunciatio, ſed non quod teneret, & valeret, quia ex parte inducentium fuit doloſa, & fraudulenta ex parte inducti fuit per ignorantiam perpetrata, paret quod non debet dici dolus neque fraus, quod eſt in bonum Eccleſiæ, & perſonæ. Quod verò de ignorantia additur, dicemus, quod dictat ratio naturalis, quod nec de renunciatione nec de quacumque re dici poteſt, quod facta per ignorantiam non valeat, vel non teneat, ſi ea cognita, & ignorantia amota non poteſt dici, quod hoc faciens rationabiliter pæniteat, vel rationabiliter triſtet, quæ omnia ſunt per habita manifeſta, & maximè ſi non ſit ignorantia, quam habent amentes, vel ebrij, ſed quã habent ſimplices, & groſſi, qui cognoſcunt quod agunt, licet cogitare neſciant quæ cogitanda ſunt.

Solutis ergo obuiationibus ſumptis ex parte renunciationis, primo quia falſę erant & peccabant in materia, ſecundo quia procedebant in æquiuoco, & peccabant in forma, quia non quælibet inductio debet dici doloſa, & maximè ſi ſit ad bonum: tertio quia non erant ad propoſitum, quia non ſunt talia audienda in renuntiatione vel in electione

Digitized by Google

Papæ: & quia erat tenunciatio, & de iure, vbi non dicebant eſſe renunciationem, vel non eſſe de iure, volumus, omnibus eis rationibus tactis, ſoluere ea, quæ dicebant de electione. Primo quidem ſoluemus obuiationes, videlicet, quod talia ineeruenerunt quæ electionẽ vitiabant. Reſpondebimns enim per interemptionem, quia falſa recipiunt, & peccant in materia, quia non eſt credibile quod ia tanto negotio talia committantur. Secundo ſoluemus rationes illas, quia ptocedunt in æquiuoco, & peccant in forma. Equiuocãt enim ibi de electione quia eſt aliqua electio, quæ pet talia vitiatur, ſicut eſt electio inferiorum Prælatorum, qui cum habeant ſuperiorẽ poteſt ſine periculo communis boni, & ſine periculo Eccleſiæ de talibus cognoſci, & viſũ eſt quod tales electiones per talia vitiantur.

Sed in electione Summi Pontificis hæc locum non habent, quia cum non ſit aliquis ſuperior quod poteſt de talibus cognoſcete, non poſſunt ſine periculo communis boni, & ſine periculo Eccleſiæ tales exemptiones admitti. Ideo dicitur exinde de electione, & electi poteſtate cap. licet, quod duabus partibus ſcilicet Cardinalium concordaneibus ſi tertia pars coucordare noluerit, aut ſibi alium præſumpſerit nominare ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia Rom. Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit, & receptus. In alijs itaque electionibus poſſunt bæc habere locum, in electione autem Summi Pontificis vbi non eſt ſuperior qui cognoſcat vbi publicum bonum exponeretur periculo, duabus partibus Cardinalium conſeutientibus nulla eſt exceptio admittenda, niſi tantum pro hæreſi, cuius cauſa eſt ſuperius allegata.

Tertio poſſumus ſoluere obuiationes pręfatas, quod tatione proponentium non ſune ad propoſitum quæ proponuntur: nam cum ipſi fuerint de eligentibus, contra iſtud propoſitum, cum ſuerit eorum propoſitum facere non poſſunt. Dicentes enim quod in ipſa electione aliqua talia interuenerunt, cum ipſi fuerint de eligentibus, ſunt minimè audiendi. Quarto poſſumus eaſdem obiectiones ſoluere, quia dicunt electionem illam nullam eſſe: nam quicquid ſit de alijs electionibus, vbi ex vitio perſonæ vitiatur electio, hic autem tenet electio, nec ſic vitiatur, nec ſic caſſari poteſt electio Summi Pontificijs, ſicut electiones aliæ imo tenet de iure, & valet buiuſmodi electio, vbi non valerent electiones aliæ falſa ergo recipiunt, quia non eſt credibile talia interueniſſe: peccat informa, quia non eſt ſimile de hac electione, & de alijs: ratione igitur proponentium has obiectiones non ſunt ad propoſitum cum ipſi ptoponentes fuerinr de eligentibus. Quinto, & vltimo per præſata verba, vel per præſatas obiectiones, non arguunt, daro quod vera eſſent, cum non ſit electionis vitium, ſed potius perſonarum. Veram ergo auctoritatem habet SS. P. D. Boniſacius Papa VIII. & etiam verus, & legitimus Sponſus Eccleſiæ, & ei tenentur omnes humiliter obedire: quia allegare falſa, & quæ non ſunt ad propoſitum & quæ ſi interueniſſent, non vitiarent electionem; & maximè quòd illi allegare audeant qui fuerunt de eligentibus, recta ratio non admittit.

CAP. XXIV.

In quo adducuntur rationes ad propoſitum ſecundum quatuor genera cauſarum, & etiam ſecundum auctoritates quod Papa renuntiare poteſt.

POſtquam adduximus rationes aduerſariorum: quod Papa renuntiare non poteſt, & eas ſoluimus, & narrauimus quaſdam alias obuiationes, tam ex parte renuntiationis quam ex parte electionis, & ad alias rendimus, volumus in hoc capitulo adducere rationes ad propoſitum quod Papa renuntiate poteſt: ſed hoc breuius pertranſibimus, quia in omnibus capitulis præcedentibus vbi ſoluebamus aduerſariotum rationes tetigimus aliqua; immo multa, & varia, vnde formabuntur rationes ad propoſitum quod Papa renuntiare poteſt. In hoc ergo capitulo de illis aliqua reſumentes arguemus propoſitum quod eſt toties replicarum, videlicee quòd Papa rennntiare poteſt. Dicemus quidem quod apud ſapientes qua tuor cauſarum genera diſtinguuntur (vnde, & in octauo metaphy. laudantur definitiones Ariſtarchi, quæ erant ſecundum omne genus cauſarum,) & diſcurreudo per omnia genera cauſarum oſtendemus quod omnes cauſæ concordant noſtro propoſito, & nullum genus cauſæ noſtro propoſito contradicir.

Propter quod ſciendum quod quaruor [2. Phy. c. 3.] genera cauſarum ſunt allegata a ſapientibus [1. Meta. c. 2.] videlicet cauſa formalis, materialis, efficiens, & finalis. Expedir conſiderare in ipſo papatu, quid ſe habet vt formale, quid ve materiale, quid vt finis, quid vt efficiens. Formale antem eſt ipſa ratio tei: imo ſi videre volumus quid eſt formale in ipſo Papatu, conſiderare debemus in quibus conſiſtit ipſe papatus: nam cum omnis auctoritas, & eccleſiaſtica poteſtas, vel dicit ea quæ ſunt ordinis, vel ea quæ ſunt iuriſdictionis, oportet quòd ratio papalis poteſtatis in aliquo illorum exiſtat. Materiale autem in ipſo papatu ſunt perſonæ, in quibus habet eſſe papatus, vel quæ aſſumuntur ad papatum: nam poteſtates, virtures, & ſimiliter omnes perfectiones non habent materiam ex qua fiant, ſed in qua tecipiuntur: cum ergo papatus ſit quædam poteſtas, & quædam auctoritas, & quædam perfectio, non habet materiam ex qua, ſed in qua: ipſæ ergo perſonæ, quæ aſſumuntur ad papatum, & in quibus recipitur papatus, dicuntur eſſe quid materiale reſpectu papatus. Cauſa autem efficiens ipſius papatus eſt conſenſus eligentium, & conſenſus electi: & ſi dicatur quod eſt cauſa efficiens etiam confirmatio ipſius Dei: dicemus quod Deus ſic adminiſtrat res, vt eas proprios curſus agere ſinat: ex quo ergo hoc requirit curſus rerum, quod ſi eligentes eligunt, & intellectus aſſentir quod ille ſit Papa, debemus ſupponere quod hoc fiat ex diuina voluntate. Finis autem, ad quem ordinatur Papatus eſt commune bonum, & tegimen totius eccleſiæ Quòd ergo Papa tenuntiare poſſit, vel quòd renun-

tiare

riare non poſſit, ex aliquo genere cauſarum debet hoc argui, & coucludi.

Ea propter ſi probare poterimus ex eo quod eſt formale in papatu, & ex eo quod eſt materiale, & ex cauſa efficiente, & finali quod Papa renunriare poſſet: & poſtea ad hoc adducere auctoritates, credimus noſtrum propoſitum ſufficienter fore probatum. Volumus ergo primo probare noſtrum propoſitum ex eo quod eſt formale in papatu, vel ex his in quibus conſiſtit paparus Dicebamus autem, quod omnis auctoritas, & omnis poteſtas eccleſiaſtica conſiſtit in his, quæ ſunt ordinis, vel in his, quæ ſunt iuriſdictionis. Sufficienter autem patere poteſt per habita quod Papa vltra ſimplicem Pontificem non dicit ea quæ ſunt ordinis, ſed quæ ſunt iuriſdictionis: quod multis modis ſupra declarabatur, videlicet ex quolibet ſimplici Pontifice. Dicebatur quidē quod quilibet Pontifex poteſt dici ſummus Sacerdos, vt oſtendebatur tam auctoritate Magiſtri Sententiarum, quam auctoritate Decreti. Arguatur ergo ſic, Quilibet Pontifex poteſt dici ſummus Sacerdos, vel ergo hoc eſt quantum ad ea quæ ſunt ordinis, vel quam tum ad ea quæ ſunt intiſdictionis: non quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, quia tunc quilibet Pontifex haberet plenitudinem poteſtatis, & eſſet ſummus quantum ad iuriſdictionem, quod ſoli Papæ competit: eſt ergo quilibet Pontifex ſummus Sacerdos quantum ad ea quæ ſunt ordinis: habet itaque Papa plus alijs Pontificibus quæ ſunt ordinis, cum quilibet Pontifex quantum ad talia ſit ſummus.

Oſtendebatur etiam hoc idem non ſolū ex vtroque, ſed etiam ex ipſo charactere, & ex perfectione characteris: nam quæ ſunt ordinis cum ſint indelebiia, oportet quod indelebilibus innitantur, huiuſmodi autem ſunt character, & perfectio characteris non plus dicunt in ſummo Pontifice, quam in quocunq; ſimplici Pontifice, quia ſi character qui imprimitur Papæ, & perfectio characteris in Papa, quibus innititur ea quæ ſunt ordinis, dicerent aliquid plus quā in alijs poteſtatibus, tunc electus in Papam a nullo Pontifice poſſet ordinari in Sacerdotem, nec conſecrari in Epiſcopum, quia cum poſitum ſit quod character, qui imprimitur Papæ, vel perfectio characteris in alijs poteſtatibus, cum nihil agat vltra ſuam ſpeciem, nullus pontifex poſſet ordinare Papam in Sacerdotem, nec imprimere ſibi characterem, nec poſſet ipſum conſecrare in Papam nec dare ſibi perfectionem characteris. Sed cum Papa ordinetur, & conſecretur ab alijs Pontificibus: conſequens eſt quod character, & perfectio characteris in eo nihil plus dicant quam in alijs Pontificibus: & conſeqnens etiam eſt quod quantum ad ea quæ ſunt ordinis nihil eſt plus in eo quam in alijs. Et quia vt diximus, ea quæ ſunt iuriſdictionis non innituntur rebus indelebilibus, ſicut ea quæ ſunt ordinis, ideo poſſunt tolli, vel poſſunt deſinere eſſe: poteſt ergo Papa renuntiare quantum ad ea quæ ſunt iuriſdictionis, quibus renuntiando dicitur renuntiare papatui, cum nihil habeat vltra ſimplices Pontifices, niſi quæ ſunt iuriſdictionis tantum.

Adhuc oſtendebatur hoc idem ex parte ipſius commiſſionis: nam ea quæ ſunt ordinis non poſſunt ſimpliciter committi. Nam nullus Sacerdos poteſt committere non Sacerdoti quod conficeret corpus Chriſti: nec aliquis Epiſcopus poſſet committere alicui non Epiſcopo quòd conſecraret aliqnem in Epiſcopum: ſed nihil habet Papa vltra ea quæ habent ſimplices Pontifices, quæ non poſſunt committere his, qui non ſint Papa, vel his qui nō ſint Pontifices, ergo nihil habet Papa quantum ad ea quæ ſunt ordinis vltra ſimplices Pontifices: habet ergo ſupra eos ſolum quæ ſunt iuriſdictionis, quæ vt diximus, poſſunt tolli, & poſſunt deſinere eſſe; talia enim eo modo quo fiunt poſſunt deſinere eſſe, propter quod per quæ poteſt quis pręfici in Papam, ſic, illis contrario modo ſe habentibus, poteſt deſinere eſſe Papa. Inſuper oſtendebatur hoc idē ex parte potentiæ papalis, vel ex parte eorum in quibus reſidet potentia papalis, vacante papali ſede. Dicebant qnidem quod Eccleſia nunquam moritur, ideo vacante ſede, remanet poteſtas papalis in Eccleſia, vel collegio cardiualium. Cum ergo Eccleſia multitudinem quandam dicat, & cum quodcumque collegium ſit etiam multitudo quædam, conſequens eſt quòd vacante ſede poteſtas papalis reſideat in aliqua multitudine: nunquam autem ea quæ ſunt ordinis, nec character, nec perfectio characteris reſpiciunt multitudinem ſecundum ſe, ſed ſemper reſpiciunt ſingulares perſonas. Idem enim dicemus de ijs quæ ſunt ordinis, & de charactere, & de perfectione characteris, & de ipſis animabus ſiue de creatione animarum. Dicit enim Pſalmiſta de Deo, quod finxit ſigillatim corda eorū. Pſal.32.ſe
Nam Deus ſigillatim fingit corda noſtra, quia cuilibet ſigillatim imprimit ſuum cor ideſt ſuam mentem, & ſuam animam: infuſio enim animæ non reſpicit multitudinem ſecundum ſe: verum eſt enim, quod multi ſunt animati, ſed anima non infunditur ipſi multitudini ſecundum ſe, ſed ſigillatim infunditur anima ſua. Sic, & in propoſito character, & perfectio characteris non imprimitur ipſi multitudini ſecundum ſe, ſed cuilibet ſigillatim imprimitur ſuus character, & ſua perfectio characteris. Ea ergo quæ ſunt ordinis, & characteris non reſpiciunt per ſe multitudinem, ſed ſigillatim reſpiciunt perſonas, quæ ſunt in multitudine. Papalis ergo poteſtas, quæ, vacante ſede, reſidet in ipſa multitudine, non dicit ea quæ ſunt ordinis, nec dicit characterem, nec dicit perfectionem characteris, ſed ſolum dicit quæ ſunt iuriſdictionis.

Talia ergo, vt eſt ſuperius replicatum, per ea quæ fiunt, contrario modo ſe habentia, poſſunt tolli, & deſinire eſſe. Conſideremus ergo naturam rerum, vel conſideremus ea quæ ſunt de ratione rei, vel quod eſt formale in rebus, per quod differt vna res ab alia, quia talia argumenta, & tales rationes ſunt potiſſimæ in omni genere rerum, apparebit quòd Papa renuntiare poteſt. Ex parte ergo cauſæ formalis, ſiue ex parte naturæ rerum, ex quibus ſumitur ratio rei (qnia, & natura rei, & ea ex quibus ſumitur, ratio rei potiſſime ad formam vel ad cauſam formalem pertinet) formanimus, vt patuit, quatuor rationes. Ad cuius euidentiam, ſciendum, quod ratio rei multis modis inueſtigari poteſt, & multis vijs ani-

Digitized by Google

animaduertere poſſumus quæ ſunt de ratione rei: propter quod quæ ſunt de ratione Papatus venari poſſumus multis modis: primo quidem ex his quæ videmus in alijs Pontificibus, & ex hoc ſumebatur ratio prima: ſecundo poſſumus id facere ex his quæ videmus in charactere vel in perfectione characteris, & ex hoc ſumebatur ratio ſecunda: tertio poſſumus id facere ex his, quæ videmus in ipſa commiſſione prout quæ ſunt Papę poſſunt cōmitti, & ex hoc ſumebatur ratio tertia: quarto poſſumus idem aduertere ex his, quæ videmus in ipſa poteſtate papali quantum ad eos in quibus remanet talis poteſtas vacante ſede, quia remanet, vel reſidet in aliqua multitude, vel in aliquo collegio, & ex hoc ſumebatur ratio quarta.

Omnes autem hæ rationes, ſupmpræ ſunt ex natura rei, vel ex ratione rei de qua agitur. Omnes etiam rationes hæ ſuperius tangebantur licet fortè non hoc ordine, nec ita clarè, vt hic ſunt poſitæ: immo non ſolum hæ rationes quatuor, ſed etiam multæ aliæ tangebantur, quia ferè omnia capitula ſunt plena talibus rationibus: ſed de illis multis ſufficiat commemoraſſe has pręfatas rationes, ex quibus oſtenſum eſt quod ea, quæ poteſt Papa vltra quemcunque ſimplicem Pontificē, non dicunt quæ ſunt ordinis, nec dicunt characterem, nec perfectionem characteris: ſed ſolum, quæ ſunt iuriſdictionis, quæ cum non innitantur rebus indelebilibus, non ſunt indelebilia: ſed per ea contrario modo facta, per quæ fiunt, poſſunt tolli vel deſinire eſſe: & exinde Papa renuntiare poteſt papatui, vel poteſtati papali: quod declarare volebamus.

Secunda pars Capituli. In qua probatur per tria genera cauſarum cauſarum, & per auctoritates doctorum quod Papa renuntiare poteſt.

PRobauimus in prima parte huius capituli, per ea quæ reſpectu papatus ſe habent quaſi formalia, vel per ea quæ poſſunt reduci ad cauſam formalem, quòd Papa renuntiare poteſt. Volumus autem in hac parte ſecunda huius capituli, per tria reliqua genera cauſarum, videlicet per ea quæ poſſunt reduci ad cauſam materialem, efficientem, & finalem, & etiam per auctoritates doctorum probare hoc idem, videlicet quòd Papa renunciare poteſt. Primo ergo probabimus noſtrum propoſitum per ea quæ reduci poſſunt ad cauſam materialem. Dicebatur quidem ſupra quòd papatus, & omnis potentia actiua, & omnis perfectio, & quæcunque forma, non habent materiam ex qua, ſed in qua: ideo probauerunt philoſophi quòd forma, nec eſt elementum, nec ex elementis: forma quidem nec eſt materia, nec ex materia, non enim habet materiam ex qua eſt, ſed in qua eſt.

Ipſi ergo poteſtati papali, quę eſt quędam perfectio ſi volumus quærere materiam, quęremus ei materiam in qua eſt, vel in qua recipitur: huiuſmodi autem materia ſunt homines, qui aſſumuntur ad papatum, in quibus habet eſſe talis poteſtas. Probare ergo quòd Papa poſſit renunciare per ea quæ reducuntur ad cauſam materialem, eſt probare hoc per ipſos homines in quibus fuit Papalis poteſtas, quod renuntiauerunt præfatę Poteſtati. Poſſumus ergo de multis dare exemplum. Nam in geſtis Romanorum Pontificum legitur, quòd Clemens renunciauit, & poſt Linum, & Cletum cathedram recepit: ita quod Clemens fuit ſecundus poſt Petrum, & eo renuntiante, ſuſceperunt Papatum Linus, & Cletus: poſt quos iterum Clemens cathedram ſuſcepit, quam ſuſcipiens fuit quartus poſt Petrum, ita quod iuxta duplicem ſuſceptionem bis computatur fuiſſe Papa, vt primo fuerit, poſt Petrum ſecundus, & poſtea quartus. Exemplum etiam habemus de Marcellino qui renuntiauit, ſicut dicit Gloſa ordinaria can. 7. q. 1. ſuper illo cap. Non autē. Sed dices quod Marcellinus non renuntiauit, ſed ſeipſum depoſuit, vt patet per ſententiam quam contra ſe dictauit. Nam. 21. diſtin. in c. Nunc autem, vbi tangitur hæc materia, ſatis expreſsè habetur quod nullus fuit auſus in eum proferre ſententiam, ſed omnes dicebant ore tuo iudica cauſam tuam, & ore tuo condemnaberis: ſed quomodo ſe condemnauit, vel quomodo ſe iudicauit, ibidem nō traditur. Sed Hug. dicit quod in geſtis Rom. Pontificum ſcriptum eſt, quod Marcellinus dictauit ſententiam in ſe, & ſe depoſuit, dicens, Ego Marcellinus ob ſcelus idolatriæ, quod infelix commiſi, iudico me deponendum, anathematizo etiam quicunque corpus meum tradiderit ſepulturæ. Verba ergo Marcellini non ſonant quod renuntiauerit, ſed quod depoſuerit ſe. Ideo merito quæritur quomodo Iuriſtæ notant quod renuntiauit.

Glo. 9. q. 1. c. Si Petrus in uer. Aut ligandi.

In ver. Vt non ſuccederet.

Cur enim tulerint ſententiam Epiſcopi in Papam notat gl. in ver. Marcellinus c. eodem.

Dicemus ergo, quod negotium ſummi Pontificis qui non habet ſuperiorē, non eſt ſimile cum negotijs alijs: nam in alijs Pontificibus, aliud eſt renuntiatio, aliud eſt depoſitio: nam renuntiatio eſt cum ſponte cedit, ſed depoſitio eſt etiam ſi inuitè moueatur. Sed in ſummo Pontifice non poteſt eſſe depoſitio, niſi ibi ſit renuntiatio, niſi in vno caſu tantum, videlicet propter hæreſim, & non propter hæreſim quocunque modo, ſed propter hæreſim in qua vellet pertinaciter perſiſtere, vt etiam Iuriſtæ notant. Dicamus itaque quod nullus debet condemnare Papam, ſed ipſe in ſinu ſuo debet recolligere cauſam ſuam, & ipſe ore ſuo debet ſe iudicare, & ipſe debet ſeipſum deponere, ſi videat hoc expedire Eccleſiæ, vel ratione ſceleris quod commiſit, vel ratione ſuæ inſufficientiæ: qualitercunque ergo hoc fiat, cum ipſemet hoc faciat, ideo voluntariè ſe deponet. Iſta ergo depoſitio cum fiat ſponte & cum fiat a ſeipſo, renuntiatio dici poteſt. Poteſt ergo Papa renuntiare, ſi conſideramus perſonas, in quibus habet eſſe ratio Papatus, quia renuntiauit Clemens, & Marcellinus. Nullus enim dubitare poteſt, quod ſi Papa poteſt ſe deponere, ſicut Marcellinus ſe depoſuit, & ſicut omnes concedunt quod poteſt ſe deponere, conſequens eſt quod poteſt renuntiare. Nam quilibet poteſt cedere in manibus eius, qui poteſt eū deponere: nam ſucceſſio Epiſcopi non poteſt eſſe in manibus Metropolitani, qui poteſt eum confirmare, poteſt tamen eſſe in manibus eius, qui poteſt eum deponere.

Pont. paratus corrigi non deponitur. 24 q. 3. c. Dixit Apoſtolus.

Digitized by Google

Si ergo Papa poteſt ſeipſum deponere poteſt per ſeipſum renuntiare: plus enim eſt deponere quam renuntiationem ſuſcipere, quia vt habetur ca. 7. q. 1. c. Sicut, quod niſi Epiſcopus petat quod debeat ab epiſcopali honore vacare, & niſi hoc det in ſcriptis, illud aliter facere non valemus: nam fortè ſecundum iura tunc ſcripta, niſi fortè pro delicto: ſed propter ſenectutem, vel propter inſufficientiam non poterat Papa Epiſcopum deponere, niſi ipſe vellet renuntiare. Plus eſt ergo deponere quam renuntiationem ſuſcipere, & plus deponere vel renuntiare, quam confirmare. Si ergo Papa poteſt ſeipſum deponere, poteſt renuntiare. Dicamus ergo quod Papa ſeipſum deponit, per ſeipſum renuntiauit, ſicut etiam dicere poſſumus quod ſeipſum confirmat. Adductis duobus exemplis quod poteſt Papa renuntiare, vt non ſolum in ore duorum, ſed etiam in ore trium ſtet omne verbum, poſſumus & tertium exemplum adducere de * Cyriaco, de quo ſcriptum eſt, quod cum Vrſula, & cum xi. millibus virginum martyrio coronatus. Scribitur enim de eo quod nocte quadam ſibi reuelatum eſt, quod eſſet cum illis virginibus palmam martyrij recepturus: tunc congregato clero, & Cardinalibus, inuitis ciuibus, & potiſſime Cardinalibus, coram omnibus renuntianit dignitati, & officio. Poſtquam ergo concedimus quod Papa renuntiare poteſt per ea quę reduci poſſunt ad cauſam materialem, volumus tertio, hoc idem concedere per ea quæ pertinent ad cauſam efficientem.

In fine. Verba ſunt Gratiani exponentis ſententiam Gregorij poſitã in c. Scripſit ei ſdem cau. etiam q.

* *Huius Cyriaci nulla prorſus extat mentio in ſerie Rom. Põt. à latinis vel Græcis deſcripta Vide D. Antonin par prim. Chron. tit. 7. c. 7. & Baronium ad ann. 137 nu. 21. qui addit vnicè de hoc Cyriaco mentionem fieri in actis Apocriphis S. Vrſula.*

Tetigimus enim ſupra, quod duo ſunt per quæ quis habet poteſtatem Papalem, videlicet aſſenſus eligentium, & aſſenſus electi. Dicebatur etiam ſupra, quod in his quæ non ſunt ſupra naturam negotij, nec ſupra exigentiam rerum. quod per eadem contrario modo facta, res conſtituimr, & deſtruitur. Cum ergo hoc ſit ſecundum naturam negotij, & ſecundum exigentiam rerum quod etiam præficiat ſibi caput, & quod aliquis ſit poſtulatus, vel electus aſſentiat quod ſit caput, conſequens eſt quod propter hæc per quæ quis eſt Papa, ſi contrario modo fiant, deſinat eſſe Papa. Sed dices quod ſpiritualia facilius cõſtruuntur quam deſtruuntur, licet corporalia ſe habeant è conuerſo, vt habetur in illa decretali. Inter corporalia. Et quia ſpiritualia facilius conſtruuntur quam deſtruuntur, ideo, vt videtur, non valet ſi conſenſus eligentium, & electi faciunt quod aliquis ſit Papa, quod per hæc contrariè ſe habentia, deſinat eſſe Papa. Sciendum ergo quod alioquin inuenimus quod ſpiritualia difficilius deſtruuntur quam corporalia, & ſpirituale vinculum eſt fortius quam carnale, vt patet ex decretali præallegata. Alioquin vero inuenimus quod coniugium ſpirituale citius corrumpitur, & ad terram trahitur, niſi legaliter ſeruetur, niſi iuſtè laudetur viuendo, vt habetur diſt. 40. c. Sicut vir. Diſtinguemus ergo ſpiritualia, quia alioquin res ſpiritualis fit ex opere operato, alioquin requiritur ibi voluntas vel deuotio operantis, vel ſuſcipientis.

Dicimus autem aliquid fieri ex opere operato, quoniam ipſa res habet hoc efficere, dato quod non ſit ibi voluntas ſuſcipientis, vt ignis ex ſeipſo quæ ſunt ſibi propinqua. Dato ergo, quod quis non appropinquet igni vt calefiat ſed vt præparet fercula, ſed quia hoc habet ex ſe ignis quod calefaciat, oportet quod ſic appropinquans, velit nolit calefiat. Sic & in propoſito, alioquin ſpiritualia fiunt ex ipſo opere operato, alioquin præter opus operatum, ſiue præter opus exterius, requiritur ibi voluntas, & deuotio operantis, vel ſuſcipientis, ſecundum quem modum dicimus quod aqua baptiſmi habet duplicem effectum, videlicet imprimere characterem, & conferre gratiam: ſed quantum ad impreſſionem characteris habet hoc aqua baptiſmi ex ſolo opere operato: ſufficit enim ad hoc quod aliquis recipiat characterem quod baptizetur in forma Eccleſiæ, & quod ſuſcipiat in ſe hoc opus operatum quod eſt baptiſmus: ſed ad hoc quod ſuſcipiat gratiam, ſi eſt adultus, non ſufficit quod baptizetur, ſed requiritur quod amoneat omnem fictionem, & quod accedat voluntarius, & deuotus. Et ſi dicatur quod paruuli non poſſunt habere huiuſmodi deuotionem, & tamen ſuſcipiunt gratiam in baptiſmo.

Baptiſmus.

Dicemus quod hoc eſt ex diuina diſpenſatione, quæ vult quod ſicut paruuli in alio peccauerunt, quia in Adam, ita poſſet eis per alios ſubueniri, vt per fidem parentum. Aduertendum tamen nos dixiſſe, quod ignis ex opere operato, & ex ipſa re habet quod calefaciat, & aqua baptiſmi ex opere operato, vel ex ipſa re habet quod characterem imprimat: ſed hoc non eſt eodem modo, quia ignis hoc habet ex naturali origine, & vt eſt agens naturale aqua vero batiſmi hoc habet ex diuina diſpenſatione, & vt eſt inſtrumentum diuinæ naturæ. Reuertamur ergo ad propoſitum, & dicamus quod illa quæ fiunt ſpiritualiter ex ſolo opere operato, non ſolum difficillimè deſtruuntur, ſed etiam non poſſunt tolli, ſicut eſt ipſe character, ſiue ſit baptiſmi, ſiue confirmationis, ſiue Ordinis, quia in his tribus Sacramentis character imprimitur: ſed ſi illud ſpirituale non fiat ſolum ex opere operato, ſed requiratur ibi voluntas operantis, & ſuſcipientis, non dicimus quod non poſſit tolli, nec dicimus quod difficillimè deſtruatur, ſed dicimus quod facillimè perditur: nam poteſt quis valde de facili gratiam perdere. Talia quidem ſicut conſtruuntur, ſic deſtruuntur: nam ſicut conuertendo ſe ad Deum tanquam ad lumen luminis, verè illuminatur, & habet gratiam: ſic ſe auertendo ab illo lumine, verè obtenebratur, & perdit gratiam: immo talia facilius deſtruuntur propter noſtram malitiam, iuxta illud Matth. 7. Lata porta, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem: quam anguſta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam. Quod ſi volumus difficultatem, & facilitatem in talibus ad ſpirituale coniugium adaptare, vt patet ex capitulis antedictis, ſemper ſic ſe habet, quoniam omnia contrario modo facta concurrunt ad deſtruendum, quæ requiruntur ad conſtruendum, huiuſmodi coniugium eſt deſtructum, loquendo de coniugio quantum ad ea quæ ſunt Iuriſdictionis, non quantum ad ea quæ ſunt Ordinis.

Matth. 7. b.

Hoc ergo dictum eſt quantum ad poſſe deſtrui; ſed quantum ad facile, vel difficile deſtrui, dici poteſt quod talites poteſt acci-

pi

pi tale coniugium, quod ſemper facilius deſtruetur quam conſtruatur: &taliter poteſt accipi quod in aliquibus, & quantum ad aliqua facilior eſt conſtructio. In aliquo autem etiam ſimpliciter eſt è conuerſo: nam ſi accipiatur tale couiugium vt eſtmeritorium, ſemper facillimè deſtruitur, quia ſemper poteſt quis facilius perdere gratiam, ſine qua nullum poteſt eſſe meritum: ſed ſi accipiatur tale coniugium vt eſt authoritatiuũ, & vt habet iuriſdictiouem, ſiue hoc fiat meritoriè ſiue non, in aliquibus quantum ad aliqua facilior eſt conſtructio quam deſtructio, quod patet quia Epiſcopi confirmati per Metropolitanos, tamen non poſſunt renuntiare, niſi ex ſpeciali conſenſu Papæ: ergo in talibus quantum ad hoc facilior eſt conſtructio, quam deſtructio: quod ideo eſt, quia Papa ſic ordinanit: ſi autem vellet aliter ordinare, aliter eſſet. Sed in coniugio papali prout eſt ſponſus Eccleſiæ, & habet iuriſdictionem in totam Eccleſiam, facilior eſt deſtructio quam conſtructio. Nam ad hoc quod quis præficiatur in Papam, requiritur conſenſus eligentium, & electi: ſed ad hoc quod deſinat eſſe Papa, ſufficit ſola renuntiatio eius. Nam inuitis Cardinalibus, & Clero, poſſet etiam eis renuntiare, vt poſuimus exemplum de Cyriaco. Igitur non ſolum ex ijs quæ adducuntur ad cauſam formalem, & materialem, ſed etiam ex his quæ reſpiciuut cauſam efficientem, poſſumus hoc oſtendere, & probare quod Papa renuntiare poteſt.

Quarto volumus hoc idem oſtendere ex parte cauſæ finalis, quod facilius probatur. Nam illud, quod ad hunc finem, videlicet propter bonum publicum, conſtitutum eſt, contra bonum publicum militare non debet: ſed ille qui factus eſt caput Eccleſiæ, propter bonum publicum factus eſt: ſi ergo eſt inſufficiens ad regendam Eccleſiam, & renuntiare non poſſet, contra bonum publicum militaret. Quis enim eſſet tantæ dementiæ, quod diceret Papam renuntiare non poſſe, quidquid de eo eſſet, aut quidquid de eo contingeret, vtputa ſi fieret fatuus, ſi eſſet ita debilis, & impotens corpore, quod nihil de ſuo officio exercere poſſet, quod ergo ſic teneret Eccleſiam impeditam, & quod renuntiare non poſſet? Aduertendum tamen quod eſſe ſufficiens, vel inſufficiens ad regendum ſiue ad quæcunque talia, ſi referantur ad renuntiationem, poſſunt facere ad meritum, vel ad demeritum, quia renuntiando poteſt quis mereri, vel demereri: tamen quantum ad valere de iure, vel non valere, quicunque ſit ille, qui renuntiat, & quandocunque renuntiat, ſi hoc faciat coram collegio Cardinalium, vel etiam coram Clero renuutiatum erit, & deſinet eſſe Papa,
NOTA. dato quod illi contradicant.

Nam ex ſuperabundanti eſt, quod fiat ſtatutum quod Papa renuntiare poſſit, vel aſſentiat clerus, vel quod aſſentiant eligentes: hoc enim poſſunt facere ad quandam claritatem Iuris: ipſis tamen renitentibus, & inuitis, poteſt Papa renuntiare, & poteſt deſinere eſſe Papa, quod (vt ſupra diximus) Cyriacus fecit. Bonum tamen eſt talia ſtatuere, & laudabile eſt in talibus aſſenſum collegij Cardinalinm aduenire, vt ralia ardua cum maiori maturitate fiant, & vtilitas publica plenius inde eueniat, & conſcientia ſimplicium, qui neſciunt de tam arduis iudicare, magis quieſcat, & huic veritati magis conſentiat: multa enim de ſe vera ſunt, & de iure fieri poſſunt, quæ propter nos homines, qui male nati ſumus ad ſciendum, & multum tempus apponimus in ignorantia, indigent quod elucidentur, & quod per quædam additamenta in notiriam publicam veniant. His itaque prælibatis, poſtquam per quatuor genera cauſarum declarauimus quod Papa renuntiare poteſt, volumus hoc idem quiuta via declarare, adducendo auctoritates Doctorum Iuris, qnod de hac materia decreuerunt. Nam can 7.q.1. in c. Non autem, vbi agitur, quod cum Aug. Valerio Epicjopo adhuc viuente, factus eſſet Epiſcopus Hipponenſis, quòd ei non ſucceſſit, ſed potius acceſſit. Gloſa ordinaria quæſtionem mouet. in propria forma, Vtrum Papa renuntiare poſſit, & determinat quod renuntiare poſſit, aſſignans pro ratione, quod Marcellinus renuntiauit, & etiam Clemens. Et Hug. diſtin. 21. in c. Nunc autem, hanc quæſtionem in propria forma mouet, quærens, An Papa poſſet hodie ſeipſum deponere, vel abrenuntiare, & inerare Monaſterium.

Reſpondet quod credit qnòd ſic, addit tamen ſi expediret, & quod aliàs peccaret. Quæ verba addita nihil faciunt ad poſſe renuntiare, vel non poſſe, ſed ad mereri, vel demereri: qnia ſi crederet hoc expedire eccleſię, & ſic ageret, mereretur; ſi verò crederet non expedire, demereretur: ſiue tamen eccleſiæ expediat, ſiue non expediat, ipſe poteſt renunciare, ſed videat quo animo id faciat, ne renunciando peccet. Idem etiam Hug. can. 7. q. 1. c. Non autem, hanc quæſtionem mouet in propria forma, dicens, Sed quid de renunciacione Papæ? nunquid poteſt renunciare, quia vult tranſire ad religionem, vel quia eſt æger, vel ſenex? Et reſpondet quòd vtiq; ideſt quod poteſt renunciare, aſſignans pro cauſa, quia Marcellinus renunciauit, vt habetur diſtin. 21. Nunc autem. Et Clemens etiam renuntiauit, ſicut habetur in geſtis Rom. Pontificum.

CAP. XXV.

In quo imponitur finis huic libro, vel huic operi, quod intitulari volumus de Renunciatione Papæ.

QVoniam huic operi, quòd intitulari volumus de Renunciatione Papæ, volumus finem imponere, aſſumemus auctoritatem. 1.Cor.14.d. Nam prima ad Cor. 14. Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui vt alios inſtruam, quam decem millia verborum lingua. Hæc autem quinque verba de quibus loquitur Apoſtolus, adaptare poſſumus ad quinque modos probandi, quos in præcedenti cap adduximus quod Papa renuntiare 1.Phyſ.c.1. poteſt. Vult enim philioſophus in 1. phyſicorũ quòd tunc arbitramur cognoſcere vnũquodq; cum cauſas primas, & prima principia cognoſcimus vſque ad elementa. Quæ ſecundum

Com-

Digitized by Google

Commentatorem non ſunt accipienda ſynonimè, quia nomina ſynonima (vt ait) non vſitantur in doctrina demonſtratiua. Propter quod philoſophus cum voluit declarare, qualiter habeatur ſcientia de rebus, dicens quòd habetur huiuſmodi ſciẽtia, cognoſcendo cauſas, principia, & elemeuta, arbitrari debemus quòd iſta nou accepit ſynonimè, & quod nec pro eodem accipit cauſas, principia, & elementa: ſed, vt Commentator ait, per cauſas intelligit cauſam finalem, quæ antonomaticè dicitur cauſa, quia eſt cauſa cauſarum. Nam finis eſt cauſa omnium, quia forma eſt cauſa materiæ, cum materia ſit propter formam: & efficiens eſt cauſa formæ, cum efficiens iutroducat formam: & finis eſt cauſa efficientis, cum finis moueat agentem, & faciat efficientem.

Dicemus ergo quod quia finis eſt cauſa ipſius efficieutis, efficiens vero eſt cauſa formæ, & forma materiæ ideo finis eſt cauſa cauſarum, ea propter per cauſas iutelligit cauſam finalem, per principia intelligit cauſam efficientem, per elementa intelligit cauſas intrinſecas, quæ ſunt materia, & forma: cognitio ergo rei ex ſuis cauſis eſt: eo ergo modo, quo poſſunt rei aſſignari cauſa materialis, formalis, efficiens, & fiualis, ſic res habet per illas cauſas cognoſci, & declarari. Sicut ergo procedebamus, ſed procedebamus per ſe, & ex his quæ ſunt couſona rei, quam probauimus per ea quæ reduci poſſuut ad cauſam formalem, materialem efficientem, & finalem, quòd Papa rennntiare poteſt, ita quod huiuſmodi quatuor cauſæ ſuut quatuor bona verba ad probandum propoſitum: ſuper addidimus tamen, & quintum bonum verbum, videlicet auctoritates doctorum. Nam quæſtio propoſita de reunuciatione Papæ poteſt dici Theologica, & poteſt dici Iuriſtalis, propter quod licet apud philoſophos debiliſſimus locus eſſe dicatur ad auctoritate, quia ipſi philoſophi non innituntur niſi rationi: immo dicunt philoſophi eſſe impedimentum ad ſcientiam credere teſtimouio ſamoſorum, vt ideo credat quis ſic eſſe, quia ſic dixit Ariſtoteles: ſed ſi videat raiones eius, quare dicat ſic eſſe, plus credit rationi, quam Ariſtoteli.

Locus ab auctoritate humana iufirmus: à diuina verò validiſſimè fauet.

In ſcientia tamen Theologiæ, & in ſcientia iuris multum valent auctoritates. Nam de ſacra pagina dicit Auguſt. 2. ſuper Gen̄. ad literā, quod maior eſt quippe ſcripturæ huius auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas. Et iuriſtæ leges, & auctoritates doctorum pro ratione accipiuntur. Vnde hæc dicunt de legibus, & hæc dicerent de auctoritatibus Doctorum iuris, quòd dicerent philoſophi de rationibus. Diceret enim quicunque philoſophus, quod verecundaretur quod aliquid diceret, & rationem aſſignare neſciret: ſic etiam diceret legiſta, quòd verecundaretur, quod aliquid diceret, & legem aſſignare neſciret. Hoc idem ergo cenſendum eſt de auctoritatibus doctorum iuris, quia huiuſmodi doctores nihil dicunt, quod non imitantur legibus. Reſumamus ergo ſermonem noſtrum, & dicamus quod ad inſtructionem, ideſt ad ædificationem aliorum ſenſu Pauli, ideſt clare (& intelligere ſicut volebat clare: & intelligit loqui Paulus in Eccleſia quæ eſt vna, & vnita, ideſt ad vnitatem Eccleſiæ, ne fieret ſciſſura in Eccleſia, & ne aliqui vellent ſibi præficere aliud caput) ad probandum, & oſtendendum eſſe verum, & legitimum ſponſum Eccleſiæ Sanctiſſimum Patrem D. Bonifacium Papam Octauum, diximus quinque verba, quia quinque modis, videlicet per quatuor genera cauſarum, & per auctoritates doctorũ Iuris probauimus, quòd Papa Cæleſtinus renuntiare potuit, quo probato, conſequens eſt quod ipſe ſit verus, & legitimus ſponſus Eccleſiæ: quæ quinque verba præualent decem millibus verborum lingua.

Diximus autem, quòd quæ loquimur in Eccleſia debere loqui ſenſu Pauli, ideſt intelligibiliter, ſicut loquebatur Paulus. Nam intelligibile poteſt dici dupliciter, primò ex parte rei de qua loquitur, & ſic quicunque dicit verum loquitur intelligibiliter: & quicunque loquitur falſum, loquitur non intelligibiliter: nam falſum non intelligitur, quia non eſt, propter quod Auguſtiuus 83. quæſtionum. q. 33. ait, Quiſqnis vllam rem aliter, quam ea res eſt, intelligir, fallitur: & omnis qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit. Propter quod ſequitur quòd nullum falſum ſit intelligibile. Alio autem modo dicitur quis loqui iutelligibiliter, non ſolum ex parte rei da qua loquitur ſi loquitur verum, ſed etiam ex parte modi ſecuudum quem loquitur, ſi veritatem illam proponat clarè, non obſcurè. Quautum autem ad primum modum ſemper Paulus loquebatur intelligibiliter, & ſemper nos debemus loqui intelligibiler: quia ſemper debemus dicere veritatem: ſed quantum ad ſecundum modum, vt vtrum veritatem illam proponamus clarè, & faciliter; vel obſcurè, & difficulter, relinquitur iudicio prudentis. Nam Paulus in ſuis epiſtolis locutus eſt non faciliter, ſed habuit grauem ſtilum, & fortem ad intelligendum.

Aug. 83 quæſtio q. 33.

Quod ideo fecit, ne ſanctum daretur canibus, ideſt ne ſua ſancta verba exponerentur morſibus hæreticorũ; vel morſibus Pſeudo-Apoſtolorum: ſed in ſuo ſermone loquebarur ita clarè, & ſiue difficultate, vt Pſeudoapoſtoli eum inde contemnerent, & reputarent eum idiotam. Ideo dicitur 2. Corin. 10. Epiſtolæ (inquiunt) graues ſunt, & fortes, ſupple ad intelligendum: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Dicebant enim alij de Paulo (vt ipſemet ait) quod epiſtolæ ſuæ erant graues, & fortes ad intelligendum, ſed ſermo ſuus erat ita communis, & planus, vt diceretur ab alijs eſſe contemptibilis. Reuertamur ergo ad auctoritatem propoſitā, & dicamus quòd nos debemus loqui in eccleſia non extra Eccleſiam, quia debemus loqui ad Eccleſiæ vnitatem. Debemus loqui verba, ideſt verum boantia, quia debemus loqui veritatem. Dicitur enim verbum, quaſi verum boans, quia noſtrum dictum ſi debet approbari, oportet quòd contineat veritatem. Et iſta verba ſi volumus aliquid probare, & aliquid oſtendere, poſſunt eſſe quinque quatuor ſcilicet iuxta quatuor genera cauſarum, & quinto per auctoritates.

Math 7. a

2. Cor. c. 10.

Dicuntur etiam huiuſmodi quinque verba eſſe dicta ſenſu Pauli quantum ad intelligibilitatem: vt exinde aduerſarij euidentius cõfundantur. Et dicuntur eſſe huiuſmodi verba vt alios inſtruamus quantum ad profectum,

& vtilitarem, quia hic eſt profectus, & vtilitas doctrinæ, vt alij inde inſtructionem ſuſcipiant. Ex his autem omnibus concludamus, quòd quicunque aſſerunt Dominum Bonifacium Papam Octauum eſſe ſponſum Eccleſiæ, ipſi non loquuntur extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia, quia quæ loqnunrur, ſunt ad Eccleſiæ vnitarem.

Eccleſia.

Nam Eccleſia figurata eſt per illam tunicam Chriſti inconſurilem, quæ erat deſuper conrexta per totum, quæ non fuit ſciſſa, ſed indiuiſa remanſir.

Io.19.c.

Fecerunt enim milites de veſtibus Chriſti quatuor partes: runicam autem illam inconſurilem noluerunr ſcindere, quia, vr exponit Auguſtinus, quadripartita veſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti quadripartitam ſignificauir eius Eccleſiam, quaruor, ſcilicet parribus diffuſam, & in eiſdem concorditer diſtributam: tunica vero illa ſortita omnium partium ſignificar vniratem. Non enim caſualiter, ſed diuina prouidentia facta eſt, quod tunica illa non ſcinderetur, vr cognoſcant quàm grauiſſime peccant, qui volunt ſcindere ſanctam Eccleſiam matrem noſtram.

Verbam cũ dicimus, prima eius ſyllaba verum ſignificat, ſecunda ſonũ bum. enim idem eſt quod ſonus. Virg. lib. 3. Georg. Roboant ſyluæ. Vnde verbũ dictum eſt à verum boãdo. hoc eſt, verum ſonando.

Secundo, ea quæ loquimur, dicuntur eſſe verba, ideſt verum boantia, quia dicuntur conrinere veritatem. Et ſi non poſſumus loqui omnia quinque verba, quia ſorte neſcimus per omnia quaruor genera cauſarum diſcurrere, & neſcimus quiurum verbum addere, quia neſcimus ſufficiẽrer auctoritates ad propoſitum enarrare: ea tantum quæ diximus dicuntur eſſe verba, ideſt verum boantia, quia dicuntur continere veritatem, vt cognoſcatur quam grauiſſimè peccant, qni non in Eccleſia, ſed extra Eccleſiam, vel quòd peius eſt contra Eccleſiam aſſerunr falſitatem. Tertio huinſmodi verba dicuntur eſſe prolata ſenſu Pauli quantum ad inrelligibilirarem, quia non debemus rariones ponere inrricaras, vt poſſimus perſonas ſimplices inuoluere: nam quamuis apud intelligentes de rationibus illis nulla ſit difficulras, ſimplices tamen poſſent per eas decipi, & innolui, Quarto, & vlrimo ſunr huiuſmodi verba proponenda, vt alios inſtruamus, & ad aliorum vtilitatem, & ad Eccleſiæ ædificationem, non ad animarum argumentum, & ad Eccleſiæ deſtructionem.

Nani quanta vtiliras prouenire habet ex capite ad membra: quantum etiam nocumenrum, & quàm periculoſum eſt impingere in caput Eccleſiæ, Deus nos inſtruir, cum air, Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.

Matth. 10. b.

Vbi Hieronymus ait, quod ſerpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia roto corpore occnlrat caput: exponit enim totum corpus periculo pro cuſtodia capitis, & quia capur noſtrum eſt Chriſtus, cuius Vicarius eſt Summus Pontifex Dominus Bonifacius, Ideo contra impugnantes ipſum non ſolum corpus, ſed & vircs noſtras, & animam noſtram debemus exponere. Er in hoc terminetur hic liber, in quo agitur de Renunciatione Papæ. Laus ſit inde Domino Ieſu Chriſto, qni cum Patre, & Spiriru Saucto eſt vnus Deus benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

F I N I S.

A D O L P H I

SCHVLCKENII GELDRIENSIS,

SS. Theologiæ apud Vbios Doctoris, & Profeſſoris atque ad D. Martini Paſtoris.

A P O L O G I A

PRO ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. ROBERTO BELLARMINO.

S. R. E. C A R D.

De poteſtate Romani Pont. Temporali.

Aduerſus librum falsò inſcriptum,

APOLOGIA CARD. BELLARMINI

PRO IVRE PRINCIPVM, &c.

A V C T O R E

ROGERO VVIDDRINGTONO

C A T H O L I C O A N G L O.

Adolphus Schulckenius Authot apud Vbios vniuctſumque litetarium cætum ſatis clarus, ſcripſit Apologiam pto Roberto Cardinali Bellarmino contra ementiti nominis, & Religionis hominem Rogerium Vviddtinctonum Anglum, qui vt in legentium animos peſſimæ doctrinæ venenum infundetet, Orthodoxæ Fidei pallio ſeſe obductum oſtenderat; detexit Adolphus ſequenti ſuo Apologetico Tractatu, quo, & Bellarmini Elucubtationem pro Romana Sede, & Apoſtolicam authoritatem defendit huius Authoris, meminit Ludouicus à Sancto Carolo. Floruit autem ſub Paulo V. Pont. Max. primumque eius opus Typis Datum eſt Coloniæ Agrippinæ 1603. quod hic inſerimus ordine ſuo.

C A P. I.

Examinatur Inſcriptio Libri.

» *Inſcriptio Libri hæc eſt, Apologia Car-*
» *dinalis Bellarmini pro iure Princi-*
» *pum aduerſus ſuas ipſius rationes pro*
» *auctoritate Papali; &c. Auctore*
» *Rogero VViddringtono Catholico An-*
» *glo.*

HÆc inſcriptio duo continet, titulum libri: nomen, & titulum Auctoris.

Titulus libri impudentiſſimus ſimul, & mendaciſſimus eſt, & auctori ſuomet repugnans. Auctor in præfatione ſic loquitur: *Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, vt omni honore, & obſeruantia digniſſimum veneror, atque ſuſpicio.* In inſcriptione idem auctor tam leuem, & inconſtantem eundem Illuſtriſſimum Cardin. Bellarminum fingit, quaſi aduerſus ſuamet ipſius ſcripta apertè pugnet, & ex profeſſo palinodiam canat.

Certè apologiam aduerſus proprias rationes, niſi aut mentis inops, aut ebrius nemo ſcribit. Quod ſi ita ludere venerari eſt, & ſuſpicere, veneratur Bellarminum, & ſuſpicit Rogerus: ſin autem ita ludere eſt, vt reuera eſt, miror vtrumque, & quòd eò auctor proceſſerit temeritatis, ac impudentiæ, in animum vt induxerit ſuum, viro ſanctitate, eruditione, dignitate illuſtriſſimo, quem omnes verè Catholici multis nominibus meritò venerantur, & ſuſpiciunt, affecta iam præſertim ætate ita pueriliter, nè dicam ſcurriliter illudere: & ſi vllus vir cordatus tam ludicram inſcriptionem ſine ſtomacho poſſit legere.

Quod ad nomen, titulumque Auctoris, indigitat ſe Rogerum Vviddringtonum, Catholicum Anglum, quod quàm ſyncerè, ac rectè faciat pauló accuratiùs diſpiciendum videtur. Rogerum Vviddringtonum, intelligo eſſe iuuenem Catholicum, & nobilem: at hunc auctorem, multa ſunt, quæ hæreſeos accuſant, & omnino reum peragunt, vt mox videbimus.

Quare non leuis multorum eſt ſuſpicio, auctorem huius libri eſſe, non Rogerum Vviddringtonum, ſed aliquem alium impoſtorem, qui hæreticus cùm ſit, velit ſub nomine Catholici latere, vt viros Catholicos faciliùs circumueniat. Et hoc non mirum, neque nouum: *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Non eſt ergò magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ: ſed habebunt tandem impoſturæ ſuę mercedem, & *finis* eorum *erit*, *ſecundum opera ipſorum*, vt præmouit 2. Corinth. 11. Apoſtolus. Quare conſtitui vt plurimùm deinceps à nomine Rogeri Vviddringtoni abſtinere, & eius loco Aduerſarij nomen ſubijcere.

2. Cor. 11.

Porrò, quòd titulum ſibi hic auctor aſſcribit *Catholici*, iniuria, nec ſatis conſideratè facit.

Nam ſiue auctores, quos ſequitur; ſiuè dogmata, quæ aſſerit, examines, nihil viro ſincerè Catholico dignum inuenies. Pro ſuis, quos ſequitur, auctoribus non paucos adducit, quos Eccleſia Catholica à ſua communione reiecit. Dogmata aduerſus eandem Eccleſiam non pauca defendit. Atque vt Lector videat, me ipſi non imponere, nec fucum ſibi ſpecioſo, Catholici, nomine fieri patiatur, agite, & auctores, quos ſequitur, & dogmata, quæ in libro ſuo ſparſim aſtruit, breuiter annotemus.

Num. 4. pro ſuis auctoribus agnoſcit *Gulielmum Ochamum*, & *Dantem Aligherium* »
cum alijs, quos citat *Ioannes Azorius* tom. 2. »
Inſti. Moralium lib. 4. cap. 19. qu. 1.

Ioannes autem *Azorius* primo loco nominat *Marſilium Patauinum*, qui manifeſtus hæreticus fuit, & in primam claſſem Indicis librorum prohibitorum relatus. *Dantem Aligherium* ob hoc ipſum dogma, quod aduerſarius defendendum ſuſcepit, ab Eccleſia Catholica hæreſeos damnatum, teſtatur Bartholus in l. 1. ff. de requirend. reis §. vlt. ad fin. Et verò eius *Monarchia*, vbi hanc ſententiam docet, expreſsè in Indice librorum prohibitorum interdicitur.

Marſilius Patauinus

Dantes Aligherius.

De alijs mox dicemus infra n. 4. Quamuis autem aduerſarium puduerit Marſilium nominare; Doctrina tamen, quam in hoc libro ſtatuere conatur, eadem eſt omninò cum ea, quam ex Marſilio refert Azorius. Quare cum vel hæretici, vel de hæreſi valdè ſuſpecti ſint, quos auctor ceu magiſtros ſuæ doctrinæ ſequitur, de hæreſi non ſuſpectus eſſe non poteſt, & videtur illud Prophetæ in eum quadrare: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Ezech. 16. Mali corui malum ouum. Hæc in genere de auctoribus: nunc dogmata, quæ hoc libro ſtatuit, ſummatim luſtremus.

Ezech. 16.

In præfatione hoc dogma ſtatuit. Iure diuino deberi obedientiam Principibus hæreticis in rebus politicis, non obſtante quacunque ſententia excommunicationis, vel depoſitionis, a Summo Pontifice contra eiuſmodi Principes hæreticos lata.

Contrarium eſt hoc dogma, (vt alia nunc omittam) canoni, *Nos ſanctorumque 6.* qui eſt a Summo Pontifice in Concilio Romano editus, vbi iubentur fideles non obedire Principi à Sede Apoſtolica excommunicato. Itaque Romana Eccleſia prohibet obedientiam præſtari Principi a Sede Apoſtolica excommunicato: Aduerſarius hanc Eccleſiæ doctrinam cum Iure diuino pugnare, & iure diuino deberi obedientiam Principi, etiamſi ob hæreſim ſit excommunicatus, affirmat, & tamen ſe Catholicum, id eſt, eiuſdem Eccleſiæ filium pronunciat. *Maledictus à Deo, qui exaſperat matrem.* Eccl. 3. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Matth. 18.

Eccl. 3.

2 Num. 40. & nu. 95. affirmat à ſpirituali pote-

poteſtate nullam temporalem pœnam infligi poſſe: quemadmodum nulla poteſt infligi pœna ſpiritualis à poteſtate temporali.

Caluinus. Hoc dogma aſtruitur ab Hæreſiarcha Ioan. Caluino diſertis verbis lib. 4. Inſtit. cap. 11. §. 5. & contrariatur directò doctrinæ S. Matris Eccleſiæ, & canonibus tum nouis, tum antiquis, vt perſpicuum eſt ex Concilio Tridentino Seſſ. 24. cap. 8. & Seſſ. 25. cap. 3. Item Concilio Lateranenſi generali ſub Innocentio III. cap. 3. & multis capitibus in tit. de Hæreticis, tit. de voto, tit. de homicidio, & alijs, quæ infra afferuntur: Quæ decreta Eccleſiaſtica non niſi ab Hæreticis contemnuntur. Aduerſarius itaque ſe Catholicum pronunciat, & Caluini Hæreſiarchæ damnatam doctrinam mordicùs defendit: Catholicæ Eccleſiæ ſententiam, & ſacroſanctos canones reijcit,

3 Num. 60. & ſequentibus, & alibi aſſerit, Chriſtiano populo, etiamſi vires adſint, fas non eſſe debellare Principes infideles Eccleſiam perſequentes.

Lutherus. Hanc aſſertionem docuit Hæreſiarcha Martinus Lutherus, cum ſcripſit, non eſſe pugnandum contra Turcas: & repugnat omnibus Sanctis Principibus teſtamenti Veteris, & noui, qui aduerſus perſecutores Religionis glorioſiſſimè bella geſſerunt.

Num. 70. & alibi ſæpe, admittit Epiſcopum iudicari poſſe à Principe politico, in rebus politicis.

Hæc aſſertio expreſsè contrarium doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 31. & Lateranenſi ſub Leone X. vbi ſic legimus: *A iure tam diuino, quàm humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa eſt.*

4 Num. 93. & num. 154. ſcribit, iniuſtam adminiſtrationem ſpiritualium, ad tribunal Principis temporalis pertinere.

Quid hoc eſt aliud, quàm Principem temporalem facere Iudicem rerum ſpiritualium, ac per hoc Principem politicum facere verè caput Eccleſiæ? Atqui hanc hæreſim in *Anglia.* Anglia nuper exortam, Catholica Eccleſia ſemper exhorruit.

5 Num. 156. & ſequentibus, ipſam etiam Euangelicam prædicationem, & ſimiles ſpirituales actiones poteſtati politicæ ſubijci poſſe ſcribit, quando qui mittuntur ad prædicandum, modo iuxta ſententiam hoſtium fidei illicito, pacem perturbant: Et addit, poſſe Principem infidelem arcere prædicatores Euangelij, & obedire recuſantes morte mulctare, quando rationabilibus argumentis arbitraretur, eam prædicationem Reip. ſuæ noxiam eſſe: Neque Martyres eſſe dicendos, qui inuitis eiuſmodi Principibus prædicantes occiduntur.

Hac aſſertione iuſtificat aduerſarius omnes perſecutores, & condemnat omnes Martyres. Nam nemo ferè fuit perſecutorum, qui non probabili aliquo argumento ductus exiſtimauerit, Chriſtianam Religionem ſtatui ſuo noxiam eſſe. Itaque iuſtificat auctor Caipham, condemnat Chriſtum; Iuſtificat Nerones, Domitianos, Diocletianos, & ſimiles peſtes Eccleſiam Chriſti perſequentes, condemnat Apoſtolos, cæteroſque pios Martyres patientes; Iuſtificat Regem Angliæ prædicatores fidei Catholicæ à Regno ſuo eijcientem, & niſi pareant, crudeliter necantem, condemnat Catholicos prædicatores, qui pro honore Dei, & ſalute animarum indigniſſimo ſupplicio vitam exponunt; Et cum actor hoc faciat, Catholicus, & dici, & haberi affectat. Ingens temeritas cum pari impietate coniuncta! Armat Principes infideles, & inſtigat contra prædicatores fidei: Deterret viros Catholicos à prædicando Euangelio: Sanctos Chriſti martyres, quos impij perſecutores ſpoliarunt vita, ipſe ſpoliare conatur gloria, & apud Deum, & apud homines. Vide, quæ ſcripſimus infrà in reſponſione ad hunc locum.

6. Num. 229. docet, peccata quatenus perturbant publicam pacem, pertinere ad forum Principis ſæcularis: Quatenus ſunt offenſæ Dei, pertinere ad forum Principis ſpiritualis.

Hæc ſententia primùm confundit fora. Nam facit omnia ferè peccata grauiora eſſe miſti fori: quia omnia ferè peccata grauiora perturbant pacem publicam, & ſunt offenſæ Dei. Itaque ex hac ſententia ſequitur, homicidia, & furta pertinere ad forum Eccleſiaſticum, quia ſunt offenſæ Dei: Hæreſim verò pertinere ad forum ſæculare, quia perturbat publicam pacem. Deinde pugnat hæc ſententia cum praxi Eccleſiæ.

7. Num. 245. aſſerit, probabilem eſſe opinionem, quod Exodi 20. prohibitum ſit facere quaſcunque imagines.

Hæc aſſertio repugnat Scripturæ, & Patribus, vt in reſponſione ad iſtum locum oſtendemus, & fauet hæreticis Iconomachis.

8. Num. 465. docet non eſſe obediendum Summo Pontifici, niſi conſtet eum habere auctoritatem iubendi id, quod iubet. Atq; hinc colligit multa valdè pernicioſa. Nec enim niſi pernitioſum ex tam vitioſo principio deduci poterat. Hoc enim principium euertit omnem obedientiam. Nam ſi hoc principium verum eſt, poterunt ſemper omnes ſubditi in exſequendis Superiorum ſuorum ſiue ſæcularium, ſiue ſpiritualium mandatis tergiuerſari, & petere, vt probet Superior ſe habere talia, vel talia iubendi auctoritatem.

Docent quidem Sancti Patres non eſſe obediendum Superiori, quando manifeſtò conſtat, eum non habere iubendi poteſtatem, aut quod iniquum eſt, iubere, (*ſiquidem Deo magis obedire oportere, quàm hominibus*, Apoſtolicum axioma eſt, Act. 5.) At ijdem Patres docent, ſemper eſſe obediendum Superiori, quando aut conſtat eum habere auctoritatem iubendi, & iuſta mandare, aut non conſtat eum non habere iubendi auctoritatem, aut iniuſta præcipere. Nam in re dubia ſtandum eſt iudicio Superioris. Vide quæ dicuntur infra ad hunc locum. *Quando parendum ſuperiori.* *Act. 5.*

9. Demum is eius toto libro ſcopus eſt, ea intentio, vt ſacroſanctam Summi Pontificis Chriſti Vicarij, Eccleſiæ in terris capitis poteſtatem diminuat, atque altera ſui parte truncet. Contendit enim nullam eſſe in Summo Pontifice poteſtatem diſponendi de temporalibus, neque directè, neque indirectè, neque abſolutè, neque in ordine ad ſpiritualia: & gladium non eſſe ſub gladio, neque

temporalem poteſtatem ſubijci ſpirituali.

Præclarus equidem labor, quò ouis erga Paſtorem, filius erga patrem, homo Catholicus erga Summum Pontificem, Chriſti Vicarium ſuum ſtudium, & ſubiectionem declaret, ac profiteatur. Agitur de poteſtate Summi Pontificis, quà Pontificis, à Chriſto Deo, ac Domino ex primæua inſtitutione illi collata. Eam ſacræ litteræ, ſacra Concilia, Summi Pontifices, Sancti Patres, Theologi, Iureconſulti omnes, vno ore, vnanimi conſenſu verbo Dei innitentes, ampliſſimam eſſe, & ſummam aſſerunt, ita quidem, vt non poſſit ſpiritualia duntaxat; verùm etiam temporalia, quatenus ea ſpiritualibus ſubijciuntur, & ad ea referuntur, regere, & gubernare. Nec hac de re vlla inter bonos auctores controuerſia eſt, licèt nonnulla de modo ſit diſcrepantia, dum alij eam poteſtatem directè ad temporalia extendi, alij indirectè, alij abſolutè, alij in ordine ad ſpiritualia docent.

Hæretici Pontificiam poteſtatem ſeſe vllo modo ad temporalia extendere negant. Ita Caluinus l. 4. Inſt. c. 11. §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Petrus Martyr in cap. 13. ad Romanos. Centuriatores Magdeburgenſes cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 435. Marſilius de Padua, & pauci alij, de quibus paulò poſt.

Aduerſarius contra ſacras litteras, doctrinam Conciliorum, & Summorum Pontificum, vnanimem conſenſum Patrum, & Doctorum hæreticis, ſchiſmaticiſque in oppugnanda, & mutilanda Pontificia poteſtate ſe iungit: Et tamen Catholicus videri vult. Aut igitur deſerat caſtra, aut nomen Cur, quorum deteſtatur nomen, eorum in caſtris militat? Quorum nomen præfert, eorum ſocietatem auerſatur?

C A P. I I.

Examen Præfationis.

Præfatio quinque habet, quæ cenſura digna videntur.

PRimum, aſtruit Principatum politicum Regum, aliorumque Principum huius mundi eſſe de iure diuino naturali: Non ſecus, ac Pontificatus Epiſcopi Romani eſt de iure diuino Euangelico. Hoc quaſi fundamentum iacit ſuæ falſæ doctrinæ, ex quo poſtea deducet non poſſe Regem vlla de cauſa ab hominibus quacunque poteſtate præditis deponi, ſed à ſolo Deo. Sed audiamus ipſum loquentem.

» *Cum duæ tantum reperiantur poteſtates,*
» *quibus principaliter Mundus hic regitur; actibus*
» *proprijs, ac dignitatibus diſtinctæ, auctoritas*
» *nempè ſacra Pontificum à Chriſto Domino inſti-*
» *tuta: & Principatus politicus ab ipſo Deo per*
» *legem naturæ, quæ ſuæ ſempiternæ participatio*
» *eſt, ſanctiſſimè ordinatus.*) Hæc aduerſarius, qui pro horum confirmatione ad marginem citat Gelaſium, Nicolaum, Innocentium.

Reſpondeo. Fundamentum hoc falſum eſt, & abſurdum: Proinde non mirum, ſi, quæ ſuperſtruuntur, falſa & abſurda ſint. Non enim verum eſt, poteſtatem politicam Regum, ac Principum eſſe à Deo per legem naturæ, perindè, ac poteſtas Pontificia eſt à Chriſto per legem Euangelicam. Latum inter vtramque poteſtatem ratione originis diſcrimen eſt.

1. Pontificia poteſtas immediatè eſt à Chriſto verò Deo, & homine, ſiue à lege diuina Euangelica.

Diſcrimen inter poteſtatem Pontificiam & Politicam.

Politica poteſtas eſt à Deo mediatè, nimirum per impreſſionem naturalis luminis in animis, & mentibus hominum, quo illuſtratæ Ciuitates, & populi creant ſibi Reges, & alios Magiſtratus. Si qui Reges à Deo immediatè deſignati ſunt, vt Saul. 1. Reg. 9. & Dauid 1. Reg. 16. id extraordinarium, & ſingulare fuit. Et tamen ij ipſi ſic à Deo deſignabantur, vt conſenſu populi opus haberent, vt regno à Deo delato reipſa potirentur, vt in locis citatis videre eſt, item 2. Reg. 1. & 5. cap. Id voluit Deus Deuter. 17: cùm ait: *Si in illa die dixeris, conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Itaque tum etiam, quando Deus deſignabat Regem, populo relinquebat ius eum conſtituendi, ita, vt non alium niſi deſignatum eligerent.

Breuiter, auctoritas ſacra Pontificum eſt Iuris diuini Euangelici: Principatus politicus eſt Iuris gentium humani.

Deinde, Pontificia poteſtas non eſt immediatè in multitudine, vt in ſubiecto, neq; à multitudine transfertur in Papam: ſed fuit immediatè à Deo, & de iure diuino Euangelico S. Petro, Succeſſoribuſq; collata.

Politica poteſtas eſt in ipſa multitudine generis humani, ceu in ſubiecto immediato, & à multitudine transfertur in Reges, vel Conſules, alioſuè Magiſtratus, prout ipſi multitudini commodiùs viſum fuerit.

Hinc ſequitur Principatum politicum non eſſe eo modo de iure diuino, quo eſt Pontificius. Ita docent Catholici Scriptores, vt Dominicus à Soto libr. 4. de iuſtitia & iure, qu. 4. a. 1. ad cuius verba auctor hoc loco alluſiſſe videtur, & alij. D. Thomas fit inſtar omnium, cui nullus Catholicus hac in re contradicit. Is in 2. 2. qu. 10. art. 10. *Conſiderandum eſt*, inquit, *quod dominium, vel prælatio introducta ſunt ex iure humano.* Loquitur autem de prælatione politica, non de Eccleſiaſtica, ſiquidem diſputat eo loco hanc quæſtionem; *vtrum infideles poſſint habere prælationem, ſeu dominium ſupra fideles.*

Dom. Soto.

D. Thomas.

Neque Gelaſius, aut Nicolaus, aut Innocentius in margine ab Aduerſario citati aliud dicunt. Solùm dicunt Principatum politicum diſtinctum eſſe ab Eccleſiaſtico, quod nemo inficias ierit: Principatum politicum eſſe immediatè à Deo, ſiue de Iure naturæ, nè meminerunt quidem.

Gelaſij Primi, in epiſt. ad Anaſtaſium imperat. (vnde can. *Duo ſunt*, deſumptus eſt,) verba hæc ſunt; *Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter Mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas: in quibus tantò grauius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis regiminibus ho-*

Gelaſius I.

minum in diuino ſunt reddituri examine ratio-nem, & infrà *Noſti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi volun-tatem*.

Nicolaus I. Nicolai 1. in ep. ad Michaelem Imperatorem, (vnde Can. *Cum ad verum*, deſumptus eſt) verba ſunt hæc. *Cum ad verum ventum eſt, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit: quoniam mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit*.

Innocentius III. Innocentius III. in cap. Nouit. de iudic. & in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, nihil omninò dicit, vndè colligi queat, politicam poteſtatem eſſe immediatè à Deo, ſiue de iure naturæ. Non hoc itaque citati Pontifices docent, ſed iſtud potiùs, Regem, quà talem, non eſſe caput Eccleſiæ, quod Rex Angliæ ſibi vindicat.

Secundum, quod in præfatione aduerſarij cenſoria nota dignum occurrit, eſt quod ait, *Card. Bellarminum auctoritatem Pontificis* " *temporalem in Regia Maieſtatis derogationem* " *ſtabilire contendere*. Quod ad inuidiam Card. " Bellarmino apud Principes huius ſæculi conflandam dictum eſſe, nemo non videt.

Reſpondeo itaque, iniuria & per calumniam Card. Bellarmino hoc affingitur. *Primò* quidem, non derogat Regiæ Maieſtati, ſed colit, & obſeruat, colendamque, & obſeruandam eſſe docet, Card. Bellarmin. tribuitque illi omnem eminentiam, quam ſacræ litteræ, & Sancti Patres tribuunt: Illud addit, Regiam Maieſtatem, & omnia temporalia inſeruire debere Eccleſiæ Dei,& ſaluti animarum, ſeu referenda eſſe ad finem ſpiritualem, & vitam æternam: Ideò à Chriſto Deo, & Domino ſubiecta eſſe Vicario ſuo, ſupremo in terris Principi Spirituali, quem *ſuper* vniuerſam *familiam ſuam* loco ſuo *conſtituit*, & cui *paſcendas oues ſuas* commiſit, vt ab eo dirigantur ad finem ſupremum æternæ vitæ, & ſi aberrare contingat, corrigantur. Ea autem non eſt derogatio Regiæ Maieſtatis, aut Politicæ poteſtatis,ſed eſt ingentiſſimum Dei beneficium, omnibus fidelibus apprimè neceſſarium, & ſalutare, ſed Regibus maximè, qui quò excelſiore ſunt loco, eò magis obnoxij ſunt grauiori caſui, eoque magis egent directione.

Luc. 22. Ioan. 21:

Non minuitur Maieſtas humana, cum diuinæ ſubijcitur, ſed adiuuatur, dirigitur, illuſtratur magis, quàm corpus à ſpiritu, Luna à Sole; & docentur Reges ſic regnare in terris, vt poſt hanc vitam cum Chriſto æternùm regnare mereantur in cælis. *Gens enim, & regnum, quod Eccleſiæ non ſeruierit, peribit*. Iſa. 60. Reges enim non ſunt Paſtores Eccleſiæ, ſed oues; non patres, ſed filij, & quidem filij primogeniti: non præſides, ſed ſubditi, nec quiuis è turba, ſed *nutritij* Iſa. 49. *ve ei miniſtrent, eam vberibus ſuis lactent, & eius muros ædificent*. Iſa. 60. id eſt, vt Religionem non Antiſtitum, ſed Regum more, ac velut primogeniti Eccleſiæ filij procurent, tegendis, tuendiſque Pontificibus, ac populis in officio continendis. Hoc Regum officium eſſe docent Catholici; quod ſi ſtrenuè exſequantur, atq; intra eius ſe limites contineant, beati ſunt Reges illi donandi à Rege Regum longè ſplendidiore immortalis Regni corona.

Iſa. 60. Iſa. 49. & 60.

Illi derogant Regibus, qui per aſſentationem ita terrenam illorum poteſtatem extollunt, vt cœleſti gloria priuent. Lubet concludere hunc locum cum magno & Rege, & Propheta; *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam, nè quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*. Pſal. 2. *Pſal. 2.*

Deinde iniuria, & per calumniam Card. Bellarmino aſſingitur, quod is in *derogationem* " *Regiæ Maieſtatis temporalem Pontificis poteſtatem ſtabilire contendat*, quaſi Bellarminus aut " ſolus, aut primus ſit, qui hoc dogma procuderit. Non eſt dogma Card. Bellarmini, ſed eſt dogma Catholicæ Eccleſiæ, quod Oecumenica Concilia, Summi Pontifices, Sancti Patres, Catholici Doctores ex verbo Dei acceptum conſtanter ſemper aſſeruerunt. Qui contrarium docent, ij aut manifeſti ſunt Hæretici, aut Schiſmatici, aut certè de hæreſi ſuſpecti. Card. Bellar. illos, quam hos ſequi maluit, quod hic crimen? Nihil noui attulit, nihil de ſuo commentus eſt, nihil tanquam ſibi proprium arrogauit. Auctores, quos ſecutus eſt, plurimos allegauit; rationes, quibus ſententiam ſuam confirmauit, ab illis accepit, ac potiſſimùm à Nicolao Sandero Anglo in lib. 2. *de viſibili Monarchia Eccleſiæ*, quem auctorem nominauit eo loco, vbi rationes illas primum poſuit. *Vide*, inquit, lib. 5. de Pontif. c. 7. *plura apud Nicolaum Sanderum lib. 2. de viſibili Monarchia cap. 4. vbi etiam multa ex ijs, quæ diximus, inuenies*. Hęc ibi Bellarminus. *Sanderus.*

Itaque mirum eſt, cur aduerſarius, qui Anglus eſt, non contra Sanderum Anglum ſcripſerit potiùs, quàm contra Bellarminum, qui & ab illo acceperat, & eandem quæſtionem breuius tractanerat. Sed nimirum, vt Bellarminus Romanam Eccleſiam vnus inſtar omnium aduerſus omnes eius hoſtes egregiè propugnat, ſplendoremque illuſtriſſimi nominis ſui longè, lateque diffundit: Ita nemo ferè hoſtium Eccleſiæ Romanæ, hoc tempore, ſe vel eidem Eccleſiæ incommodare, vel apud homines innoteſcere poſſe ſperat, niſi contra Bellarminum ſcripſerit.

Tertium, quod in Præfatione reprehenſionem meretur, eſt, *quod hanc doctrinam de* " *Pontificis poteſtate in deponendis Principibus no-* " *nam eſſe dicit*: Et tamen fatetur à Gregorio " VII. depoſitum fuiſſe Imperatorem Henricum quæ depoſitio facta eſt ante annos quingentos.

Reſpondeo primum, nouum dici non debet, quod ante tot ſæcula cæpit in Eccleſia non ſolum doceri, ſed etiam exerceri.

Deinde, etiamſi noua doctrina eſſet, modò ab Eccleſia Romana, quæ, teſte ipſo auctore in hac eadem præfatione, *columna eſt & firmamentum veritatis*, & infallibili iudicio pollet, probata ſit; reijci, vel impugnari à Catholicis non deberet. Multa enim declarantur ab Eccleſia poſterioris temporis, propter nouos exortos errores, quæ à prioris temporis Eccleſia declarata non fuerunt. *1. Tim. 3.*

Quod autem Gregorius VII. Pontifex Roma-

Romanus, cum ingenti Romano Concilio, fecit, ſine dubio Romana Eccleſia fecit, ac per hoc doctrina, & iudicium, quod inde proceſſit, vt in *columna veritatis* fundata, à Catholicis hominibus in dubium reuocari non deberent.

Quartum eſt, quod ſcribit, ſe valdè timuiſſe, nè reus eſſet cædium, aliorumque infinitorum malorum, niſi liberè veritatem diceret: Ideò conſcientiæ exonerandæ cauſa ad ſcribendum animum appuliſſe. Ac nè ambagibus vti velle videatur, diſertis verbis confeſſionem ſuam ponit, dicens: *Doctrinæ Catholicæ principijs non repugnare, quin potiùs conſentaneum eſſe, quod Principibus etiam hæreticis, non obſtante quacunque excommunicationis, aut depriuationis ſententia à Summo Pontifice contra illos lata, (vtpote cui poteſtas tantùm ſpiritualis, & non ſæcularis, qualis eſt Principes deponendi, ex Chriſti inſtitutione competit,) ſit à populo illis ciuiliter ſubiecto obedientia in rebus politicis Iure diuino exhibenda.)*

Reſpondeo. Valdè equidem teneræ conſcientiæ eſt Aduerſarius; & contra craſſæ admodũ conſcientiæ fuiſſe neceſſum eſt, S. Thomam, S. Bonauenturam, S. Raymundum, S. Antonium, & infinitos alios doctiſſimos: ſanctiſſimoſque viros, qui ſine ſcrupulo conſcientiæ ſcripſerunt, Principi Politico à Summo Pontifice ob hæreſim excommunicato, ac depoſito nõ deberi amplius à populis obe-

S. Thomas. dientiam vllam. D. Thomæ, qui agmen ducit, verba ſunt hæc in 2. 2. qu. 12. a. 2. *Quam citò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter apoſtaſiam à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis quo ei tenebantur.* Neque id ex capite ſuo S. Thomas finxit; ſed ex Canonibus ſacris accepit quibus repugnare nullus Catholicus auderet.

Quintum eſt, quod proteſtationem contrariam facto adiungit, *In omnibus*, inquit, *me Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ cenſuræ atque correctioni cum omni, qua par eſt, ſubmiſſione ſubijcio.*

Reſpondeo. Bona hæc ſunt verba, & Catholico viro digna. Vtinam facta verbis reſpondeant: nihil deſiderabimus ampliùs. At verò cum toto libro Romanæ Eccleſiæ voces, & decreta contemnat, & hoſtibus Eccleſiæ coniunctus poteſtatem, & dignitatem eius totis viribus oppugnet, & ſi non penitùs tollere, certè dimidiare conetur, non video qua alia intentione hæc verba proferantur,

Marc. 15. quàm qua illi *percutiebant caput eius* (Chriſti) *arundine, & ponentes genua adorabant eum*, Marc. 15. c. *Et veniebant ad eum, & dicebant:*

Ioan. 19. *Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas*, Io. 19. c.

CAP. III.

Examinatur Catalogus Auctorum contrariæ ſententiæ à num. 1. vſque ad 35.

AGgredior nunc Librum ipſum examinare, qui non eſt in capita diſtinctus, ſed in numeros,

Num. 1. dicit quæſtionem diu, ac multum agitatam fuiſſe tum alibi, tum nouiſſimè in Anglia occaſione iuramenti, quod Rex Magnæ Britanniæ à Catholicis ſubditis ſuis exigere cæpit poſt puluerariam coniurationem; vtrum videlicet Summus Pontifex habeat poteſtatem in ordine ad bonum Spirituale, diſponendi de temporalibus, ac priuandi Reges principatu temporali ob crimen hæreſis.

Num. 2. dicit, quàm plurimos Catholicos Anglos in ea ſententia eſſe, vt habeat Summus Pontifex eam poteſtatem, idque non probabili opinione, ſed certa fide eſſe tenendum, ita vt contrariam ſententiam hæreticam eſſe arbitrentur.

Addit præcipua fundamenta huius ſententiæ eſſe rationes, & exempla, quæ in 5. lib. de Rom. Pontif. Illuſtriſs. Card. Bellarminus iam olim adduxit. Adiungit hanc eſſe communem recentiorum Theologorum ſententiam.

Reſpondeo. Pro tam ingenua confeſſione Aduerſario gratias ago. Verè ſic eſt, & id diligenter notãdum eſt, non vnius Card. Bellarmini ea eſt ſentẽtia, ſed omnium Theologorum, nec modò recentium, vt auctor dicit; ſed & veterum, imò, nec Theologorum duntaxat; ſed & Iureconſultorum Catholicorum; nec priuatorum tantum; ſed & Oecumenicorum Conciliorum, & Summorum Pontificum, qua de re infrà latiùs agendum.

Nunc Prudens Lector etiam, atq; etiam diſpiciat, quantæ ſit conſiderationis, ac prudentiæ hominem vnum, qui ſe Catholicum profiteatur, à communi, & recepta in Eccleſia Dei ſententia, in re tam graui, diſcedere.

Num. 3. dicit: Alios permultos Catholicos Anglos omninò negare, poſſe ſufficienter demonſtrari, vel Scripturarum teſtimonio, vel Apoſtolica traditione, vel Sanctorum Patrum auctoritate, vel rationibus Theologicis, Summum Pontificem vllum prorſus habere ex Chriſti inſtitutione rerum temporalium dominium, aut poteſtatem, ſiue directè, ſiue indirectè, ſiue abſolutè, ſiue reſpectiuè ad bonum ſpirituale, Principes Supremos ob quantumuis crimen ſuis dominijs temporalibus diſpoliandi.

Reſpondeo. Vtrum verum ſit, Anglos, qui ita ſentiunt eſſe permultos, vt auctor refert: An potiùs valdè paucos, vt à viris fide dignis accepi, illorum eſto iudicium, qui rerum Anglicanarum periti ſunt.

Porrò ſententiam illam, quæ negat in Summo Pontifice eſſe poteſtatem deponendi Principes, præcipuè in caſu hæreſis, falſam eſſe, & erroneam demonſtrabimus, & teſtimonio Scripturarum, & auctoritate Sanctorum Oecumenicorum Conciliorum, & teſtimonio Patrum, & vnanimi conſenſu Theologorum, & Iureconſultorum, & rationibus Theologicis.

Primum argumentum ſumitur ex Sacris litteris. Nam ex ijs addita declaratione Eccleſiæ per Summos Pontifices, & Oecumenica Concilia, & explicatione Patrum habemus Primatum Eccleſiaſticum, ſiue Principatum Spiritualem Summi Pontificis, quo ampliſſi- 1. Argumentum pro poteſtate Pontificis in temporalibus.

ma

ma poteſtas contineatur regendi, ligandi, & ſoluendi quoſcunque etiam Reges, & Imperatores. Matt. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris,* &c. Ioan. 21. *Paſce oues meas.* De hoc nulla eſt apud Catholicos controuerſia. At ex hoc Spirituali Pontif. Principatu, ijſdemq; Scripturæ locis addita, Summorum Pontificum, & Conciliorum declaratione apertiſſimè colligitur, eſſe in Rom. Pontiſ. poteſtatem temporalia diſponendi vſque ad ipſorum, & Imperatorum depoſitionem: Nam per ipſam Spiritualem poteſtatem poteſt Pontifex ligare Principes Seculares vinculo excommunicationis ſoluere populos à iuramento fidelitatis, & obedientiæ, obligare eoſdem populos ſub pęna excommunicationis, vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium ſibi eligant Regem. Præterea, quia ſicut poteſtates, & regna ex finibus præcipuè diſtinguuntur, vt Ariſtoteles docet lib. 3. polit. c. 4. ita in ordine ad ſuum finem vnaquæque poteſtas vim, & efficaciam habet circa omnia inferiora, quæ poſſunt finem illum impedire, vel conuenienter promouere: quia aliàs poteſtas eſſet imperfecta, & diminuta. Cum ergò temporalia omnia ad Spiritualia referantur, illiſque ſubordinentur, omnia illa, vt ordinem habent ad hunc finem ſubijciuntur Spirituali poteſtati, ab eaque diſponi poſſunt, & dirigi, nè Spiritualem finem, qui eſt vita æterna, impediant. Atque hæc eſt ratio cur & Gregorius VII. & Innocentius IV. in depoſitione Imperatorum, vt oſtenderent iure ſe id facere, verba Domini allegauerint: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis,* Matth. 16. & *Paſce oues meas,* Ioan. 21. Nimirum, vt ſignificarent poteſtatem ſuam diſponendi de temporalibus, quando id requirit ſalus animarum, Religionis incolumitas, Eccleſiæ conſeruatio; non pendere ab incertis hominum opinionibus; ſed ex ordinatione Chriſti, non deſcendere ab inſtituto hominum; ſed ex primæua inſtitutione ipſius ſummi Eccleſiaſtici Principatus à Chriſto facta Summo & Rege, & Pontifice. Quare cùm poteſtas Summi Pont. in temporalibus deriuetur ex poteſtate eius Spirituali, ſiue primatu Eccleſiaſtico, ſeu potiùs in eo includatur, omnia argumenta, quibus primatus Pontificis Eccleſiaſticus cōfirmatur, ſtabiliunt etiam poteſtatem eius in temporalibus.

Matth. 16.

Ioan. 21.

Ariſtoteles.

Confirmatur id argumentum ex comparatione Legis veteris ad nouam. Samuel, Dei auctoritate Saulem Regem creauit, deinde peccantem publicè depoſuit, Dauide ſubſtituto, & inuncto, 1. Reg. 9. 15. & 16. c. Elias Dei ſpiritu Reges conſtituit, & abdicat, non modò in in Iſrael, ſed & in Syria, 3. Reg. 19. Eliſeus iuſſit Iehu vngi in Regem Iſraelis, & domum Achab interfici, 4. Reg. 9. Hieremias Sacerdos accipit poteſtatem *ſuper gentes, & regna, vt deſtruat, & ædificet, euellat, & plantet,* 1. cap. At Apoſtolica auctoritas non eſt minor, quàm Prophetica. Alioqui quomodo illud Spiritus S. impletum eſt: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram?* Pſal. 44. Quare ſtat immota vox, vel potius oraculum D. Ambroſij epiſt. 33. *Veteri Iure à Sacerdotibus donantur imperia, non vſurpantur.* Et illud Petri Cluniacenſis epiſt. 29. lib. 6. *Quamuis Eccleſia non habeat Imperatoris gladium; habet tamen ſuper ipſos Imperatores imperium. Vnde ei ſub figura Prophetici nominis dicitur: Conſtitui te ſuper gentes, & regna, vt euellas, deſtruas, diſperdas, diſſipes, ædifices, plantes.* Ita Genebrardus. Præterea Ioiada in veteri Teſtamento Summus Pontifex ordinaria ſua Sacerdotali poteſtate Athaliam Reginam non ſolùm deponi, ſed & interfici mandauit, & Ioas Regem ſubſtituit, 4. Reg. 11. Azaria Pontifex Oziam Regem, cum Sacerdotum officium vſurpare vellet, & ob id lepra à Deo percuſſus eſſet, è templo eiecit, & vrbe, regnumq; filio renunciare coegit, 2. Paralip. 26. Quod autem non ſponte ſua, ſed ex ſententia Pontificis, & vrbe, & regni adminiſtratione priuatus fuerit, patet, quia legimus Leuit. 13. *Quicunque*, inquit lex, *maculatus fuerit lepra, & ſeparatus ad arbitrium Sacerdotis ſolus habitabit extra caſtra.* Itaque cùm hæc fuerit lex In Iſrael, & rex habitauerit extra vrbem in domo ſolitaria, filiuſque iudicauerit populum terræ; ſequitur ad arbitrium Sacerdotis, eum & vrbe, & regni adminiſtratione priuatum.

Fuit igitur hæc poteſtas deponendi Reges iuſta, ac graui de cauſa in Pontificibus Veteris Teſtamenti, cur non ergo in Summo Pontifice in nouo Teſtamento? Certè non fuit maior poteſtas Synagogæ, quàm eſt Eccleſiæ Chriſti. Sed de his infrà latiùs, vbi ea defendemus. Hactenus ex Scriptura. Nunc ad Concilia.

Secundum igitur argumentum ſumitur ex Concilijs, quorum quatuordecim in hanc ſententiam afferemus.

II. Argu. pro poteſtate Pōtificis in temporalibus.

Primum Concilium fuit habitum Romæ anno 726. ſub Gregorio II. In eo Gregorius Pontifex approbante Cōcilio Leoni Iſaurico, Iconomacho Imperatori, ob crimen hæreſeos Italicum Imperium, quod de Longobardis ſupererat, eripuit, vt teſtantur Hiſtorici Græci, Glycas, Theophanes, Cedrenus, & Zonaras *in Leone Iſaurico.* Zonaræ verba tom. 3. Annalium hæc ſunt. *Gregorius qui tum Romæ Veteris Eccleſiam gubernabat, illos vnà cum Imperatore Synodico anathemate obſtrinxit, & vectigalia, quæ ad id vſque tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, inito cum Francis fœdere.* Latini hoc factum Gregorio III. attribuunt, vt Sigebertus an. 727. Paulus Diaconus lib. 21. Platina in Gregorio III. Ioannes Nauclerus generat. 24. quoniam is Gregorij II. ſententiam confirmauit.

Glycas. Theophanes. Cedrenus. Zonaras.

Sigebert. Paul. Diac. Platina. Nauclerus.

Secundum Concilium Romanum ſub Gregorio VII. anno 1076. In quo Henricus IV. ſæpiùs antè admonitus, excommunicatus eſt, ac Regno priuatus, neque id modò, ſed ante conceptis verbis definitum penes Pontificem eam poteſtatem eſſe. Vide Card. Baronium ad an. 1076.

Conc. Rom. ſub Greg. 7.

Tertium Concilium Romanum ab eodē Gregorio VII. celebratum anno 1080. In eo interfuerunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi diuerſarum vrbium, nec non & Abbatum, ac diuerſorum Ordinis Clericorum innumerabilis multitudo, & Henricus IV. denuò excommuni-

Conc. Rom. ſub eodem.

municatus, ac priuatus eſt Regno.

Conc. Beneuent. Quartum eſt. Beneuentanum habitum à Victore III. an. 1087.

Conc. Placēt. Quintum, Placentinum celebratum ab Vrbano II. an. 1095.

Conc Rom. ſub Paſch. 2. Sextum, Romanum celebratum à Paſchale II. an. 1102.

Conc. Later. ſub eodem. Septimum, Lateranenſe ab eodem Paſchali II. celebratum anno 1116. quę duo poſteriora generalia fuiſſe teſtatur Abbas Vrſpergenſis.

Conc. Colon. Octauum Colonienſe à Gelaſio II. anno 1118.

Conc. Friteſlarienſe. Nonum Friteslarienſe ab eodem.

Conc. Remenſe ſub Calliſto 2. Decimum Remenſe à Caliſto II. an. 1119. in quo quadringenti viginti quatuor Epiſcopi adfuerunt, & Rex Franciæ Ludouicus multique alij Principes.

In his ſeptem ordine citatis Concilijs dicti Pontifices vniuerſis approbantibus ſententiam Gregorij VII. in Henricum Imperatorem confirmarunt.

Conc. Claramont. ſub Vrb. 2. Vndecimum Concilium Claramontanū ab Vrbano II. celebratum an 1095. in quo præterquam quòd ſententia Gregorij VII. in Henricum IV. confirmata eſt, etiam Philippus I. Francorum Rex, eo, quòd eiecta legitima coniuge, abteptam Fulconis Comitis Andegauenſis thoro cognatam ſuam ſibi matrimonio iunxiſſet, excommunicatus eſt, honoreque ac diademate regio ſpoliatus. Et fuerunt, Iuone Carnotenſi teſte. epiſt. 28. ad Vrbanum ſecundum, *qui hac ratione vtendum cum Pontifice dicerent, quò impunitatem flagitij illius Regi à Sede Apoſtolica impetrarent*, vt iactarent *Regem cum Regno ab obedientia Vrbani diſceſſurum, niſi coronam reſtitueret, eumque anathemate ſolueret*. Sed cum nihil ijs minis profeciſſent, tantum apud Regem, & vniuerſum Regnum ſententia Concilij valuit: Vt, Pontifice mortuo, quæſierit Epiſcopos, per quos Regni diadema ſibi iterum imponeretur, quod quidam fecerunt, quaſi, inquit idem Iuo epiſt. 34. ad Ioannem Presbyterum Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum, *mortuo præcone iuſtitiam mortuam eſſe crediderint*.

Conc. Pictauienſe ſub Paſch. 2. Duodecimum, Pictauienſe à Paſchali II. an. 1100. celebratum, in quo à Legatis Pontificis repetita & cōfirmata ſententia in Philippum. Vndè coactus tandem eſt, reiecta adultera, ad legitimam vxorem redire. *Nic. Vignerius.* Refert Nicolaus Vignerius in Summario hiſtoriarum Francicarum, antequam, eiecta pellice, Rex à Sede Apoſtolica communioni Eccleſiæ, Regnoque redderetur, in publicis ſcripturis non fuiſſe poſitum, vt moris erat, *Regnante Philippo*, ſed prætermiſſo Philippi nomine, *Regnante Ieſu Chriſto Domino noſtro*. *Sigeb. Paris. Naucl. P. Aem. Pap Maſſon.* Vide Sigbertum in Chronico, an. 1095. Matthæum Paris ad an. 1095. Nauclerum generat. 37. Paulum Æmilium lib. 3. in Rege 38. Papirium Maſſonium lib. 3. Annalium.

Conc. Later. ſub Innoc. 3. Decimumtertium Concilium eſt Lateranenſe, celebratum ab Innocentio III. anno 1215. quod ſine controuerſia eſt generale, & iure maximum dici ſolet. Nam in eo affuerunt præter Summum Pontificem Patriarchæ Orientales, duo per ſe, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus: Duo per Legatos Alexandrinus, & Antiochenus, Archiepiſcopi 70. Epiſcopi 412. Abbates, Priores Conuentuales, 800. Legati Imperatorum Occidentis, & Orientis, Regum verò Hieroſolymæ, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri. In hoc Orbis Chriſtiani celeberrimo conuentu editus eſt Canon, qui ordine tertius ſic habet. *Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæreſim, extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam; Orthodoxam, Catholicam fidem, quam ſuperiùs expoſuimus*, &c. Et infrà, *Si verò Dominus temporalis admonitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & Comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatiſfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici, vt extunc ipſe Vaſſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege ſeruata circa eos, qui non habent Dominos principales.* *Canon. Cōc. maximi Lateran ſub Innoc. 3.*

Eiuſdem Concilij decreto Comitatum Tholoſanum Simoni Montifortenſi Comiti collatum eſſe, qui Albigenſes hæreticos armis inde eiecerat, referunt Polydorus, Virgil. 16. Angl. hiſt. Æmilius lib. 6. Blondus l. 6. dec. 2. Faſc. temp. Genebrad. in chronico lib. 4.

Decimumquartum Concilium Lugduni celebratum ab Innocentio IV. an. 1245. eſt generale in quo præter Archiepiſcopos, & Epiſcopos vndiq; euocatos interfuerunt etiam Balduinus Imperator cum multis alijs Principibus, & S. Ludouicus Francorum Rex, vt teſtantur Æmilius, & Nauclerus. *Conc. Lugd. ſub Innoc. 4.* In eo Concilio lata eſt ſententia in Fridericum II. Imperatorem in hæc verba: *Sententia in Conc. Lugd. contra Fred. Imp. lata.* *Nos itaque ſuper præmiſſis, & quàm pluribus alijs eius nefandis exceſſibus, cum fratribus noſtris, & Sancto Concilio, deliberatione præhabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices, licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in B. Petri perſona dictum ſit: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis,* *Matth. 16.* *memoratum Principem, qui ſe Imperio & Regnis, omnique honore, & dignitate reddidit indignum, quique propter ſuas iniquitates, à Deo nè regnet, vel imperet, eſt abiectus, ſuis ligatum peccatis, & abiectum, omnique honore, & dignitate priuatum à Domino oſtendimus, & denunciamus; & nihilominus ſententiando priuamus, omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur aſtricti à iuramento huiuſmodi perpetuò abſoluentes, auctoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori pareat, & intendat: decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem, ad quos in eodem imperio Imperatoris ſpectat electio eligant liberè ſucceſſorem. De præfato Siciliæ Regno prouidere curabimus, cum eorundem fratrum noſtrorum conſilio, ſicut viderimus expedire.* Hæc ibi Pontifex toto approbante Concilio.

Quod ſi vnum Concilium, cui præſidet Summus Pontifex, certam fidem facit, vt nemini fas ſit contra ſentire; quanta temeritas eſt, ſi quis quatuordecim Concilijs frequentiſſimis contradicere audeat?

S. August. S. Auguſtinus lib. 1. in Iulianum, cap. 2. vnum Concilium Paleſtinum Epiſcoporum

decem

Digitized by Google

Iulianus hæret.

decem, & quatuor ſatis magnæ anctoritatis eſſe exiſtimauit ad vnius Iuliani hæretici audaciam comprimendam; quanto igitur magis quatuordecim Concilia, in quibus præter plurimos alios, Epiſcopi ſupra mille ex vniuerſo Chriſtiano orbe conuenerunt mouere homines Catholicos debent? *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, ait Chriſtus, Matth. 18. At certè hæc Concilia vniuerſam Chriſti Eccleſiam repræſentant, eorum vox vniuerſæ Eccleſiæ vox eſt, cum in omnibus Romanus Pontifex præſederit, vel per ſe, vt in pleriſque; vel per Legatos, vt in vno, vel altero; & quædam eorum fuerint generalia: & dicere poſſunt, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, vt dicitur Act. 15. Et hæc de argumento ex Concilijs ducto ſufficiant. Nunc ad definitiones Pontificum tranſeamus.

Tertium argumentū pro poteſtate Pontificis in temporalibus S. Greg. Mag.

Tertium argumentum ſumitur ex definitionibus, & teſtimonijs, exempliſque Pontificum. Nos viginti & octo Pontifices adducemus.

I. Eſt S. Gregorius Magnus, qui ſedit circa an. Domini 600. & ea poteſtate vſus eſt in cauſa Auguſtudunēſis Xenodochij, lib. 11. epiſt. 10. Iterum in priuilegio S. Medardi, lib. 12. epiſt. 32.

Verba eius lib. 11. epiſt. 10. ſunt hæc. *Si quis Regum, Sacerdotum, Iudicum ac perſonarum Sæcularium hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat.*

Lib. verò 12. epiſt. 32. ita loquitur; *Auctoritate diuina vice B. Petri Apoſtolorum principis*, &c. *decernimus* &c. Et infra. *Si quis autem Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcumque Sæcularium perſonarum, huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur*, &c.

In fine præter Pontificem triginta diuerſarum prouinciarum Epiſcopi huic decreto ſubſcripſerunt, atque vltimò omnium Rex Franciæ, & Regina.

Greg. 2.

II. Eſt S. Gregorius II. qui ſedit circa annum Domini 720. Is Leonem Iſauricum Iconomachum excommunicatum vectigalibus primùm, deinde etiam prouincia Italia ſpoliauit, & Carolum Martellum, delato etiam ad eum vrbis conſulatu, ad tutandam contra Cæſaris iniurias armis Italiam euocauit. Vide Baronium.

Greg. 3.

III. Eſt Gregorius III. qui ſedit an. 731. & prædeceſſoris ſui ſententiam confirmauit.

S. Zach.

14 Eſt S. Zacharias, qui ſedit circa annum 741. Is rogatu Procerum Hildericum Stupidum, quod ob eius ſocordiam, & Religioni, & Regno in Gallia extrema ruina imminere videretur, depoſuit: Et Pipinum Breuem Caroli Martelli F. & Caroli Magni Patrem creari iuſſit, an. 751. atque ita Pontificis Romani auctoritate Francorum Regnum à Clodouæi progenie ad Carolingos translatum eſt. Teſtantur Cedrenus in vita Leonis Iſauri, Paulus Diaconus lib. 6. cap. 5. de geſtis Longobardorum, S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus in epiſtola ad Zachariam, Ado, Sigebertus, Regino in Chronicis, & alij.

Stephanus 3.

V. Eſt Stephanus III. qui ſedit an. 752. Is petendi aduerſus Longobardos auxilij gratia profectus in Galliam, Zachariæ ſententiam confirmauit, & Pipinum cum filijs ſacra vnctione Gallorum Reges inaugurauit, ac Regnum ipſorum poſterioritati hæreditarium declarauit, Regino lib. 2. Sigeb. Genebrard.

Adrianus 1.

VI. Adrianus Pontifex, qui ſedere cæpit circa an. 772. Is ſententiam anteceſſorum ſuorum confirmans, Pipinum, & Ludouicum filios Caroli vnxit in Reges, & coronauit, & ipſum Carolum Pipini F. Rom. Patricium conſtituit, quæ ſecunda dignitas eſt poſt Imperatoriam.

Leo 3.

VII. Leo III. qui ſedere cæpit an. 796. Is anno octingenteſimo ipſo natali D. N. Ieſu Chriſti, Occidentis Imperio Conſtantinopolitanis Imperatoribus adempto ipſum Carolum cognomento Magnum ornauit. Vnde omnis deinde Germanorum Imperatorum ſeries deriuata eſt. Et factum, vt etiam hodie Imperatores Occidentis inungantur, & conſecrentur à Romano Pontifice. Hiſtoricos, qui hoc ipſum teſtantur, citat Card. Bellarm. triginta tres lib. 1. de translatione Imperij Romani.

Illud obiter monendum videtur, hanc Imperij translationem à Leone Pont. Max. factam ab hæreticis attribui præcipuis Antichriſti operibus, ita, vt Romanus Pontifex, quia Imperium à Græcis ad Francos, ſiue Germanos tranſtulit, eo ipſo probetur veriſſimus eſſe Antichriſtus. Ita Matthias Flaccus Illyricus in libro contra primatum Papæ, Centuriatores Magdeburgen. cent. 8. cap. 10. col. 751. & alij.

Ex quo ſequitur omnes Imperatores Germanos omneſq; Imperij Principes, quotquot huc vſque ab illa translatione fuerunt, & nunc ſunt, ſatellites eſſe Antichriſti, & eorum Principatus nec ſolido, nec iuſto fundamento ſubſiſtere. Videant Imperatores, & Principes, & requirant, atrocem iniuriam ſibi a Centuriatoribus factam. Videant omnes populi Occidentis, qui hos imperat. & Principes vt veros, & legitimos Imperij, & Principatuum poſſeſſores hactenus venerati ſunt. Sed de hoc ſatis.

Greg. 5.

VIII. Eſt Gregorius V. qui ſedere cæpit anno 995. Is ſanctionem edidit, ne quis Imperatoriam dignitatem hæreditariam ſibi vendicet, ſed per ſeptem Germaniæ Principes eligatur, quæ vſq: ad hanc diem ſeruatur. Onuphrius in lib. de Comitijs Imperial. Sebaſtianus Verronius in Chronico tribuunt Greg. X. circa an. 1272. Quod etſi rei de qua agimus nihil obeſt; non tamen videtur eſſe verum. De quo vide Card. Baronium in Annalib. & Bellarmin. lib. 3. de translatione Imp. Rom.

Alexander 2.

IX. Alexander II. miraculis clarus, qui ſedere cæpit an. 1061. Nam cum S. Eduardus ſine prole decedens Guglielmum Comitem Northmanniæ cognatum ſuum ſucceſſorem Anglorum Regni teſtamento nominaſſet, idque Haroldus Comes tunc Magiſter regiæ domus, vt probè ſactum ſe ſancte ſeruaturum iureiurando confirmaſſet; attamen poſt obitum S. Eduardi Regis ſpretis teſtamenti tabulis, violato iureiurando, regnum inuaſiſſet, Gulielmus Comes omnibus alijs fruſtra tentatis, tandem Summum Pontificem Alexan-

Digitized by Google

xandrum iudicem interpellauit. Ille ex tabulis teſtamenti regnum Gulielmo, qui Conqueſtor dictus, adiudicauit, reiecto Haroldo. Refert Gulielmus Ingulphus rerum Anglicarum, lib. 3. in Gulielmo I. Quod ſi non ea fides tunc inter Chriſtianos fuiſſet; de regnis, regnorumque ſucceſſionibus iudicia ad Pontificem pertinere, certè nec accuſatio illa ad Pontificem delata fuiſſet, nec Pontifex, vt potè vir ſanctus, & miracnlis clarus, eius rei iudicium ſuſcepiſſet.

x. Eſt S. Gregorius VII. qui præeſſe cæpit an. 1073.

Greg. 7. Is Philippo I. Francorum Regi, ni à Simonia, alijſque enormibus criminibus abſtineret, non ſemel excommunicationem, & Regni amiſſionem comminatus eſt, vt videre eſt lib. 1. epiſt. 35. lib. 2. epiſt. 18.

Idem Ducem Croatiæ, atque Dalmatię Demetrium in Regem euexit, vt refert Card. Baronius ab anno 1076. Boleslaum Poloniæ Regem, S. Stanislai Epiſcopi interfectorem communione fidelium, & regno priuauit, vt narrat Ioannes Longinus, in hiſtoria Polonica. Item Henricum IV. Regem Germanorũ. Ac licet ob inſignem zelum, & planè Apoſtolicam auctoritatem Sectarijs ſit ſummè exoſus: attamen ab omnibus bonis tam ſui temporis Scriptoribus; quàm recentioribus maximè laudatur, Deo tam viui, quam mortui ſanctitatem miraculis atteſtante, de quo videri poſſunt Card. Baronius in Annalib. Eccleſiaſt. Bellarmin. lib. 4. de Pont. cap. 13. Onuphrius quinque peculiaribus libris de eo ſcriptis.

Vict. 3. Vrb. 2. Paſch. 2. Gelaſ. 2. Caliſt. 2. xi. Victor III. xii. Vrbanus II. xiii. Paſchalis II. xiv. Gelaſius II. xv. Calliſtus II. qui omnes optimi ac laudatiſſimi Pontifices, ſententiam Gregorij VII. in Henricum Germaniæ Regem confirmarunt, & præterea Vrbanus II. Philippum Francum ob violatum thorum communione fidelium, & honore regio priuauit.

Alex. 3. xvi. Eſt Alexander III. optimus Pontifex, qui præeſſe cæpit an. 1159. & Friderico Ænobarbo anathemate percuſſo Imperialem dignitatem ademit.

Innocent. 3. xvii. Eſt Innocentius III. innocentiſſimus Pontifex, qui præeſſe cæpit an. 1198. Is Othonem IV. depoſuit, item Philippum Friderici Ænobarbi filium. Idem Ioannem Regem Angliæ virum impium in pœnam religionis contemptæ regni iure deiecit, & poſtea certis conditionibus reſtituit. Polydor. lib. 15. Angl. hiſt Æmilius. l. 6. Blondus lib. 6. decad. 2. Guliel. Nangia. Idem in Concilio generali Lateran. c. 3. decreuit, vt ſi Dominus temporalis terram ſuam ab hæreſi purgare neglexerit, nec ſe admonitus, & ab Epiſcopis excommunicatus correxerit, per Pontificem dominio priuetur, vt ſupra diximus.

Honor. 3. xviii. Eſt Honorius III. qui ſedere cæpit an. 1216. & Fridericum II. Ænobarbi nepotem Imperij dignitate priuauit.

Greg. 9. xix. Eſt Gregorius IX. laudatus Pontifex, qui ſedere cæpit an. 1227. & anteceſſoris ſui in Fridericum II. ſententiam confirmauit, atque iterum ac tertio renouauit.

Innocent. 4. xx. Eſt Innocentius IV. vir ſanctus, qui ſedere cæpit an. 1243. & eundem Fridericum in Concilio generali Lugdunen. hoſtem Eccleſię declaratum Imperio Chriſtianorum deiecit. Idem dedit Regi Luſitaniæ Coadiutorem quendam qui regnum adminiſtraret, eò quod regis negligentia & Reſp. & Religio detrimentum pateretur.

Idem in Concilio generali Lugdunenſi decretum edidit, quod exſtat cap. 1. de homic. in 6. in hæc verba: Sacri approbatione Concilij ſtatuimus, vt quicunque Princeps, Prælatus, ſeu quæuis Eccleſiaſtica, Sæculariſuè perſona quempiã Chriſtianorum per prædictos Aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit (quamquam mors ex hoc non ſequatur) aut eos receptauerit, vel defenderit, ſeu occultauerit, excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, honore, officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto, & illa liberè alijs per illos, ad quos collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus tanquam Chriſtianæ Religionis æmulus à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus. Et poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam exſecrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis, ſeu diffidationis ſententia requiratur.

Bonifac 8. xxi. Bonifacius VIII. qui ſedere cæpit anno 1295. & Philippum Gallorum Regem à fidelium communione, & Regni iure deiecit; quem tamen ſucceſſor Benedictus IX. reſtituit.

Idem ille Bonifacius edidit Extrauagantem, *Vnam Sanctam*, de maiorit, & obedientia, in qua docemur, gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſubijci Spirituali poteſtati, & quod ſi deuiet terrena poteſtas, iudicabitur à Spirituali; ſi Spiritualis minor, à ſuo Superiore: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo poterit iudicari. Neque obſtat, quod definitio huius decretalis videtur eſſe reuocata a Clemente V. in Extrauaganti, *Meruit*, de priuilegijs. Non enim Clemens Extrauagantem Bonifacij reuocauit, ſed admonuit, eam nihil noui definuiſſe, ſed antiquam obligationem declaraſſe, quam habent homines ad obediendum, & ſubiacendum Apoſtolicæ Sedi.

Clemens 6. xxii. Eſt Clemens VI. vir pius, & doctus qui ſedere cæpit an. 1342. & Ludouicum II. Imp. à Ioanne XXII. & Benedicto XII. excõmunicatum depoſuit. Vide Pighium lib. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ 5, cap. 14. & 15 & Robertum Arboricenſem tom. 2. theoremate 7. de vtroque gladio.

Paulus 2. xxiii. Eſt Paulus II. qui ſedere cæpit anno 1464. Is Georgium Pogebratium Bohemiæ Regem conſiſtorio publico de hæreſi dãnatum, dignitate, & Regno per ſententiam priuauit. Refert Naucferus generat. 49. Genebrard. in Chronico.

Iulius 2. xxiv. Iulius II. qui ſedere cæpit an. 1503. Is Ludouicum XII. Galliæ propter Conciliabulum Piſanum ab ipſo ad excitandum in Eccleſia Schiſma congregatum, item Ioannem Nauarrę Reges excommunicatos regnis ſpoliauit.

Clemens 7. xxv. Clemens VII. qui ſedere cæpit an 1523 Is Henricum VIII. Anglum ob repudiatam legitimam vxorem, & Schiſma, excommunicatum dignitate deiecit.

Pius 5. xxvi. Pius V. vir ſanctus, qui ſedere cæpit

anno

anno 1566. Is Eliſabetham Anglam, &c. à Chriſti corporis vnitate præciſam prætenſo Regni Angliæ iure, atque omni dignitate, & priuilegio priuanit, addiditque prædictus Pontifex in ſententia declaratoria contra Eliſabetham id ſe facere ea plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus Dominus S. Petro contulit, atque eò accommodauit illud Ieremiæ 1. cap. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas*, &c. quem locum nos ſupra pro confirmatione Catholicæ ſententiæ attulimus.

Greg. 13.

xxvii. Eſt Gregorius XIII. laudatiſſimus Pontifex, qui ſedere cæpit an. 1572. & ſententiam Pij V. in Eliſabetham prætenſam Angliæ Reginam renouauit, & confirmauit.

Sixtus 5.

xxviii. Eſt Sixtus V. qui ſedere cæpir an. 1585. & duos Heuricos, Borbonios, Nanarræum Regem, & Condæum Principem hæreticos, omnibus Reguis ac Principatibus, omni item iure ſucceſſionis in quibuſcunque Principatibus, & Regnis, ac in primis Regno Galliæ, vnà cum poſteris, vt inidoneos, & incapaces, priuaros pronunciauir, declarauit, ac priuauit, ſubdiroſque ab omni dominij, fidelitatis, ac obſequij debito, ac iuramento abſoluit.

Idem intellecta indigna nece Guiſiorum Ludouici S. R. E. Cardinalis, & Henrici Ducis: & captiuitate Caroli Borbonij itidem Cardinalis, & Petri Lugdunen. Metropolitani, aliorumq; nonnullorum Principum, Henrico III. Franciæ Regi eandem pœnam comminatus eſt, niſi dictos captiuos relaxaret, & infrà dies LX. cauſam tantæ crudelitatis redderet.

Henricus Condæus Ludouici filius, Nauarræi Patruelis veneno, quod ei domeſticorum quidam miſcuerat, an. 1588. infeliciter interijt.

Ac Henricus III. an. 1589. dum Pariſios obſidet, miſerè obtruncatus, luctuoſum inclytæ Valeſiorum ſtirpi finem impoſuit.

Porrò Henricus Nauarræus magna ac ſingulari Dei gratia exitialem Caluini hæreſim ſeriò, & ex animo deteſtatus, atque ad Catholicam Religionem reuerſus, à Clemente VIII. Pontif. feliciſſimè ab excommunicatione abſolutus, ſimulque & Eccleſiæ, & auitis Principatibus reſtitutus, atque ad coronam Regni Gallici admiſſus eſt, & rebus præclarè geſtis, Religioneque Catholica in florentiſſimo Galliæ Regno priſtino nitori reſtituta, immortalem poſteris, ac glorioſam ſui memoriam reliquit.

Habemus igitur viginti octo Pontifices, quorum plerique non eruditione duntaxat, ſed & ſanctitate, aliqui etiam miraculis cùm in vita, tùm poſt mortem claruerunt, qui hanc poteſtatem diſponendi de temporalibus, & deponendi Reges, ac Principes, quando id ingens Eccleſiæ Dei neceſſitas, aut bonum ſpirituale poſtulabat, exercuerunt, quod vtique, niſi eam poreſtatem Pontifici à Chriſto collaram eſſe, certè ac firmiter crediſſent, nunquam facere attentaſſent.

Placuit autem eos per ſuas quibus vixerunt ætates citare, vt meridiana luce clariùs appareat hanc ſemper fuiſſe fidem Eccleſiæ Catholicæ, penes Summum Pontificem eſſe talem poteſtatem. Nec opere pretium eſt, diſcutere, an omnes illi Pontifices iuſtas, & legitimas cauſas habuerint eam poteſtatem circa dictos Principes exercendi. Hoc enim facti eſt: ſed nobis ſufficit omnibus fuiſſe perſuaſum hanc poreſtatem eſſe in Summo Pontifice iuſta ac legitima de cauſa Principes deponendi; & ſubditos ab obedientia, & iuramento fidelitatis abſoluendi, & quidem diuinitus traditam illis verbis Chriſti, Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni cælorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Et Ioan. 21. *Paſce agnos meos: paſce oues meas*.

Nam Gregorius VII. lib 8. epiſt. 21. Innocentius III. in cap. Solitę de Maior. & obed. Innocentius IV. Boniſacius VIII. in Extrauagante, *vnam ſanctam*, in hanc rem dicta loca Scripturæ allegarunt: Gregorius verò Magnus lib. 12. poſt epiſt. 31. & alij ferè omnes, quorum ſententiæ extant, hac, vel æquiualenti verborum forma vſi ſunt, *auctoritate igitur diuina Vice B. Petri Apoſtolorum Principis decernimus*. Vel de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in qua Chriſtus Apoſtolorum Principi Petro, Petrique Succeſſori Romano Pontifici Eccleſiam Catholicam tradidit gubernanda, &c. *Bulla Pij V. contra Reginam Angliæ.* Neque verò omnes Pontifices, omniaque exempla accuratè enumerare curæ fuit. Nam cui hæc non ſufficiunt, is neque pluribus mouebitur. Si quis plura deſideret, is legat Bozium de ſignis Eccleſiæ tom. 2. lib. 17. ſigno 76. & lib. 22. c. 8.

Porrò quod ante Greg. Mag. nemo Pōtificum legatur vllum Regem depoſuiſſe, non eſt factum, quod ij Pontifices ea poreſtate non fuerint prædiri; aut, ea ſe præditos eſſe, ignorauerint: ſed vel quia Reges erant valde pij, & religioſi, vt Conſtantinus Mag. Conſtans eius filius, Iouinianus, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius, Honorius, & alij, erga quos Eccleſia beneuolentiam, non ſeueritatem oſtendere debuit: aut ſi erant impij, & blaſphemi, erant ij ita potentes, Eccleſiæ contrà tam exiguæ vires, vt potiùs patientiā, quàm ſeueritatem adhibere debuerit: vel demum, quia ſic placuit Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt, & à cuius ſpiritu Eccleſia docetur, quo loco, & tempore poteſtatem ſuam exercere debeat.

Quamuis autem Apoſtoli, & primi poſt illos Pontifices ob cauſas ſupradictas non depoſuerint Imperatores, & Reges; attamen ex Actibus, & Epiſtolis Apoſtolorum euidenter conſtat eos habuiſſe poteſtatem puniendi homines pœnis temporalibus, etiam grauiſſimis, quæ æquiualeant priuationi Principatus. Nam Apoſtolus 2. Cor. 10. ſcribit, *ſe habere in promptu vlciſci omnem inobedientiam*, *2. Cor. 10.* id eſt, ſe habere poteſtatem puniendi omnes inobedientes: & quia ea poteſtas non ſemper, ac temerè vſurpari debet, addit. *Cum impleta fuerit veſtra obedientia*: id eſt, ſic impleta, & perfecta, vt poſſimus eradicare zizania non lædendo triticum. Quod autem Apoſtolus poſſet punire pœnis etiam corporalibus, perſpicuum eſt ex cap. 5. epiſt. 1. ad Cor. vbi *1. Cor 5.* *tradidit* inceſtuoſum *Satanæ in interitum carnis*, id eſt, in vexationem grauiſſimam corporalem, vt exponunt Chryſoſt. Theophylactus, & alij ferè omnes. Quo etiam multi perti-

Digitized by Google

Act. 5. & 13. nere volunt Ananiam, & Saphiram ad verbum S. Petri occiſos, Act. 5. & Elymam Magum ad verbum S. Pauli excæcatum, Act. 13. Quamuis enim hæc facta ſint extraordinaria poteſtate, & miraculo non careant: videtur tamen Deus miracula patraſſe, quoniam eo tempore non erat in Eccleſia Princeps Sæcularis, qui ipſi Eccleſiæ brachium præberet ad eiuſmodi exſequutiones.

1. Cor. 6. Præterea Apoſt. 1. Cor. 6. iuſſit conſtitui nouos Iudices à Chriſtianis cauſarum temporalium, quos adire tenerentur, ſi qui lites ciuiles haberent, & prohibuit adire tribunalia Principum infidelium. Habuit igitur Apoſtolus, vt Princeps Spiritualis, ſiue vt Apoſtolus, poteſtatem iudices cauſarum temporalium conſtituendi, & de reb. temporalibus diſponendi, eamque exercuit. Certè S. Auguſt. in l. de opere Monachorum, & S. Ambrog. l. 5. ep. 24. ad Marcellum fatentur propter hæc ipſa Apoſtoli verba impoſitam ſibi neceſſitatem cognoſcendi, ac iudicandi de cauſis Subditorum, quo ad eorum iudicium confugiebant. *S. Auguſt. in. S. Ambr.* Atqui verò, qui iure potuit Eccleſia, Apoſtolo iubente, conſtituere nouos Iudices, quo tempore non erant in Eccleſia vires ad deponendum Principes perſequentes ac proinde inanis fuiſſet, ac perniciosa depoſitio: eodem iure habet Eccleſia auctoritatem ad priuandum Principem infidelem dominio quod habet ſuper fideles: licet hac auctoritate non vtatur, niſi quando vſus eius non perniciosus, ſed vtilis futurus creditur. Hæc de tertio argu.

Quartum argumentũ pro poteſtate Pōtificis in temporalib. Quartum Argumentum ſumitur ex conſenſu omnium ferè Doctorum, tam Theologorum, quàm Iureconſultorum Catholicorum ex omni natione orbis Chriſtiani, qui omnes, etſi diuerſis locis ac temporibus, vno tamen conſenſu & quaſi ore docent, in Summo Pontifice eſſe talem poteſtatem. Oſtendit id adductis auctorum verbis Card. Bellarmin. in prolegomenis aduerſus Barclaium, nos nomina, & loca duntaxat annotabimus aliquorum, qui diſertis verbis hoc docent.

Ex natione Italica habemus S. Gregorium Papam VII. lib. 8. epiſt. 2. ad Epiſcopum Metenſem: S. Thomam in 2. 2. qu. 10. ar. 10. & qu. 12. art. 2. & qu. 60. ar. 6. ad 3. & in 2. ſent. diſt. 44. in fine. Et in lib. 3. de Regimine Principum, cap. 10. & cap. 19. ſi tamen is liber eſt D. Thomæ. Quod autem S. Thomas, in ſumma præſertim tam diſertè docet, hoc ipſo eorum etiam omnium dogma cenſetur, qui eum ceu ducem, & Doctorem agnoſcunt, & ſequuntur. In his autem eſt vniuerſus toto orbe diſperſus Prædicatorum Ordo, ſanctitate, doctrina, auctoritate in Eccleſia Dei clariſſimus: Ex eadem natione Italica habemus S. Bonauenturam in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, parte 2. cap. 1. Ægidium Romanum in tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica, par. 1. cap. 30. Auguſtinum Triumphum, alias de Ancona, in lib. de poteſtate Eccleſiæ, qu. 22. ar. 3. & quæſt. 40. B. Ioannem de Capiſtrano in lib. de poteſtate Papæ, par. 2. ſecundæ partis principalis, in argumento octauodecimo, S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum in ſumma ſua parte 3. tit. 22. cap. 3. §. 7. Item cap. 5. §. 7. Iſidorum Mediolanen. lib. 2. de Imperij militantis Eccleſiæ dignitate, tit. 8. concl. 3. Alexandrum de S. Elpidio in lib. de auctoritate Summi Pontificis, & iuriſdictione Imperij, c. 9. Franciſcum Zabarellam Card. Clement. de iureiurando, §. Porrò num. 19. & in cap. Nou. de iudi. ſub v. gloſſ. 2. Thomam Card. Caietanum in Apologia de comparata auctoritate Papæ, & Concilij pat. 2. c. 13. Ioannem Bertachinum de Firmo, l. 4. de Epiſc. qu. 16. Petrum de Monte Epiſcopum Brixiæ, in Monarchia, parte 2. qu. 4. Petrum Ancharanum in c. Canonum ſtatuta, nu. 6. de conſtitut. Silueſtrum Prieratem in ſumma, verbo *Papa*, num. 10. & 11. Aſtenſem in ſumma 51 parte, lib. 2. tit. 64. art. 4. pag. 101. Nicolaum Panormitanum, in cap. Solitæ, de maiorit. & obed. num. 7. Ioannem de Anania Archidiaconum Bononienſem, in cap. licet, de voto, nu. 10. Bartholum in legem, ſi Imperator, C. de legibus, num. 4. Baldum in proœmio ff. veteris, Petrum Andream Gambaram in tractatu de officio, & poteſtate legati, lib. 2. tit. de varijs ordinariorum nominibus, num. 22. Reſtaurum Caſtaldum in lib. de Imperatore, qu. 81. Dominicum Card. Tuſcum in ſexto tomo practicarum concluſionum, verbo *Papa*. Thomam Bozium de ſignis Eccleſiæ tom. 2. lib. 17. ſigno 76. & de ruinis gentium lib. 1. cap. 18. & lib. 2. toto, &c. Claudant agmen illuſtriſſimi duo Card. Baronius in Annalibus paſſim, Bellarmin. de Romano Pontifice lib. 5. & aduerſus Barclaium.

Ex Germania, Stephanum Epiſcopum Albeſtatenſem in epiſt. quæ extat in Appendice Mariani Scoti ad annum Domini 1090. Hugonem de S. Victore lib. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 41. Henricum de Gandauo Quodlibeto 6. qu. 33. Vlricum in Summa, quem refert Ioannes de Turrecremata lib. 2. c. 104. Lupoldum à Bamberga, in lib. de iure Regni & Imperij, cap. 10. & 12. Dionyſium Carthuſianum in lib. de Regimine Politiæ, artic. 29. Gabrielem Biel lect. 23. in Canonem Miſſæ. Ioannem Driedonem lib. 1. de libertate Chriſtiana, cap. 9. & 14. Albertum Pighium, de Eccleſiaſtica Hierarchia lib. 5. cap. 2. & 14. Iacobum Latomum, in lib. de Eccleſia cap. 14. Cunerum Petri Leouardien. Epiſcopum lib. de officio Principis Chriſtiani, cap. 8. Conradum Brunum lib. 3. de legationibus cap. 6. *Vlricus de Argentina Ord. Præd. in ſua ſumma de ſummo bono lib. 6. tract. 4. c. 22. Vidimus exẽplar manuſcriptũ in Gymnaſio noſtro Mõtis.*

Ex Gallia habemus S. Iuonem Epiſcopum Carnotenſem in epiſt. 28. ad Vrbanum II. Sanctum Bernardum lib. 4. de conſideratione ad Eugenium, cap. 4. Petrum de Palude Patriarcham Hieroſolymitanum in tract. de cauſa immediata eccleſiaſticæ poteſtatis, art. 4. Durandum Epiſcopum Meldenſem in lib. de origine iuriſdictionum, quæſt. 3. Ernenum Britonem tract. de poteſtate Papæ §. ad euidentiam ſecundi. Iacobum Almainum in tract. de ſuprema poteſtate eccleſiaſtica, & temporali, quæſt. 2. princip. cap. 5. ad tertiam allegationem. Henricum Card. Oſtienſem in ſumma, tit. de Hæreticis, §. qua pœna puniuntur num. 11. Petrum Bertrandum Card. Eduenſem in tract. de origine iuriſdict. quæſt. 4. num. 5. Ioannem de Silua, tract. de beneficio par. 3. qu. 8. Stephanum Aufrerium in tract. de poteſtate Sæcularium, nu. 5. & 6.

Guliel-

Gulielmum Durandum Epiſcopum Mimatenſem, Speculatorem vulgò dictum, in Speculo, lib. 1. tit. de legato §. nunc oſtendemus num. 17. Petrum Gregorium Tholoſanum, lib. 26. de Repub. cap. 5. num. 14. & 23. Ioannem Fabrum in l. primam num. 10. C. de ſumma Trinit. & fide Catholica. Ægidium Bellameram Epiſcopum Auenionenſem in cap. alius 15. qu. 6. num. 6. Item in cap. Nouit. de Iudic. Ioannem Quintinum Hæduum in Repetitione ad cap. Nouit, de Iudic. au. 64. & num. 127. Remundum Ruffum contra Molinæum cap. ſexto, pag. 106. Gilb. Genebrardum Archiepiſcopum Aquenſem lib. 4. Chronographiæ ad an. 1074.

Ex Hiſpania S. Raymundum in Summa lib. 1. rit. de Hæreticis, §. 7. Pelagium Aluarum Epiſcopum Siluenſem in rract. de planctu eccleſiæ lib. 1. art. 21. Ioannem de Turrecremata, in ſumma de eccleſia, lib. 2. cap. 14. & in commentario in c. *alius* 15. qu. 66. Cyprianum Benetum in lib. de prima Orbis ſede, in reſp. ad 6. pro 2. parte concluſionis primę. Franciſcum Victoriam Relectione 1. de poreſtate eccleſiæ qu. 5. propoſirione 8. Dominicum à Soto in 4. ſent. diſt. 25. qu. 2. art. 1. concl. 5. Alphonſum à Caſtro de iuſta hæreticorum punitione l. 2. cap. 7. Iacobum Simancam lib. de Catholicis inſtiturionib. tit. 45. num. 25. Dominicum Banneſium in 2. 2. qu. 10. art. 10. dub. 3. concl. 4. qu. 12. ar. 2. §. *circa vltimam concluſionem*, Martinum Ledeſmium in ſecunda quarræ quæſt. 20. art. 4. concl. 8. Gregorium de Valentia in 2. 2. diſp. 1. qu. 12. punct. 2. aſſert. 2. Gulielmum de Monſerar in tract. de ſucceſſione Regum, nu. 30. Alphonſum Aluarez iu ſpeculo cap. 16. Anronium Cordubenſem iu Quęſtionario lib. 1. qu. 57. dnb. 3. Ludouicum Molinam to. 1. de iuſtiria, & iure, tract. 2. diſp. 29. concl. 3. Didacum Couarruuiam in tract. de Reſtirut. ſuper Regulam. *Peccatum* par. 2. §. 9. num. 7. Item in comm. ad cap. *Hæredes* de teſtam. cap. 7. nu. 18. Ferdinandum Vaſquium lib. 1. Illuſtrium controuerſiarum, cap. 21. Michaelem de Aninyon, iu tract. de vnitate ouilis, & paſtoris num. 12. Martinum Nauarrum in comm. ad cap. *Nouit.* de iudic. norab. 3. nu. 41. & 99. Michaelem Vulcurunum in tract. de regimine Mundi par. 2. qu. 2. num. 83. Franciſcum Suarez in 3. par. D. Thomæ tom. 1. diſp. 48. ſect. 2. vbi addir, *id indubitatum eſſe apud omnes*, Ioannem Azorium tom. 2. Inſtitur. Moral. lib. 10. cap. 2. qu. 2.

Ex magna Brirannia Alexandrum Alenſem Sanctorum Thomæ, ac Bonauenturæ Pręceptorem par. 4. qu. 10. in explicarione Canonis Miſſæ, in illud, *& pro Rege noſtro*, Robertum Olkot lect. 200. in lib. Sapienriæ Franciſcum Mayronis in lib. 4. ſent. diſt. 19. qu. 4. Ioannem Bachonum in prologo ſuper 4. ſent. qu. 11. art. 4. Thomam Vualdenſem lib. 2. doctr. fidei antiquæ, art. 3. cap. 75. Ioannem Maiorem in 4. ſent. diſtinct. 24. qu. 3. ad 3. obiectionem, Reginaldum Polum Cardin. in lib. de Summo Pont. cap. 8. Nicolaum Sanderum lib. 2. de viſibili Monarchia eccleſiæ cap. 4. Auctores in vniuerſum 83.

Habemus igitur quæ ſit ſententia, & fides Doctorum Eccleſiæ Catholicæ: & vt plures ennumerare non ſit neceſſe; fatetur Aduerſarius vltrò, hanc eſſe communem recentiorum Theologorum ſenteuriam. At verò à communi & recepta Doctorum Eccleſiæ Catholicæ ſententia recedere, non poteſt (vt ne quid grauiùs dicam) non eſſe temerarium, & periculoſum. Ideo enim *poſuit Deus in Eccleſia Paſtores, & Doctores*, vt ait Apoſtolus Epheſ. 4. vt eos ceu duces populi ſequantur; neque ab eis recedant. S. Auguſtinus lib. 2. aduerſus Iulianum, cap. vlt. Iuliani hæretici temeritatem acriter caſtigauit, quod ſe auderet opponere vndecim Scriptoribus Catholicis, quorum verba & ſententias diligenter expendit: & nunc qui ſeſe tam multis Catholicis Scriptoribus in vnum quaſi conſpirantibus qui diuerſis ſæculis in diuerſis Chriſtiani Orbis partibus, non ſolùm doctrina, ſed etiã ſanctitate, & miraculis eccleſiam Dei illuſtrarunt, opponere audet, Catholicus haberi volet?

Epheſ. 4.

S. Auguſt.

Quintum Argumentum deſumitur ex rationibus. Sed quia Aduerſarius præcipuas pro Catholica ſententia tationes aſſeuerat eſſe eas, quas Card. Bellarminus olim in quinto libro de Romano Pontifice adduxit; neq; hac in re ab eo diſſentimus, & ex ipſo eas inferius verbotenus referemus, ac defendemus, non eſt neceſſum eas hoc loco ponere. Itaq; concludo.

V. Argumentum pro poteſtate Pontificis in temporalibus.

Cum, & ſacrarum litterarum teſtimonio & Conciliorum non tantùm particularium, ſed & generalium, item diuerſorum Pontificum definitionibus, teſtimonijs, & exemplis, & praxi eccleſiæ, vnanimi præterea omnium Catholicorum Doctorum tam Theologorum, quàm Iureconſultorum, ac conſentiente doctrina, demum rationibus Theologicis, vt infrà videbimus, clariſſimè ac firmiſſimè demonſtretur Summum Pontificem habere non ex incertis opinionibus, nec Principum conceſſione, nec humano placito; ſed ex ipſius Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti inſtitutione poteſtatem de rebus temporalibus diſponendi, ac Principes Sæculares graui ac iuſta de cauſa dominijs temporalibus ſpoliandi: Catholicus profectò cenſeri non poteſt, qui huic doctrinę verè Catholicę obſtinatè reclamat. Nunc ad aduerſarium redeamus.

Num. 4. enumerat Patronos eius ſententiæ, quæ talem poteſtatem in Pontifice eſſe negat, Gulielmum Occamum, Ioannem Pariſienſem, Dantem Aligherium, Iacobum Almainum, & Ioannem Maiorem, ex Ioanne Azorio tom. 2. Inſtit. Moral. lib. 4. cap. 19. qu. 1. & rurſum Hugonem, Michaelem Vulcurunum, & Albericum ex eodem Ioanne Azorio lib. 10. cap. 6. qu. 3.

Reſpondeo. Bene habet, quod aduerſarius ad Azorium nos remittit. Ex ipſo enim Azorio intelligemus, quales ſint patroni eius ſententiæ, quam ipſe ſequitur, cùm tamen Catholicus dici velit. Audi igitur Ioannem Azorium, & diſce ex viro illo erudītiſſimo, quem tu citaſti, patronum primarium tuæ ſententiæ fuiſſe Marſilium de Padua, hominẽ hæreticum, ſchiſmatici Imp. aſſentatorem, & in Indice librorum ab Eccleſia Catholica Romana, cui te ſubiectum profiteris, inter hæreticos in ipſa 1. claſſe relatum. *Fuit*, inquit lib. 4. cap. 19. qu. 1. Azorius, *Marſilius quidam Patauinus, qui docuit, duas eſſe in Mundo*

Io. Azorius.

Marſilius de Padua.

pote-

Digitized by Google

poteſtates ſupremas, à ſe inuicem diſtinctas, Imperatoriam, & Pontificiam, quarum neutra penderet ab altera. Et infra. *Deinde aiebat ille, Clericos omnes, & ipſum Romanum Pontificem in cauſis ciuilibus, & temporalibus eſſe Imperatori ſubiectos, niſi Imperatoris ipſius priuilegio exciperentur*. Et infra. *Addebat poſtremò in cauſis, & criminibus Eccleſiaſticis, Imperatores, & alios Chriſtianos Romani Pontificis auctoritati ſubijci. Inſuper ſi Imperatores, aut alij Chriſtiani laici in huiuſmodi crimina prolaberentur, poſſe quidem, dicebat, ab Eccleſia puniri, ſed pœnis tantùm Eccleſiaſticis, videlicet, excommunicatione, & interdicto: non tamen pœnis alijs ciuilibus. Quod ſi quæres ex ipſo: quis igitur in eos animaduertere poterit pœnis ciuilibus? reſpondebat, in priuatos quidem laicos ipſos Principes: in ipſos verò Imperatores, & Principes Deum ipſum, à quo ſunt iudicandi, v. g. ſi Rex, vel Imperator ſit hæreticus, vel impius, poteſt eum Eccleſia à ſacris, & ſocietate piorum amouere, vt reſipiſcat: nec tamen vltrà, aiebat ille, poteſt procedere, nec quid amplius tentare, quod ſi anathematis vinculo obſtrictus parere, & reſipiſcere recuſabit, nequibit Eccleſia eum ditione, & Imperio deijcere*. Et paulò poſt. *Non longè ab his fuerunt Gulielmus Ockam, & Ioannes Pariſienſis Theologi, & Dantes Poeta Florentinus, Ockamum, ac Ioannem ſecuti ſunt, Almainus, & Ioannes Maior.*] Hęc Azotius, qui mox adiungit *hanc ſentententiam eſſe temerariam, & errorem continentem*. Vides igitur Principem tuæ ſententiæ fuiſſe Marſilium hæreticum, quem te puduit nominare.

Gulielmus Occam. Gulielmus Occamus Schiſmatici Imperatoris ſtipendiarius fuit, vt ipſum tueretur aduerſus fulmina Pontificum, & à Pontifice ob aliquos errores excommunicatus, vt Trithemius, & Genebrardus libr. 4. Chronici referunt, hoſtis Ioannis 22. & in Indice librorũ prohibitorum notatus. Is itaque ſi in gratiam Imperatoris, & odio Pontificis etiam contra primam conſcientiam Pontificiæ poteſtati iniquior fuit, non mirum eſt, attamen ipſius ſententia nihil nobis obeſt. Nam *Iacobus Almainus.* Almainus tract. de poteſtate Papæ, quo Occami, quem Doctorem, ac ducem ſequitur, ſententiam exponit, ex ſua, atque Occami ſententia ſic loquitur, quæſt. 2. quæ eſt de poteſtate laica, cap. 5. *Ad minorem notat Doctor*, (Occam) *quod Imperator poteſt eſſe dignus depoſitione dupliciter; Primò, propter crimen ſpirituale, vt propter hæreſim, quia hæreticus, & ſchiſmaticus: & vtitur poteſtate in detrimentum Chriſtianitatis. Alio modo propter crimen ciuile, vt puta negligit adminiſtrare iuſtitiam, quam tenetur adminiſtrare ex officio, vel vtitur ſua poteſtate in vtilitatem propriam ſubtrahendo ſua bona Subditis pro ſuo bono particulari, & non communi. Tunc ſi Imperator ſit dignus diſpoſitione propter crimen primi generis, puta propter crimen ſpirituale poteſt deponi à Papa, cùm habeat plenam poteſtatem in puniendis peccatis ſpiritualibus. Sed ſi fuerit dignus depoſitione propter crimen ſecundi generis, puta propter crimen ciuile, & politicum, non ſpectat tunc ad Papam, Imp. deponere; ſed ad eos, ad quos ſpectat eum ordinare, hoc eſt ad communitatem ciuilem: vel ad eos, qui gerant vices communitatis ciuilis, in quos ſcilicet communitas tranſtulit ſuam poteſtatem. Ideò propter crimen ſpirituale poteſt à Papa deponi Imperator: propter verò crimen ciuile, ab ipſa communitate*. Et ibidem pergit Almainus. *Dicit Doctor*, (Occam) *quod Papa poteſt Imperatorem deponere in duobus caſibus. Primus, pro crimine purè ſpirituali, vt eſt hæreſis. Secundus, quando illi, ad quos ſpectat, ſunt negligentes illum deponere. Vnde dicit Doctor 3. part. Dial. 2. l. quod vniuerſaliter ſi negligat Index Sæcularis exercere iuriſdictionem laicam pro loco, & tempore, deuoluitur poteſtas exercendi ad Iudicem ſpiritualem. Ergò vbi ad quos ſpectat depoſitio Imperatoris, non poſſunt auferre, vel negligunt; deuoluitur poteſtas auferendi ad Summum Pontificem*.

Igitur Occam in ijs etiam libris, nempe in Dialogis, quos contra Pontificem ex profeſſo ſcripſit, & qui ab eccleſia expreſsè damnati ſunt, non admitit Pontifici poteſtatem in certis caſibus diſponendi de temporalibus, & Principes Sæculares deponendi: Tantum abeſt à ſententia auctoris contraria Occamus. Idem Almainus in reſponſione ad quartam allegationem, quæ petebatur ex tranſlatione Imperij. *Dicit Doctor*, (Occam) *quod Papa poteſt transferre Imperium, ſed hoc eſt ſolùm caſualiter. Vnde Papa poteſt exercere iuriſdictionem in purè temporalibus caſualiter, hoc eſt, quando non eſt Index Sæcularis. Ita ſi deſit congregatio populi, poteſt Papa transferre, & hoc caſualiter. Secundò poteſt pro crimine purè ſpirituali, vt ſi gens illius Imperij efficeretur hæretica, vel transferret ſe ad aliam ſectam, dimittendo ſectam Chriſtianam: poſſet propter hoc Papa illam gentem, priuare dignitate Imperiali, & ſic transferre in aliam gentem, ſed hoc non eſt regulariter, ſed ſolum caſualiter. Regulariter poteſt pro crimine hæreſis ſed non pro crimine ciuili, niſi caſualiter, puta in defectu alterius, qui poteſt, vel negligentia, vt dictum eſt*. Hæc eſt igitur Almani, & Occami, etſi Schiſmatici, atque de Pontifice malè ſentientis ſententia.

Dantes. Dantes Alighetius eſt poeta ingenioſus, & quia ingenij bonitate fretus ſe rebus Theologicis, quas minimè norat, immiſcuit, in ſe dici meruit, *Quam quiſque nouit artem in hac ſe exerceat*. Et, *ne Sutor vltrà crepidam*, Monarchiam eius, ob hunc ipſum errorem eccleſia omninò proſcripſit, vt in Indice librorum prohibitorum videre eſt.

Ioannes Pariſien. Ioannes Pariſienſis pro contraria ſententia non facit. Sic enim loquitur in libro de poteſtate Regia, & Papali, cap. 7. *Papa, quia eſt ſupremum caput, non ſolum clericorum ſed generaliter omnium fidelium, vt fideles ſunt, tanquam generalis informator fidei, & morum, in caſu ſummæ neceſſitatis fidei, & morum, (in quo caſu omnia bona fidelium ſunt communicanda, etiam calices) habet bona fidelium diſpenſare, & exponenda decernere, prout expedit neceſſitati communi fidei, quæ alioquin ſubuerteretur propter irruptionem Paganorum, aut aliud huiuſmodi*. & cap. 13. *Si Rex eſſet hæreticus, & incorrigibilis, & contemptor Eccleſiaſticæ cenſuræ, poſſet Papa aliquid facere in populo, vnde priuaretur ille ſæculari honore, & deponeretur à populo. Et hoc faceret Papa in crimine Eccleſiaſtico, cuius cognitio ad ipſum pertinet, excommunicando ſcilicet omnes, qui ei, vt Domino, obedirent*. Crimen Eccleſiaſticum vocat, vt ipſe explicat, *in fide matrimonio, & alijs huiuſmodi, quorum Iuriſdictio ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinet*.

Vbi

Digitized by Google

Vbi verò, inquit, *Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Eccleſiaſticum non pertinet, tunc non habet ipſum corrigere primo, ſed Barones, & Pares de regno, qui ſi non poſſunt, vel non audent, poſſunt inuocare auxilium Eccleſiæ: quæ requiſita à Paribus in iuris ſubſidium poteſt monere Principem, & procedere contra ipſum modo prædicto.*

Almainus. Hanc eius ſententiam ita tradit Almainus ad 3. allegationem. *Dicit*, inquit, *Ioannes de Pariſiis breuiter, quod propter nullum crimen ſpirituale, ſiue ciuile, ſpectat ad Papam, Imperatorem deponere, niſi de per accidens. Vnde notandum, quod ad illum ſpectat iuridicè aliquem deponere ab aliqua poteſtate, qui ſententia lata de depoſitione, eſt depoſitus, hoc eſt, quõ, ſententià lata nihil habet amplius poteſtatis. Hoc ſuppoſito dicit, qualicunque crimene irretiatur Imperator, non poteſt Papa ferre ſententiam, qua lata ipſe Imperator ſit à poteſtate priſtina depoſitus. Sed per accidens poteſt, quia poteſt excommunicare illum pro crimine, & ſingulos cum eo participantes; & ſic inhibere ſubditis, ne participent cum illo, & per illam excommunicationem illos cogere ad depoſitionem Imperatoris. Ideò dicit, non ſpectat ad Papam ſententialiter deponere ipſum, licet ſpectet ſententialiter excommunicare, & finaliter per cenſuram excommunicationis cogere, vt illum deponant, & ſic de per accidens deponit ſolummodò, & non directè.* Itaque licet Ioannes Pariſien. minus tribuat Põtifici, quàm debet: attamen tantùm tribuit, quantum ad noſtrum propoſitum ſufficit. Quid enim ad præſens inſtitutum intereſt, immediatenè per ſententiam ſuam deponat Pontifex? An iure ſuo auocare ab obſequio, & cogere poſſit ſubditos ad deponendum?

Ioan. Maior. Ioannes Maior nihil facit contra nos. Nam in 4. ſent. diſt. 24. q. 3. primum docet ac probat, Summum Pontificem non habere dominium directum ſuper Reges in temporalibus deinde docet eum habere dominium indirectum, quæ ſanè eſt noſtra ſententia, quãquam non nego eum paulò reſtrictiorem tribuere Pont. poteſtatem, quàm conueuit, cum Pontificis ſit non modò ſententialiter excõmunicare, ſed & iuſta de cauſa ſententialiter deponere. Ac ne cui cauſa dubitandi relinquatur de Maioris ſentia ipſum audiamus loquentem. In reſponſione ad 4. arg. contra 3. concl. *Concludendo*, inquit, *dicam, ſi dicatur Maximus Pont. eſſe Dominus omnium, & omnes alij Principes eius Vaſalli, & poſſe eos inſtituere, & deſtituere ad ſuum nutum, licet iniquè faciat; hoc iudico falſum, & contradictorium huius ſenſus poſui in concluſionem.* Neque nos in hac parte diſſentimus. *Si* inquit paulò poſt, *intelligatur habere dominium in temporalibus caſualiter, & multum poſſe agere ad depoſitionem Regum ſuadendo, conſultando, immò alios ad gladium prouocando in eos, quando ſunt labefactores fidei, & Reip. Chriſt. prorſus inutiles, hoc mitiùs ferendum eſt, nec eſt alienum à dictis noſtris.* Et in reſponſione ad 3. *Tertiò*, inquit, *dicitur, quod vnum gladium habet actu, ſcilicet ſpiritualem, cum interdicit, & excommunicat: alium habet habitu, id eſt, poteſt rogare Principes terrenos, quatenus ſint ſibi ſubſidio, & ſic habet alium in habitu.* Habet igitur Pontifex ex Maioris ſententia non ſolùm poteſtatem in Reges Eccleſiæ pernicioſos, & contumaces cenſuris, & excommunicationibus agendi: Verùm etiam ſubditos eorum conſilijs, ac monitionibus prouocandi, vt eos regno deponant; & ſi ij id agere noluerint, exteros Principes ad bellum ijs inferendum, tuendamq; poteſtatem Eccleſiæ incitandi.

Reſtant Hugo, Vulcurunus, Albericus.

Hugo. Hugonis teſtimonium non facit ad rem noſtram. Citatur enim à Gloſſa in cap. cauſam quæ. Qui filij ſint legitimi. §. Ad Regem, neque dicit, non poſſe Imperatorem deponi à Papa, ſi fiat hæreticus: ſed ſolùm dicit, accepiſſe à ſolo Deo poteſtatem in temporalibus, & videtur loqui de Imperatoribus, qui fuerunt ante Carolum Magnum qui primus à Romano Pontifice imperium accepit, quod quomodo intelligi debeat in examine Præfationis notauimus.

Albericus de Roſate. Albericus in dictionario, in verbo, *Electio*, titubans loquitur, & addit, *& ſi erroneum forem reuoco*. Et conuincitur erroris ab Azorio lib. 10. cap. 6. q. 3.

Michael Vulcurunus. Michael Vulcurunus diſertis verbi à nobis ſtat. Nam in libr. de Regimine mundi parte 2. quæſt. 2. principali num. 82. ſic loquitur.

Propterea euenit, quod ſi Imperator, aut alius Rex fuerit rebellis Pontifici Maximo in neceſſitate poſito, & petenti, tanquam membra capiti, auxilium non præſtarent: idem Papa poteſt talem Principem, tanquam membrum inutile, expellere ab Eccleſia: & per hoc dicetur expulſus etiam à Regno, cum ille, qui præeſt multitudini Chriſticolarum, debeat eſſe Catholicus. Et infrà num. 83. *ſed tamen ratione fidei, & etiam ratione peccati grauis, & manifeſti, ſi incorrigibilis fuerit Imperator, aut alius Rex, poſſe Papa talem deponere, ſiue priuare.* Hæc ille, qui non poterat clariùs ſententiam noſtram approbare, ſed non videtur Auctor Vulcurunum ipſum legiſſe, neque Azorij verba intellexiſſe.

Num 5. addit ad fautores ſuæ ſententiæ quinque alios auctores, *Gloſſam ad cap. Quoniam, diſt. 10. Antonium de Roſellis de poteſtate Papæ, & Imperatoris, Tertullianum in Apologetico, S. Ambroſium in Apologia Dauid, S. Hieronymum tom. 1. epiſt. 46.*

Num. 6. addit Otthonem Friſingen. & Gregorium Turonicum.

Num. 7. addit *Conſtantinum Harmenopulum, & Ninianum winzetum.*

Gloſſa ad cap. Quoniam. diſt 10. Reſpondeo. Gloſſa pro nobis, non pro aduerſario facit. Nam primùm diſputat in vtramque partem, vtrum duæ *iſtæ poteſtates*, Papæ, & Imperatoris *diſtinctæ ſint*. Probat aientem. 1. *quia imperium non habetur à Papa.* 2. *quia Papa non habet vtrumque gladium*, &c. Probat negantem, *quia cæleſtis, & terreni imperij iura ſunt ei* (Papæ) *conceſſa. Item Imperator iurat Papæ, & Papa Imperatorem deponit. Item ipſe tranſtulit imperium de Oriente in Occidentem.* Concludit autem ſic. *Ego credo poteſtates eſſe diſtinctas licet Papa quandoque vtramque poteſtatem ſibi aſſumat, ſcilicet cum legitimat aliquem in ſpiritualibus, & temporalibus* &c. *Nam etiam vacante imperio ſupplet defectum imperij*. Itaque Gloſſa admittit argumenta pro vtraque parte, quia vtraque fundantur in ſacris Canonibus, & conſequenter admittit, Imperatorem à Papa aliquando deponi, & docet expreſsè, quod licet poteſtates ſint diſtinctæ, poſſit tamen Papa temporalem iuriſ-

ctio-

dictionem *caſualiter* exercere, vt loquitur Innocentius III. cap. *per venerabilem, qui filij ſint legitimi* nimirum vel ad petitionem Regis, vel ad petitionem legis, vt ait Gloſſa. Quare Gloſſa Aduerſarium nihil iuuat.

Antonius Roſellus.

Antonius de Roſellis auctor eſt ſuſpectæ fidei, eiuſque liber in Indice librorum prohibitorum notatus reperitur. Nauarrus certè *in Relectione cap. Nouit, de Iudicijs, Notabili tertio* eum grauiter reprehendit, vide etiam Antonium Poſſeuinum in apparatu ſacro. Quamuis autem ab hæreticis Index librorum prohibitorum contemnatur; tamen ab Aduerſario, qui ſe Catholicum profitetur, & Eccleſiæ Romanæ ſubijcit, eamque *Columnam veritatis* eſſe prædicat, contemni non debet.

Index librorum prohibitorum.

Porrò licet hoc ita ſit: nihil tamen Roſellus iuuat cauſam Aduerſarij, ſed omnino, quantum ad hanc rem attinet, nobiſcum ſentit. Docet enim in tractatu de poteſtate Papæ ac Imperatoris, Papam, vt Papam non habere directum dominium omnium rerum temporalium, ſiue non eſſe vniuerſalem totius Monarcham: indirectum verò dominium, & poteſtatem diſponendi de temporalibus in ordine ad finem ſpiritualem habere apertè aſſerit. Id vt Lector luce meridiana clariùs videat, aliquot eius ſententias recitabo ex illa prima quæſt. *An apud Papam ſit poteſtas vtriuſque gladij.* In reſp. ad 1 arg. *Fateor*, inquit, *quod Papa habet adminiſtrationem temporalium, quatenus ancillatur diuinis.* In reſp. ad 7. arg. ſic loquitur. *Ad 7. rationem reſpondetur, quod Pontifex habet plenitudinem poteſtatis ſpiritualium, & in hoc nullus in ſolidum ſecum eſt dominus: Imperator verò temporalium. Et dum ſit argumentum à maiori, quia ſcilicet, iudicat ſpiritualia; ergò & temporalia: fatendum, quatenus ſpiritualia negotia concernunt, & in certis caſibus. Vniuerſaliter autem, quod Pontifex habeat, vel habere poſſit ipſarum cognitionem, non.* In reſp. ad 8. *Nec negatur Pontificem habere adminiſtrationem temporalium, quatenus diuina ſuſtententur. Sed bene negandum eſt, Pontificem habere, vel habere poſſe vniuerſam adminiſtrationem temporalium, de quo eſt diſceptatio noſtra, quis inferiorum omnium corruptibilium iura retineat Monarchiæ: quam non eſſe in Pontifice, ſed in Cæſare pluries oſtenſum eſt. Nec obſtat quod qui principatur fini, debet principari principio eorum, quæ ſunt ad finem, & ſic eorum principem: quia licet hæc ſint vera, dico, principatur princeps finis propter ipſum finem, & occaſione ipſius tantùm finis neceſſitat ea, quæ ad finem. Et ſic Papa neceſſitat Cæſarem ad ſpiritualia, & occaſione eorum diſponit in conſequentiam de temporalibus,* de re iudic. ad Apoſtol. l. 6. de iud. nouit. cum ſi. *principaliter tamen non diſponit Papa de temporalibus ad alios reſpectus, quam ipſius finis, & ſic eſt Imperator ſubiectus Papæ temporalibus ratione ſpiritualium: non autem merè ratione ipſorum temporalium. Exemplum prabeo materiale. Si eſt dominus domus fiendæ, qui habet artifices cum inſtrumentis, ſi præeſt eis ad domum ipſam conſtruendam, quæ eſt finis ipſius domini domus, non præerit ad alios vſus, vel actus. Vt hæc optimè probatur* in l. fi. C. de iuriſdict. om. iud. *Vbi artifices ſubſunt Rectori Vniuerſitatis tantùm in concernentibus artem ipſam: ſic in Pontifice. Sed nos non negamus Cæſarem ſubditum Pontifici ratione ſpiritualium: ſed abſolutè negamus temporalia Pontifici ſubiecta, ſed Cæſari. Nec ſequitur, poteſtas imperialis reducitur, & ordinatur ad poteſtatem Papalem, cum finis ipſe politica, qui eſt finis poteſtatis Imperalis, reducatur, & ordinetur tanquam ad maius bonum ad felicitatem ſpeculatiuam, quæ eſt finis Summi Pontificatus, tanquam architectonica eſt præceptina, & dominans, ac legem imponens ipſi politicæ, & poteſtati imperiali: ergo poteſtas Papalis eſt Imperialis, vel Papa habet adminiſtrationem temporalium. Sicut iſti arguentes videntur inferre, quia non ſequitur. Quis non videt vnam ſcientiam alteri ſubaltenari, & vnam reduci, & ordinari ad reliquam, abſque hoc, quod altera prædicetur. Similiter ars frenifactiua ordinatur ad artem equeſtrem: equeſtris ad militarem: militaris denique ad ciuilem. Et ita ad ciuilem omnes tales artes reducuntur, vt vult Philoſophus 1. Ethic. non tamen altera de altera prædicatur, vt dicatur, equeſtris eſt militaris, vel è contrà.* Et paulò poſt. *Nec nos de Imperatore negamus, quin ſi deuiet à debito ordine ſuæ adminiſtrationis, à Pontifice poſſit regulari, & corrigi.* Et mox. *Vnde ſi regimen eſſet ita inordinatum Principis, quod tolleret beneficium ſpeculationis, vt quia Imperator ſchiſmatizaret, vel deuiaret in fide, tunc poſſit à Papa ordinari, & corrigi.* Et mox. *Vnde tollitur illa argumentatio; quod ſi Papa præeſt animabus, ergò & corporibus, cum corpora ſint ſub dominio animæ. Item non nego, quod Princeps non debeat reduci ad Pontificem, & quod ab ipſo, tanquam à primo principio, debeat regulari: ſed iſta regulatio debet eſſe reſpectu finis ipſius Pontificis ita adminiſtrationis diuinorum, & ſpiritualium. Et hoc modo, ſi obliquus foret Imperator, emendari, & corrigi poſſet: ſed alijs reſpectibus non dependet ab ipſo Pontifice.* In reſp ad 9. *Dum etiam arguitur, quod de imperio ad libitum diſponit. &c. Reſpondetur, quod ratione temporalium hoc Papa non facit, nec facere poteſt, vt eſt tex. de iudic. Nouit. niſi in conſequentiam ratione peccati poteſt omnes compeſcere, & ad pœnitentiam reuocare, extra de iudic. nouit. 12. q. 2. prædicandum 6 q. 1. illis, & quod dixi, ratione peccati, non intelligo, quod pro quolibet peccato Papa temporalia poſſet ad ſe reuocare, quia hoc eſſet ſubuertere vniuerſam alterius iuriſdictionem, contra cap. Nouit. Sed intelligo quando ſunt grauia peccata, propter quæ Eccleſia poteſt ad ſe reuocare, vt puta denegationem iuſtitiæ, de foro compet. c. ex tenore. &c. licet ex ſuſpecto: vel ſi crimen ſui natura eſſet Eccleſiaſticum, vel ratione pacis, vel iuramenti: vel quia ſit notorium: vel ſi proponitur contra Imperatorem à miſerabili perſona: tunc dico, quod ratione peccati ei denunciat Papa, non dico, quod ex iſtis eum deponat, quia poteſtatem, quam ab eo non habet, non poteſt ab eo priuari, niſi ſtaret in ſua obſtinatione, & incurreret hæreſim, vel periculum, & ſuſpicionem hæreſis. Nam tunc poſſet priuari, & declarari, d. c. Apoſtolicæ, & quod ibi nota. & quod habetur 40. di. Papa. Nec mirum, quia Pontifex talibus cauſis eſſet ipſe deponendus.* Et mox. *Et idem, ſi in contemptum clauium Imperator deijceret. Nam poſſet deponi. 22. di. c. verſ. qui autem. & 24. quæſt. 1. hæc eſt fides. verſ. ſi autem. & ex. q. c. rogamus, &c. alienus Et ratio, quia delirans, & per annum perſeuerans in excommunicatione eſt ſuſpectus de hæreſi, & poteſt deponi: immò ſi certa ſit hæreſis, eſt ipſo iure diſpoſitus. de ſenten. excom. c. cum ſecun-*

Digitized by Google

ſecundum leges. lib. 6. Vnde Papa Principem non deponit, quia adminiſtratio ipſi ſubſit: ſed ratione peccati per prædicta facit, quod nota. de iudic. nouit. & in dist. cap. ad Apoſtolicæ. Vbi quidam expreſsè tenent: quod à Papa Princeps non deponitur pro peccato etiam mortali non data incorrigibilitatè. Et iſtud credo verùm: & tunc facit ratione propriæ ſuæ iuriſdictionis ſpiritualis, propter peccatum; non quod præſit vniuerſali adminiſtrationi temporalium. Simile dico de translatione, quod de priuatione, cum translatio ſit priuatio vnius, & conceſſio alterius.

Vnde Papa Principem non deponit, quia adminiſtratio ipſi ſubſit; ſed ratione peccati per prædicta facit. In reſp. ad 11. *dico quod quatenus temporalia veniunt ad finem ſpiritualium, Papa imponit neceſſitatem Principi: ſicut anima rationalis hominis diſponit ad ſuum finem.* Et in reſolutione quæſtionis, idem expreſsè clariſſimis verbis repetit non ſemel, & confirmat. Iterum in quæſt. ſecunda. *Vter maior ſit Summus Pontifex, an Auguſtus*, in reſolut. quæſt. §. *Lenonum, ſi quidem conſideremus Pontificem, prout ſanctitas eius præminet ſpiritualibus, & diuinis, & qualiter pro ipſis adminiſtrandis cunctos debet habere Pontifex ſubditos, & ſubmiſſos: tunc firmiter habeo Cæſarem ab ipſo dependere, vt filius, & inferior, & vna ex ouibus dominis in Domino, & gubernatione Petro commiſſa, & adeò inferiorem, & ſubditum exiſtere, vt occaſione prædictorum poſſit non ſolùm à Summo Pont. ſed à quolibet ſuo Epiſcopo anathèmatizari, & corrigi, & per Papam, ſi opus eſt, ab imperio amoueri, nam peccanda poteſt à Papa compeſci, & ad penitentiam reuocari. Et his occaſionibus dicitur eſſe Princeps filius Summi Pontificis, & ei ſubditus, inferior, atque minor. Et eſt talis minoritas, & gradus inferior non per modum ſimplicis eſſentiæ. i. ex eo, quod maiorem habeat dignitatem Pontifex, quam Auguſtus. Sicut eſt maior ordo ſacerdotalis diacono: ſed per modum cuiuſdam Principatus naturalis, ſub quo Principatu ſit Cæſar*, &c. Et infrà. *Et talis Monarchia Pontificis diuina, non humana.*

Hæc prolixiùs ex Roſello afferenda putaui, vt appareat Lectori, quam infelix ſit Aduerſarius in citandis auctoribus, & iſte, ſi frontem habet, erubeſcat. Bis infelix, tum quod citat auctores ab Eccleſia prohibitos, cui ſe ſubiectum fatetur: tum quod eoſdem contra ſecitat.

Reliqui, Tertullianus, S. Ambroſius, S. Hieronymus, S. Gregorius Turonicus, Ottho Friſingenſis, Conſtantinus Harmenopulus, Ninianus Vvinzetus, ad propoſitum non faciunt. Non enim dicunt auctores iſti, Reges, & Principes Chriſtianos non poſſe ab Eccleſia, vel eius capite Summo Pontifice pœnis temporalibus directè, vel indirectè coerceri, aut Regno, Regniuè parte mulctari, aut Eccleſiaſticis legib. non teneri: ſed duo alia dicunt. Vnum, Reges non teneri legibus politicis, vel ſuis, vel prædeceſſorum. Alterum, Reges non poſſe puniri, niſi à Deo; & ideò cùm Rege Dauid poſſe dicere. *Tibi ſoli peccaui*. Sed hoc intelligunt, vel de facto, non de iure; vel de pœnis, quas infligunt leges politicæ, à quibus ipſi ſoluti ſunt: vel pro tempore, quò pacificè potiuntur regno. Videamus ſingulos.

S. Ambr.

S. Ambroſius in Apologia (Dauid,) ſic loquitur. *Rex vtique erat* (Dauid) *nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum: neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij poteſtate.* Loquitur S. vir de legibus politicis, non de Eccleſiaſticis, quibus etiam Reges veteris teſtamenti ſubiecti erant, vt ſupra de Ozia diximus ex 2. Paral. c. 26. Eodem ſenſu loquitur Ottho Friſingen. in epiſt. ad Federicum Imperatorem. *Præterea, cum nulla inueniatur perſona Mundialis, quæ Mundi legibus non ſubiaceat, ſubiacendo coerceatur: ſoli Reges, vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſæculi legibus non cohibentur: vnde eſt illud tam Regis, quàm Prophetæ: Tibi ſoli peccaui.* Et mox. *Cum enim iuxta Apoſtolum homini mortali horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis; Regibus tamen, qui nullum præter ipſum ſupra ſe habent, quem metuant, eo erit horribilius, quo ipſi poſſunt cæteris peccare liberiùs.* Expreſsè loquitur de legibus Mundi, ſiue politicis, & per conſequens, quando dicit, *Reges nullum præter Deum ſupra ſe habere*, intelligendus eſt de ſuperiore politico, ſiue temporali. Nam idem in hiſtoria ſua l. 6. c. 34. 35. 36. refert Henricum Imp. à Gregorio VII. depoſitum: & tamen eundem Gregorium ibidem eximiè laudat, quod profectò vir pius, & doctus non faceret, niſi rectè feciſſet, & Reges Summo Pontifici, vt ſupremo Principi ſpirituali, ſubiectos eſſe arbitraretur. Idem volunt Harmenopulus, & Vvinzetus.

Ottho Friſingen.

Pſal. 50.
Hebr. 10.

Conſtantinus Harmenopulus
Ninianus Vvinzetus.
S. Gregorius Turonen.

Sanctus Gregorius Turonicus lib. 5. hiſt. Francorum, cap. 18. his verbis alloquitur Regem Galliæ, Chilpericum, Protextatum Epiſcopum Rothomagen. iniuſtè perſequentem, *Si quis de nobis*, inquit, *ò Rex iuſtitiæ limites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam?* Loquitur vir ſanctus de poteſtate coactiua & punitiua, quam *de facto* habent Reges ad cogendum, & puniendum homines particulares: homines verò particulares ad cogendum, & puniendũ Reges non habent.

Tertullian.

Tertullianus de Imperatoribus in Apologetico loquens: *ſentiunt*, inquit, *Deum eſſe ſolùm, in cuius ſolius poteſtate ſunt, à quo ſolo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos, & ſuper omnes homines.* & in libr. ad Scapulam, *Colimus*, inquit, *Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt, à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem: hoc & ipſe volet; ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Loquitur Tertullianus de Principibus Ethnicis, qui toti orbi Romano imperabant, & nondum ſceptra ſua Chriſto ſubiecerant: ideò ſecundi à Deo quoad temporalem poteſtatem de facto dici poterant. Vide Card. Bellarm. in lib. aduerſus Barc. cap. 8.

Num. 8. addit Aduerſarius ad fautores
ſuæ ſententiæ illos omnes, qui dicunt, penes »
Eccleſiam non eſſe gladium materialem, ſed »
ſpiritualem tantum, & ideò ad ſacerdotes »
pertinere ſpiritualem inferre vindictam, ad »
reges verò corporalem irrogare pœnam, & al- »
legat S. Auguſt. lib. de fide, & operibus cap. 2. »
Num. 9. allegat Nicolaum Papam, cap. »
inter hæc, 33. q. 2. & Ioannem Papam, cap. »

" Porro, 16. q. 3. & Cæleſtinum Papam, cap.
" Cum non ab homine, extra de Iudicijs.
" Num.10. allegat Gratianum 2. q. 7. cap.
" Nos ſi. Alexandrum Alenſem, 3. p. q. 40.
" Num. 11. & 12. allegat Petrum Damia-
" ni in epiſtola ad Firminum Epiſcopum.

Reſpondeo. Auctor æquiuocatione vtitur ad imperitos decipiendos. Nam quod Eccleſia non habeat gladium materialem, ſed ſpiritualem, duobus modis intelligi poteſt.

Primo, vt non habeat ad feriendum vel manu propria, vel ſententia judiciaria, quæ damnat ſontes ad mortem.

Secundo, vt non habeat ad mandandum Principibus, vel populis, vt gladio Eccleſiam defendant, vel hæreticos perſequantur, vel Turcas iuſto bello oppugent.

Priore modo eccleſiaſtici non habent gladium materialem. Prohibentur enim iure Pontificio gladio materiali vti, niſi fortè ad perſonæ ſuæ defenſionem, vel in communi patriæ periculo, aut alijs eiuſmodi caſibus: prohibentur quoque ferre ſententiam mortis in Reos, quoniam (vt loquitur S. Leo in epiſt. ad Turbium Aſturicen. Epiſcopum) *Eccleſiaſtica lenitas cruentas refugit vltiones.*

S. Leo M.

Poſteriore modo negari non poteſt, quin ad Eccleſiam vterque gladius pertineat, & gladius gladio ſubſit, materialis videlicet Spirituali, vt S. Bernardus docet li. 4. de conſiderat. cap. 4. & Bonifacius VIII. cap. *Vnam ſanctam*. Porrò auctores ab Aduerſario citati ferè omnes loquuntur de priore modo, ac præſertim S. Auguſtinus, Nicolaus, & Ioannes Pontifices, Gratianus.

S. Auguſt.

Cæleſtinus.

Cæleſtinus Papa nihil aliud dicit, niſi clericos, incorrigibiles priuari priuilegio fori eccleſiaſtici, & tanquam laicos tradi ſæculari iudicio puniendos. Itaque quando ait, *Eccleſiam non habere vltra quid faciat*; non ſignificat, non poſſe clericos per eccleſiam puniri carcere, exilio, aliauè pœna corporali; ſed ſignificat *non habere vltra quid faciat* in foro ſuo eccleſiaſtico, cum clericum à foro ſuo, vt indignum abiecerit. Itaque hoc teſtimonium non eſt ad rem.

Alexander Alen.

Alexander Alenſis idem omnino dicit, quod ſuprà dixerunt Tertullianus, S. Ambroſius, S. Hieronymus, Ottho Friſingen. regem videlicet ſolutum eſſe legibus, & non puniri pœna corporali, niſi à Deo, quod, quomodo intelligatur, ibi oſtendimus.

Petrus Damiani.

S. Leo IX.

Vnus eſt Petrus Damiani, qui nimis rigidè docet, non licere Sacerdotibus vti materiali gladio, reprehendit enim S. Leonē IX. Pontificem, quod bellum geſſerit aduerſus eos, qui Romanæ Eccleſiæ prouincias occupauerant. Sec hac in re Petrus Damiani, & Aduerſarium nō iuuat, & veritati aduerſatur.

Aduerſarium non iuuat, tum quia, ſiue liceat Sacerdotibus vti materiali gladio, ſiue non, nihil intereſt ad rem, de qua agitur: tum, quia Aduerſarius in hoc ipſo loco nu. 12. concedit, poſſe Pontificem, vt Principem temporalem armis defendere prouinciam ſuam & hoc fecit S. Leo IX. Pontifex, qui Beneuentanam ciuitatem ad Eccleſiæ Romanæ ditionem pertinentem armis recuperare voluit, & ea de cauſa bellum cum Northmannis geſſit. Nec tamen ipſe in prælio armatus interfuit, vt videtur Petrus Damiani ſignificare; ſed in loco vicino cum ſuo eccleſiaſtico comitatu permanſit.

Eccleſiaſticis licet armis ſe defendere.

Veritati aduerſatur idem Petrus Damiani. Videtur enim exiſtimare, non licere Chriſtianis, aut ſaltem eccleſiaſticis perſonas ſuas, aut temporalia bona armis defendere, quod certè à veritate alienum eſt. Vim enim vi repellere ex iure naturæ omnibus licet.

Quod autem Petrus Damiani allegat, *Chriſtum mundi furentis obſtacula non per diſtricti examinis vltionem, ſed per inuictam patientiæ virtutem ſuperaſſe*; ad rem non facit. Chriſtus enim non venit in hunc mundum, vt temporalia defenderet, quæ nemo illi auferre poterat; Sed vt per paſſionem ſuam peccata noſtra deleret, & Mundum Deo reconciliaret, tum autem Chriſti veſtigia ſequitur, cùm iacturam temporalium bonorum, & ipſius vitæ libenter patimur, ne fidem, aut charitatem amittamus. Sed cum poſſumus, & fidem, & charitatem diuinam retinere; & ſimul vitam, & temporalia bona non amittere: Euangelica doctrina non prohibet, quo minus & nos, & noſtra iuſto bello defendamus. Sed de his ſatis.

Num. 13. Addit Aduerſarius ad patro- "
nos ſuæ ſententiæ Sanctum Gregorium Na- "
zianzenum, S. Ambroſium, S. Bernardum, *qui* "
(vt ipſe loquitur) *nullum aliud remedium ad-* "
uerſus Principes Eccleſiam perſequentes præter "
lacrymas, orationes, atque alia id genus arma ſpi- "
ritualia Sacerdotibus, reliquiſque Chriſtianis com- "
petere apertiſſimè docent. "

Chriſtianis licet bellum gerere.

Reſpondeo. His verbis ita generatim ab Aduerſario prolatis intolerabilem errorem contineri, nam ſi ita ſe res haberet, & Rex Turcarum eccleſiam perſequi vellet, atq; Italiam, & Germaniam armis peteret, vt Chriſtianam Religionem euerteret; certè oporteret, vt Chriſtiani omnes, depoſitis armis, ad ſolas preces, lachrymaſque confugerent, quæ mera fatuitas eſt, & ab Alphonſo de Caſtro, ver. *Bellum*, inter hæreſes refertur, tribuiturque Oecolampadio hæretico, & Cornelio Agrippæ Mago, qui omnino Chriſtianis bello interdicebant, & Martino Luthero, qui nefas dicebat eſſe Chriſtianis, pugare contra Turcas eccleſiam oppugantes.

Reſpondebit, ſe loqui de Principe perſequente Eccleſiam in ſuo regno, non in alieno. Sit ita; at interim verba ipſius, & Patrum quos citat, generalia ſunt. Deinde nec hoc ipſum verum eſt.

Vide Greg. de Valencia tom. 3 diſp 3. qu. 16 par 1. S. Greg Nazian. initan. Apoſtata.

Num. 14. adducit verba Gregorij Nazianzeni ex Oratione 1. in Iulianum, vbi dicit ſolas lacrymas, & orationes adhiberi potuiſſe aduerſus perſecutionem Iuliani. *Coercitus eſt*, inquit, *Dei clementia, & lacrymis Chriſtianorum, quæ multæ tam, & à multis erant effuſæ cum ſolum hoc contra perſecutorem haberent remedium.*

Reſpondeo. Locutus eſt ita S. Gregorius, non quod nefas eſſet Chriſtianis Iuliano eccleſiam perſequenti armis reſiſtere: ſed quia tunc humanæ vires ad reſiſtendum Eccleſiæ deerant. Ita D. Thomas, 2. 2. q. 12. ar. 2. ad 1. Franciſcus Romulus in Reſp. ad Apologiam, quæ falsò, *Catholica*, inſcribebatur. Card. Bellarmin. lib. 5. de Pont. cap. 7. & aduerſus Barclaium, cap. 7.

Regerit Aduerſarius, non defuiſſe vires "
huma-

» humanas Eccleſiæ, immò adſuiſſe tum maio-
» res, quàm vnquam. Probat, quia torus exer-
» citus Iuliani erat Chriſtianus, quæ res adeò
» animum Iuliani commouit, teſte eodem
» Gregorio ib. vt res Chriſtianorum compara-
» tione Perſarum, qui contra ipſum in bello
» fortiter perſeuerabant, adeò illi maiores, &
» cura digniores viderentur, vt bellum contra
» Perſas nugas, ac ludum exiſtimaret.

Reſpondeo, initio Imperij exercitus Iuliani magna ex parte fuit Chriſtianus, quando milites Chriſtianos tolerabat, & non modo eccleſiam non perſequebatur, ſed etiam Epiſcopos Catholicos, quos Conſtantinus Arianus relegauerat, ad ſedes ſuas reuerti permiſit, vt refert Ruffinus lib. 1. cap. 17. at poſtea varijs artibus plurimos ex Chriſtianis ad Paganiſmum traxit, vt Nazianzenus ibidem refert: deinde iuſſit, vt omnes milites, aut Idolis ſacrificarent, aut de militia eijcerentur, vt teſtis eſt hiſtoria tripartita lib. 7. cap. 1. & Theodoretus lib. 3. hiſt. cap. 7. & tunc Iouinianus, Valentinianus, & Valens, cingulum militiæ abijcere, quam idolis ſacrificare maluerunt, vt refert Socrates lib. 4. cap. 1. Itaque ab eo tempore exercitus illius plenus erat Paganorum, aut Apoſtatarum, vt Ruffinus teſtatur libr. 2. cap. 1. Adde, quod, cum Iulianus toti orbi imperaret ſolus, & armatum ingentem exercitum haberet; Chriſtiani ſine Duce, & ſine armis, quamuis plurimi eſſent, Iuliano reſiſtere non poterant, niſi lacrymis, & precibus ad Deum.

Quod Sanctus Gregorius dicit, de ſollicitudine Iuliani maiore propter Chriſtinos, quam propter Perſas, non ſignificat, (vt Aduerſarius exiſtimat, vel exiſtimare ſe fingit) Iuliano maiori terrori fuiſſe vires, & arma Chriſtianorum, quam Perſarum: ſed ſignificat Iuliano duas res propoſitas fuiſſe; vnam, reſiſtere Perſis ad bellum paratis; alteram extinguere nomen, & Religionem Chriſtianam: & pro hac ſecunda multò magis fuiſſe ſollicitum, quia ſciebat inuictum eſſe animum Chriſtianis fide, & patientia armatis; & videbat tot perſecutionibus prędeceſſorum ſuorum, præſertim Diocletiani, ac Maximiani Chriſtianam Religionem non imminutam, ſed auctam; non extinctam, ſed propagatam. Verè enim ſcripſit Sanctus Leo in Sermon. de Natali Apoſtolorum, *Nullo credulitatis genere deſtrui poteſt Sacramento Crucis Chriſti fundata Religio: non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur; & ſemper dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur*. Itaque ſanguis Martyrum ſolet vocari *ſemen Chriſtianorum*.

S. Leo M.

Quod verò Sanctus Gregorius Nazianzenus crediderit poteſtatem politicam iure ſubiectam eſſe debere ſpirituali Pontificum poteſtati, diſertis id ipſe verbis teſtatur in Oratione ad ciues timore perculſos. & Principem iraſcentem. Sic enim Principem Sæcularem alloquitur: Vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſellijs lex Chriſti ſubijcit. Imperium enim ipſi quoque gerimus, addo etiam præſtantius, ac perfectius: niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cęleſtia terrenis cedere.

S. Greg. Nazian.

Num. 15. adducit S. Ambroſium, qui cum perſecutionem à Valentiniano iuniore Ariano pateretur, non ſe manu defendit, aut telo; ſed ieiunijs, & vigilijs ſub altari poſitus

S. Ambroſ.

per obſecrationes defenſorem ſibi, atque Ec- »
cleſiæ Deum parauit, vt Ruffinus teſtatur l. 2. »
hiſt. c. 16. & ipſe Ambr. in Orat. contra Auxen- »
tium; *Dolere*, inquit, *potero potero flere, po-* »
tero gemere: aduerſus arma, milites, Gothos »
etiam lacrymæ meæ arma mea ſunt, talia enim »
munimenta ſunt Sacerdotis: aliter nec debeo, nec »
poſſum reſiſtere. »

Reſpondeo primum. Non valet conſequentia. Ambroſius non debuit, nec potuit Imperatorem deponere; ergo neque Romanus Pontifex id poteſt. Nam S. Ambroſius Epiſcopus Mediolani erat: Summus Eccleſiæ totius Pontifex non erat. Non habet autem Epiſcopus particularis poteſtatem deponendi Reges: ſed ſolus Romanus Pontifex, qui vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti eſt Caput, & Paſtor, vt videre eſt in generali Concilio Lateran. ſub Innocentio III. can. 3.

Pontificis eſt Principes deponere: nō alterius Epiſcopi.

Reſpondeo ſecundo. Quod ad hiſtoriam S. Ambroſij, & Valentiniani, ea ſic habet. Imperator adoleſcens, atque à matre deceptus, quæ Ariana erat, mandauit S. Ambroſio, vt Baſilicam traderet Arianis, & ipſe quocunque vellet, abiret. Ille Sacerdotali conſtantia reſpondit: Baſilicam Dei ſe non poſſe tradere; & Eccleſiam ſuam nolle deſerere quod ſi Imperator vim adhibeat; paratum ſe non ſolum in exilium trudi, ſed etiam occidi: neque ſe poſſe, aut velle furenti Imperatori alijs armis reſiſtere, quàm lacrymis, & precibus ad Deum. Nihil ſanctiùs, nihil prudentiùs dici potuit. Nam neque ſolus tot armatis militibus reſiſtere poterat, neque volebat populum ad arma vocare, ne ſuæ ſalutis cauſa, cedes multorum innocentum fierent.

Valentinianus iunior.

Num. 16. & 17. inſtat aduerſarius. *At po-* »
terat mulctare parte Imperij Valentinianum hæ- »
reticum, eamque tradere Maximo Imperatori »
Catholico. »

Confirmat id nu. 18. quod Sanctus Am- »
broſius ſumma eſſet auctoritate apud milites »
Valentiniani, quibus idem Valentinianus di- »
xiſſe fertur: *ſi Ambroſius iuſſerit, me vinctum* »
tradetis, teſte eodem Ambroſio in epiſt. ad ſo- »
rorem Marcellinam libr. 5. epiſt. 33. »

Reſpondeo. Erant S. Ambroſio ſufficientes vires, non modo vt Valentiniano vi reſiſteret; ſed & ab Imperio deijceret: tum quod Maximus Princeps Catholicus iam eſſet in armis, vt Valentinianum hæreticum coerceret: tum quod ſumma eſſet eius authoritas, non ſolùm apud populum, ſed etiam apud bonam partem militum. Nam in eadem epiſt. legimus, milites Imperatori mandaſſe, ſe illi præſto futuros, ſi cum Catholicis conueniret, alioqui ſe ad eum cætum, quem Ambroſius cogeret, tranſituros. Verùm nec erat id officium S. Ambroſij, qui particularis duntaxat erat Epiſcopus; neque erat expediens. Nam Maximus Imperator per ſe defenſionem Catholicæ Religionis ſuſcepit, atque Italiæ cum exercitu appropinquans, coegit Iuſtinam Imperatricem Arianam cum filio in exilium, quod Sancto Ambroſio fuerat comminata, diſcedere, vt teſtatur Ruffinus lib. 2. cap. 16. & Theodoretus lib. 5. cap. 14. Deinde, ſi Sanctus Ambroſius ciues, ac milites contra Imperatorem inuocaſſet, maximum pericu-

Maximus Imp.

Iuſtina Imp.

Digitized by Google

lum erat, ne tota ea ciuitas vaſtaretur. Sic enim loc. citat. S. Ambroſius loquitur; *Haerebam animo cum armatas ad Baſilicam Eccleſiæ occupandam miſſos cognoſcerem, ne dum Baſilicam vendicant, aliqua ſtrages fieret, quæ in perniciem totius vergeret ciuitatis. Orabam, ne tantæ vrbis, vel totius Italiæ buſto ſuperuiuerem.* Et infrà. *Exigebatur à me, vt compeſcerem populum, referebam, in meo iure eſſe, vt non excitarem: in Dei manu, vt mitigaret.* Demum, vt notauit Card. Bellar. aduerſus Barclaium cap. 8. Imperator Valentinianus puer erat, & non proprio iudicio, ſed Matris auctoritatem ſequutus Eccleſiam perſequi cæpit: ſperabat autem vir S. eum facilè adduci poſſe, vt parentis ſui Valentiniani ſenioris, Fratris Gratiani, &

Theodoſius Imp.

collegæ Theodoſij Catholicorum Imperatorum fidem, & pietatem ſequeretur. Quod & opera Theodoſij factum eſt, qui ad ſe confugientem complexus, fugato, ac mox occiſo Maximo, in Imperium reſtituit, vt ſcribit Theodoretus lib. 5. cap. 15. Quibus omnibus diligenter conſideratis ſanctiſſimè, & prudentiſſimè fecit Sanctus Ambroſius, quod non vi ageret, & extrema remedia tentaret: ſed Dei miſericordiam inuocaret, ſeque pro ouibus ad mortem offerret.

Num. 19. & 20. producit tria teſtimonia S. Bernardi.

S. Bernard.

Primum habetur lib. 2. de conſideratione, vbi S. Bernardus dicit, *Summo Pontifici dominatum interdictum eſſe à Domino.*

Secundum habetur lib. 4. vbi dicit idem S. Pater, Summum Pontificem habere gladium materialem *non in iuſſu ſed in nutu.*

Tertium habetur in epiſt. 170. ad Ludouicum Regem Francorum, quæ ita incipit; *Si totus terrarum Orbis aduerſum me coniuraret, vt aliquid moliar aduerſus Regiam Maieſtatem,*

Rom. 13.

ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem. Nec enim ignoro, vbi legerim, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

Reſpondeo. Nihil ex his poſſe confici contra Catholicam doctrinam, ac proinde ad rem nihil facere.

Non primum. Nam admittimus, Romanum Pontificem non eſſe à Chriſto Dominum Eccleſiæ conſtitutum; ſed Vicarium ſuum, ac *ſeruum* cum ſumma poteſtate *ſuper*

Luc. 12.

omnem familiam ſuam. An ideò non poterit de temporalibus diſponere, ſi ita expediat ad

1. Tim. 3.

ſalutem *Eccleſiæ*, quæ familia, ſiue *domus Dei* eſt? Immò ideò poteſt, adeò, vt qui id directè negat, indirectè etiam, & per conſequentiam illi Vicariatum, id eſt, ſpiritualem poteſtatem neget: tum quod adminiſtrari Eccleſia in ſpiritualibus vix, aut ne vix quidem poſſit, niſi cùm in bonum Eccleſiæ poſtulauerit, conſtituendi etiam de temporalibus ius illi ſit: tum quod temporalia ſuapte natura, & per ſe ad ſpiritualia dicant ſubiectionem,

S. Greg. Naz. in orat. ad populum pertimeſcentem, & Principem iraſcentem.

& habitudinem, *vt caro ad ſpiritum.* Quid an nemo de re vlla conſtituere poteſt, niſi qui Dominus ſit, vt ea ſe mutuo conſequi neceſſe ſit? An non & Miniſtri, & Procuratores, & Legati, & Proreges, &c. in vim conſtitutionis ſuæ, & datæ à Dominis facultatis de rebus non ſuis diſponunt? reos puniunt? officiales deponunt?

Neque ſecundum D. Bernardi teſtimonium ad rem facit. Quid enim? Eſto, non deceat Summum Pontificem iubere, vt aliquis occidatur: nam ideo non licebit ei iubere, vt alicui non obediatur? ſanè, vbi Summus aliquis Pontifex iuſſerit, Regem occidi, non inueniet, credo, Aduerſarius; qui iuſſerint Regibus, iuſtis de cauſſis, à ſubditis obedientiam non præſtari, inueniet facilè non vnum ſed plures.

Porro valde miror, quod Aduerſarius velit gladium materialem ex teſtimonio Sancti Bernardi ad Pontificem non pertinere, cum in eodem ipſo loco S. Bernardus diſertis verbis dicat, *vtrumque gladium eſſe* Pontificis. *Tuus* inquit, *& ipſe* (gladius materialis) *tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus.*

Neque tertium D. Bernardi teſtimonium contra nos facit. Nam S. Bernardus monachus erat, non Summus Pontifex: & non valet iſta conſecutio: homo priuatus, aut Monachus non poteſt hoc, aut illud; ergò nec Summus Pontifex.

At inſtat Aduerſarius: *Non negat S. Bernardus, ſe etiam poſſe reſiſtere Principibus Eccleſiam perſequentibus: ſed negat poſſe reſiſtere alijs armis, quàm precibus fletibuſque ad Deum, vt ipſe dicit in epiſt. 221. ad Ludouicum Regem.*

Reſpodeo. Non capio conſecutionem iſtam. Priuatus Monachus non poteſt reſiſtere Regi Eccleſiam deſtruenti, niſi precibus, & fletibus ad Deum; ergò nec Summus Pontifex aliter reſiſtere poteſt. Perinde eſt, ac ſi dicas, ciuis non poteſt Comitem ſibi non ſubditum relegare, proſcribere, mortis damnare; ergò nec Imperator, aut Rex poteſt Comitem ſibi ſubditum relegare, &c. Item (quod propiùs rem attingit) ouicula non poteſt arietem à grege remouere; ergò id ipſum non poterit Paſtor totius gregis. Quod ſi ea conſecutio Aduerſarij valeat, poterit eadem forma argumentandi concludere; S. Bernardus non poteſt reſiſtere Regi Eccleſiam deſtruenti excommunicando ipſum; ergo nec Summus Pontifex poterit: Quæ conſecutio quin inepta ſit, nec ipſe credo negabit, inepta igitur & illa altera.

Num. 21. addit Sanctum Gregorium Papam. *S. Greg. M.* Is enim in epiſtola ad Sabinianum, quæ eſt prima libr. 7. *Si ego*, inquit, *in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa: ſed quia Deum timeo, in morte cuiuslibet hominis me miſcere formido.* Ex hoc loco deducit Aduerſarius, potuiſſe ſanctum Gregorium Papam facilè liberare Romanam Eccleſiam à perſecutione Longobardorum (quæ grauiſ- *Longobardi.* ſima erat, vt ipſe affirmat libr. 11. epiſt. 43. ad Phocam, & hom 18. in Exechielem) ſi voluiſſet gladio materiali vti, quod cum non fecerit, immò ſibi facere non licere dixerit: perſpicuum eſſe videtur, non eſſe in Summo Pontifice poteſtatem Principes temporales coercendi alijs armis, quam ſpiritualibus.

Reſpondeo. Sanctus Gregorius in ea ſententia, ac fide fuit, quod poſſit Summus Pontifex Principes Eccleſiæ pernicioſos, & contumaces à Principatu ſuo deiicere, vt ſupra oſtendimus hoc eodem cap. ad num. 3. Item quod poſſit coercere Principes non ſolùm per excommunicationem: ſed etiam ar-

mis

mis temporalibus, cohortando alios Reges, vt armis, & bello Eccleſiæ perſecutores inuadant, & Eccleſiam à perſecutione defendant. Id enim, & diligenter, & ſæpè fecit, vt perſpicuum eſt ex epiſt.31. lib. 4. ad Mauritium Imperat. epiſt.43. lib.11. ad Phocam Imperat. epiſt.21. lib. 12. ad Velocem Magiſtrum militum, & epiſt.22. lib.12. ad Mauritium, & Vitalianum Magiſtros militum, in quibus duobus poſterioribus locis, non ſolùm hortatur Magiſtros militum ad defenſionem Romanę ciuitatis, vt in prioribus hortatus eſt Imperatores; ſed etiam monet, vt hoſtes à tergo adoriantur, & ſtrenuè illos cædant, id eſt, officio ſuo diligenter fungantur.

Sic etiam libr.1. epiſt.72. & 73. ad Gennadium Patricium, & Exarchum Africæ, hortatur illum ad hæreticos debellandos, & Eccleſiam armis fortiter defendendam.

Quare falſum eſt quòd S.Gregorius contra perſecutores ſolis ſpiritualibus armis pugnandum eſſe voluerit: falſum quoque eſt, quod Petrus Damiani de S.Gregorio ſcribit ad Firminum, vt ſupra citauit Aduerſarius num.11. & 12.

Ad locum ab Aduerſario citatū reſpondeo. Non pertinet ad ſummum Pontificem, vt homines, quantumuis noxios, vel ipſe manu ſua occidat, vel per ſicarios, aut etiam milites occidi ipſe propriè mandet. Eccleſiaſtica autem Lenitas Cruentas Refugit Vltiones, vt habet laudata à me ſuprà ſententia S.Leonis, & ſæpiùs laudanda. Atque hoc eſt, quod S. Gregorius dicit, ſibi non defuiſſe viam, ac rationem perdendi Regem Longobardorum, aut Duces eorum inter ſe committendi, ſi cædes facere, aut mandare Pontifici conueniret. Sed non hinc ſequitur; ergò Summus Pontifex non poteſt Principes deponere; aut Pricipibus, populiſuè mandare, vt gladio Eccleſiam contra hoſtes ſuos defendant. *Tuus*, inquit S.Bernardus, *& ipſe* (materialis ſcilicet gladius) *tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus*.

S. Leo epiſt. ad Turbium Aſturicen. Epiſcopum.

S. Bern. l.4. de conſid.

„ Num.22. 23. & 24. nititur diluere ſolu-
„ tionem, quam præuidit poſſe adferri ad teſti-
„ monia Sanctorum Patrum, Auguſtini, Nico-
„ lai I. Ioannis VIII. Cæleſtini III. Petri Damia-
„ ni, Gregorij Nazianzeni, Ambroſij, Bernar-
„ di, & Gregorij Romani cognomento Magni,
„ ac dicit forte reſponderi poſſe, hos Patres,
„ cum dicunt, *arma Eccleſiæ eſſe ſpiritualia, non*
„ *corporalia*: ſolùm ſignificare voluiſſe, quod
„ non liceat Clericis gladio necare homines per
„ ſeipſos, quia fiunt irregulares, ſi id faciant,
„ & oſtendere conatur hanc non eſſe ſufficien-
„ tem reſponſionem, quoniam iure tantùm hu-
„ mano prohibitum eſt Clericis vti gladio ma-
„ teriali: & quoniam ius humanum non ligat
„ Summum Pontificem: poſſet ipſe, ſi vellet,
„ & gladio materiali vti, & alijs eo vtendi po-
„ teſtatem facere. Ergo, inquit, Sancti Patres
„ aliud voluerunt, nimirum iure diuino gladiū
„ materialem datum eſſe ſoli Principi Politico,
„ & neque vſum, neque dominium gladij con-
„ uenire Eccleſiaſticis, quà Eccleſiaſtici ſunt.

Eccleſiaſticis vſu gladij interdictū iure humano,

Reſpondeo Primum. Verum eſt, quod Aduerſarius dicit, ſolò iure humano prohiberi vſum gladij viris Eccleſiaſticis: at verum non eſt, quod inde colligit, iure diuino prohibitum eſſe dominium gladij materialis viris Eccleſiaſticis: at verum non eſt, quod inde colligit, iure diuino prohibitum eſſe dominium gladij materialis viris Eccleſiaſticis, quaſi non poſſit Summus Pontifex mandare Principibus politicis, vt arma ſumant ad Eccleſiam defendendam, ad hæreticos coercendos, ad infideles, qui terras fidelium occupauerunt, debellandos, quæ omnia feciſſe S.Gregorium, alioſque Sanctos Pontifices, notiſſimum eſt. Certè S.Bernardus lib.4. de conſiderat. ſatis apertè docet, *vtrumque gladium, Spiritualem, & materialem*, ad Pont. pertinere; *ſed priorem manu ipſius Pontificis exſerendum, poſteriorem manu militis, ſed ad iuſſum Imperatoris, & nutum Pontificis*. Quo loco per *nutum* non intelligit ſimplicem aſſenſum; ſed Imperium ita potens ac efficax, vt ſine expreſſo mandato ſolus nutus ad rem ſtatim efficiendam ſit ſatis, de quali nutu loquitur ſcriptura Geneſ.42. vbi dicit. *Et Ioſeph erat Princeps in terra Aegypti, & ad nutum eius frumenta populis vendebantur*. Et lib.2. Reg. cap. 17. *Domini nutu diſſipatum eſt conſilium Architophel vtile*, vbi ridiculum eſſet, per *nutum* intelligere ſimplicem aſſenſum; cum Scriptura loquatur de *nutu* Dei, qui ſolus habet *Cor Regis in manu ſua, & quocumque voluerit, inclinat illud*: Item Iob 26. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius*. Demum ſecundo Machab. octauo. *Poteſt* (Deus) *vniuerſum mundum vno nutu delere*. Vnde etiam eſt illud Latini Poetæ.

S. Bernard.

Geneſ.42.

2. Reg.17.

Prouerb. 21.

Iob. 26.

2 Machab.

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum. *Aeneidos* 10

Quod ſi per *nutum* Sanctus Bernardus non imperium, ſed ſimplicem aſſenſum intelligeret, non diceret, *vtrumque gladium eſſe Pontificis*; ſed vnum eſſe Pontificis, alterum Imperatoris. Quoniam itaque dicit; *vterque tuus eſt; ſed non vterque tua manu exerendus*; certè docet, vtrumque eſſe in poteſtate Pontificis; ſed vnum ab ipſo immediatè, alterum mediatè, id eſt, per alium, ſed *nutu*, ſiue iuſſu ipſius *exſerendum*, vt rectè argumentatur Card. Bellarm aduerſus Barclaium cap.19.

Reſpondeo ſecundo. Quod ſi daremus totum verum eſſe, quod Aduerſarius contendit: quamuis falſiſſimum ſit, non habere ſummum Pontificem gladij materialis neque vſum, neque dominium: non inde ſequeretur, non poſſe eundem Pontificem, quà Pontifex eſt, coercere Principes temporales ſententia excommunicationis, & excommunicatos regnandi iure priuare. Atqui hæc eſt noſtra quæſtio. Non enim quærimus, an liceat Summo Pontifici Reges hæreticos, aut alios Catholicæ Religioni pernicioſos occidere, vel occidi iubere: ſed an liceat eos excommunicare, & excommunicatos regnandi iure deijcere, & ſubditorum obedientia priuare.

Status quæſtionis.

Qua de re nihil dicunt auctores ſuprà ab Aduerſario citati. Proinde tota eius diſputatio ſuperuacanea eſt, ac rurſus bis infelix Aduerſarius, & quoniam aſſumit id, quod falſum eſt: & quoniam id ipſum, quod probandum eſt, non probat, ſed extra chorum ſaltat.

Num 25. addit Petrum Gregorium Tho- „
loſanum. *Hanc quoque*, inquit, *ſententiam ex* „
parte ſequitur Gregorius Tholoſanus lib.26. de „
Republ. cap.5. qui exiſtimat Principes Sæculares „
pro-

propter peccata merè ſæcularia, quæ tamen bono ſpirituali, atque animarum ſaluti obſunt, non poſſe per auctoritatem Papalem ſuis dominijs priuari.

Petrus Greg. Tholoſanus.

Reſpondeo. Tam apertè hic auctor pro nobis contra Aduerſarium pugnat, vt mirum ſit ab ipſo citari. Nam ſicut dicit Principes ob peccata merè ſæcularia per auctoritatem Papalem ſuis dominijs priuati non poſſe: ita dicit priuari poſſe ob peccata ſpiritualia, quale eſt crimen hæreſis, apoſtaſiæ, ſchiſmatis, & ſimilia. Sed verba Greg. audiamus, quæ Aduerſarius adſcribere auſus non eſt l. 26. cap. 5. num. 14. *Neque Hildericus Hæreticus erat, nec aliud crimen Eccleſiaſticum commiſerat, quod iuriſdictioni ſedis ſpiritualis pro depoſitione illum ſubijceret.* Hæc ille, qui apertè fatetur Regem poſſe deponi à Regno per auctoritatem ſedis ſpiritualis, quando commiſit crimen hæreſis, aut aliud crimen Eccleſiaſticum, quod tali pœna ſit dignum, & idem auctor in eodem cap. num. 23. citat plures Canones, quibus indicitur Principibus pœna depoſitionis, vt cap. 1. de homicidio in 6. & aliàs.

Atque vt Aduerſarius clariùs oſtentet paucitatem fautorum ſuorum, in eodem num. 25. addit ſententiæ ſuæ fauere omnes illos auctores, qui negant imperium fuiſſe tranſlatum à Grecis ad Francos, per auctoritatem Romani Pontificis: & eos quoque qui negant Hildericum Regem Francorum fuiſſe depoſitum à Zacharia Pontifice Romano, quos auctores inferiùs ſe allegaturum promittit.

Reſpondeo. Hæc nihil ad rem faciunt. Nam vt iſta omnia vera ſint (quæ tamen vera non ſunt) non ideò rectè colligitur, eos auctores exiſtimaſſe, non poſſe Regem hæreticum, aut alio ſimili crimine pollutum per Apoſtolicam ſedem a Regno deponi. Ac vt longius non abeam, Gregorius Tholoſanus ab Aduerſario allegatus, vtrumque docet, & Hildericum Regem Francorum non fuiſſe Zachariæ auctoritate depoſitum; & tamen potuiſſe iuſtè deponi, ſi hæreticus fuiſſet, aut alio ſpirituali crimine maculatus. Et tenera fateor vehementer mirari me, nec poſſe capere Dialecticam Aduerſarij, qua infert; qui negant Pontificia auctoritate Imperium à Græcis ad Francos tranſlatum: item Hildericum Regem depoſitum; ij negant ius eſſe Pontifici Reges deponendi, & conſtituendi de rebus temporalibus, cum id magna aliqua Eccleſiæ vtilitas, aut neceſſitas flagitatit. Quæ eſt iſta conſequentia? ſimilis eſt forma argumentandi; Summus Pontifex Regem Hiſpaniarum, vel alium non excommunicauit, ergò Summus Pontifex non habet poteſtatem excommunicandi Reges hæreticos. Item Rex Magnæ Britanniæ Cæcilium non proſcripſit, aut occidit; ergo Rex Magnæ Britanniæ non habet poteſtatem proſcribendi, aut occidendi perduelles, &c. Item Deus Opt. Max. Regem Salomonem aut Ioſiam, aut alium cæleſti igne non abſumpſit; Ergo non habet poteſtatem Deus Opt. Max. Reges impios cęleſti igne abſumendi, Certè ex negatione facti, non rectè infertur negatio iuris, aut poteſtatis; nec qui factum negat, continuò cenſendus eſt ius, ſeu poteſtatem negare.

Num. 26. adducit Sigebertum & Vincentium Beluacenſem. Sigebertus enim in Chronico anni 1080. & in Catalogo dicit, ſe rogato Henrici Archidiaconi, & Decani Eccleſiæ S. Lamberti Validis Patrum argumentis reſpondiſſe epiſtolæ Hildebrandi Papæ, quam ſcripſit ad Hermannum Epiſcopum Metenſem in poteſtatis Regiæ calumniam. Vincentius autem in Speculo hiſtoriali lib. 25 cap. 84. eiuſdem Sigiberti verba referens, ſic ait; *Hæc ſola nouitas (ne dicam hæreſis) nec dum è mundo emerſerat, vt Sacerdotes eius, qui dicit Regi, Apoſtata; & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi; doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant ſubiectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem ſenſerint; immò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur; qui contra regem fecerit, à noxa in iuſtitiæ, periurij abſoluatur.*

Hildebrandus Papa.

lib. 34.

Sigebertus.

Reſpondeo. Sigibertus fuit Schiſmaticus; eiuſque liber contra Gregorium VII. qui Hildebrandus ante Pontificatum dictus eſt; Item contra epiſtolam Paſchalis II. nomine Leodien. conſcriptus, inter libros prohibitos relatus eſt ab Eccleſia Catholica Romana, cui ſe Aduerſarius ſubiectum, (verè, an falsò ipſe viderit) atque obedientem eſſe profitetur. Nec ſolum dico, Sigibertum fuiſſe Schiſmaticum, ſed etiam manifeſtum calumniatorem. Nam in Chronico ad annum 1024. imponit S. Pontifici Gregorij VII. & toti eius Synodo, quod docuerit Sacramenta concubinatiorum Sacerdotum non eſſe rata. Nunquam enim tale aliquid S. ille Pontifex, aut eius Synodus docuerunt; ſed ſolùm in odium concubinatus Sacerdotum, præceperunt laicis, vt Miſſas eiuſmodi Sacerdotum non audirent, quod ipſum decretum optimè, & eruditè defendit S. Anſelmus epiſt. 8. quæ eſt ad Gulielmum Abbatem. Vide Bellarmin. lib. 4. de Pontif. cap. 13.

Miſſas concubinariorum.

S. Anſelmus.

Idem Sigebertus in Chronico ad ann. 1088. poſuit verba, quæ Vincentius Beluacen. non aduertens calumniam, tranſcripſit in ſuum Hiſtoriale ſpeculum. Si quidem illa verba, vt ſimplicet ſonant, indicant, doctrinam eſſe nouam, & erroneam, quod malis Regibus non ſit obediendum, & quod iuramentum fidelitatis eis præſtitum non ſit implendum, quæ ſanè doctrina erronea eſt, damnata in Conc. Conſtantien. ſeſſ. 8. inter 45. articulos Ioannis Vvicleph art. 15. & ſeſſ. 15. inter art. Ioannis Huſs. Art. vlt. Sed ſi Sigebertus ſcripſiſſet, vt debebat doctrinam Summi Pontificis eſſe, non eſſe obediendum Regi iure excommunicato, ac depoſito: & iuramentum fidelitatis non eſſe ſeruandum, quando ſubditi per legitimam auctoritatem à iuramento fidelitatis ſoluti ſunt: neque Vincentium Beluacenſem decepiſſet, neque ipſe calumniatoris notam incurriſſet.

Vincentius Beluacen.

Num. 27. adducit Nicolaum de Cuſa Cardinalem, qui lib. 3. de Concordia Catholica, cap. 4. dicit, Principes Electores non habere poteſtatem eligendi à Romano Pontifice, ſic, quod niſi ipſe conſentiret, non haberent; aut ſi vellet, ab ijs tollere poſſet. Et cap. 5. dicit, quod Imperatoris Celſitudo eſt independens, quoad ſui naturam, & primò, & ſupremò diſtincta à ſpirituali habens dependens

„ pendentiam immediatè à Deo, & cap. 41.
„ quod Summus Pontifex miniſterialem curam
„ habet, non dominationis imperium.

Nicolaus Cuſanus. Reſpondeo primo. Nicolaus Cuſanus fuit vir doctiſſimus, & Card.S.R.E. At libros de Concordia Catholica ſcripſit iunior, cum pro Concilio Baſileenſi, *Concilium Baſileenſe.* aduerſus Pontifices pugnaret, & in gratiam eius Concilij, vt videre elt in præfatione, quam Nicolaus dictis libris præfixit, quod Concilium, ab Eccleſia reprobatum eſt, in Concil. Lateranen. Vltimo, ſeſſ. 11. Poſtea verò ſapientior factus aduerſus Concilium illud Schiſmaticum pro capite Eccleſiæ, & verbo coram Imperatore, & Regibus; & epiſtolis ſcriptis acerrimè dimicauit. Vide Epiſtolam eiuſdem Nicolai ad Rodericum, & videbis ex eius ſententia, ſummam poteſtatem eſſe in Summo Pontifice, non ſolùm ſupra omnes Epiſcopos, ſed etiam ſupra omnes Reges.

Itaque non poteſt dici ſententia Cauſani, quam iuniot ſecutus, poſtea retractauit ſapientiot, & maturior.

Reſpondeo ſecundo. Illa omnia, quæ Nicolaus de Cuſa in illis de Concordia libris ſcriptis, nihil ad rem faciunt. Neque enim inde ſequitur, illum ſenſiſſe, non poſſe a Summo Pontifice Principem deponi iuſta de cauſa. Eſto, non habeant Electores Imperij à ſolo Pontifice auctoritatem eligendi: ſit Imperatoria poteſtas à ſolo Deo inſtituta: habeat Romanus Pontifex miniſterium, non dominium in eccleſia adhuc optimè intelligi poteſt, quod poſſit Romanus Pontifex, vt Chriſti Vicarius, & miniſter ab eo, qui eſt *Apoc. 19. Luc. 12.* *Rex Regum, & Dominus dominantium, ſuper omnem familiam ſuam conſtitutus*, indicare Imperatores, & Reges, eoſdemque, ſi iuſta cauſſa poſtulet, Chriſti vice, & auctoritate deponere, & ſubditos eorum ab obedientia, & iuramento fidelitatis abſoluere, vt diximus ſupra ad num. 19.

Non ſunt tamen ea omnia vera.

Electores Imperij à Rom. Pont. ſunt conſtituti. Non primum. Nam Electores conſtituti ſunt, habentque eligendi auctoritatem, à Pontifice Romano, vt latè oſtenderunt duo illa eccleſiæ lumina, Cardin. Baron. & Card. Bellarminus, de translatione Imperij Romani lib. 3. qui inter cætera pro huius rei confirmatione adferunt inſtrumentum publicum Principum Germanorum, quo illud aperte coram toto mundo confitentur.

Neque ad hanc rem intereſt; ſint ne conſtituti à Gregorio Secundo, vt duo dicti Cardinalis Baronius, & Bellarminus, item Genebrardus, & alij volunt; an verò à Gregorio Decimo, vt Onuphrio Pannino in libro de Comitijs Imperatorijs, & Sebaſtiano Veronio in Chronico placet.

Neque ſecundum verum eſt, nimirum *Imperatoria Celſitudo.* quod Imperatoris Celſitudo ſit immediate à Deo, tum quia, vt docent poſt D. Thomam ſecunda, ſecundæ, quæſt. 10. art. 10. Theologi, *Dominium, & prælatio* ciuilis *introducta ſunt ex iure humano*, de qua re egimus cap. 2. in examine Prefationis.

Tum quia Imperium, prout nunc eſt, per Pontificem Romanum à Græcis ad Francos, ſiue Germanos traslatum eſt, vt prolixè, & ſolidè demonſtrat idem Bellarm. de tranſlatione Romani Imperij lib. 1. & 2.

Demum, quia Imperium, vt Sæcularia poteſtas verè ſubeſt, ſiue ſubordinatur eccleſiaſticæ, ſiue ſpirituali poteſtati, & ab ea dirigi debet ad finem abſolutè vltimum, qui eſt vita æterna. Ei enim dictum eſt: *Omnis gens, & omne regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.* Iſa. 60. Quare quotquot ſalui fieri volunt, *Iſa. 60.* etiam *Reges miniſtrabunt tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Iſa. 49. Omnes à Vicario Chriſti paſci, *Iſa. 49.* ac regi debent in vim conſtitutionis Chriſti, Ioan. 21. *Paſce oues meas.* *Ioan. 21.*

Verùm nihilominus eſt, quod Imperatorum, & Regum Celſitudo non agnoſcit ſuperiorem poteſtatem temporalem, ſiue mundanam, & hoc modo independens ſit à poteſtate Superiore temporali, & habeat immediatam dependentiam à Deo, ſitque verè primò diſtincta ab Eccleſiaſtica poteſtate, neque propriè ab hac pendeat. Quod verò eadem ſubiecta, & ſubordinata eſt Spirituali poteſtati, inde nullo modo deprimitur, aut imminuitur, ſed eleuatur, vt corpus, cum ſubijcitur ſpiritui; & illuſtratur, vt luna, cum à ſole lumen ſuum mutuatur: eleuatur, inquam, vt non modo nanciſcatur felicitatem temporalem huius mundi, quæ eſt finis poteſtatis politicæ ſecundum ſe nudè conſideratæ, ſed & ſempiternam in cælis, ad quam à Spirituali poteſtate dirigitur. Quod ſi verò de facto ſe ſubtrahat poteſtati Spirituali (nam habitudine, & natura ſemper ſubordinata manet) tum emoritur, vt corpus ſeparatum à ſpiritu, & obſcuratur, vt luna, dum ſoli è diametro oppoſita interuentu terræ Eccliplim patitur.

Neque hoc negare mihi Cuſanus ipſe videtur, in ipſiſmet de concordia libris, vbi Imperatoris celſitudinem, quantum poteſt, extollit. Nam dicit lib. 3. cap. 41. *Pontifici eam eſſe eminentiam ſupra Imperatorem, quæ eſt ſoli ſupra lunam, & anima ſupra corpus. Et illuminari Imperium à Sacerdotio, ſicut lunam à ſole.* Et Sacerdotium ſanctum Imperio ſuperadditum, tamquam veram vitalem animam corpori ſummoperè venerandum eſſe. Item, non trahantur, inquit, hæc (Regum, ac Imperatorum depoſitiones, ac Imperij translationes) ad poteſtatis elationem, niſi, vt præhabitum eſt, ob delictum, & peccatum, iuxta cap. *venerabilem*, de elect. & de iudic. *nouit.* vbi manifeſtè agnoſcit in Pontifice poteſtatem deponendi Imperatores ob delictum.

Tertium denique, quod Summus Pontifex, non dominationis imperium, ſed miniſterialem duntaxat curam habet, ſi intelligatur, vt Summus Pontifex reſpectu Eccleſiæ totius, ſiue generalis Concilij, non caput, & Princeps Spiritualis, ſed miniſter ſit, quando concordiam Catholicam ſcripſit, vt videre eſt lib. 2. cap. 17. 18. & 25. & vlt. ſi ſic, inquam, intelligatur, omninò vt falſum à nobis reijcitur, eſtque reprobatum, in Concilio Lateranenſi vlt. ſub Leone decimo ſeſſione vndecima. Vide Caietanum in tractatu de comparatione Papæ, & Concil. & in Apologia pro eodem tractatu, Bellarm. de auctor. Conc. lib. 2. cap. 13.

Sin autē intelligatur, vti intelligi debet,

quod

quod Summus pontifex non habeat abſolutum dominium in Eccleſiam; ſed tantum ius miniſteriale, tanquam fidelis in ea domo famulus, in qua Chriſtus verus Dominus, ac verus veri Domini filius dominatur, ita, vt ſubſit quidem Chriſto tanquam Vicarius ac ſeruus, cui rationem adminiſtrationis ſuæ reddere teneatur: præſit verò vniuerſæ Eccleſiæ, tanquam *conſtitutus* à communi *Domino, ſupra familiam ſuam*, & cui oues ſuas paſcendas commiſit; in hoc ſenſu vtique verum eſt, & libentiſſimè acceptamus.

Matth.24. Luc.12. Ioan.21.

Num.28. adducit in teſtem Gulielmum » Barclaium.

Gulielm. Barclaius.

» Reſpondeo, Barclaium tanti facient Catholici, quanti Marſilium de Padua, & hunc ipſum Aduerſarium. Et quis non miretur, quod cum Cardin. Bellarminus Barclaium in hac cauſa dilucidè, ac ſolidè more ſuo confutarit, Aduerſarius non modò contrà ſine ſufficienti fundamento ſcribere, ſed & eundem Barclaium eidem Bellarm. vt teſtem veritatis obijcere auſus fuerit.

Num.29. adiungit Auctorem Apologiæ Proteſtantium pro Romana Eccleſia Anglicè ſcriptæ.

Scriptor Anonymus.

Reſpondeo. Non videtur operæ pretium auctores Anonymos, & lingua mihi incognita ſcriptos, de quibus ipſe iudicare non poſſim, inueſtigare. Neque tales Auctores pro noſtra ſententia ſuperiùs produximus, quorum maximam partem ex libro Card. Bellarmini aduerſus Barclaium mutuati ſumus, ſed illuſtres viros notos omnibus, nec ſola doctrina, ſed etiam ſanctitate conſpicuos; & qui non obſcurè, nec ambiguè, nec aliud agentes; ſed apertiſſimè, & clariſſimè de propoſita quæſtione ſententiam dicerent. Porrò intellexi ex alijs in prædicta Apologia nihil omnino contineri, quod communi Catholicorum ſententiæ repugnet.

» Num.30.31.32. adducit aliquot teſtimo-
» nia auctorum huius temporis Gallicæ natio-
» nis, quos colligit ex Laurentio Bochello in
» libro, quem Latinè inſcripſit, *Decreta Eccle-*
» *ſiæ Gallicanæ*, & ex altero, quem edidit Gal-
» licè, *De iuribus, & priuilegijs Eccleſiæ Galli-*
» *canæ*.

Laurentius Bochellus.

Reſpondeo. Antequam ad particularia teſtimonia reſpondeam, operæ pretium facturus mihi videor, ſi paucis de opere ipſo, quod ſentio, exponam.

Cenſura libri.

Inſcriptio eſt, *Decreta Eccleſiæ Gallicanæ*; ſed mirum erit, ſi Eccleſia Gallicana magnam partem horum decretorum diutius tolerare poterit.

Iacobus Thuanus.

Nam in ipſo primo libro, tit.1.cap.40. & lib.8.tit.58.c.6. inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ ponuntur quædam ex hiſtoria Iacobi Thuani, quæ non ſolùm falſa, & in ſe erronea ſunt; ſed etiam contraria rebus geſtis Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum.

Claudius Eſpencæus.

In eodem 1.lib.cap.10.& in toto opere ponuntur, quaſi decreta Eccleſiæ Gallicanæ multa ex commentarijs Claudi Eſpencæi in epiſtolam ad Titum, quæ commentaria ob erroneam, periculoſamque doctrinam notata ſunt in Indice librorum prohibitorum, & donec correcta fuerint, vetita.

Reges Franciæ ſubiacent excommunicationi.

In lib.2. tit.16. rubrica eſt, Reges Franciæ, & eius Officiales excommunicationi, & interdicto non ſubiacere. Et in toto titulo ponuntur ſcripta ad ſchiſma excitandum, id eſt, Eccleſiam Gallicanam à matre Eccleſiarum ſeparandam aptiſſima. At certè alia ſemper in hodiernum vſque diem fuit Chriſtianiſſimorum Regum Franciæ mens, fideſque. S.Gregorius I. cognomento Magnus, ſub pœna excommunicationis, & priuationis Regni, ac Principatuum prohibuit Regibus, & Proceribus Galliæ, primum, ne Auguſtodunen. Zenodochij: Iterum ne S.Medardi Monaſterij priuilegia à ſe conceſſa; violarent; Rex, & Regina Pontificis poteſtatem agnouerunt, ſententiam ad ipſorum preces latam approbarunt, acceptarunt, & ſubſcripſerunt. Zacharias Pontifex Childericum Regem, cognomento ſtupidum regnandi iure deiecit, Proceres, ac populum ſacramento fidelitatis ſoluit, Regnum ad Pipinum tranſtulit, vniuerſa in Gallia fieri petiuit, & factum approbauit. Sanctus Gregorius VII. Philippo I. ſceleratè, auareque in Eccleſias ſe gerenti excommunicationem, & Regni priuationem comminatus eſt, vt videre eſt lib.1. epiſtolarum eius, epiſt.35.& lib.2. epiſt.18. quæ eſt ad Gulielmum Comitem Pictauien. Nec Rex ipſe, nec Proceres ſibi iniuriam fieri queſti ſunt, aut exemptionem prætenderunt; imò Rex miſſis ad Pontificem Legatis, ac litteris pollicitus eſt in eius ſe futurum poteſtate, vt conſtat ex epiſt.75.lib.5. Vrbanus II. eundem Philippum I. ob repudiatam ſuam legitimam, & ereptam alteri coniugem, ſibique ſacrilego matrimonio iunctam excommunicauit, ac regnandi iure deiecit. Valuit apud Regem, Regnumque Pontificis ſententia, adeò vt emendatione, & promiſſa, & præſtita, non ante deſtiterit, quam abſolueretur. *Philippus Rex Galliarum* (inquit Bertholdus Conſtantien. qui tum vixit, & quæ vidit, ſcripſit) *iamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem Domino Papæ, dum adhuc in Gallijs moraretur, ſatis humiliter ad ſatisfactionem venit, & abiurata adultera in gratiam receptus eſt, ſeque in ſeruitium Domino Papæ promptum exhibuit.* Idem Philippus in idem crimen relapſus, rurſumque à Paſchali II. & communione Eccleſiæ, & honore ac diademate regio priuatus eſt. Iterum magno labore abſolutionem à Paſchali II. obtinuit. Qua de re vide Papyrium Maſſonium in Annalibus, & Card. Baron.tom.11. ad ann.1099. & tom.12.ad ann. 1104. Porrò tantum valuit tum in Gallia Rom.Pontif. auctoritas, ac religio anathematis, vt antequam Rex eiecta pellice à Sede Apoſtolica, & Eccleſiæ, & regno redderetur, Tabelliones tota Gallia in conficiendis publicis tabulis, prætermiſſo Philippi nomine, ab ijs verbis initium fecerint: *Regnante Ieſu Chriſto D.N.* cum aliàs ſic conſueuiſſent incipere, *Regnante Philippo*, &c. Refert Nicolaus Vignerius in Summario hiſtoriarum Francicarum.

Theodoricus Rex, Brunichildis Regina Galliæ.

Philippus I. Rex Galliæ. Bertholdus Conſtantien.

Bonifacius viij. excommunicauit Philippum iv. cognomento Pulchrum, & de Regno depoſuit. Rex etſi vitæ fuit non adeò probatæ; attamen non auſus fuit, negare Pontificiam poteſtatem; ſed agnita poteſtate ſententiam iniuſtam eſſe proteſtans ab ea appellauit, & Bonifacio mortuo à Benedicto Decimo abſolutionem petijt, & obtinuit.

Philippus 4. Pulcher.

Vide

Digitized by Google

Vide Nauclerum, & Genebrardum in Chronicis.Item Sanctum Antoninum part.3.tit.vigeſimo §. 20.

Henricus 3.

Cum Henricus iij. Valeſius Ludouicum Cardin.& Henticum Duces Guiſios per ſicarios interſeciſſet,Carolum Borbonium, Card. Petrum Archiepiſcopum Lugdunen. & alios Principes viros vinculis conſtrictos detineret, in Sorbonico Collegio concluſum fuit, licere populo Gallico, vtpote omni ſacramento ſoluto iu Regem arma capere, eiuſque rei confirmationem ab Apoſtolica ſede impetrare enixe laborarunt. Refert Laurentius Beyerlinck in Chronico ad ann.1588. Non hic diſputo, recte nè ſtatuerint Sorboniſtæ in Regem, an non: hoc tantum dico, in ea fuiſſe ſententia Reges Galliæ ſubiacere iudicio, & anathemati Pontificio. Quid multa? Sixtus V. Pontifex excommunicauit, & ad ſucceſſionem Coronæ Regni Gallici inidoneum declarauit Henricum Borbonium Regem Nauarræum. Approbauit Gallia ſententiam Pontificis, & paruit, nec ante Nauarræum, etſi vi & armis vrgeretur ad Diadema admiſit, quam ad Catholicam Religionem ſeriò reuerteretur.

Henricus 4.

Rex ipſe, vt fortitudine, ita prudentia nulli ſecundus, & Dei gratia illuſtratus, atq; ad gremium S. Matris Catholicæ Romanæ Eccleſiæ redire omni affectu deſiderans, poteſtatem Vicarij Chriſti agnouit, abſolutionem ad excommunicatione ſumma animi demiſſione, diuerſis vicibus inſtanter petijt, nec deſtitit, donec à Clemente viij. Vrbe, Orbe inſpectante, & congratulante abſolueretur, atque ita ſe haauit, vt ſuo merito cognomentum Magni, ob res præclarè geſtas à ſuis: titulum Chriſtianiſſimi, à Summo Pontifice conſecutus ſit.

Itaque Bochellus Reges Franciæ à poteſtate Romani Pontificis eximere conatur; Reges ipſi ſe, vt debent ſubijciunt, & ſubiectos eſſe libenter, ac vltrò confitentur, atque, vt *Chriſtianiſſimos* decet, etiam gloriantur. Multum equidem Bochello debent Chriſtianiſſimi Reges Franciæ, quos vt eis aduletur, è numero ouium Chriſti, & filiorum Eccleſiæ, adeoque è libro vitæ eadem opera delere nititur. Manet enim immotum oraculum Chriſti omnes ſine exceptione includens; *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

Matt. 18.

Atque vt magis mirere Lector, idem Bochellus, qui tit. 16. contendit, Regem Francorum non poſſe excommunicari: tit.18. cap.17. probat Henricum iv. Regem iuſtè, & Canonicè fuiſſe abſolutum ab excommunicatione.

Agobardus hæreticus.

In lib.4.tit.4.cap.16. ponit inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam Agobardi; de cultu imaginum, planè hæreticam, qualem nunc Caluiniſtæ tradunt proinde inſignem iniuriam facit Eccleſiæ Gallicanæ, dum ſine iudicio decreta colligit.

Jn lib.5.tit.4. cap.4. Ponit inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ, hæretica dogmata ex eodem Agobardo: vt quod in eccleſia adminiſtranda plus poſſit Jmperatoria Maieſtas, quam Pontificia: & quod Epiſcopus obedire magis debeat Cæſari, quam Pontifici.

Conciliabulum Piſanũ.

Eodem lib.5.tit. 20. cap. 40. ponit inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ epiſtolam Conciliabuli Piſani contra Julium Secundum, quod Conciliabulum illi ipſi abiurarunt, qui congregauerunt, & prætrea reprobatum eſt ab Eccleſia Catholica in Concilio Lateranen. ſub Iulio II. Seſſ.2.& 3. Sed Bochellus nullas quiſquilias omittere voluit, quæ aliquo modo ad iniuriam ſedis Apoſtolicæ pertinerent.

Venio nunc ad particularia.

Ioan. Tanquarellus.

Primùm producit Aduerſarius decretum Parlamenti, quo reprehenſa eſt ſententia cuiuſdam Ioannis Tanquarelli, quæ ſic habebat; *Papa Chriſti Vicarius, Monarcha ſpiritualem, & temporalem habens poteſtatem, Principes ſuis præceptis rebelles regno, & dignitatibus priuare poteſt*, Apud Bochellum de decretis Eccleſiæ Gallicanæ, lib.5. tit.4. cap.6.

Parlamentũ Pariſien.

Reſpondeo Primo. Hoc decretum Parlamenti nihil pro Aduerſario facit. Nam quando iſtud contingebat, Gallia à ciuilium bellorum religionis cauſa excitatorum tumultibus vix dum reſpirabat, ſic, vt recenti adhuc maderet ſanguine, & omnium calerent animi; hæretici, quibus plus nimio abundabat, ad omnem calumniandi occaſionem intenti erant, etiam magis ſolito, quod recenti Regis conuerſione acceptum vulnus nec dum digerere poſſent. Tanquarellus abſolutè pronuntiabat, *Papam habere ſpiritualem, & temporalem poteſtatem, & poſſe Principes præceptis ſuis rebelles regno, dignitatibuſque priuare*; quod à maleuolis in eum ſenſum accipiebatur, quaſi Papa non ſolum ſit Princeps ſpiritualis Eccleſiæ vniuerſæ, ſed etiam temporalis omnium Regnorum, ita, vt alij, qui dicuntur Reges, non verè ſint Reges, ſed adminiſtri Pontificis; &. ideò pro quacunque inobedientia poſſint à Pontifice Regnis, & dignitatibus priuari, quem ſenſum nos ſine dubio improbamus. Re ad ciuiles Magiſtratus delata, qui periculoſis Reipub. temporibus leuiſſimis etiam ſuſpicionibus vehementer commoueri ſolent, ac ſua decreta ad Pacem politicam, ac præſentem Reipub.ſtatum magis, quàm ad diuini iuris normam dirigere, Tanquarellus non mulctatus, aut reprehenſus, ſed theſim ſuam explicare iuſſus eſt. Quod autem Papa Princeps Spiritualis Eccleſiæ totius, per Spiritualem poteſtatem ſuam, cui temporalis poteſtas Principum terrenorum ſubiecta eſt, vt corpus animæ poſſit Reges hæreticos, aut Schiſmaticos, aut alia de cauſa Religioni pernicioſos excommunicare, & regnis, ac dignitatibus priuare; Parlamentum certè negare non poteſt, niſi velit receptæ per omnes ætates in Gallia fidei, vt exemplis demonſtrauimus, & plurimis, clariſſimiſque Doctoribus Gallis, quos ſupra enumerauimus, & multis Conciliorum etiam generalium decretis repugnare.

D. Thom.

Equidem D. Thomas in Academia Pariſien. libros Sententiarum publicè exponens, 2. ſent. diſt. 44. in fine, & viua voce docuit, & ſcriptum poſteritati reliquit, *in Papa eſſe apicem vtriuſque poteſtatis Spiritualis, & temporalis*. Idem D. Bonauentura S. Thomæ æqualis, idemque Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, in lib. de Eccleſiæ Hierarchia, par. 2. cap. 1. Vtriuſque Magiſter Alexander Alenſis p. 4. qu. 10. in explicatione Canonis Miſ-

S. Bonau.

Alex. Alen.

ſiæ, & p.4. qu. 79. Ægidius Romanus S. Thomæ auditor, & Archiepiſcopus Bituricenſis tract. de poteſtate Eccleſiæ, p. 1. c. 30. innumerique alij eruditi illius ſæculi diuerſis ex nationibus Scriptores Pariſijs didicerunt, & docuerunt, ſi recentiora deſideramus; idem Iacobus Almainus natione Gallus, idemque Pariſien. Theologus Franciſco I. Galliæ Rege tract. de poteſtate qu. 2. cap. 5. Pariſijs docuit, ac typis mandauit, Remundus Ruffus contra Molinæum cap. 6. pag. 166. an. 1551. Henrico II. Galliæ Rege Pariſijs publicauit, quis eis tota Gallia Theologus, Politicus litem hac de cauſa mouit? quis reprehendit? Non credendum igitur hanc ſententiam, quam Gallia cum Catholica Religione accepit, retinuit, ſine omni cuiuſquam Catholici reprehenſione, magna etiam omnium cum laude defendit, nunc à Parlamento Catholico, & ſapientiſſimo damnari.

Iacobus Almainus.

Remundus Ruffus.

Reſpondeo tamen ſecundo. Iudicium ac cenſura de doctrina eccleſiaſtica non ad Parlamentum, ſed ad Epiſcoporum Concilium, ac præcipuè ad Summum Pontificem pertinet. Proinde cum ex Concilijs Epiſcoporum, quibus Vicarius Chriſti præſedit, ſatis conſtet, Principes terrenos in certis caſibus à Summo Pontifice poſſe deponi, non eſt attendendum, quid parlamenta decernant, niſi claues eccleſiæ, quarum altera, *ſcientia clauis*, dicitur, non S. Petro, eiuſque ſucceſſoribus; ſed parlamentis Regum terrenorum à Chriſto datas fuiſſe probetur.

Clauis ſcientia.

Producit deinde Aduerſarius ex eodem Bochello lib. 5. tit. 20. cap. 45. teſtimonium Cardinalis de Pelleue, aliorumque Prælatorum, qui in Conuentu Ordinum Pariſijs anno Domini 1595. Decretum Concilij Tridentini Seſſ. 25. cap. 19. quo duelli permiſſio Regibus prohibetur, admittere noluerunt, immò his verbis repudiauerunt; *Concil. Tridentinum excommunicat, & priuat Regem ciuitate illa, vel loco, in quo permittit fieri duellum. Hic articulus eſt contra auctoritatem Regis, qui non poteſt priuari ſuo dominio temporali, reſpectu cuius nullum omninò Superiorem recognoſcit.*

Cardin. de Pelleue.

Duellum.

Reſpondeo. Cardinalem de Pelleue, alioſque Prælatos id dixiſſe, quod Bochellus ſcribit, non eſt credibile. Nam Concilium Tridentinum non ſtatuit, vt Principes abſolutè priuentur ciuitate & loco, vbi duellum permiſerint: ſed cum reſtrictione, vt *priuentur ciuitate, caſtro, aut loco, quem ab Eccleſia obtinent: vel quem in feudum habent*: proinde Concilium non loquitur de Rege Francorum aut alijs Regibus abſolutis, niſi velit Bochellus, Regnum Franciæ donatum eſſe Regibus ab eccleſia, aut Regem non eſſe directum Dominum, ſed Feudatorium Magnæ igitur imprudentiæ, & malignitatis fuiſſet Sac. Concil. verba tam odioſè deprauare, vt deprauauit Bochellus; quod de Cardinali de Pelleue, cæteriſque Prælatis præſumi non debet.

Conc. Trid.

Tertiò producit Aduerſarius teſtimonium Iacobi Leſchefferij apud Bochellum, l. 4 tit. 21. cap. 1. qui dicitur ſcripſiſſe, neque Papam neque totum omninò Clerum *ius habere de vlla re temporali ſtatuendi*, multò minus de vllo Regno, ſeu Imperio ſupremo.

Iacobus Leſchefferius.

Reſpondeo. Tanta eſt huius ſententiæ abſurditas, vt mirum ſit, quod vel Leſcheſſerio, vt Bochello excidere potuerit: ideò non moleſtè feret Aduerſarius, ſi Scriptores huiuſmodi contemnamus. Dicit auctor ille, nec Papam, nec totum Clerum ius habere de vlla re temporali ſtatuendi. At certè ſtatuit Apoſtolus, qui de Clero erat, vt Corinthij non deferrent lites ſuas temporales, & ciuiles diiudicandas tribunalibus Ethnicorum 1. Corinth. 6. ſtatuit Concilium Carthaginen. III. aliaque Concilia antiqua permulta, vt Clerici pro ciuilibus, vel criminalibus cauſis, vtique temporalibus, iudicia Sæcularia non adirent. Statuit Concilium III. Romanum ſub Symmacho Papa, laicis nullum eſſe ius ſuper bona temporalia eccleſiarum, *quorum bonorum temporalium ſolis Sacerdotibus* (inquit Synodus) *diſponendi indiſcuſſè, à Deo cura commiſſa docetur*. Atqui Concilium hoc eſt vnum ex antiquis, quæ eccleſia Gallicana non reſpuit: & tamen prohibet laicis, & concedit clericis ius diſponendi de temporalibus eccleſiæ facultatibus. Et paulò ante oſtendi, multos Pontifices & Sanctos, & doctos ſtatuiſſe de regno Galliæ, vt Gregorium Magnum, Zachariam, Gregorium VII. Vrbanum II. Paſchalem II. &c. Vide etiam, quæ diximus ſupra ad num. 3.

Clericis ſus ſtatuere de temporalib.

1. Cori 6. Conc. Carthaginen. 3.

Conc. Rom. 3

Quartò producit Petrum Pithæum in Codice, quem collegit, libertatem eccleſiæ Gallicanæ in quo haberi dicit, libertatem eccleſiæ Gallicanę duabus niti maximis, quas Francia ſemper, vt certas approbauit, quarum prima eſt; Summos Pont. non poſſe aliquid præcipere, aut ſtatuere ſiue in generali, ſiue in particulari; quod attinet ad res temporales, in locis, & terris ſupremo Regum Chriſtianiſſimorum dominio ſubiectis, & ſi quid præceperint, aut ſtatuerint, non teneri eorum ſubditos, tametſi ſint clerici, Summis Pontificibus eam ob cauſam obedire.

Secunda eſt, Regnum Franciæ eiuſque pertinentias, dare in prædam Papa non poteſt, neque eo Regem priuare, aut alio quouis modo diſponere: & non obſtantibus quibuſcunque monitionibus, excommunicationibus, vel interdictis, quæ à Papa ferri poſſunt, ſubditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi præſtare tenentur, neque in ea per Papam diſpenſari, aut abſolui poſſunt.

Reſpondeo. Petrum Pithæum Antonius Poſſeuinus in apparatu ſuo commendat, *vt virum eruditum, & antiquitatis ſedulum perquiſitorem*, omniaque eius opera, adeoque obitum commemorat: at huius Codicis, quem Aduerſarius citat, nullam planè facit mentionem, & fateor me nunquam vidiſſe. Sed cuiuſcunque ſit ille codex, manifeſtè falſum eſt, duas illas maximas ſemper fuiſſe, vt certas, à Francia approbatas. Repugnat enim primum Concilium Claromontanum, in quo ab Vrbano II. Philippus I. eſt excommunicatus, honoreque, & diademate regio ſpoliatus, de quo vide Iuonem Carnoten. in epiſt. 28. ad Vrbanum II. Pontificem. Repugnant ſecundò exempla Gregorij Magni, Zachariæ & aliorum Pontificum paulò antè, & ad num. 3. allegata. Repugnant tertiò Franci Scriptores celeberrimi ad num. 3. argum. 4. ſuprà allegati.

Petrus Pithæus.

Francia non eſt exempta ab obedientia Pontificis.

Denique repugnat ratio, repugnant ipſa

ſa

Digitized by Google

ſa fidei Catholicæ principia. Nam ſi Subditi Regis Francorum obedire tenentur Regi excommunicato, & ab hac obedientia per Papam abſolui non poſſunt: ſequitur aut Regē Francorum à Chriſti Vicario vinculo excommunicationis ligari, aut ſubditos eius à vinculo fidelitatis, & obedientiæ ſolui non poſſe. Vtrumque repugnat verbis Chriſti, qui Vicario ſuo dixit; *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*: neque excepit Dominus Regem Francorum, aut ſubditos eius, quis autem exceperit, neſcio: hoc ſcio, neminem potuiſſe iure excipere, & quicunque voluerit clauibus eccleſiæ ſubiectus non eſſe, illum ſcio, & clara voce pronuncio, neque Chriſtianum velle eſſe, neque ad Regnum Chriſti pertinere poſſe.

At, inquies, Iure diuino tenentur ſubditi obedire Principi ſuo: non autem poteſt Vicarius Dei diſpenſare in iure diuino.

Reſpondeo. Iure diuino tenentur ſubditi obedire Principi ſuo, dum Princeps eſt, ſiue dum eius auctoritas ſublata, aut ligata non eſt. Non eſt autem de iure diuino, vt Princeps non poſſit principatum amittere, neque vt eius auctoritas ligari aut minui, vel tolli non poſſit. Certè iure diuino tenentur liberi obedire parentibus: & nihilominus iuſtis de cauſis paterna poteſtas à ſuperiori poteſtate ligari, minui, tolli poteſt. Iure diuino tenemur cuique ſuum reddere: at à ſuperiori poteſtate iuſtis de cauſis poteſt alteri ſuum detineri, immò prorſus auferri. Quod ſi iſta ob bonum ciuile tranſitorium, & pacem politicam temporalem à ſæculari, ſiue humana poteſtate fieri poſſunt, ſine præiudicio iuris diuini: cur non poterit poteſtas diuina, ſupernaturalis, ſpiritualis propter vitam æternam, honorem Dei, & ſpirituale bonum, ſi id aliter defendi, & conſeruari non poſſit, poteſtatem humano iure introductam, qualis eſt omnium Principum terrenorum, vt in examine præfationis oſtendimus, ligare, minuere, tollere?

Num. 33. producit Aduerſarius vltimū teſtem ſuum, Ioannem Trithemium, qui in Chronico Monaſterij Hirſaugien. ad an. 1106. dicit, *Scholaſtici certant, & adhuc ſub Iudice lis eſt, vtrum Papa Imperatorem poſſit deponere*: ex quo deducit Aduerſarius, rem hanc non ad fidem Catholicam, ſed ad opinionem probabiliter diſputantium pertinere.

Ioan. Trithemius Scholaſtico.

Reſpondeo. Si Trithemius per Scholaſticos intelligit eos, qui ſacram Theologiam Scholaſticè pertractant, vt S. Thomam, S. Bonauenturam, Ægidium, Durandum, & alios: manifeſtè fallitur; nec mirum eſt, ſi fallatur, cum eam diſciplinam ipſe non calleret. Sin autem Scholaſticos vocat Grammaticos, Hiſtoricos, Poetas, aliquid dicit. Verè enim de hac re certant Grammatici, vt Valla; hiſtorici, vt Sigebertus; Poetæ, vt Dantes. Sed etiamſi iſti certent, & adhuc eorum opinione ſub Iudice lis ſit: non tamen certant doctiſſimi Theologi, & Iureconſulti, qui ſacras litteras, & veneranda Eccleſiæ Catholicæ Concilia nouerunt. Apud hos enim, quamuis certamen ſit de modo, quo id Sum. Pont. facere poſſit: nulla tamen quæſtio eſt; an poſſit. Et quid opus eſt, Trithemium conſulere, qui in hiſtoria ipſa, quam profitetur, ſæpè lapſus eſt, vt Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſuo annotauit: cum habeamus communem ſententiam Doctorum, & Conciliorum decreta, quæ rem perſpicuam faciūt? Hinc facilè ſatisfit admirationi Aduerſarij, dum ſic loquitur.

Num. 34. *Miror*, inquit, *ob quam cauſam Card. Bellarminus, dum præſentem controuerſiam in lib. 5. de Romano Pontifice ex profeſſo tractet, & in cap. 1. quæſtionem proponat, & ſententias recenſeat, ne vnum quidem Scriptorem Catholicum in fauorem huius ſecundæ ſententiæ, quam tamen multi Catholici iam citati tuentur, proferat*, &c.

Reſpondeo. Quomodo citaſſet Card. Bellarm. pro iſta ſecunda ſententia Catholicum Scriptorem, cùm nullum inuenerit, qui expreſsè ſcripſerit; Non poſſe à Summo Pontifice Regem deponi, neque abſolutè, neque in ordine ad ſpiritualia; vel ſaltem id facere, vnde depoſitio certò ac neceſſariò reipſa ſequatur? Citauit Aduerſarius pro ſua ſententia Gulielmum Occamum, Ioannem Pariſien. Dantem Aligherium, Iacobum Almainum, Ioannem Maiorem, Hugonem, Michaelem Wlcurunum, Albericum, Gloſſam ad cap. *Quoniam*, diſt. 10. Antonium de Roſellis, Tertullianum, S. Ambroſium, S. Hieronymum, Otthonem Friſingen. S. Gregorium Turonicum, Conſtantinum Harmenopulum, Ninianum Winzetum, item qui dicunt ad eccleſiam non pertinere gladium materialem, aut corporalem vindictam facere, ſed ſpiritualem, S. Auguſtinum, Nicolaum, Ioannem, Cæleſtinum Pontifices, Gratianum, Alexandrum Aleu. Petrum Damiani, S. Gregorium Nazianzenum, S. Bernardum, S. Gregorium M. Petrum Gregorium Tholoſanum, Sigebertum, Vincentium Beluacen. Nicolaum Cuſanum, Gulielmum Barclaium, Scriptorem Anonymum Anglum, Anglicè ſcribentem, Laurentium Bochellum, Parlamentum Pariſienſe, Cardin. de Pelleue, Iacobum Leſcheſſerium, Petrum Pithæum, Ioannem Trithemium. Omnes 40.

Auctores ab Aduerſario citati.

Ex his noſtræ ſententiæ ex profeſſo ſunt, & expreſsè teſtimonium dicunt contra Aduerſarium, S. Gregorius M. Romanus lib. 11. epiſt. 10. & lib. 12. poſt epiſt. 31. & alijs plurimis locis. S. Bernardus, Alexand. Alen. p. 4. qu. 10. in explicat. Canonis Miſſæ, & qu. 79. Ottho Friſingen. lib. 5. hiſt. c. 23. & lib. 6 cap. 34. 35. 36. Hugo lib. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 41. Locis verò ab Aduerſario citatis nihil dicunt, quod ad rem præſentem faciat. Item Iacobus Almainus, Nicolaus Cuſanus, Petrus Gregorius Tholoſanus, Gloſſa cap. *Quoniam*, diſt. 10. Michael Wlcurunus, Ioannes Pariſien. Antonius Roſellus, Gulielmus Occamus. Omnes tredecim.

Porro plerique alij quæſtionem noſtram non attingunt, & ab Aduerſario per vim in numerum teſtium ſuorum coacti ſunt, tametſi teſtimonium nullum dixerint, vt Tertullianus S. Ambroſius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Gregorius Nazianzenus, Nicolaus I. Ioannes VIII. Cæleſtinus III. Gratianus, item quotquot docent ad eccleſiaſticos non pertinere, exſerere gladium materialem, aut corporalem inferre vindictam. S. Gregorius

Turonicus, Vincentius Beluacen. Conſtantinus Harmenopulus, Nicolaus Winzetus; Petrus Damiani, parlamentum Pariſienſe. Omnes quindecim. Reſtant decem, Dantes Aligherius, Albericus de Roſate, ſiue Roxiatus, Sigebertus, Scriptor Anonymus, qui Anglicè ſcripſit Apologiam Proteſtantium pro Romana Eccleſia, Cardinalis de Pelleue, Petrus Pithæus, Gulielmus Barclaius, Laurentius Bochellus, Iacobus Leſcheſſerius, Ioannes Trithemius.

Dantes Alighertus. *Albericus & Sigebertus.*

Ex his Dantes fuit Poeta, & Monarchia eius ab Aduerſario citata, ab Eccleſia Catholica proſcripta eſt. Albericus titubans, & omnino dubius loquitur. Sigebertus & Schiſmaticus fuit, & Hiſtoricus, non Theologus, aut Iureconſultus: eius libri contra Gregorium, & Paſchalem Pontifices, ab Eccleſia Catholica damnati ſunt. *Anonymus Scriptor.* De Anonymo Scriptore Anglo, & ipſe iudicare non poſſum, cùm lingua ſcripſerit mihi incognita, & ex alijs intelligo, nihil eum contra Catholicam doctrinam ſcripſiſſe. *Card. de Pelleue.* Cardinalem de Pelleue verba Concilij Tridentini ita imprudenter, & malignè deprauaſſe, vt Bochellus fingit, non eſt credibile. Figmentum ideſt, vel Bochelli vel eius, ex quo Bochellus accepit. *Petrus Pithæus.* Petri Pithæi liber à Bochello citatus, ne Poſſeuino quidem viro docto, & accurato, cognitus fuit: & veriſimile eſt ſuppoſititium eſſe. *Guliel. Barclaius.* Gulielmum Barclaium, Rochellum, Leſcheſſerium, non potuit Bellarminus citare, cum needum eorum libri, tum fuerint in rerum natura, nec verò pro Catholicis citare debuit, cum ſequantur, & defendant damnatam ſententiam Marſilij de Padua hæretici. Ioannes Trithemius extra cancellos ſuæ artis tranſiliens manifeſtè erroris redargutus eſt.

Paucitas auctorum contraria ſent.

Quinque igitur duntaxat Auctores ab Aduerſario citati indubitatè, & ex profeſſo cum ipſo ſentiunt, Dantes Poeta, Sigebertus Schiſmaticus, Barclaius, Bochellus, Leſcheſſerius moderni homines qui ſequuntur, & defendunt damnatam ſententiam Marſilij de Padua hæretici.

Certitudo Catholica ſententia.

Nos ſuprà allegauimus primùm, verbum Dei ab Eccleſia declaratum, quod infallibilem fidem facit.

Secundò, quatuordecim Concilia; quæ omnia à Summo Pontifice ſunt approbata, immò quibus omnibus ipſe Romanus Pontifex per ſe præſedit; excepto vno, vel altero, quibus per Legatos præfuit, in quibus innumeri affuerunt omnis ſtatus & ordinis homines, Pontifices, Epiſcopi, Imperatores, Reges, Principes, Legati, Oratores, Abbates, Superiores Ordinum, Doctores Theologi, Iureconſulti. In horum vno, vt in Romano ſub Gregorio VII. formaliter definitum, & concluſum fuit, quod Sedi Apoſtolicæ liceat Reges, ac Imperatores deponere. In duobus iiſque generalibus, vt in Lateranen. ſub Innocentio III. cap. 3. & Lugdunen. (vnde exſtat cap. 1. de homic. in 6.) fuit præceptum, vt Principes hoc vel illud faciant, ſub comminatione pœnæ priuationis principatuum temporalium à Summo Pontifice infligendæ. In tredecim Reges vel Imperatores Principatibus ſuis per ſententiam Pontificis & Concilij vel omnino, vel ex parte priuati ſunt. Horum Conciliorum ſingula, multo magis cuncta ſimul, faciunt certam fidem. Alioqui vniuerſa Eccleſia per illa Concilia repræſentata, in doctrina fidei, & præceptis morum poſſet errare, immò de facto in re grauiſſima erraſſet, quæ eſt apud omnes verè Catholicos hæreſis manifeſta.

Neque obſtat, quod quædam Concilia ex ſuprà citatis non fuerunt generalia totius orbis. Primò, quia quædam fuerunt, contra quę nulla poteſt adferri exceptio, aut cauſa dubitandi, quin fuerint generalia, ac per hoc infallibilis fidei. Secundò, quia etiam Concilia particularia Romano Pontifice prę ſidente celebrata, vel ab eo probata ſufficiunt ad veritates fidei declarandas, alioqui plurimæ hæreſes, quæ ſine Concilio generali à Summis Pontificibus, cooperantibus particularibus Concilijs damnatæ ſunt, reuiuiſcere poſſent. De qua re ſic loquitur S. Auguſtinus lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. vltimo. *S. Auguſt.* *Aut verò*, inquit, *congregatione Synodi*, (generalis) *opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi* (generalis) *congregatione damnata, ſit, cùm potiùs rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis exſtiterit atque incomparabiliter plures, quæ vbi exſtiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt. Atque inde per cæteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur.* Hæc ille.

Tertiò allegauimus viginti octo Pontifices, quorum multi non doctrina modo, ſed & ſanctitate, & miraculis claruerunt, qui omnes, Imperatores, vel Reges Principatu & honore ſpoliarunt; quod ſi facere iure non potuiſſent, & in re maximi momenti turpiſſimè erraſſent, & cum ſcandalo totius Eccleſiæ peccaſſent, quod eſt contra promiſſiones à Chriſto, S. Petro, eiuſque ſucceſſoribus factas. Itaque faciunt certam fidem.

Demum allegauimus quinque ſupra octoginta Doctores celeberrimos, variarum nationum, & ætatum Theologos, & Iureconſultos, quorum aliqui non ſolùm doctiſſimi; ſed etiam ſanctiſſimi fuerunt, qui eam ſententiam ex profeſſo tractant, aſſerunt, defendunt.

Nunc cordatus & prudens Lector iudicet, vtris potior habenda fides; vtri ſententiæ adhærendum ſit: immò an non noſtra ſententia omninò fide Catholica tenenda, & contraria, vt temeraria, ſcandaloſa, & planè hæretica damnanda. Vide infra cap. 6. ad num. 117. Hactenus de Auctoribus vtriuſque ſententiæ.

CAP.

Digitized by Google

C A P. I V.

Examinantur quinque rationes, quæ continentur in eius libro, à num. 35. vſque ad num. 64.

ADuerſarius poſtea quam explicauit numerum teſtium ſuorum, id eſt, eorum Scriptorum, qui cum ipſo ſentire videbantur: incipit rationibus agere, & quia Card. Bellarminus, quem ſibi oppugnandum ſuſcepit, lib. 5. de Romano Pontifice cap.7. quinque rationibus Catholicam veritatem ſtabiliuit; totidem Aduerſarius argumenta opponit. Sed quemadmodum paulò antè oſtendimus, ex 40. Scriptoribus, quos protulit, nullum eſſe ſatis idoneum teſtem: ita nunc adiuuante Domino, demonſtrabimus, quinque ipſius argumenta nihil omninò concludere.

Primum Argumentum habetur nu. 35. 36. 37. 38. & 39.

1. Obiectio.

Matth. 16. Ioan. 21.

Primum, inquit, *ſimile eſt illi, quo vtitur Card. Bellarminus lib. 5. de Summo Pontif cap.* „ *3. Si Papa haberet poteſtatem priuandi Principes* „ *ſuis dominijs, iure diuino, deberet id conſtare vel* „ *ex Scripturis, vel ex Apoſtolica traditione: tra-* „ *ditio Apoſtolica nulla adfertur: Scripturæ non* „ *loquuntur de poteſtate temporali; ſed ſolùm de ſpirituali, vt perſpicuum eſt ex illo Matth. 16. Tibi dabo claues Regni Cælorum, &c. Et Ioan. 21* „ *Paſce oues. Hæc enim ſola teſtimonia ex Scrip-* „ *turis adferri ſolent.)*

Pontificis poteſtas formaliter ſpiritualis: virtute ſe extendit ad tēporalia.

Reſpondeo. Aduerſarius ad ſudorem vſque laborat, ac multa verba profundit, vt probet ex his duobus teſtimonijs ſolùm colligi Pontificiam poteſtatem eſſe ſpiritualem: ſed fruſtrà laborat. Non enim id negat Card. Bellarminus, neque nos negamus: ſed vltrò, apertè fatemur, ac dicimus, Pontificis poteſtatem formaliter eſſe ſpiritualem; virtualiter autem eſſe temporalem etiam, ſiue virtute extendere ſe ad temporalia, quatenus bonum ſpirituale requirit.

Card. Beller.

Poſito autem hoc principio, quod ex Scripturis euidenter probetur, Pontificem Romanum, vt S. Petri ſucceſſorem, Chriſtiq; Vicarium vniuerſalem, habere à Deo poteſtatem ſpiritualem ſupremam in omnes homines Chriſtianos, ſiue Principes, ſiue priuatos, ſiue clericos, ſiue laicos; duo ſequuntur; vnum, quod argumentum Card. Bellarmini optimè concludat: alterum, quod argumentum Aduerſarij nihil concludat, ac per hoc non ſint argumenta ſimilia, vt ipſe dicebat. Cardinalis Bellarminus id eo loci probare duntaxat voluit, poteſtatem Pontificiam à Deo immediatè acceptam, non eſſe formaliter temporalem, ſed ſpiritualem: hoc autem eſſe verum, Aduerſarius negare non poteſt, immò ſpontè ac libenter admittit. Argumentum itaque Bellarmini rectè concludit. Porrò Aduerſarius probare volebat, non poſſe Pontificem admiſcere ſe temporalibus negotijs, neque poſſe punire Chriſtianos temporalibus pœnis, & (quod eſt præcipuum) non poſſe Principes ob vllum crimen à principatu deijcere. Hoc autem non probauit: quoniã etſi poteſtas Pontificia in ſe ſpiritualis ſit, extenditur tamen ad temporalia, quatenus ſpiritualibus ſubordinantur. Nam & animus noſter ſpiritus eſt, & ſpiritualem poteſtatem habet; & tamen per eam regit corpus ſibi ſubiectum, & caſtigat corporalibus pœnis, vigilijs, cilicijs, ieiunijs, flagellis. Itaque ſi Bellarminus diceret, Pontificem temporali poteſtate dijudicare Principum crimina, & ijs exigentibus, aliquando principatu eos priuare: Aduerſarius aliquid diceret, quod ad rem faceret, & argumentum ſimile Bellarminiano argumento texeret: ſed cùm dixerit, Pontificem ſpirituali poteſtate vti, cùm Principes principatu priuat ob crimina Spiritualia, & Eccleſiaſtica, vt ſunt in primis hæreſis, & ſchiſma: Aduerſarius aerem verberat, & argumentum Bellarminiano argumento per omnia diſſimile texit. probandum enim illi erat, non poſſe ſpiritualem poteſtatem ſupremam extendere ſe ad temporalia diſponenda, quatenus ad ſpiritualia referuntur, & ſpiritualibus ſubordinantur.

Simile.

Secundum Argumentum continetur num. 40. 41. & 42.

Secundò, inquit, *probatur ratione à priori. Nam poteſtas coercitiua ſpiritualis, & temporalis ſunt ex ſe actibus, officijs, & dignitatibus diſcretæ, atque ab inuicem independentes, duaſque conſtituunt Reſpublicas, & conſequenter diſtincta habent fora, diſtincta iudicia, diſtinctas pœnas: ergò ſicut non poteſt Reſp. ciuilis irrogare pœnam ſpiritualem; ita non poteſt ſpiritualis pœnam infligere temporalem.* “ “ “ “ “ “ “ “ 2. Obiectio.

Reſpondeo. Poteſtas ſpiritualis, & temporalis ſunt diſtinctæ actibus, officijs, & dignitatibus, ſed non ſunt omnino independentes, quando conueniunt in vnum corpus myſticum, quod eſt Eccleſia Chriſtiana: tunc enim vna dependet ab alia; temporalis à ſpirituali: quomodo corpus, & ſpiritus ſunt independentes, quando ſeparatim exiſtunt; illud in Brutis, iſte in Angelis: ſed quando coniunguntur in homine, corpus regitur, & dependet à Spiritu. Idem dicendum eſt de duabus Rebuſp. ſpirituali, & temporali, quæ quando coniunguntur, & efficiunt vnam magnam Rempubl. Chriſtianam, tunc vna ſubijcitur alteri, temporalis videlicet ſpirituali & quamuis habeant diuerſa fora, diſtincta officia, & diuerſas etiam pœnas infligant: non tamen ſequitur, vt ſicut temporalis non poteſt aliquem punire ſpiritualibus pœnis: ita non poſſit ſpiritualis punire aliquem pœnis temporalibus. Nam Reſp. temporalis, quæ inferior eſt, non poteſt manus mittere ad ſpiritualia, ſiue iudicia, ſiue pœnas, quæ pertinent ad Rempubl. ſuperiorem. Sed nihil impedit, quo minus Reſp. ſpiritualis, quæ ſuperior eſt, manus mittat ad temporalia iudicia, & pœnas Reip. inferioris. Neque hoc Aduerſarius, ſi Catholicus eſt, vt videri vult, negare poteſt. Concedere enim debet, poſſe laicos puniri ab Epiſcopo pœna pecuniaria,

Reſponſio. Poteſtas temporalis aliquo modo depender à ſpirituali.

Simile.

Poteſtas ſpiritualis poteſt infligere pœnas tēporales

pœna

pœna carceris, & pœna exſilij, quæ ſunt pœnæ temporales. Id enim habetur in Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. & ſeſſ. 25. cap. 3. nec tamen dicere audebit, poſſe à laicis puniri Epiſcopum pœna ſpirituali, vt excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto. Et quoniam vidit Aduerſarius argumentum ſuum non ſatis firmum, duobus illud fulcris hinc, inde munire voluit.

Conc. Trid.

Et confirmatur, inquit, *hæc ratio, primò, quia iudicia fori Eccleſiaſtici, & ciuilis in cæteris omnibus conuenire queunt, præterquam in pœnarum inflictione: ex qua hæ poteſtates coercitiuæ potiſſimum diſtingui debent. Nam eandem cauſam, ſeu delictum, eundemque modum procedendi, ad vtrumque forum ſpectare poſſe perſpicuum eſt: neque diſcrimen aliquod ſingulare, niſi ex animaduerſione, atque ſupplicio, quod per vtraſque poteſtates ex ſui natura infertur, aſſignari poteſt.*

Confirmatio obiectionis.

Reſpondeo. Hæc confirmatio nihil eſt aliud, niſi concluſionis argumenti ſecundi repetitio, ſiue explicatio, ſiue amplificatio: nam & ibi, & hic nihil aliud dicitur, niſi pœnas temporales ita eſſe proprias poteſtatis temporalis, vt à poteſtate ſpirituali infligi nō poſſint: & contrà, pœnas ſpirituales, ita eſſe proprias poteſtatis ſpiritualis, vt à poteſtate temporali infligi non poſſint, quæ concluſio pro parte priori falſa eſt, vt oſtendimus ex Concilio Tridentino: & paulò poſt oſtendemus, non ſolum recitando verba Cōcilij; ſed addendo etiam aliorum Conciliorum, & Pontificum veterum decreta.

Reſponſio.

Confirmatur, inquit, *ſecundò, quia nulla Reſp. ſi eius naturam ſpectemus, poteſt priuare ſubditum ſuum delinquentem niſi bonis, atque priuilegijs, quæ illius Reip. ſunt propria. Cum igitur bona Reip. ciuilis ſint temporalia, atque Eccleſiaſticæ ſpiritualia: ſicut Reſp. temporalis non poteſt ſubdito ſuo delinquenti bona ſpiritualia auferre; ita nec ſpiritualis poteſt ſubiectos, ſi peccauerint, bonorum temporalium priuatione caſtigare.*

2. Cōfirmatio

Reſpondeo. Reſp. inferior, & ſub ordinata alteri, non poteſt priuare ſubditum ſuum delinquentem, niſi bonis, & priuilegijs ſibi proprijs: at Reſp. Superior priuare poteſt ſubditum ſuum peccantem non ſolùm bonis, & priuilegijs ſibi proprijs; ſed etiam bonis, & priuilegijs Reip. inferioris ſibi ſubordinatæ. Et quoniam in Eccleſia Chriſti Reſp. ciuilis ſubordinata eſt Reip. Spirituali, vt caro ſpiritui in eodem homine: ideò falſum eſt, quod Aduerſarius tam ſæpè repetit; non poſſe Principem Spiritualem in vllo caſu punire ſubditos temporalibus pœnis.

Reſponſio.

Neque id ab vllo homine Catholico aut negari, aut in dubium vocari poteſt. Nam Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 8. *Mulieres*, inquit, *ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, quæ cum adulteris ſiue concubinarijs publicè viuunt: ſi ter admonitæ non paruerint, ab ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur: & extra oppidum, vel diœceſim, ſi id ijſdem ordinarijs videbitur, innocato etiam brachio ſæculari, eijciantur.* Et ſeſſ. 25. cap. 3. *In cauſis*, inquit, *iudicialibus, mandatur omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque dignitatis exſiſtant, vt quandocunque exſecutio realis, vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineāt ſe tam in procedendo, quam definiendo, à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi exſiſtentibus, eo ipſo quod exactæ fuerint, aſſignentur: ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios, aut alienos faciendam; ſiue etiam per priuationē beneficiorum, aliaque iuris remedia procedere, & cauſas definire.* Et infrà. *In cauſis quoque criminalibus, vbi exſecutio realis, aut perſonalis, vt ſuprà, fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum.*

Conc. Trid.

Concubinarij publici.

Neque noua eſt hæc doctrina Concilij Trid. neq; diſſentanea antiquis Conciliorum, Pontificumque decretis.

S. Gregorium 30. Epiſcopi, & vltimo loco Theodoricus Galliæ Rex, & Brunichildis Regina ſubſcripſerunt, non timuit dicere; *Si quis autem Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcumque Sæcularium perſonarum huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, &c. cuiuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur.* Non tepetam cætera decreta, & exempla Conciliorum & Pontificum Principes temporales tēporali pœna depoſitionis à principatu ob crimina punientium; quæ ſupra cap. 3. ad num. 3. arg. 5. & 3. videre eſt; vnum nunc, atque alterum addam. Lucius III. cap. *ad abolendam*, extra de hæreticis, ſtatuit, *vt Comites, Barones, Rectores, & Conſules ciuitatum, qui Eccleſiam contra hæreticos adiuuare recuſant, honore, quem obtinent, ſpolientur, & ad alios nullatenus aſſumātur.* Innocentius III. cap. *vergentis*, extra de hæreticis, iubet hæreticorum ab Eccleſia damnatorum, bona confiſcari, & addit rationem, *vt temporalis*, inquit, *ſaltem pœna corrigat, quem ſpiritualis non corrigit diſciplina.* Idem cap. *Licet*, extra de voto, & voti redempt ſcribit Andreæ Duci, *vt niſi votum adimpleat, paterna ſe nouerit hæreditate indignum, & ius ſucceſſionis in Regno Vngariæ ad minorem Fratrem appellatione poſtpoſita deuoluendum.*

S Gregorius.

Theodoricus, & Brunichildis Galliæ Reges.

Lucius 3.

Innocent. 3.

Hæc igitur, & quæ ſuprà ad num. 3. attulimus, aliaque ſimilia, ſi Aduerſarius legit & recipit, immò ſi vlla ſacrorum Canonum reuerentia tangitur, deſinat deinceps docere, non poſſe poteſtatem ſpiritualem temporales pœnas infligere: quod ſi legit, & deſpicit, deſinat ſe Catholicum ſimulare, & Eccleſiæ Catholicæ hoſtem liberè fateatur.

Tertium argumentum continetur à nu. 43. vſque ad num. 60.

Tertium argumentum, inquit, num. 43. *ſumitur ab incommodis, quod Dialectici ad impoſſibile appellant. Primum autem, & præcipuum inconueniens eſt, quia ſequeretur primùm, Summum Pontificem non ſolum habere iure diuino auctoritatem in ordine ad bonum ſpirituale priuandi Principes ſuis dominijs, verum etiam vita corporali. Secundo ſequeretur, poſſe Papam dare etiā licentiam cuilibet priuato, vt tales Principes in ordine ad bonum ſpirituale per inſidias interficiat ſi alioquin deponi commodè non poſſint.* Conſequentiā fusè probat, n. 44. 45. 46. 47. 48. & 49.

3. Obiectio ab incommodis.

1. inconueniens.

Reſ-

Reſponſio.

Reſpondeo. Tam longa oratione nihil opus eſſe. Quorſum enim hæc omnia tendant, nemo non videt, nec argumenta ſoluere difficile eſt. Tranſeant tanquam ad rem non facientia. Non enim ſemel ſupra laudani præclaram illam, vſuque & praxi receptam ab Eccleſia Magni Leonis ſententiam; Eccleſiaſtica Lenitas Cruentas rufugit vltiones. Multi equidem numerantur Pontifices, a quibus Principes ſæculi excommunicati, imperioque priuati fuerunt: qui antem cædes principum mandauerit, aut per occultos ſicarios occidi procurauerit, nullus inuenietur. Atque vtinam princeps tam ſecuri eſſent à conſpirationibus ſubditorum, vel æmulorum ſuorum, quàm ſunt à mandatis Romanorum Pontificum.

S. Leo M. in epiſt. ad Turbium Aſturicen. Epiſc.

Imperatores Ethnici quot

A Iuliano Cæſare vſque ad Conſtantinum numerantur Imperatores ad ſexaginta, vel circiter, qui pro legitimis habiti ſunt. Alij pauciores numerant. diuerſitas oritur, quod quando duo, vel tres Imperatores ſimul fuerunt, ab alijs pro vno computantur, ab alijs tanquam diuerſi numerantur. Quod ſi illos, qui pro illegitimis, ſiue tyrannis habiti ſunt, addere placet, facilè nonoginta tres, vel plures etiam inuenientur. Ex his omnibus vix quatuordecim propria morte defuncti ſunt: cæteri occiſi leguntur, atque vt plurimum à ſuis, tribus nimirum, aut quatuor exceptis. Poſt ea tempora, cùm Imperatores iam Chriſtum colere cœpiſſent, pauciores quidem inueniuntur occiſi, at non pauciſſimi; Ex Regibus quoque omnium nationum, non gentilibus modò, ſed & Chriſtianis (licet ex his, quàm ex illis pauciores) ſatis multos numerare poſſumus à ſuis interfectos, quod latè proſequitur Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ tom. 1. lib. 12. ſigno 53. cap. 7. & aliquot ſequentibus, & tom. 2. lib. 23. ſigno 97. cap. 4. & ſequentibus.

Thomas Bozius de ruinis gent. lib. 6. cap. 7.

Imperatores ac Reges à ſuis interfecti.

At Romanorum Pontificum iuſſu, inſtinctuvè non memini vel vnum vnquam cæſum. Quid? Pontifices aut trucidarent ipſi Imperatores, ac Reges; aut trucidandos mãdarent! Nemo Pontifici poteſt eſſe inimicior, nemo Reip. Chriſtianæ perniciosior, quàm Antipapa; ac proinde is iure, ac ſuo merito omnium maximè exoſus. Iam triginta ab aliquibus per annos mille quingentos octoginta numerantur ſchiſmata: in his Antipapæ creati quadraginta plures minus: factæ pugnæ ac cædes à factioſis multæ, & tamen nullus ex iſtis Pontificibus in ſchiſmate electis, tanto annorũ ſpatio ferro ob eiuſmodi ſchiſma interijt, quin etiam quoties Antipapa venit in poteſtatem legitimi Pontificis, nullus ex iis eſt neci datus, immò plerumque honorificè tractatus. Proſequitur id latè idem Bozius de ſignis Eccleſiæ tom. 1. lib. 11. ca. 6. Non eſt igitur quod quiſquam timeat ſore, vt Pontifex aliquis cuiquam Principi cædem machinetur. Non conſueuerunt Summi Pontifices iſta ratione Principes coërcere. *Ipſorum mos eſt* (ait Bellarmin. aduerſus Barclaiſi cap. ſeptimo.) *primùm paternè corripere, deinde per cenſuram Eccleſiaſticam Sacramentorum communione priuare, denique ſubditos eorum à iuramento fidelitatis abſoluere, eoſque dignitate, atque auctoritate Regia, ſi res ita poſtulat, priuare. Exequutio ad alios pertinet. Quare Innocentius Pontifex, cum in Concilio Lugdunenſi Friderico ſecundo imperium abrogaſſet, dixiſſe fertur.; Ego quod meum eſt feci; faciat, & proſequatur ſuper his Deus, quod voluerit. Id refert Matthæus Paris in Henrico tertio, referens acta anni Domini* 1245. *Neque auditum eſt* (inquit rectè idem doctiſs. Bellarmin. in epiſt. ad Archipresbyterum Angliæ) *vnquam ab initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad hæc noſtra tempora, quod vllus Pontifex Maximus Principem vllum, quamuis Hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis perſecutorem, cædi mandauerit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probauerit.* Hæc ille. Quare deſinat Aduerſarius inanibus verbis, vel Principibus Sæculi terrorem incutere, vel Pontificię poteſtati inuidiam conflare. Pontificia poteſtas à Saluatore generis humani in ſalutem, non in perniciem Principum inſtituta eſt. Sed pergamus ad cætera.

Schiſmata.

Secundum inconueniens eſt (inquit nu. 50.) *quia non ſolùm Principes hæretici, ſed etiam qui Epiſcopatus vendunt, Eccleſias diripiunt, aut alia ſcelera committunt, immò qui non eo modo viuunt, quo ſecundum ſtatum ſuum tenentur, poſſent dominijs ſuis temporalibus, per poteſtatem Pontificis ſpoliari: quod ipſemet Bellarminus in quinta ſua ratione ſatis apertè inſinuat, vt inferiùs videbimus.*

2. inconueniens.

Et ſi facinora, quę perpetrant, pœna capitali ſunt digna, atque publica ſunt, & notoria, ac ſpirituali ſaluti, aliorum præſertim, obſunt, poſſunt etiam capitis condemnari, ne dicam iiſdem planè modis, quibus Principes hæretici, è medio tolli.

Reſponſio.

Reſpondeo. Satis artificioſè Aduerſarius rem ita amplificat, vt perſuadere velle videatur meticuloſis hominibus ob quodlibet peccatum veniale poſſe Principes, ſi velit Pontifex, in diſcrimen bonorum omnium, & capitis, ac vitæ vocari. Quæ autem ſint cauſæ, ob quas poſſint Principes deponi: intelligi poteſt ex ſententijs publicè latis contra Henricum IV. in Synodo Romana à Gregorio VII. & contra Fridericum II. in Synodo Lugdunenſi ab Innocentio IV. quæ adeò graues, & multæ ſunt, vt vix poſſit inueniri grauiores. In genere, vt Princeps aliquis à Pontifice excommunicetur, ac regno ſpolietur, grauis omnino requiritur cauſa, atque eiuſmodi contumacia, quæ cum ingenti coniuncta ſit, aut Eccleſiæ totius, aut certè plurimorum malo, eiuſmodi denique, vt ea punitio in ædificationem, non in deſtructionem Eccleſiæ cedat.

Ob quas cauſas Principes poſſint deponi

Quod autem Aduerſarius ex ſcriptis Bellarmini allegat, vnam ex cauſis eſſe, *ſi Princeps non eo modo viuat, quo ſecundum ſtatum ſuum tenetur*: non ſignificat, ſufficere ad Principem deponendum, quodcumque peccatum contra officium admiſſum, vt ſi plus comederit, aut biberit, aut luſerit, quàm Principem deceat; ſed reſtringi debet, & explicari, quemadmodum ab ipſomet Bellarmino in eodem loco reſtrictum, & explicatum eſt. Sic enim loquitur lib. 5. de Pont. cap. 7. in quinta ſua ratione, quem locum Aduerſarius allegauit; *Poteſt, ac debet Pontifex omnibus Chriſtianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum ſecundum ſuum ſtatum tenetur, id eſt, ſigulos cogere, vt eo modo Deo ſeruiant, quo ſecundum ſtatum ſuum debent. De-*

Bellarm.

bent

Regnum Officium.

bent autem Reges Deo ſeruire defendendo Eccleſiam, puniendoque hæreticos, & Schiſmaticos, vt Auguſt. docet in epiſt. 50. ad Bonifacium, Leo epiſt. 75. ad Leonē Auguſtum, & Gregorius lib. 2. epiſt. 61. ad Mauritium. Ergò poteſt, ac debet Regibus iubere, vt hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliaſque commodas rationes. Hæc ſunt formalia verba Bellarmini, quæ eò libentiùs adduxi, quod ab Aduerſario, ſine dubio, vt inuidiam Bellarmino conflaret, detruncata eſſeor.

S. Leo M. in epiſt. ad Turbium Aſturicen. Epiſc.

Ad id autem, quod addit de pœna capitali, iam paulò antè reſponſum eſt. Iſta enim non aliò pertinent, quam ad odium Principum Pontifici conciliandum, alioqui non ignorabat Aduerſarius Eccleſiaſticam (in primis Pontificiam) Lenitatem cruentas vltiones reſugere.

Pergit poſtea ad tertium inconueniens num. 51. & ait;

3. incommodum.

Tertium inconueniens eſt, quia ſequeretur non ſolùm Papam, verùm etiam inferiores Epiſcopos habere quoque in ordine ad bonum ſpirituale poteſtatem Principes hæreticos, aut qui non eo modo viuunt, quo ſecundum ſuum ſtatum tenentur, qui illis in ſpiritualibus ſubiecti ſunt, non ſolum deponendi; verum etiam ob crimina, quæ extremo ſupplicio digna ſunt, vita priuandi, ſi argumentum Card. Bellar. contra dominium Papale directè in temporalibus rectè concludit: Ita enim ipſe argumentatur, ſi Papa eſt Dominus ſupremus totius Orbis Chriſtiani, ergò ſinguli Epiſcopi ſunt Principes temporales in Oppidis ſuo Epiſcopatui ſubiectis. Siquidem id, quod eſt Papa in vniuerſa Eccleſia, eſt quilibet Epiſcopus in particulari.

Reſponſio.

Reſpondeo. Ex hoc argumento, ſi quid efficitur, id efficitur, vt liceat Epiſcopo excommunicare Principem temporalem ſibi ſubiectum; non autem, vt liceat eidem Epiſcopo Principem deponere, ac multò minus, mortis ſupplicio plectere, quamuis enim id ſit Epiſcopus in Eccleſia particulari, quod Papa in vniuerſali, quoad hoc, quod eſt eſſe vere Paſtorem, & Principem Eccleſiæ, non Vicarium, aut adminiſtrum ad tempus: tamen certum eſt, cum maiori poteſtate præeſſe Pontificem Rom. Eccleſiæ vniuerſæ, quam Epiſcopos Eccleſijs particularibus. Atque hoc eſt, quod in Conc. Lateranen. ſub Innocentio III. cap. 3. Epiſcopis mandatur, vt Principes recuſantes purgare ſuam regionem ab hæretica contagione, debeant excommunicare: Sedi autem Apoſtolicæ reſeruatur, vt Principes contemnentes excommunicationem Epiſcopalem principatu priuet, & ſubditos eorum à iuramento fidelitatis abſoluat. Quare argumentum Card. Bellarm. rectè quidem concludit: at argumentum Aduerſarij non rectè concludit.

Epiſcoporum poteſtas in Principes.

Conc. Later.

4. incommodum.

Quartum inconueniens ponit Aduerſarius num. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. & 59. Summa hæc eſt.

Hæc doctrina de temporali poteſtate Papæ, eaque ſuprema in ordine ad bonum ſpirituale, ſub terminis vniuerſalibus propoſita non diſtinctè explicando, cuius generis, & quantum debeat eſſe hoc bonum ſpirituale, videtur præbere anſam perturbandi pacem publicam, & innumeras ſuſpiciones, & terrores animis Principum incutiendi.

Reſponſio.

Reſpondeo. Si quid valeret Aduerſarij querela, poſſemus etiam conqueri de Chriſto, quod in terminis vniuerſalibus dixerit Apoſtolis; *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*, Matth. 18. & non diſtinctè explicauerit, in quibus rebus, & quatenus Apoſtolis ſubditos alligare liceret, inde enim anſa præberi videtur, pacem Eccleſiæ perturbandi, & multas ſuſpiciones, & terrores animis Chriſtianorum incutiendi. Vel ſi Chriſtus reprehendi nequit, quoniam illa intelligi debent ſecundum prudentiam, & caritatem: ita reprehendi non poſſunt Catholici Scriptores, qui in terminis vniuerſalibus docent, poteſtatem Pontificis extendi ad tēporalia, vt habent ordinem ad Spiritualia: & relinquūt particulares determinationes prudentiæ, & caritati.

Matth. 18.

Addo etiam, ſi argumentatio Aduerſarij valeret, poſſe reprehendi populos, qui poteſtatem ſuam in Reges Principes tranſtulerunt in terminis vniuerſalibus, & non diſtinctè explicauerunt, vſque ad quos fines poteſtas Regum, ac Principum extendi debeat: Inde enim anſa præberi videtur perturbandi pacem publicam, & innumeras ſuſpiciones, & terrores incutiendi animis multitudinis, quaſi poſſit Rex propter verba otioſa, vel pro mendacio officioſo ſubditos ſuos bonis, aut vita priuare.

Quod ſi hęc fideles populos non mouēt, certè neque prudentes Principes mouere debent, quæ ab Aduerſario dicuntur. Sunt enim omnino ſimilia.

Quartum Argumentum ponitur num. 60. 61. & 62.

4. Obiectio.

Quartum argumentum dicit Aduerſarius ſumi ex praxi totius Eccleſię ab ipſis primordijs per multa ſæcula. Nuſquam enim in Scriptura Sacra, vel apud antiquos Patres vlla fit mentio de poteſtate vel Pontificis, vel populi Chriſtiani Principes Eccleſiam perſequentes, aut occidendi, aut Principatu priuandi; ſed ad Crucem Chriſti tollendam, & perſecutiones pro fide Chriſti tolerandas, atque ad obedientiam Principibus etiam infidelibus exhibendam, tum Chriſtus ipſe, tum Apoſtoli, tum Sancti Patres vnanimi conſenſu Chriſtianos paſſim adhortantur.

Reſponſio prima.

Donatiſtarū obiectio.

Reſpondeo primo. Quod aliquando reſpondit S. Auguſtinus Donatiſtis, qui querebantur, quod Catholici per Principes Sæculi eos perſequerentur, cùm in Euangelio iubeamur perſecutionem perpeti, non facere, dicente Domino: *Beati, qui perſecutionem patiuntur.* Reſpondit enim Præclarus ille Doctor in epiſt. 50. diuerſa eſſe tempora Eccleſiæ. Initio enim cum Principes idola colerent implenda erat Prophetia illa pſalm. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius* Deinde cum Principes Chriſtum agnoſcere, & colere cœpiſſent, implenda etiam altera pars eiuſdem pſalmi; *Et tunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram; ſeruite Domino in timore & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam.* Itaque initio patiebatur Eccleſia perſecutionem iniuſtam ab Idololatris: & tunc implebatur verbum Domini;

Matth. 5.

S. Auguſtini reſponſio.

Pſalm. 2.

ni; *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. Deinde cæpit facere perſecutionem iuſtam aduerſus hæreticos; & tunc impletum eſt, quod in Pſalmo legimus; *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant: Confringam illos, nec poterunt ſtare; cadent ſubtus pedes meos*. Sic igitur ptaxis Eccleſiæ fuit primis trecentis annis, petſecutionem pati, quaudo non erant Principes, qui Eccleſiam defenderent; ſed ſoli, qui exercereur: poſtea praxis illa introducta eſt, vt Eccleſia per Catholicos Principes reſiſteret infidelibus,& hæreticis,aut alias ſibi perniciosis, ſiue populis, ſiue Principibus. Sic Leo Impetator Iconomachus, iudicante Gtegotio ſecundo Pontifice, vectigalibus Italiæ priuatus eſt. Sic poſtea Henricus IV.& Ftidericus Secundus Eccleſiam perſequentes iudicante Gregorio VII. & Innocentio Quarto Pontificibus ab imperio depoſiti ſunt. Sic medio tempore ad Pontificis imperium Principes Chriſtiani cum ingenti exercitu ad tertam ſanctam de manibus infidelium vel eripiendam, vel conſeruandam proceſſerunt. Er quia hæc res non tantum valet ad oſtendendum, quod principibus Eccleſiam perſequentibus populus Chriſtianus vi & armis poſſit reſiſtere: ſed & ad Pontificis poteſtatem in temporalibus illuſtrandam; affetam huius rei ſummatim aliquot exempla.

Pſalm. 17. — *Leo Iſauricus* — *Henricus 4. Fridericus 2.* — *Pontifices indixerunt bella ſacra pro terra ſancta contra Mahumetanos.*

I. Primum bellum pro terra ſancta indixit Vrbanus Secundus in Concilio Claromontenſi ann. 1095. atque iterum in Concilio Turonenſi ann. 1096. Profecti ſunt in id bellum, ait Fulcherius cap. 4. 600000. milites: Hieroſolyma recuperata,cum tota Palæſtina ann. 1099. poſtquam à Saracenis ann. 463. poſſeſſa fuerat. Inſtitutus primus Hieroſolymorum Rex Godefridus Bullionius Lotharingus: Princeps verò Antiochenus, Boemundus Apulus, qui ſuorum Principaruum inueſtituras à Dagoberto, ſiue Theoberto prius Archiepiſcopo Piſano, qui pro Legato Pontificio expeditioni adfuerat, tum Patriatcha Hieroſolimitano humiliter ſuſcepetuut,vt refert Gulielmus Tytius lib. 9. cap. 15. & dictos Principatus Romanæ Eccleſiæ infeudarunt.

al. Fucherius — *Hieroſolyma recuperata.*

II. Secundum bellum indixit Calliſtus II. in generali Concilio Latetanenſi I. Epiſcoporum DCCCC. & amplius, ann. 1123. Tunc omnes, ait Genebrardus, Papæ bellatunt pto Hieroſolymis ſernandis contta Saracenos.

III. Tetium Eugenium III. indixit an. 1145. cui præfuerunt Conradus III. Imp. & Ludouicus Iuniot Rex Galliæ.

IV. Quartum bellũ indixit Gregorius VIII. atque eo mox mortuo Clemens III. an. 1189. cùm Saladinus Ægypri Sulthanus Hieroſolymam, quam ante 88. annos obtinueramus, nobis turſum eripuiſſet. Præfuerunt ei Fridericus Ænobarbus Imp. Philippus Auguſtus Galliæ, Gulielmus Siciliæ, Richardus Angliæ Reges, &c.

Hieroſolyma rurſum amiſſa.

V. Quintum indixit Innocentius III. in generali Concilio Lateranenſi IV. Patrum M.DLXXXII. inter quos Epiſcopi CDLXXIII. ann. 1215. Ei bello præfuerunt Andteas Patet S. Eliſabethæ, Vngariæ, Ioannes Brennus Hietoſolymotum,& Almericus Cypti Reges: Item Auſtriæ, & Bauariæ Duces. Tum Ioannes Brennus Viennæ Allobtogum Ptinceps à Pontifice Hieroſolymorum Rex creatus; Regnum illud Eccleſiæ Romanæ tributarium fecit, iuramento ſanciens, ne quis niſi à Pontifice deſignatus, eius Regni titulum ſibi vſurparet. Tum quoque Conſtantinopolitanum impetium ab altera exetcitus parte, in pœnam impeditæ clam expeditionis contra Turcas, in Latinorum poteſtatem tedactum, factuſque Imperator Balduinus prius Flandriæ Comes, cuius ſucceſſores illud annis 60. tenuerunt.

S. Eliſabetha — *Conſtantinopolitanum Imperium penes Latinos.*

VI. Sextum indixit Gtegorius IX. cui præfuit Fridericus II. Imp. In eo Hermannus Lantgrauius Thuringiæ, & Haſſiæ, maritus S. Eliſabethæ mortuus eſt, Hieroſolyma ex pacto recuperata, an. 1229. ſiue 1230.

Hieroſolyma iterum recuperata.

VII. Septimum indixit Innocentius IV. in genetali Concilio Lugdunenſi I. ann. 1245. cui bello præfuit Sanctus Ludouicus Rex Franciæ.

S. Ludouicus.

Genebrardus quinque ſacras expeditiones numerat, iiſque has ſeptem includit. Nam ex quarta, quinta, & ſexta vnam videtut conſtituere.

VIII. Octauum indixit Clemens IV. circa an. 1265. qui Carolum D. Ludouici Fratrem Siciliæ, & Hietoſolymorum Regem creauit, & D. Ludouicum iterum expeditioni ducem ptæfecit.

IX. Nono fuit habitum genetale Concilium Lugdunenſe II. præſide Romano Pontifice Gregotio X. Patrum ferè M. ex quibus Epiſcopi erant D. pro terra ſãcta recuperãda, &c.

X. Decimo generale Concilium Viennenſe præſide Clemente V. Epiſcoporum CCC. ann. 1311. præſentibus ttibus Regibus, Gallo, Anglo, & Tarraconenſi fuit pto recuperanda tetra ſancta celebratum.

Quid plura? Omnes ptopè Pontifices ab Vrbano II. primæ ſactæ expeditionis auctore huc vſque toto animi conatu laborarunt, vt Principes Chriſtiani concordibus armis Turcam oppugnarent, nec hoc tantùm, ſed peculiares religioſos ordines militares contra Turcas, & infidos inſtituerunt, aut confitmarunt, qui perpetuò pro religione in armis excubarent. Bozius de ſignis Eccleſiæ tom. 2. lib. 19. ſigno 81. cap. 1. propè finem.

Ordines Religioſorum militares.

Demum ad impetium Pontificis contra hæreticos armati ſunt Ptincipes Catholici aduerſus hæreticos Albigenſes, prædicante Sancto Dominico, & Deo ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, ſub Innocentio Tertio, & Comitatus Tholoſanus, quem nebulones iſti inſederant, debellarori eorum Simoni Montfortio Comiti decreto Concilij Latetanenſis attributus eſt. Hæc eò latiùs referre volui, vt erubeſcat Aduerſarius, dum videt ſe teprehendere tot Pontifices, & Concilia, in quibus vltrà 4000. Patres adfuetunt: vel vt ſaltem prudens Lector animaduertat, quam temere Aduetſatius reprehendat id, quod vniuerſa Eccleſia diuetſis ætatibus approbauit, nimirum licere vi, & armis reſiſtere Ptincipibus Eccleſiam perſequentibus; atque in hac re Pontificem Chriſtianis poſſe impetare.

Simon Montfortius.

Repondeo ſecundo. Non eſt omninò verum, quod Aduerſarius dicit, in Scriptura, vel apud antiquos Patres nullam fieri men-

Reſponſio 2.

E tionem

tionem de poteſtate vel Pontificis, vel populi Chriſtiani Principes Eccleſiam perſequentes, aut occidendi, aut Prncipatu priuandi.

Samuel.

Nam in Scriptura, & apud antiquos Patres legimus, à Samuele Saulem Regem Iudæorum depoſitum, & Dauidem in eius locum ſubſtitutum. Item, Agag Regem Amalec interfectum, 1. Reg. 15. & 16. Domui Dauid

Ahias Silonites. Helias.

ob idololatriam ab Ahia Silonite decem tribus Iſraelis ademptas, & Ieroboam attributas, 3. Reg. 11. ab Helia Reges conſtitutos, & abdicatos non modò in Iſrael, ſed & in Syria 3. Reg. 19. ad verbum vnius ex filijs

Iehu.

Prophetarum Iehu à Principibus in Regem exaltatum, & Regem Ioram non ſolum depoſitum, ſed & occiſum, 4. Reg. 9. Athaliam

Ioiada.

Reginam iuſſu Pontificis occiſam, & Ioas filium Ochozię in regnum euectum 4. Reg. 11. Oziam Sacerdotum officio ſe temerè inge-

Azarias.

rentem, non templo modò, & vrbe ab Azaria Pontifice expulſum, ſed & regni admini-

Ieremias Sacerdos.

ſtratione priuatum, 2. Paralip. 26. Ieremiam Sacerdotem, & Prophetam à Deo *conſtitutum ſuper gentes, & regna, vt euellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ædificet, & planet.*

Machabæi.

Ierem. 1. Fortiſſimos Sacerdotes Machabęos reſtitiſſe Antiocho Regi perſequenti Eccleſiã illius temporis, & multas, ac præclaras victorias de eo retuliſſe. Neque dubitari poteſt, quin Summus Sacerdos Chriſtianorum, vel parem, vel maiorem habeat poteſtatem, quam ſit ea, quæ præditi fuerunt Sacerdotes veteris Teſtamenti. Contulit ei Chriſtus ge-

Matt. 16.

neralem poteſtatem *ligandi, & ſoluendi*, qua vtique poteſtas excommunicandi Reges, & ſubdito à iuramento fidelitatis, & obedientiæ (quando ita bonum Eccleſiæ exigit) abſoluendi continetur. Demandauit ei officium

Ioan. 21.

paſcendi oues ſuas; contulit igitur ei auctoritatem omnia ea faciendi, quæ ad hoc officium rectè exequendum requiruntur: talis autem eſt auctoritas deponẽdi Reges & Principes, quando ij Reip. Chriſtianæ valdè ſunt pernicioſi.

Lucifer Calaritanus.

Certè Lucifer Calaritanus in libro ad Conſtantium Imp. de non parcendo delinquentibus in Deum, ex multis exemplis Teſtamenti veteris, quæ fuſiſſimè ipſe perſe-

Conſtantius Imp.

quitur, demonſtrat, Conſtantium Imp. vt hæreticum, & ſacrilegum mortis ſupplicio dignum fuiſſe, ſed non habuit tunc Eccleſia Principem Catholicum, quem hæretico Imperatori opponeret,

Conſtans Imp.

Conſtãs enim frater eius Imperator Catholicus, dum viueret, minacib. litteris Conſtantium terrens in officio continebat; ſed eo mortuo, toto Imperio ad vnum Conſtantium deuoluto, nemo erat, qui illi reſiſteret.

Perſecutiones tolerãdæ.

Neque his repugnat, quod Aduerſarius addit, de exhortatione Chriſti, & Apoſtolorum, ad crucem tollendam, & perſecutiones pro fide tolerandas, atque ad obedientiam Principibus, etiam infidelibus exhibendam. Fatemur enim, quando neceſſe eſt, aut fidem negare, aut mortem pati, mortem omninò non ſolùm fortiter, ſed etiam gaudenter eſſe appetendam, quod & hoc tempore Chriſtiani Catholici faciunt, vbi perſecutio graſſatur, ſiue ab Ethnicis, vt in Iaponia, ſiue ab hæreticis, vt in Anglia.

Neque negamus, obedientiam exhibendam eſſe Principibus, etiam infidelibus, dum regno potiuntur, & dum nihil imperant contra Deum. Sed non ideo ſublata eſt ab Eccleſia poteſtas, ſi vires adſint, hoſtibus fidei reſiſtendi, & filios ſuos iuſto bello defendendi; Alioquin damnanda eſſent non ſolùm prælia Chriſtianorum aduerſus Saracenos, & Turcas, & Hæreticos; ſed etiam illa, quæ in Scripturis rantoperè celebrantur, Moyſis, Ioſue, Gedeonis, Dauidis, & Machabæorum aduerſus Amorrhæos, Philiſtęos, Amalecitas, & idololatras Antiochos.

Obedientia Principi etiã infideli exhibenda.

Licet bellum gerere contra hoſtes fidei.

Quintum Argumentũ continetur nu. 63.

5. Obiectio.

Poſtremum argumentum ducit Aduerſarius à debilitate rationum Card. Bellarmini, & hunc ſyllogiſmum texit. *Qui abſque* „
ſufficienti ratione iuga alterius poteſtatis colla „
Principum in rebus temporalibus ſubijcere præ- „
ſumit, nefandum per duellionis crimen incurrit, „
& maximam Principibus irrogat iniuriam: at „
ſufficiens ratio nulla aſſignari poteſt huius Ponti- „
ficiæ poteſtatis priuandi Principes ſuis dominijs „
temporalibus, etiam in ordine ad bonum ſpiritua- „
le: erga non eſt admittenda talis poteſtas. Maio- „
rem probat, *quia Principes in temporalibus ſu-* „
periorem non agnoſcunt, vt Innocentius III. & „
alij fatentur. Minorem etiam probat. *Nam ſi* „
qua eſſet ſufficiens ratio, eſſent maximè rationes „
Card. Bellar. ſed illæ ſufficientes ſunt. „

Reſponſio.

Reſpondeo. Totum hoc argumentum retorquere poſſumus in Aduerſarium. Nam vt nefas eſt, abſque ſufficienti ratione colla principum ſubijcere iugo poteſtatis alienæ: ſic etiam non ſolùm nefas; ſed & ſacrilegium eſt, ſine ſufficienti ratione detrahere aliquid de poteſtate Summi Pontificis, quem Chriſtus ipſe præpoſuit vniuerſæ familiæ ſuæ. Nulla verò ſufficiens ratio adduci poteſt, qua probetur, non eſſe in Summo Pontifice poteſtatem deponendi Principes temporales, ſi bonum ſpirituale id requirat: Nam ſi qua eſſet, illæ profectò eſſent, quas Barclaius, & Aduerſarius nouiſſimè poſt omnes alios attulerunt: ſed illæ nullas omnino vires habent, vt tum à Bellarm. in libro aduerſus Barclaiũ, tum à me demonſtratum eſt: igitur ſacrilegum nefas eſt, detrahere de poteſtate Summi Pontificis, quod poſſit deponere principes temporales, cùm bonum ſpirituale id requirit.

Deinde maiore propoſitione admiſſa, reſpondeo ad minorem, atque affirmo, & illam, & in eius probatione vtramque propoſitionẽ eſſe falſam. Maior propoſitio falſa eſt, quoniam, quamuis rationes à Card. Bellarmino allatæ debiliores eſſent, quam vt ad hanc rem aſtruendam ſufficerent: non ideò ſufficiens ratio adduci non poſſet, aut adducta ab alijs non eſſet. Non in vno Bellarmino victore, aut victo, ſtatque, caditque fides Catholica: nec hoc ſibi aut ipſe ſumit, aut ab alijs tribui vult, vt doctiſſimus, ita modeſtiſſimus Card. Bellarminus, non defuerunt, neque deſunt, neque deerunt, quos Deus *poſuit in Eccleſia Paſtores, & Doctores*; non neglexit, neque negliget *Spiritus veritatis* facere officium ſuum, qui Eccleſiæ Catholicæ *miſſus eſt, vt maneat cum ea in æternum, & doceat eam omnem veritatem:*

Ephef. 14.

Ioan. 4. & 16.

Pſal. 126. Matth. 16.

tatem: non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael, vt non ſit periculum, fore, *vt portæ inferi aduerſus Eccleſiam Chriſti præualeant*, eamque ſuis errotibus, ac ſtaudibus circumueniant: ſed eſt eritque ipſa perpetuò *columna & firmamentum veritatis, fundata ſupra firmam petram*, vt nec omui vento falſæ doctrinæ, nec fluctibus vllis aut procellis perſecntionum, aut hæreſum à recto vetiratis tramite poſſit dimoueri, aut concuti: cui proinde firma in omnibus fide aſſentiendum eſt, ſiue rationes nobis cognitæ, atque explicatæ ſint, ſiue non ſint. Eſſe aurem hanc ſententiam Eccleſiæ Catholicæ, quod Pontifex poſſit de temporalibus diſponere, atque ipſos principes temporales iuſtis ac grauibus de cauſis, quando id ad conſetuationem Reip. Chriſtianæ neceſſarium eſt deponere; iam ſupra demoutrauimus. Minor quoque propoſitio falſa eſt. Neque enim tam ſunt debiles illæ tationes, quas Card. Bellarminus lib. 5. de Pont. cap. 7. attulit, vt Aduerſarius exiſtimat, aut videri vult: immò ſunt firmiſſimæ columnæ (quid enim à Bellarmiuo, niſi firmum & ſolidum adferatur?) vt facilè perſpiciet, quiſquis diligenter conſiderare voluerit, quæ mox dicturi ſumus.

1. Tom. 3. Matth. 7. Luc. 6.

C A P. V.

Examinantur quinque corollaria, quæ Aduerſarius deducit ex doctrina Bellarmini à num. 64. vſque ad 102.

MAgno labore ſatigatur Aduerſarius, vt reſpondeat ad quinque argumenta Bellarmini, quæ debilia, & firmiſſima eſſe iactabat, non cnim reſpondere ſe poſſe exiſtimauit, niſi multa quaſi prædita antè conquireret. Itaque primum deſcribit ſententiam Bellarmiui cx libris eius de Romano Pontifice, arque in ea re conſumit numeros duos, 64. & 65. Deinde ex doctrina ita expoſita deducit quinque cotollaria.

Quinque corollaria.

Primum corollarium habetur num. 66.

1. Corollariū

Primum, inquit, *corollarium eſt, Reges ad* « *fidem conuerſos, ſi ſolum ius diuinum, & natura-* « *le inſpiciamus, non amittere ſua regna, quæ antea* « *iure poſſidebant: aut aliquo ſuo iure, vel tempo-* « *rali dominio priuari eo ipſo, quod à fide deſciſcant.*] Hoc cotollarium dedncit Aduerſarius ex eo, quod (vt Bellar. docet) dominium nou fundetur in fide, ant gratia: & Chtiſtus non anferat regna ijs, qui conuertuntur ad fidem; ſed addat potius ius ad tegnum ſempiternū.

Dominium in quo fundatum.

Reſpondeo. Quamuis dominium uon fundetur in fide, aut gratia; ſed in natura liberi arbitrij, & rationis; ac per hoc poſſit fieri, vt Ethnici infideles ſint veti domini regnorum ſuotum: tamen non ſequitur, vt propter culpam ſequentem eo dominio priuati non poſſint: alioqui Reges etiam tempotales nunquam poſſent confiſcare bona ſubditorum in caſu tebellionis, aut alterius criminis: ueque poſſet vnus Rex iuſto bello propter acceptam iniuriam priuare alium Regē dominio ſuo temporali. Neque ex eo, quod Chtiſtus non priuat Principes dominijs ſuis iuſtè quæſitis, quando veniunt ad fidem, ſequitur, vt uon poſſit idem Chriſtus, aut eius Vicarius eoſdem priuare dominio, quando deficiunt à fide, quaſi idem ſit, non punire aliquem propter bonum opus, & non punite propter crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, & humanæ. Itaque Principes Chriſtiani eo ipſo, quòd à fide deficiunt, digni ſunt ex iure diuino, & natutali, vt grauiſſimè puniantur, etiam priuatione dominiorū; & (vt loquitur S. Thomas in 2.2. quæſt. 12. art. 2.) ex iure Eccleſiaſtico, quàm citò aliquis per ſetentiam denunciatur excommunicatus propter apoſtaſiam à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

Secundum corollarium habetur num. 67.

2. Corollariū

Secundum, inquit, *corollarium eſt, eoſdem* » *Reges Chriſtianos iam factos (ſi idem ius diui-* » *num, & naturale tantummodo ſpectetur) ean-* » *dem omnino iuriſdictionem, & dominium ciuile* » *ſuper Pontifices retiuere, quod antea, quando in-* » *fideles erant, ſuper ipſos habebant, cum lex Chri-* » *ſtiana neminem priuet iure ſuo, & dominio. Et* » *propterea ex hac parte non eſſe rationi diſſonam,* » *quod oues licet in ſpiritualibus Paſtori ſpiritua-* » *li ſubijciantur, in rebus tamen temporalibus in-* » *dicent ſuos Paſtores.* »

Clerici iure diuino liberi ſunt à iugo poteſtatis ſecularis.

Reſpondetur. Corollarium hoc omnino falſum eſt ex duplici capite. Primum non eſt verùm, Reges infideles habuiſſe dominiū, & iuriſdictionem ciuilem ſuper Poutifices Chriſtianos, niſi de facto. Docuit quidem Cardin. Bellarminus dum eſſet iunior ante annos plus minus triginta, cum Alberto Pighio, probabile eſſe, Pontifices Chriſtianos ſubiectos fuiſſe Imperatotibus paganis de iure, & de facto; at poſtea recognoſcens opera ſua iam ſenex, ſententiam illam improbauit, & recognitionem ipſam typis mandauit, docuitque Poutifices Chriſtianos ſubiectos fuiſſe principibus paganis, de facto tantum, non de iure, vt & ipſe cōtra Barclaium cap. 3. monet, & in poſtrema operum eius editione tom. 2. lib. 1. de Clericis ad finem cap. 28. 29. & 30. clarè videre eſt.

Albertus Pighius.

Itaque non deberet Aduerſarius corollaria deducere ex doctrina à Bellarm. improbata, & per hoc non Bellarmini, ac ſi eſſet Bellarmini, ſi candidè agere vellet.

Deinde, etiamſi doctrina illa Pighij vera eſſet; nou tameu ex ea rectè colligeretur, quod Aduerſatius colligit, eoſdem Reges, poſteaquam ad fidem conuerſi ſunt, idem dominium, & iuriſdictionem habere ſuper Pontifices Chriſtianos. Nam quando Reges ad Eccleſiam veniunt, ſponte ſubijcinnt ſe, & ſceptra ſua Chriſto Domino, & ei, qui toti Eccleſiæ vice Chriſti præſidet. Non patitur autem naturæ, & rationis ordo, vt qui præeſt in ſpiritualibus ſubijaciatur ei, qui præeſt in tempotalibus, cum temporalia ipſa ſpiritualibus ſubijciantur, & ſubordinentur.

1. Inſtantia. At obijcit Aduerſarius doctrinam Bellarmini, quæ habet, legem Chriſtiauam neminem priuare iure, & dominio ſuo.

Reſponſio. Reſpondeo primo. Doctrinam Bellarmini eſſe vetiſſimam, ſed intelligendam eſſe de ptiuatione per ſe, & propriè, & ex itentione: non de priuarione, quæ conſequitur præter intentiouem, quæ non dicitur propriè priuatio, præſertim cùm ipſe, qui priuatur, in eam priuarionem ſpontè conſentit. Exemplum eſt in homine, qui procurat filio ſuo Epiſcopatum. Certè enim ex eo, quod filius euchitur ad Epiſcopale faſtigium, priuatur pater patria poteſtate, quam in illum habebat. Sed non dicitur hæc propriè priuatio: tum quia Summus Pontifex, qui hominem priuatum ad Epiſcopatum euehit, non intendit priuationem patris, ſed exaltatiouem filij, ex qua priuatio illa conſequitur: tum etiam, quia pater ipſe in eam priuationem ſponte cenſetur couſentire, dum filio celſitudinem illam, dignitatemque procurat. Sic igitur & Reges infideles cum Pontifici Maximo, vt capiti, & Rectori Eccleſiæ ſe, ſuaque ſceptra ſubmittunt, non dicuntut priuari dominio, aut iuriſdictione, quam antea in Pontifices habebant, ex Aduerſarij ſententia; tum, quia Deus in euehendo Pontifice ad altiſſimum dignitatis gradum, non intendit depreſſionem Regum, ſed exaltarionem Vicarij ſui, ex qua illa depreſſio conſecuta eſt: tum quia Reges ipſi ceuſentur voluiſſe priuari iuriſdictione, & dominio in Pontificem, cum illi, vt Parri, & Paſtori ſubijci voluerunt.

Simile. Reſpondeo ſecundo, non priuari iure ſuo poliricos Principes ex eo, quod perſonis illis parere debeant, quibus antea impetabant nam ius erat principibus in homines illos, dum priuati, & ſubiecti eſſent; non autem, poſtquam ad gradum alriorem euecti ſunt.

Simile. Do ſimile. Si famulus Principis caſu aliquo exaltetur ad Regnum: non erit vtique amplins Principi ſubiectus, nec tamen dicetur princeps priuatus iure ſuo: quoniam ius erat Principi in famulum, dum famulus eius eſſet; non poſteaquam aſcendit ad regnum. Item, ſi Imperator gregarium militem promoueat ad Tribunatum, incipiet miles iſte præeſſe centurioni, cui vt miles gregarius ſubiectus erat, nec idcirco priuatur centurio iure ſuo: quoniam ius erat centurioni in eum hominem, dum miles eſſet; non autem cùm tribunus factus eſt. Demum, ſi ſubditus ſeu ciuis alicuius Reip. ſeu principis tranferat domicilium ſuum in aliam ciuitatem, ſeu prouinciam alij principis ſubiectam, deſinet ſubditus eſſe priori Reip. ſeu principi: nec tamen is ob id dicetut priuatus iure ſuo, quoniam ius ei erat in ciuem illum, dum ſuus ciuis, ſeu ſubditus eſſet: non autem cùm in aliam prouinciam alij principis ſubiectam migrauit. Idem habet locum in famulo, qui mutat dominum ſuum, & ſexcentis alijs ſimilibus.

Pari ratione, Nicolaus v. g. ſubiectus eſt poteſtati ſæculari, dum ſæcularis manet: at ſi è politico ſtatu tranſeat pro ſuo iure ad Eccleſiaſticum ſtatum, non amplius eſt ſubiectus poteſtati ſæculari: nec tamen ea ob id dicenda eſt priuari iure ſuo, quoniam dominium illi & ius erat in Nicolaum, dum ſæcularis erat; non autem, cum ſtatum mutauit, & Eccleſiaſticus factus eſt.

At rurſum obijcit Aduerſarius, non eſſe rationi diſſonum, quod ouis in Spiritualibus Spirituali Paſtori ſibijciatur, & in tempotalibus Paſtorem ſuum iudicet. 2. Inſtantia

Reſponſio. Reſpondeo. Quando iudicium non cadit ſupra perſonam; ſed ſupra rem, vt v. g. ſupra litem ciuilem, non eſt rationi diſſonum, vt princeps politicus, qui eſt ouis Epiſcopi, iudicet Paſtorem ſuum, ſi fortè Epiſcopus in lite ciuili ſi actor, & laicus aliquis ſi reus. Actor enim forum rei ſequi tenetur. Sed hoc non eſt iudicare perſonam, ſed litem. Vt autem perſona abſolutè inferiot iudicare poſſit perſonam abſolutè ſuperiorem, omninò rationi diſſonum eſt. Atque, vt ſapienter loquitur Dominicus à Soto, in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. abſurda eſſet nimium confuſio, ſi Epiſcopi, qui principes in ſpiritualibus habent iudicare, ab ipſis in ſæcularibus viciſſim iudicarentur: & ſi Magiſtratus Epiſcopos corrigere, vel punire poſſet à quibus ipſe corrigendus, & puniendus eſt; & pertinet omnis reuerentia, quam neceſſario Laici Epiſcopis debent, ſi Laici Epiſcopos pro imperio coercere poſſent. Sotus.

Quia verò Aduerſarius non erat tam ſtupidus, vt non videret corollarium illud ſuum, non bene deduci ex doctrina Bellarmini: adiecit num. 68. & 69. Varias rationes, quas ordine diluemus.

4. Obiectiones contra exemptionem Clericorum. 1. Obiectio. Prima ratio eſt, *quia fieri poteſt, vt idem homo, ſi ad diuerſa comparetur, ſimul ſubdatur, & præſit. cuius rei exemplum habemus*, inquit, *in Saule, & Dauide, & alijs, qui Reges ſimul & filij erant ſuorum parentum: ideoque quantumuis ſecundum patriam poteſtatem parentibus ſuis, tanquam filij ſubiecti eſſent; ſecundum regiam tamen poteſtatem parentibus, tanquam ſubditis, imperabant.*

Reſponſio. Reſpondeo. Cum poteſtates ſunt pares, fortaſſe fieri poteſt, vt idem homo ad diuerſos comparatus, ſubijciatur & præſit; ſed ſi impares ſint, & vna alteri ſubordinetur, quales ſunt poteſtas ſpiritualis, & polirica, omninò fieri non poteſt, vt idem homo illi homini ſubſit, cui præeſt. Neque exemplum Regis, & filij ad rem facit. Poteſtas enim naturalis patria inferior eſt poteſtate Regia; iſta enim publica, illa priuata eſt; & poteſt Rex ex iuſta cauſa priuare Patrem poteſtate patria: non poteſt pater vlla ex cauſa priuare filium poteſtate Regia, & ideò mirum non eſt, ſi Pater naturalis ſubijcitur filio ſuo Regi: poteſtas autem patria ſupernaturalis, qualis eſt in Summo Pontifice, ſublimior eſt omni Regia poteſtate, & ideò rationi conſonum non eſt, vt Summus Ponrifex, qui eſt Pater omnium Regum à Deo conſtitutus cum ſumma, & publica, & ſupernaturali poteſtate, vlli temporali Regi, etiam in temporalibus ſubijciatur. Itaque in eo fallitur Aduerſarius, quod patriam poteſtatem Pontificis nihilo maiotem eſſe putat, quàm ſit poteſtas patria hominum priuatorum, atque ex hoc falſo principio colligit multa, quæ omni fundamento catent.

2. Obiectio. Secunda ratio. *Gelaſius Papa in epiſt. ad Imperatorem Anaſtaſium, vocat Imperatorem*

filium

“ *filium ſuum, & præſulibus rerum diuinarum ſub-*
“ *ditum: atque ſimul humano generi præſidentem,*
“ *& conſequenter ipſi Papæ, qui nullum tempora-*
lem Principatum eo tempore habebat.

Reſponſio.

Reſpondeo. Nimis ſimplicem ſe eſſe fingit Aduerſarius, dum per *humanum genus*, ſignificari vult omnes omninò homines, vt ipſe etiam Summus Pontifex includatur. Quaſi Anaſtaſius Imperator nō habuerit Imperium ita anguſtis finibus terminatum, vt neque ad Perſas in Oriente, neque ad Italos, Francos, Hiſpanos in Occidente, neque ad Afros in Meridie, neque ad Germanos in Aquilone pertingeret. Ergò per genus humanum hyperbolicè intelliguntur ſubditi Græcorum imperio: inter quos ſubditos Gelaſius Papa numerari non poterat; tum quod Ruma eo tempore non ab Imperatore Anaſtaſio, ſed à Theodorico Rege Gothorum teneretur: rum quia Chriſti Vicarius non alium Superiorem, niſi Chriſtum agnoſcit.

Anaſt. Imp.

Theodoricus Veron ſiue Amulus.

3. Obiectio.

Tertia ratio. *Sanctus Gregorius ſe ipſum*
“ *Imperatoris famulum vocat, lib. 2. epiſt. 62. &*
“ *iuſſioni eius ſubiectum, & debere ſe, ait, obedien-*
“ *tiam Imperatori: & poteſtatem ſuper omnes ho-*
“ *mines (ideoque ſuper ipſum Papam) Imperatori*
“ *cælitus datam eſſe.*

Reſponſio Papa quo ipſe ſeruus ſeruorum.

Reſpondeo. S. Gregorius, *famulum ſe* Imperatorem vocauit, ea humilitate, qua *ſeruum ſeruorum Dei* initio epiſtolarum ſe nominare conſueuit; & qua Apoſtolus, ſeruum ſe fuiſſe ſcribit Corinthiorum, ſuper quos tamen poteſtatem à Chriſto accepiſſe ſe dicit, 2. Cor. 4. & 13. Seruus enim dicitur, qui ſeruit aliorum vtilitati, ſiue id faciat obediendo, ſiue imperando. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 9. *Omnium me ſeruum feci, vt omnes lucrifacerem.* Idem S. Gregorius fuit *ſubiectus iuſſioni Imperatoris*, illique præſtitit obedientiam coactus, non voluntariè; de facto, non de iure, vt ipſe conqueritur in explicatione Pſalm. 5. Pœnitentialis. Porrò *datam eſſe dicit poteſtatem à Deo Imperatori ſuper omnes homines*, ea hyperbole, qua dixit Gelaſius Imperatorem Anaſtaſium *humano generi præſidere*, quare omitti poterat illa parentheſis, (ideoque ſuper ipſum Papam) nam eodem modo potuiſſet dici; ideoque ſuper Chriſtum, & eius Matrem, qui verè homines ſunt; vel ſaltem ſuper extremos Indos, aut Æthiopes, aut Antipodas, quos homines eſſe negari non poteſt; aut certè ſuper Francos, Hiſpanos, Germanos, Britannos, aliaſque gentes innumerabiles, qui tamen ad Romanum imperium non imperti-nebant, cùm veriſſimè inter homines numerarentur.

4. Obiectio.

Quarta ratio. *Idem Gregorius lib. 2. epiſt.*
“ *64. dicit, Deum Imperatori omnia tribuiſſe, &*
“ *dominari eum non ſolùm militibus, ſed etiam Sa-*
cerdotibus conceſſiſſe. Vnde Seuerinus Binius in
“ *ſuis notis ſuper illa verba S. Gregorij: Sacerdo-*
tes meos manui tua commiſi, ait, Gregorium illis verbis ſignificaſſe, Sacerdotes Mauritio Imp. ſic à Deo ſubiectos fuiſſe, vt olim Neroni, atque Diocletiano ſubiecerat: at conſtat ex doctrina Card. Bellarmini ſuperiùs relata, Summos Pontifices in cauſis ciuilibus fuiſſe non ſolùm de facto, ſed etiam de iure Imperatoribus Ethnicis ſubiectos.]

Seuerinus Binius.

Mauritius Imp.

Reſponſio.

Reſpondeo. *Deus Imperatori omnia tribuit*; ſi ſapienter intelligatur, vt id S. Gregorius intellexit, nihil ſignificat illud, niſi Imperatorem à Deo habuiſſe omnia, quæ habuit, id eſt, Dei dona eſſe omnia, quæ habuit. Si perperam intelligatur, vt Aduerſarius velle videtur, ſignificat imperatorem à Deo habuiſſe cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, ſtellas omnes, aues omnes, pecora omnia, piſces omnes, plantas omnes, metalla omnia, quin etiam homines, & Angelos omnes, vt ipſe ſolus omnia; reliqui nihil habuerint.

Deus ſubiecit Mauritio Sacerdotes; vt ſæuo tyranno ad exercendam patientiam; non vt legitimo Domino. Nec repugnat Gloſſa Seuerini Binij. Eam enim accepit ex ipſo S. Gregorio in comm. ad Pſal. 5. Pœnitentialem, vbi S. Gregorius Mauritium ob tyrannidem crudeliſſimam Neroni, & Diocletiano comparauit. Vult igitur D. Binius, vir doctus, & meus collega, & amicus, Sacerdotes Mauritio ſubiectos fuiſſe, vt Neroni & Diocletiano, id eſt, vt ſæuo tyranno; de facto, non de iure; coactè, non voluntariè, idem S. Gregorius intendit, à quo Binius eam comparationem mutuatus eſt, quique loco notato grauiſſimè quæritur de oppreſſione Eccleſiæ, quam Deus liberam eſſe voluit. Porrò quod Aduerſarius repetit, ex ſententia Card. Bellarmini Summos Pontifices in cauſis ciuilibus non ſolùm de facto; ſed & de iure Imperatoribus Ethnicis ſubiectos fuiſſe: iam dictum eſt ad num. 67. ſententiam illam iuueni Bellarmino olim probabilem viſam fuiſſe: nunc verò ab eodem ſene vt falſam reprobatam eſſe, & validis rationibus confutatam.

Sacerdotes quomodo Mauritio Imp. ſubiecti.

His ratiunculis adductus, Aduerſarius digreſſionem ingreditur bene longam, quam cùm non facile ſit ad certa capita reuocare, examinabo ſententias eius, vt ab ipſo ponuntur.

Digreſſio contra immunitatem Eccleſiaſticam.

Num. 70. *Quotieſcumque*, inquit, *apud* ”
ſanctos Patres ſcriptum legimus, Oues non de- ”
bere paſcere, reprehendere, aut iudicare ſuos ”
Paſtores: ſi velimus eiuſmodi propoſitionum ve- ”
ritatem ex rerum natura deſumptam eſſe, vel in- ”
telligi debent ſolùm de illis ouibus, quæ in tem- ”
poralibus ſuo Paſtori non præſunt, vel ſi generaliter, & abſque vlla exceptione eos loqui veli- ”
mus, ad ſpiritualia tantum eiuſmodi ſententia ”
referri debent, &c. ”

Reſpondeo. Prima illa explicatio *de quibus, quæ in temporalibus non præſunt paſtoribus ſuis*; ſuperuacanea eſt, nullæ enim ſunt oues, quæ in temporalibus præſunt Paſtoribus ſuis. Clariſſima enim ſententia eſt Symmachi Pontificis cum tota Synodo III. Romana, *Solis*, inquit, *Sacerdotibus diſponendi de rebus Eccleſiæ indiſcuſſe à Deo cura commiſſa eſt.* Item Concil. Lateranen. ſub Innocentio III. cap. 43. *Nimis de iure diuino quidam laici vſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præſtanda ſibi fidelitatis iuramenta compellunt.* Itaque ex ſententia Concilij, Eccleſiaſtici non ſunt ſubiecti Principibus ſæculi, & compelli non poſſunt ad iuramentum fidelitatis præſtandum, niſi aliquid temporale, vt caſtrum, vel oppidum ab illis obtineant. Item illa Concilij Conſtantien. Seſſ. 31. *Laici nullam in Clericos iuriſdictionem, aut poteſtatem habent.* Item illa Concilij Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 9. *à iure tam*

Laici nullã habent in Clericos poteſtatem.

Concil. Ro. 3.

Concil. Conſtantien.

Conc. Lateranen.

diuino

Digitized by Google

diuino, quam humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa eſt. Item illa Concilij Colonien. an. 1536. celebrari, part. 9. cap. 20. *Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt, iure pariter diuino, & humano introducta, quæ in duobus potiſſimum ſita eſt. Primùm, vt Clerici, eorumque poſſeſſiones à vectigalibus, & tributis, alijſque muneribus laicis libera ſint. Deinde ne rei criminis ad Eccleſias confugientes inde extrahantur.* Demum illa Concilij Tridentini Seſſ. 25. cap. 20. de Reformatione; *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus instituta eſt.* Quod ſi Laici non modo iure humano, ſed & diuino nullam habent poteſtatem in Clericos, aut quoslibet Eccleſiaſticos: certè multò minus Paſtoribus ſuis, id eſt, Epiſcopis, & Pontificibus præeſſe poſſunt.

Concil. Trid.

Secunda etiam expoſitio de ſpirituali tantùm iudicio, repugnat S. Gregorio Nazianzeno, qui ad marginem allegatur ab Aduerſario, in oratione, qua ſe excuſat, quod tam diu ab Eccleſiaſtica functione abſtinuerit. Si quidem eo loco Sanctus Gregorius, cum dicit; *oues non debere velle præeſſe Paſtoribus*; pouit ſimilitudinem animæ, & corporis, quorum illa ſemper præeſt; hoc ſemper ſubijcitur. At corpus non ſolum ſubijcitur animæ in ſpiritualibus; ſed etiam in corporalibus: aut ſaltem nunquam præeſt animæ, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus. Addo etiam. Quamuis Patres diſertis verbis dicerent; Oues non debere iudicare Paſtores ſuos in ſuos in ſpiritualibus non tamen inde ſequi, poſſe ab ouibus iudicari Paſtores in temporalibus, aut non poſſe a Paſtoribus iudicari oues etiam in temporalibus, quando id neceſſe eſt ab bonum ſpirituale.

S. Greg. Nazian.

Simile.

« Num. 71. *Et certè*, inquit, *ſi à iure Ec-*
« *cleſiaſtico, & priuilegijs Principum abſtrahamus,*
« *non videtur negari poſſe, quin Prælati inferiores,*
« *vt Epiſcopi, poſſint à ſupremis Principibus, qui-*
« *bus ciuiliter ſubiecti ſunt, in cauſſis politicis indi-*
« *cari; ſi vera ſit opinio communis Theologorum,*
« *quam olim expreſſiſſimis verbis approbauit Card.*
« *Bellarminus lib de Clericis, cap. 28. in prioribus*
« *ſuorum operum editionibus, qui aſſerit, exem-*
« *ptionem Clericorum in rebus politicis à Sæcula-*
« *rium Principum poteſtate, tam quoad perſonas,*
« *quàm quoad bona iure humano introductam eſſe,*
non diuino.

Ius Eccleſiaſticum obligat.

Reſpondeo. Quid ſibi vult illud: *ſi à iure Eccleſiaſtico abſtrahamus*? num enim ſi ſolo iure Eccleſiaſtico exemptio Clericorum introducta eſſet, obſeruari non deberet? Ita quidem hæretici ſentiunt, & tuus Barclaius, quem tu, vt in alijs; ſic etiam in hoc ſequi videris. At non ità docent Apoſtoli Chriſti; non ſancti Patres; non communis Scholarum Catholicarum doctrina. Præceptum de non comedendo ſuffocato, & ſanguine, non fuit naturale, aut diuinum; ſed Eccleſiaſticum, in Concilio primo Hieroſolymitano ad tempus inſtitutum: & tamen Apoſtolus Paulus ſeriò *præcipiebat*, quocunque iret, *cuſtodiri mandata Apoſtolorum, & Seniorum*, Act. 15. Et iterum act. 16. *Paulus, & Timotheus cum pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Ieroſolimis Hieroſolymis.* Præcepti quoque de bigamis non ordinandis, neque naturale, neque diuinum, ſed Eccleſiaſticum erat: & tamen idem Apoſtolus ſcribens ad Timotheum, & Titum hoc ſeruari præcepit, & ſemper à Patribus religioſè ſeruatum ſcimus. Idem dici poſſet de multis alijs Eccleſiaſticis decretis. Denique Doctores illi Catholici, qui exemptionem Clericorum cenſent non eſſe de iure diuino; affirmant tamen potuiſſe, & debuiſſe Pontificem Maximum clericos eximere, inconſultis etiam Principibus ſæculi; neque poſſe eoſdem Principes iuſtè reclamare, ac per hoc debere legem iſtam Eccleſiaſticam religioſè ſeruare. Vide Dominicum à Soto in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. conc. 6. & Couarruuiam in practicis quæſtionibus, quæſt. 31. concl. 3. Neque ab heretica impietate defendi poſſunt, qui leges Eccleſiaſticas contemnunt dicente Domino, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; &, qui vos ſpernit, me ſpernit*, & Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

Act. 15.

Act. 16.

1. Thimot 3. ad Titum 1.

Luc 10. Matth. 18.

Deinde, *Epiſcopos Principibus* ſæculi *ciuiliter ſubiectos eſſe*, ſæpè pronuntiauit Aduerſarius, nunquam probauit.

Quod autem dicit, *comunem eſſe Theologorũ ſententiam*, exemptionem Clericorum non eſſe de iure diuino; nõ facilè probauerit. Quod verò Bellarminus ſcripſit, exemptionem Clericorum, etiam quoad perſonas intoductam eſſe iure humano, non diuino: ſcripſit iuuenis, vt ipſe fatetur aduerſus Barclaium in prolegomenis in fine, ſententiam aliorum ſequutus: poſtea ſenior, & ſacris Canonibus diligentius conſideratis, ſcripſit tum in poſterioribus editionibus controuerſiarum, tum in alijs libris, exemptionem Eccleſiaſticorum eſſe de iure diuino, & humano, quoniam ſic loquuntur Concilia, & ſacri Canones. Mirum autem eſt cur Aduerſarius Bellarmini iunioris doctrinam priorem amplectatur; & poſteriorem eiuſdem auctoris iam ſenioris repudiet. Porrò firma ſpe ducor fore, vt Aduerſarius, ſi verè eſt Rogerus Vviddringtonus, vt titulus præfert, & quem Catholicum, virum bonum, & pium eſſe intelligo, (& non hæreticus aliquis ſub ementito nomine) Card. Bellarmini modeſtiam, & humilitatem imitetur, & quæ in hoc libro, quem refutamus, temerè ſcripſit, agnito errore maturè retractet; & ſicut nunc hac ſua ſcriptione bonis dolori, imperfectis eſt ſcandalo; ita pia reſipiſcentia Eccleſiæ Dei vniuerſæ ſit ædificationi, & gaudio.

Bellarm.

Num. 72. *Atque hinc patet*, inquit, *ratio-* »
nem, qua probari ſolet, Summum Pontificem, quia »
eſt ſupremus Paſtor, & ſpiritualis Princeps Ec- »
cleſiæ non poſſe ob vllam cauſſam, vel crimen ab »
aliquo Principe Chriſtiano iudicari, quia ouis eſt; »
ſi in iure ſolùm diuino, & naturali ſiſtamus, non »
eſſe ſolidam niſi in ſenſu formali accipiatur, vt »
dictum eſt. Ouis enim, qua ouis, ideſt in ijs, in »
quibus paſci, & regi debet, Paſtorem ſuum iu- »
dicare non poteſt, &c.

Reſpondeo. Ratio illa, Summus Pontifex eſt omnium Chriſtianorum Pater, & Paſtor, ſiue Princeps Spiritualis; ergo à nullo iudicari poteſt: ſolidiſſima eſt, ſi addas, quod vel addendum, vel neceſſariò ſubintelligendum, potaſtatem ſpiritualem altiorem eſſe temporali, & temporalem ſubordinari ſpiritua-

Papa à nemine iudicatur.

Digitized by Google

1. Cor. 2.

Synodus Rom ſub S. Siluestro.

rituali, vt ab illa dirigi, & corrigi; non eam dirigere, & cottigere poſſit. Nam vt Apoſtolus loquitur 1. Cor. 2. *Spiritualis dijudicat omnia; ipſe autem à nemine iudicatur*. Hinc in Syuodo Romana ſub S.Siluestro habentur illa verba; *Neque ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omni clero, neque à populo iudicabitur prima ſedes*. Et in quinta Synodo ſub Symmacho approbatur liber Ennodij, in quo legimus; *Aliorum hominum cauſſas Deus voluit per homines terminari: ſed ſedis iſtius præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio*. Vide Ioannem de Turrecremata libr.4.Summæ de Eccleſia, part.2.cap.decimo ſeptimo, vbi refertur ettor damnatæ memoriæ Marſilij de Padua, qui docebat Summum Pontificem ab Imperatore poſſe iudicari, & lib.2. cap.93. & ſequentibus, vbi prædictus error copioſiſſimè refutatur.

Synodus Rom ſub Symmacho.

Pottò obſeruet prudens Lectot, Aduerſarium non multum laborare de Iure Eccleſiaſtico, dum ſemper repetit, *ſi in iure diuino, & naturali ſiſtamus*: neque vnquam addir, ſeruandum tamen eſſe Ius Eccleſiaſticum, ex quo ſaris ſe prodit, quamuis Catholicum ſe ſimulet, vnum eſſe ex ijs, qui negant Eccleſiaſticis principibus omnem legum condendarum auctoritatem, quorum atriarcha Lutherus totum Ius Canonicum flammis adiudicauit.

Mart. Luth. ann.1520. Vuittemberga Ius Canonicũ exuſſit.

Addit in eodem num. Aduerſarius hæc verba: *Neque quo ad hanc rationem, videtur vlla poſſe aſſignari diſparitas inter Summum Pontificem, & inferiores Epiſcopos, dummodo vtrique Principibus temporalibus ciuiliter ſubiecti ſint, & verùm ſit, quod ſuperiùs docuit Cardin. Bellarminus; Id quod eſt Papa in Eccleſia vniuerſa, eſſe quemlibet Epiſcopum in particulari*.

Conuenientia, & diſcrimen Papæ, & Epiſcopi particularis.

Reſpondeo. Quod Card. Bellarminus docuit, verum eſt. Nam ſicut Pontifex Maximus, qui vniuerſæ Eccleſiæ præſidet, & cuius omnes Chriſtiani ſunt oues, poteſt omnes iudicare, & à nemine iudicari: ſic etiã quilibet Epiſcopus poteſt iudicare omnes Chriſtianos ſuæ diœceſos: & à nullo eorum iudicari. Item ſicut Papa in vniuerſali Eccleſia; ita Epiſcopus in ſua particulari eſt verè Paſtor, & Princeps ſpiritualis; non alterius puri, ac mortalis hominis Vicarius, aut adminiſter ad tempus. In his paritas quædam eſt, & de hac paritate locutus eſt Bellarminus in loco ab Aduerſario annotato. At verò magna diſparitas eſt, cum in multis alijs, tum quod ad præſens negotium attinet, in duobus præcipuè. Primum, quod Summus Pontifex, non ſolum à nullo Principe laico iudicari poteſt, ſed neque à Concilio generali, aut quouis Epiſcopali iudicio: Epiſcopi verò cæteri, non poſſunt quidem ab vllo Principe laico iudicari; ſed iudicari tamen poſſunt, tum à Summo Pontifice, tum à Concilio generali. Secundò, quòd Epiſcopi non poſſunt iudicare Principem, aut populum alienæ diœceſis: Summus autem Pontifex omnes omnino Chriſtianos iudicat, cum diœceſis ipſius tota Eccleſia cenſeatur.

Num.73. fingit Aduerſarius, Bellarminum reſpondere obiectioni ſuperiori. *Sed occurrit*, inquit, *Cardinalis Bellarminus lib.2. de Pontif. cap.26. & latum diſcrimen aſſignat inter inferiores, & ſupremum Paſtorem &c.*

Num.74. diluit Reſponſionem Bellarmini, quam ipſe ſibi finxit.

Ratio, cur Papa à nullo iudicetur.

Reſpondeo. Bellarminus in lib.2. de Pontif. cap. 26. non ponit diſcrimen inter Papam, & cæteros Epiſcopos, ſed probat Summum Pontificem; non habere iudicem vllum ſuper terram, neque Eccleſiaſticum, neque temporalem. Non Eccleſiaſticum, quoniam ipſe ſupremus eſt inter omnes Eccleſiaſticos Præſules: non temporalem, quia poteſtas ſpiritualis altior eſt poteſtate temporali; & hæc illi ſubordinatur; propterea ſupremus Princeps Spiritualis regere debet, & iudicare ſupremum Principem temporalem, non contrà. Itaque Aduerſarius extra chorum ſaltat, & vel nugatur, vel alijs imponere conatur.

Num. 7. *Sed aliam*, inquit, *rationem affert Card. Bellarminus, quare Summus Pont. à nullo ſæculari Principe iudicari poſſit, &c.*

Reſpondeo. Hæc eſt ipſiſſima ratio, eſtque eadem cum ſuperiore. Quare aduerſarius ex vna ratione duas facere voluit, ſcilicet, vt charitas impleat, & multa dicere videatur.

Num.76. reſpondet Aduerſarius ad rationem Bellarmini, quam ex ipſius lib.2.de Pontif.c.26 poſuimus num.74.

Reſponſio autem in Summa hæc eſt, quod ratio iſta vires non habeat, niſi hoc fundamento poſito, quod poteſtas ſpiritualis, & temporalis vnam Rempubl. faciant. quod fundamentum infra ſe demoliturum promittit, (nimirum num.83.) Interim tamen dicit, hoc fundamentum eſſe contra principia eiuſdem Bellarmini, qui libro ſecundo de Pontif. cap. 29. admittit, Apoſtolum Paulum appellaſſe Cæſarem, quem agnoſcebat ſuperiorem ſuum, *de facto, & de iure*: & Pontifices Chriſtianos ſubiectos fuiſſe *de facto, & de iure* Pontificibus infidelibus, Ex quo ſequitur, vt non ſit inconueniens, quando poteſtas ſpiritualis, & temporalis non ſunt coniunctæ in vnam Rempub. vt maior regatur, & iudicetur à minore in rebus temporalibus.

Reſpondeo. Fundamentum illud, quod poteſtas ſpiritualis, & temporalis apud Chriſtianos vnam Rempubl. faciant ſolidiſſimum eſt, quoniam verbo Dei nititur, vbi Eccleſia ex Clericis & Laicis, ex Pontificibus, & Regibus conſtans dicitur, *vnum regnum, vna ciuitas, vna familia, vnum corpus*. Sed de hac re infrà ſuo loco cum Aduerſario diſputabimus.

Deinde, Fundamentum hoc nullatenus pugnat cum Bellarmini principijs. Certum enim eſt, poteſtatem ſpiritualem, & temporalem, ſi de ſuprema regia agatur, quæ etiam Monarchica dici ſolet, poſſe & coniunctas eſſe, vt ſunt in Eccleſia noſtri temporis; & ſeparatas, vt fuerunt Apoſtolicis temporibus, quando nulli tales ſupremi, & abſoluti Reges erant in Eccleſia.

Et hoc poſito affirmat Bellarminus poteſtatem ſpiritualem, quando facit vnam Remp. cum temporali; ita præeſſe temporali, vt illam iudicet, & ab illa non iudicetur, neq; in hac re vlli principio doctrinę ſuæ repugnat. Affirmat præterea, poteſtatem ſpiritualem Pontificiam, ſi ſeparata ſit à temporali

porali

porali Regia poteſtate, non ſubeſſe vnquam *de iure* temporali poteſtati, etiam ſupremæ, quamuis aliquando *de facto* ſubiecta fuerit. Quod ſi aliquãdo aliter docuit iuuenis, mutauit poſtea ſenex Quod ſi hoc aduerſarius repugnare ſuis principijs, vocat toto cælo aterrat nõ enim repugnat ſuis principijs, qui principia olim poſita non iam amplius habet pro ſuis; ſed qui ea pro ſuis admittens, contrarias propoſitiones ſimul tuetur. Alloqui S. Auguſtinus, qui duos libros Retractationum ſcripſit, & contraria tam multa docuit ijs, quæ antea docuerat, plurimis in locis argui poſset repugnantiæ, & conradictionis.

S. Aug Retractationes.

» Num. 77. 78. 79. & 80. Iterum atque iterum inculcat, & repetit eadem. Summa eſt, Principes Ethnicos fuiſſe iudices de iure, & de facto Summorum Pontificum. Et quia Lex Chriſtiana neminem priuat iure ſuo, nunc etiam Principes Chriſtianos poſſe iudicare in ciuilibus Pontifices Chriſtianos.

Reſpondeo. Et antecedens eſt falſum, & conſecutio vitioſa. Falſum eſt antecedens, quia Principes Eccleſiaſtici nunquam ſubiecti fuerint de iure; ſed ſolùm de facto Principibus infidelibus; cum Chriſtus Rex Regum loco ſuo *conſtituerit eos Principes ſuper omnem terram*. Verum quidem eſt, hunc Principatum Ethnicis agnitum non fuiſſe, & ideò ſanctos Apoſtolos, & Pontifices, vt homines priuatos ab Imperatoribus Ethnicis habitos fuiſſe: ſed non ideò non erant Principes veri, quoniam infideles Principes hic Principatus latebat. Diuinitas Chriſti Iudæis non erat agnita: (*ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*,) & à multis in hunc vſque diem non agnoſcitur: ſed non ideò Chriſtus non eſt Deus, quoniam infideles diuinitas eius latet.

Pſal. 44.

Simile.

1. Cor. 2.

Conſequutio verò vitioſa eſt; quoniam etſi Principes Ethnici de facto, & de iure Pontificibus præfuiſſent in temporalibus; non ideò ſequitur, vt Principes Chriſtiani, qui ſponte ſe Chriſto, & eius Vicario, vt oues Paſtori, & filij parenti ſubiecerunt, poſſint deinceps Paſtorem ſuum, & Parentem vlla iure iudicare.

» *At lex Chriſtiana*, inquit, *neminem priuat iure ſuo*.

Reſpondeo. Ita eſt non priuat lex Chriſtiana Reges, ac Principes iure ſuo, ac dominio; ſed diriget, ordinat eorum dominia, & iuriſdictiones, & reipſa, atque actu ſubijcit poteſtati ſpirituali, cui anteà natura, ac habitudine ſubiecta fuerant, vt ab ea ordinentur ad finem abſolutè vltimum, vt Reges, & principes, *ſic transeant per temporalia, vt non amittant æterna*. Itaque Reges dum ſe Chriſto, & eius Vicario ſubijciunt, non amittunt ſua Regna; nec minori ſunt prædìti poteſtate politica, quam dum Ethnici eſſent: & præterea, acquirunt ius ad Regnum cæleſte, & æternum, quod dum Ethnici eſſent, non habebant. Porrò ius in Pontifices, & Eccleſiaſticos omnes non amittunt, quia nunquam habuerunt. Habent ius in homines: dum priuati, & ſubditi ſuat: id eſt, ſæculares non habent, ſi ijdem euehantur ad altiorem ſtatum ſeu gradum. Vide, quæ diximus ad num. 67. in reſp. ad 1. Inſtantiam.

» Num. 81. Grauiter Aduerſarius Bellarm. reprehendit, quod in libello Italico aduerſus Ioannem Marſilium ſcripſerit, Eccleſiaſticos non eſſe ſubditos Principi politico, in cuius ditione morantur, dicit hunc eſſe modum loquendi inuſitatum. Et nullum eſſe Principem Chriſtianum, qui non arbitretur Maieſtatem ſuam læsi, ſi dicatur in ſuo dominio Princeps eſſe laicorum tantum, & non etiam Eccleſiaſticorum; vel Eccleſiaſticos non eſſe ei ſubiectos. Præterea addit, Eccleſiaſticos eſſe etiam ciues Reipub. politicæ, ac per hoc ſubiectos Principi politico, vt capiti eius Reipub. Denique addit, non ſic locutos Sanctos Patres in concilijs tum generalibus, tum prouincialibus; ſed contra potiùs, ſe famulos Imperatorum, & Regum; illos verò Dominos ſuos appellare ſolitos. »

Reſpondeo. Eccleſiaſticos non eſſe ſubiectos Principi ſæculari, etiamſi in eius dominio nati ſint, aut delictum commiſerint, & verum eſt, & rectè ſcripſit Bellarm. Cur autem hic modus loquendi dici poſſit inuſitatus, rationem non video, cùm eo vtantur omnes Catholici, qui admittunt exemptionem Eccleſiaſticorum à poteſtate Principum Laicorum; nec priuati duntaxat, ſed Concilia non modo Prouincialia; ſed etiam generalia, Romanum III ſub Symmacho, Lateranenſe ſub Innocentio III. Conſtantienſe, Lateranenſe ſub Leone X. Tridentinum, Colonienſe vt num. 72. vidimus; quæ & expreſsè hoc dicunt; *eam exemptionem eſſe non tantùm ab humano iure, ſed & diuino profectam; non canonicis duntaxat ſanctionibus, ſed & Dei ordinatione inſtitutam*. Quid autem eſt, exemptum eſſe à poteſtate alicuius, niſi ei non eſſe ſubiectum. Itaque verùm non eſt, *Patres in Conc. generalibus, & Prouincialibus ita locutos non eſſe*.

Principem politicum eſſe Laicorum tantùm Principem, & non etiam Eccleſiaſticorum, nec verum eſt, nec vſquam dixit Bellarminus. Immò contrarium dixit, nimirum Principem politicum eſſe Principem omnium, qui in ſuo Principatu degunt, non ſolùm Laicorum, ſed etiam Clericorum, & Monachorum, quoniam omnium curam gerit, omnes defendit, omnibus conſulit, pro omnibus bella gerit, proque omnium pace, & tranquillitate inuigilat. Et Eccleſiaſtici ad eius tribunal recurrunt, quando à Laicis iniuriam patiuntur, vel aduerſus Laicos litem ciuilem habent. Vnde etiam non ſine cauſa in publicis precibus dicunt; *Pro Imperatore noſtro. Pro Rege noſtro*: deferunt ei honorem; iuxta illud D. Petri, 1. epiſt. c. 2. *Regem honorificate*: exhibent obedientiam, cum eorum leges non ſunt contrariæ Sacris Canonibus; & cum de rebus iiſdem nulla extat Canonica diſpoſitio; ac demum quoad directionem; non quoad coactionem. Eccleſiæ enim *pro curſu temporalium tantummodò rerum Imperialibus vtitur legibus*, vt loquitur Nicolaus I in epiſt. ad Michaelem, & habemus in multis Canonibus diſtinctionis decimæ apud Gratianum, & c. 1. de no. ope. nunt. & alibi. Quod autem cùm ipſi Rei ſunt, eum Iudicem non agnoſcant, nec ab eo puniri, aut cogi poſſint, exemptio facit, quam Doctores Catholici, docent, quam pij Pprincipes non negant; immò quam Natura ipſa omnes gentes docet. Apud Gentiles Sacerdotes erant exempti, vt con-

Bellar. lib. 1. de Clericis cap 30.

Cōſtat ex Ariſtotele lib.2.Oecon.Cęſare lib.6. de bello Gallico, Plutarcho in Camillo, & ex alijs. Apud Ægyptios quoque ſub Rege Pharaone, vt patet ex lib. Geneſ. cap.47. Apud Hebræos, vt conſtat ex cap.30.Exodi, & cap. 1.Num. Idem conſtat de Sacerdotibus Hæbræorum ſub Rege Artaxerxe & lib. 1. Eſdræ cap.7.

Conſtātinus

Apud Chriſtianos Imperator Conſtantinus, qui primus fuit Imperator apertè Chriſtianus, continuò natura docente Eccleſiaſticos immunes à communibus Reipubl. oneribus declarauit, apud Euſebium lib. 10. hiſt. Eccl. c.7. quod idem multi alij Imperatores fecerunt. Porrò notanda ſunt verba Iuſtiniani Imp. l. ſancimus 2. C. de ſacroſanct. Eccl. Nam vbi exemiſſet Eccleſias, ait; *Cur enim non facimus diſcrimen inter res diuinas, & humanas? & cur non competens prærogatiua cæleſti fauori conſeruetur?* Quibus verbis oſtendit, exemptionem illam eſſe debitam, & neceſſariã, vtpotè ex ipſa rerum natura deductam. Quod ſi qui Imperatores, Reges, aut Principes Eccleſiaſticam immunitatem violarunt, non id Deus (cui Eccleſia ſua curæ) impunitum reliquit; ſed omnes ij fuerunt infelices, & ſua Imperia, Regna, Principatus in inextricabiles miſerias & calamitates adduxerunt, qui verò eccleſiaſticam immunitatem, & iura defenderunt, & ampliarunt, ij omnium fuerunt feliciſſimi id, quod pro inſtituto ſuo copiosè proſequitur doctiſſimus vir Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ, tom. 2. lib. 17. ſigno 76. cap.3. &c. Item lib.23. ſigno 95. cap.2. Vnum non poſſum quin referam. Baſilius Porphyrogenitus Græcorum Imperator apud Balſamonem in Nomocanone Photij, in Commentario Canonis primi Synodi Conſtantinopolitanæ IV. quæ eſt octaua generalis, refert cauſam omnium calamitatum illius temporis in legem quandam Nicephori Phocæ prædeceſſoris ſui contra Eccleſiæ libertatem latam; *Ex quo*, inquit, *Lex iſta robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem vita noſtra contigit. Sed potiùs è contrario nullum omnino genus calamitatum defuit.* Itaque legem illam meritò irritam eſſe voluit, ac penitùs abrogauit.

Iuſtinianus;

Baſilius Imp.

Nicephorus Phocas.

Quod denique Aduerſarius addit, Pontifices Imperatorum, ac Regum famulos ſe dixiſſe, illoſque Dominos ſuos nominaſſe, nihil admirationis habet. Pontifices enim poſt S. Greg. ſe *ſeruos ſeruorum Dei* nominant, vt oſtendant, ad ſuum officium pertinere ſeruire omnium ſaluti, & vtilitati. Neque vllum credo eſſe Eccleſiaſticum, qui Reges, & Imperatores Dominos; ſe autem famulum eorum appellare recuſet. Sed aliud eſt, honorare Regiam Maieſtatem, aliud poteſtatem eius in ſe recognoſcere. Nam & Galli eiuſmodi verborum honorificentia proſequentur Regem Hiſpaniarum, & Hiſpani Regem Francorum: nec tamen iuriſdictioni eorum ſubiectos ſe eſſe confitebuntur, aut ab alijs dici ferent. Itaque poterat Aduerſarius à ſuperuacanea, vel potiùs temeraria viri grauiſſimi reprehenſione abſtinere. Hactenus de digreſſione.

Num. 82. neſcio, quo errore Aduerſarius prætermiſit.

Corollarium

Num.83. ponit tertium corollarium his verbis.

Tertium corollarium eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam, & ciuilem non eſſe partes vnius, & eiuſdem Reipubl. Sed duas omninò Reſpublicas conſtituere.

Reſp. Chriſtiana eſt vna.

Reſpondeo. Corollarium hoc neq; colligitur ex doctrina Bellarm. neque ſalua fide Catholica admitti poteſt, niſi addatur diſtinctio, & explicatio; quod videlicet poteſtas eccleſiaſtica, & ciuilis vnã conſtituant Remp. totalem, quæ dicitur Reſp. Chriſtiana; & duas partiales, diſtinctas quidem actibus, officijs, dignitatibus & finibus; ſed inter ſe connexas, & vnam alteri ſubordinatam.

Poteſtas ſpiritualis, & politica vnam Remp. Chriſt faciunt.

1. Obiectio.

Num. 84. probare nititur Aduerſarius, poteſtatem eccleſiaſticam, & politicam, non facere vnam Rempub. quamuis vnitæ ſint in Eccleſia, & adducit hanc rationem; quoniam inter Chriſtianos diſtingui debent Regnum Chriſti, & Regna huius mundi: ſiue Corpus Chriſti myſticum, & corpora politica.

Reſponſio.

Reſpondeo. Sunt hæc omninò diſtincta; ſed non ſeparata: immò inuicem copulata, & vnum alteri ſubordinatum. Nam vt ſpiritus, & caro diſtinctæ ſubſtantiæ ſunt, & tamen vnum hominem componunt, quoniam coniuncta ſunt, & caro ſpiritui ſubijcitur, vt ab illo regatur: ſic regnum Chriſti, & Regnum huius mundi, quando Chriſtianum eſt, vnam Remp. Chriſtianam faciunt, in qua regnum Mundi regno Chriſti ſeruire debet, ſicut Regnum terrenum Regno cæleſti, vt S. Gregorius ſcribit lib. 2. epiſt. 61. ad Mauritium Imp. Nam *omnis gens, & omne regnum, quod non ſeruierit* Eccleſiæ, *peribit*.

Iſa. 60.

2. Obiectio:

Num.85. adducit aliam rationem. Nam cùm poteſtas eccleſiaſtica, & ciuilis antea duas Reſp. fecerint: non potuerunt in vnam conuenire, niſi aut vna tranſiret in alteram; & ſic confunderetur Imperium cum Pontificatu: aut fieret vna tertia, quæ neque eccleſiaſtica, neque politica eſſet.

Reſpondet ipſe ſibi, fieri vnam tertiam, quæ ſimul eccleſiaſtica, & politica ſit. Euertit hanc reſponſionem, ex eo, quod tempore Apoſtolorum Eccleſia perfecta Reſpubl. erat, & tamen politica poteſtate carebat.

Reſponſio.

Reſpondeo primò. Eccleſia tempore Apoſtolorum non carebat omninò poteſtate politica. Primò enim in Summo Pontifice ſemper fuit poteſtas ſpiritualis formaliter, & politica virtualiter: ita vt poſſet Reges dirigere, & iudicare, quando Eccleſiæ adiungerentur. Deinde in ipſis Chriſtianis erat poteſtas conſtituendi ſibi Iudices temporales, vt patet ex 1. ad Cor. 6. Tertiò, quia iam tum Reges erant in Eccleſia, vt tres illi Reges, qui ſtella duce ad Chriſtum infantem adhuc adorandum venerunt, quos S. Thomas Apoſtolus baptiſmo initiaſſe, ac ſocios in prædicatione Euangelij ſecum duxiſſe dicitur, item Abagarus Rex Edeſſæ apud Euſeb. lib.1. cap. 13. & Hieron. in cap. 10. Matth. de quo vide plura apud Card. Baron. ad an. Chriſti 31. num. 57. & ſeqq. & ad annum 43. num. 18. Quartò, Cornelius Centurio cum fuit conuerſus ad fidem, Act. 10. Item Sergius Paulus Proconſul Cypri, Act. 13. Quinto, cùm Apoſtolus teſtetur Rom. 1. iam tum *Romanorum fidem in vniuerſo mundo annunciari*, & Col. 1. *Verbum veritatis Euangelij eſſe, fructificare, & creſcere in vniuerſo mundo*, quis aſſerat nul-

Matth. 2. Sophronius apud S.Hiero. de Scriptorib. Eccl. Oecum. in Act. Apoſt. & alij Euſeb. l.b.1. cap.13. Hieron. in c. 10. Matt.

los Principes politicos tempore Apoſtolorum ad fidem fuiſſe conuerſos? Difficile hoc fuerit creditu, difficilius probatu.

Reſpondeo ſecundò. Etiamſi non fuiſſet tempore Apoſtolorum in Eccleſia Chriſti vlla poteſtas politica, Eccleſia fuiſſet nihilominus intenſiuè perfecta, eò quod in ea eſſet poteſtas ſumma ſpiritualis, quæ politicam virtute continebat, & eam, quando ita ex vſu videretur, inſtituere, dirigere, corrigere, abrogare poterat. Poterat autem extenſiuè fieri perfectior, ſi illi adiungerentur Monarchæ, & Imperatores.

3. Obiectio. Num. 86. Adducit tertiam rationem.

» *Præterea*, inquit, *Eccleſia Chriſti monſtrũ*
» *quoddam eſſet, ſimul plura, & independentia ca-*
» *pita habens. Nam caput poteſtatis politicæ eſt*
» *Princeps ſæcularis: qui in temporalibus non reco-*
» *gnoſcit ſuperiorem, teſte Innocentio III. Caput*
» *eccleſiaſticæ poteſtatis eſt Sum. Pont. qui in cauſis*
» *ſpiritualibus eſt omnium ſupremus: ergo poteſtas*
» *eccleſiaſtica, & politica non faciunt vnam Remp.*
» *ſed duas; vel eſt vnum corpus cum duobus capiti-*
» *bus, quod ad genus monſtrorum pertinet.*)

Reſponſio. Reſpondeo. Ex hoc argumento colligitur manifeſtè contrarium eius, quod Aduerſarius intendit. Nam non poteſt negari, quin Eccleſia ſit vna Reſp. totalis, complectens omnes Catholicos, Clericos, & Laicos: cum ſit vnum corpus, ex Apoſtolo ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. & quin vnius Reip. vnum debeat eſſe caput, alioqui monſtrum erit: ergo ſequitur, vt totius Reip. Chriſtianæ, ſiue totius Eccleſiæ complectentis Clericos, & Laicos, vnum ſit caput. Eſt autem dogma fidei Catholicæ, totius Eccleſiæ Chriſtianæ caput eſſe Chriſtum, & eius loco in terris Pontificem Summum: ergò Princeps politicus, quãdo Chriſtianus eſt, & ad Eccleſiam pertinet, non eſt caput omninò independens; ſed eſt caput Laicorum à Pontifice Maximo dependens, vt ab eo dirigatur, & iudicetur, quando in regimine temporalium deuiat à regula diuina, & ſpirituali.

Rom. 12. 1. Cor. 12.

1. Inſtantia. *At*, inquit, *Rex in temporalibus non reco-*
» *gnoſcit ſuperiorem.*

Reſponſio. Reſpondeo. Verum eſt, quia non habet ſupra ſe Principem temporalem, à quo in temporalibus abſolutè dependeat: ſed habet ſolùm Principem ſpiritualem, à quò in temporalibus dirigatur, quatenus temporalia ſpiritualibus ſubijciuntur, atque ad ea ordinantur.

2. Inſtantia. *At*, inquit, *ipſe etiam Bellarminus ſatis*
» *apertè iudicare videtur lib. 2. de Pont. cap. 26.*
» *poteſtatem Eccleſiaſticam, & politicam duas Reſp.*
» *conſtituere.*

Reſponſio. Reſpondeo. Verum eſt; ſed partiales, ex quibus fiat vna totalis, ex eo, quod vniuerſitas Eccleſiaſticorum, & Laicorum non ſunt quaſi duo pagi confœderati, vt apud Heluetios, quorum vnus non pendet ab alio: ſed ſunt quaſi ſpiritus, & corpus in homine, vt ſæpè diximus. Quamuis enim corpus habeat ſuas potentias, officia, actionibus ſpiritus: tamen illa ſubijciuntur iſtis; & iſta imperant illis.

» Num. 87. 88. & 89. Diſtinguit Aduer-
» ſarius nomen Eccleſiæ, ſiue Reip. Chriſtianæ
» in duas ſignificationes.

Prima ſignificatio eſt, vt Eccleſia dicatur Corpus Chriſti myſticum, ſeu cœtus fidelium, ſub hac formali ratione, vt fideles ſunt.

Diſtinctio nominis Eccl Aduerſarij.

Altera eſt, vt Eccleſia dicatur cœtus fi- »
delium materialiter, & abſolutè, non præci- »
sè, vt fideles ſunt.

Secundum priorem ſignificationem di- »
cit, poteſtate eccleſiaſtica, & politica non »
conſtitui vnam Remp. ſiue Eccleſiam, ſed ſo- »
la poteſtate eccleſiaſtica conſtitui Eccleſiam, »
ſiue Remp. Chriſtianam, in qua omnes ſubij- »
ciuntur vni capiti Chriſto, & eius Vicario, »
poteſtate autem politica conſtitui Remp. po- »
liticam, id eſt, cœtum hominum ſiue fideliũ, »
ſiue infidelium, quatenus ſubijciuntur Princi- »
pi politico in eadem ſocietate vitæ ciuilis. »

Secundum poſteriorem ſignificationem »
dicit, Eccleſiam conſtare ex duabus Rebuſp. »
ſpirituali, & politica, & eſſe vnum aggrega- »
tum per accidens. Ex his concludit, quan- »
do Apoſtolus vocat nos *vnum corpus*, loqui »
eum de ſolo corpore myſtico, quod noluit »
confundere cum corpore politico: ſed voluit »
Chriſtianos etiam Laicos in ſpiritualibus ſub »
eſſe Summo Pontifici, vt capiti corporis my- »
ſtici; in temporalibus ſubeſſe Principi tem- »
porali omnes chriſtianos etiam clericos, vt »
capiti corporis politici. Atque id confirmat »
ex ijs, quæ Bellarminus ſcribit lib. de clericis »
cap. 28. & 30. vbi dicit eccleſiaſticos eſſe etiã »
ciues, & partes Reipubl. politicæ, & cœtum »
Laicorum non eſſe Eccleſiam, ſi Laici conſi- »
derentur, non vt chriſtiani; ſed vt ciues, vel »
quocunque alio modo.

Reſpondeo. Non ſatis propriè diſtinxit Aduerſarius ſignificationes Eccleſiæ. Nam poſterior ſignificatio ita impropria eſt, vt in nullo fortaſſe bono auctore inueniatur. Rectius hoc modo diſtingui potuiſſent, vt prior ſignificatio ſit, quæ complectitur cœtum fidelium omnium, ſiue clericorum, ſiue laicorum: & hac ſignificatione vtuntur Scripturæ paſſim. Et de hac loquitur Dominus Matth. 16. vbi nomen Eccleſiæ Chriſtianæ primùm legitur; *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Poſterior ſit, quæ complectitur nobiliorem partem, id eſt, cœtum eccleſiaſticorum. Qua ſignificatione videtur Eccleſiam accepiſſe S. Luc. Act. 11. *Peruenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis, & miſerunt Barnabam* &c. Per Eccleſiam enim intelligi videntur Apoſtoli, & Seniores.

Diſtinctio nominis Eccleſ. vera.

Matth. 16.

Act. 11.

Sed his omiſſis examinemus ſententiam Aduerſarij, Eccleſia priori ſignificatione ſecundum Aduerſarium eſt vna, & corpus myſticum dici poteſt, & comprehendit omnes fideles, vt fideles ſunt; verum id eſt in hoc ſenſu, quod non facit hominem eſſe de Eccleſia officium ciuile, aut nobilitas, aut opulentia, aut aliquid aliud temporale; ſed fides in Chriſtum, baptiſmus, obedientia ad Chriſti Vicarium, & alia id genus ſpiritualia. Sed ſi ſenſus ſit, non eſſe obligatum hominem de Eccleſia ad obediendum Prælatis Eccleſię, niſi circa fidem, & alia ſpiritualia: quod autem attinet ad temporalia, ſoli Principi ſæculari parere debere, non eſt verum, quod Aduerſarius dicit. Homo enim chriſtianus pertinet ad Eccleſiam, & ſubijcitur Principi Eccleſiaſtico, non ſolùm vt Chriſtianus generatim, ſed vt talis chriſtianus, vt Rex chriſtianus,

Quid faciat aliquem eſſe de Eccleſia.

vt

Quatenus aliquis pertineat ad Eccl.

vt Dux Chriſtianus, vt miles chriſtianus, vt Iureconſultus chriſtianus, vt coniugatus chriſtianus, &c. Proinde debet fungi temporalibus officijs ſecundum Regulas Euangelij, & ideò in his etiam debet dirigi, & iudicari, & puniri pęnis etiam temporalibus, vt ſuprà ad num. 40. 41. & 42. oſtendimus.

Quod autem Aduerſarius dicit, corpus myſticum, ſeu *Eccleſiam*, ſeu *Remp. Chriſtianam ſola ſpirituali poteſtate conſtitui*; verum eſt in hoc ſenſu, quod ad Remp. Chriſtianam conſtituendam non eſt neceſſaria poteſtas formaliter politica: ſed tamen requiritur poteſtas, quæ ſit ita formaliter ſpiritualis, vt ſit etiam virtualiter politica, ita, vt poſſit Reges, & Principes, qui ad Eccleſiam admitti voluerint, regere, & iudicare, & punire etiam temporalibus pœnis, quando ſalus ipſorum, aut Eccleſiæ id poſtulauerit.

His ita explicatis, facile eſt iudicare, politicum corpus, cuius caput eſt Princeps ſæcularis, ſi non ſit Chriſtianum, eſſe Remp. omninò ab Eccleſia ſeparatam: ſed ſi chriſtianum ſit, eſſe quidem diſtinctum à corpore eccleſiaſtico in poſteriore ſignificatione Eccleſiæ: ſed non eſſe diſtinctum à corpore myſtico, niſi vt partem à toto, in priore ſignificatione, & eius caput ſubiectum eſſe capiti totius corporis myſtici.

Bellar. Eccleſiaſtici ſunt ciues Reip. politicæ.

Neque Bellarminus in lib. de Clericis contrarium dicit. Nam, cùm affirmat cap. 28. *Eccleſiaſticos eſſe ciues, & partem Reipubl. politicæ*: loquitur de eccleſiaſticis in poſteriore ſignificatione Eccleſiæ, quæ, vt diximus, complectitur ſolos clericos. Vbi autem Bellar. dixit, *cœtum Laicorum non eſſe Eccleſiam, ſi conſiderentur Laici, non vt Chriſtiani; ſed vt ciues, vel quocunque alio modo*: ſignificare voluit, cœtus laicorum, ſi chriſtiani non ſint, ad Eccleſiam non pertinere. Nam, vt paulò antè dictum eſt, id, quod facit hominem eſſe de Eccleſia, fides chriſtiana eſt; non ciuitas, aut aliquid aliud temporale.

Neque hinc ſequitur, quod Aduerſarius colligit, Rempubl. Chriſtianorum ciuilem, & eccleſiaſticam eſſe duas Reſpubl. non vnam. Sunt enim & vna, & duæ: vna totalis, & duę partiales.

4. Corollar.

Num. 90. ponit Aduerſarius corollarium quartum his verbis.

Quartum corollarium eſt; eandem prorſus actionem diuerſo modo conſideratam, poſſe ſimul poteſtati Eccleſiaſticæ, & ciuili, tam quo ad vim cogentem, quàm quo ad dirigentem ſubiacere.

Eccleſiaſtica poteſtas duplex.

Ad huius corollarij explicationem præmittit in hoc eodem num. 90. duplicem eſſe poteſtatem eccleſiaſticam, alteram *ordinis*, alteram *iuriſdictionis*: & rurſum poteſtatem iuriſdictionis, duplicem eſſe, alteram interiorem, alteram exteriorem, quæ notiſſima ſunt.

Num. 91. Addit, Chriſtum dediſſe Eccleſiæ ſuæ poteſtatem ſpiritualem, non ſolùm ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, non ſolùm internæ, ſed etiam externæ, quæ neceſſaria erat ad dirigendos, & cogendos fideles, &c.

Num. 92. addit finem poteſtatis politicæ eſſe publicam pacem: finem poteſtatis ſpiritualis eſſe ſalutem animarum. Ex quo colligit, actionem eandem, ſi vtrique fini aduerſetur, vt periurium, quod & publicæ paci, & ſaluti animæ nocet, ab vtraque poteſtate, politica, & ſpirituali debere puniri. Ex quo iterum colligit, Principem temporalem in ijs, quæ ad ſalutem animæ pertinent, corrigi, iudicari, & puniri debere à Principe Eccleſiaſtico; & contrà, Principem eccleſiaſticum in ijs, quæ pertinent ad publicam pacem corrigi, iudicari, & puniri debere à Principe temporali, ſi rerum natura ſpectetur.

Crimina miſti fori.

Reſpondeo. Corollarium ipſum facilè poteſt admitti. Notum enim eſt, multa eſſe crimina miſti fori, quę ad vtrumque tribunal, & eccleſiaſticum, & politicum pertinere poſſunt. Sed quia non debet idem crimen bis puniri, ideò in eiuſmodi criminibus datur præuentio.

Præuentio.

Proinde non rectè dixit Aduerſarius eiuſmodi crimina ab vtraque poteſtate iudicari, & puniri debere. Satis enim eſt, vt puniantur ab ea poteſtate, quæ præuenit alteram. Multò minus admittendum eſt, quod addidit; *Sicut Princeps politicus in rebus, quæ ad animæ ſalutem pertinent à principe ſpirituali dirigi, iudicari, atque puniri debet: ita Princeps ſpiritualis (ſi rerum naturas inſpiciamus) eſt in ijs, quæ ad pacem publicam ſpectant, à Principe politico dirigendus, iudicandus, atque caſtigandus.* Hoc, inquam, nulla ratione admitti poteſt; reclamat enim rerum natura, vt Pater à filio, & Paſtor ab oue dirigatur, aut iudicetur, aut caſtigetur.

Inſtantia.

At, inquies, ſicut Princeps politicus eſt filius, & ouis Principis eccleſiaſtici in ſpiritualibus: ſic Princeps eccleſiaſticus eſt filius, & ouis Principis politici in temporalibus.

Reſpondeo. Non ita eſt. Quoniam poteſtas temporalis ſubijcitur ſpirituali, non contrà. Si poteſtates eſſent pares, & independentes; tum fortaſſe ſimilitudo aliquid valeret: ſed cùm vna præſit: altera ſubſit, non eſt eadem ratio vtriuſque. Si comes aliquis in ditione magni alicuius Regis, cuius alioqui non eſt ſubditus, delictum committat, poterit Rex ratione delicti iuriſdictionem in illum exercere, eumque plectere: ſed ſi Rex in ditione Comitis non ſibi ſubditi, idem delictum committat, ratio non patitur, vt Comes in Regem exerceat iuriſdictionem, eumque carceri addicat.

Simile.

Quod ſi ſola dignitas ſine prælatione hoc facit: quantò magis æquũ eſt, vt hoc faciat dignitas cum prælatione coniuncta? Princeps enim ſpiritualis non ſolum eſt dignior temporali; ſed eſt eius Pater etiam, & Paſtor, quando chriſtianus vterque eſt. Ex quo facilè poteſt intelligi, quanta temeritate Aduerſarius effutierit ſequentia.

Num. 93. *Quinimmò*, inquit, *ſicut adminiſtratio temporalium in ordine ad bonum ſpirituale, id eſt, quatenus ſpirituali ſaluti aduerſatur, qua ratione naturam criminis ſpiritualis induit, ad forum Principis Eccleſiaſtici ſpectat, in quo corrigi, & iudicari debet: ita iniuſta ſpiritualium adminiſtratio, veluti excommunicatio Principis notoriè iniuſta; aut interdictum Regni manifeſtè iniquum, ab Epiſcopo, qui tali Principi ciuiliter ſubijcitur, latum, quatenus pacem publicam perturbat, & ſeditiones, ac tumultus in Reſpub. excitat, qua ratione naturam criminis politici ſortitur, ad tribunal Principis politici pertinere videtur.*)

Reſpondeo. Hæc iam intolerabilia planè ſunt, nec ab homine prodire poſſunt, niſi

niſi in reprobum ſenſum dato.

Primum caſus poſitus vix vnquam accidere poteſt. Epiſcopus enim particularis in toto Regno interdictum ponere non poteſt, cùm in vno Regno multi Epiſcopi eſſe ſoleāt, & nemo illorum extra ſuam diœceſim iuriſdictionem habeat.

Distinctio fori.

Deinde iniuſta adminiſtratio ſpiritualium, vt excommunicatio iniuſta, abſolutè crimen ſpirituale eſt, quamuis redundet in perturbationem publicæ pacis: ac per hoc ad ſolum Principem ſpiritualem eius cognitio pertinet. Et ſi ratio Aduerſarij valeret; omnia crimina, & politica, & ſpiritualia dici poſſent, & ſic omnis iuriſdictio, & omnia fora confunderentur. Nam homicidium, & furtum Laicorum, quæ ſunt delicta politica, quia redundant in detrimentum ſalutis animarum, cum ſint lethalia crimina, & cedāt in iniuriam Dei Legislatoris, deberent cognoſci à Principe ſpirituali: & contrà hæreſis, quæ eſt delictum maximè ſpirituale, quia perturbat pacem publicam, deberet cognoſci à Principe politico, quæ ſunt paradoxa hactenus inaudita.

Epiſcopi omni iure exempti à poteſtate politica. Conſtant. M. apud Ruffinū lib. 1. hiſt. c. 2.

Poſtremò, Epiſcopi, ſiue Principes ſpirituales ſunt omni iure exempti à poteſtate politica, vt ne Conſtantinus quidem totius orbis terrę Dominus auſus fuerit eorum controuerſias dijudicare: ergò, qui vult eos poſſe corrigi, iudicari, & puniri à Principe politico, ob crimen natura ſua, ſpirituale, quamuis aliqua ex parte affinitatem habere videatur cum delicto politico: indignus eſt, qui inter Catholicos numeretur, cum ſit hoſtis manifeſtus eccleſiaſticæ Hierarchiæ.

Hierarchia Eccleſiaſtica.

1. Replica.

At dices; Princeps ſpiritualis corrigere poteſt, & iudicare Principem politicum, ſi ità malè adminiſtret temporalia; vt adminiſtratio cedat in graue detrimentum ſalutis animarum: igitur eodem modo poterit politicus Princeps corrigere, & iudicare Epiſcopum, ſi mala adminiſtratio ſpiritualis redundet in graue detrimentum pacis temporalis.

Reſponſio

Reſpondeo. Nego conſequentiam. Non enim eſt eadem ratio Principis politici, & Principis ſpiritualis; cum ille ſit ouis, & filius: hic Paſtor, & Pater.

2. Replica.

Quid? ergò, inquies, licebit Epiſcopo Remp. politicam deſtruere, & Princeps politicus videbit, & tacebit?

Reſponſio.

Reſpondeo. Nihil minus: ſed poterit, & debebit Princeps politicus adire Superiorem Prælati Eccleſiaſtici, atque alijs ſimilibus licitis modis Rempublicam ſuam defendere, ac protegere. Aliud enim eſt, ſe, & ſua defendere, & iniuriam propulſare, quod priuatis etiam hominibus licet; aliud iuriſdictionem in ſibi non ſubditos exercere.

Franciſcus Victoria.

Num. 94. Probat Aduerſarius ex Franciſco Victoria, licitum eſſe Reip. politicæ, quæ in ſe perfecta eſſe debet, & per hoc poteſtatem habere propulſandi iniurias, & ſtatum ſuum conſeruandi; licitum, inquam, eſſe defendere ſe à quibuſcunque violentijs ſpiritualibus, quæ pacem ſuam publicam iniurioſè perturbant.

Reſpondeo. Ita eſt; modò fiat debitis, ac licitis vijs, & prætextu violentiæ non vſurpetur Iuriſdictio, & poteſtas, quæ de iure non conuenit Principi politico.

Num. 95. 96. 97. & 98. Addit Aduerſarius, quæſtionem eſſe magni momenti de pœnis, quas infligere poteſt Princeps eccleſiaſticus; ac dicit ex ſententia Bellarmini, poſſe Principem eccleſiaſticum infligere pœnas nō ſolum ſpirituales, quales ſunt cenſuræ: ſed etiam temporales, quales ſunt pœnæ pecuniariæ, exilia, carceres, & ſimilia: alios autem probabilius docere, non poſſe Principem ſpiritualem infligere pœnas, niſi ſpirituales, quemadmodum Princeps politicus, non poteſt infligere pœnas ſpirituales, ſed ſolum temporales.

Reſpondeo. Sententia Bellarmini ab Aduerſario recitata, eſt ſententia Conciliorum generalium à Sede Apoſtolica approbatorum, & ab omnibus Principibus Catholicis ſæcularibus etiam cum veneratione receptorum, vt ſuprà cap. 4. ad num. 41. & 42. in refutatione ſecundi argumenti Aduerſarij oſtendimus. Itaque nec Bellarminus, nec vllus Catholicus aliter ſentire aut poteſt, aut debet.

5. Corollariū

Num. 99. *Ex his*, inquit, *infertur quintum corollarium, nempe aliud eſſe habere poteſtatem, ſeu ius dirigendi alterum in temporalibus, ſeu præcipiendi alteri, vt tali, vel tali modo de temporalibus diſponat: & aliud habere dominium rerum temporalium, ſeu poteſtatem, & ius de temporalibus diſponendi. Sicut aliud eſt, habere poteſtatem, ſeu Ius præcipiendi alteri, & cogendi, ne ſpiritualia in perniciem Reip. ſpiritualis illicitè adminiſtret; & aliud habere dominium rerum ſpiritualium, ſeu poteſtatem de ſpiritualibus diſponendi, exempli gratia. Quilibet Epiſcopus, vt Epiſcopus eſt, habet poteſtatem præcipiendi, & cenſuris eccleſiaſticis cogendi Iudices ſæculares ſibi in ſpiritualibus ſubiectos, vt iuſtitiam adminiſtrent, atque malefactores debitis pœnis puniant, & extremo ſupplicio ex legum præſcriptis dignos morte adiudicent; ipſe tamen prout Epiſcopus eſt, non habet de vita, & morte vllam diſponendi facultatem.)*

Reſpondeo. Hoc Corollarium partim eſt verum, partim eſt falſum. Aduerſarius enim accommodat diſtinctiones, vt opinioni ſuæ ſtabiliendæ, & confirmandæ deſeruiant. Verum eſt, aliud eſſe, habere poteſtatem, ſeu Ius dirigendi alterum in temporalibus, ſeu præcipiendi alteri, vt tali, vel tali modo de temporalibus diſponat; aliud habere dominium rerum temporalium. Nam Tutor pupilli habet Ius dirigendi diſpenſatores bonorum pupilli, & præcipiendi, vt tali, vel tali modo diſpenſent: nec tamen habet dominiū bonorum pupilli. Immò Rex ipſe non habet dominium bonorum temporalium ſubditorum ſuorum: (alioqui non peccaſſet Achab Rex, cùm vineam Naboth ſubditi ſui concupiuit; ſed peccaſſet Naboth, qui eam vineam ſe Regi daturum, aut etiam venditurum liberè pernegauit) & tamen poteſtatem habet Rex dirigendi ſubditos, & præcipiendi, vt bene diſponant temporalia ſua.

Achab Rex 3. Reg. 21.

Atqui, vt iſtud verum; ſic multa alia in illo corollario dicuntur, quæ falſa ſunt.

Dominium, & poteſtas diſponendi differunt.

Primò, falſum eſt, dominium, & poteſtatem diſponendi de temporalibus, ſemper idem eſſe; quod ab Aduerſario, qui ea confundit, videtur aſſeri. Nam Tutor, v.g. habet poteſtatem, & ius diſponendi de bonis pupil-

pupilli: at non eſt Dominus eorum bonorũ. Item Abbas, ſeu Præpoſitus ordinis religioſi poteſtatem habet diſponendi de bonis monaſterij: ſed nec is eſt Dominus eorum bonorum, cum non minus voto paupertatis teneatur, quàm cæteri.

Ius præcipiendi alteri, vt rectè diſponat: & ius diſponendi non ſemper differunt.

Secundò, falſum eſt, Ius præcipiendi alteri, vt rectè diſponat,& Ius diſponendi ſemper diſtincta eſſe, ſi ſenſus ſit, eum, qui poteſt præcipere alteri, vt rectè diſponat, non poſſe etiam diſponere in eaſu, quo ille, cui præcipitur, non obediat. Nam Rex non ſolum poteſt præcipere ſubditis, vt bene diſponant; ſed ſi ipſi id non fecerint, poteſt ſine dubio ipſe manum apponere, & diſponere, vt neceſſitas requirit. Qua ratione Dominicus à Soto in 4. ſent. diſt. 25. qu. 2. art. 1. ſcribit, licere Summo Pontifici, non ſolum præcipere Regibus, vt legem iniuſtam tollant; ſed etiam auctoritate propria illam abrogare ſi Reges ipſi admoniti non paruerint. Immò non ſemper neceſſe eſt caſum non obedientiæ exſpectare. Nam Dominus poteſt famulo, item procuratori ſuo præcipere, vt rectè de rebus ſuis diſponat: & Rex Proregi: vt de rebus regni rectè diſponat: & Tutor diſpenſatori bonorum pupilli, vt de ijs rectè diſponat & tamen ijdem, quando ita eis placuerit, de iiſdem rebus diſponere poſſunt.

Dominicus à Soto.

Tertiò, falſum eſt, poſſe Principem laicum præcipere Epiſcopo, & cogere illum, ne ſpiritualia in perniciem Reip. temporalis illicitè adminiſtret.

Poteſt quidem Princeps laicus licitis modis operam dare, ne Reſp. ſua politica perniciem patiatur: at ex auctoritate Epiſcopo, tanquam homini ſubdito, vt hoc vel illo modo ſpiritualia adminiſtret, præcipere non poteſt.

Epiſcopo non licet extremum ſuppliciũ mandare

Quartò, & vltimò, falſum eſt, poſſe Epiſcopum præcipere Principi politico ſibi in ſpiritualibus ſubiecto, vt homines malefactores debitis pœnis puniat, & ſupplicio extremo eos, qui morte digni ſunt, afficiat. Nam Epiſcopi interceſſores eſſe debent apud Principes pro miſeris captiuis, etiam Reis; non incenſores ad capitale ſupplicium. Neque pęnam irregularitatis euaderent, ſi præciperent, vel ſuaderent Principibus, vt homines quantumnis noxios morte mulctarent. Vide epiſt. 54. S. Auguſtini ad Macedonium, & videbis officium Epiſcoporum eſſe, intercedere pro Reis apud Iudices, vt non occidantur, quamuis occidi mereantur: nec tamen hoc officium eſſe contra leges, quæ malefactores puniri iubent.

Irregularitas.

S. Auguſt.

Seuerus Sulpitius.

Priſcillianus hæreſiarcha.

Lege Sulpitium Seuerum lib. 2. hiſt. ſacræ, & in tertio dialogo; & diſces, quam malè audierint apud alios Epiſcopos Idacius & Itharius Epiſcopi, qui Priſcillianum morte digniſſimum à Maximo Imperatore gladio puniri curauerunt.

„ Num. 100. 101. 102. duabus ſimilitudi-
„ nibus probat Aduerſarius, Principem eccle-
» ſiaſticum poſſe quidem dirigere Principes ſe-
» culares in rebus temporalibus diſponendis,
» eoſque cogere, ne in perniciem boni ſpiritua-
» lis temporalia bona diſponant: non tamen
„ ius & poteſtatem habere de illis diſponendi
„ in ordine ad ſalutem animarum.
» Prior ſimilitudo eſt eius, qui promiſſio-
ne, voto, aut iuramento ſe obligauit, vt in „
ſuis bonis diſtribuendis præceptum, & dire- „
ctionem alterius ſequatur. Is enim non tri- »
buit alteri dominium, aut poteſtatem ſuper »
ſua bona; ſed ſolùm directionem, & præce- »
ptum. »

Poſterior eſt Principis temporalis, qui »
etiamſi habeat poteſtatem imperandi eccleſia „
ſticis ſibi ſubiectis, ne ſpiritualia adminiſtrēt „
in detrimentum ſtatus politici: non tamen „
habet dominium, vel poteſtatem diſponendi »
ſpiritualia.

Reſpondeo. Vulgò receptum eſt; Omne ſimile claudicat: nec quicquam tam ſimile alteri, quin in aliquo ſit diſſimile: vnde putatur ad probandam, euincendamq; rem parum habere virium. Quod ſi autem ſimilitudo inſtituatur in eo, in quo eſt diſſimilitudo, tum verò inepta omnino eſt argumentatio. Porrò id fit in his duobus ſimilibus.

Nam prior ſimilitudo nihil facit ad rem aliud enim eſt, habere poteſtatem aliquam limitatam ex voluntate alterius; aliud habere poteſtatem ex officio proprio, ſiue ex auctoritate ſibi abſolutè collata. Siquidem Princeps politicus, qui non ex promiſſione, voto, aut iuramento ſubditi; ſed ex proprio officio præeſt, non ſolum poteſt dirigere, & præcipere ſubditis, vt bene diſponant temporalia; ſed poteſt illos in pęnam ſpoliare temporalibus, & etiam ſine merito pœnæ, poteſt cogere, vt contribuant ad onera publica, & ſi nolint, poteſt ipſe vi auferre, quantum neceſſe eſt ad Rempubl. conſeruandam. Aptior ſimilitudo fuiſſet, ſi in exemplum Aduerſarius adduxiſſet Monachos, qui per votum obedientię accipiunt hominem aliquem abſolutè in Superiorem, & Prælatum. Prælatus enim non ſolum præcipere poteſt Monacho, vt non malè diſponat temporalia, quibus vtitur: ſed poteſt illi auferre ſuperflua, & dare alijs magis egentibus. Poteſt etiam illum bonorum adminiſtratione priuare.

Simile.

Princeps politicus non habet vllum imperium in Epiſcopos.

Poſterior ſimilitudo falſum aſſumit. Nã vt ſupra diximus, non poteſt Princeps politicus dirigere Principem ſpiritualem in ſpiritualibus adminiſtrandis: multoque minus poteſt illi præcipere, ne ſpiritualia diſpenſet in detrimentum ſtatus politici, quamuis poſſit illum admonere, vt non adferat detrimentum Reipub. temporali, & poſſit etiam iniurias licitis modis propulſare.

Diſcrimen Principis ſpiritualis, & politici.

Neque eſt eadem ratio Principis ſpiritualis, & politici: quoniam enim ſpiritualia non ordinantur ad temporalia; ſed temporalia ad ſpiritualia; ideo poteſt Princeps ſpiritualis dirigere Principem temporalem in tēporalibus diſponendis: non poteſt Princeps temporalis dirigere Principem ſpiritualem in ſpiritualibus adminiſtrandis. Hæc de corollarijs.

CAP.

C A P. V I.

Examinatur ſtatus quæſtionis à nu.103. vſque ad nu.142.

VEntutus iam tandem videbatur aduerſarius ad rationes Bellarmini refellendas, quod iam dudum promiſerat ſe facturum. Sed tamen antè voluit examinare ſtatum quæſtionis, vt à Bellarmino proponitur. Sic igitur loquitur.

Num. 103. *His obſeruatis non erit diffi-*
» *cile ſingulis rationibus, quæ à Card. Bellarmino*
» *pro poteſtate temporali Pontificis demonſtranda*
» *adferuntur, ex ipſiuſmet principijs abundanter*
» *ſatisfacere.*

In primis non abs re erit paucis declarare quàm artificiosè ſtatum quæſtionis proponat, & ſententias auctorum de poteſtate Pontificis temporali recenſeat.

Tres ſententiæ de poteſtate Pont. tip.

Deinde num. 104. 105. 106. & 107. deſcribit ab verbum, quæ in lib.5. de Pont.cap. 1. habentur. Eorum ſumma hæc eſt.

Tres ſunt de poteſtate temporali Pontificis ſententiæ.

I. Iurecõſult.

Prima quorundam Iureconſultorum, Summum Pontificem Iure diuino habere ſpiritualem, & temporalem poteſtatem directè in vniuerſum orbem terrarum, tum in rebus eccleſiaſticis, tum in politicis.

II Hæretici

Secunda non tam ſententia, quam here-
» ſis, multorum hæreticorum, vt Caluini, Pe-
» tri Martyris, Brentij, Magdeburgenſium,
» Pontificem, vt Pontificem ex iure diuino nul-
» lam habere temporalem poteſtatem, nec poſſe
» vllo modo imperare Principibus ſæcularibus,
» nedum eos Regnis, & Principatu priuare,
etiam ſi illi priuari mereantur.

III. Theolog.

Tertia communis Theologorum Catho-
licorum quaſi media, Pontificem, vt Ponti-
» ficem non habere directè,& immediatè vllam
» temporalem poteſtatem; ſed ſolum ſpiritua-
» lem: tamen ratione ſpiritualis habere ſaltem
» indirectè poteſtatem quandam, eamque ſum-
» mam in temporalibus.

His recitatis, nu. 108. reprehendit nu-
» merationem, & explicationem trium ſenten-
» tiarum, vt parum accuratam, & parum fide-
» lem. Ideò autem reprehendit, quod præter-
» miſſa videatur ſententia ipſius, quæ fortaſſe
» quarta dici poſſet, cùm ſit compoſita ex ſe-
» cunda, & tertia.

Reſpondeo, ſine cauſa reprehenditur Bellarmin. eo nomine, quod quartam iſtam ſententiam eo loci omiſerit. Nam quando Card. Bellarm. controuerſias ſcriberet, fortè nondum concepta, aut ſi concepta, certè necdum nata erat, necdum lucem viderat, ac proinde Bellarm. nota eſſe non poterat quarta iſta opinio; quæ ex iuramento, quod nuper propoſuit Catholicis Sereniſſimus Rex Magnæ Britanniæ & ex libro Gulielmi Barclaij occaſionem prodeundi in lucem accepiſſe videtur. Videamus nunc, quid Aduerſarius contra explicationem ſecundæ, & tertiæ ſententiæ obijciat. Nam de prima non eſt valdè ſollicitus.

Iuramentum Regis magnæ Britanniæ.

» Num. 109. *In ſecunda*, inquit, *ſententia,*
» *quam ipſe hæreſim nuncupat, plures ſimul per-*
miſcet ſententias, ſeu propoſitiones inter ſe omni- »
nò diſtinctas, & à Catholicis Doctoribus ſingulas »
propugnatas. »

Prima eſt, Pontificem, vt Pontificem, ex »
Iure diuino nullam habere temporalem poteſta- »
tem. Hanc etenim propoſitionem plurimi Catho- »
lici Doctores tuentur, quos ſuprà recitauimus nu. »
4. & ſeqq.

Altera propoſitio, ſeu ſententia eſt, Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino nullo modo poſſe imperare Principibus ſæcularibus, in cauſis, ſubintellige, temporalibus de quibus duntaxat, præſens quæſtio à Cardinale Bellarmino inſtituitur: nam alioqui poſſe Pontificem in cauſis ſpiritualibus imperare Principibus ſæcularibus, omnes Catholici profitentur.

Reſpondeo. Secundam ſententiam Bellarminus rectè nominauit hæreſim; tum quia multa continet contra fidem, & quæ ſunt hæretica: tum quia ſine dubio in eo ſenſu intelligendam eſſe voluit, in quo profertur à Io. Caluino, Petro Martyre, Ioanne Brentio, & Centuriatoribus Magdeburgen. quos ſolos allegauit, & qui omnes hæretici ſunt manifeſti, & eo ſenſu illam dictam propoſitionem intelligunt, qui omninò eſt hæreticus.

Quod dicit Aduerſarius: primam propoſitionem, quod videlicet nullam habeat Pontifex, vt Pontifex, temporalem poteſtatem, docuerunt multi Catholici Doctores; quos dicit ſe allegaſſe num.4. & ſeq. ibi refutauimus, vbi oſtendimus ex ijs Doctoribus aliquos eſſe hæreticos manifeſtos, vel ſchiſmaticos, aliquos de hac noſtra quæſtione non loqui, aliquos falsò ab Aduerſario allegari.

Iam verò ſecunda propoſitio, quam in ſecunda ſententia poſuit Bellarminus, non videtur reſtringenda eſſe ad ſola temporalia, vt Aduerſarius dicit, ſed vniuersè accipienda, vt eam hæretici moderni accipiunt, qui negant Pontificem Romanum eſſe Paſtorem vniuerſæ Eccleſiæ, ac proinde nullum ius habere imperandi Regibus, & Imperatoribus, ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus. Sic enim verba habent: *Nec poſſe vllo modo imperare Principibus ſæcularibus*. Nec obſtat, quod quæſtio ſolùm inſtituta eſſet de poteſtate Pontificis temporali: quia nihil prohibet in ſententijs recenſendis, addere, quid præterea ſentiant ij, contra quos agitur, maximè ſi cum quæſtione connexum ſit, & vnum ex altero neceſſariò conſequatur, vt in propoſito accidit. Nam ſi Pontifex nullum habet ius imperandi Principibus, conſequenter certè non habet ius priuandi eos Principatibus ſuis, &c. Quare ſuperuacanea ſunt, quæ Aduerſarius diſputat de criminibus eccleſiaſticis, politicis & miſtis. nu. 110. 111. 112. 113. ea enim dicuntur occaſione ſecundæ ſententiæ perperam intellectæ.

Num. 114. *Tertia*, inquit, *propoſitio, cuius*
mentionem facit Bellarminus, in illa ſecunda »
ſententia, quam ipſe hæreſim appellat, eſt, non »
poſſe Pontificem Principes ſæculares ſuis regnis, »
& Principatu priuare, etiamſi illi priuari me- »
reantur. Et neque hæc propoſitio hæreſis eſt, aut »
doctrinæ Catholicæ repugnans, eamque expreſſis »
verbis defendunt plures Doctores Catholici, quos »
ſuprà commemorauimus, videlicet num. 4. & ſe- »
quentibus. De ea enim, vt dixit Trithemius, »

Digitized by Google

» *Scholaſtici certant , & adhuc ſub Iudice lis eſt .*
» *Atque ita patet, tres omninò diſtinctas ſententias*
» *in ſecunda illa ſententia , quam Bellarminus hæ-*
» *reſim appellat , ab illo ſimul confundi .*

Reſpoudeo . Iam ſupra dixi , falſum eſſe, quod expreſſis verbis multi Catholici Doctores docuerint , non poſſe à Summo Pontifice Reges deponi . Vide , quæ ſcripſimus cap. 3. ad num. 34. Ibid. ad num. 33. reſpondimus ad auctoritatem Trithemij ſæpius repetitam . Quid neceſſum eſt idem centies repetere ? obtundere hoc eſt, non docere .

Num. centeſimum decimumquintum , & centeſimum decimum ſextum omittimus , quia nihil ad rem noſtram faciunt.

» Numero centeſimo decimo ſeptimo .
» *Quapropter* , inquit, *ſi Cardinalis Bellarminus*
» *ſecundam ſententiam hæreſeos nota inurendam eſſe*
» *velit , quia affirmat Pontificem , vt Pontificem ,*
» *& ex iure diuino nullam habere temporalem po-*
» *teſtatem, neque poſſe Principes ſæculares ſuis Re-*
» *gnis , & Principatu priuare, cum præſertim nul-*
» *lam Eccleſiæ definitionem ad hæc dicta impugnan-*
» *da adferat , procul dubio nimis rigidus cenſor à*
» *multis meritò reputatur , dum ita properè viros*
» *doctiſſimos (vt verbis Couarruuiæ vtar) hac no-*
» *ta dignos eſſe cenſuit . Siquidem etſi opinio com-*
» *munis falſa cenſeri poſſit ; hæretica tamen dici ,*
» *donec ab Eccleſia contrarium fuerit definitum,abſ-*
» *que temeritatis nota minimè valet . Hactenus e-*
» *nim nihil certum , in hac controuerſia , Eccleſia*
» *Catholica definiuit (ſed de eo certant Scholaſtici ,*
» *& adhuc ſub Iudice lis eſt (vt ait Trithemius)*
» *propter eaque diſputationi locus eſt , abſque vlla*
» *hæreſeos ſuſpicione .*

Pontificem non poſſe imperare Principibus hæreſis eſt .

Reſpoudeo . Cardinalis Bellarminus rectè pronunciauit ſecundam ſententiam, hæreſim potiùs , quam ſententiam eſſe dicendã ; & verè ſic eſt : quoniam multa hæretica in ea continentur, præſertim intellecta ad mentem Calu. Martyris , Brentij , & Magdeburgenſium , quos ſolos auctores eius ſententiæ Bellarminus fecit . Nihil aut obſtat , quo minus aliqua ſententia hæretica dici poſſit , etiamſi aliqua eius particula fortaſſe non ſit hæretica . Cur autem aduerſarius Bellar. Couarruuiam objiciat , non eſt ratio , & facit in eo imprudentet . Is enim loco ab Aduerſario citato , in Regulam . *Peccatum* , part. 2. Relectionis §. 9. num. 7. reprehendit temeritatis Bartholum, & quoſdam alios , qui dicunt hæreticam ſententiam illam eſſe , quæ docet , Papam non habere poteſtatem temporalem ex Iure diuino , niſi in ordine ad bonum ſpirituale , quam ipſam ſententiam in tertio ordine poſitã Bellarminus cum omnibus Theologis, & plurimis Canoniſtis defendit ; & ſententiam , quam Bartholus tenet, idem Bellarminus refutauit . Rectè autem non ſolus Couarruuias , ſed etiam eius præceptor Nauarrus in cap. *Nouit* , de Iudicijs , notab. 3. nu. 41. reprehendit Bartholum temeritatis , quoniam auſus eſt communem ſententiam Theologorum ſine vllo fundamento hæreticam dicere : cum Theologi ſententiam Canoniſtarum falſam eſſe dixerint , non hæreticam . Vtriq; enim conueniunt,poſſe à Summo Pontifice Reges deponi , & Pontificem habere poteſtatem non ſolùm ſpiritualem, ſed etiam temporalem ; & ſolum de modo diſſentiunt . Et ſi Trithemius de hac quæſtione loqueretur verè diceret , *Scholaſtici certant* , *& adhuc ſub Iudice lis eſt* .

Didacus Conarruuias Bartholus reprehenditur.

Martinus Nauarrus.

Theologi, & Canoniſtæ in quo conueniunt .

Atqui Aduerſarius non de iſta quæſtione loquitur , quæ eſt inter Theologos , & Canoniſtas : ſed de ea , quæ eſt inter Theologos , & Canoniſtas : ex vna parte ; & Marſilium de Padua , cum Caluiniſtis , & Lutheranis ab altera , cum quibus ſentiunt Barclaius, & ipſe Aduerſarius , cum paucis eiuſdem farinæ . Nulli enim Catholici Doctores , ac ne ipſi quidem Iacobus Almainus , vel Ioannes Pariſienſis , abſolutè docent , in Pontifice nullam eſſe omninò temporalem poteſtatem , & in nullo caſu Reges poſſe deponi , vt iam ſuprà oſtendimus .

Videtur autem Aduerſarius Lectores voluiſſe decipere , qui ità citauit Couarruuiam, ac ſi ille temeritatis argueret eos , qui notam hæreſeos inurunt illis , qui negant omnem temporalem Pontificis poteſtatem , vt ipſe Aduerſarius cum Barclaio negat . Sed longè alia fuit mens Couarruuiæ, vt etiam Nauarri, vt paulò antè demonſtrauimus .

Ad id verò , quòd Aduerſarius objicit , nullam à Bellarm. allatam definitionem Eccleſiæ aduerſus ſententiam illam ſecundam , quam hæreſim nominauit .

Reſpondeo . Aduerſarium non diligenter legiſſe ſcripta Bellarmini ; ideò nullam Eccleſiæ definitionem in ijs aduertiſſe .

Sed quidquid eius rei ſit, iam ſuprà cap. 3. ad num. 3. dilucidè & diſtinctè explicaui , quæ exſtent Eccleſiæ definitiones , & iudicia circa præcipuam quæſtionem , quæ eſt de poteſtate Principes deponendi: vide etiam,quæ diximus eodem cap. ad num. 43.

Et quoniam Aduerſarius ita vehementer ac crebrò queritur ſecundam ſententiam à Card. Bellarmino hæreſim appellatam eſſe , operepretium me facturum exiſtimo , ſi eam Bellarmini cenſuram paulò clariùs , ac latiùs explicem : ſtatuo igitur ſequentes concluſiones .

Prima Concluſio. *Hæreſis eſt, Pontificem, vt Pontificem & ex iure diuino non poſſe vllo modo imperare Principibus ſæcularibus , neque in temporalibus , neque in ſpiritualibus* . De hac concluſione Aduerſarius non mouet litem , quia fatetur , & agnoſcit , vel agnoſcere ſe ſimulat ſpiritualem Pontificis poteſtatem in omnes Chriſtianos , Clericos , Laicos , Principes,priuatos à Chriſto Deo ac Domino noſtro ipſi collatam , qua eis ſaltem in ſpiritualibus imperare poſſit . Eſt igitur concluſio poſita contra hæreticos noſtri temporis Lutheranos , Caluiniſtas &c. contra quos Bellarminus ſecundam ſententiam hæreſim potius , quàm ſententiam dicendam eſſe , & meritò dicit , & aliter dicere non debuit : & verò valdè mirum eſt , quod Aduerſarius , qui ſe & Catholicum eſſe , & in hac concluſione à nobis non diſſentire ſimulat , id ægrè ferat .

Et licèt , quod quidem ad Aduerſarium attinet , huic diutius immorari non videatur neceſſum eſſe:attamen tum propter hæreticos, tum , quia hæc concluſio baſis eſt , & fundamentum reliquarum concluſionum , operepretium me facturum exiſtimo , ſi eam breuiter ac dilucidè confirmem .

Probo autem hoc vno argumento : Romanum

Pontifex iure diuino ſupremum in terris caput Eccleſiæ.

manum Pontificem eſſe ſummum in terris totius Eccleſiæ, ex iure diuino Euangelico Iudicem, Præſulem, & caput, cui omnes, quotquot fidelium nomine cenſeri volunt, nemine prorſus excepto, cuiuſcunque ſint ſtatus, dignitatis, ac conditionis, in vtroque foro tam interno, quam externo, in negotio ſalutis parere teneantur, eſt articulus fidei. Ergo hæreſis eſt, Pontificem non poſſe vllo modo imperare Principibus ſæcularibus. Cōſequentia eſt per ſe nota, ac euidens. Antecedens probatur.

Articulus fidei eſt, eam ſupremi Eccleſię capitis dignitatem, ſiue, vt vno verbo dicam, Primatum ſiue Principatum Eccleſiæ ſpiritualem à Chriſto Deo, ac Domino noſtro collatum eſſe S.Petro, & eius ſucceſſoribus vſque ad conſummationem ſæculi: ſed de fide eſt, Romanum Pontificem eſſe B.Petri Succeſſorem; ergò de fide eſt, Rom. Pontifici collatum à Chriſto ſupremum ſpiritualem Principatum Eccleſiæ, eiuſque contradictoria aſſertio eſt hæretica. Vtraque propoſitio probanda eſt.

In primis maior habet duo membra. Vnum eſt, S.Petro collatum eſſe à Chriſto primatum Eccleſiæ. Alterum, eundem primatum non illi ſolum, ſed & eius ſucceſſoribus collatum eſſe.

S.Petrus fuit caput Eccleſiæ.

Prius membrum, quod S.Petrus acceperit à Chriſto primatum Eccleſiæ (quo verbo ſuprema illa poteſtas ſpiritualis Iudicis, Præſulis, & Capitis intelligitur) probatur teſtimonijs Chriſti, addita declaratione, & explicatione Eccleſiæ, & SS.Patrum, quæ plane efficiunt, eam non eſſe Catholica fide omninò tenendam.

1. Teſtimon. Matth. 16.

Primum teſtimonium habetur Matthæi 16. vbi ſanè Chriſtus Dominus eam dignitatem ampliſſimis verbis D.Petro promiſit. Nam, cum Chriſtus Apoſtolos in communi interrogaſſet, quidnam de ipſo ſentirent; *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Et Petrus tanquam *os omnium Apoſtolorum, & vertex totius conſortij* (vt ait Chryſ. hom.55. in Matt.) reſpondiſſet: Tu es Chriſtus, filius Dei viui: Viciſſim Chriſtus, præteritis iam reliquis Apoſtolis (quos prius in communi, & in numero multitudinis affatus erat) in numeri ſingulari, vt pote *mercedem veræ confeſſionis rependens* (vt S.Hieronymus lib.3. comment. in Matth. & B.Cyrillus lib.4 Dialogi de Trinitate cum Hermia loquuntur) vni illi reſpondit; Beatus es (deſignat eum quaſi intento digito, numero ſingulari, & in ſecunda perſona) Simon (deſignat nomine proprio à Parentibus indito: & quia erat alter Simon Zelotes, ſiue Cananæus, ad clariorem diſtinctionem addit) *Bar-Iona*: (Ioannis fili) *quia caro & ſanguis* (quæ ſæpè fallunt) *non reuelauit* Tibi, *ſed Pater meus, qui in cælis eſt* (cuius reuelatio infallibilis fidei, & veritatis eſt) *& ego* (verus Deus & homo) dico Tibi, *quia* Tu es Petrus, (Syriacè, qua lingua Chriſtus es vſus, & S. Matthæus ſuum Euangelium ſcripſit, Cepha, quod nomen ei Chriſtus indiderat Ioan. 1. cap.) *& ſuper* Hanc Petram (Syriacè, Cepa) *ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et Tibi dabo claues Regni Cælorū. Et quodcumque ligaueris* (Tu) *ſuper terrā ligatū erit, & in Cęlis, & quodcumq; ſolueris* (Tu) *ſuper terrā, erit ſolutum: & in cælis.* Hæc eſt remuneratio veræ confeſſionis Petro à Chriſto reddita, vt S.Hieronym. & Cyrillus ſuprà allegati. Item S.Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Hilarius in commentarijs eius loci docent. Huius loci explicationem, & quod in eo S. Petro Principatus Eccleſiæ promittatur nolo, vt quis ex meis verbis intelligat: afferam potius vnanimem conſenſum Patrum Græcorum, & Latinorum, item declarationem vniuerſalium Conciliorum. Omnes enim ita docent: nemo negat.

S.Chryſoſt.

S Hieron. S. Cyrillus.

Patres Græci Origenes.

Orig. hom.5. in Exod. ſic loquitur; *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſoliſſima, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino, &c.*

S.Hippolit.

S.Hippolytus Martyr de conſummatione mundi: *Princeps Petrus fidei petra.*

S.Athanaſ.

S.Athanaſius in epiſt. ad Felicem, quam ſuo, & Alexandrinæ Synodi nomine ſcripſit: *Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ id eſt Epiſcopi ſunt confirmatæ.*

S. Baſilius.

S.Baſil. lib.2. in Eunomium: *Petrus propter fidei excellentiam Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum ſuſcepit.*

S.Epiphan.

S. Epiphanius in Ancorato: *Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum petram firmam, ſupra quam Eccleſia Dei ædificata eſt.*

S.Greg. Nazianz.

S.Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in diſputat. habenda: *Vides, quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtiq; omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic* (Petrus) *petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta* (intelligit reliquos Apoſt. Epheſ. 2.) *fidei ſuæ credita habeat.*

S.Cyrillus.

S.Cyril. l.1. in Ioann. cap.11. *Nec Simon fore iam nomen ſibi, ſed Petrus, prædicit: vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo, tanquam in petra, lapideque fortiſſimo ſuam ædificaturus eſſet Eccleſiam.*

S. Chryſoſt

S.Ioannes Chryſoſt. hom. 55. in Matth. hunc locum explicans: *Eccleſiæ paſtorem illum* (Petrum) *conſtituit.* Et mox, *Hieremiam quidem vnigeniti Pater: Petrum autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.*

Concil. Calcedonen.

Concilium generale Chalcedonen. Epiſcoporum DCXXX. act.3. *Petrus Apoſt. & petra, & crepido Eccleſiæ Catholicæ.*

Patres Latini.

Atqui hi Patres fuerunt Græci, ſequuntur Latini.

S.Clemens. Rom.

S.Clemens epiſt.1. ad Iacobum Apoſtol. *Simon Petrus fundamentum Eccleſiæ definitus eſt. Qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt Petrus.*

Tertullian.

Tertul. lib. de præſcript. hæreticorum: *Latuitne aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum?*

S.Cyprian.

S.Cyprianus in epiſt. ad Quintum de Baptiſmo hæreticorum: *Petrum primum Dominus elegit, ſuper quem ædificauit Eccleſiam.* Idem in lib. de vnitat. Eccleſiæ; *Hoc erant vtique, & cæteri Apoſt. quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis:* (nam omnes habebant Apoſtolatum; id eſt, auctoritatem in omnes Chriſtianos; ſed Petrus ordinariam, cæteri extraordinariam: extraordinariam, inquam, ratione ſucceſſionis, non ratione officij (*ſed exordium ab vnitate proficiſcitur* (ab vno Petro, tanquam non reliquorum modò Chriſtianorum, ſed & ipſorum Apoſt. fundamento, & capite) *& Pri-*

matus

matus *Petro datur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Idem in epiſt. ad Iubaianum; *Petro primum Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam. & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit.* Et infrà: *Eccleſia, quæ vna eſt ſuper vnum, qui claues eius accepit, Voce Domini fundata eſt.*

S. Leo M. S.Leo M. (quem S.Cypriano ſubiungo, quod eum quaſi clatiùs explicet) in epiſt.84. ad Anaſt.Epiſcopum Teſſalonicen. *Inter beatiſs. Apoſt. in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio: vni tamen datum eſt, vt cæteris præmineret.*

S. Hieron. S.Hieron. in lib. contra Iouiuianum, *Licet ſuper omnes Apoſtolos Eccleſia fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.*

S Ambroſ. S. Ambroſ. ſerm. 47. *Petra dicitur Petrus, eò, quod tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat.*

S. Auguſtin. Sanctus Auguſtinus Serm. 15. de Sanctis, *Petrum fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Eccleſia colit ſupra, quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit.*

Idem in Pſal.89. *Petrus Chriſtum confeſſus erat Filium Dei, & in illa confeſſione appellatus erat petra, ſuper quam fabricaretur Eccleſia.*

S Hilarius. S.Hilarius Canone 16. in Matthæum, *in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges diſſolueret. O Beatus cæli ianitor, &c.*

S. Paulinus. S.Paulinus epiſt. 4. ad Seuerum; *Petra eſt Chriſtus. Etiam diſcipulo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

S. Proſper. Proſper Aquitanicus lib 2. de Vocatione gent. cap. 9. *Hæc fortiſſima petra ab illa principali petra* (Chriſto) *communionem, & virtutis ſumſit, & nominis.*

S. Greg M. S.Gregorius M. lib. 4. èpiſt 32. *Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quod beatiſſimo, & omnium Apoſtolorum Principi Petro Dominica voce totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et infrà. *Ecce claues regni cæleſtis accepit, poteſtas ei ligandi, atque ſoluendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus tribuitur.*

Hi Patres ſufficiant, quando omnes, nemine contradicente in eandem ſententiam conſentiunt; omnes autem adſerre, & immenſi, & non neceſſarij eſt laboris.

2. Teſtimonium Luc. 22 Secundum teſtimonium habetur Lucæ 22. cap. Chriſtus enim contentione exorta inter diſcipulos; *quis eorum videretur eſſe maior:* non negauit aliquem in Eccleſia reliquis ſuperiorem futurum, quin potiùs affirmat; *Qui maior*, inquit, *eſt in vobis*; ſed damnat faſtum, Principum ſæcularium faſtui ſimilem, ſuo exemplo propoſito modum humilitatis præſcribit. Deinde clarè oſtendit Petrum Maiorem ſeu Superiorem reliquis (in Eccleſia futurum. Nam conuerſus ad Petrum, inquit; *Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos*, (omnes Apoſtolos) *vt cribraret ſicut triticum*: (tentando eos circa fidem) *Ego autem oraui pro te* (tanquam futuro capite, & fundamento cæterorum: non enim ſine cauſa numerum mutat) *vt non deficiat fides tua*. (Sed ad communiorem aliorum vtilitatem ſit firma: vnde addit:) *Et tu aliquando conuerſus* (accepta poſt lapſum, & reſipiſcentiam cura paſtorali) *confirma fratres tuos*, quo ſane, *confirmandi* vocabulo auctoritatem in ducendo ſignificat. Sed audiamus Patres.

S. Ambr. S. Ambroſius in Pſal. 43. aliquanto poſt medium, *Petrus*, inquit, *Eccleſiæ præponitur. Itaque antè ſignificat Dominus, quid ſit illud, quod poſtea eum paſtorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: tu autem conuerſus confirma fratres tuos.*

S. Auguſt. S.Auguſtinus q.75. ex nouo teſtamento; *Sicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis Dominici.* Et mox; *quid ambigitur?* inquit, *pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam. Manifeſtum eſt, in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur Semper enim in Præpoſito populus aut corripitur, aut laudatur.*

S. Leo M. S.Leo. Serm.3. de die anniuerſario aſſumpt. ſuæ (idemque habet ſerm. 2. de Natali Petri, & Pauli) *Commune*, inquit, *erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur. Tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. Id Petro ergò omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Cum itaque dilectiſſimi; tantum nobis videamus præſidium diuinitus inſtitutum: iuſtè in ducis noſtri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes Redemptori noſtro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit.*

Theophylactus. Theophylactus in comment. eius loci. *Planus huius loci intellectus hic eſt: Quia te habeo, vt Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra, & fundamentum es.* Et infrà. *Tu Petre, conuerſus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, qui cùm Apoſtolus fueris, & negaueris, iterum receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.*

3 Teſtimon. Ioan 21. Tertium teſtimonium eſt Ioan. 21. vbi Chriſtus Dominus aſcenſurus in cælum, *Vicarium amoris ſui erga gregem* (vt inquit B. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap 24.) D. Petrum relinquens; *omnibus eum Apoſtolis antetulit*, eique ſummam tandem auctoritatem Eccleſiam ſuam regendi. anteà promiſſam, attribuit.

Erant, inquit Euangeliſta, *Simon Petrus, & thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat à Cana Galileæ, & filij Zebedæi, & alij ex Diſcipulis eius duo, &c. Et dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis* ad diſtinctionem Simonis Cananæi exprimit nomen Parentis\ ſicut Matth. 16. dixerat Simon Bar-Iona.) *diligis me plus his? Dicit ei; etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei; Paſce agnos meos.*

Dicit ei iterum : Simou Ioannis diligis me? Ait illi ; Etiam Domine , tu ſcis , quia amo te. Dicit ei ; Paſce agnos meos . Dicit ei tertiò ; Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Pelrus , quia dixit ei tertiò : amas me? Et dixit ei Domine tu omnia ſeis , & ſcis , quia amo te Dicet ei : Paſce oues meat . Teſtimonia Patrum erunt nobis inſtar commentarij .

Patres Græci. Origenes in cap. 6. ad Romanos . *Cum Petro* ; inquit , *ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur Eccleſia* (en , quando impleta promiſſio) *nullius confeſſio virtutis alterius , niſi charitatis ab eo exigitur .*

S. Cyrillus. S.Cyrillus lib.12.in Ioan. cap. 64. agens de hoc loco : *Pertum Principem , & caput cæterorum Apoſtolorum appellat .*

S. Epiphan. S.Epiphanius in Aucorato : *Hic eſt , qui audiuit , Paſce oues meas , cui concreditum eſt ouile .*

S. Chryſoſt. S.Chryſoſt.hom.vlt.in Ioan. *Cæteris omiſſis , ſolùm Petrum alloquitur ; curam & ei committes fratrum ſuorum* , id eſt Apoſtolorum . Et , *Ter interrogat , & ſemper idem pracipit , inquiens : Paſce , vt demonſtret , quanti ouium ſuarum curam faciat .* Et infrà : *Nam , cùm magna Dominus Petrō communicaſſet , orbis terrarum curam demandaſſet .* Ee lib.2. de Sacerdotio , initio : *Interrogat diſcipulum Magiſter , uum ab eo ametur ? Non quo id ipſe edoceatur ; verum vt nos doceat , quantæ cura ſibi ſit gregis huius præfectura .* Et paulò poſt : *Illum* , inquit , *auctoritate praditum eſſe voluit , ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere . Petre enim , ait , amas me plus , quàm hi omnes?* Demum hom.1. de pœnitentia ; *Eccleſiæ primatus , gubernatioque per vniuerſum mundum ei à Chriſto concredita eſt*

Theophylactus. Theophylactus in c.21 Ioan. *Petro , non alij præfecturam ouium per vniuerſum mundum tribuit .* Conſentiunt Latini .

Patres Latini.

S. Cyprianus S.Cyprianus in lib. de vnitate Eccleſiæ , ſub initium ; *Petro poſt reſurrectionem ſuam dicit : Paſce oues meas ; ſuper illum ædificat Eccleſiam ſuam .*

S. Ambr. Sanctus Ambroſius lib.10. in Lucam cap. 24. *Interrogabat Dominus , non vt diſceret , ſed vt doceret , quem eleuandus in cælum amoris ſui velut Vicarium nobis relinquebat . Sic enim habet . Simon Ioannis , diligis me , &c. Petrus teſtificatur affectum , & ideò , quia ſolus profitetur ex omnibus ; omnibus anteſertur .* Et mox : *Tertiò , Dominus interrogauit . Et iam non agnos lacte paſcendos , vt primò ; neque ouiculas , vt ſecundò ; ſed oues paſcere iubetur , perfectiores vt perfectior gubernaret .*

S. Auguſt. S.Aug.tract.123.in Ioan. *Redditur negationi trinæ trina confeſcio , ne minus amore linguæ ſeruiat , quam timori : & plus vocis elicuiſſa videatur mors imminens , quàm vita præſens . Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem ; ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem .*

S. Bernardus. S.Bernardus lib.2.de conſiderat. *cui non dico , Epiſcoporum , ſed etiam Apoſtolorum ; ſic abſolutè , & indiſcretæ tota commiſſæ ſunt oues ? Si me amas , Petre , paſce oues meas . Quas? illius ciuitatis , aut regionis , aut certè regni? Oues meas* , inquit . Hæc ibi Bernardus , cui ipſe Caluinus etiam teſtimonium perhibet ; *ita loqui in libris illis Bernardum , vt veritas ipſa loqui videatur* , lib. quarto , Inſtituit. cap.vndecimo §.11.proinde , dum Caluinus primatui Petri contradicit , veritati ipſi vel ſuæ ipſius confeſſione contradicit .

Conſenſiunt alij omnes ; contradicit nemo .

Hæc de priore membro dicta ſufficiunt .

Poſterius membrum maioris illius propoſitionis erat ; *Eſſe de fide , non Petro tantùm , ſed etiam ſucceſſoribus eius primatum Eccleſiæ totius , ſiue ſpiritualem Principatum à Chriſto Domino , & ex iure diuino collatum eſſe .* *Succeſſor Petri eſt caput Eccleſia .*

Probatur ex ſupra citatis Euangelij locis. Nam dum Chriſtus abſolutè dicit ad Petrum ; *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* : procul dubio de Eccleſia illi loquitur , quæ iuxta certiſſimas promiſſiones ad finem vſque mundi duratura eſt : Iſa. 59. Matth.vlt. &c. Ideo enim Chriſtus addit ; *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam .* Certè non niſi vna eſt Eccleſia Chriſti ab ipſo vſque ad finem mundi duratura .. Hanc autem Eccleſiam ità perpetuò duraturam ædificare ſupra Petrum ipſum ſolum non potuit . Intellexit igitur ibi Petrum , & Succeſsores eius , vt optimè D. Thomas lib. aduerſus Gentes 3.cap.26.eſt argumentatus .

Deinde , cum dixit Chriſtus ad Petrum , *Paſce oues meas* , inſtituit officium Paſtoris ordinarium , & perpetuum . Probat id Card. Caietanus duplici argumento. Vnum eſt Paſtoris officium tamdiu durare debet , quamdiu durat ouile : ſed ouile Chriſti S.Petro commiſſum durabit vſque ad conſummationem mundi, igitur eò vſque durare debet Paſtoris officium S.Petro commiſſum , vel in ſucceſſoribus eius : Non in ipſo , vt patet ; ergò in ſucceſſoribus . Alterum eſt , quia Chriſtus S.Betro omnes oues ſuas , quouis loco , & tempore in terris exiſtentes commiſit . Dixit enim abſque omni reſtrictione , *Paſce oues meas* ; certum autem eſt , ac euidens , ly *Meas* , extendi ad omnes ſimpliciter . Hoc ſi quis , neget , dicat , quis excipiatur . Ipſe certe negat . Quare , cum S.Petrus non poſſet omnes oues Chriſti vſque in finem mundi ſolus paſcere , cum ipſe in carne non ſemper viuat , ſequitur officium paſcendi in S. Petro etiam ſucceſſoribus eius collatum eſſe . *Card. Caiet*

Sed audiamus hac de re Patres , & ſententiam vniuerſalis Eccleſiæ .

S. Cryſoſt S.Chryſoſtomus lib.2.de ſacerdotio , circa principium : *Quanam de cauſa ille ſanguinem eſſudit ſuum? certè , vt pecudes eas acquireret , quarum curam tum Petro , tum Petri ſucceſſoribus committebat .*

S. Auguſt. S.Auguſtinus in Pſal.contra partem Donati : *Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede , ipſa eſt petra , quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ .*

Et ſicut Auguſtinus de omnibus Prælatis Eccleſiæ in genere loquens , dicit lib.de Paſtoribus cap.1. *Quod Chriſtiani ſumus , propter nos eſt ; quod præpoſiti ſumus propter vos eſt :* idem de S.Petro docuit , eum eſſe Pontificem conſtitutum propter Eccleſiam , & non Eccleſiam propter Pontificem . Sic intelligo , quod dicit tract.50.in Ioan. *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum , non ei diceret dominus : Tibi dabo claues regni cælorum . Si hoc Petro tantum dictum eſt , non facit hoc Eccleſia ; ſi autem hoc in Eccleſia fit , Petrus quando claues accepit , Eccleſiam ſanctam ſignificauit .* Vult *Pontifex eſt propter Eccleſiam .*

enim

Digitized by Google

enim vir ſanctus dicere, quòd Petrus quando claues accepit, repræſentauerit Eccleſiam, vt Caput, Princeps, & Moderator totius Eccleſiæ, in vtilitatem eiuſdem Eccleſiæ claues acceperit, quòd idem clariùs docet tract. vlt. in Ioann. *Cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam*. Et in Pſal. 108. *Cuius* (Eccleſiæ) *ille agnoſcitur geſſiſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit*. Et ſer. 23. de verbis Domini: *Petrus à Petra cognominatus, Beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus Principatum tenens*. Quomodo autem in vtilitatem Eccleſiæ Petrus ſit eius Princeps conſtitutus, explicat Chriſtus cum inquit; *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. vt nimirum ſuper ipſius infallibili iudicio, & auctoritate in docendo, & regendo fundetur, & ſolidetur Eccleſia, & *confirmentur* fideles, Luc. 22. & *paſcantur oues* Chriſti, Ioann. 21. Idem S. Cyprianus explicat, cum ait in lib. de vnitate Eccleſiæ:

S. Cyprian. *Primatus Petro datur, vt Eccleſia vna monſtretur*. Et in epiſt. ad Iubaianum. *Nos Eccleſiæ vnius caput, & radicem tenemus*. Et infrà explicans, quæ ſit hæc radix; *Nam Petro* inquit, *primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit*. Et infrà: *Eccleſia, quæ vna eſt, ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt*.

Hinc manifeſtè ſatis deducitur ſucceſſio. Nam ad hunc finem ea planè neceſſaria eſt, non minus in planè neceſſaria eſt, non minus in progreſſu Eccleſiæ, quam in initio. Neque Chriſtus nunc minus Eccleſiam ſuam diligit, aut conſultum ei vult, quàm viuente Petro. Atque ita Patres colligunt.

S. Cyprianus lib. primo, epiſtola tertia ad Cornelium: *Nauigare*, inquit, *audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt*.

Conſentit S. Hieronymus in lib. contra Iouinian.

S. Hieron. *Licet ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolletur occaſio*.

Optatus lib. ſecundo contra Parmenianum;

Optatus. *Cathedra vna eſt, & negare non audes, ſcire te, Petro primùm in vrbe Roma cathedram eſſe collatam, vbi ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: inde Cephas appellatus, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, nec cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vna eſt, quæ eſt prima de dotibus: In ea ſedit primus Petrus, ſuccedit Linus, Lino Clemens*.

S. Leo M. Serm. 2. de anniuerſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum:

S. Leo M. *Manet diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, perſeuerat videlicet Petrus, & viuit in ſucceſſoribus ſuis*. Idem epiſt. 84. ad Anaſtaſium, in fine: *Magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: Et rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſſideret*.

Hugo Heretrianus. Hugo Heretrianus lib. de proceſſione Spiritus ſancti aduerſus Græcos 3. cap. 17. *Ex ipſa rei euidentia liquidò apparet, quod Petrum, eiuſque ſucceſſorem Chriſtus Principem, & caput non modo Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuerſi: verum etiam etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum: Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum conſtituit*.

Petrus Rauennat. Petrus Rauennæ Epiſcopus in epiſt. ad Eutych. *Beatus Petrus, qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem*.

Demum ita declaratum, & definitum fuit in Concilio Conſtantienſi Seſſ. decimaquinta; vbi iſta hæreſis Ioannis Huſſ. inter alias damnata eſt; *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat in ſpiritualibus eſſe vnum caput regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante conuerſetur, & conſeruetur*: eaque damnatio eſt à Martino Quinto Pontifice in Bulla Concicilio Conſtantienſi annecti ſolica ſpeciatim, & nominatim confirmata.

Hactenus probata eſt maior iſtius ſyllogiſmi.

Nunc probamus minorem, quæ erat; *de fide eſt, Romanum Pontificem eſſe B. Petri ſucceſſorem*.

Primum argumentum ſumitur ex generalibus Concilijs.

I. Concilium generale Nicænum Epiſcoporum CCCXVIII. an. 327. celebratum Can. 6. Sic loquitur; *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*. Ac licet iſta verba in vulgatis libris Conciliorum non inueniantur: citantur tamen in Concilio Chalcedonenſi Act. 16. Itaque certum eſt, illa verba fuiſſe in Concilio Nicæno, & poſtea caſu aliquo excidiſſe. *Concilium Nicænum.*

II. Concilium generale, & Conſtantinopolitanum 1. Epiſcoporum CL. an. 383. vel circiter celebratum Act. 16. *Perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum, ſecundum Canones, Antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari*. Et in epiſt. ad Damaſum, quæ eſt apud Theodoretum lib. 5. hiſt. cap. 9. dicit ſe conueniſſe apud vrbem Conſtantinopolim *ex mandato litterarum* Pontificis & ſatetur, *Romanam Eccleſiam caput eſſe; ſe autem membra*. *Concil. Conſtantinop. 1.*

III. Concilium Sardicenſe Epiſcoporum CCC. can. 3. *S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit, renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det Iudices*. *Conc. Sardicenſe.*

IV. Concilium, quod fuit III. generale, & Epheſinum 1. Epiſcoporum CC. an. 434. to. 2. c. 16. vocat *Cæleſtinum Romanum* Pontificem, *ordinarium ſucceſſorem, & Vicarium B. Petri Apoſtolorum* Principis. *Con. Epheſinum 1.*

V. Concilium, Chalcedonenſe, quod eſt IV. generale Epiſcoporum D.CXXX. an CD. LII. vel circiter, Act. 2. poſt lectam Leonis *Conc. Chalcedonenſe.*

Digitized by Google

Pontificis epiſtolam vna voce exclamauit; *Petrus per Leonem locutus eſt*. Act. 3. cùm ſententia ferretur in Dioſcorum, dixit: *Leo Petri Apoſtoli præditus dignitate Dioſcorum depoſuit.* & in Epiſt. ad Leonem ſcripſit: *Leonem vocis Petri interpretem fuiſſe*.

Con. 6. Conſtãt. ſub Mẽna. vi. Concilium, Conſtantinopoli celebratum à Menna Patriarcha, quod à quibuſdam vocatur V. generale an. 536. ſententiam ferens in Antimum, & alios hæreticos: *Contempſerunt*, inquit, *Romanam Eccleſiam, in qua eſt ſucceſsio Apoſtolorum, quæ ſententiam contra ipſos protulit*.

Conc. Conſtantinop. vii. Concilium, quod eſt 6. generale Conſtantinopoli habitum, Epiſcoporum CCLXXXIX. an. 681. Act. 8. ſubſcribens Epiſtolæ Agathonis Pontificis: *Suggeſti nos*, inquit, *directas à Patre noſtro Agathone ſanctiſsimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & principalis ſedis antiquæ Romæ, tanquam à Spiritu S. dictatas, per os ſancti, ac beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito ter beatiſsimi Papæ Agathonis ſcriptas ſuſcipio, & amplector*.

Conc. Nicænũ viii. Concilium, quod eſt vii. generale, Ac Epiſcoporum cccl. Nicææ celebratum an. 782. vel circiter, Act. 2. recipit, & probat epiſtolam Adriani ad Tharaſium, in qua hæc habentur: *Cuius ſedes per totum terrarum orbem* Primatum *obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei Caput exiſtit. Vnde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed vbique Principatum obtinuit, & obtinet*.

Conc. Lateranenſe 4. ix. Concilium, quod eſt x. generale, & Lateranenſe iv. Patrum M.CC.LXXXIII. è quibus erant Epiſcopi CDXXIII. celebratum ſub Innocentio III. an. 1215. in quo interfuerunt Græci, & Latini, cap. 5 *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra.*

Cõc. Lugdunenſe 2. x. Concilium, quod eſt xiv. generale, & 11 Lugdunenſe, Patrum ferè mille, è quibus erant Epiſcopi D. in quo etiam Græci, & Latini interfuerunt, ſub Gregorio Decimo, ann. 1274. vocat *Romanum Epiſcopum* (vt habetur in 6. tit. de Electione, cap. vbi periculum) *Vicarium Chriſti, Succeſſorem Petri, Rectorem vniuerſalis Eccleſiæ.*

Conc. Conſtantien. xi. Concilium Conſtantienſe Patrum ferè mille, è quibus Epiſcopi amplius ccc. anno milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, *Ioan. Vuiclephus hæreſiarcha.* damnauit hunc errorem Ioannis Wiclephi, qui eſt inter articulos eius 37. *Papa non eſt immediatus, & proximus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.* Item hunc, qui eſt 41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias,* Seſſ. 8. & 15. eamque Concilij ſententiã Martinus v. confirmauit peculiari bulla Et hoc eſt generale xvi.

Conc. Florentinum. xii. Concilium Florentinum, quod eſt xvi. generale, Patrum CXLI. ann. 1439. præſentibus, & conſentientibus Græcis, & Latinis ita ſtatuit, *definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere* Primatum, *& ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.*

xiii. Lateran. v. & xviii. generale Patrũ cxiv. an. 1512. ſeſſ. 11. definit *Pontificem Romanum habere auctoritatem ſuper omnia Concilia, & docet de neceſſitate ſalutis exiſtere, omnes Chriſti-fideles Romano Pontifici ſubeſſe &c.* *Conc. Lateranenſ V.*

xiv. Concilium Tridentinum, quod eſt xix. generale an. 1583. ſeſſ. 14. cap. 7. docet *Pontifici maximo ſupremam poteſtatem in vniuerſa Eccleſia traditam.* *Conc. Trid.*

Ex his quatuordecim Concilijs, habemus pluſquam 5000. Patres, tam Græcos, quàm Latinos, qui teſtantur Romanum Pontificem Petro ſuccedere, vel, quod in idem recidit, Principatum in vniuerſam Eccleſiam habere. Et tamen multa concilia conſultò breuitatis cauſa omiſimus, vt generalia, Lugdunenſe 1. ſub Innocentio IV. an. 1245. cap. *Vbi periculum*, de electione, & electi poteſtate in ſexto. Viennenſe ſub Clemente V. Epiſcoporum ccc. an. 1311. in Clementina 1. de S. Trinit. & fide Catholica: Item prouincialia, Arelatenſe can. 1. Aurelianenſe IV. can. 1. Tolet. 1. in aſſertione fidei, in fine. Africanũ cap. 35. Mileuitanum apud S. Auguſt. epiſt. 92. & 93. &c.

Secundum argumentum ſumitur ex Patribus Græcis, & Latinis.

S. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis, Petro & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam omnibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſcientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vbique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt, vndique conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio.* *Patres Græcis S. Irenæus* NOTA.

Ibidem texit Catalogum Romanorum Epiſcoporum, & primo loco ponit *Petrum & Paulum*, ſecundo *Linum*, tertio *Anacletum*, quarto *Clementem*, & cæteros vſque ad *Eleutherium*, qui tunc ſedebat, & ter repetit *eos Apoſtolis ſuccedere*.

S. Athanaſ. in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes: *Primùm, ne Liberio quidem Rom. Epiſcopo pepercerunt, nulla reuerentia moti, quod ſedes illa Apoſtolica eſſet*. Et in epiſt. ad Felicem Papam: *ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules, in ſummitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcipit, vt nobis ſuccurratis*, *S. Athanaſ.*

Dorotheus in Synopſi: *Linus poſt Coryphæum Petrum Romæ Epiſcopus fuit.* *Dorotheus.*

Sozomenus lib. 4. cap. 14. *Non ſine diuina prouidentia factum eſt, vt mortuo Felice ſolus Liberius Romanæ Eccleſiæ præeſſet, ne ſedes Petri vlla infamiæ macula aſpergeretur*. *Sozomenus.*

S. Cyrillus in libro Theſauri, vt citatur à ſancto Thoma in opuſculo contra Græcos, *S. Cyrillus.*

& à

& à Gennadio Scholario, Græco auctore, in libro de primatu Romani Pontificis: *Petro omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi, tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt.* Item: *Debemus nos, vt qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi adhærere, &c.*

Theodoretus. Theodoretus, qui in Aſia D. ccc. Eccleſijs præerat, in epiſt. ad Leonem Papam. *Ego Apoſtolicæ veſtræ ſedis expecto ſententiam, &c.*

Patres Latini.

Tertullian. Tertullianus libr. de præſcript. cap. 32. *Euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquis ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris fuerit.* Et infra: *ſicut Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum profert.*

S. Cyprian. S. Cyprianus frequentiſſimè *Romanam ſedem Petri Cathedram* vocat. Et lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium: *Nauigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Et lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum: *Factus eſt Cornelius Epiſcopus, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm* Locus Petri, *& gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret.*

Euſebius. Euſebius in Chronico, an. 44. *Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat.*

Optatus. Optatus libr. 2. contra Parmenianum: *Igitur negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro primùm Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam.* Et infra, enumerat Romanos Epiſcopos *à Petro vſque ad Siricium,* qui ſuo tempore ſedebat.

S. Ambroſ. S. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, ca. 1. *Vtique ipſe auctor eſt nobis huius aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ.* Item in cap. 3. 1. ad Timoth. *Cùm totus mundus Dei ſit: tamen domus eius Eccleſia dicitur, cuius hodie rector eſt Damaſus.* Item in

N O T A. orat. in Satyrum: *Percunctatus Epiſcopum eſt, ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, ſi cum Romana Eccleſia conueniret.*

S. Hieron. S. Hieronymus de viris illuſtribus in Petro, dicit *eum 25. annis Romæ ſacerdotalem Cathedram tenuiſſe.* Item epiſt 1. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis; *Cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior. Supra illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.* Et infra: *Quicunque Ieſum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

S. Auguſt. S. Auguſtinus in epiſt. 10. enumerat Romanos Epiſcopos *à Petro vſque ad Anaſtaſiū.* Et epiſt. 92. ad Innocentium: *Quia te Dominus gratia ſuæ præcipuo munere in ſede Apoſtolica collocauit,* &c. Et epiſt. 16. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Item lib. 2. cap. 5. contra litteras Petiliani: *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nūc Anaſtaſius ſedet.*

Sulpitius Seuerus. Sulpitius lib. 2. ſacrar. hiſt. *Inualuerat apud vrbem diuina religio Petro Epiſcopatum gerente.* Siſto hic: nam reliquam vtriuſque Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis Doctorum turbam *denunciare nemo poteſt,* vt appoſitè inquit Caietanus in tractatu de inſtitutione Romani Pontificis cap. vlt.

Gelaſius Papa. Concludo igitur cum Gelaſio Papa in Concilio 70. Epiſcoporum: *Sancta Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt: ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri* Primatum *obtinuit.* & S. Anacleto epiſt. 3. *Hæc ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro* Primatum *obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe B. Petro Apoſt. dixit; Tu es Petrus, &c.*

Pontifex diuino iure S. Petri ſucceſſor. Puto concluſionem illam meam primam ſatis efficaciter, & euidenter demonſtratam eſſe, quod Pontifex, vt Pontifex, de iure diuino poſſit imperare Principibus ſæculi, qui ſunt Chriſti fideles oues Chriſti, &c.

Nemo autem mirabitur, me hac in re paulò quàm pro inſtituti ratione prolixiorem fuiſſe. In primis exegit id ſuo quaſi iure à me ſedis Apoſtolicæ obſeruantia, & reuerentia illi ab omnibus Catholicis debita, quę, quia iam, pro dolor, ab innumeris vndique hoſtibus circumſeſſa quacunque occaſione, opportunè, importunè carpitur, laceratur, proſcinditur, à nobis eodem modo eſt aſſerenda, & propugnanda. Etſi enim vix vllum religionis dogma ab hæreticis intactum relinquitur: attamen Pontificia poteſtas, quæ velut cardo, fundamentum, & (vt vno verbo omnia complectar) ſumma fidei Chriſtianæ eſt, ab omnibus fidei hoſtibus omnium maximè impetitur, & non calamis duntaxat, ſed & gladijs, rotis, crucibus, &c. diriſſimè impugnatur.

Deinde extorſit id à me, neſcio an importunitas, an calumnia Aduerſarij, qui Card. Bellarminum frequenter admodum & acerbè reprehendit, quod ſecundam ſententiam, quæ huius noſtræ primæ concluſionis negationem expreſsè continet, hæreſim potiùs, quam ſententiam appellandam cenſuerit, quam iuſtiſſimam Bellarmini cenſuram ſi Aduerſarius reprehendere porro pergat, eum hæreticum & eſſe, & ab omnibus habendum apertè pronuncio. Demum, quia hæc concluſio eſt baſis, & fundamentum totius doctrinæ in hoc libro, & ſequent. concluſionum: Viſa fuit ex profeſſo accuratiùs ſtabilienda.

Secunda concluſio. *Hæreticum eſt dicere, Pontificem, vt talem, & ex iure diuino non habere vllam poteſtatem in temporalibus.* Hæc eſt contra Aduerſarium, Lutheranos, Caluiniſtas.

S. Anacletus. Laici debent alere miniſtros Eccleſiæ. Prob. primum ex ſacris litteris, quia ex ijs conſtat, Eccleſiam habere poteſtatem mandandi laicis, vt miniſtros Euangelij ſuis facultatibus ſuſtentent: quare cum ea poteſtas non ſit Eccleſiæ ab vllo homine tributa, ſequitur ex iure diuino competere. Antecedens patet ex illo Apoſtoli 1. Cor. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? ſi alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti: neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ* *1. Cor. 9.*

de

de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinanit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

Eccleſia cauſaliter iudicia ciuilia ordinare poteſt

Deinde ex ijsdem ſacris literis conſtat, Eccleſiam ſaltem cauſaliter, habere poteſtatem ordinandi iudicia iu cauſis ciuilibus. Dixi, caſualiter, nimirum in caſu, quo id bonum ſpirituale requirit. Paret id ex 1.Cor.6. Vbi Apoſtolus iuſſit, vt Chriſtiani in cauſis ciuilibus Iudices conſtituerent, nec ad iudicia gentilium magiſtratuum accederent. Sic enim mandat: *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos; & non apud ſanctos? neſcitis, quia Angelos iudicabimus? quantò magis ſæcularia igitur iudicia ſi habneritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* Quando dico, Eccleſiam habere poteſtatem, intelligo Rectores ſeu Principes Eccleſiæ, quales v. g. erant Apoſtoli. Nam, ſi qua eſt poteſtas, ea ſine dubio capiti conuenit, non manibus, aut pedibus,

1. Cor. 6.

Eccleſiaſtici cum bonis exempti à poteſtate ſæcularium.

Prob. ſecundò ex Concilijs. Concilia generalia à Summo Pontifice approbata docent tam bona Eccleſiaſticorum, quam perſonas iure diuino exemptas eſſe, & immunes à poteſtate ſæculari, ac proinde ſubiectas poteſtati Eccleſiaſticæ.

Conc. Rom. ſub Symmacho.

Concilium Romanum III. præſidente Symmacho Papa; *ſolis ſacerdotibus diſponendi de rebus Eccleſiæ indiſcuſsè à Deo cura commiſſa eſt.*

Conc. Lateran. ſub Innocent. III.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. vndequaque generale, & legitimum, cap. 43. *Nimis de iure diuino quidam laici vſurpare conantur, cùm viros Eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes, ab eis ad præſtanda ſibi fidelitatis iuramenta compellunt.*

Conc. Lateran. ſub Leone X.

Conciliũ Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 9. *Cùm à iure tam diuino, quã humano laicis poteſtas nulla in perſonas Eccleſiaſticas attributa ſit*, &c.

Conc. Trid.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat. *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus inſtituta eſt.* Itaque rectè S. Ambroſius, vt ipſe refert in epiſt. 33. ad ſororem, diſertis verbis reſpondit legatis Imperatoris Valentiniani; *nullum ius Imperatori eſſe in Baſilicas Dei*; addiditque *ad Imperatorem palatium, ad Epiſcopum Baſilicam pertinere.* Quamuis autem Baſilica ſacra ſit, res tamen materialis, & temporalis eſt. Atque ideo allegabant, vt idem Ambroſius dicit, miſſi ab Imperatore; *vniuerſa eſſe Imperatoris*, ſed reſpondit ipſe; *Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere.*

Tertio faciunt huc probationes ſequentium duarum concluſionum.

Tertia concluſio. *Hæreticum eſt, Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino non habere vllam poteſtatem imperandi Principibus ſæcularibus in rebus temporalibus, ſaltem in ordine ad ſpiritualia.* Hæc eſt Contra Aduerſarium, Lutheranos, Caluiniſtas, &c. vt & ſequens.

Probatur primò ex omnibus illis Concilijs, quibus ſuprà cap. 4. ad num. 60. probauimus Eccleſiam indixiſſe bellum hoſtibus fidei, & mandaſſe Principibus Chriſtianis vt ad bellum cõtra eos procederent.

Deinde probatur ijſdem argumentis, quibus ſequens concluſio.

Pontifex iure diuino habet poteſtatẽ deponendi Principes.

Quarta concluſio. *Hæreticum, vel certè erroneum, & temerarium eſt dicere: Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino non habere poteſtatem priuandi principes ſæculares ſuo principatu, quando id bonum ſpirituale, ſiue ingens Eccleſiæ neceſſitas requirit.* Et eodem modo intelligo duas proximè præcedentes concluſiones, quæ ex hac facile, & euidenter deducuntur. Habet hæc tria membra, primum, quod negare Pontificem habere poteſtatem iuſtis, & grauibus de cauſis deponendi Principes, ſit hæreticum: ſecundò, quod ſit erroneum: tertiò, quod ſit temerarium. Probatur concluſio. Illa ſententia eſt hæretica, cuius contradictoria eſt de fide; ſed Pontificem habere poteſtatem deponendi Principes eſt de fide. Eſt enim concluſum, & definitum à ſancto Gregorio VII. Romano Pontifice in Concilio Romano ann. 1076. *Quod Papæ liceat Imperatores deponere.* Item: *quod à fidelitate iniquorum ſubiectos poſſit abſoluere.* Vide de hoc Concilio librum 2. epiſt. Gregorij VII. & Card. Baron. tom. 11. an. Domini 1076.

Conc. Rom. ſub Gregor. VII.

" At, inquiet Aduerſarius, etſi quidem
" definitiones Conciliorum generalium à Pon-
" tifice approbatorum, & confirmatorum ſunt
" fide Catholica tenendæ: non tamen defini-
" tiones Pontificum ſunt de fide, quas Ponti-
" fex vel ſolus, vel in Concilio particulari defi-
" nit. Sed Romanum illud Concilium ſub Gre-
" gorio VII. fuit particulare.

Rom. Pontif. non poteſt errare.

Reſpondeo. Communiſſima ferè omnium Catholicorum ſententia eſt, Pontificem non poſſe vllo modo (ſiue cum Concilio, ſiue ſine Concilio definiat) errare, cum definit aliquid ex Cathedra, quod videlicet eſt à tota Eccleſia credendum. Ita enim docent D. Thomas 2.2. q. 1. art. 10. Thomas Waldenſi lib. 2. doctrin. fidei, cap. 47. & 48. Ioannes de Turrecremata lib. 2. ſummæ cap. 109. Ioan. Driedo lib. 4. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 3. part. 3. Caietan. in opuſc. de poteſtate Papæ, & Cõcilij cap. 9. Card. Hoſius lib. 2. contra Brentium. Ioan. Eckius lib. 1. de primatu Petri, cap. 8. Ioan. à Louanio li. de perpetua Cathedræ Petri protectione, & firmitate, cap. 11. Petrus à Soto in Apologia ſua part. 1. cap. 83. 84. & 85. Melchior Canus lib. 6. cap. 7. de locis. Card. Bellar. lib. 4. de Pontif. cap. 2. Greg. de Valentia tom. 3. diſput. 1. q. 1. & alij.

Et certè ita videtur clarè docere ſcriptura Matth. 16. Luc. 22. & alibi. Item Patres in concluſ. citati. Citabimus paucos duntaxat.

S. Lucius I.

S. Lucius I. Papa & Martyr in epiſt. 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ: *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis nũquam aberraſſe probatur, nec hæreticis prauitatibus deprauata ſuccubuit ſecundum ipſis Domini pollicitationem, dicentis: Et rogaui pro te, &c.*

S. Felix I.

S. Felix. I. Papa & Martyr in epiſt. ad Benignum, de Romana Eccleſia loquens; *Vt in exordio*, inquit, *normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoritatibus ſuis Apoſtolorũ Chriſti principibus, illibata manet, iuxta illud: Ego rogaui pro te.*

Origenes.

Origenes in cap. 16. Matth. Manifeſtum eſt, etſi non exprimatur, quod nec aduerſus Petrum, nec aduerſus Eccleſiam, portæ præ-

NOTA.

ualere poterunt inferiorum. Nam, ſi præualerent contra Petram, in qua Eccleſia Fundata erat, contra Eccleſiam etiam præualerent.

S. Cyprianus

Sanctus Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. *Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, &c. nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.*

S. Hieron.

Sanctus Hieronymus libro 3. Apologiæ contra Ruffinum. *Scito Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam, eiuſmodi præſtigias non recipere: etiam ſi Angelus aliter annunciet, quam ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.*

S. Greg. Nazian.

S. Gregorius Nazianzenus in carmine de ſua vita; *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet Vrbem, quæ toti orbi præſidet ſemper de Deo integram fidem habere.*

S. Auguſt.

S. Auguſtinus in pſalm. contra partem Donati: *Numerate ſacerdotes vel ab ipſa ſede Petri: in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit videte: ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

S. Greg. M.

S. Gregorius M. lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium: *Quis neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? cui dictum eſt: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et rurſum: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Martin. V.

Denique vt infinitos alios omittam, Martinus V. in Bulla, quam edidit Concilio Conſtantienſi generali approbante, hæreticos haberi cenſuit eos, qui de ſacramentis, aut fidei articulis aliter ſentiunt, quàm Romana Eccleſia ſentiat, & Sixtus IV. primum per Synodum Complutenſem, deinde per ſe etiam damnauit articulos cuiuſdam Petri Oxonienſis, quorum articulorum vnus erat, *Eccleſiam vrbis Romanæ errare poſſe*. Nec obſtat, quod loquantur non de Pontifice, ſed de vrbe Romana, ſiue Eccleſia Romana; non hoc obſtat, inquam, tum, quia, quod Eccleſia Romana non poſſit errare, hoc habet ratione Pontificis, qui Epiſcopus, & caput eſt Eccleſiæ Romanæ: tum etiã quia Gregorius VII. non ſolus eam definitionem ſtatuit, ſed in frequenti Concilio Romano. Addo, quod Leo X. damnauit art. Lutheri 28. qui continebat, *non obſtante determinatione Pontificis poſſe quempiam contra eam ſentire*: in Bulla damnationis Lutheri.

Sixtus IV.

Petrus Oxonienſ. hæreticus.

Eccleſiæ praxis.

Hæreſes multa damnata ſunt à Pontifice ſine Cõcilio generali.

Quartadecimani.

Deinde praxis Eccleſię idem docet. Nam vt ad exſtinguendas ſeptem hæreſes celebrata ſunt ſeptem Concilia generalia, pluſquam centum hæreſes exſtinctæ ſunt à ſola Apoſtolica ſede cooperantibus Concilijs particularibus. v. g. Sanctus Victor Pontifex damnauit Quartadecimanos, qui volebant Paſcha non niſi decima quarta luna, etiamſi Dominicus dies tunc non eſſet, celebrari debere: & exinde habiti ſunt hæretici, vt patet ex Euſebio lib. 5. cap. 23. & 24. & Epiphanio, hæreſi 50.

Nouatiani.

S. Cornelius in Concilio Romano damnauit Nouatianos, vt patet ex Euſeb. l. 6. c. 33.

Pelagiani.

Innocentius, & Zozimus Pontifices damnarunt Pelagianos, vt patet ex Auguſt. li. 2. Retract. cap. 50.

Berengarius

Leo IX. in Concilio Vercellenſi, & Nicolaus II. in Concilio Romano & alij damnarunt Berengarium.

Petrus Abailardus.

Innocentius II. damnauit errores Petri Abailardi, vt patet ex epiſt. 105. inter epiſt. D. Bernardi.

Eugenius III. in Concilio Remenſi damnauit errores Gilberti Porretani, vt patet ex S. Bernardo ſerm. 80. in Cantica circa finẽ, &c.

Itaque ſententia illa, Pontificem, ſi definiat aliquid ſine Concilio generali; Item Concilia particularia à ſummo Pontifice cõfirmata errare poſſe, ſi non eſt hæretica: (hoc enim nolo aſſerere) at certè eſt temeraria, erronea, & hæreſi proxima.

Gilbertus Porretanus.

Deinde probo dictam quartam concluſionem ex decretis duorum Conciliorum ſine controuerſia generalium, & legitimorum, Lateranenſis ſub Innocentio Tertio, & Lugdunenſis ſub Innocentio Quarto.

Decretum Conc. Lateran. de depoſitione Principum.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 3. ſic loquitur: *Si Dominus temporalis admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & Comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Etſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontif. vt ex tunc ipſe vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſine vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, ſaluo iure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus leges ſeruata circa eos, qui non habent Dominos principales.*

Decretum Concilij Lugdunen. de depoſitione Principum.

E Concilio Lugdunenſi exſtat cap. 1. de homicidio in 6. in hæc verba; *Sacri approbatione Concilij ſtatuimus, vt quicunque Princeps, Prælatus, ſeu quæuis Eccleſiaſtica, ſæcularisuè perſona quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit (quanquam mors ex hoc non ſequatur) aut eos receptauerit, vel defenderit, ſeu occultauerit, excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, honore, officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto, & illa liberè alijs, per illos, ad quos collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus tanquam Chriſtianæ religionis æmulus, à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus. Et poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam exſecrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis ſeu diffidationis ſententia requiratur.*

Hæc illa duo Concilia generalia præſidente in eis Romano Pontifice, quæ vniuerſam Eccleſiam repræſentant. Quare ſi Princeps temporalis à Summo Pontifice non poteſt ſuo Principatu priuari, ſequitur vniuerſam Eccleſiam vel in doctrina fidei, ſi credidit poſſe fieri, quod fieri non poteſt: vel in præceptis morum, ſi iuſſit deponi, quem deponi non poſſe credidit, errauiſſe, quæ ſunt manifeſtæ hæreſes.

Quod ſi ex his non poſſit certò, ac neceſſariò confici ſententiam illam, *non poſſe Principes à Pontifice deponi*, eſſe hæreticam: ſine dubio illud ſaltem colligitur, eſſe periculoſam, erroneam, & hæreſi proximam, tum propter argumenta iam dicta: tum quia inde ſequitur, aut Principes Chriſtianos non poſſe à Chriſti Vicario Vinculo excommunicationis ligari; aut ſubditos eorum à Vinculo, ſeu iuramento fidelitatis, & obedientię

non

Digitized by Google

uoo poſſe ſolui. Vtrumque autem repugnat verbis Chriſti, Matth. 16. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

Præterea, ſi Pontifex non poſſit de temporalibus diſponere, & Reges temporales deponere, quando id bonum ſpirituale requirit, ſequitur poteſtatem Pontificiam eſſe imperfectam, & diminutam, vtpote quæ non extendat ſe ad omnia illa inferiora, quæ finem ſuum vel impedire, vel conuenienter promouere poſſunt. Sequuntur plura incommoda, de quibus infra in rationibus Bellarm.

Demum dixi ſententiam illam eſſe temerariam. Sanè. Repugnat enim verbo Dei: repugnat doctrinæ ab Eccleſia Catholica non creditæ modò, ſed & per decem ſæcula, & amplius à Gregorio Mag. huc uſque continuè exercitæ: repugnat plurimis, tum generalibus, tum particularibus Concilijs: repugnat plurimis ſanctiſſimis, doctiſſimiſque Pontificibus: repugnat vnanimi conſenſui Catholicorum Doctorum: denique repugnat rationi. Conſtituat quis omnia illa Concilia, in quibus bellum contra hoſtes fidei indictum eſt, quorum aliqua ſupra cap. 4. ad num. 60. enumerauimus: Item omnia illa in quibus Principes publica Eccleſiæ ſententia Principatibus ſuis deiecti ſunt, cum innumerabili illa multitudine Epiſcoporum, & Patrum, Principum, vel Legatorum, qui ſententiam illam vel tulerunt, vel approbarunt: item omnes illos Pontifices, qui Concilijs præfuerunt, vel alioqui Principes vel depoſuerunt, vel contra hoſtes fidei bellum ſuſcipere iuſſerunt: demum omnes illos Doctores, qui eam Pontificis poteſtatem aſſeruerunt, conſtituat inquam, aliquis hos omnes ex vna parte: & ſeſe ab altera parte, mirum profectò erit, ſi contra vel hiſcere audeat, & non ſtatim tanta auctoritate obrutus obmuteſcat. Quod ſi autem obſtinatè illis contradicere pergat, temeritatis, immò inſaniæ notam effugere nullo modo poterit.

Eſt igitur ſententia illa, quæ negat in Summo Pontifice eſſe vllo modo poteſtatem diſponendi de temporalibus, & deponendi Principes, etiam in ordine ad ſpiritualia, eſt inquam ſententia illa erronea, temeraria, periculoſa, & ſi non directè, ac principaliter hæretica; at certè hæreſi proxima, & hæretica ſaltem reductiuè, & ſecundariò, ità, vt ſine periculo fidei Catholicæ defendi nequeat. Eodem modo intelligo duas præcedentes concluſiones.

Quare non mirari debet Aduerſarius, quod Card. Bellarminus illam ſecundam ſententiam, hæreſim potiùs, quam ſententiam dicendam eſſe exiſtimauerit, cùm in ea omnes hæ quatuor concluſiones à nobis iam ſtabilitæ ſimul, & ſemel negentur. Sed de his ſatis.

Num. 118. 119. & 120. digreditur Aduerſarius ad oppugnandum quendam alium auctorem de pœnis hæreticorum differentem. Quæ quoniam ad rem præſentem non pertinent, omittendo eſſe cenſui.

Num. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. & 130. conatur Aduerſarius detrahere aliquot auctores ex numero eorum, quos Bellarm. pro tertia ſententia confirmanda adduxerat.

Io. Pariſien.

Primus eſt Ioannis Pariſienſis: Hunc dicit falsò citatum pro Catholica ſententia, cum ab Azorio citetur pro contraria.

Reſpondeo. Quod Ioan. Pariſien. citatur ab Azorio pro contraria ſententia, factum eſt: quia minorem ille Romano Pontifici tribuit poteſtatem, quam reuera conuenit. Quod à Bellarmino pro Catholica ſententia allegatus eſt, id factum, quia tribuit Pontifici poteſtatem faciendi ea, per quæ certò ac neceſſariò Principes ſuis dominijs priuarentur. Verba eius formalia, ne de ſententia eius dubites, vide ſuprà cap. 3. ad num. 4.

Iacobus Almainus.

Secundus eſt Iacobus Almainus, quem à Bellarmino pro ſua ſententia malè citatum Aduerſarius dicit, eò, quod in lib. de auctoritate Eccleſiæ, cap. 2. & in lib. de dominio naturali, ciuili, & Eccleſiaſtico, concluſ. 2. ſcribit; Non poſſe Principes Eccleſiaſticos vllam pœnam temporalem ex diuino iure infligere; & nullam habere temporalem iuriſdictionem annexam.

Reſpondeo. Bellarminus non citauit librum Almaini de auctoritate Eccleſiæ, neque de dominio naturali; ciuili & eccleſiaſtico: ſed librum de ſuprema poteſtate eccleſiaſtica, & temporali, quæſt. 2. principali cap. 5 Quo loco quid ſentiat Almainus, iam ſuprà allatis eius verbis ad longum diximus, cap. 3. ad num. 4.

At, inquit Aduerſarius, Almainus in libro de ſuprema poteſtate eccleſiaſtica, & temporali, non loquitur ex propria mente.

Occamus.

Reſpondeo. Enim loqui ex mente Gulielmi Occami, quem honoris cauſa citat, & vt Magiſtrum ſequitur, vt ibi videre eſt.

Alex Alen

Tertius eſt Alexander Alenſis, quem à Bellarm. pro tertia ſententia perperam citatum Aduerſarius arguit. primò, quoniam Thomas Bozius, & Alexander Carerius Alexandrum Alenſ. allegant pro poteſtate directa Summi Pontificis in temporalibus. Deinde, quoniam Alexander Alenſis, quamuis affirmet ſæcularem poteſtatem ſubiectam eſſe ſpirituali: tamen explicat, ſæcularem poteſtatem eſſe ſubiectam ſpirituali ſolùm quoad pœnas ſpirituales, non quoad pœnas corporales.

Alexander Carerius.

Reſpondeo. Tertia ſententia, pro qua Card. Bellarm. Alex. Alen. citauit, media eſt inter primam ſententiam, & ſecundam, quæ ſunt extremæ; facile autem eſt mediam ſententiam ab alijs ad vnam, ab alijs ad alteram trahi extremam, cùm de vtraque participet; ideò non mirum, ſi id Alexandro Alenſi euenerit.

Porrò verba Alexandri Alenſis par. 4. q. 10. in explicatione Canonis Miſſæ in illud, *Et pro Rege noſtro*, quem locum Bellarm. citauit, ſunt hæc; *Spiritualis poteſtas terrenam habet inſtruere, & iudicare, ſi bona fuerit: ipſa verò à Deo primum inſtituta eſt, & cùm deuiat, à ſolo Deo iudicari poteſt.* Item par. 4. qu. 79. memb. 5. & 6. *Voluit Deus quoſdam in alios plures habere poteſtatem, & deinde in illos alios pauciores, & ſic ſemper donec deueniretur ad vnum: ſcilicet Papam, qui ſub Deo immediatè eſt.*

At Alenſis dicit, *Sæcularem poteſtatem ſubie-*

Digitized by Google

ſubiectam eſſe ſpirituali, quoad pœnas ſpirituales tantùm.

Reſpondeo. Verum id eſt. Sæcularis poteſtas ſubiecta eſt ſpirituali, quoad pœnas ſpirituales tantum, directè, & per ſe: quoad pœnas temporales verò, ſiue corporales, ex conſequenti, & in ordine ad finem ſpiritualem. Quod autem illa ſit mens Alexandri Alen. patet ex ſimilitudine carnis, & ſpiritus, quibus comparat poteſtatem ſæcularem, & ſpiritualem. Certè enim ſpiritus carnem ſibi ſubiectam & rebellantem, non ſolùm cogit ad opera ſpiritualia, vt orationem, & laudes Dei; ſed etiam ad corporalia, vt ieiunia, & flagella.

Hugo de S. Victore, Quartus eſt Hngo de S. Victore, quem à Bellarmino pro tertia ſententia perperam citatum dicit: tum quia Canoniſtæ hunc auctorem pro poteſtate directa in temporalibus allegare ſolent: tum quia Ioannes Pariſien. Hugonem in contrariam ſententiam exponere videtur.

Reſpondeo. Si Hngo ad Canoniſtarum ſententiam pertinet, quod non eſt omninò imptobabile, tantò longiùs abeſt à ſententia Aduerſarij; quæ ad aliud extremum vergit. Credo autem, quod non verè feret Card. Bellarminus, inſignem hunc Theologum ita ſibi eripi, vt tamen fateatur Aduerſarius eum ſibi magis eſſe contrarium, quam ſit ipſe Bellarminus.

Cæterum verba Hugonis, quidquid dicat Ioan. Pariſien. omnino confirmant Pontificiam poteſtatem in Principes in temporalibus. Sic enim habent lib. 2. de Sacramentis, par. 4. cap. 41. *Quantò vita ſpiritualis dignior eſt, quam terrena; & anima, quam corpus: tantò ſpiritualis poteſtas terrenam, ſiue ſæcularem poteſtatem honore, ac dignitate præcellit. Nam ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem, & inſtituere, vt ſit: & iudicare habet, ſi bona non fuerit: ipſa verò à Deo primùm inſtituta eſt, & ſi deuiat, à ſolo Deo iudicari poteſt.* Hæc ille, qui cum dicit, *Sæcularem poteſtatem inſtitui à ſpirituali, vt ſit*: non ſignificat, ſæcularem poteſtatem non poſſe inſtitui, vt ſit, niſi à ſpirituali. Conſtat enim poteſtatem Regum infidelium non fuiſſe inſtitutam à ſpirituali, & tamen fuiſſe veram poteſtatem, & à Deo, mediante conſenſu populorum, inſtitutam, atq; ab Apoſtolis vt veram poteſtatem, agnitam, & laudatam.

Hugo igitur hoc ſolùm ſignificat, poſſe ſæcularem poteſtatem à ſpirituali poteſtate: non autem poſſe ſpiritualem inſtitui à ſæculari. Et hoc eſt veriſſimum, quoniam multi inueninntur creati Reges à Summo Potifice, qui ante Duces aut Comites erant, vt Reges Poloniæ, Bohemiæ, Siciliæ, & alij. Et Imperatores Occidentis, & Electores eorum à Pontifice inſtitutos demonſtrauit Bellarminus in libris de tranſlatione Imperij; ſpiritualis autem poteſtas ſupernaturalis eſt, ac per hoc à ſolo Deo inſtitui poteſt. Hinc verò rectè colligit Hugo, ſæcularem poteſtatem à ſpirituali iudicari poſſe, ſi deuiat: ſpiritualem autem à ſæculari iudicari nullo modo poſſe. Porrò ſæcularem poteſtatem iudicari à ſpirituali, nihil aliud ſignificat, niſi Principem ſæcularem deuiantem à regula diuinæ legis in vſu temporalis poteſtatis, iudicari à Principe ſpirituali: ſicut è contrario poteſtatem ſpiritualem non iudicari à poteſtate ſæculari, nihil aliud ſignificat, niſi Principem ſpiritualem deuiantem à regula diuinæ legis in vſu poteſtatis ſpiritualis, non poſſe iudicari à Principe ſæculari, ſed à ſolo Deo. Atque hæc eſt ſententia, quam hoc libro contra Aduerſarium defendimus.

Num. 131. 132. 133. 134. 135. & 136. deſcribit multa ex libro quinto Bellarmini de Pontifice cap. 6. Summa omnium eſt ſimilitudinem carnis, & ſpiritus, non eſſe aptam ad probandam, poteſtatem ſpiritualem, & temporalem in Eccleſia Chriſti vnam Rempubl. conſtituere: & ſpiritualem præeſſe; temporalem ſubiectam eſſe. Hoc enim vnum Aduerſario diſplicet ex omnibus quæ tam prolixè ex Bellarmino deſcripſit.

Vt autem oſtendat ſimilitudinem illam non eſſe ad inſtitutum accomodatam, duo quædam obſeruari præcipit. *Vnum eſt*, (inquit num. 137.) *poteſtatem politicam, ex ſe & natura ſua non habere pro ſuo fine poteſtatem Eccleſiaſticam, neque illi per ſe ſubijci, ſeu ſubordinari, ex doctrina ipſius Card. Bellarmin. iam tradita, quia in infidel lib. eſt vera poteſtas politica abſque ordine ad veram poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem. Itaque quod duæ iſtæ poteſtates ſimul ſint coniunctæ, vel ſeparatæ, cum vna ex ſe alteram non reſpiciat, eſt omnino per accidens vtrique poteſtati. Secundum eſt,* inquit num. 138. *poteſtatem politicam, & Eccleſiaſticam, quoad aliquid rectè comparari carni, & ſpiritui, quoad alia minimè. Neque enim, vt ſæpius docet Card. Bellarm. quæ vt ſimilia adferuntur, in omnibus ſimilia eſſe debent, ſed tantum in eò, in quo eſt vis argumenti, ex illa ſimilitudine ducti.*

Et paulò poſt, num. 139. *Conueniunt,* inquit, *in hoc, quod ſicut ſpiritus eſt perfectior & nobilior carne: ita poteſtas Eccleſiaſtica perfectior & nobilior eſt politica, ſeu temporali.*

Et num. 140. *Differunt*, inquit, *tamen, quia caro ſe habet, vt materia; ſpiritus, vt forma, & propterea vnum quid eſſentiale, vnamq; perſonam conſtituunt: & hæc eſt cauſa, quare caro ſit propter ſpiritum, illique per ſe ſubijciatur; ſicut materia ex ſua natura eſt propter formam, à qua perficiatur. At verò poteſtas politica non ſe habet, vt materia reſpectu Eccleſiaſticæ, neq; vna per ſe aliam reſpicit, vt docuit Card. Bellarm. in eodem c. 6. lib. 5. de Pontifice, & conſequenter, neq; per ſe ſubordinantur, aut vnū corpus conficiunt; ſed ſolum per accidens, & quodammodo ſubiectiuè coniunguntur. Sicut duo Regna, Angliæ, exempli gratia, & Scotiæ vniuntur in Sereniſſimo Rege noſtro Iacobo,* &c. Hæc ille, cuius verba deſcripſi nonnullis detractis quæ ad rem non faciunt. Piget enim prolixitatem non neceſſariam Aduerſarij imitari.

Reſpondeo, ad priorem obſeruationem, verum eſſe, poteſtatem politicam non habere pro fine ſpiritualem poteſtatem. Neq; Card. Bellarm. vnquam dixit, vnam poteſtatem eſſe finem alterius; id quod non niſi abſurdiſſimè dici poteſt: ſed dixit finem vnius poteſtatis ſubordinari fini alterius, & ideo vnam poteſtatem ſubordinari alteri. Itaque concludit, poteſtatem politicam ſubordinari eccleſiaſticæ in Eccleſia. Quoniam etiamſi non ſit politica propter ſpirituale̅ abſolutè, quomodo frænifactoria ars abſolutè eſt propter

artem equeſtrem; tamen quando coniunctæ ſunt, vna ſubijcitur, & ſubordinatur alreri. Nam etiam apud Romanos gentiles poteſtas politica ſubijciebatur poteſtati ſpitituali falſæ religionis. Et ea cauſa erat, cur Imperatores aſſumerent nomen, & officium Pontificis Maximi, vt nemiuem ſupetiorem agnoſcerent, neque temporalem, neque ſpiritualem. Quod noſtro tempore imitatus eſt Henricus VIII. Rex Angliæ, qui etiam caput Eccleſiæ Anglicanæ dici voluit. Neque vetum eſt, quod Aduerſarius dicere audeat, ex doctrina Bellarm. haberi, poteſtatem politicam non ſubordinari poteſtati ſpirituali. Hoc enim nunquam dixit, & millies conttarium dixit.

Pontifex Ethnicus apud Roman.

Henricus 8. Rex Angliæ.

At, inquit, Bellar. docuit, *infidelibus eſſe veram poteſtatem politicam, abſque ordine ad aliquam veram poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem.*

Reſpondeo. Verum eſt: docuit hoc Bellarm. ſed non inde conficitur, poteſtatem politicam in Ecclelia non ſubordinari poteſtati eccleſiaſticæ, & ſpirituali. Poteſtas enim politica, ſi non ſit coniuncta cum vlla poteſtate eccleſiaſtica neque vera, neque falſa: non ſubordinatur actu vlli poteſtati eccleſiaſticæ, ſed tamen ſubordinatur potentia. Si verò ſit coniuncta cum poteſtate eccleſiaſtica falſa id eſt, falſæ religionis, vt erat in Romana Repub. Ethnica, tunc ſubordinatur poteſtati eccleſiaſticæ falſæ in actu, & veræ in potentia. Si denique coniuucta ſit cum poteſtate eccleſiaſtica vera, vt in Eccleſia Chriſtiana, & Catholica; tunc actu ſubordinatur poteſtati eccleſiaſticæ veræ.

Ad poſteriorem obſeruationem reſpondeo: poteſtatem politicam, & eccleſiaſticam ſimiles eſſe carni, & ſpiritui, non ſolum quia politica eſt minùs nobilis, quam eccleſiaſtica: quomodo caro minus nobilis eſt, quam ſpiritus: ſed etiam, quia politica ſubijci debet eccleſiaſticæ, & eccleſiaſtica non debet ſubijci politicæ; quomodo caro ſubijci debet ſpiritui, & ſpiritus non debet ſubijci carni: & hoc expreſſis verbis docet Gregorius Nazianzenus, qui eſt primus auctor huius ſimilitudinis: & in eodem ſenſu allegata eſt ab Alexandro Alenſi, S. Thoma eius Diſcipulo, Thoma Waldenſi, Franciſco Victoria, Dominico Soto, alijſque poſterioribus: quos omnes Aduerſarius temere reprehendit, dum in Bellarmini ſcriptis hanc ſimilitudinem reprehendit.

S. Greg. Nazian.

Quod adiungit Aduerſarius, differre poteſtatem politicam à carne, *quia caro eſt materia reſpectu ſpiritus: & poteſtas politica non eſt materia reſpectu poteſtatis Eccleſiaſtica*: Verũ eſt, ſed ad rem non facit. Nuſquam enim dixit Bellarm. politicam poteſtatem ſubijci eccleſiaſticæ: vt materiam formæ, ſiue vt carnem ſpiritui, quatenus caro eſt materia, & ſpiritus eſt forma: ſed quatenus in carne ſunt potentiæ ſenſitiuæ, quæ ſubijciuntur potentiæ rationali, quæ eſt in ſpiritu.

Et hoc modo alibi docuit, Aduerſario teſte, corpus myſticum non eſſe ſimile corpori naturali, quatenus naturale componitur ex materia, & forma.

Corpus myſticum, & naturale differunt.

Denique ex eo, quod Aduerſarius dicit, poteſtatem politicam, & eccleſiaſticam conuenire in vna re cum carne, & ſpiritu, & in altera differre; non ſequitur, conuenire non poſſe in alijs rebus, & differre etiam in alijs. Proinde eius diſputatio vana eſt.

Quod addit, poteſtatem politicam, & eccleſiaſticam eſſe ſimiles duobus regnis, quæ vniantur in vno Rege: falſum & ineptum eſt. Duo enim illa Regna ſunt eiuſdem ordinis, & vnum non ſubordinatur alteri, neque dirigitur ab altero; neq; faciunt vnum Regnum, ſiue vnam Remp. aut vnum corpus; ſed ſolùm pendent ab vno capite: at poteſtas politica, & eccleſiaſtica ſunt ordinis diuerſi, & vna ſubordinatur alteri, & dirigitur ab altera, & faciunt vnum Chriſti regnum, & vnam Rempub. Chriſtianam, & vnum corpus myſticum.

Num. 141. adiungit Aduerſarius, etiaſi ſimilitudo carnis, & ſpititus accommodata eſſet noſtro inſtituto; non tamen rectè ex ea colligi, poſſe Principes politicos per poteſtatem ſpiritualem ſuis Regnis priuari; aut quãdo poteſtas temporalis obeſt fini ſpirituali, poſſe ſpiritualem poteſtatem omni ratione, ac via, ſed certa tantum à Chriſto præfixa, temporalem poteſtatem coercere, &c.

Reſpondeo. Immò rectiſſimè colligitur, poſſe à Principe ſpirituali coerceri Principẽ temporalem per priuationem Principatus, ſi ratio ſalutis id requirat. Quamuis enim non poſſit ſpiritus omni ratione, ac via coercere corpus ſuum, neq; Princeps ſpiritualis Principem temporalem, ſed certa tantum à Chriſto præfixa: tamen non oſtendit Aduerſarius rationem, & viam à Chriſto præfixam non eſſe per priuationem dominij temporalis; & nos oſtendimus vnam ex rationibus & vijs præfixis à Chriſto eſſe hanc ipſam, de qua diſputamus.

Id enim oſtendimus ex ſacris litteris à ſacroſancta Matre Eccleſia declaratis, ex doctrina, & exemplis multorum Conc. ex factis plurimorum Pontificum ſapientiſſimorum, & ſanctiſſimorum, ex auctoritate plurimorũ Doctorum tum Theologorum, tum Iureconſultorum. Et quod ad Pontifices attinet, nemo certè melius nouit, quam poteſtatem dederit Chriſtus Vicarijs ſuis, quàm illi ipſi, qui eam acceperunt, iuxta illud Apoſtoli. 1. Corinth. 2. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis*,

Poteſtas Pontificum in Principes.

Num. 142. confirmat Aduerſarius dictũ ſuum, & concludit hanc diſputationem his verbis: *Vnde ex hac ſimilitudine potiùs oppugnari poſſet, quam confirmari eius ſententia: vt, ſi quis ita argumentaretur: ſicut ſe habet ſpiritus ad corpus naturale, ita poteſtas Eccleſiaſtica ad ciuilem, vt ſupponit Card. Bellarminus: ſed ſpiritus ob nullum delictum habet poteſtatem corpori ſuo naturali caput amputandi, & aliud loco eius ſubſtituendi: Ergò neque poteſtas Eccleſiaſtica habet poteſtatem corpori politico caput ſuum, nempe Principem adimendi, & alium vice eius ſubrogandi. Vides igitur, quàm aptam ſimilitudinem attulit Card. Bellarminus, ad ſuam ſententiam oppugnandam potiùs, quàm corroborandam.*

Reſpondeo. Mirum eſt, cur Aduerſarius ſibi ita placeat in hoc ſuo argumento, cum ipſe idem nu. 138. approbauerit, & laudauerit, quod Bellarminus in ſuis ſcriptis ſæ-

pè

pè admonuit, in ſimilitudinibus non eſſe quærendam omnimodam ſimilitudinem: & quod alibi demonſtrauit, multum intereſſe, inter corpus naturale, & corpus myſticum, quamuis in multis alijs conueniant.

Dico igitur, hominem non poſſe remouere caput corporis ſui naturalis, & aliud ſubſtituere: quia ſublato capite morbido à corpore naturali totum corpus perit, neque relinquitur locus alteri capiti ſubſtituendo. Et ſi eodem modo periret corpus politicum, ſublato capite morbido; certè eadem ratione non poſſet poteſtas ſpiritualis remouere caput à corpore politico, & aliud ſubrogare. Sed, quia corpus politicum non perit, ſublato capite morbido, & facilè admittit aliud caput ſanum, vt experientia ipſa manifeſtè docet: ideò vitiosè argumentatur Aduerſarius, cum à diſſimili petat argumentum ad probandum ſimile. Et temerè omninò, ac falsò dicit, ſimilitudinem à Bellarmino, immò à plurimis, grauiſſimiſque Theologis allatam, valere ad oppugnandam, non ad corroborandam Bellarmini, & aliorum Theologorum communiſſimam ſententiam, ſed fortaſsè tam liberè, & audacter Aduerſarius mẽtitur, quia ſub larua Rogeri Widdringtoni ſecurus deliteſcit, ſed veniet aliquando tempus,

1. Corinth. 4

cùm Deus reuelabit abſcondita tenebrarum, & reddet vnicuiq; non ſecundum ſimilitudinem nominis alieni, ſed ſecundum propriam cordis ſui nequitiam, & addet etiam grauiora ſupplicia, quod Catholicum ſe finxerit ad veros Catholicos decipiendos.

CAP. VII.

Examinatur reſponſio ad primam rationem Card. Bellarmini à nu. 143. vſque ad num. 172.

NVnc tandem aggreditur Aduerſarius quinque rationes refellere, quas poſuit Card. Bellarminus in lib. 5. de Pontif. cap. 7. ac num. 143. 144. 145. 146. & 147. refert ad verbum primam rationem.

1. ratio Bellarm. pro poteſtate Pont. temporali.

Num. 143. *Prima ratio eſt eiuſmodi. Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipub. Chriſtianæ: ergo poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de rebus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale. Quia omnis ſuperior poteſt imperare inferiori ſuo. Quod autem poteſtas ciuilis, etiam vt ciuilis, & non ſolùm vt Chriſtiana ſubiecta ſit Eccleſiaſticæ, vt talis eſt:* Primo *demonſtratur ex finibus vtriuſque; nam finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, vt patet, quia felicitas temporalis non eſt abſolutè finis vltimus, & ideo referri debet in felicitatem æternam. Conſtat autem ex Ariſt. l. 1. Ethic. cap. 1. ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines.*

1. Probatio Antecedent.

2. Probatio Antecedent.

Num. 144. Secundo *Reges & Pontifices, Clerici, & laici, non faciunt duas Reſp. ſed vnam id eſt, vnam Eccleſiam, Rom. 12. & 1. Cor 12. at in omni corpore membra ſunt connexa, & pendentia vnum ab altero: non autem rectè aſſeritur, ſpiritualia pendere à temporalibus; ergo temporalia à ſpiritualibus pendent, illiſq; ſubyciuntur.*

Rom. 12. 1. Cor. 12.

Num. 145. *Tertiò, ſi temporalis adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, omnium iudicio, tenetur Princeps temporalis mutare illum modũ adminiſtrandi, etiam cum detrimento temporalis boni: ergò ſignum eſt, ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali.*

3. Probatio Antecedent.

1. Proleſſis.

Num. 146. *Neque ſatisfaceret, qui reſponderet teneri Principem illum ad mutandam rationem ſuæ adminiſtrationis, non propter ſubordinationem ad ſpiritualem poteſtatem, ſed ſolum propter ordinem caritatis, quo tenemur anteponere maiora bona minoribus. Nam propter ordinem caritatis non tenetur vna Reſp. pati detrimentum, ne ſimile detrimentum patiatur alia Reſp. nobilior. Et vnus priuatus, qui tenetur dare omnia ſua bona pro conſeruatione ſuæ Reip. non tenetur tamen ſimiliter facere propter Remp. alienam, quamuis nobiliorem. Cùm ergò teneatur Reſpub. temporalis pati detrimentum propter ſpiritualem, ſignũ eſt, eas non eſſe duas diuerſas, ſed vnius & eiuſdem partes, & vnam alteri ſubiectam.*

2. Proleſſis.

Num. 147. *Neque etiam valet, ſi quis dicat Principem temporalem teneri pati detrimentũ pro bono ſpirituali, non propter ſubectionem ad Remp. ſpiritualem: ſed quia alioquin noceret ſubditis ſuis, quibus malum eſt amittere ſpiritualia pro temporalibus. Nam etiamſi non ſubditi, ſed homines alterius Regni patiantur nobile detrimentum in ſpiritualibus propter adminiſtrationem temporalis alicuius Regis Chriſtiani, tenetur ille mutare ſuum modum adminiſtrandi. Cuius rei nulla alia ratio reddi poteſt, niſi quia ſunt eiuſdẽ corporis membra, & vnum alteri ſubiectum.*

Num. 148. *Hæc eſt prima ratio Card. Bellarmini, quæ tota (vt ex dicendis conſtabit) eſt debiliſſima, cum ſupponat poteſtatem Eccleſiaſticam, & ciuilem, vnam tantùm Remp. ſaltem apud Chriſtianos conſtituere. Quod tamen ſuperius num. 83. ex ipſius principijs oſtendimus eſſe veritati diſſentaneum. Et propterea non opus eſſet ſigillatim reſpondere ad tria illa membra, quibus demonſtrare nititur, poteſtatem politicam non ſolùm vt Chriſtianam. ſed etiam, vt politicam, ſubiectam eſſe Eccleſiaſticæ, vt Eccleſiaſtica eſt, cùm ex eadem non ſatis probata hypotheſi procedant, & ex ſupra dictis facillimè ſolui poſſint.)*

Reſpondeo. Verum ratio ſit debiliſſima & verum Aduerſarius benè refutauerit nu. 83. quod Bellarminus dixerat, ex ſpirituali, & politica poteſtate vnam totalem Remp. Chriſtianam fieri, Lector iudicabit. Ratione illa non vſus eſt vnus Bellarm. (cuius ſolidam eruditionem, & probant omnes verè Catholici, & admirantur etiam hæretici) ſed plurimi alij grauiſſimi Theologi: & omnia argumenta ab Aduerſario num. 83. & ſeq. allata, ego mihi ſatis perſpicuè videor refutaſſe, ſed ſi iam opus non eſt ad tria illa membra reſpondere, cur quæſo fruſtra ſe, me, Lectorem fatigat?

Num. 149. *Sed ne fortè quis exiſtimet, prædictam Card. Bellarmini argumentationem non eſſe ſufficienter refutatam: & quoniam ipſe multum in ea inſiſtit, vt demonſtret, politicam poteſtatem, non ſolùm vt Chriſtianam, ſed etiam vt politicam ſubiectam eſſe Eccleſiaſticæ, vt Eccleſiaſtica eſt: quæ propoſitio bifariam intelligi poteſt, & in quocunque ſenſu accipiatur, tum falſa eſt, tum Card. Bellarmini principijs repugnat præterea hanc eius rationem diligentiùs diſcutiemus.*

Poteſtas Politica ſub eſt Eccleſiaſtica.

Reſpondeo. Politicam poteſtatem, vt politicam, ſubiectam eſſe poteſtati eccleſiaſticæ, vt eccleſiaſtica eſt, hunc habet ſimplicem, & veriſſimum ſenſum, quod Princeps politicus, non ſolum ſubſit Pontifici, vt eſt homo Chriſtianus, ſed etiam vt eſt Princeps Chriſtianus: & non ſolum ipſe Ptinceps ſubiectus ſit Pontifici; ſed etiam poteſtas Ptincipis politica ſubiecta ſit poteſtati eccleſiaſticæ Pontificis. Debet enim in Eccleſia Dei eſſe ordo, & *gladius ſub gladio*, vt rectè docuit Bonifacius VIII. in conſtirutione, *vnam ſanctam*, poſt S. Betnardum in lib. de conſideratione, & Gregorium IX. in epiſt. ad Germanum Patriatcham Conſtantinopolitanum. Itaque non erat neceſſe, vt Aduetſatius ſubtilitate ſua rem propriam obſcutare niteretur: ſed ipſum audiamus.

Boniſ. VIII.

S. Bernard.
Gregorius.

Num. 150. *Et primum propoſitio hæc; poteſtas politica non ſolum vt Chriſtiana, ſed etiam vt politica, eſt ſubiecta Eccleſiaſticæ, vt talis eſt, vel ſic intelligi poteſt, quod poteſtas politica non ſolum apud Chriſtianos; ſed etiam præcisè, & ſecundum ſe conſiderata, poteſtati eccleſiaſticæ vt eccleſiaſtica eſt, ſubdita ſit, atq;ita tum falſa eſt, cum apertè repugnat doctrinæ ipſius Card. Bellar. qua ſuperius docuerat, poteſtatem politicam ſecundũ ſe, & ex natura ſua, non dicere ordinem ad poteſtatem Eccleſiaſticam, vt patet in infidelibus, vbi eſt vera poteſtas politica, ſine ordine ad aliquam veram poteſtatem Eccleſiaſticam, attamen prima, & tertia ratio antecedentis apertè hunc ſenſum confirmare videntur.*]

Quando poteſtas ciuilis eccleſiaſtica ſubſit.

Reſpondeo. Propoſitio illa in iſto primo ſenſu non eſt accipienda. Nam in antecedente argumenti dixit Bellarm. *Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt einſdem Reip. Chriſtianæ*. Itaque non poterat Aduerſarius, qui a nu. 143. Bellarmini verba poſuerat, dubirare, in quo ſenſu illa propoſirio eſset accipienda. Nec tamen omninò falſa eſt, aut Bellarmini principijs contraria in priore ſenſu. Nam poteſtas politica, vt politica, ſi non actu, certè in potentia habet ordinem ad eccleſiaſticam, vt talis eſt, etiam apud nos Chriſtianos. Neq; contrarium Bellarm. docuit in ptima vel tertia demonſtratione, ſiue probatione antecedentis. Nam in prima ſolum dicit, finem temporalis poteſtatis ſubotdinari fini poteſtatis ſpititualis, quod ſemper eſt verum, in quocunque ſenſu verba accipiantur, cum finis poteſtatis ſpiritualis ſit vltimus finis ſimpliciter, cui ſubordinantur omnes alij fines. In terria dicit, poteſtatem temporalem non debere impedire bonum ſpirituale, & ſi neceſſe ſit, debere mutare modum adminiſtrationis ſuæ, ne ſpirituale bonum impediarur. Quod ſempet eſt verum, ſed tum præcipuè, cum poteſtas ſpiritualis, & politica coniunctæ ſunt, vt in Republ. Chriſtiana, quæ eſt vna Eccleſia, id eſt, vna familia, vna ciuitas, vnum Regnum Chriſti.

Num. 151. *Vel ſecundò intelligi poteſt propoſitio prædicta, quod poteſtas politica non præcisè, & ſecundum ſe conſiderata, ſed ſolum apud Chriſtianos ſit per ſe ſubiecta Eccleſiaſticæ (nam vtramque poteſtatem ſibi inuicem per accidens ſubijci poſſe, ex prædictis ſatis conſtat, & ex dicendis magis manifeſtum erit) & hic ſenſus tametſi à Card. Bellar. in propoſitione antecedente manifeſtè intendatur, illumque in ſecunda eius demonſtratione comprobare conetur, eſt etiam falſus, neque principijs eius conſentaneus, vt ſuperius oſtendimus, & ſtatim etiam repetemus.*)

Reſpondeo. Card. Bellarminus propoſitionem, de qua diſputatur, neque in priore, neque in poſteriore ſenſu (vt ab Aduerſario proponuntut) accepit. Nuſquam enim dixit, poteſtatem politicam non præcisè, & ſecundum ſe conſideratam; ſed ſolum apud Chtiſtianos eſſe per ſe ſubiectam eccleſiaſticæ: ſed ſimpliciter affirmauit, poteſtatem politicam ſubiectam eſſe eccleſiaſticæ, quando vtraque pats eſt eiuſdem Reipubl. Chriſtianæ. In quo ſenſu falſam, aut Bellarmini principijs non conſentaneam, non benè probauit Aduerſarius hucuſque: vtrum autem benè probet in ſequentibus, Lectotes iudicabunt, vbi reſponſionem meam legerint.

Num. 152. *Ad propoſitionem igitur antecedentem reſpondetur, poteſtatem ciuilem, & eccleſiaſticam non eſſe partes eiuſdem Reipub. ſed apud Chriſtianos accidentaliter, & quodammodo ſubiectiuè coniungi ad modum ſuperiùs explicatum num. 140. ratione cuius coniunctionis poteſtas ciuilis ſubiecta eſt per accidens poteſtati ſpirituali in rebus tantum ſpiritualibus, & non in temporalibus, niſi quando temporalia ratione peccati annexi, quod eſt ſpirituale, naturam ſpiritualium induunt. Veruntamen poteſtas ciuilis nõ ſubijcitur, & ſubordinatur per ſe poteſtati eccleſiaſtica. Ea enim ars, ſcientia, aut facultas dicitur per ſe ſubijci, ſeu ſubalternari, quæ eſſentialiter, ſeu neceſſariò ex natura rei pendet ab alia in eſſe artis, ſcientiæ, aut facultatis, vt conſtat ex Metaphyſica: at clarum eſt, poteſtatem ciuilẽ in eſſe poteſtatis ciuilis non neceſſariò dependere à poteſtate eccleſiaſtica, cum in infidelibus perfecta ratio poteſtatis ciuilis conſeruetur abſque vlla ſubordinatione ad poteſtatem eccleſiaſticam: vt ſæpiùs diximus ex Card. Bellarmino.*)

Poteſtas ciuilis quomodo ſubſit Eccleſia.

Reſpondeo. Iam ſuprà oſtendimus, falſum eſſe, quod hoc loco Aduerſarius dicit, poteſtatem ciuilem, & eccleſiaſticam non eſſe partes eiuſdem Reip. apud Chriſtianos, niſi per accidens. Neque ſunt omnia millies teperenda. Quamuis enim Chriſtianus Rex non ſit Eccleſiæ filius præcisè, quia Rex, ſed quia Chriſtianus ſiue fidelis: tamen non eſt Eccleſiæ filius ſolùm, vt homo Chriſtianus ſed etiam, vt Rex Chriſtianus, & debet Regnum gubernare ſecundum leges Chriſti, & Eccleſiæ, & ſi ſecus faciat, poteſt ab Eccleſia, ſiue eius ptæſide corrigi, & dirigi. Quomodo etiam medicus, aut Iureconſultus, aur opifex quicunque, ſi Chriſtianus ſit, debet arte, ſiue facultate, ſiue ſcientia ſua vti ſecundum legem Chriſti, & Eccleſiæ. Mirum aut eſt, cur Aduerſarius laboret, vt oſtendat poteſtatem ciuilem, & Eccleſiaſticam non eſſe ſimiles ſcientijs, artibus, aut facultatibus ſubalternis, quarum vna eſſentialiter pendet ab altera, cum ipſemet ſuprà nu. 133. dixerit hanc ſimilitudinem Bellar. non probari. Cur. n. nunc operosè refellit, tanquam Bellar. quod ipſe teſtatus eſt, paulò ante non eſſe Bellar.? Bellar. igitur non cenſet, politicam poteſtatem pendere ab eccleſiaſtica, vt artem frenorum faciendorum ab equeſtri, aut ſcientiam Muſicam ab Arithmetica: ſed vt artes omnes ab arte regendi populos, vt in libro aduerſus

Simile.

Bar-

Virg. lib 6. Aeneidos.

Barclaium c. 2. oſtendit, iuxta illud Poet.

Excudent alij ſpirantia molliùs æra:
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.
Orabunt cauſas melius: cęlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes.

Sic enim artes omnes non ſubalternantur propriè arti regendi populos, & tamen ei ſubijciuntur & ſubſunt, vt poſſit Rex leges ponere omnibus opificibus, eoſque dirigere & corrigere, atque adeò è regno ſuo exterminare, ſi arte ſua non vtantur, iuxta leges Regni· ſic etiam poteſtas politica non ſubalternatur propriè poteſtati eccleſiaſticæ; ſed ita ei ſubijcitur, & ſubeſt, ſi Princeps Chriſtianus ſit, vt debeat artem regnandi conformare legibus Chriſtianis, & poſſit corrigi, & dirigi, ſi ſecus egerit. Neque tamen cenſemus eo ſolùm modo ſubijci politicam poteſtatem eccleſiaſticæ poteſtati, quò artes mechanicæ ſubijciuntur arti regendi populos. Nam ars politica poteſt quidem dirigere artes mechanicas, quoad vſum: ſed nunquam poteſt eas dirigere circa præcepta propria artis, vt docere modum rectius pingendi, aut ſubſtituere vnam picturam pro alia. Poteſtas eccleſiaſtica, corrigere leges ciuiles, quando ſaluti animarum obſunt, poteſt etiam abrogare aliquam legem pernicioſam, quando Princeps politicus admonitus à Principe eccleſiaſtico eiuſmodi legem abrogare recuſat. Et poteſt denique legem aliquam neceſſariam ſaluti animarum, quamuis politicam ſtatuere, quando Princeps ſæcularis eam ferre negligit. De qua re vide Dominicum à Soto in 4. ſent. diſt. 25. qu. 2. art. 1. concluſ. 5. ſed variæ ſimilitudines adferuntur à nobis, vt quod vni deeſt, per alteram ſuppleatur, & per omnes illud explicetur, quod ſuprà diximus, *gladium eſſe ſub gladio*, & poteſtatem politicam ſubeſſe eccleſiaſticæ, vt corpus animæ, & caro ſpiritui in homine ſubeſt.

Sotus.

Num. 153. *Similiter poteſtas eccleſiaſtica ſubiecta eſt ciuili per accidens in rebus tantùm temporalibus, & non in ſpiritualibus, niſi in caſu, quo ſpiritualia in perniciem Reip. temporalis, & finis illius malè adminiſtrata, ratione iniuriæ temporalis, quæ Reip. politica infertur, naturam temporalium ſortiuntur. Per ſe tamen neutra poteſtas alteri ſubijcitur, aut ab altera dependet in eſſe ſuæ poteſtatis: ſed vtraque poteſtas habet ſuos Principes ſupremos, & abſolutos, qui nullum ſuperiorem iudicem recognoſcunt, in cauſis, & negotijs, quæ vnicuique Reip. ſunt propria.*)

Reſpondeo. Quæ hic ab Aduerſario dicuntur, partim falſa ſunt, & paradoxa, partim diſtinctione indigent.

Primò, falſum eſt, poteſtatem eccleſiaſticam ſubiectam eſſe ciuili, vt ciuilis ſubiecta eſt eccleſiaſticæ, de quo vide, quæ diximus ſuprà cap. 5. in Reſp. ad num. 93. Nam Aduerſarius ſæpiùs quidem illud repetiuit; at nunquam probauit.

Negandum itaque illud Ly? *ſimiliter*: quia ſicut non eſt eadem ratio carnis, & ſpiritus; corporis, & animæ, ſenſus, & rationis: terræ & cœli: beſtiarum, & Angelorum, pręſertim in comparatione ſubiectionis, & dominij: ita profectò non eſt eadem ratio temporalis poteſtatis, & ſpiritualis.

Secundò, falſum eſt, *quod neutra poteſtas per ſe alteri ſubijciatur*. Illud quidem verum, *vnam poteſtatem per ſe ab altera ordinariè non dependere in eſſe poteſtatis*: at reuera vna alteri ſubijcitur, nimirum temporalis ſpirituali, ab eaque vt inferior à ſuperiore dependet in exercitio, ſiue executione poteſtatis. Quemadmodum artes non dependent in eſſe artis à poteſtate regia: at pendent in vſu, & exercitio, vt paulò ante explicatum eſt.

Princeps politicus ſupremus non habet ſuperiorē eiuſdem ordinis; at bene diuerſi.

Demum vtraque poteſtas eccleſiaſtica videlicet, & politica, habet quidem ſuos Principes ſupremos & abſolutos, qui non recognoſcunt ſuperiorem in ijs cauſis & negotijs quæ vnicuique Reip. ſunt propria: ſed hoc intelligendum eſt in eccleſiaſtica, & politica alio, atque alio modo. Eccleſiaſtica enim habet Principem ſupremum, qui ſolum Deum ſuperiorem habet, excepto caſu hæreſis, in quo ab Eccleſia iudicari, & deponi poteſt, iuxta Can. ſi Papa, diſt. 4. politica verò habet Principem ſupremum, qui non recognoſcit ſuperiorem temporalem vllum: ſed recognoſcit ſolum ſuperiorem ſpiritualem Chriſti Vicarium, à quo dirigi, & corrigi poteſt, quando ita deuiat in vſu, & adminiſtratione temporalium, vt ſpirituali bono detrimentũ adferat. Sed hac de re ſæpè dictum eſt, neq; Aduerſarius aliquid noui attulit.

Num. 154. *Si tamen contingat, poteſtatem ciuilem abuti temporalibus in damnum Reip. ſpiritualis, & finis illius, qui eſt animarum ſalus, per accidens ſubijcitur poteſtati ſpirituali, cui commiſſa eſt cura ſpiritualium, & conſequenter poteſtatem iuriſdictionis habet ſuper omnes actiones externas, quæ finem ſpiritualem iniuſtè impediunt. Et pari ratione ſi eueniat, poteſtatem ſpiritualem malè vti ſpiritualibus in perniciem Reip. temporalis, per accidens ſubditur poteſtati politicę, cui cura temporalium incumbit, & conſequenter poteſtatem habet ſuper omnes actiones externas, quæ pacem temporalem iniurioſè perturbant.*)

Reſpondeo. Crambe bis coacta mors eſt: ſed Aduerſarius idem falſum dogma iterum, atque iterum, ac ſæpius recoquit. Hæc enim eadem ſuperiore numero habentur, & num. 93. & alibi. Nec video, quid ad ſolutionem argumenti Bellarminiani faciant. Sed nequeratur me ad omnia non reſpondiſſe, iterum, atque iterum repeto, non eſſe eandem rationem poteſtatis ciuilis, & eccleſiaſticæ, cùm iſta ſit ſuperior, illa ſit inferior. Et quemadmodum non licet ſic argumentari; ſpiritus corrigit actiones carnis, quando nocent ſpiritualibus functionibus; ergò & caro debet corrigere actiones ſpiritus, quando nocent functionibus carnis: pari modo non licet ſic argumetari: poteſtas eccleſiaſtica corrigit tēporales actiones poteſtatis ciuilis, quando detrimentum adferunt bono ſpirituali: ergò debet poteſtas ciuilis corrigere actiones ſpirituales poteſtatis eccleſiaſticæ, quando detrimentum adferunt bono temporali.

Num. 155. *Hæc autem quæ diximus, intelligenda ſunt, vt aliàs monuimus num. 80. iuxta ipſas poteſtatis Eccleſiaſticæ & politicæ naturas, abſtrahendo ab Eccleſiaſticis legibus, & Principum priuilegijs, quæ perſonas Eccleſiaſticas denotio-*

„ *notionis ergò, & vt maior illis exhiberetur reue-*
„ *rentia, à tribunalibus Magiſtratum ſæcularium*
exemerunt.)

Reſpondeo. Benè quidem habent, quod Aduerſarius hanc metam eſſe repetitionem confitetur: at non perinde benè habet, quod nunquam toto libro ſuo ſatis explicat: vtrum leges eccleſiaſticas, à quibus abſtrahit, exiſtimet eſse ſeruandas, an potiùs contemnendas. Cur ſe ipſe non explicat? an de induſtria ita loquitur, vt à Catholicis Catholicus, ab hæreticis habeatur hæreticus? vt nec offendat, quibus placere ſtudet, & ſimplicioribus ſpecioſo, Catholici, nomine imponat? Ita videtur: At Deum, *qui videt in Abſcondito, &* *Matt. 6.* *1. Cor. 4.* *manifeſtabit conſilia cordium*, reuera non decipiet. Si leges Eccleſiæ, quæ Clericos non ſolum à tribunalibus Magiſtratuum ſæcularium eximunt; ſed etiam diuino iure exemptos eſſe declarant, contemnendas arbitratur, qualis quæſo Catholicus eſt, qui Matris Eccleſiæ voces, & mandata contemnit? ſin eaſdem ſeruandas eſse exiſtimat, quomodo cum Proteſtantibus, & ſecum ipſe non pugnat? ſed cùm ipſe frequentiſſimè repetiuerit, eccleſiaſticos in bonis temporalibus ſubditos eſse politicæ poteſtati, non obſcurè declarauit, à quibus partibus ſtare decreuerit.

Num. 156. *Atque hinc colligi poteſt, ipſam*
„ *etiam Euangelij prædicationem (quod idem de*
„ *ſimilibus actionibus ſpiritualibus intelligendum*
„ *eſt) quatenus fit modo illicito, iniquè perturban-*
„ *do pacem publicam, aut per Prædicatores ſtatui*
„ *politico, cui prædicare mittuntur, alioquin inimi-*
„ *cos, poteſtati politicæ ſubijci poſſe. Quo fit, vt*
„ *ſi Papa aliquas perſonas mitteret ad prædican-*
„ *dum Chriſti Euangelium in Regno alicuius Prin-*
„ *cipis Infidelis, quas Princeps ille argumentis ve-*
„ *rè rationabilibus ductus arbitraretur fore ſtatui*
„ *ſuo politico inimicas non teneretur tales Prædicato-*
„ *res admittere, ſed poſſet tum eas ſub pęna capitis*
„ *è Regno ſuo excludere, tum ſubditis ſub eadem*
„ *pęna interdicere, ne eas hoſpitio exciperent, & ſi*
„ *poſt debitam Principis admonitionem diſcedere*
„ *nollent extremo ſupplicio eas afficere licitè poſſet.*

Reſpondeo. In Prædicatione Euangelij tria poſsunt conſiderari, ipſa prædicatio ſecundum ſe, ſiue ſecundum ſubſtantiam ſuam, perſonæ ad prædicandum miſsæ: & modus prædicandi. De his duo examinanda: *vnum*, an poteſtati ciuili ſubijciantur: *alterum*, an ſint, & quomodo ſtatui politico poſſint eſse pernicioſa. *Quod ad prius*, Aduerſarius clarè, & perſonas ad prædicandum miſſas, & modum prædicandi ciuili poteſtati ſubijcit; de ipſa verò prædicatione idem inſinuare videtur.

Prędicandi Euãg. munus Eccleſiaſt. nõ Pontif. demã datum eſt. Nos nullum horum ciuili poteſtati de iure ſubijci dicimus. *Prædicatio* enim *Euangelica ſecundum ſe*, ſine dubio eſt res diuina, ſupernaturalis, ſpiritualis, nuſquam demandata ſæculari Magiſtratui: ſed ſolum ſpirituali. Apoſtolis, qui Reges, & Principes temporales non erant, dixit Chriſtus; *Euntes* *Matth. 10* *prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum*. Matth. 10. iiſdem dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos* *Matth. 28.* *ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis*, Matth. vlt. Iiſdem dixit; *Prædicate Euangelium omni* *Marci. 18.* *creaturæ*, Marci vlt. Iiſdem dixit; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Petrò verò Apoſtolorum primo, non Tiberio Principum temporalium primo, ouile ſuum commiſit, eumque Paſtorem, Principem, & Caput omnium Paſtorum conſtituit, dicens; *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et, tibi dabo claues Regni cælorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Matth. 16. *Et ego rogaui pro te, vt non deficiat* *Matth. 16.* *fides tua: & tu conuerſus aliquando confirma fratres tuos*, Luc. 22. Et, *Paſce oues meas*. Io: 21. *Luc. 22.* *Ioan. 21.* Qui ſint autem Apoſtolorum ſucceſſores Apoſtolus Paulus docet Act. 20. vbi dicit *Succeſſores Ap. Act. 20.* *Epiſcopos poſitos eſſe à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*: Apoſtoli verò Petri Succeſſores, Romanos eſſe *Succeſſores S. Petri.* Pontifices docent antiquiſſimi Patres, qui eos enumerant, Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſebius in hiſtoria, & in Chronico, Epiphanius hæreſi 27. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, S. Auguſtinus in epiſt. ad Generoſum, quæ eſt 165. S. Hieronymus, & S. Proſper in continuatione Chronici Euſebij. Vide ſupra cap. 6. ad num. 117. concl. 1.

De Apoſtolis dictum, non de Regibus; *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide* *Epheſ. 2.* *Chriſto Ieſu*, Epheſ. 2. Et, *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, Epheſ. 4. Ecce in ædificatione ſeu ſtructura, *Epheſ. 4.* itemque Hierarchia Eccleſiæ non Reges, ſed Apoſtoli, &c. dicuntur fundamenta, & Primates.

Apoſtolis igitur, eorumque Succeſſoribus, & in primis S. Petro Apoſtolorum Principi, eiuſque Succeſſoribus Præfectura Eccleſiæ commiſſa eſt, & Prædicatio Euangelij demandata: Ad eos pertinet, Prædicationem Euangelicam dirigere, examinare, an recta & vera ſit, iudicare, Eccleſiam regere, lites, & controuerſias dirimere, Synodos conuocare, miniſtros, ſeu Prædicatores creare vel deponere, contumaces excommunicare, leges Eccleſiaſticas condere, &c.

Magiſtratus ſæculares debent Prædicationem Euangelicam fouere, iuuare, promouere, tueri ac defendere, non vt *Domini*, ſed vt *Miniſtri*: neque vt *Iudices*, ſed vt *Executores*. Hoc eorum eſt officium: hoc illis Scriptura tribuit; *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*, Iſa. 49. *Et filij peregrinorum ædificabunt muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi*, Iſa. 60. Id Reges pij præſtiterunt in veteri Teſtamento, Dauid, Ezechias, Ioſaphat, Ioſias: id Reges Chriſtiani in lege Euangelica iuratò promittere ſolent. Nec hoc quidquam derogat eorum Maieſtati: immò perquam honorificum eſt. *Quid honorificentius eſt*, inquit S. Ambroſius epiſt. 32. ad Valentinianum Iuniorem, *quam vt imperator dicatur filius Eccleſiæ? Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt*. Prædicatio igitur Euangelica Principibus ſæculi nullo modo ſubiecta eſſe poteſt.

Principum officiũ in Eccleſia Dei. Iſa. 49. Iſa. 60. Carolus M. cum à Leone 3. Papa coronam Imp. accepit, hac formula iuriſiurãdi vſus eſt In nomine Chriſti ſpondeo, atq; polliceor ego N. Imp. coram Deo et B. Petro Apoſt. me protect. ac defenſorem fore huius S.R.E. in omnibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout ſciero, poteroq;

Quod ad perſonas ad prædicandum miſſas attinet, eas quoque nullo modo poteſtati ſæcu-

Digitized by Google

Reges Fräciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ, &c. ſimili iuramẽto ſe obſtringũt, & nominatim promittunt defenſionem Eccleſiæ, & debitã reuerentiã, & ſubiectionem ſũ Prælatis eius præſtituros. Prædicatio Euãgelij non eſt pernicioſa Reip. Nec id argumentis verè rationalibus doceri poteſt.

ſæculari ſubiectas eſſe docui ſuprà cap.5. Idẽ de modo prædicandi iudicium eſto. Nam & modus ſpiritualis eſt (acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis) & alioquin poſſet cùm ipſa Prædicatio , tum ipſi Prædicatores à Principibus ſæculi ratione ſaltem modi iudicari .

Quod ad poſterius Prædicatio Euangelij ſecundum ſubſtantiam ſuam, non poteſt eſſe pernicioſa ſtatui politico legitimo, ac rectè conſtituto ; ſed contrà, *Gens , & regnum , quod non ſeruierit* Euangelio *peribit*, Iſa.60. Nec poſſunt argumenta verè rationabilia dari, quibus Princeps vllus rectè , ac legitimè ſibi perſuadeat , Euangelicam prædicationem fore ſtatui ſuo pernicioſam; niſi fortè Aduerſarius vocat ea argomenta verè rationabilia, quæ aut cæca Principum infidelitas , aut tyrannica eorum ambitio , aut obſtinata malitia excogitat . Ita quidem ille videtur : ſed profectò nihil abſurdius , nihil magis impium dici , aut excogitari poteſt ; quam Principes infideles , aut quoſcunque , ſi propter argumenta in ſpeciem probabilia , ac apparentia, quæ ipſi infidelitate , ambitione, aut malitia excæcati rationabilia ducunt, ſibi perſuadeant Prædicationem Euangelicam, ſiue Religionem Chriſtianam ſuo ſtatui eſſe pernicioſam , licitè poſſe eam è ditione ſua profligare , eiuſque Prædicatores proſcribere , &c. Ipſos verò Predicatores Principibus in eo caſu debere parere .

Perſecutores Eccleſiæ per argumenta ſua opinione rationabilia ſibi perſuadeant, Fidẽ Chriſto ſuo ſtatui fore pernicioſam.

Nam ſi hæc doctrina eſt vera ; certè iuſtificandus eſt Caiphas, damnandus Chriſtus: inſontes habendi Iudei : ſontes Apoſtoli : iuſti dicendi Imperatores Ethnici perſequentes, pij Maryres patientes : Rex Angliæ Prædicatores fidei Catholicæ è Regno ſuo eijciens , & niſi pareant , crudeliter necans , pronunciandus eſt iuſtus , & condemnandi Catholici Prædicatores , qui pro ſalute patriæ ſuæ indigniſſimo ſupplicio vitam exponunt : iuſtificandus Ieroboam , adeòque omnes impij Reges Iſraelis , qui è regno ſuo veram Religionem proſcripſerunt : comdemnandi omnes Sancti , qui impijs eorum edictis parere recuſarunt . Quid enim ?

Caiphas ;

Ioan.11.

An non Caiphas in Concilio argumentis valde , vt ſibi quidẽ videbatur, ratiocinabilib. ratiocinatus eſt cũ ait Ioã.11. *Vos neſcitis quidquã, neq; cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo., & non tota gens pereat ?* Et qui dicebant in eodem Concilio; *Quid facimus , quia hic homo multa ſigna facit ? ſi dimittimus eum ſic. omnes credent in illum , & venient Romani , & tollent locum noſtrum, & gentem* ; an non argumentis verè rationabilibus ſibi videbantur argumentari ?

Iudei Act.5.

Rurſus , Principes Iudeorum Act.5. cum dicerent Apoſtolis ; *Præcipiendo præcepimus vobis , ne doceretis in nomine iſto ; & ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius* : certè optima ratione moueri ſibi videbantur , quoniam *Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum* , vt *ſeductorem, & blaſphemum , & ſubuertentem gentem ſuam* crucifigi curauerant . Quare Chriſtus de Iudæorum contra Apoſtolos futura perſecutione loquens dicit , *Arbitraturos obſequium ſe præſtare Deo , qui Apoſtolos interfecerint*, Ioann.16.

Luc.23.

Ioan.16.

Ethnici.

Porrò, Principes Ethnici argumenta valdè rationabilia ſe habere exiſtimabant , vt Euangelicam prædicationem repellerent , & non ſolùm Prædicatores , ſed etiam confeſſores quoſcunque Fidei Chriſtianæ acerbiſſimis ſupplicijs de hoc mundo tollerent . Eos enim non ſolum , vt Atheos , & antiquæ , ac receptæ religionis contemptores; ſed etiam vt flagitioſos , & maleficos , & ſeditioſos coercendos putabant . Sic enim ſcribit Suetonius in Nerone ; *Afflicti ſupplicijs Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ , & maleficæ* . Cornelius quoque Tacitus lib.15. Annal. *Nero ſubdidit reos , & exquiſitiſſimis pœnis affecit , quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat . Auctor nominis Chriſtus , qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat . Repreſſaque in præſens exitialis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudeam originem mali ; ſed per vrbem etiam, quò cuncta vndique atrocia, aut pudibunda confluunt, celebranturque .*

Suetonius in Nerone.

Cornelius Tacitus.

Traian. Imp. Marcus Imp.

Quid ? quod Principes alioqui ſapientiſſimi , & mitiſſimi , Traianus , & Marcus Chriſtianos crudeliſſimè perſecuti ſunt? quos non dubium eſt argumentis verè rationabilibus iudicio ipſorum ductos eſſe . Apoſtolus certè 1.Cor.4. dicit tam Gentiles, quàm Iudeos fuiſſe in ea perſuaſione, quod Mundus per Apoſtolos inquinaretur , ac proinde per occiſionem ipſorum purgaretur, *tanquam purgamenta* , inquit , *huius mundi facti ſumus omnium per ipſema vſque adhuc* . Vnde fiebat , vt crederent omnium publicarum calamitatum auctores, & cauſas eſſe Chriſtianos : quæ cauſa fuit , cur S.Auguſtinus præclariſſimos illos viginti duos libros de Ciuitate Dei conſcripſerit , quò inquit Ludouicus Viues , Ciuitatem Dei , hoc eſt , Chriſtianam Religionem aduerſus rabioſas , atque impias eorum querelas defenderet .

1. Cor 4.

S. Auguſt. cur lib. de ciuit. Dei conſcripſerit.

Et tamen Apoſtoli , & Martyres ab Eccleſia Catholica meritò celebrantur , quod contemnentes iuſſa Principum præmia æterna meruerint .

Rex Angliæ.

Denique , Quid Aduerſarius de Rege Angliæ ? quid de parlamento ſentit ? An tam crudeles eſſe , & ſanguinarios , vt ſine argumentis; ipſorum ſaltem iudicio rationabilibus , Catholicam Religionem , eiuſque Sacerdotes , & Prædicatores carcere exſilio, ferro , flamma , vndis , omni denique genere tormentorum , ac mortis perſequatur ? An verò , ſi illi rationabilibus ipſorum opinione argumentis ducti Catholicam Religionem euerſum eunt ; ideonè deſinere debebunt pij Sacerdotes *Deo obedire potius , quam hominibus* , & ſpretis terroribus omnibus ſalutem æternam fratrum ſuorum procurare ? Non debebunt certe deſinere, nec deſinent per Dei gratiam : ſed (vt præclarè inquit S.Iuſtinus in Dialogo) *quantò magis in eos ſæuitur , tantò plures pietatem , fidemque per nomen Ieſu profitebuntur : haud ſecus , quam ſi quis vitem putatione prouocet ad vbertatem .*

Act 5.

S.Iuſtinus ;

Demum, Ieroboam argumento ſecundum politicã artem Sapientum huius mundi (*quæ Deo inimica eſt , nec legi Dei ſubiecta*) valde rationabili ductus , & vtili , (vt apparebat) pro conſeruando ſuo ſtatu politico conſilio excluſit è Regno Iſraelis veram Religionem , & ſal-

Ieroboam caput Politicorum.

Rom .8.

3. Reg 12. Simili prorſus conſilio Eliſabetha Angla Religionē Catholicā à Regno Angliæ proſcripſit, vt refert Sanderus initio lib. 3. de Schiſmate Anglicano Achab, Iezabel.

falſam ſtabiliuit. Sic enim loquitur Scriptura 3. Reg. 12. *Dixitque Ieroboam in corde ſuo. Nunc reuertetur Regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilia fecit duos vitulos aureos, & dixit eis Nolite vltrà aſcendere in Ieruſalem Ecce Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Et ſuper hoc argumento fundata fuit vniuerſa perſecutio, quam impij Reges Iſraelis, Achab, Iezabel, & alij contra Dei Prophetas iniquiſſimè excitarunt, & longo tempore exercuerunt. An igitur ob rationabile hoc, & ipſorum opinione, & ſecundum ſapientiam carnis argumentum Reges illi iuſto Dei iudicio velut ſummè impij ſtirpitùs exterminati iuſtificandi ſunt? An ſancti Dei Prophetæ, qui quod impijs eorum conatibus imperterrito; ac conſtanti animo reſiſterent, partim miſere trucidati, partim ad necem crudeliter quæſiti: Item ij, qui ſpreto impio impiorum Regum edicto, *pergebant in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabant Dominum Deum Iſrael, omnia primitiua ſua, & decimas fideliter offerentes*, tanquam perduelles condemnandi? Immò verò, ſi Aduerſarij doctrina vera eſt, hoc eſt, ſi Principes ſæculi infideles de quibus loquitur, licitè poſſunt Prædicationem veram & Orthodoxam ſub pęnæ capitis interdicere, & profligare, quando eam ipſi iudicant argumentis ipſorum iudicio rationabilibus ſtatui ſuo pernicioſam fore.

3. Reg. 19. Rom. 11. Hebr. 11.

Tobiæ 1.

Hæc de ipſa Prædicatione Euangelica.

Prędicatores Euangelij an poſſint eſſe Reip. aliquādo pernicioſi, & quid tum Principi eius faciendum.

Quod ad ipſos Prædicatores attinet, de iſtis paulò ſeciùs iudicandum eſt, quàm de Prædicatione Euangelica. Nam Prædicatio Euangelica, ſecundum ſe nunquam eſt legitimo, ac rectè conſtituto ſtatui politico pernicioſa, nec vllum argumentum verè (ſecundum rei veritatem, & rectam rationem) rationabile adferri poteſt, quo pernicioſa comprobetur; & ſi ſtatus Politicus ita conſtitutus ſit, vt Prædicatio Euangelica ei pernicioſa credatur, non iſta profliganda: ſed ſtatus politicus mutandus eſt, & ita temperandus, vt ſpirituale bonum non impediat, ſed promoueat. Non enim ſpiritualia temporalibus ſeruire debent, ſed temporalia ſpiritualibus. Alioquin ordo naturæ rerum inuertitur, & dum temporalem felicitatem ſpirituali atque æternæ anteponimus, vtramque ſimul amittimus. Prædicatores autem poſſunt re vera eſſe pernicioſi, & inimici ſtatui politico, vel etiam inepti ad tale munus obeundum.

Ad hos igitur quod attinet, dico, aut Principes infideles iudicant Prædicatores verè Euangelicos ſuo ſtatui politico fore pernicioſos, & inimicos ijs argumentis, quæ ipſi infidelitate, odio Chriſtianiſmi, ambitione, malitia excæcati iudicant eſſe rationabilia: aut quæ ſecundùm rectam rationem ſepoſito omni alio præiudicio, affectuve, iudicant eſſe rationabilia. Priùs habet ferè ſemper, & ordinariè locum in omnibus infidelibus perſequentibus Catholicam Eccleſiam: poſteriùs poteſt aliquando contingere tam apud fideles, quàm apud infideles. Si prius dicatur, abſurda, & impia eſt doctina Aduerſarij.

Omnes Perſecutores putarunt Chriſtianos, & in prim. ſacerdotes ſibi inimicos, & pernicioſos.

Primùm enim nullus infidelis hactenus fermè perſecutus eſt Eccleſiam niſi hoc prætextu. Nam Iudæi Chriſtum agnum illum innocentiſſimū perſequebantur, & accuſabant, tanquam violatorem legis ſuæ, *Subuerſorem gentis ſuæ, prohibentem dari tributa Cæſari*, & rerum læſæ Maieſtatis Cæſareæ, & cauſam exitij publici, cur nimirum *Romani tandem tollerent, & locum, & gentem ipſorum*. Eandem ob cauſam Apoſtolos ad mortem vſque perſecuti ſunt act. 5. 7. & 21. Ethnici omnes Sacerdotes, ac in primis Pontifices Rom. vt iam dixi, & mox dicam amplius, ſuo ſtatui noxios, inimicos arbitrabantur, quæ cauſa fuit, cur intra annos ducentos quinquaginta viginti quattuor Pontifices ab Imperatoribus Ethnicis ſint occiſi. Hæretici omnes propè imaginantur Papam, omneſque Catholicos Sacerdotes hoſtili, atque infeſto in ſe eſſe animo. Achab Rex impiiſſimus Eliam Prophetam Dei perſequebatur, quod ipſius iudicio *conturbaret Iſrael*: & oderat Michæam Prophetam, quod putaret ipſum ſemper *prophetare ſibi malum, & non bonum*. Et tamen omnes illi Iudæi, Ethnici, Hæretici, Achab impijſſimè fecerunt eam ob cauſam perſequentes veros Prædicatores.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Ioann. 11.

2. Reg. 18. 3. Reg. 22.

Infideles Chriſtianis, & pręcipuè Sacerdotibus omnia ſcelera imputant, & affingunt.

Deinde, quia Principes infideles partim ſuggeſtione tum Diaboli, tum Satellitum ſuorum, & falſorum Prophetarum, partim ſuapte malitia, & ingenio ſemper imaginantur, & ſomniant perduelliones, proditiones, coniurationes, conſpirationes, & neſcio, quæ non crimina Catholicorum Sacerdotum. In Anglia omnes *Sacrificuli* (ſic vocat Sacerdotes Dei) *infames ſunt coniurationibus, & proditionibus vel conceptis, vel laudatis*, vt ait Rex ipſe in Præfatione ſua monitoria, adeò, vt Sacris ordinibus in tranſmarinis regionibus initiari, Sacerdotes Catholicos in domum recipere, quemquam in Sacramento Pęnitentiæ ab hæreſeos, aut ſchiſmatis culpa abſoluere, vel Eccleſiæ Romanæ, reconciliare, vel reconciliari, ſit in Anglia crimen læſe Maieſtatis, &c. Pagani Principes, quidquid ſceleris publicè agebatur, Chriſtianis imputabant; vt etiam ob incendium, cuius auctor Nero ipſe fuerat teſte Suetonio, & quo magna pars vrbis conflagrauit, Nero Imperator Chriſtianos plurimos, tanquam auctores exquiſitiſſimis ſupplicijs interemerit, vt lib. Annalium 15. Tacitus prodidit. Confinxerant quoque acta publica de paſſione Chriſti, & per omnes prouincias diſſeminarant plena blaſphemijs, & mendacijs, puerisque ea in Scholis prælegi mandauerant, ſcilicet, vt cum primis litterarum initij odium Chriſti imbiberent. Quo factum, vt ſicut nunc nomen, Catholici, ſeu, vt ipſi loquuntur, Papiſtæ, apud omnes Hæreticos ſit ſuſpectum, & quaſi infame: ita olim apud Ethnicos ſolum nomen, Chriſtiani, verteretur crimini. Atque hoc ſemper obſeruatum eſt, quo quis Catholicorum maiorem habet zelum Religionis; & ſalutis proximorum, quo proinde maiore ſtudio, & feruore in vinea Domini laborat, quo uita integrior; eo hoſtibus Fidei Catholicæ magis eſſe inuiſum, ab eiſque de eo plura confingi crimina.

Anglia quod prętendat perſecutioni Eccleſię Rex Magnæ Britanniæ in Prefatione ſua monitoria pag. 134. & 135. Sanderus de Schiſmate Anglicano lib. 3.

Andreas Poliphator.

Nero quo prętextu Chriſtianos perſecutus.

Vide Euſebiū lib. Eccleſ. 6. cap 4.

Quare ſi Aduerſarius velit tales Prædicatores veritatis à Principibus infidelibus licitè

Digitized by Google

citè è Regno ſuo poſſe proſcribi, impiè admodum, atque abſurdè docet id autem velletur, tum quia loquitur de Principibus infidelibus, qui ſolent Prædicatores non odio criminum perſonalium, ſed odio Chriſtianæ religionis perſequi, infirmare, & crimina affingere: tum, quia videtur adulari, & placere velle ſuæ Regi, qui Sacerdotem eſſe, confiteri, ſacram ſynaxim percipere, &c. crimina læſæ Maieſtatis ſunt.

Quod ſi autem Prædicatores doctrinæ Euangelicæ verè ſint pernicioſi, ac inimici Regno, in quo agant, aut à Principe argumentis verè rationabilibus tales reputentur; tum eiuſmodi Prædicatores puniendi erunt à legitimis iudicibus, aut apud eos accuſandi, Sacerdotes apud Epiſcopum, Epiſcopus apud Pontificem: non autem poterit princeps ipſe eos punire, cùm nullo iure vllam in eos auctoritatem, aut iuriſdictionem habeat. Quod ſi vero legitimi iudices, aut non poſſint, aut non velint adhibere remedium; tum poterit Princeps ſæcularis alijs licitis modis Rempubl. ſuam defendere, & iniuriam propulſare quod etiam priuatis hominibus licet; aliud iuriſdictionem in ſibi non ſubditos vſurpare quod nulli omnino licet.

Demum, quod ad *modum prædicandi Euangelium*, idem iudicium eſt, quod de Prædicatoribus. Poteſt enim modus iſte eſſe vel illegitimus, & pernicioſus Reipubl. Rurſus poteſt videri eſſe illegitimus propter argumenta, quæ Principes ſæculi, vel ſecundùm ſapientiam carnis, & Mundi (quæ legi Dei non eſt ſubiecta) iudicant eſſe rationabilia, & tum non poſſunt Principes ſine grauiſſimo crimine impietatis, & perſecutionis talem modum prohibere, & perſequi: vel Principes iudicant ea rationabilia ſecundum dictamen rectæ rationis, & tum Principi non competit modum illum iudicare, aut prohibere, aut propter eum Prædicatores carcere, exilio, morte mulctare, ſed poterit, & debebit adire Prælatum Eccleſiaſticum atque alijs ſimilibus licitis modis ſe defendere.

Rom. 8.

Itaque effugere non poteſt Aduerſarius, quin conuincatur docuiſſe falſum: & præterea negari non poteſt, quin latam viam aperiat Principibus infidelibus reijciedi Prædicatores Catholicos, atque in eos grauiſſimè ſæuiendi, eo prætextu, quod arbitrentur illos ſtatui ſuo politico perniciem aliquam allaturos.

Nu. 157. *Nec propterea tales Prædicatores, qui ob eiuſmodi inordinatam Euangelij prædicationem pœna mortis mulctarentur, eſſent à Chriſtianis Martyres iudicandi, quoniam Princeps infidelis ſolum tenetur tales Prædicatores tolerare, quos ipſe rationibus verè probabilibus perſuaſus iudicaret, non fore ſtatui politico inimicos, aut ſibi in licita temporalium adminiſtratione verè aduerſarios. Neque enim qualibet Euangelij prædicatio licita eſt, ſed ea ſolùm, quæ ex nulla praua circumſtantia redditur vitioſa.*

Scandaloſa ſententia Aduerſarij.

Reſpondeo. Hæc verba à prudentia carnis dictata valdè pernicioſa ſunt, & ſcandaloſa. Nam præbent anſam tum Principibus perſequendi pios Prædicatores ſub prætextu detrimenti temporalis: tum ipſis prædicatoribus negligendi Euangelicam prædicationem metu infamiæ, ne videlicet occidantur, non vt *Martyres*, ſed vt *proditores*. Certè Chriſtiani, qui olim ab Imperatoribus Ethnicis cædebantur & quos Eccleſia Catholica, vt functos Martyres veneratur, vt plurimùm ideò cædebantur, quod eos arbitrarentur Principes illi, nec ſine ipſorum quidem iudicio, probabili ratione, eſſe noxios Reip. vt ſuprà ex Suetonio, & Tacito demonſtauimus. Et S. Cypr. lib. 4. ep. 2. ad Antonianum affirmat, ſuo tempore Imperatorem patientiùs, & tolerabiliùs audire ſolitum, leuari contra ſe æmulum Principem, quam conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem: proinde arbitrabatur Cæſar, Imperio ſuo magis inimicum fuiſſe Pontificem Romanum, quàm tyrannum Romanum. Qui certè ſecundùm doctrinam Aduerſarij licitè poterat, Romanum Pontificem occidere, quia probabili (vt ipſe iudicabat) ratione arbitrabatur, Romanum Pontificem prædicatorem fidei Chriſtianæ, ſtatui ſuo politico aduerſarium, atque hoſtem futurum. Sed non ideò Catholica Eccleſia timuit Sanctum Fabianum, & Sanctum Cornelium, de quibus Cyprianus loquitur, inter ſanctiſſimos Martyres numerare.

S. Cyprian.

Prædicatio Euangelica quæ licita

Itaque ſicut verum eſt, prædicationem Euangelicam non eſſe licitam, niſi bonis circumſtantijs veſtiatur: & nefas eſſe prædicationem Euangelij ſuſcipere, non ad lucrandas animas; ſed ad temporalia regna inuadenda: ſic etiam eſt verum, non eſſe prædicationem Euangelicam deſerendam, propterea, quod princeps infidelis probabili quidem (vt ſibi infidelitate, alijſque affectibus, ac vitijs exæcato videtur) ratione ſuſpicetur ex prædicatione Euangelica politicam ſuam Remp. detrimentum aliquod eſſe paſſuram. Nec deſinet eſſe Martyr, qui ſincero animo fidem prædicat, etiamſi ſeductoris, aut etiam proditoris nomine occidatur. Nam Chriſtus ipſe, qui Rex Martyrum meritò appellatur inter latrones, vt ſeductor populi paſſus eſt.

Chriſtus Rex Martyrum.

Num. 158. *Immò poſſet Princeps ille infidelis cogere ſummum Pontificem intra limites poteſtatis politicæ, ne tales Prædicatores in ſuum Regnum mittat, quos Princeps matura, ac probabili habita deliberatione exiſtimaret fore ſtatui ſuo politico turbulentos, & ſeditiones in Republ. excitaturos. Cùm enim talium Prædicatorum miſſio ſit Reip. politicæ, eiuſque Principi iniurioſa, poteſt Princeps ille ſummum Pontificem admonere, vt tales Prædicatores tumultuoſos è Regno ſuo euocet, & ne vlteriùs mittat eos, quos Princeps rationabiliter iudicat, Reip. quietem alijs machinationibus illicitis, quàm ex pura prædicatione Euangelica perturbaturos. Et ſi Pontifex debitè admonitus à talibus ſeditioſis Prædicatoribus mittendis non deſiſtit, poteſt Princeps vim vi repellere, & iniuriam ſibi illatam armis propulſare, cum quilibet ex lege naturæ ius habeat ad ſe, à quibuſcunque etiam ſummi Pontificis iniuſtis aggreſſionibus cum inculpatæ tutelæ moderamine defendendum.*

Reſpondeo. Videtur mihi Aduerſarius prorſus non Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filius; ſed Sereniſſimi Regis magnæ Britanniæ Iacobi ſtipendiarius miles eſſe, aut conductitius ſeruus. Catholicæ verò Eccleſiæ iurans; ac capitalis hoſtis. Cecinit Rex nuper præfatione ſua monitoria velut terribili tuba claſſicum, vt Chriſtianos omnes Principes

Aduerſarius malam operã nauat Eccleſiæ.

in Romanam Eccleſiam irritaret, & ad bellum cietet: nuuc Aduerſarius noſter bonus iſte Catholicus ſcilicet, velut altera Alecto cornu recutuo vrget porrò opus, & cùm Regis ſui iram aduerſus Catholicos ſacerdotes, ſiue, vt ipſi vocant, Ieſuitas, & Seminariſtas acure, & adaugere; tum omnes alios Ptincipes contra eoſdem, atque adeò voiuerſam Eccleſiam iocitare ſummo niſu, & quidem ſub vmbra uominis Catholici allabotat. Totus enim in eo eſt, vt in aoimis Principum ingeneret ſuſpiciones, quaſi Pontifex per ſuos prędicatores ſolitus ſit excitare tumultus, & ſeditiones, alienaque Regna turbare, & inuadre, quæ ſuſpiciones vbi ſemel animas Pricipum occupauerunt, ſine dubio ſemina ſunt, iræ iuidiarum, odiorum, & perſecutionum contta Eccleſiam. Sed de Sereniſſimo Rege Iacobo, ad Dei gloriam, & ipſius ſalutem meliora ſperamus, & optamus. Aperiet illi benignus Deus oculos mentis aliquando, vt tenebras, in quibus verſatur, agnoſcat, & exhorreat; & tandem diſcat Romanam Eccleſiam ſaluificam, ac benigniſſimam matrem noſtram nihil aliud per Prædicatores ſuos, quos in Britanniam maximo eius, ac incredibili amore mittit, quærere, & vnicè ſitire, quam ſuam & temporalem, & æternam felicitatem: hæreticos illos, eoſdem inquam hæreticos, qui Patri Regi, qui ſanctiſſimæ Matri Reginæ necem indigniſſimam attulerunt, qui optimam Auiam Reginam mętore confecerunt; qui Regis ipſius vitæ in vtero Matris etiam inſidiati ſunt, eoſdem eſſe ſuæ & Regni, & temporalis, & æternę felicitatis hoſtes. Hoc te rogo, Deus, humillimè: hoc tu concede propitius per D. N. Ieſum Chriſtum. Amen.

Catholici Prędicatores non ſunt ſeditioſi.

De Ptincipibus Catholicis certò perſuaſi ſumus, eos ſic in fide, & caritate Chriſti radicatos, & firmatos eſſe, vt eiuſmodi calumnijs non modò de ſiudijs ſuis in Romanam Eccleſiam nihil temittant; ſed contra potiùs adaugeant, & feruentiores multò euadant. At ab Aduerſario peterem, vt vel vnum exemplum adferret vnde doceret, timendam eſſe Regibus perniciē à prædicatoribus fidei, à ſummo Pōtifice miſſis. Scimus ab Apoſtolica ſede miſſos in omnes partes terræ Prædicatores fidei, Eucharium, Valerium, Maternum, Boniſacium, VVillibrotdum, Kilianum in Germaniam, Dionyſium in Galliam, Auguſtinum in Angliam, alios ad alia loca: & noſtro tempore multos in eandem Angliam delegatos. Oſtendat Aduerſarius vel vnum ex iſtis conuictum ſeditionis, vel proditionis. Non dico accuſatum: nam & Dominus Chriſtus, & Apoſtoli eius ſeditionis, & turbarum accuſati fuerunt, & impius Rex Achab reprehendit Eliam Ptophetam, quaſi *conturbaret Iſrael*.

Luc. 23. Act. 24.

3. Reg. 18.

Hæretici ſunt ſeditioſi.

Caluiniani, & Lutherani, & factis, & ſcriptis nihil niſi ſeditiones, tebelliones, regicidia moliuntur. De factis teſtantur Germania in bello ruſticorum, & contra Carolum V. Imp. Belgium contra Philippum II. Regem Catholicum, Gallia contra Franciſcum II. & Carolum IX. Reges Chriſtianiſſimos, & Scotia contra ſereniſſimas Reginas Marias Auiam, & Matrem Iacobi Regis, quin etiam contra ipſum Regem Iacobum, qui in Præfatione ſua monitoria; *non ſolùm*, inquit, *à natiuitate continuè vexatus fui, verum etiam in ipſo propemodum matris vtero extinctus, antequam in lucem ederer*. Idem Rex in Baſilico doro, Caluiniſtas turbulentos, ſeditioſos, & Regni appetentes eſſe teſtatur. Polonia contra Sigiſmundum III. cum immortali nominis gloria, & laudatiſſimo religionis zelo adhuc regnantem. Genebrardus verò ita de Caluiniſtis in Gallia ſcribit an. 1560. *Geneuæ nefandiſſimum conſilium de Franciſco II. Rege Franciæ, Regina vxore, Regina matre eius liberis, proceribus, & bonis Magiſtratibus ad certum diem per inſidias trucidandis, Beza Principe, Caluino auctore, Ottomanno ſubſignatore, Spifamio ſuaſore, omnibus Galliæ prædonibus, & Laniſtis conſcijs*. Hæc de factis eorum. Aliquid addam è ſcriptis. Ioannes Bodinus Caluiniſta Gallus de Rep. lib. 5. cap. 2. *Teneamus*, inquit, *illud peregrino cuiuis licere Tyrannum, id eſt, omnium vocibus infamem ac ſuorum rapinis, cædibus, & crudelitate nobilitatum, interficere*. Et mox: *Nec refert vtrum peregrinus aperta vi aut clam Tyrannum, an verò iudicio damnatum, morte afficiat*. Et iterum. *De pulcerrimis omnibus factis nullum illuſtrius eſt, quàm vitam, famam ac fortunam tenuium, ac innocentium hominum ab iniuria potentium defendere, ac tueri, quando iudiciorum aditus omnes obſidentur*. Loquitur de abſoluto Monarcha, ſiue qui, vt ipſe loquitur, habet iura Maieſtatis: eum exponit libidini peregrinorum mactandum. De reliquis verò Principibus ita ſentit. *Idem*, inquit, *cum quoque licet in eum, qui in populari, aut optimatum ſtatu Princeps eſt, nec tamen iura Maieſtatis habet, ſi ſua poteſtate ad ciuium cædes ſtupra, rapinas abutatur, ſine aperta vi, ſine Senatu iubente*, Declarat exemplo. *Si Carolus*, inquit, *Imperator tyrannide ciues, ac Rempub oppreſſiſſet, cùm iura Maieſtatis non haberet, iure occidi poterat*. Hæc Bodinus, viam latam admodum ad ſeditiones, ac Regicidia ſternens. Ioannes Arthuſius Caluiniſta in Politica Methodicè digeſta; *Tamdiu*, inquit, *reſiſtendum eſt, quam diu durat Tyrannus, quouſque verbis, facto, dolo, vel arte oppugnat Rempubl. & pacto inito contraria facit, loquitur, vel agit, adeò, vt eiuſmodi Tyrannum ab officio remouere, adminiſtratione demandata priuare, immò etiam, ſi aliter contra vim ſe defendere non poſſunt, interficere, & alium in eius locum ſubſtituere poſſint*.

Iacobus Rex Magnæ Britanniæ.

Caluiniſtarũ coniuratio in coronam Gallicam.

Cal. Hotmanno.

Ioannes Bodinus.

Io. Arthuſ.

Vlricus Zuinglius Caluiniſtarum Patriarcha in explanatione articulorum ſuorũ, artic. 4. *Quando*, inquit, *perfide, & extra regulam Chriſti egerint* (Principes) *poſſunt cum Deo deponi*. Declarat ibidem, quando Principes ipſius iudicio extra regulam Chriſti agant: *Cum in manifeſtè impios*, inquit, *non aduertit* (Rex aut Princeps) *extra regulam Chriſti ambulat: magis cùm ſceleratos prouehit, & innoxios prægrauat, vt cùm inutiles ventres, otioſos, ſacrificos, &c. defendit*. Ibid. *Quod reges deponi poſſint, Saulis exemplum manifeſtè docet quia dum flagitioſo loco non mouentur, totus populus à Deo punitur, vt patet Ieremiæ 15. Item ſi Iudei Regem ſuum non ita impunè conſceleratum eſſe permiſiſſent, à Deo non fuiſſent tam grauiter puniti: oportet oculum offendentem effodere, & abijcere: ſic de manu, & pede*.

Vlricus Zuinglius.

Ioann. Caluinus in capite ſexto Daniel.

Io. Caluinus

Abdi-

Abdicant, inquit, *ſe poteſtate terreni Reges, dum inſurgunt contra Deum*; (nempè dum Caluiniſmo reſiſtunt) *immò indigni ſunt, qui cenſeantur in hominum numero potiùs ergò conſpuere oportet in illorum capita quum illis parere, vbi ſic proteruiunt, vt velint Deum ſpoliare iure ſuo*.

Stephanus Iunius Brutus.

Stephanus Iunius Brutus Caluiniſta in lib:cui ritulus, *Vindiciæ contra Tyrannos Rex*, inquit, *ſi Deum negligat, ſi ad eius hoſtes tranſfugiat, ſi Feloniam aduerſus Deum committat, & ipſo iure Regnum committit, & facto plerumque amittit*. Et in ſumma: *vt vaſalli rebelles, Regnumque affectantes, ſupplicium extremum merentur, & feudum ipſo iure committunt, ità, & Reges, qui aut legem Dei pacto obſeruare volunt, aut volentes* (intelligir Caluiniſtas,) *inaudita cauſa perſequuntur*.

Buchananus.

Buchananus Caluiniſta Iacobi Regis Præceptor in hiſtoria Scotica de Caluinianis prædicantibus agens; *Eccleſiæ*, inqnir, *miniſtri in ſententia ſuperioribus temporibus approbata, conſtanter permanſerunt, poſſe videlicet Magiſtratum ſub leges vi cogi*. Hiſtoria hæc eſt. Setceniſſima Scotiæ Regina, Regis Iacobi optima mater, Chriſti Ieſu D.N. glorioſiſſima,

Maria Regina Scotiæ.

atque inuictiſſima Matyr an.1562.paulò maiori cum apparatn ac ſolennitate pro ſuo erga Catholicam religinem Zelo ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium legi curauerat: eo comperto prædicantes Caluiniani mox coeunt, quid facto opus in medium conſulunt, concludunt Reginam ſupremum ſuum ac legitimum Magiſtratum ſub leges vi cogi poſſe. *In ea*, inquit Buchananus, *ſententia conſtanter permanſerunt*, donec eam plurimas perpeſſam calamirates, & poſt nouemdecim annorum in Anglia, quo Eliſaberhæ hortatu, & blanda enocatione confugerar captiuitatem carnificis manu ſanctiſſimam animam Deo conditori ac redemprori ſuo reddere coegerunt, quod factum an 1587.18.Februarij Qui plura de hac hiſtoria deſiderat, legat Leslæum in hiſtoria Scorica.

Theodorus Beza.

Theodorus Beza Caluini in Cathedra Gebbenenſi ſucceſſor coniurationis Gallicæ, de qua paulò ante, Princepsin epiſt.37.& 40. ſic ſcribit; *ſperare ſe tandem Deum, quod opus in Gallia cœperat, & magna ex parte perfecerat, abſoluturum tota illa priorum hominum, & Principum generatione ſublata, vt mundus veluti de integre tota Gallia reſtauretur: contra illos eodem animo eſſe pugnandum, quo Gedeon contra Madianitas, quo Iudas Machabeus contra tyrannum Antiochum, Nicanorem, & paganos dimicauit*.

Io.Knoxus.

Ionnes Knoxus Bezæ diſcipulus, Scotiæ fax ac peſtis: è præsbyrero apoſtata, & vt Genebrardus ait, Necromanricus, & Caluiniani verbi in Scoria Apoſtolus, & Cardinalirio, ac Sacerdorali ſangnine madidus, in libro, cui titulum fecit, *Apellatio ad nobilicatem, & populum Scotiæ*; *Illud*, inquit, *auctor affirmauerim, debuiſſe nobiles, Rectores, iudices, populumque Anglicanum non modò reſiſtere, & repugnare Mariæ illi Iezabeli, quam vocunt Reginam ſuam, verum etiam de ea, & ſacerdotibus eius, & alijs Ciuibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis ſupplitium ſumere, vt primum cœperunt apertè Chriſti* (intelligit Caluini) *Euangelium ſupprimere*. Item, *Si populus vel temerè promouerit talem, qui poſtea indignum ſe oſtendit gubernatione populi Chriſtiani* (*tales autem ſunt omnes Papiſtæ idolatræ, & crudeles perſecutores*) *iuſtiſſimè poteſt idem populus illum exauctorare, & punire, quem antea inconſideratè deſignauerat, conſtituerat, &c.*

Archiepiſc. S. Andreæ, Primas Scotiæ, S.R.E. Card. à Knoxo, alijſque coniuratis occiſus.

Idem publicè pro concione Nobilitatem Scoticam perſtrinxit, quod Iezabelem (hoc nomine impudens illud os Mariam ſuam legitimam Reginam lectiſſimam, ſanctiſsimamq; Heroinam appellabat, eò, quod ſacrum de quo ſuprà audierat) è medio non ſuſtuliſſent. Gladium enim ad Papiſtas tollendos iam eis diuinitus eſſe traditum.

Goodmãnus.

Goodmãnus Knoxi in Euangelico miniſterio collega in lib. *Quomodo ſuperioribus magiſtratibus obediendum*; *ſi Princeps*, inquit, *& Magiſtratus omnes repugnent legi diuinæ*, (intelligit Caluiniſticam) *habetis vos, qui à populo eſtis, expreſſum diuini verbi teſtimonium pro parte veſtra, & Deus ipſe vobis dux, & ſignifer erit, qui præcepit non ſolùm primoribus, & magiſtratibus auferre malum ex ipſis, ſiue idololatriam, ſiue blaſphemiam ſiue apertam iniuriam, ſed hoc à tota multitudine requirit, cui gladius iuſtitiæ ex parte commiſſus eſt. Ideoque ſi magiſtratus omnes ſimul deſpicere velint iuſtitiam, & leges Dei, veſtrum eſt* (*ò populares*) *contra magiſtratus, alioſque omnes, eas defendere, alioſque omnes, eas defendere, & conſeruare, quanta maxima vi, & contentione poteſtis, vt animaduertatis in idolatram quemcumque: nemo excipitur ſiue Regina, ſiue Imperator*.

Buchananus.

Bucananus Sereniſs. Regi Iacobo merito ſuo exoſus in lib.de iure Regni; *Cum latrones*, inquir, *qui humanæ Societatis limites tranſgrediuntur, puniantur: tyranni illi, qui ſepta illa nunquam ingredi voluerint, Deo, & hominibus habendi ſunt inimici, eoſque in luporum, alione noxiorum animalium genere potius, quam hominum habendos eſſe puto, quæ qui alit, & ſibi perniciem alit, & alijs. Vt quod Romani in monſtris procurandis facere ſolebant, hoc genus hominum* (tyrannorum) *in vltimas terras deportetur, aut in alto muri procul à conſpectu demergatur, ne contagio eorum, etiam mortuorum, hominibus officiat, interfectoribus autem præmia decernantur non ab vniuerſo tantum populo, ſed à ſingulis etiam, quemadmodum vulgò fieri ſolet ijs, qui lupos, aut vrſos occiderunt: quando tyranni, qui cum hominibus, niſi in eorum pernicem conuenire nolunt, nihilo magis ſunt homines appellandi, quàm Statyri, ſimiæ, aut vrſi, quamuis forma, vultu, aut geſtu hominem mentiantur*. Item in hiſtoria Scotica libr.7. *Eſſe tyrannum veluti ſcopum ad vniuerſorum mortalium odium propoſitum, in quem omnium tela colliment, omnium ſagitta dirigantur*.

Si reliqnas ſimiles ſententias eiuſmodi hominum Lutheri, Melanchrhonis, &c.afferre vellem, inde ſolùm immenſum volumen conficere poſſem: ſed hęc ſufficiunt; quæ eo fine prolixiùs adferre libuit, vt Principes aperiant oculos ſuos, & videant, quantò, & honorificentiùs, & benigniùs tractentur ab Eccleſia Romana Catholica, quam ab hæreticis. Catholicę Eccleſiæ ſententia eſt, & doctrina; Principem iudicio, & poteſtati Eccleſiaſticæ à Chriſto inſtitutæ ſubiacere, quæ eum maturo conſilio iuſta ac graui de cauſa, & præuijs admonitionibus, ſi contumax ſit,

excommunicare, & de Principatu poſsit deponere, hæretici quemvis principem furori, & priuato affectui, ſiue cupiditati populi obijciunt, qui in omnem partem leui momento facilè impellitur, affectibuſque magis, quam ratione regitur; qui tamen Principem non modo poſsit deponere, ſed, & interficere.

Deinde, vt luce meridiana Lectori manifeſtius euadat, quã Aduerſarius parũ ſit æquus Catholicæ Eccleſiæ, cuius tamen ſe filium haberi vult; & contra, quàm addictus hæreticis. Eccleſia omnes ſeditiones, & proditiones, & Regicidia auerſatur, prohibet, punit, & omni, quantam quantam habet, auctoritate impedit: hæretici ijs concitandis, & exſequendis ſemper ſunt intenti, ſemper ſcriptis, & factis ſunt auctores; & tamen perpetuò loquitur de ſeditionibus, & proditionibus, quas Prædicatores à Pontifice miſsi machinari poſſint, quaſi hoc eis conſuetum ſit: de hæreticis ne gry quidem. Sed de his ſatis; pergamus ad alia.

Num. 159. *Ad conſequentiam reſpondetur eam non rectè inferri ex antecedente, cum in illa duæ propoſitiones includantur, quarũ vna vera eſt, & ex antecedente ſequitur: altera verò falſa, & nullo modo ex antecedente deduci poteſt. Concedimus enim poſſe Principem ſpiritualem imperare Principibus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale, eo modo, quo diximus num 99. & ſeq. non tamen propterea poſſe in ordine ad bonum ſpirituale diſponere in eo ſenſu, quo verbum diſponere, à Card. Bellarmin. vſurpatur, cum diſponere, & imperare, vt alter diſponat, ſint valdè diſtincta, nec primum ex ſecundo ſequatur, vt ſuperiùs annotauimus num. 99. & ſeq. Idcircò argumentum Card. Bellarm. fallax eſt, cum in eadem argumentatione terminos mutet, & ab imperare, ad diſponere tranſitum faciat.*

Pontifex con feſſione Aduerſarij Principib. imperare poteſt in temporalibus

Reſpondeo. Poſtquam Aduerſarius diu euagatus varijs repetitionibus multas paginas impleuit; nunc tandem ad argumentum reuertitur, & negat conſequentiam, non omninò, ſed ex parte. Argumentum hoc fuit; *Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipub. Chriſtiana; Ergò poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale.* Aduerſarius concedit illam partem concluſionis, *ergò poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus*, rectè inferri ex antecedente: negat ex eo aut rectè inferri illam aliam partem; *Ergò poteſt diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale.* Probat autem non rectè inferri, quia mutantur termini: cùm non ſit idem imperare alicui, vt diſponat, & diſponere. At fallitur Aduerſarius. Neque enim termini mutantur, ſed explicantur in antecedenti ſi quidem non fit mentio imperandi, vel diſponendi: ſed ſolius ſubiectionis vnius poteſtatis ad alteram. Ex ſubiectione autem vtrumque colligitur, & quod poſſit poteſtas ſuperior imperare poteſtati ſibi ſubiectæ, & quod poſſit de rebus eius diſponere, quando id exigit neceſſitas finis poteſtatis ſuperioris. Ad id autem, quod Aduerſarius dicit, ſe explicaſſe num. 99. & ſeq. in quo ſenſu velit accipi, quod hic concedit, & quid interſit inter imperare vt diſponatur, & ipſum diſponere: reſpondeo, me quoque in eodem loco dicta eius ſatis apertè refutaſſe. Non igitur fallax eſt argumentum Bellarmini; ſed inanis eſt Aduerſarij conatus & inepta reſponſio.

Num. 160. *Illa verò propoſitio: omnis ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo, ſi ſermo ſit de illo, qui non dignitate tantùm, ſed etiam auctoritate eſt ſuperior, veriſſima eſt in ſenſu formali, ideſt in illis tantum rebus, in quibus eſt ſuperior. Et propterea cùm poteſtas eccleſiaſtica in rebus tantũ ſpiritualibus, vel quæ ad ſpiritualia reuocantur, ſuperior ſit poteſtate ciuili; in illis tantùm poteſtati ciuili imperare poteſt. Et pari ratione, cùm poteſtas ciuilis in rebus tantùm politicis, vel quæ ad politica reducuntur ſuperior ſit poteſtate eccleſiaſtica, propterea in illis tantum poteſtati eccleſiaſticæ imperare poteſt, veruntamen ſicut poteſtas politica, tametſi imperare poſſit eccleſiaſticæ in rebus politicis, & in ſpiritualibus in ordine ad politica: vt ſuprà diximus: non tamen proinde de ſpiritualibus in ordine ad temporalia diſponere poteſt, quia imperare, vt quis diſponat & diſponere, multùm differunt: ita poteſtas eccleſiaſtica, licet imperare poſſit politica in rebus ſpiritualibus, & in temporalibus in ordine ad ſpiritualia: de rebus tamen temporalibus etiam in ordine ad ſpiritualia diſponere nequaquam valet.)*

O ſuperior poteſt imperare inferiori ſuo

Reſpondeo. Quæcunque hic dicuntur, iterum, atque iterum, ac ſæpiùs repetita ſunt. Paucis igitur dico: *omnis ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo*, quando ſuperior eſt, non ſolùm *dignitate*, ſed etiam *auctoritate*, & *in ſenſu formali*, in qua explicatione cum Aduerſario conuenimus: Quod autem Aduerſarius addit; poteſtatem politicam in temporalibus poſſe imperare poteſtati ſpirituali: quemadmodum poteſtas Eccleſiaſtica imperare poteſt politicæ in rebus ſpiritualibus: omninò negamus, vt ſuprà ſæpiſſimè pernegauimus. Non enim poteſtas politica, & Eccleſiaſtica ſunt eiuſdem generis, vt poteſtates duorum Regum: ſed generum diuerſorum, quales ſunt poteſtates animæ, & corporis, ſiue ſpiritus, & carnis. Spiritus enim carni poteſt imperare, non autem caro ſpiritui. Sed de his multa dicta ſunt in ſuperioribus.

Num. 162. (nam. num. 161. notatum non inueni.) *Ad primam demonſtrationem antecedentis reſpondetur, non omnem finem temporalem ſubordinari fini ſpirituali, per ſe, & ex natura ſua: ſed tantùm per accidens, quatenus ab homine, qui agit propter finem, ad finem ſpiritualem ordinatur. Et quamuis concederemus temporalia eſſe per ſe ordinata ad ſpiritualia, ſicut frena per ſe ſunt propter equos; non tamen inde ſequitur, vt rectè aduertit Ioan. Pariſien, quod ſi Papa haberet dominium ſuper finem, id eſt, ſuper ſpiritualia, haberet etiam in corporalibus, quæ ad ſpiritualia, vt ad finem ordinantur. Sicut neque bona eſt deductio; iſte eſt dominus omnium equorum, ergò & omnium frenorum, quæ ſunt propter equos.)*

Temporalia per ſe ſubordinantur ſpiritualibus.

Reſpondeo. Non omnem finem temporalem, ſiue corporalem ſubordinari per ſe fini ſpirituali, Aduerſarius dicit, ſed non probat: nos autẽ contrarium probamus; quia finis ſpiritualis Reip. eſt ſalus æterna, quæ eſt vltimus finis, finis Reip. temporalis eſt pax ciui-

Digitized by Google

ciuitatis, ſiue Regni; quæ non eſt finis vltimus, ſed mediatus. Omnes autem fines ſubordinantur per ſe vltimo fini, & in virtute illius mouent; quemadmodum omnes cauſæ efficientes ſubordinantur per ſe primæ cauſæ efficienti, & in virtute eius efficiunt, quidquid efficiunt: vide S. Thomam 1. 2. qu. 1. art. 6.

Deinde, nonne corpus per ſe eſt propter ſpiritum? cur igitur corporalia per ſe non ſint propter ſpiritualia? quod autem Aduerſarius videtur dicere; Omnem finem temporalem per accidens eſſe propter finem ſpiritualem, quatenus ab homine, qui agit propter finem, ad finem ſpiritualem ordinatur: falſum omnino eſt. Sæpè enim homines praui ſpiritualia ordinant ad temporalia, de quibus dicit Apoſtolus, *quorum Deus venter eſt*; ac per hoc temporalis finis per ſe, & ex natura ſua ſemper ordinatur ad ſpiritualem, per accidens autem, & contra naturam ex prauitate intentionis humanæ aliquando finis ſpiritualis ordinatur ad temporalem.

Philip. 3.

Cætera, quæ Aduerſarius adiungit, perperam omnino adiunguntur. Neque enim opus habemus, vt concedat temporalia ordinari ad ſpiritualia, vt frena ordinantur ad equos. Nam Card. Bellarm. ipſo teſte hanc ſimilitudinem repudiauit. Et quod ex Ioan. Pariſien. adducit, eum, qui eſſet Dominus omnium equorum, non continuò fore Dominum omnium frenorum, nihil ad rem facit. Satis enim eſt ad noſtram ſententiam comprobandam, quod qui eſſet Dominus omnium equorum, idem præeſſet vſui omnium frenorum.

Simile.

Num. 163. *Ad confirmationem dico, felicitatem temporalem non eſſe abſolutè vltimum finem hominis eſſe tamen vltimum finem poteſtatis temporalis. Qualibet enim potentia, vt potentia eſt, habet pro vltimo fine ſuum actum, ſicut qualibet ſcientia habet per ſe pro vltimo fine ſpeculationem ſui obiecti, licet ipſe homo, cui talis potentia, aut ſcientia inhæret, vlteriorem finem reſpiciat. Quamobrem rectè S. Auguſt. ait, voluntatem videndi non habere alium finem præter viſionem. Voluntas* (inquit lib. 11. de Trinit. cap. 6.) *videndi, finem habet viſionem, & voluntas hanc rem videndi, finem habet huius rei viſionem. Voluntas itaque videndi cicatricem, finem ſuum expetit, hoc eſt, viſionem cicatricis, & ad eam vltra non pertinet.*)

Num. 164. *Quapropter ſicut à Philoſophis diſtingui ſolet, finis vltimus ſcientiæ, aut operis, à fine vltimo ſcientis, aut operantis: ita diſtingui debet finis ipſius poteſtatis, & poteſtatem habentis. Dicitur autem vltimus finis operis, quia in eo opus vltimò terminatur, non autem operantis: quia operans non refert omnia ſua in talem finem, tanquam in quid optimum, & maximè amabile.*

Num. 165. *Concedimus igitur finem temporalem poteſtatem habentis eſſe felicitatem ſpiritualem, & æternam, ad quam Chriſtiani ſingulas ſuas actiones, & vſum tum poteſtatis Eccleſiaſticæ, tum ciuilis dirigere debent: ſed finem vltimum, & per ſe ipſius poteſtatis politicæ dicimus eſſe pacem, & quietem publicam, in cuius acquiſitione, & conſeruatione vltimò conquieſcit. Ideòque propter hanc rationem non eſt neceſſe, quod poteſtas ciuilis per ſe ſubordinetur poteſtati Eccleſiaſticæ, ſed ſolùm per accidens eo modo, quo diximus. Ariſtoteles autem in loco à Card. Bellar. citato, quando dicit ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines, loquitur de finibus per ſe ipſarum facultatum, & non de finibus facultates habentium.*

Reſpondeo primo, Quod vnius particularis voluntatis, aut facultatis, aut ſcientiæ vltimus finis ſit actus ſuus, id verum eſt: quod autem finis vltimus vnius particularis voluntatis, vel facultatis, vel ſcientiæ non referatur per ſe, & ex natura ſua ad vltimum ſimpliciter finem; ſed ſolùm per accidens, ex intentione habentis illam voluntatem, vel facultatem, vel ſcientiam; iſtud verum non eſt. Atque hoc non ſolus docet S. Thomas, loco notato; ſed & S. Auguſtinus in loco ab Aduerſario allegato, videlicet lib. 11. de Trinit. cap. 6. *Omnes*, inquit, *iſtæ, atque aliæ tales voluntates ſuos prius fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beatè viuere.* Hæc ille, qui quando ſubiungit, *voluntas itaq; videndi cicatricem finem ſuum expetit, hoc eſt, viſionem cicatricis, & ad eam vltra non pertinet*; ſignificat quidem viſionem cicatricis eſſe vltimum finem voluntatis videndi cicatricem; ſed non negat viſionem cicatricis ex ſe referri ad altiorem finem altioris voluntatis, & illum ad alium, donec veniatur ad vltimum finem ſimpliciter. Nam omnes boni fines referuntur ex natura ſua ad vltimum finem ſimpliciter, & quemadmodum fines inuicem ex natura ſua ſubordinantur; ſic etiam neceſſe eſt ſubordinari voluntates, aut facultates, aut ſcientias. Exempli gratia (vt in exemplo S. Auguſtini maneamus) habet aliquis multas voluntates, vnam, videndi cicatricem; alteram ex cicatrice viſa probandi vulnus inflictum; tertiam, ex vulnere probato conuincere & corripere eum, qui vulnus inflixit; quartam, ex correptione ſanare vulnus animæ eiuſdem; quintam, ex hoc officio caritatis mereri vitam æternam. Certum eſt, ſingulas voluntates habere ſuum propriũ finem, neque aliud ad eas pertinere: ſed etiam certum eſt, finem primæ voluntatis referri ad finem ſecundæ voluntatis, & ipſam primam voluntatẽ ſubordinari ſecundę, & ſic deinceps.

Subordinatio finium ad finẽ vltimum.

S. Auguſt.

Reſpondeo ſecundo. Etiamſi concederemus Aduerſario, finem ciuilis poteſtatis non referri ad finem poteſtatis ſpiritualis per ſe, & ex natura ſua; ſed ſolùm ex intentione Principis habentis ciuilem poteſtatem: adhuc ratio Bellarmini firmiſſima, & optima eſſet. Debet enim Chriſtianus Princeps politicus referre pacem publicam, quæ eſt finis politicæ poteſtatis, ad pacem, & felicitatem æternam ſuam, & populi ſui, quæ eſt finis poteſtatis ſpiritualis. Proinde debet finem ſuæ poteſtatis ſubijcere, & ſubordinare fini poteſtatis Principis ſpiritualis: ſicut autem debet ſubijcere, & ſubordinare finem fini, ſic etiam poteſtatem poteſtati. Quare non debet moleſtè ferre, ſi eſt verè Princeps Chriſtianus, quod Summus Pontifex per ſuam ſpiritualem poteſtatem dirigat, & corrigat ciuilem poteſtatem, & ita ſit gladius ſub gladio & poteſtas ſub poteſtate: & in Rep. Chriſtiana ſit ordo, pax, & tranquillitas, dum ſuperiora inferioribus præſint, & inferiora ſuperioribus ſubijciuntur.

Officiũ Principis Chriſtiani.

Num.

non eſt vna poteſtas alteri per ſe ſubiecta. At quis vnquam ſanus dixit, ex poteſtate ſpirituali, & temporali fieri formaliter vnum corpus politicum. Nam etiamſi Clerici ſint ciues Reipubl. politicæ, quatenus conuiuunt ciuibus eius Reip. emunt, vendunt, & cætera agunt ſecundum leges eius Reip. tamen quia exempti ſunt à poteſtate Principis politici, & leges eius ſeruant, non vi legis, ſed vi rationis, non propriè, & formaliter; ſed tantùm materialiter dici poſſunt pars Reip. politicæ. Adde, quod Eccleſiaſtica poteſtas, ſi cum poteſtate politica faceret vnum corpus politicum, deberet vel præeſſe, vel ſubijci poteſtati politicæ: præeſſe non poſſet, quia caput corporis politici Rex eſt: ſubeſſe etiam non poſſet, quia poteſtas ſuperior non debet inferiori ſubeſſe. Et prætereà (vt dictum eſt) clerici exempti ſunt à poteſtate Principis politici: non igitur ex poteſtate Eccleſiaſtica & politica fit vnum corpus politicum propriè, & formaliter. Sed fingit Aduerſarius abſurdas ſententias, quas refellat. Quod Card. Bellarminus dicit, eſt, ex poteſtate ſpirituali, & temporali, id eſt, ex Pontificibus, & Regibus, atque eorum ſubditis, clericis, & laicis fieri vnam Eccleſiam, vnam Remp. Chriſtianam, vnum Chriſti populum, ſiue regnum, ſiue corpus myſticum: in quo ſunt omnia ordinata, rectiſſimeque diſpoſita, ac per hoc ſuperiora inferioribus præſunt, & inferiora ſuperioribus ſubijciuntur. Hæc Aduerſarius euertat, & tum conſequentiam argumenti Bellarminiani neget.

Ex poteſtate ſpirituali, & tēporali quomodo fiat vnū corpus.

Num. 170. *Prima cauſa eſt, propter ordinem caritatis, quo tenemur anteponere maiora bona minoribus. Ad replicationem autem in contrarium dico, quod licet propter ordinem caritatis non teneatur vna Reſp. pati detrimentum, ne ſimile detrimentum patiatur alia Reſp. nobilior: tamen ſi contingeret, vtramque Rempubl. eidem Principi ſubiectam eſſe; vel Principem Reip. minus nobilis eſſe etiam ſubditum nobiliori, teneretur Princeps ille propter ordinem caritatis, cæteris paribus anteponere Rempubl. nobiliorem minus nobili.*)

Reſpondeo. Bellarm. argumentum hoc fuit.) *Si temporalis adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, omnium iudicio, tenetur Princeps temporalis mutare illum modum adminiſtrationis: ergò ſignum eſt ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali.*) Ac ne quis reſponderet ad hoc argumentum, negando conſequentiam, vt iam eam negauit Aduerſarius, addidit Bellarm. hæc verba; (*Neque ſatisfaceret, qui reſponderet, teneri Principem illum ad mutandam rationem ſuæ adminiſtrationis non propter ſubordinationem ad ſpiritualem poteſtatem; ſed ſolum propter ordinem caritatis, quo tenemur anteponere maiora bona minorib. Nam propter ordinem caritatis non tenetur vna Reſp. pati detrimentũ, ne ſimile detrimentum patiatur alia Reſp. nobilior: & vnus priuatus, qui tenetur dare omnia ſua bona pro conſeruatione ſuæ Reip. non tenetur tamen ſimiliter facere propter Remp. alienam, quamuis nobiliorem. Cùm ergò teneatur Reſp. temporalis pati detrimentum propter ſpiritualem; ſignum eſt, eas non eſſe duas diuerſas; ſed vnius, & eiuſdem partes, & vnam alteri ſubiectam.* Hæc Bellar. verba ab Aduerſario num. 146. recitata hic adferre volui, vt intelligatur Aduerſarij refutatio, & noſtra ad illam reſponſio. Nam ex ijs apertè colligitur, Aduerſarium nihil hoc loco dicere, quod ad euertendam Bellarm. rationem faciat. Fatetur enim, non teneri Principem Reip. minus nobilis propter ſolum ordinem caritatis pati detrimentum aliquod, ne ſimile detrimentum patiatur Reſp. nobilior, niſi ſit ipſe Principi Reip. nobilioris ſubiectus, vel niſi vnus habeat vtramque Remp. ſubiectam. Cogitur ergo confiteri, rationem præcipuam, cur debeat Princeps temporalis detrimentum pati in temporalibus, ne ſpirituale bonum impediatur, non eſſe ordinem caritatis; ſed ſubiectionem Reip. temporalis ad ſpiritualem, quando in vnam Remp. Chriſtianam, ſiue in vnum Corpus Chriſti myſticum conueniunt. Non igitur refutauit Bellarm. argumentum Aduerſarius; ſed dedit victas manus, immò confirmauit. Sed videamus, quid reſpondeat ad exemplum hominis priuati.

Num. 171. *Et licet vnus priuatus, qui tenetur dare omnia ſua bona pro conſeruatione ſuæ Reip. non teneatur ſimiliter facere propter Remp. alienam, quamuis nobiliorem: tamen in caſu, quo idem priuatus ſimul eſſet ciuis vtriuſque Reip. ſi teneretur dare omnia ſua bona pro conſeruatione Reip minus nobilis, cuius ciuis eſt; à fortiori propter eundem ordinem caritatis teneretur dare omnia ſua bona pro conſeruatione Reip. nobilioris, cui etiam eſt ſubiectus. Atque ita prorſus res ſe habet in præſenti materia. Nam poteſtas Eccleſiaſtica, & ciuilis, & Reſp. quas conſtituunt, ita ſimul coniunctæ ſunt, vt ſinguli Chriſtiani ſint ciues vtriuſque: & vtraque Reſp. eidem Principi ſubiecta eſſe poſſit, vt patet in Papa, qui dominium ſpirituale ſuper vniuerſum orbem Chriſtianum, & temporale ſuper aliquas eius prouincias ſimul habet.*

Reſpondeo. Et hic Aduerſarius ad ſubiectionem recurrit, atque ita Bellarm. argumentum non euertit, ſed confirmat.

Num. 172. *Secunda cauſa, ob quam Princeps teneretur mutare rationem ſuæ adminiſtrationis in caſu prædicto, eſt, quia alioqui noceret ſuis ſubditis, quibus malum eſt amittere maiora bona pro minoribus, nempe ſpiritualia pro temporalibus. Ad replicationem reſpondeo, quod ſi non ſolum ſubditi, ſed etiam homines alterius regni patiantur notabile damnum in ſpiritualibus propter adminiſtrationem alicuius Regis Chriſtiani, tenetur Princeps mutare ſuum modum adminiſtrandi, vt aſſerit Card. Bellarm. huius rei rationem non eſſe, quia poteſtas temporalis per ſe ſubiecta eſt ſpirituali; aut vtraque eſt pars per ſe vnius, atq; eiuſdem Reip. Sed quia tam Rex, quam homines illi alterius Regni ſunt membra etiam eiuſdem Corporis Chriſti myſtici, & conciues eiuſdem Regni ſpiritualis: propterea Rex ille ne notabiliter noceat in ſpiritualibus Regno Chriſti, cuius eſt conciuis, propter adminiſtrationem temporalem, tenetur modum adminiſtrandi mutare. Atque ita ſatisfactum eſt primæ rationi.*)

Reſpondeo. Aduerſarius, quo Bellarmini argumentum labefactet, nihil dicit. Quod Bellarminus aſſumpſerat, teneri Principem temporalem mutare modum adminiſtrationis, non ſolùm ne noceat in ſpiritualibus ſubditis ſuis: ſed etiam ne noceat alijs Chriſtianis; Aduerſarius concedit. Atque in iſta aſſumptione, ſiue in iſto antecedente conſi-

ſtit

ſtit tota vis argumenti Bellarminiani. *Deinde*, cum negat poteſtatem temporalem per ſe ſubiectam eſſe ſpirituali, aut vtramque eſſe partem vnius, & eiuſdem Reip. Chriſtianæ: & paulò poſt concedit, Regem, & homines ipſi ciuiliter ſubditos eſſe membra corporis myſtici, & conciues eiuſdem Regni ſpiritualis, Aduerſarius ſecum ipſe apertè pugnat. Quid enim eſt, Reges Chriſtianos, eorumq; ſubditos eſſe membra eiuſdem Corporis Chriſti myſtici, & conciues eiuſdem Regni ſpiritualis; quid, inquam, hoc eſt aliud, niſi Reges Chriſtianos, & eorum ſubditos laicos eſſe partem Reip. Chriſtianæ? Nam Reſpubl. Chriſtiana, & Corpus Chriſti myſticum, & Regnum Chriſti ſpirituale, omnino idem ſunt. Cuius Reip. & corporis, & Regni partes ſunt, Reges cum laicis, & Pontifices cum Clericis, vt ſæpè dictum eſt. In qua Repub. Chriſtiana, & corpore myſtico, & Regno Chriſti, ita ſunt omnia benè diſpoſita, & ordinara, vt temporalia ſeruiant ſpiritualibus & poteſtas politica Eccleſiaſticæ ſubdita ſit. Quam concluſionem multis modis Aduerſarius euertere tentauit; ſed minimè potuit. Nec ſolùm concluſionem euertere non potuit: ſed neque primam rationem, à Card. Bellarmino pro iſta concluſione allatam vlla probabili reſponſione ne vel minimùm quidem labeſactare valuit. Id quod Lectores, ſi abſque perturbatione animi, ea quę à nobis iam dicta ſunt, conſiderare voluerint, facilè iudicabunt.

C A P. VIII.

Examinatur reſponſio ad ſecundam rationem Card. Bellarmini à n. 173. vſque ad nu. 205.

II. arg. Bellarm pro poteſtate Pont. in temporal.

NVm. 173. *Secanda ratio Card. Bellarmini dao habet membra. Primum eſt, Reſpub. Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſaum finem, tales enim ſunt omnes Reſpab. benè inſtitata. Ergo debet habere omnem poteſtatem aeceſſariam ad ſaum finem conſequendum: ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi, & diſponendi de temporalibus. Qaia alioqui poſſeat mali Principes impunè fouere hæreticos, & enertere Religionem: igitur & hanc poteſtatem habet.*

Num. 174. *Secundum membrum eſt, poteſt qaælibet Reſpub. qaia perfecta, & ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare alteri Reip. non ſibi ſubiecta & eam cogere ad matandam adminiſtrationem, immò etiam deponere eius Priacipem, & aliam inſtitaere, quanda non poteſt aliter ſe defendere ab eias iniurijs: ergò maltò magis poterit ſpiritualis Reſpub. imperare temporali ſibi ſabiectæ, & cogere ad matandam adminiſtrationem, & deponere Priacipes, & alios inſtituere, quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.*

S. Bernardus. Bonif. VIII.

Num. 175. *Et hoc modo intelligenda ſunt verba ſancti Bernardi lib. 4. de conſideratione, & Bonifacij VIII. in extrauaganti, vnam ſanctam, de Maiorit. & obed. vbi dicunt, in poteſtate Papæ eſſe vtrumque gladium. Volunt enim ſignificare; Pontificem habere per ſe, & propriè gladiam ſpiritualem: & quia gladius temporalis ſubiectus eſt ſpirituali, poſſe Pontificem Regi imperare, aut interdicere vſum gladij temporalis, qaando id reqairit Eccleſiæ neceſſitas. Sic enim habent Beati Bernardi verba, quæ Bonifacius imitatas eſt. Quid tu, inquit, Papam alloquens, dennò vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum eſſe negat, non ſatis mihi videtur attendere ad verbam Domini dicentis ſic; Conuerte gladiam tuam in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, ſed non taa manu euagiaandas. Alioqui ſi nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladij hic; non reſpondiſſet Dominus; ſatis eſt; ſed, nimis eſt. Vterque ergò Eccleſiæ, & ſpiritaalis ſcilicet, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendas eſt: ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris.*

Math 16. Ioan. 18. Luc. 22.

Num. 176. *Hæc eſt ſecunda ratio Cardin. Bellarmini, quam ſolam tanqaam ex ſe potentiſſimam ad temporalem Pontificis poteſtatem euincendam attulit R. P. antea citatus num. 57. ex doctrina tamen ſuperius tradita nam. 64. 90. & ſeqaentibas de diſtinctione actuum, officiorum, & finium poteſtatis politicæ, & Eccleſiaſticæ, etiam iuxta Card. Bellarm. priacipia facillimè euertitur.*

Ad primum igitar huius rationis membrum reſpondetur, propoſitionem illam antecedentem, nempè, Reſpub. Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſaum finem.) Veriſſimam eſſe, ſi rectè intelligatur: ſed quoniam non ita clarum eſt, qaænam requirantar, & ſufficiant ad hoc, vt Reſpab. Eccleſiaſtica dicatur perfecta id eſt, cai nihil deeſt in ſuo genere, nimirum Reipab. ſpiritaalis, & ſit ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem, qui eſt ſalus æterna animarum ſi qais ex tali propoſitione ita vniuerſaliter accepta, neque ſufficienter explicata, aliqaid momenti, vt puta dogma fidei ſtabilire contenderet, facilem errandi occaſionem viris in Theologia minus verſatis præberet.)

Reſpondeo. Aduerſarius fideliter quidem verba Bellarmini num. 173. 174. 175. retulit: at quod numero 176. addit rationem illam ſecundam Bellarmini facillimè euerti ex ijs, quæ ipſe ſupra docuit, num. 64. & 90. & ſequent. in ipſum retorqueri poteſt. Nam ex reſponſione mea ad illa loca ab ipſo citata, manifeſtum eſt, rationem illam ſecundam Bellarmini fortiſſimam eſſe, neque ab eo euerti potuiſſe, Porrò quod addit, ſecundam illam Bellarmini rationem ex ipſiuſmet Bellarmini doctrina iam eſſe euerſam; nihil eſſe aliud, quàm ineptam & vanam iactantiam, manifeſtum erit legenti, quæ ſuprà numeris citatis tum ab illo, tum à me dicta ſunt.

Demùm, quod addit, ex vera propoſitione niſi ſufficienter explicetur, dari occaſionem errandi ijs, qui minus in Theologia verſati ſunt: omnes norunt: ac Bellarminum propoſitiones ſuas non benè explicaſſe, primus atque vnus eſt Aduerſarius, qui ſine cauſa queritur. Omnes alij hactenus ve ſolidam viri eruditionem, ita accuratam atque perſpicuam docendi rationem, & amauerunt, & admirati ſunt, & admirabitur poſteritas.

Num. 177. *Pro clariori itaque intelligentia huius propoſitionis, videlicet, Reſpub. Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, atque habere debet om-*

nem

nem poteſtatem ſibi ſufficientem, & neceſſariam ad conſequendum ſuum finem, qui eſt ſpiritualis, & ſalus æterna animarum; obſeruandum eſt in illis vocabulis, poteſtatem ſufficientem, nonnullā latere æquiuocationem. Vel enim primò intelligi poteſt, Eccleſiam talem habere poteſtatem ſufficientem ad conſequendum ſuum finem, qui eſt animarum ſalus, ita vt poſſit actu perducere quamlibet animam ad paradiſum, & tollere omnia obſtacula, quæ ſalutem æternam impedire queunt. Quem ſenſum habere poſſunt illa verba Card. Bellarmini in reſponſione ad tractatum Gerſonis de validitate excommunicationis in vndecima conſideratione, qui ait: ſummum Pontificem poſſe efficerē totum illud, quod neceſſarium eſt ad perducendas animas ad paradiſum, & poſſe omnia impedimenta remouere, quæ mundus, aut dæmon cum omnibus viribus ſuis, & aſtutijs opponere poſſunt?

Num. 178. *Et hic ſenſus eſt apertè falſus, & optimè impugnatur à Paulo Veneto in ſua Apologia Italica fol. 57. tum quia Pontifex nullum habet medium ſufficiens ad ſaluandum infantem exiſtentem in vtero matris, quem viuum ipſa parturire non poteſt (neque enim aperire licet ventrē matris, vt infans baptizetur) aut ad ſaluandum eum. qui exiſtens in peccato mortali factus eſt inſanus, niſi ad mentem redeat, Quod tamen efficere non eſt in Pontificis poteſtate: tum quia ſuper internos animi motus, qui ad ſalutem maximè ſunt neceſſarij, Papa nullam habet poteſtatem: tum etiam, quia neque eſſent Turcæ, neque infideles, neque hæretici, nec mali etiam Chriſtiani, abſque graui Pontificis culpa, ſi ipſe haberet poteſtatem efficiendi totum illud, quod neceſſarium eſt ad perducendas animas in paradiſum & ea omnia remouendi, quæ ſalutem æternam impediunt.*

Paulus Venetus.

Reſpondeo. Benè feciſſet Aduerſarius, ſi cum Pauli Veneti argumenta & ſubtilitates non neceſſarias deſcripſit: Bellarmini quoq; reſponſionem adiunxiſſet: ſic enim & Lectorem donaſſet beneficio, & nos reſpondendi leuaſſet onere. Sed benè eſt, quod argumenta Pauli Veneti non ſint ea, pro quorum ſolutione ſit magnopere laborandum. Nam quod dixit Bellarminus, habere Pontificem poteſtatem efficiendi, quidquid neceſſarium eſt ad perducendas animas ad Regnum cœlorū, & ea omnia impedimenta remouendi, quæ viam ſalutis intercludere poſſunt: intelligendum eſt hoc ſenſu, quod Pontificis poteſtas non ſit limitata, aut reſtricta, vt eſt in hominibus ordinum inferiorum, ſed ampliſſimam & maximam, atque adeò totam, & plenam Eccleſiaſticam poteſtatem, conferendi ſacramenta, indulgentias, beneficia; ſtatuendi leges, decreta, Canones; diſpenſandi in iuramentis, legibus votis; examinandi, iudicandi, puniendi; idque in omni Diœceſi, Prouincia, Regno Chriſtiano: addendum, hæc eſſe intelligenda, quantum eſt ex parte Pontif. & in materia ad recipiendam eius actionem idonea. Proinde non eſſe mirnm, ſi non poſſit Pontifex animas obſtinatas in hæreſi, aut peccatis maximè internis ad ſalutem perducere. Culpa enim ipſorum eſt, non Pontificis: cum ipſe adhibeat remedia per ſe efficacia, ſi admitterē illa ipſi vellent: Sic etiam mirum non eſt, ſi nequeat Pontifex remediū adhibere infanti in vtero matris periclitanti: quia non eſt capax eiuſmodi infans auxilij

Pontifex poteſt efficere, quidquid ad ſalutem neceſſarium, quem ſenſum habeat.

Obſtinati cur non ſaluētur

Infans in vtero morientes cur non ſaluetur.

Pontificij. Eadem ratio eſt de homine, qui cum peccatum lethale commiſit, mox in amentiam labitur. Deſinit enim eſſe materia capax auxilij. Simile eſt, ſi quis dicat: poteſt ſtatuarius ex omni materia ſtatuas facere. Id enim intelligi debet, de omni materia apta, quale eſt aurum, argentum, lignum, marmor, & his ſimilia. Et ridiculus eſſet, ſi quis obijceret: illam propoſitionem non eſſe veram, quia non poteſt ex aqua, aere, vel igne ſtatuas facere. Denique qui dicit, Deum poſſe omnia facere: veriſſimam propoſitionē affirmat. Et ſi quis obijceret, non poſſe Deū omnia facere, quia non poteſt facere, vt duo & duo non ſint quatuor: aut vt duo, & duo ſint quinqne: neque enim eſſent duo, & duo, ſi eſſent quinque, aut non eſſent quatuor: reſponderet homo cordatus, Deum poſſe facere omnia: intelligendum eſſe de omnibus, quæ fieri poſſunt, qualia non ſunt, quæ implicant eſſe, & non eſſe. Quod ſi Deum omnia poſſe, intelligendum eſt in ſenſu accommodato: quantò magis, Pontificem poſſe adhibere omnia remedia ad ſalutem animarum, & remouere omnia impedimenta, inrelligendum eſt in ſenſu accommodato? Sed de his ſatis.

Simile.

Deus eſt omnipotens, quis ſit ſenſus.

Num, 179. *Vel ſecundò intelligi poteſt, Eccleſiam habere poteſtatem ſufficientem in ordine ad ſuum finem, ex parte tantùm ipſius poteſtatis, & non ex parte etiam eorum omnium, quæ quocunque modo neceſſaria ſunt, ad hoc, vt poteſtas exeat in actum. Sicut poteſtas, v. g. illuminandi in ſole, intelligi poteſt ſufficiens, vel reſpectu ipſius potentiæ illuminantis, vel reſpectu etiam eorum, quæ quocunque modo ad illuminationem concurrunt, quæque ſi non adſunt, ipſam illuminationem impedient: qualia ſunt approximatio debita, ſubiectum capax, & benè diſpoſitum. Et licet ſol non habeat ſufficientem poteſtatem tollendi omnia, quæ illuminationem impedire poſſunt: ita enim & poſſet approximare ſibi corpus, & facere illud diaphanum, quæ tamen non ſunt in eius poteſtate; nihilominus quis propterea negare poteſt; ſolem habere poteſtatem perfectam, & ſibi ſufficientem ad illuminandum?*

Num. 180. *Atque in hoc ſenſu vera eſt illa propoſitio antecedens. Habet enim Reſpub. Chriſtiana, ſiue Chriſti Eccleſia perfectam, & ſibi ſufficientem poteſtatem ſpiritualem perducendi animas ad Regnum cælorum; quantum eſt ex parte ipſius poteſtatis, quæ nihilominus ſupponit ſubiectum aliàs aptum, & benè diſpoſitum. Habet enim poteſtatem ſibi à Chriſto traditam conferendi gratiam, qua ad Regnum cælorum peruenitur, infantibus quidem per Sacramentum Baptiſmi; adultis verò per alia etiam Sacramenta præſertim pænitentiæ, per quam Sacerdos, vt Chriſti miniſter, virtute clauium, quas à Chriſto accepit, abſoluit à peccatis, & gratiam confert. Hæc tamen poteſtas, vt exeat in actum, ſupponit diſpoſitiones quaſdam neceſſarias ex parte ſubiectorum, tam in infantibus, quàm in adultis, quas ponere non eſt ſemper in poteſtate Eccleſiæ.*

Num. 181. *Habet quoque Eccleſia præter hanc poteſtatem, quam ordinis appellant, poteſtatem etiam Iuriſdictionis. Habet enim auctoritatem prædicandi verbum Dei, corripiendi peccatores, condendi leges, & trangreſſores pœnis Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus coercendi: ſicut enim Eccleſia, & poteſtas Eccleſiaſtica eſt ſpiritualis, & finem habet ſpiritualem: ita quoque me-*

dia ad talem finem proportionata habere debet.)

Reſpondeo. Etſi hæc omnia ad ſoluendum argumentum Bellarmini aut parum, aut potiùs nihil faciunt: ad augendum verò volumen multum: attamen recitare volui, quod quædam in ijs notanda viderem.

Primùm notandum eſt, Aduerſarium neſcio quo artificio tranſtuliſſe quæſtionem ab Eccleſiaſtica Rep. vt diſtinguitur à Rep. laicorum Chriſtianorum, ad Remp. Chriſtianam, ſiue Chriſti Eccleſiam, vt diſtinguitur à cætu paganorum, ſiue infidelium. Nam in argumento Bellarm. ſumitur Reſp. Eccleſiaſtica priore modo, non poſteriore: Aduerſarius aut reſpondet de Rep. Chriſtiana, ſiue de Eccleſia, vt Eccleſiaſticos, laicoſque complectitur. Viderit ipſe, qua id ſimplicitate fecerit, qui alioqui tàm ſcrupuloſè fugere videtur æquiuocationes.

Secundò notandum, quæ Aduerſarius hic diſputat de ſubiecto apto, & benè diſpoſito, vt poteſtas Eccleſiaſtica in eo vim habeat, vera eſſe, & haberi in reſponſione Bellarm. ad obiectiones Pauli Veneti: & tamen ſolito ſuo candore laudaſſe argumentum Pauli Veneti, & ſolutionem Bellarm. diſſimulaſſe.

Tertiò notandum, Aduerſarium, dum explicat pœnas, quibus Eccleſia reos ſuos afficere poteſt, ſolius pœnæ ſpiritualis mentionem feciſſe, quaſi non poſſit Eccleſia pœnas etiam temporales infligere, qua de re vide quæ diximus ca. 4. in Reſp. ad num. 40. 41. & 42.

Vltimò notandum, eum non ſine myſterio, dum explicat poteſtatem iuriſdictionis, nihil dixiſſe de poteſtate ſoluendi, iuramenta, & vota, & alia id genus.

Num. 182. *Concedimus itaque propoſitionem illam antecedentem in ſenſu explicato: ſed negamus, neceſſariam eſſe ad finem ſpiritualem poteſtatem vtendi, & diſponendi de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum. Quia hæc poteſtas non eſt proportionata illi fini, & propterea non eſt veriſimile propter finem ſpiritualem talem poteſtatem temporalem fuiſſe à Chriſto ſuæ Eccleſiæ quæ eſt Reſp. ſpiritualis, communicatam.*

Reſpondeo. An ſit neceſſaria Eccleſiæ ad ſuum finem poteſtas vtendi rebus temporalibus omnium Chriſtianorum, deque illis diſponendi, præcipua eſt quæſtio: quæ controuertitur. Card. Bellarminus affirmat, Aduerſarius negat. Sed dum negat, ita patronis, doctoribuſque deſtituitur, vt Ioan. Pariſienſis etiam, quem in hoc libro ſæpiùs pro ſententia ſua, quàm vllum alium allegauit, ei manifeſtè è diametro contradicat. Sic enim loquitur in libr. de poteſtate Regia, & Papali cap. 7. *Papa, quia eſt ſupremum caput non ſolum clericorum, ſed generaliter omnium fidelium, vt fideles ſunt, tanquam generalis informator fidei, & morum in caſu neceſſitatis fidei, & morum (in quo caſu omnia laicorum fidelium bona ſunt communicanda, etiam calices) habet bona fidelium diſpenſare, & exponenda decernere, prout expedit neceſſitati communi fidei, quæ alioqui ſubuerteretur propter irruptionem paganorum aut aliud huiuſmodi.* Sic ille, quid alios tam multos dicturos opinaris, qui multò plus tribuunt Summo Pontifici, quàm Ioannes ille tribuit?

In Pariſien.

At, inquis, hæc poteſtas diſponendi de temporalibus non eſt proportionata fini poteſtatis Eccleſiaſticæ, qui ſpiritualis eſt.

Reſpondeo primò: poteſtas diſponendi de temporalibus in Summo Pontifice non eſt formaliter temporalis: ſed ſpiritualis formaliter, eminenter autem temporalis: & ideò proportionatur optimè fini ſpirituali.

Reſpondeo ſecundò. Bona temporalia, ipſaque bonorum temporalium poteſtas nullam quidem habent proportionem naturalem cum ſpiritualibus: at proportionem moralem, quæ in propoſito ſufficit, habent maximam. Sunt enim bona temporalia inſtrumenta ſpiritualia bonorum operum, qua ratione S. Petrus 1. epiſt. 2. c. Vocat *Eleemoſynas*, & alia opera bona, quamuis corporalia, *ſpirituales hoſtias*. Quemadmodum igitur ſpiritus in homine diſponit de actionibus corporalibus, eleemoſynis, ieiunijs, caſtigationibus carnis, & ſimilibus, prout neceſſaria ſunt ad ſalutem animæ: ſic poteſt Princeps Eccleſiæ in ordine ad finem ſpiritualem diſponere de bonis temporalibus, quæ ea ratione, quæ neceſſaria ſunt ad eum finem aſſequendum, ſunt eadem ratione dicenda proportionata ad eundem finem.

Bona temporalia fini ſpirituali quomodo proportionata.

1. Pet. 2.

Simile.

Num. 183. *Neque tamen ſubinde ſequitur, quod perperam, ſibique repugnans infert Cardin. Bellarminus, poſſe alioqui malos Principes impunè fouere hæreticos, & euertere Religionem. Habet enim Eccleſia, vt diximus, poteſtatem eos coercendi, non quidem pœna temporali, & ciuili: ſed pœnis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus: niſi forſan cenſuræ Eccleſiaſticæ, & ſpirituales non ſint dignæ, vt inter pœnas recenſeantur: cum tamen vt pœnæ acerbiſſimæ, & tremendiſſimæ ab omnibus prædicentur. Quamobrem ipſemet Cardin. Bellarminus diſertis verbis affirmat lib. 3. de Eccleſia, cap. 6. nullam eſſe pœnam grauiorem, quæ ab Eccleſia infligi poteſt, quàm ſit excommunicatio. Et lib. 3. de Laicis c. 21. dicit excommunicationem eſſe pœnam maiorem morte corporali: atque ad hoc citat S. Auguſtinum aſſerentem, horribilius eſſe tradi Satanæ per excommunicationem, quàm gladio feriri, flammis abſumi, feriſuè ſubijci ad deuorandum.)*

Reſpondeo. Non video, qua in re Card. Bellarminus ex ſententia Aduerſarij ſibi repugnet. Pœnam excommunicationis omnibus pœnis temporalibus grauiorem eſſe ſcripſit Bellarminus, quod veriſſimum eſt, & nemo, niſi aut impius, aut non ſanæ mentis negare poteſt: at non idcircò perperam, aut ſibi repugnans ſcripſit, neceſſe eſſe, vt Eccleſia poteſtatem habeat diſponendi de temporalibus, ne Princeps impunè foueat hæreticos, & religionem euertat. Nam multi magis timent pœnas temporales, quàm excommunicationem, quamuis hæc ſit ſine comparatione grauior. Sicut pueri magis timent virgas, quam amiſſionem hæreditatis paternæ. Atque hæc eſt cauſa, cur Lateranenſe Concilium cap. 3. inſſerit primùm excommunicari Principes, qui fouent hæreticos: deinde ſi hoc remedium non prodeſt, abſolui ſubditos à fidelitatis iuramento, & terras eorum tradi alijs occupandas. Quid hic dicet Aduerſarius? Concilium orbis terræ ignoraſſe grauitatem excommunicationis? aut ſibi ipſum repugnaſſe, cùm ea ſcripſit? Certè prudentes viri Aduerſarium

Pœna excommunicationis grauiſſima.

Conc. Later. ſub Innocent III.

teme-

temeritatis, & inſcitiæ condemnabunt, non Concilium vlla ex parte reprehendent.

Deinde, quemadmodum aduerſum ignorantes grauitatem excommunicationis Lateranenſe Concilium mandat primùm excommunicari fautores hæreticorum, deinde priuari dominijs temporalibus: ſic è contrario aduerſus eos, qui excommunicationis magnitudinem nouerunt, iubet Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. primùm puniri reos pœnis temporalibus, carcere, exſilio; mulcta pecuniaria; ad vltimum, ſi hæc non proſint, excommunicationis iaculo feriri. Neque Synodus Tridentina Lateranenſi repugnat, neque ſecum ipſa pugnat, neque vim excommunicationis ignorat. Sed Aduerſarius, qui tantorum Conciliorum decreta contemnit, & tamen Catholicum ſe profitetur, profeſſioni ſuæ loquendo repugnat:

Conc. Trid.

Num. 184. *Quod ſi huiuſmodi mali Principes omnes pœnas Eccleſiaſticas contempſerint, non habet Eccleſia amplius, quid faciat. Præſtitit enim officium ſuum, neque auctoritatem ſibi conceſſam excedere debet: & propterea ipſius Dei iudicio, & caſtigationi eos relinquere, atque cùm corporalia neſciat arma, vt rectè dixit Ioannes Papa VIII. cap. Torrò 16. q. 3. ſolum Dominum & propugnatorem ſuum, quando ei placuerit, miſereri, expectare oportet. Vndè optimè Æneas Syluius in lib. de ortu, & auctoritate Imperij Romani; Tolerandum eſt,* inquit, *patienter, quod Princeps facit, quamuis iniquè: expectandaque eſt vel ſucceſſoris emenda, vel ſuperni correctio iudicis, qui violentias, atque iniurias non ſinit eſſe perpetuas. Et Petrus Gregorius lib. 26. de Rep. cap. 5. Quocirca,* inquit, *rebelliones in Principem prætextu vitiorum effugere non poſſunt crimen maieſtatis, & Dei indignationem. Et potius relinquendi ſunt malè regnantes iudicio Dei, quàm polluendæ manus ſacrilegio, & parricidio per ſubditum. Non caret Deus modis, quibus poſſit, quando voluerit, huiuſmodi malos Principes tollere, vel emendare.)*

Reſpondeo. Mira eſt huius hominis, qui ſe Catholicum vult haberi, temeritas. Concilium generale orbis Chriſtiani dicit, Principes fautores hæreticorum contemnentes excommunicationem per Apoſtolicam ſedem dominijs eſſe priuandos: & vnus homo liberè contradicit, atque affirmat, non habere Eccleſiam, quid amplius agat, ſed functam eſſe officio, vbi telum excommunicationis intorſerit. Nunc ad Scaurinum iudiciū: vtri viri Catholici fidem habere debent, Eccleſiæ vniuerſæ de ſua poteſtate à Deo accepta teſtificanti: an vni neſcio cui, qui ſub alieno nomine latens verba profundit? Neq; Ioannes Papa, aut Æneas Syluius, aut Petrus Gregorius contrà ſentiunt. Ioannes enim ſcribit, *Eccleſias neſcire arma,* quia prohibitum eſt Eccleſiaſticis, armis certare, niſi in certis caſibus à iure permiſſis, cum eorum arma ſint orationes, & lacrymæ: ſed non ſcribit, illicitum eſſe Summo Pontifici abſoluere fideles à iuramento præſtito Principi contemnenti excommunicationem, & eius prouinciam exponere alijs occupandam. Quod autem Ioan. Pontifex addit, *patienter expectandum eſſe, quando placuerit Domino, & propugnatori ſuo miſereri Eccleſiæ ſuæ:* locum habet, cum Principi potentiſſimo reſiſti non poteſt, qualis erat is, qui eo tempore Germaniam, & Pannoniam deuaſtauerat.

Ioannes VIII.

Æneas Syluius in eo libro, loquitur de proprijs ſubditis, qui Principem iniquè agentem tolerare, & ſupernum Iudicem exſpectare debent potiùs, quàm rebellionem, aut tumultum aliquem moliantur. Neque nos dicimus propter quamlibet iniquitatem eſſe Principes, vel excommunicandos, vel Principatu priuandos. Adde, quod librum illum ſcripſit Æneas cum eſſet iuuenis, & Imperatori ſeruiret. Poſteà enim longè aliter ſenſit.

Æneas Syluius.

Denique Petrus Gregorius non loquitur de depoſitione Principum per ſententiam Summi Pontificis, ſed de cæde, & rebellione ſubditorum, de qua nos non loquimur. Idem enim auctor in eodem lib. 26. de Repub. cap. 5. num. 23. citat plures Canones, qui docent, Principem deponi poſſe non ſolum ob hæreſim, ſed etiam ob alia crimina ſpiritualia.

Petrus Gregorius Tholoſanus.

Num. 185. *Neque propterea periculum eſt, religionem Chriſtianam fore euertendam, vt Cardin. Bellarminus non ſatis ſibi conſtans haud rectè deducit. Hoc etenim Chriſtus ipſe, qui Eccleſiam principaliter regit, impediet, quamuis ob occulta ſua iudicia in quibuſdam prouincijs eam nonnunquam grauiter impugnari ſinat, atque etiam prorſus euerti interdum permittat. In tali euentu orationibus, ieiunijs, lacrymis, eleemoſynis, patientia, & huiuſmodi armis ſpiritualibus, quæ (vt ait Gloſſa ad Epheſ. 4.) propria ſunt militum Chriſti, pugnandum eſt. (Aliter enim, vt inquit Ambroſius, nec poſſumus, nec debemus reſiſtere) & obſecrandus eſt ab Eccleſia Deus, vt iram ſuam auertat, & corda Principum ad bona inclinet. Neque Chriſtus vnquam deerit in neceſſarijs, cum ipſe promiſerit, nec portas inferi eſſe aduerſus eam prævalituras.*

Num. 186. *Quapropter pulcherrimè Card. Bellarminus lib. 4. de Eccleſia, cap. 6. ait, duraſſe Eccleſiam à Chriſto huc uſque fruſtra eam oppugnantibus primò Iudæis, deinde Paganis, vltimo hæreticis. Nec ſolum duraſſe, ſed etiam ex perſecutionibus creuiſſe: vt enim aquæ diluuij palatia Regum obruebant, atque deijciebant arcam verò Noe magis, ac magis attollebant: ita perſecutiones Regna temporalia facilè deſtruunt: Chriſti Regnum, quod eſt Eccleſia, non ſolùm non deſtruunt, ſed etiam illuſtrant. Itaque Iuſtinus in Triphone dicit, perſecutionem id eſſe Eccleſiæ, quod eſt vineis putatio; vt enim vinea putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoque Eccleſia perſecutionibus creſcit. Et Tertullianus cap. vltimo Apologetici, ſanguinem Martyrum ſemen Chriſtianorum vocat. Quod explicaſſe videtur Leo Serm. 1. de SS. Petro, & Paulo, cum ait; Non minuitur Eccleſia perſecutionibus, ſed augetur: & ſemper dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.*

Hæc eo loco Card. Belarminus.

Num. 187. *Quocirca non erat, quod hoc loco tam meticuloſè formidaret, ne mali Principes Eccleſiam perſequentes religionem euerterent. Quinimmò ſi ipſemet Turca, communis Chriſtianorum hoſtis Principum fidelium regna inuadere, atque Mahometiſmum introducere, & Chriſti fidem, ac Religionem penitus exſtirpare tentaret, non eſſet abſolutè neceſſarium ad ſpirituale Eccleſiæ bonum conſeruandum, vt illi reſiſtatur. Neque proinde periculum eſſet, vel ipſo Card. Bel-*

larmino iudice, ne Chriſtiana religio euerteretur. Non enim eſt abſolutè neceſſarium (inquit lib. 1. de Concilijs, cap. 10.) vt communi hoſti, qualis eſt Turca, reſiſtatur. Si enim Eccleſia conſeruari potuit ſub immaniſſimis perſecutionibus Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani: cur non poſſit etiam ſub perſecutione Turcarum?

Eccleſia perire nequit.

Reſpondeo. Nunquam Card. Bellarm. timuit, ne Eccleſia vniuerſa periret: (Contrarium enim, vt omnia accuratè, & ſolidè docuit, & confirmauit) at verò ne Principes temporales fouendo Hæreticos Religionem in prouincijs ſuis nonnunquam, quantum quidem in ipſis eſt, euertere ſtudeant, atque aliquando etiam actu, & de facto euertant: id meritò timendum eſſe cenſuit. Id enim in Germania, & Anglia accidiſſe videmus.

Qui enim in magna Germaniæ parte religionem perdiderunt, niſi Principes, qui Luthero ſeminanti hæreſes mirificè fauerunt; & qui fidem Catholicam magna ex parte in Anglia exſtinxerunt, niſi Henricus VIII. & Eliſabetha per Martinũ Bucerum, Petrum Martyrem, & ſimiles erroris miniſtros? Iam quæ in his dictis Bellarmini ſit repugnantia, ego non video.

Matth. 16.

Porro Chriſtus promiſit *portas inferi aduerſus Eccleſiam non præualituras*, & ſine dubitatione, quod promiſit, implebit. Sed implebit per varia media, quorum vnum eſt, ingens poteſtas, quam Vicario ſuo attribuit in Eccleſia regenda, & protegenda: alterum eſt iuſtum bellum Principum Chriſtianorum aduerſus infideles, qui Eccleſiam euertere moliuntur. Neque enim cum Aduerſario, & eius Magiſtro Luthero ita deſipimus, vt exiſtimemus bellandum non eſſe aduerſus Turcas, cum Chriſtianas prouincias occupare contendunt. Neque ideò negamus, inter media numerandas eſſe orationes, lacrymas, ieiunia, & alia id genus: hæc enim præſtanda ſunt; ſed illa quoque non omittenda. Alioqui ſi bona eſſet Aduerſarij ratiocinatio, poſſemus etiam dicere, deſiſtendum eſſe ab arandis, & ſerendis campis, à metendo, & colligendo frumento, à colendis vineis, & paſcendis gregibus, ab ædificandis domibus, & ſuendis veſtibus: quoniam Chriſtus promiſit, Patrem cæleſtem, qui paſcit volucres cæli, & veſtit lilia agri, multò magis nobis hominibus de victu, & veſtitu ſine dubio prouiſurum.

Lutherus docuit non eſſe bellandum contra Turcas.

Matth. 6.

S. Ambr.

At S. Ambroſius dicit, nos non poſſe, nec debere reſiſtere.

Reſpondeo. De S. Ambroſio ſat multa diximus ſuprà c. 3. in reſp. ad num. 15. Nunc breuiter dico, S. Ambroſium loqui de ſe, qui particularis erat Epiſcopus, & quem arma tractare minimè decebat. Inde autem non ſequitur, non licere Chriſtianis Principibus bellare aduerſus Paganos, & hæreticos Chriſti Eccleſiam vaſtare cupientes. Sic enim loquitur S. Ambroſius in orat. contra Auxentiũ de tradendis Baſilicis: *Aduerſus arma, Gothos quoque, arma mea lacrymæ ſunt. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.*

Eccleſia creſcit perſecutionibus.

Quod Bellarminus ſcripſit lib. 4. de Eccleſia, Eccleſiam perſecutionibus creſcere: intelligendum eſt de perſecutionibus corporalibus, quas Eccleſia paſſa eſt, primùm à Iudæis, deinde ab Imperatoribus Paganis, vltimò à Regibus hæreticis, Conſtantio, Valente, Genſerico, Hunerico, & ſimilibus multis. Quod enim hæreſis, quæ *vt cancer ſerpit*, quando non armis, ſed concionibus graſſatur, Religionem multis in locis exſtinguat: docent nos in Oriente, & Meridie prouinciæ integræ à Neſtorianis & Dioſcorianis, ita corruptæ, vt vix vlli in ijs locis inueniantur Catholici: in Occidente, & Septentrione prouinciæ item non paucæ à Lutheranis, & Caluinianis ita infectæ, vt alicubi nullus Catholicis locus ſit, & propter eiuſmodi peſtes Dominus dixiſſe videtur; *Cùm venerit filius hominis putas inueniet fidem in terra?* Magnum itaque & notabile eſt diſcrimen inter perſecutores, qui corpus occidunt; & hæreticos, qui animas corrumpunt.

2. Tim. 2.

Hæreſis peſtilentior, quã perſecutio.

Luc. 18.

Demum, quod Bellarminus in lib. 1. de Concilijs ſcripſit, non eſſe abſolutè neceſſarium, vt communi hoſti, qualis eſt Turca reſiſtatur, videndum eſt, quorſum ſcripſerit. Nimirum ideò ſcripſit, vt oſtenderet Concilia generalia eſſe quidem vtiliſſima, ſed non abſolutè neceſſaria. Nam ex cauſis, quæ ſolent adferri pro neceſſitate Concilij generalis vna eſt, *vt communi hoſti, qualis eſt Turca, reſiſtatur*. Ad hanc cauſam reſponſiones duas adhibuit; vnam, *non eſſe abſolutè neceſſarium, vt communi hoſti, qualis Turca, reſiſtatur*, ad hoc, vt Eccleſia non pereat. Quamuis enim bonum ſit, & laudabile Turcis bellando reſiſtere: tamen poſſe etiam Chriſtum Eccleſiã ſuam ſub Turcarum tyrannide conſeruare; vt conſeruauit ſub tyrannide Neronis, & ſimilium Imperatorum: alteram poſſe etiam ſine Concilio generali per Summum Pontificem Principes Chriſtianos colligari in ſanctum fœdus conuertendi arma in communem hoſtem, vt aliàs ſæpè factum eſt.

Concilia generalia non ſunt abſolutè neceſſaria.

Num. 188. *Simili prorſus huic, quam adhibuimus, reſponſione in re non diſſimili vtitur Cardin. Bellarminus de malo Pontifice Eccleſiam vexante, & eius ruinam machinante: nec tamen iuxta eius doctrinam, habet Eccleſia in eo caſu vllum efficax remedium, quo ſe liberet à tali iniuria.*

Reſpondet enim, non eſſe mirum, ſi in eo caſu manet Eccleſia ſine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ſalus eius præcipuè humana induſtria; ſed diuina protectione, cum eius Rex Deus ſit. Itaque etiamſi Eccleſia non poſſit deponere Pontificem: tamen poteſt, ac debet Domino ſupplicare, vt ipſe remedium adhibeat. Et certum eſt, Deo fore curæ eius ſalutem, qui talem Pontificem vel conuertat, vel è medio tollat, antequam Eccleſiam deſtruat. lib. 2. de Concilijs cap. 19. ad 5.

Quam quidem reſponſionem ad malos Principes Eccleſiam perſequentes, totidem planè verbis rectiſſimè applicari poſſe, ſatis eſt manifeſtum.)

Reſpondeo. Diſſimile prorſus eſt, quod Aduerſarius pro ſimili ponit. Sum. enim Pontifex nullum habet in terris Iudicem; quod non ſolùm omnes Catholici abſolutè confitentur; ſed etiam Aduerſarius, & eius Magiſter Gulielmus Barclaius admittunt de Pontifice, qui ſit etiam Princeps temporalis. Nam in temporalibus nulli Principi ſubiectus eſt, cum ſit etiam ipſe Princeps temporalis multarum vrbium, & prouinciarum: in ſpiritualibus

Pontif. non habet in terris Iudicem.

libus

libus autem omnibus præeſt: proinde nullum omnino Superiorem agnoſcit, iudicio etiam Aduerſarij. Rex autem, & Imperator, & omnes alij Principes Chriſtiani Superiorem agnoſcunt Patrem, & Paſtorem Pontificem Romanum. Non ergò eadem eſt ratio Pontificis Maximi, & Principum politicorum.

Pontifex in caſu hæreſis iudicari, & deponi poteſt Innocent. III.

Deinde hoc loco præcipua quæſtio noſtra eſt, de depoſitione Principum in caſu hęreſis. Illam enim Bellarmini propoſitionem exagitat Aduerſarius (*alioquin poſſent mali Principes impunè fouere hæreticos, & euertere Religionem*) At in caſu hæreſis Summus etiam Pontifex iudicari, & deponi poteſt. Sic enim loquitur Innocentius III. Pontifex in ſerm. 1. de conſecratione Pontificis. *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, vt cum de cæteris peccatis ſolum Deum iudicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fide committitur, poſſem ab Eccleſia iudicari*. Hæc ille.

Quod ſi Summus Pontifex in caſu hæreſis iudicari, & deponi; aut certè declarari depoſitus à Deo: quantò magis Princeps tēporalis? Bellarminus autem in loco quem Aduerſarius allegat ex lib. 2. de Concilijs, cap. 19. agebat de Summo Pontifice, qui moribus peruerſis Eccleſiam euertere conaretur. Hunc enim ab Eccleſia, vel à quocunque humano iudicio damnari non poſſe dixit; ſed a ſolo Domino, qui eum toti familiæ præfecit. De quo dicitur in Euangelio. Matth. 24. *Si autem dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo; moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducare autem, & bibere cum ebrioſis: veniet Dominus ſerui illius, in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & ſtridor dentium.* Alioquin Pontificem hæreticum deponi, aut certè depoſitum declarari poſſe, Bellarminus ex profeſſo docuit lib. 2. de Pontif. cap. 30.

Matth. 24.

Num. 190. *Ad ſecundum membrum reſpondetur, illud non habere maiorem probabilitatis ſpeciem, quàm præcedens. Nam in primis, quod ad propoſitionem antecedentem attinet, poteſt quiſpiam meritò dubitare, quomodo vna Reſp. poſſit imperare alteri non ſibi ſubiectæ, in caſu, quo ſe defendere nequeat ab eius iniurijs; cum imperare ſi propriè loqui velimus, ſit proprius Superioris actus, vt omnes Theologi fatentur, & nihil aliud ſit, quàm aliquid inferiori ex voluntate Superioris faciendum proponere. Aut igitur concedendum eſt, Rempub. illam, quæ ab altera iniuriam ſuſtinet, non poſſe ratione iniuriæ acceptæ, illi alteri Reip. propriè imperare, cum non ſit alteræ propriè ſuperior: aut dicendum eſt Rempubl. illam, quæ alteram iniuria affecit, quamuis ſimpliciter, & abſolutè non ſit altera inferior, illi ne ſubiecta: quia tamen illi iniuriam affert, (ad quam non ſolùm propulſandam, ſed etiam vindicandam, atque puniendam Reſp. læſa auctoritatem habet) ratione iniuriæ illatæ ſe vtcumque ſubditam reddere, aut ab ea, tanquam à proprio iudice puniri poſſe.*

Num. 190. *Quapropter tametſi ad reſiſtendum, & vim vi repellendam non requiratur aliqua propriè poteſtas, vt rectè ait Cardin. Bellarminus lib. ſecundo de Concilijs, cap. decimonono, cum quo omnes Theologi concordant, ideoque quilibet etiam priuatus bellum defenſiuum cum inculpatæ tutelæ moderamine ſuſcipere, & gerere licitè poteſt: attamen ad bellum offenſiuum ratione iniuriæ acceptæ vindicandæ legitimè ineundum auctoritas ſuperioris neceſſariò requiritur. Vnde Princeps (vt optimè ſcribit Victoria Relect. 6. de iure belli, quæſt. 4.) qui gerit bellum iuſtum, habet ſe in cauſa belli tanquam Iudex. Et poſtquam bellum ritè, & iuſtè ſuſceptum eſt, hoſtes obnoxij ſunt Principi, tanquam Iudici proprio.*

Num. 191. *Sed quidquid ſit de modo loquendi, de re ipſa ſatis conſtat: & vt egregiè docet Gabriel Vaſquez in prima ſecundæ, diſp. 64. cap. 3. apud omnes Theologos eſt indubitatum, Principem Supremum, quando manifeſtam ab alio patitur iniuriam, cum non habeat alium Superiorem, apud quem poſtulet iuſtam vindictam illius, poſſe per ſe ipſum eam, aut imminentem armis propulſare, aut illatam vlciſci. Et propterea ſiue Reſp. læſa poſſit propriè imperare alteri Reip. ſibi non ſubiectæ, vt Card. Bellarm. in propoſitione antecedente affirmat; ſiue non poſſit, cum ad præſentem controuerſiam de poteſtate Pontificis temporali dirimendam parum conducat; non magni refert, quomodo loquamur, dummodo de re ipſa non diſcrepemus.)*

Homo ratione delicti ſit Principi ſubiectus, cui alioqui ſubiectus nō erat.

Reſpondeo. Si hæc quæ Aduerſarius num. 189. & 190. 191. dixit, ſua ipſius confeſſione ad præſentem controuerſiam dirimendam parum conducunt, vt verè nihil cōducunt; ad quid tam multa otioſa verba? Illud profectò nemo ignorat, hominem alioqui alteri Principi, vel Iudici non ſubiectum ratione delicti fieri ſubiectum. Certè S. Auguſt. in lib. quęſtionum in Ioſue q. 10. Iuſta bella eſſe dicit, quæ vlciſcuntur iniurias. Non enim ſolum licet Principi Reip. bellum defenſiuum gerere, in quo non requiritur Iudicis auctoritas; ſed etiam offenſiuum ad vlciſcendas iniurias, in quo neceſſaria eſt auctoritas Iudicis. Sed eam auctoritatem habet Princeps Reip. læſæ, in Principem Reip. quæ læſit, ſi iuſtum bellum cum eo gerere poteſt.

S. Auguſt.

Num. 192. *Attamen conſequentia proculdubio eſt infirmiſſima, qua Card. Bellarminus infert. (Ergò à fortiori poteſt Reſpub. ſpiritualis imperare temporali Reipub. ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, immò & deponere eius Principem, & alium inſtituere, quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.) Nam quamuis Reſp. illa temporalis ſit ſpirituali ſubiecta in ſpiritualibus: tamen in temporalibus non magis ei ſubijcitur, quam alteri Reipublicæ temporali, cùm in temporalibus nullum Superiorem, præter Supremum eius Principem temporalem recognoſcat, vt ſuperiùs ex Innocentio III. docuimus. Quin potiùs in temporalibus Reſp. ſpiritualis temporali ſubijcitur. Quare quo ad hoc eadem ſaltem eſt ratio Reip. temporalis ad ſpiritualem, atque Reip. temporalem ad aliam temporalem comparatæ.)*

Reſpondeo. Bonam, & firmam eſſe conſequentiam Bellarminiani argumenti à fortiori ducti, videtur omninò perſpicuum, niſi quis velit in meridie cæcutire. Nam ſi poteſt Reſpub. aliqua imperare alteri Reip. non ſibi ſubiectæ, niſi per accidens ratione iniuriæ ſibi illatæ: nonne maiore ratione poterit imperare Reipub. ſibi per ſe aliquo modo ſubiectæ præter iniuriæ rationem?

1. Inſtantia.

At, inquit, Reſpubl. temporalis non ſubij-

ſubijcitur ſpirituali, niſi in ſpiritualibus.

Reſponſio. Reſpondeo. Sic eſt, abſolutè, & directè; ſed in ordine ad ſpiritualia ſubijcitur etiam in temporalibus, vt ſuprà demonſtrauimus.

2. Inſtantia. At Reſpubl. temporalis nullum agnoſcit Superiorem in temporalibus, niſi ſuum ſupremum Principem temporalem, ex Innocentio III.

Reſponſio. Reſpondeo. Iam ſæpè reſponſum eſt, Rempublicam temporalem non agnoſcere in temporalibus vllum Superiorem temporalem præter Supremum Principem ſuum politicum ſed inde non ſequitur, vt non debeat agnoſcere Principem ſpiritualem, cuius poteſtas etiam ad temporalia ſe extendit, propter ordinem, quem habent temporalia ad ſpiritualia.

3. Inſtantia. At ſicut Reſp. temporalis ſubijcitur ſpirituali in ſpiritualibus: ita ſubijcitur Reſpubl. ſpiritualis temporali in temporalibus, ac per hoc ſunt pares, & quantum ad hoc eadem ratio eſt Reip. temporalis ad ſpiritualem, atque Reip. temporalis ad aliam temporalem comparatæ.

Reſponſio. Reſpondeo. Nego Remp. ſpiritualem ſubiectam eſſe temporali in temporalibus, vt eſt Reſp. temporalis ſubiecta ſpirituali in ſpiritualibus, etiam ipſius Aduerſarij confeſſione Siquidem Aduerſarius negauit quidem Remp. ſpiritualem exemptam eſſe à poteſtate Reip. temporalis iure naturali, & diuino: ſed non negauit, exemptam eſſe iure Eccleſiaſtico. Ergò ſaltem fateri debet; in hoc eſſe diſparitatem, quod Reſp. temporalis nullo iure exempta eſt à poteſtate Reip. ſpiritualis: Reſp. autem ſpiritualis exempta eſt à poteſtate Reip. temporalis ſaltem iure Eccleſiaſtico, ac per hoc non eſt eadem ratio Reip. temporalis ad ſpiritualem, atque ad aliam temporalem comparatæ.

Num. 195. *Ex alia verò parte multò maior eſt ratio, quare Reſp. temporalis ad illatam ſibi ab alia Repub. temporali iniuriam propellendam poſſit Principem eius deponere, immò & occidere, ſi aliter ius ſuum tueri non poſſit, quia Reip. temporalis arma ſunt temporalia, & propterea nihil mirum, ſi vi, & armis poſſit, ac debeat iniuriam ſibi illatam propulſare, etiam vſque ad depoſitionem, & occiſionem ipſius Principis, ſi aliter ſe defendere nequeat. At verò Reip. Eccleſiaſtica arma ſunt ſpiritualia, & propterea non armis temporalibus, qualia ſunt depoſitio, & occiſio Principum: ſed ſpiritualibus tantùm armis, & cenſuris Eccleſiaſticis illi certandum eſt.*

Et ſi hæc non ſufficiant ad iniuriam propellendam, oportet cum omni patientia ſupremi ſui Principis Chriſti protectioni ſe ſubmittere, qui eo modo quo ſibi magis placuerit, eius cauſam tuebitur, vt in ſolutione præcedentis argumenti fuſiùs annotauimus. Atque idcirco non rectè à fortiori colligit Card. Bellarm. poſſe Remp. Eccleſiaſticam deponere Principem temporalem, quando aliter non poteſt ſe defendere ab eius iniurijs, quia Princeps temporalis poteſt in tali caſu Principem temporalem deponere. Cùm potiùs planè contrarium deberet deducere, vt ex iam dictis eſt ſatis perſpicuum.)

Reſpondeo. Hæc eſt alia ſolutio, ſed non minus inſufficiens, quam ſuperior. Abutitur enim hoc loco Aduerſarius vocabulis, cum dicit; depoſitionem, & occiſionem eſſe arma temporalia. Et inde colligit, iſta non conuenire Reip. Eccleſiaſticæ, cuius propria ſunt arma ſpiritualia. Quis enim vnquam audiuit, depoſitionem, & occiſionem eſſe arma? Armorum effectus ſunt, non ipſa ſunt arma. Et quemadmodum dicitur aliquis deponi per arma temporalia, quando per armatum exercitum vincitur, & de ſolio deijcitur: ſic etiam dici poteſt deponi per arma ſpiritualia, quando per ſententiam Principis ſpiritualis excommunicatur, & declaratur indignus, qui fidelibus præſit, & ſoluuntur à iuramento fidelitatis eius ſubditi, & mandatur ijs, ad quos pertinet electio, vt alium eligant. Sic enim Gregorius Septimus, & Innocentius Quartus, & alij Summi Pontifices depoſuerunt aliquando Imperatores ſine vllis temporalibus armis.

Addo, quod arma temporalia ſubiecta eſſe debent armis ſpiritualibus, & in poteſtate Eccleſiæ, vtraque arma ſunt, vt paulò poſt dicemus cum S. Bernardo. Ex quo ſequitur, vt Reſp. Eccleſiaſtica, cuius propria ſunt arma ſpiritualia, poſſit Principibus temporalibus imperare, vt Principem aliquem Religioni Chriſtianæ inimicum armis temporalibus coerceant, & ſi id neceſſe ſit etiam de facto deponant, quem ſententia Iudicis Eccleſiaſtici excommunicauit, & iure depoſuit.

Quare falſum eſt, quod Aduerſarius dicit, Rempubl. Eccleſiaſticam, vbi aliquem excommunicauit, non habere alia remedia, niſi patientiam, & preces ad Deum. Et planè falſiſſimum eſt, quod adiungit, debuiſſe Bellarm. contrariam colligere concluſionem ex antecedente argumenti ſui. Contrarium vtique collegiſſet, ſi doctrinam erroneam Aduerſarij ſequeretur, qui vt principibus ſæculi aduletur, non erubeſcit Concilia generalia, ac præſertim Lateranenſe ſub Innocentio III. conculcare, etiamſi ſe Catholicum profiteatur.

Num. 194. *Quod ſi talis argumentandi modus, qualis in hac argumentatione vſus eſt Card. Bellarminus, pro legitimo habeatur, non video, quare non poſſint ex eius principijs adeò vniuerſaliter ſumptis, huiuſmodi confici argumentationes: Reſpubl. Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem: tales enim ſunt omnes Reſpub. benè inſtitutæ: ergo debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum: ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas coercendi eos omnes, qui finem ſpiritualem iniuſtè impediunt, alioquin poſſent mali Pontifices impunè fouere homines ſceleratos, & euertere Religionem: ergò Eccleſia habet poteſtatem deponendi Pontifices, quando Religioni obſunt, & eius ruinam machinantur.*

Num. 195. *Præterea qualibet Reſpub. quia perfecta, & ſibi ſufficiens eſſe debet, poteſt imperare alteri Reipub. non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, immò etiam deponere eius Principem, & alium inſtituere, quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniurijs: ergò multò magis poterit Reſpub. temporalis imperare ſpirituali ſibi in temporalibus ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, immò etiam deponere eius Principem, & alium inſtituere, quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniurijs, atq; bonum ſuum temporale tueri.*

Vides

,, *Vides igitur, quam debile ſit totum hoc ſe-*
,, *cundum Card. Bellarm. fundamentum, etiam iux-*
,, *ta ipſiuſmet principia ad temporalem Pontificis*
,, *poteſtatem ſuſtentandam.*)

Reſpondeo. Neutra argumentatio, vt ab Aduerſario proponitur, mutato videlicet nomine Principis temporalis in nomen Pontificis aliquid concludit.

Fateor, quod Reſpublica Eccleſiaſtica debeat eſſe perfecta, & ſufficiens in ordine ad ſuum finem, & debeat habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum, & coercendum eos omnes, qui finem ſpiritualem iniuſtè impediunt: ſed dico, hanc ipſam poteſtatem non reſidere in brachijs, aut pedibus, aut in trunco corporis; ſed in ipſo capite. Capitis enim eſt regere corpus, eique prouidere, & proſpicere. Quare cùm Pontifex ſit caput Eccleſiæ, Eccleſia autem non ſit caput Pontificis, manifeſta eſt ratio, cur Eccleſia non poſſit amouere Pontificem, ſed ſolus Chriſtus, qui eſt caput eius ſupremum, & principale & Pontificis, & vniuerſæ Eccleſiæ.

Replica.

Dices etiam Rex eſt caput Reip. politicæ:
,, & tamen Reſp. politica poteſt amouêre Re-
,, gem.

Diſcrimen inter poteſt. Eccleſiaſt. & politicã: illa eſt omni modo de iure Euang. diuino: hęc inuniuerſali eſt de iure naturæ. in particulari de iure gentium. Item illa eſt in vno homine velut ſubiecto immediato: hęc in multitudine.

Reſpondeo. Diſparitas inter Reſpublicas, Eccleſiaſticam, & temporalem: & inter Principes ſpiritualem, & politicum, ſumenda eſt ex ortu, & principio vtriuſque. Poteſtas politica in vniuerſum conſiderata eſt de iure naturæ, & immediatè ex ipſa primæua Auctoris naturæ inſtitutione in tota multitudine tanquam in ſubiecto: quæ pro ſuo arbitratu, & libera poteſtate eam transferre poteſt vel in vnum, vel in plures, additis etiam clauſulis, & conditionibus, prout ipſi placuerit, & commodum fuerit. Bellarminus libro tertio de Laicis, capite ſexto, & ex eo mutuatus eſt Aduerſarius infrà numero quadringenteſimo trigeſimo ſecundo, & ſequentibus.

Nam Auctor naturæ reliquit multitudinem ex parte naturæ liberam, vt ipſa poſſit prouidere ſibi de Principe, & tueri ſe contra eum, quando in deſtructionem vtitur poteſtate, & cogere, punire, amouere, quando ita meretur.

Caiet. to. 1. tr. 2. Apol. De comparata auctoritate Papæ & Concilij c. 1.

Porrò poteſtas Eccleſiaſtica ſiue ſpiritualis etiam in particulari non eſt ab Auctore Eccleſiæ communicata immediatè corpori, ſiue multitudini Eccleſiæ, quæ eam poſtea ſuo arbitratu in Principem transferat, nec reliquit Eccleſiam auctor Eccleſiæ liberam in inſtituenda forma regiminis Eccleſiaſtici: ſed eſt ab ipſa ſua natiuitate ſuapte natura in vno certo Principe Chriſto Ieſu Domino ac Deo noſtro, Pſalm. 2. Daniel. 2. & 7. Luc. 1. &c. Cùm autem Princeps iſte vnus atque idem Dominus Ieſus heri, hodie, & in ſæcula viuat, & regnet, ſecundum naturalis iuris conſequentiam oportet, vt ad ipſum Principem, non ad communitatem Eccleſiæ ſpectet in ſua abſentia ordinatio de Vicario, qui non ſit Vicarius communitatis Eccleſiæ (vtpotè quæ à primo ortu natiuitatis ſuæ, & ex primæua inſtitutione imperandi iure caret, & ſubeſſe nata eſt) ſed ipſius Principis naturalis Eccleſiæ Chriſti Ieſu. Et hoc ipſum Saluator noſter per ſemetipſum exſequi dignatus eſt, dum vnum Petrum Apoſtolum inſtituit Vicarium ſuum poſt reſurrectionem, antequam ad cœlos aſcenderet, Ioan. Vlt. Hinc igitur ſequitur diſcrimen, cur Reſpub. ciuilis poſſit amouere inſtis ex cauſis ſuum Principem: Reſpublica Eccleſiaſtica ſuum Principem amouere non poſſit, quia nimirum ſuprema poteſtas politica naturaliter ſemper manet in multitudine ſiue corpore Reipub. politico proinde ipſa multitudo ſemper eſt, manetque ſupremum caput, cuius Vicarium caput eſt princeps politicus: At poteſtas Eccleſiaſtica primò ac principaliter eſt in Chriſto Domino, miniſterialiter verò in Pontifice, Vicario, & Miniſtro, non Eccleſiæ, ſed Chriſti. Cuius rei vel illud ſufficiens eſt ſignum, quod ſi legitima cauſa adſit, poteſt multitudo non ſolùm primùm inſtituere, ſed & poſtea mutare formas regiminis politici, vt regnum in Ariſtocratiam, aut Democratiam, & è contrario, vt Romæ factum legimus: At Eccleſia, vt non inſtituere, ita nec mutare poteſt formam regiminis Eccleſiaſtici. Atque hinc cõfirmatur noſtra ſententia. Nam ſi Princeps politicus deſtruat Rempubl. poteſt puniri & deponi à multitudine: ſi autem vniuerſa multitudo peccet, à nemine iudicabitur aut punietur, niſi à ſolo Deo, quia non habet ſuperiorem in terris ſiſtendo intra terminos naturæ: itaque ſi corpus Eccleſiæ peccet, iudicabitur à Pontifice, qui legitimus eius Iudicabitur à Pontifice, qui legitimus eius Iudex, eſt, & diuino iure ſuperior: ſi autem Pontifex peccet, à nemine prorſus iudicabitur aut punietur, niſi à ſolo Ieſu Chriſto Principe, ac ſuperiore ſuo, quia non habet ſuperiorem in terris.

Dices. Pontifex poteſt ab Eccleſia iudicari, & deponi in caſu hæreſis. ,, *Replica.*

Pontifex an poſſit eſſe hæreticus.

Reſpondeo primùm: Papa non poteſt eſſe hæreticus, proinde nec iudicari, aut deponi ab Eccleſia in vllo caſu. Ita vir perdoctus Albertus Pighius lib. 4. cap. 8. hierarchiæ Eccleſiæ, eſtque ſententia pia, & probabilis: ſed quia non eſt omninò certa, & multi docent contrarium.

Pontif. hæreticus an poſſit ab Eccleſ. iudicari.

Reſpondeo ſecundò. Caſus hæreſis eſt ſingulariter exceptus, vt in eo caſu Pontifex poſſit ab Eccleſia iudicari & deponi, aut certè à Deo declarari eſſe depoſitus iuxta diuerſas Catholicorum Doctorum ſententias, quas vide apud Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 30. Rationem, cur Pontifex ob crimen hæreſis ab Eccleſia inſtituto Chriſti poſſit iudicari, ac deponi; ob alia crimina non poſſit, pulchrè declarat doctiſſ. Card. Caietanus tract. 1. de auctoritate Papæ, & Concilij, cap. 27. quia videlicet crimen hæreſis ſpectat ad non eſſe alia autem crimina tantum ad malè eſſe Pontificis. Infidelitas enim ſub qua comprehenditur hæreſis mutat ſtatum hominis, faciens de Chriſtiano non Chriſtianum, de parte & membro Eccleſiæ, non partem, & non membrum: cætera verò peccata faciunt quidem hominem malum: at non faciunt de Chriſtiano non Chriſtianum.

D. Thō. 2. 2. q. 10. a. 5. & 6. & q. 11.

A dicis. Si Eccleſia non poteſt deponere Pontificem, niſi in caſu hæreſis; ergò non ,,
videtur eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens, quia ,,
Pontifex multis alijs modis poſſet bonum ſpi ,,
rituale, qui eſt finis Eccleſiæ impedire. ,,

Ad

Chriſtus caput Eccleſ.

Ad priorem argumentationem reſpondeo primò, vt Eccleſia ſit Reſpubl. perfecta, & habeat omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum, ſatis eſt, quod caput eius; id eſt, Chriſtus, habeat omnem poteſtatem, & poſſit ſuum Vicarium iudicare, & deponere, vt verè poteſt. Eccleſia enim eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus, cuius vices gerit Summus Pontifex, ſed non habet parem cum illo poteſtatem.

Replica.

Dices. Chriſtus eſt etiam Princeps Regum terræ, & poteſt, quando voluerit Principes iudicare, & deponere, ac poſſunt Reges Vicarij Chriſti in temporalibus appellari. Proinde argumentatio æquè concludere debet in Pontificibus, & in Regibus.

Reſponſio. Reges an ſint Vic. Chriſti.

Reſpondeo. Poſſunt quidem Reges aliquo modo dici Vicarij Chriſti, non abſolutè, ſed ſecundùm quid: quia non ſunt Vicarij in ſpiritualibus, vllo modo, neque dici poſſunt capita Eccleſiæ, ſed regnorum ſuorum particularium, nec ſunt immediatè à Deo, ſed mediante iure humano. Pontifex autem abſolutè Chriſti Vicarius eſt, eò quod ſit Vicarius in ſpiritualibus, & temporalibus, ſaltem vt temporalia ordinantur ad ſpiritualia; & eſt caput loco Chriſti Eccleſiæ Chriſtianæ toto orbe diffuſæ: eſtque à Chriſto immediatè inſtitutus.

Et præterea Chriſtus ipſe Reges ſubiecit Pontifici, vt oues Paſtori, ac per hoc ab illo iudicari voluit: Pontificem verò iudicio ſuo reſeruauit, vt ſuprà demonſtrauimus.

Ex quo manifeſtè colligitur, cur argumentatio illa in Regibus concludat; in Pontificibus non concludat.

Ad poſteriorem argumentationem reſpondeo primò, diſtinguendo antecedens. Nam Reſpubl. perfecta, & ſibi ſufficiens poteſt quidem imperare alteri Reipubl. non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, &c. dummodo illa altera Reſp. non ſit ſuperior, atſi altera illa Reſpublica ſic ſuperior, non poteſt inferior Reſpubl. illi imperare, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, aut eius Principem deponere. Porrò Reſp. Eccleſiaſtica ſuperior eſt de iure diuino: politica autem eſt inferior, & de iure diuino ſubeſt Eccleſiaſticæ.

Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam. Falſum enim eſt, atque abſurdum Remp. Eccleſiaſticam in temporalibus Reip. temporali ſubiectam eſſe. Nam vt ea non repetam, quæ ſupra cap. 5. hac de re diximus, ipſe Aduerſarius confeſſus eſt non ſemel, Rempubl. Eccleſiaſticam exemptam eſſe à poteſtate Reip. temporalis in temporalibus, iure canonico, & priuilegio Principum. Quare ſi Catholicus eſt, & Canones Eccleſiæ veneratur: non poteſt affirmare Rempubl. Eccleſiaſticam temporali ſubiectam eſſe, niſi velit ſimul, & eſſe ſubiectam, & non eſſe ſubiectam. Quod ſi hæreticus eſt, & Eccleſiæ decreta contemnit, loquatur apertè quod ſentit, & neminem ſua ſimulatione decipiat. Et ſi nihil habet ſolidius, quod obijciat, intelligat, ſe temerè ſcripſiſſe, virum tantùm ac talem, quantus & qualis eſt Bellarminus, ſuiſmet ipſius principijs repugnare, aut fundamentum debile attuliſſe.

Num. 196. *Reliquum eſt, vt auctoritati S. Bernardi de vtroque gladio, quem Bonifacius Papa imitatus eſt, ſatisfaciamus. Cuius quidem verba, ſi rectè ponderentur, noſtram potiùs ſententiam, quàm oppoſitam plurimùm confirmant.*

Reſpondemus itaque, verba illa ex S. Bernardo allata ſolùm ſignificare, vtrumque gladium tam materialem, quàm ſpiritualem ad Eccleſiam quodam modo pertinere, illique ſubeſſe: non quod poteſtas politica per ſe ſubiecta ſit Eccleſiaſticæ, aut quod Eccleſia habeat poteſtatem iure diuino vtendi gladio materiali, etiam in ordine ad bonum ſpirituale: ſed quia Principes Chriſtiani, cum Eccleſiæ ſint filij, teneantur iure diuino pro defendenda Sancta Matre Eccleſia vti temporali gladio, quotieſcunque Eccleſiæ neceſſitas id poſtulauerit.

Reſpondeo. Primùm, quod Aduerſarius dicit, vtrumque gladium ad Eccleſiam pertinere, rectè dicit: at quod addit, vtrumque gladium Eccleſiæ ſubeſſe, non rectè dicit. Nam gladium ſpiritualem ſubeſſe Eccleſiæ, nihil aliud ſignificat, niſi poteſtatem pontificiam ſubeſſe Eccleſiæ; quod manifeſtè falſum eſt, cùm contra dicendum ſit; Eccleſiam ſubeſſe gladio ſpirituali, ſiue Pontificiæ poteſtati, niſi fortè Aduerſarius ſentiat, Paſtorem ſubeſſe ouibus, non oues Paſtori.

S. Bernard.

Deinde, cùm dicit, *poteſtatem politicam non per ſe ſubiectam eſſe Eccleſiaſticæ*: corrumpit textum Sancti Bernardi, & Bonifacij VIII. Nam cùm Sanctus Bernardus dicit: *Gladium materialem eſſe Pontificis, & eius nutu euaginandum*, apertè fatetur, gladium illum ſubiectum eſſe gladio ſpirituali; quod clarius explicat Bonifacius, cùm ait, *oportet gladium eſſe ſub gladio; & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati.*

S. Boniſac.

An Eccleſiaſticis liceat vti gladio.

Præterea, cum addit, *Eccleſiam non habere iure diuino poteſtatem vtendi gladio materiali, etiam in ordine ad bonum ſpirituale*: nimis ambiguè loquitur. Ius enim diuinum non præcipit Eccleſiaſticis viris, manu propria vti gladio materiali: ita prohibet, vt in certis caſibus non liceat eis vti gladio illo, etiam manu propria: ſed tamen ex ſententia ſancti Bernardi, Chriſtus vtrumque gladium dedit Eccleſiæ, ac per hoc poteſtatem dedit ei, vt gladio materiali vtatur eo modo, quo eam decet, videlicet per aliorum miniſterium, dirigendo Principes ſæculi, vt eum euaginent, vel in vaginam recondant, prout expedit ad honorem Dei, & ſalutem populi Chriſtiani.

Vnde demùm, quod dicit, *gladium materialem in eo tantùm ſenſu pertinere ad Eccleſiã, quia Principes ſæculi, vt Eccleſiæ filij, teneantur pro Eccleſiæ matris ſuæ defenſione pugnare*, falſum eſt. Multò enim amplius tribuit Sanctus Bernardus Principi Eccleſiaſtico, cùm ait: *Tuus ergò & ipſe*, videlicet materialis gladius. Et infrà: *vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia: ille verò & ab Eccleſia exſerendus eſt: ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Vbi non ſolum ſignificat Sanctus Bernardus, teneri milites, vel Principes exſerere gladium pro Eccleſia: ſed etiam ad nutum Sacerdotis, id eſt, cum ſubordinatione ad Eccleſiaſticam poteſtatem, ſicut milites vti debent gladio cum ſubordinatione ad iuſſum Imperatoris.

Num.

Num. 197. *Quamuis igitur poſſit Eccleſia propter inſtantem ſuipſius neceſſitatem præcipere, vel prohibere vſum gladij materialis, vel potiùs abſque vllo poſitiuo præcepto teneantur Principes ſæculares in tali caſu eo vti: non tamen hinc ſequitur, Eccleſiam habere dominium, ius ſeu poteſtatem vtendi gladio corporali; cùm vſum præcipere, & vſus longè differant, vt ſuperius diximus: veluti ſi quis promittat, aut alius obligetur vitam ſuam, aut bona pro defenſione alterius profundere: non propterea vitæ ſuæ, aut bonorum dominium transfert in alterum ſi promiſſis non ſteterit: ſed fidem frangit, & peccatum committit, qui ideò ab Eccleſia, ſi id expedire iudicauerit, pœnis ſpiritualibus, Reip. ſpirituali proprijs, mulctari poterit.*)

Reſpondeo. Totus hic locus ſuperuacaneus eſt, & ad rem noſtram parum, aut nihil facit. Vide, quæ ſcripſimus cap. 5. in Reſp. ad num. 99. & 100.

Dico igitur breuiter, non eſſe quæſtionem, an Princeps ſpiritualis habeat dominium, ius, aut poteſtatem vtendi gladio materiali: ſed ſolùm an ſit, gladius ſub gladio, & an poteſtas temporalis poteſtati ſpirituali ſubiecta ſit. Cùm autem Aduerſarius hoc loco fateatur, *poſſe Eccleſiam propter inſtantem ſuipſius neceſſitatem præcipere, vel prohibere vſum gladij materialis*: inde nos colligimus, gladium eſſe ſub gladio, & poteſtatem temporalem ſubiectam eſſe iuſſui, & prohibitioni poteſtatis ſpiritualis. Quod ſolùm Bellarm. in illo ſuo ſecundo argumento intendebat.

Aduerſarij ſimile reijcitur

Similitudo autem hominis, qui promiſit, aut aliàs obligauit ſe, vitam ſuam, aut bona pro defenſione alterius profundere; non eſt ad propoſitum rei, de qua nunc agimus. Poteſtas enim Eccleſiaſtica non naſcitur ex promiſſione aliorum; ſed ex auctoritate Dei; & ideo non limitatur ad ea, quæ alter promiſit: aut ad quæ obligauit ſe: ſed extenditur ad omnia, ad quæ Deus illam extendi voluit. Proinde, ſi non poteſt cogi ad vitam, aut bona profundenda ille, qui promiſit hæc facere: ſed poteſt tantum puniri pro peccato admiſſo ob fidei datæ violationem: non ſequitur, vt non poſſit Eccleſia cogere Principem temporalem, vt rectè vtatur gladio materiali, & ſi non fecerit, punire illum, non ſolùm excommunicatione: ſed etiam priuatione Principatus temporalis: dummodo adſit iuſta cauſa eum priuandi, qualis eſt v. g. hæreſis aut etiam patrocinium hæreticorum, iuxta Decretum Concilij Lateranen. ſub Innocentio III. cui qui non acquieſcit, Catholicus cenſendus non eſt.

Num. 198. *Quin & ipſa Beati Bernardi verba hoc planè ſignificant. Nam alioqui ſi Eccleſia in ordine ad bonum ſpirituale haberet dominium gladij materialis, eoque vti poſſet: non ſolùm pro Eccleſia, ſed etiam ab Eccleſia, nec tantum militis manu, ſed etiam Sacerdotis euaginari, atque exerceri iure diuino poſſet: quod tamen Sanctus Bernardus affirmat eſſe contra Domini præceptum, qui iuſſit Petro, vt gladium ſuum in vaginam conuerteret.*)

Reſpondeo. Aduerſarius videtur de induſtria quæſtionem principalem declinare. Nam, vt ſæpè diximus, quæſtio non eſt de dominio; vel vſu gladij materialis: ſed de poteſtate illum dirigendi, & de ſubiectione gladij materialis ad gladium ſpiritualem. Hæc autem in S. Bernardi ſententia maniſeſtiſſima ſunt.

Quod verò ad *vſum* gladij materialis, Sancto Bernardo penitus aſſentimur, non decere Eccleſiaſticos vſum gladij materialis, ſed ſpiritualis tantum: & id ſolùm ſignificant illa verba Domini: *Conuerte gladium tuum in vaginam*: & illa Sancti Bernardi: *Quid tu denuò vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam?* Nam hic non agitur de iure diuino, quo abſolutè prohibeatur Eccleſiaſticis vſus gladij materialis, cum conſtet in aliquibus caſibus, ac præſertim in defenſione propria, vel etiam patriæ licitum eſſe: ſed de præcepto diuino, quo inſtruantur, & doceantur Eccleſiaſtici, vocationem ſuam non eſſe ad militandum gladio materiali; ſed ſpirituali.

S. Bernard.

Matth. 26.

Num. 199. *Quocirca non diſplicet mihi ipſa Cardinalis Bellarmini expoſitio horum verborum, qui hoc eodem loco dicit, voluiſſe Sanctum Bernardum, & Bonifacium illis verbis ſignificare, Pontificem habere per ſe, & propriè gladium ſpiritualem (ſicut Principes temporales per ſe, & propriè habent gladium materialem) & quia gladius temporalis ſubiectus eſt ſpirituali (per accidens ſcilicet ad modum ſæpiùs explicatum) poſſe Pontificem Regi imperare, vel interdicere vſum gladij Materialis, quando id requirit Eccleſiæ neceſſitas.*)

Reſpondeo. Et mihi valdè placet, quod Aduerſarius paulatim capi ſe ſinat retibus veritatis. Tollat enim illam ſuam parentheſim (per accidens ſcilicet ad modum ſæpius explicatum) & facilè conueniemus. In Eccleſia enim Catholica non per accidens, ſed per ſe gladius eſt ſub gladio, & poteſtas poteſtati ſubiecta, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Num. 200. *Pertinet itaque ad Summum Pontificem ex mente S. Bernardi gladius temporalis ſuuſque eſſe dicitur, quia quando Eccleſiæ neceſſitas id exigit, eſt pro Eccleſia, non ab Eccleſia; non Sacerdotis, ſed militis manu extrahendus: ad nutum quidem Sacerdotis, ſed iuſſum Imperatoris. Quibus poſtremis verbis ſignificat S. Bernardus, Imperatorem in gladio pro Eccleſiæ neceſſitate vtendo, eſſe quidem à Pontifice dirigendum: ſed ipſius gladij vſum ab Imperatoris iuſſu proximè dependere. Cuius imperio milites in gladio temporali vtendo immediatè ſubduntur.*)

Reſpondeo. Hoc non eſt aliud, niſi verborum Sancti Bernardi repetitio, & paraphraſtica expoſitio: itaque admittimus.

Num. 201. *Quid autem ſi ad nutum Pontificis vti gladio Imper. recuſauerit? Num propterea ex ſententia Bernardi, Pontifex illum extrahere poterit, aut Imperator per auctoritatem Pontificis dominio illius priuari? minimè. Sed quia fidem Eccleſiæ datam non ſeruat, & contra ius diuinum Eccleſiæ neceſſitatibus non ſuccurrit, poteſt ab Eccleſia pœnis Eccleſiaſticis caſtigari, vt ſæpiùs diximus. Quare iſta S. Bernar. verba nihil fauent poteſtati Pontificis temporali, quin potiùs illi ex diametro aduerſantur. Atque hæc reſponſio apud Ioannem Pariſienſem expreſſis verbis habetur.*)

Reſpondeo. *Currebas benè, quis te tam citò impediuit veritati non obedire.* Neq; enim iam S. Bernardum, ſed Gulielmum Barclaium

magiſtrum ſequeris. Quod ſi Imperator ad nutum Pontificis gladium exercere in graui Eccleſiæ neceſſitate contempſerit, non quidem decebit, vt Pontifex gladio materiali vtatur: ſed Imperatorem cogere poterit; primum pœnis Eccleſiaſticis, deinde etiam gladij priuatione, vt in caſu ſimili Concilium Lateranenſe ſæpè citatum docet: quod vnum Concilium omnibus Barclaijs, & Ioannibus Pariſienſibus anteponendum eſſe, omnes ſentiunt, qui non deſipiunt. Fundamentum erroris Aduerſarij eſt, quod exiſtimet Pontificem habere auctoritatem cogendi Imperatorem ex fide data, & libera promiſſione facta Pontifici ab Imperatore, iuxta ſimilitudinē, quam paulò antè poſuit de eo, qui promiſit alicui, ſe pro eius defenſione vitam, & bona profundere.

Origo poteſtatis Pontificię

Atqui hoc fundamētum falſum eſt; quia auctoritas Pontificis in Principes Chriſtianos non ex ſola eorum promiſſione, vel lata fide; ſed ex diuino iure deſcendit. Quo iure Pontifex conſtitutus eſt à Chriſto totius gregis Paſtor, totius familiæ Præpoſitus, totius corporis caput, & totius Eccleſiæ Rector. Quare non mirum eſt, ſi ex falſo fundamento falſum concludat, nimirum S. Bernardi verba non modò non fauere Pontificis temporali poteſtati; ſed è diametro illi aduerſari. Quid, quæſo, clariùs dici potuit pro temporali Pōtificis poteſtate, quàm illud quod S. Bernardus dixit, *gladium temporalem eſſe Pontificis, & vtrumq; gladium eſſe Eccleſiæ, & ad nutum Pontificis temporalem gladium exſeri debere?*

Io. Pariſien.

Porro Ioannis Pariſienſis non eſt magna habenda ratio, quidquid dicat, tum quod generali Lateranenſi Concilio, & multis alijs repugnat: tum quod alij eius errores ab Eccleſia damnati ſunt, in Extrauag. communi. *Vas electionis*; demum quod quando dicit, cap. 11. (ex quo ſequentia verba Aduerſarius ſumpſit;) *Vbi iuuit Papa, propter neceſſitatem boni ſpiritualis Imperator debet exercere iuriſdictionem ſæcularis poteſtatis. Si tamen nolit, vel non videtur ſibi expediens, Papa non habet aliud facere, quia non habet ipſum (gladium materialē) in iuſſu, ſed Imperator tantum*; vel intelligendus eſt de directa, & immediata poteſtate Papæ, vt Papæ, quæ formaliter ſpiritualis eſt, & ſic non habet gladium in iuſſu; quæ tamen eadem poteſtas ſe extendit ad temporalia, quatenus id bonum ſpirituale requirit, & ſic eadem poteſtas ſpiritualis indirectè, ſiue conſequenter gladium materialem in iuſſu habet vel certè apertè ſibi contradicit. Nam cap. 14. in eodem tractatu de poteſtate Regia, & Papali, licet multos admiſceat errores, ſic tamen contra Aduerſarium expreſſis verbis docet: *Iudex Eccleſiaſticus compellet eum (Principem) per excommunicationem, vel aliam pœnam ſpiritualem, quæ eſt vltima, quam poteſt inferre: nec vltra poteſt aliquid facere, niſi dico, per accidens: quia ſi eſſet hæreticus, & incorrigibilis, & contemptor Eccleſiaſticæ cenſuræ, poſſet Papa aliquid facere in populo, vnde priuaretur ille ſæculari honore, & deponitur à populo. Et hoc faceret Papa in crimine Eccleſiaſtico, cuius cognitio ad ipſum pertinet, excommunicando, ſcilicet omnes, qui ei vt Domino obedirent: & ſic populus ipſum deponeret, & Papa per accidens. Vbi verò Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Eccleſiaſticum non pertinet, tunc non habet ipſum corrigere primò, ſed Barones, & Pares de Regno: qui ſi non poſſunt, vel non audent, poſſunt inuocare auxilium Eccleſiæ: quæ requiſita à Paribus in iuris ſubſidium poteſt monere Principem, & procedere contra ipſum modo prædicto.*

Hæc ille.

Num. 202. *His denique adde ſenſum litteralem illorum verborum, Ecce duo gladij hic, &c. & conuerte gladium tuum in vaginam, non eſſe illum, quem adfert S. Bernardus de gladio materiali, & ſpirituali, ſed myſticum: at ex ſolo ſenſu litterali, & non myſtico, niſi per alium Scripturæ locum fuerit declaratus, peti poteſt efficax argumentum ad dogma fidei ſtabiliendum, vt ipſemet Bellarminus concedit, idemq; à S. Auguſtino, & Hieronymo aſſeritur. Quare neq; auctoritas S. Bernardi huic Scripturæ loco innixa, quamcunq; ſententiam ipſe alioquin amplecteretur, multùm vrget, iuxta Card. Bellarmini principia, ad temporalem Pontificis poteſtatem confirmandam. Sed aliam fuiſſe S. Bernardi ſententiam iam diximus. Qualis autem fuerit Eccleſiæ primitiuæ praxis per mille ferè continuos annos, & quid circa gladium Pontificis temporalem ſenſerint alij S. Patres, ſuperiùs oſtendimus num. 5. & 60.*

Reſpondeo. Si verba Domini à S. Bernardo allata, in ſenſu litterali de gladio materiali, & ſpirituali intelligenda eſſent, tum vtique non ab auctoritate S. Bernardi, ſed ab auctoritate Sacræ Scripturæ argumentum duxiſſet Card. Bellarminus. Sed Aduerſarius, vt ſuas anguſtias prodat, poſtcaquàm animaduertit, ſe verba S. Bernardi non potuiſſe ad ſuam ſententiam detorquere, tranſit à verbis S. Bernardi, ex quibus argumentum ductum non eſt; & inde S. Bernardi auctoritatem infirmare conatur, quod non ex litterali, ſed myſtico ſenſu argumentum duxerit.

Deinde etiam tranſit ad praxim Eccleſiæ primitiuæ, & veterum Patrum teſtimonia. Quæ ſunt omnia præter rem. Quæſtio enim tantùm erat de ſententia S. Bernardi, quænam illa fuerit; non autem, quæ fuerit praxis Eccleſiæ, aut quid alij Patres ſenſerint, aut quāta ſit S. Bernardi auctoritas. Porrò ad ea, quæ Aduerſarius ſcripſit de praxi Eccleſiæ, & Patrum ſententia num. 5. & 60. in ijſdem locis reſpondimus, vt non ſit opus ijſdem rebus repetendis tempus conſumere.

Num. 203. *Atque ita quàm infirma ſit hæc ſecunda ratio Card. Bellarmini, etiam iuxta ipſiuſmet principia, ex dictis euidenter apparet. Ex quibus etiam conſtat, quàm exiliter auctor tractatus Anglici de mitigatione, qui in hac ſecunda Card. Bellarmini ratione totum ſuum diſcurſum pro poteſtate Papali Principes deponendi vnicè fundat, &c.*

Reſpondeo. Si iactare victoriam vincere eſt: totidem verbis poſſum ego de Aduerſario triumphare. Nam ex dictis euidenter apparet, quàm inanis ſit refutatio Aduerſarij ad ſecundam Bellarmini rationem, quæ cum eiuſdem auctoris principijs aptiſſimè conuenit, vel ex ijs perſpicuè ſolideque deducitur; atque veritati, & traditæ nobis diuinitus fidei firmiter inhæret.

Quare ſi Scriptor Anglicus in hac ſecunda Bellarmini ratione diſcurſum ſuum fundat,

Scriptor Anglicus ...

dat, in vero eum, ac ſolido fundamento fundat, quod Aduerſarius nec hactenus labefactauit, nec vnquam labefactabit. Sed de hoc Scriptore nihil amplius dicere poſſum, quod nec eius linguam teneam, nec libri copiam habeam. Neque verò neceſſe eſt. Nam quæ Aduerſarius contra iſtum hic, item num. 204. & 205. ſequentibus diſputat, nihil ſunt, niſi moleſta repetitio ſententiarum ſuperiùs tractatarum.

C A P. I X.

Examinatur reſponſio ad tertiam rationem Bellarmini à num. 206. vſque ad nu. 302.

3. Ratio Bellarm. pro poteſtate Pontific. in temp.

NVm. 206. *Tertia ratio Card. Bellarmini. Non licet Chriſtianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ad ſuam hæreſim, vel infidelitatem: at iudicare, an Rex pertrahat ad ſuam hæreſim; nec ne, pertinet ad Pontificem, cui commiſſa eſt cura religionis; ergò Pontificis eſt, iudicare Regem eſſe deponendum, vel non deponendum.*

2. Probatio maioris propoſitionis.

Probatur huius argumenti propoſitio ex cap. 17. Deuteron. vbi prohibetur populus eligere Regem, qui non ſit de fratribus ſuis, id eſt, non Iudæum, ne videlicet pertrahat Iudæos ad idololatriam, ergò etiam Chriſtiani prohibentur eligere Regem non Chriſtianum. Nam illud præceptum morale eſt, & naturali æquitate nititur.

Rurſus eiuſdem periculi, & damni eſt eligere non Chriſtianum, & non deponere non Chriſtianum, vt notum eſt: ergò tenentur Chriſtiani non pati ſuper ſe Regem non Chriſtianum, ſi ille conetur auertere populum à fide.

Addo autem iſtam conditionalem propter eos Principes infideles, qui habuerunt dominium ſupra populum ſuum, antequam populus conuerteretur ad fidem. Si enim tales Principes non conentur fideles à fide auertere, non exiſtimo eos poſſe priuari ſuo dominio. Quanquam cotrarium ſentit B. Thomas in 2. 2. qu. 10. art. 10. At ſi iſti ijdem Principes conentur auertere populum à fide omnium conſenſu poſſunt, & debent priuari ſuo dominio.

Prolepſis.

Num. 207. *Quod ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, Diocletianum, & Iulianum Apoſtatam, ac Valentem Arianum, & ſimiles, id fuit, quia deerant vires temporales Chriſtianis. Nam quod alioqui iure potuiſſent id facere, patet ex Apoſtolo, 1. Cor. 6. vbi iubet conſtitui nouos iudices à Chriſtianis temporalium cauſarũ, ne cogerentur Chriſtiani cauſam dicere coram Iudice Chriſti perſecutore. Sicut enim noui Iudices conſtitui potuerunt; ita & noui Principes, & Reges propter eandem cauſam, ſi vires adfuiſſent.*

3. Probatio maioris propoſitionis.

Num. 208. *Præterea tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem euidentiſſimo periculo: Qualis enim eſt Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea, Eccleſ. 10. Vnde eſt illud, Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et experientia idem docet. Nam quia Hieroboam Rex idololatra fuit, maxima etiam Regni pars continuò idola colere cœpit, 3. Reg. 12. Et poſt Chriſti aduentum regnante Conſtantino florebat fides Chriſtiana, regnante Conſtantio florebat Arianiſmus, regnante Iuliano iterum refloruit Ethniciſmus. Et in Anglia noſtris temporibus regnante Henrico, & poſtea Eduardo, totum regnum à fide quodammodo apoſtatauit, regnante Maria iterum totum regnum ad Eccleſiam rediit; regnante Eliſabetha iterum regnare cœpit Caluiniſmus, & vera exſulare religio.*

Num. 209. *At non tenentur Chriſtiani, immò nec debent cum euidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem. Nam quando ius diuinum, & humanum pugnant, debet ſeruari ius diuinum omiſſo humano: de iure autem diuino eſt, ſeruare veram fidem, & religionem, quæ vna tantùm eſt, non multæ: de iure autem humano eſt, quod hunc aut illum habeamus Regem.*

3. Probatio propoſitionis.

Num. 210. *Denique cur non poteſt liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis pertrahentis ad infidelitatem, ſi coniunx fidelis liber eſt ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Chriſtiana ſine iniuria fidei, vt apertè deduxit ex Paulo 1. Cor. 7. Innocentius III. cap. Gaudemus, Extra de diuortijs. Non enim minor eſt poteſtas coniugis in coniugem, quàm Regis in ſubditos, ſed aliquantò etiam maior.*

Num. 211. *Hæc eſt tertia ratio Card. Bellarmini, cui etiam nullo planè negotio ſatisfit, ſi diſtinctionem ex principijs ipſius ſuprà poſitam inter iudicia poteſtatis ciuilis, & Eccleſiaſticæ diligenter obſeruemus.*

Examinatur maior propoſitio argumenti Bellarm.

Reſpondemus igitur, Card. Bellarminum in hac tertia ſua ratione in eo potiſſimùm elaborare, vt probet Principem infidelem, vel hæreticum, ſi alios pertrahat ad hæreſim, vel infidelitatem, poſſe à populo ſibi ſubiecto Principatu priuari: præſens autem controuerſia, quæque in hac quæſtione à Card. Bellarmino inſtituitur, non eſt; An, & ob quas cauſſas poſſint Reges à temporali Repub. deponi; ſed ſolùm, an Summus Pontifex habeat auctoritatem iure diuino priuandi Principes ſuis dominijs.)

Reſpondeo. Quis non miretur, tertiam Card. Bellarmini rationem nullo negotio ſolui poſſe iudicio Aduerſarij; & tamen eidem Aduerſario tantum negotij feciſſe, vt in ea ſoluenda conſumpſerit numeros fermè 100. & paginas 65. Ita videlicet benè reſpondent facta dictis.

Videtur autem Aduerſarius non bene percepiſſe vim argumenti Bellarminiani, aut certè non rectè interpretari, cùm dicit Bellarm. in eo laborare, vt probet Principem infidelem, vel hæreticum poſſe à populo priuari dominio: cum tamen quæſtio non ſit de auctoritate populi; ſed de auctoritate Sum. Pontif. in Principibus deponendis. Nam Bellarm. per populum Chriſtianum non intellexit ſolam plebem, quæ Principi politico ſubiecta eſt; ſed caput, & membra corporis Eccleſiæ, ſiue Rempublicam Chriſtianam totam cum ſuis Rectoribus, ſpiritualibus, & temporalibus. Itaque nunquam diſputauit quæſtionem iſtam, an populus politicus poſſit deponere in aliquo caſu Principem ſuum politicum, cui ſubiectus eſt: (hæc enim quæſtio ad ipſum non pertinet:) ſed diſputauit, an Eccleſia Chriſtiana, quæ Clericos, & Laicos, Pontifices, & Principes complectitur, poſſit eligere, vel tolerare Regem infidelem, qui Chriſtianos à fide Catholica auertere

moliatur. Et negatiuam partem poſuit in maiori propoſitione: deinde aſſumpſit in propoſitione minori non ad Chriſtianum populum, ſed ad Pontificem ſupremum pertinere iudicinm, vtrum Rex aliquis ſit talis, id eſt, infidelis, & pertrahere conetur populos ad ſuam infidelitatem: atque ex his duabus propoſitionibus confecit concluſionem; ad Pontificem, qui eſt Princeps ſupremus Chriſtianorum, pertinere iudicium, vtrum Rex priuandus ſit dominio ſuo. Quare non Bellarmiuus quæſtionem ad rem non pertinentem tractauit; ſed Aduerſarius perperam intellexit maiorem propoſitionem argumenti Bellarmin., & fruſtrà ſubtexuit, quæ ſequuntur.

Num. 212. *Nam ſiue Reſpublica temporalis poſſit ſuum Principem ob aliquam cauſſam, vel crimen deponere, ſiue non poſſit (quæ quæſtio potiùs ad Philoſophum moralem, quàm ad Theologum ſpectat, & aliquid circa eam inconſideratè aſſeuerare facilem præbere poteſt tumultibus, rebellionibus, & Regicidijs occaſionem, cùm præſertim longè diſpar videatur eſſe ratio in quibuſdam Rebuſpublicis, quæ vel totam ſuam poteſtatem in ſuos Principes tranſtulerunt, vel ipſi iuſto bello eam acquiſierant, atque in reliquis; item in quibuſdam criminibus, atque in alijs) attamen hinc nullam efficax peti poteſt argumentum ad probandum Sum. Pontif. vllam prorſus iure diuino habere poteſtatem etiam in ordine ad bonum ſpirituale, Principes temporales è ſuis dominijs exterminandi. Et propterea omnia illa argumenta, quæ in hac tertia ratione congerit Card. Bellarminus (primo duntaxat excepto) ſolutione non indigent, cùm ſolùm contendant Principem hæreticum, aut infidelem, ſi alios inducat ad ſuam hæreſim, aut infidelitatem, poſſe à populo fideli ſibi ſubiecto è Principatu expelli.)*

Reſpondeo. Falſum eſt, argumenta Card. Bellarmini id ſolùm contendere, Principem hæreticum, aut infidelem poſſe à populo fideli ſibi ſubiecto è Principatu expelli: falſum, inquam, eſt, ſi per populum fidelem intelligatur ſola multitudo ciuium, qui Principi ſubiecti ſunt; (de hoc enim nunquam locutus eſt Bellarminus) ſed ſi per populum fidelem intelligatur Eccleſia Chriſtiana cum ſuis Epiſcopis, qui Principi politico ſubiecti non ſunt, ac præcipuè cum Summo Pontifice, tum verum eſt, argumenta Bellarmini id contendere; ſed tum falſum eſt, hanc quæſtionem eſſe philoſophicam, & ex ea nihil effici ad ſtabiliendam Summi Pontificis auctoritatem: eſt enim quæſtio maximè Theologica, & ad confirmandam Pontificiam auctoritatem aptiſſima. Itaque tantum abeſt, vt argumenta Bellarmini ſolutione non egeant, vt veriſimile potiùs ſit ab Aduerſario ſolui non poſſe, ac propterea in falſum ſenſum detorqueri, vt faciliùs eiuſmodi diuerticulis declinet certamen.

Num. 213. *Nam dato, ſed non conceſſo, illicitum eſſe Chriſtianis tolerare Regem hæreticum, aut infidelem, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſim, aut infidelitatem, quæ eſt prima propoſitio Card. Bellarmini, & ab ipſo quamuis pluribus, nullo tamen valido argumento (vt mox videbimus) confirmata, quomodo tamen hinc rectè deduci poteſt, Summum Pontificem habere auctoritatem Principes deponendi? Cardinal. Bellarminus in principio huius tertiæ rationis illud colligit hoc argumento. Pertinet ad Pontificem, cui commiſſa eſt cura religionis, iudicare an Rex pertrahat ad hæreſim, nec ne; ergò ſi Rex ob hæreſim deponi poteſt, pertinet ad Pontificem iudicare Regem eſſe deponendum, vel non deponendum.)*

Examinatur minor propoſitio argumenti Bellarmini.

Reſpondeo. Hoc eſt, triumphum canere ante victoriam. Sed videamus, an ex pluribus argumentis Bellarm. nullum ſit validum.

Num. 214. *Sed hæc argumentatio, licet prima facie ſolida videatur, ſi tamen diligenter diſcutiatur, validè fallax inuenietur propter multiplicem ſenſum, quem habere poteſt illa antecedens propoſitio; Pertinet ad Pontificem iudicare, an Rex, &c. Vel enim primò intelligi poteſt illa propoſitio de iudicio in foro animæ, vel de iudicio extra animæ forum,* &c.

Num. 215. *Veruntamen ſi Princeps ille probabilem aliquorum,* &c.

Reſpondeo. Hos duos numeros deſcribere omiſi, quia nihil ad rem faciunt. Probat enim Aduerſarius Bellarminianam illam propoſitionem eſſe falſam, ſi intelligatur de iudicio in foro conſcientiæ, qua de re nemo dubitat.

Num. 216. *Si autem de iudicio extra forum animæ propoſitio intelligatur, duplicem etiam ſenſum habere poteſt. Primus eſt, pertinere ad Pontificem iudicare, an Rex pertrahat ad hæreſim, non quidem proximè, ſed remotè, definiendo ſcilicet, ac declarando in genere talem actionem, v.g. cum talibus circumſtantijs factam, eſſe hæreſim, aut alterius generis peccatum: Et in hoc ſenſu non negamus, quin ad Pontificem, tanquam ad caput vniuerſalis Eccleſiæ, pertineat, (quotieſcunque in Eccleſia oritur aliqua controuerſia circa res fidei, aut morum) iudicare, & determinare, an tale quid ſit hæreſis, alteriuſuè generis peccatum.)*

Reſpondeo. Pertinet ad Pontificem hoc iudicium, ſed non ſolum. Ac per hoc reſponſum eſt etiam ad num. ſequentem.

Num. 218. *Secundus ſenſus eſt, pertinere ad Pontificem iudicare, an Rex pertrahat ad hæreſim, iudicando, & determinando in particulari, an talis, vel talis actio, quæ hæreſis reputatur, facta ſit à Rege. Et adhuc in hoc ſenſu propoſitio bifariam intelligi poteſt. Et primò de iudicio communiter ſumpto, vt ſignificat rectam determinationem rationis inter verum, & falſum, rectum, & prauum in quacunque materia ſiue ſpeculatiua, ſiue practica, quæque conſiſtit in apprehenſione rei, vt in ſe eſt.)*

Reſpondeo. Quæ hoc num. & ſequenti dicuntur, trita ſunt, & adoleſcentibus in ſchola tradenda. Ipſe etiam Aduerſarius fatetur in iſtis ſenſibus non fuiſſe à Bellarmino accepta, quæ ſcripſit. Itaque omitti poterant.

Num. 220. *Vel ſecundò intelligi poteſt propoſitio de iudicio propriè, & iuxta primam nominis impoſitionem, prout iudicium ſignificat rectam determinationem eius, quod iuſtum eſt; ſeu quod idem eſt, prout ſignificat actum Iudicis, vt Iudex eſt, & Ius dicit: quando idem ſunt Iudex, & ius dicens; iudicare, & ius dicere; iudicium, & actus, quo ius dicit. Et de hoc iudicio videtur loqui Cardinalis Bellarminus, cum ipſe*

agat

» *agat de iudicio, quod propriè ad Pontificem ſpectat, vt eſt ſupremus Iudex ſpiritualis.)*

Reſpondeo. Ita intelligit Bellarminus. Nunc ergò ad rem.

Quis ſit ſenſus minoris Propoſitionis argumenti Bellarminiani.

Num. 221. *Si igitur propoſitio intelligatur de hoc iudicio, quatenus ſcilicet eſt actus Iudicis, vt ius dicentis, vt ſenſus ſit; Quamuis non ſit proprium Pontificis, ſed potiùs eorum, qui Regi propiùs aſſiſtunt, iudicare iudicio latè ſumpto, an Rex pertrabat ad hæreſim, cum tota notitia Pontificis de tali Regis facto ex ipſorum notitia dependeat; pertinet tamen ad Pontificem, cui cura religionis tanquam ſupremo Iudici ſpirituali eſt commiſſa, iudicare, id eſt, iuridicam ſententiam pronunciare, an Rex pertrahat ad hæreſim, nec ne.*

Reſpondeo. Speraueram Aduerſarium omiſſis tot minutis parergis ad rem tandem venturum: ſed libet ei, & vacat amplius exſpaciari. Omittam igitur num. 222. 223. 224. 225. 226. 227. in quibus nihil alind habetur, niſi minuta doctrina de ſignificationibus verborum, & de criminibus ad varia fora ſpectantibus, quæ lector ex alijs libris faciliùs diſcet.

Num. 227. *Quapropter ad prædictam argumentationem Cardinalis Bellarmini reſpondetur, eſſe captioſam, & quatuor habentem terminos, cum in ea fiat tranſitus de vno foro in aliud. Nam quamuis pertineat ad Pontificem iudicare, an Rex pertrabat ad hæreſim, quatenus iudicium illud refertur ad cenſuras Eccleſiaſticas infligendas: quatenus tamen iudicium illud reſpicit Principis depoſitionem, quæ non eſt pœna ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica, ſed temporalis, ſeu politica, non pertinet ad Pontificem iudicare, an Rex pertrahat ad hæreſim, necne. Itaque verbum illud, iudicare, eſt æquiuocum, & aliter ſumitur in præmiſſis, quam in concluſione.)*

Princeps ſpiritualis poteſt laicos punire pœna temporali.

Reſpondeo. Argumentatio Bellarmini non habet quatuor terminos; ſed Aduerſarius tranſgreditur terminos, quos poſuerunt Pertes noſtri. Siquidem quod Princeps ſpiritualis poſſit laicos punire pœna temporali, excepta pœna ſanguinis, apertiſſimè docet Concilium Tridentinum ſuprà citatum ſeſſ. 24. cap. 8. & ſeſſ. 25. cap. 3. & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 3. & Ius Canonicum tit. de homicidio tit. de hæreticis, & alijs. Quæ teſtimonia ſi Aduerſarius fortè non legit, legat, & errorem ſuum agnoſcat: ſi legit, & deſpicit, non ſe Catholicum ſimulet, neque fallat incautos.

Porrò verbum, *Iudicare*, eadem omninò ſignificatione ponitur à Bellarmino in præmiſſis, & in concluſione, videlicet pro iudicio Principis ſpiritualis, qui poteſt etiam pœnas temporales iniungere, vt Concilia, & ſacri canones docent. Quare nulla eſt in argumento Bellarmini æquiuocatio, nulla fallacia.

Enſtaſis contra argumentum Bellar.

Num. 228. *Simili argumentatione omnia omninò negotia non ſolùm publica, & politica, ſed etiam priuata, & domeſtica ad tribunal Pontificis reuocari poſſunt, quoniam nulla eſt prorſus actio externa, ſiue ad politicum ipſius Reipublicæ regimen ſiue ad domeſtica Patrumfamilias negotia ſpectans, quæ ratione vnius, aut alterius circumſtantiæ non poſſit eſſe peccatum: at ſine dubitatione pertinet ad ſummum Pontificem iudicium ſiue cenſura de peccatis, quam in quemlibet exercere poteſt, ac debet, vt ait Innocentius III. capit. Nouit, de Iudic. Ergò iudicium ſeu cenſura de qualibet actione, tam priuata, quàm publica, tam domeſtica, quàm ciuili, pertinet ad tribunal Summi Pontificis.)*

Reſponſio.

Reſpondeo. Pertinet quidem ad ſummum Pontificem iudicium, & cenſura de omni peccato, vt Innocentius loco citato affirmat, ſed non ideò iudicium, & cenſura de qualibet actione tàm priuata, quàm publica, tàm domeſtica, quàm ciuili ad tribunal ſummi Pontificis deferenda erit. Quod etiam praxis Eccleſiæ demonſtrat; videmus enim plurimarum actionum iudicia, vel à Magiſtratibus politicis, vel ab Epiſcopis particularibus exerceri, & pauca quædam ſolùm ad Sum. Pontificis tribunal deferri. Cuius rei ratio manifeſta eſt.

Non omnes cauſſæ ad Pontificem deferendæ.

Primum enim in multis actionibus tum publicis, tum priuatis nullum peccatum notari poteſt: ſed ſolum ciuiles controuerſiæ determinandæ ſe offerunt.

Deinde, multa peccata manifeſtiſſima ſunt, & eorum pœnæ legibus decretæ inueniuntur, qualia ſunt homicidia, adulteria furta, falſa teſtimonia, & ſimilia, de quibus non eſt opus vexare Summum Pontificem, vt iudicet, an ſint peccata, vel qua pœna plecti debeant.

Præterea multa ſunt peccata leuiora, quam vt oporteat ea ad ſummum tribunal deferri.

Denique multi ſunt iudices inferiores, qui tum in foro conſcientiæ, tum in foro externo claues habent ſcientiæ, & poteſtatis ad peccata diiudicanda, niſi ſint per ſacros canones Summo Pontifici reſeruata.

Itaque maiores tantum cauſſæ ad tribunal ſummi Pontificis deferuntur. Neque potuit hoc Aduerſarius ignorare: ſed voluit aliquid dicere, ne nihil dixiſſe videretur.

Num. 229. *Sed tota vis huius argumentationis ex dictis facilè perſpicitur. Nam in foro mundano peccata quatenus ſunt contra bonum pacis publicæ, ſubijciuntur poteſtati politicæ, per quam iudicari, & pœnis temporalibus puniri debent: & in foro Eccleſiaſtico, quatenus ſunt offenſæ Dei, & ſaluti ſpirituali nocent, ſubſunt poteſtati Eccleſiaſticæ, adeò, vt ad Pontificem quidem pertineat, vti diximus, tum iudicare, atque ex cathedra definire, an actio aliqua generatim ſumpta à quocunque fiat, ſit peccatum, Deoque diſpliceat, & ſi graue ſit crimen, illud etiam ſub pœnis ſpiritualibus prohibere; tum in foro pœnitentiæ delinquentes, ſi debitè confiteantur, à peccatis abſoluere: tum denique in foro externo peccatores notos, atque manifeſtos, ſi poſt debitam admonitionem contumaces exiſtant, pœnis Eccleſiaſticis caſtigare. At verò vel pœna mortis peccatores punire, vel eos temporalibus dominijs priuare, hoc Pontificis poteſtatem iure diuino ſibi traditam tranſcendit. Neque in ſcripturis ſacris, aut veterum Patrum monumentis ſcriptum legimus, Sanctos Apoſtolos, aut Patres primitiuæ Eccleſiæ talem auctoritatem ſibi arrogaſſe. Vides igitur, quàm debile ſit prædictum argumentum à Card. Bellarmino confectum ad rem tanti ponderis confirmandam.)*

Fora debent eſſe diſtincta.

Reſpondeo. Videtur Aduerſarius in ea ſententia eſſe, quod omnia peccata ſint à duobus iudicibus cognoſcenda; à ſæculari,

vt

Digitized by Google

vt perturbant publicam pacem: ab Eccleſiaſtico, vt ſunt offenſæ Dei. Ex quo ſequitur, vt crimen homicidij, & furti debeat ſemper ab Eccleſiaſtico iudice cognoſci, & non ſufficiat à Iudice ſæculari eſſe punitum, & contra, vt crimen hæreſis debeat ſemper cognoſci à Magiſtratu ſæculari, & non ſufficiat iam punitum eſſe a Iudice Eccleſiaſtico. Omnia enim iſta crimina, & Deum offendunt, & pacem publicam perturbant. An hæc doctrina, & fororum confuſio ſit vtilis Reipublicæ, & conformis bonis legibus, ac praxi Eccleſiæ, videant ad quos pertinet. Quantò ſapientiùs loquuntur, qui diſtingunt crimina, atque alia fori Eccleſiaſtici; alia fori politici; alia miſti fori eſſe docent.

Sed his omiſſis, quæ ad rem præſentem non multùm faciunt, diſcutiamus verba illa; » *At verò vel pœna mortis peccatores punire: vel eos temporalibus dominijs priuare, hoc Pontificis poteſtatem iure diuino ſibi traditam tranſcendit:*

S. Leo M. epiſt ad Turbium Aſturicenſ. Epiſcopum.

Et quidem ad pœnam mortis, quod attinet, *refugit Eccleſiaſtica lenitas cruentas vltiones*, vt ex S. Leone ſæpè diximus. Refugit autem, non quod ex iure diuino careat poteſtate: ſed quod ita deceat miniſtros Chriſti, qui dicentibus Apoſtolis Iacobo, & Ioanne; *Domine, vis dicimus, vt ignis de cœlo deſcendat, & conſumat illos? reſpondit, neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare*: alioqui quod licuit Phinees ſacerdoti, qui zelo Dei Iudæum cum Moabitide fornicantem, & periculum Religioni adferentem, occidit; & Eliæ, qui quadringentos falſos Prophetas vna die interfecit: & Samueli, qui manu propria Agag Regem infidelem de medio ſuſtulit: certè liceret etiam viris Eccleſiaſticis, niſi *Eccleſiaſtica lenitas* id fieri prohibuiſſet.

Luc. 9. c.

Num. 25.

3. Reg. 18.

1. Reg. 15.

Quod autem ſpectat ad alias temporales pœnas, & ad ipſam Principis depoſitionem, quod hæc poteſtas Summi Pontificis auctoritatem ex diuino iure non tranſcendat, ſatis probatum eſt à nobis ex Concilijs generalibus, ac præcipuè ex Concilio omnium frequentiſſimo; & vndequaque maximè legitimo, Lateranenſi videlicet, ſub Innocentio III. Pontifice celebrato, cap. 3.

Concil. Lateranenſ.

» At, inquit, Scriptura ſacra, & veteres Patres nunquam tradiderunt SS. Apoſtolos, aut Patres primitiuæ Eccleſiæ talem auctoritatem ſibi arrogaſſe.

Reſpondeo. Apoſtoli, & primitiuæ Eccleſiæ Patres, nullum Principem dominio ſuo priuarunt, non quod poteſtate carerent, ſed quod opportunum eis non videretur. Sed Gregorius II. Gregorius VII. Vrbanus II. Innocentius III. & IV. & alij Summi Pontifices Apoſtolorum ſucceſſores idipſum Eccleſia approbante fecerunt. Et certè melior eſt hæc argumentatio; Multi Summi, Sanctique Pontifices in generalibus Concilijs vniuerſalem Eccleſiam repræſentantibus hoc fecerunt: ergò fieri potuit: quam iſta: Apoſtoli, & primitiuæ Eccleſiæ Patres hoc non fecerunt: ergò fieri iure non potuit. Multa enim iuſtè fieri poſſunt, quæ nunquam facta ſunt: ſed nihil iure factum eſt, quod fieri non potuerit. Argumentum enim ab auctoritate negata plerumque fallax eſſe, nemo eſt, qui ignoret.

Argumentū ab auctoritate negata fallax.

» Num. 230. *Nunc expendamus paulum, quam valida ſint illa tria argumenta, quibus probare conatus eſt propoſitionem illam antecedentem, nimirum, Non licet Chriſtianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſim, vel infidelitatem, &c.* »

Reſpondeo. Aduerſarius hoc loco videtur affectaſſe gloriam ſcientiæ diſtinguendi, & ſermonis protrahendi. Siquidem in hoc num. 230. multis verbis proteſtatur, propoſitionem illam Bellarmini ambiguam eſſe propter varias ſingulorum vocabulorum ſignificationes.

Num. 231. Tradit multas ſignificationes vocabuli, *Chriſtianus*. »

Num. 232. Addit ſignificationes alias eiuſdem vocabuli. »

Num. 233. Enumerat ſignificationes verbi, *tolerare*. »

Num. 234. Docet multiplicem ambiguitatem latere in vocabulo, *Rex*. »

Num. 235. Explicat ſignificationes verbi, *pertrahere*. »

Num. 236. Ex varijs illis ſignificationibus fingit ſibi multas quæſtiones, protſus inanes, quæ vno verbo ſolui poſſent. »

Num. 237. Proponit alias quæſtiones æquè inanes,

Num. 238. Ex longa illa diſputatione de verborom ſignificatione colligit propoſitionem Bellarmini eſſe periculoſam, quæ populo effrenato, ſub fuco Religionis tuendæ habenas laxet, viamque ad ſeditiones, ac Regicidia paret.

Reſpondeo. Hæc eſt mera, & horribilis calumnia ad conflandam Card. Bellarmino optimè de Eccleſia Dei merito apud Reges & Principes huius ſæculi inuidiam excogitata, Et ne calumnia tam atrox videretur carere fundamento, Aduerſarius inter tam multas ſignificationes illam ſolam prætermiſit, quæ ſola ad rem faciebat. Nam Cardin. Bellarminus, cùm dixit; *non licere Chriſtianis tolerare Regem infidelem*; non dixit, non licere cuicunque Chriſtiano, neque cuicunque cœtui Chriſtianorum: ſed dixit, *non licere Chriſtianis*, quorum eſt de his rebus iudicare, ſiue Eccleſiæ Chriſtianæ, in qua ſunt viri ſapientia, & auctoritate præditi: quomodo intelligimus verba S. Thomæ, cum is in 2. 2. q. 10. a. 10. ſcribit. *poſſe per ordinationem Eccleſiæ auctoritatem Dei habentis, tolli dominia, quæ habent Principes infideles ſuper fideles*. Quis tam ſtultus, eſt, vt credat ſanctum Thomam tribuiſſe vnicuique de Eccleſia, aut cuicunque multitudini fidelium poteſtatem tollendi dominia Principum infidelium? ſanè omnes, qui ſapiunt, intelligunt S. Thomam per Eccleſiam intellexiſſe eos, qui Eccleſiæ præſunt. Eodem etiam ſenſu, cùm dicimus, debere Chriſtianos bellum gerere contra Turcas, intelligimus debere Principes Chriſtianorum cogere exercitum fidelium, eumque ducere ad prælium contra communem hoſtem Religionis Chriſtianæ. Nihil ergo auctoritatis effrænato populo tribuit Bellarminus, neque habenas illi laxauit, aut viam aperuit ſeditionibus, & Regicidijs: ſed hæc eſt mera calumnia, & commentum Aduerſarij.

Aduerſary calumnia.

S. Thom. docet dominia infidelium ſuper fideles per Eccleſiam tolli poſſe.

Id quod ex eo colligi poteſt. Scripta ſunt

ſunt hæc à Card. Bellarmino ante annos triginta, & amplius: cuſa, atque iterum, atq; iterum, ac ſæpius recuſa in Germania, Gallia Italia: lecta, diſputata, examinata ab omnibus Academijs & viris doctis Chriſtiani orbis: quis vnquam ita perperam intellexit, vt hoc tempore Gulielmus Barclaius, & hic eius Diſcipulus, quicunque ille ſit, qui ſub *Catholici Rogeri* nomine latere, atque alijs imponere voluit? Illi nimirum ſoli ſapiunt.

Sed omiſſis calumnijs, videamus an Aduerſarius ad rationes Bellarmini aliquid ſolidi adferat.

Examinatur 1. probatio Bellarmini.

Proponit igitur in eodem num. 138. primum argumentum Bellarm. his verbis. *Eiuſdem periculi, & damni eſt, eligere Regem non Chriſtianum, & non deponere non Chriſtianum, vt notum eſt: ſed prohibentur Chriſtiani eligere Regem non Chriſtianum: ergò tenentur Chriſtiani non pati ſuper ſe Regem non Chriſtianum, ſi ille conetur auertere populum à fide. Probatur huius argumenti minor propoſitio ex c. 17. Deuter. vbi prohibetur populus eligere Regem, &c. addo autem iſtam conditionalem propter eos Principes infideles, qui habuerunt dominium ſuper populum ſuum, antequam idem populus conuerteretur ad fidem.* Deinde addit.

Num. 239. *Reſpondetur negando maiorem, Non enim illa propoſitio nota eſt, vt aſſerit Card. Bellarminus, ſed eius oppoſita potiùs eſt notiſſima. Vnde ipſemet protinus, dum ſubiungit eam conditionem, manifeſtam diſparitatem aſſignat inter electionem, & depoſitionem Principis infidelis, quia iuxta eius doctrinam tenentur Chriſtiani non omninò eligere Regem infidelem: at non tenentur deponere infidelem, niſi in caſu, quo pertrahit ſubditos ad infidelitatem. Quæ tamen exceptio fruſtra à Card. Bellar. apponi videtur, cum ſemper contingat Principem infidelem ſuo ſaltem exemplo ſubditos pertrahere ad infidelitatem, iuxta illud: Qualis eſt Rector ciuitatis tales, & habitantes in ea. Et Regis ad exemplum totus componitur orbis. De qua etiam tractione ipſe diſertis verbis loquitur, vt ex ſecunda eius probatione euidenter apparet.)*

Eccleſ. 10.

Quale periculum ab infideli Principe immineat.

Reſpondeo. Periculum de quo in argumento ſuo loquitur Bellarm. eſt, ne populus fidelis ab infideli Rege peruertatur; & damnum, de quo eſt ſermo, eſt iactura fidei, & Religionis. Hoc autem periculum, & damnum metuitur ex eo, quod is, qui præſidet, magnam vim habeat, ad ſubditos impellendos, quocunque ipſe voluerit. Porrò hanc vim non minus habet Rex, ſi ſponte eligatur, quàm ſi poſtea, quàm eſt electus, ſinatur præſidere fidelibus. Igitur idem eſt periculum, & damnum, ſi Rex infidelis eligatur; & ſi regere ſinatur: & Aduerſarius dum id negat, & contrarium eius notiſſimum eſſe, ait, temerè, & ſine iudicio loquitur.

Replica.

At, inquit Aduerſarius, Ipſemet Bellarm. ſubiungit conditionem, quæ manifeſtam diſparitatem oſtendit inter electionem, & non depoſitionem Principis infidelis.

Reſponſio.

Reſpondeo. Per eam conditionem oſtendit diſparitatem, quo ad ius regnandi, non quo ad periculum. Et mirum eſt valde, Aduerſarium id non vidiſſe, aut videre noluiſſe. Dixit enim Bellar. eam conditionem à ſe fuiſſe additam propter Reges infideles, qui non ſunt electi à populo fideli, ſed erant legitimi Reges, antequam populi illis ſubiecti conuerterentur ad fidem. Certè enim magis liberum eſt, populo Chriſtiano non eligere Regem infidelem, quàm deponere Regem, qui legitimè regnabat, quamuis infidelis eſſet, quando populi conuerſi ſunt ad fidem. Immò tenetur populus Chriſtianus non eligere Regem infidelem; & non tenetur deponere Regem infidelem, ſi is non conetur auertere ſubditos ſuos à fide.

Neque obſtat, quod omnis Rex infidelis, malo ſaltem exemplo auertit fideles à fide, aliud enim eſt malo exemplo inuitare ad infidelitatem: aliud minis, & terroribus cogere, vel falſos prædicatores fouere, & veræ fidei prædicatores abigere. Illa autem duo teſtimonia; *Qualis eſt Rector ciuitatis*; *& Regis ad exemplum*, allata ſunt ad oſtendendum, Reges infideles, vt plurimum ſolitos eſſe cogere ad exemplum ſuum imitandum, & ideo allata ſunt exempla Hieroboam. Conſtantij, Iuliani, Henrici VIII. & Eliſabethæ: qui non contenti ſimplici exemplo vitæ ſuæ inuitare populos ad infidelitatem, perſequebantur fideles multis, ac varijs modis, ac potiſſimum prædicatores veræ fidei: miniſtros autem falſorum dogmatum fouebant, & exaltabant.

Eccleſ. 10.

Num. 240. *Dicimus itaque, cùm totum ius, quod vnuſquiſque habet in Regnum (ſi ſermo ſit de ijs Regibus, qui per populi tantùm ſuffragia eliguntur, & non iure hæreditario principatum vendicant) ab electione dependeat, nemini fieri iniuriam, ſiue hic, ſiue ille in Principem eligatur: at poſtquam Rex fuerit electus, & Reſpublica poteſtate ſua ſe abdicauerit, eaque tota in Regem translata fuerit, magna Regi fieret iniuria, ſi inuitus à populo ſibi ſubiecto deponeretur, & maius damnum Reipublicæ immineret propter periculum ſeditionis, & rebellionis atque alia multa incommoda, quæ inde naſci ſolent.*

Num. 241. *Nam, vt rectè dixit VVizetus Abbas in flagello ſectariorum, nunquam contigit, vt à legitimo Rege, quantumuis improbo, & tyrannicè Imperante, Regnum ita diſſipetur, vt inteſtino bello, maximè autem ſubditorum in Regem rebellione diſſipari ſolet,* &c.

Reſpondeo. Primùm non eſt diſputatio de depoſitione Regum per ſubditorum defectionem, aut rebellionem: (Hæc enim quæſtio ad politicum, non ad Theologum pertinere videtur) ſed de depoſitione Regum, aut Principum aliorum per ſententiam Summi Pontificis, Chriſti Vicarij, ac totius Eccleſiæ capitis, qui non eſt ſubditus Regibus: ſed eorum Paſtor, & Pater: & poteſtatem habet non ab hominibus, ſed à Chriſto Deo vero, & homine vero, *cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.*

Matt. 18.

Quando, & quomodo Pontifex debeat Regem deponere.

Deinde non negatur, ipſi etiam ſummo Pontifici dandam eſſe operam, vt prudenter, & ſecundum ordinem caritatis, eſt iuſtitiæ poteſtate ſua vtatur. Non permittit autem prudentia, vt nunc Rex etiam infidelis deponatur, quando maioris mali periculum imminet: neque iuſtitia patitur, vt propter quæcunque crimina in Regem ſententia depoſitionis feratur. Denique praxis Eccleſiæ manifeſtè docet multos Reges hæreticos, vt Oſtrogothos Reges Italiæ longiſſimo tempore toleratos fuiſſe, tum quia non moleſti erant

Multi Reges hæretici ab Eccleſia tolerati.

Oſtrogothi to

Digitized by Google

nuerunt Italiam 70. annis. Sub Regibus octo al. Dietrichus Veronensis.

erant Catholicis hominibus, vt Romanā Eccleſiam, eiuſque ſummum Pontificem piè venerabantur (quamuis enim Theodoricus vltimis ſui Regni temporibus in S. Pontificem Ioannem ſæuierit: antea tamen Symmachum Papam, & alios cum veneratione obſeruabat, vt ex epiſtolis Caſſiodori poteſt intelligi) tum quia ſine magno periculo variorum tumultuum, & bellorum, & eorum malorum, quæ bella ſequuntur eiuſmodi Reges hæretici deponi non potuiſſent.

1 Euſtaſis contra 1 probationem Bellarm.

Num. 242. *Vnde ſi quis ex prædicto Card. Bellar. principio ita argumentaretur (Eiuſdem periculi, & damni eſt eligere Pontificem valdè ſcandaloſum, atque talem Pontificem non deponere, vt notum eſt: ſed Chriſtiani iure diuino prohibentur eligere Pontificem valdè ſcandaloſum: ergò eodem iure tenentur non pati ſuper ſe talem Pontificem.) non eſt dubium, quin ſtatim Cardin. Bellarmin. talem argumentationem vitioſam reputaret.)*

Reſponſio. Pontifex hæreticus deponi poteſt.

Reſpondeo. Primùm, ſi ponatur argumentatio in cauſſa Pontificum in iiſdem terminis, in quibus poſita eſt in cauſſa Regum; ſine dubio optima erit, videlicet hoc modo. (Eiuſdem periculi, & damni eſt eligere Pontificem infidelem, ſiue hæreticum, atque talem Pontificem non deponere, vt notum eſt: ſed Chriſtiani iure diuino prohibentur eligere Pontificem infidelem, ſiue hæreticum: ergò eodem iure tenentur non pati ſuper ſe talem Pontificem.) Deinde ſi de moribus tantùm agatur, iam ſuprà demonſtratum eſt, ſummum Pontificem, niſi à fide deuiet, non habere in terris Iudicem vllum; proinde non eſſe mirum, ſi Chriſtiani iure diuino prohibeantur Pontificem valdè ſcandaloſum eligere: & tamen non liceat eis, eodem iure illum deponere.

Pontifex, niſi a fide deuiet non habet iudicem.

Examinatur locus Deut. 17. circa electionem Regis.

Num. 243. *Ad probationem Minoris ex illo Deuteron. 17. Reſpondetur, quod ſi quiſpiam aſſereret, præceptum illud de non eligendo Rege, niſi ex gente Iudæorum, non fuiſſe morale, ſed cærimoniale, Iudæos tantùm obligans, vt nullum alienigenam, quamuis alioquin idola non colentem, ſibi in Regem eligerent, non poſſet tam facilè improbabilitatis conuinci, cum ſacra Scriptura, eo loco abſolutè prohibeat, ne Iudæi alterius gentis hominem Regem faciant, qui non ſit frater ſuus, neque de periculo idololatriæ vllam mentionem faciat.*

Iudæis non licebat eligere Regem, niſi ſuæ gentis.

Reſpondeo. Præceptum de Rege inſtituendo propriè cœremoniale ſine dubitatione non fuit, cùm facilè reddi poſſit ratio eius naturalis, ſiue moralis. De qua re conſule S. Thomam 1. 2. q. 101. & 102. vbi accuratiſſimè de cæremonialibus præceptis diſſerit.

Portò ratio, cur Deus, voluerit Regem Iudæorum debere eſſe Iudæum, duplex reddi poteſt, vna ex parte gentis, vt magis afficiatur erga populum, & eius commoda diligentiùs quærat. Naturaliter enim magis afficimur erga homines noſtræ gentis, quàm erga extraneos.

Altera ex parte Religionis, vt faciliùs vera Religio conſeruetur, neque enim dubium eſſe poteſt, quin ſub Rege Iudaicæ Religionis faciliùs conſeruari potuerit Iudaica ipſa religio, quàm ſub Rege religionis extraneæ. Et hanc fuiſſe præcipuam rationem ex eo colligitur, quod gentes, quæ erant in circuitu Iudæorum, erant omnes Idolorum cultui deditæ, & Iudæi ipſi ſatis proni erant ad idola colenda. Sed quidquid ſit de propria ratione huius præcepti, illud negari non poteſt, quin Deus voluerit Iudæis non fuiſſe licitum eligere Regem non Iudæum tam gente, quàm religione. Quod præceptum, etiamſi ſolis Iudæis datum fuiſſe admitteremus; tamen negandum non eſſet, quin etiam ad Chriſtianos propter ſimilem rationem pertineret, & præſertim cum *omnia contigerint illis in figuram, & ſcripta ſint ad correptionem noſtram*, vt Apoſtolus docet. 1.Cor.10. *1.Cor.10.*

Num. 244. *Et quamuis præcepti illius Moſaici fortaſſe fuiſſet, ne populus Iudaicus ad idola alioquin nimium propenſus temporis progreſſu ad idololatriam traheretur: non tamen propterea ſequitur ipſis Iudæis præcepto aliquo morali, quod non ſolùm Iudæos, ſed etiam Chriſtianos obligat, prohibitum, ne Regem alienigenam ſibi conſtituerent. Sicut etiam ob periculum idololatriæ omnis imaginum vſus ipſis Iudæis interdictus erat Exodi 20. vt multi doctiſſimi Theologi, quos refert, & ſequitur Gabriel Vaſquez lib. 2. de adoratione, diſp. 4. cap. 2. probabiliter exiſtimant: neque tamen inde ſequitur, præceptum illud fuiſſe morale, & conſequenter omnes Chriſtianos obligans, ne vllas omnino imagines depingant.)*

Reſpondeo. Tria hic referuntur, quæ omnino vera non ſunt.

Explicatur primum preceptum Decalogi.

Primum. Verum non eſt; Præceptum Decalogi, quo prohibetur imaginum vſus, non eſſe omnino morale, & Chriſtianos etiam obligans. Nam illo præcepto non prohibetur omnis imago, ſed ſolùm illa, quæ poteſt dici, *Idolum*, id eſt imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræſentant tanquam Deum eam rem, quæ non eſt Deus. Cum enim dicatur; *Non habebis Deos alienos*, prohibetur actus interior idololatriæ: cum autem additur; *non facies tibi ſculptile*, prohibetur actus exterior.

Quæ imagines in veteri lege prohibitæ.

Præcepta Decalogi ſunt moralia.

Itaque hoc præceptum naturale, ſiue morale eſt, & Chriſtianos æquè, ac Iudæos obligat. Vide Card. Bellarminum libr. 2. cap. 7. de Eccleſia triumphante, vbi oſtendit ex Patribus, omnia præcepta Decalagi eſſe moralia, excepto præcepto de Sabbato, quod partim eſt morale, partim cærimoniale. Et ſi præceptum, *non facies tibi ſculptile, & omnem ſimilitudinem*, non intelligeretur ad colendum ea, fore vndecim, vel duodecim præcepta: cum tamen Scriptura diſertis verbis dicat, eſſe *verba decem*.

Exodi 34. Deut. 4. & 10.

Deinde, verum non eſt, quod Aduerſarius dicit, à Vaſquez citari multos doctiſſimos Theologos, qui exiſtimant omnem imaginum vſum ipſis Iudæis interdictum eſſe. Vaſquez enim dicit quidem multos Auctores, in ea eſſe ſententia, & citat omnino quatuordecim: tamen ex illo numero detrahit quinque præcipuos, Alexandrum, Bonauenturam, Albertum, Marſilium, & Abulenſem.

Gabriel Vaſquez.

Dominicus à Soto.

Mihi quoque Dominicus à Soto lib. 2. de Iuſt. & Iure. q. 4. a. 2. ex illo numero eximendus eſſe videtur. Nam dicit eas imagines Iudæis prohibitas eſſe, *quæ proponerentur adorandæ, propter periculum idololatriæ: non autem eas, quibus diuina Maieſtas cum terrore conſpectui illius ſenſualis populi obyceretur*, quales

dicit

Digitized by Google

dicit fuiſſe Cherubim, & ita videtur idem dicere, quod Vaſquez, de quo mox.

Martinus de Aiala.

Eodem nomine Martinus Pereſius Aiala Guidixienſium Epiſcopus eximendus videtur. Is enim in tractatu de traditionibus tertia parte, Corollario de imaginibus Sanctorum, ſic loquitur: *Quando Deus benedictus filijs Iſrael prohibuit, ne ſculptile aliquod fabricarent, aut ſimilitudinem depingerent, non intendit vſum imaginum ſimpliciter impugnare: pugnaret enim cum naturæ ordine ab ipſo præſcripto: ſed tantùm prætendit idolatriam in eis euitare, ad quam ille populus valdè propenſus erat, ita vt nō faceret huiuſmodi ſimulachra, quibus deferrentur aut facilè impendi poſſent diuini honores. Et hoc ſignificabat, quando dicebat Exodi 20. Non facietis mecum Deos argenteos; quaſi diceret: Cauete ab omni ſimilitudine depingenda, & ſculptili fabricando, cui facilè honores mihi debitos poſſitis deferre. Vnde Deut. cap. 5. quaſi hoc præceptum declarans,* poſtquam dixit: non facietis ſculptile, neque ſimilitudinem, *ſtatim adiungit; Non adorabis ea, neque coles.* Et infrà: *Adde quod Deus ipſe non abſolutè prohibuit illis rerum imagines: Nam & habebant filij Iſrael Cherubim, ſerpentem æneum, malogranata, ex Dei inſtituto introducta; ſed præcipiebatur illis, vt ſibi non facerent imagines propter periculum iam dictum.* Hæc ille.

Alanus Copus Card.

Alanus Copus Cardinalis quoque ex illo numero eximendus videtur, quia ſolùm dicit imaginem Dei ob periculum idololatriæ Iudæis vetitam fuiſſe; Alioquin ſic docet dial. 4. cap. 15. poſt medium; *Deus certè nihil prohibuit, quin vel Iudæi, ſi ſemoueas hanc, quem diximus, affectum, ac illorum propenſionem in idola, imagines haberent, & creaturas vero Deo dicatas, & conſecratas adorarent,* &c.

Henricus Gothals à Gandauo.

Remanent igitur ſex omnino obſcuriores, & cum cæteris nullo modo conferendi, qui contra communem Patrum, & Recentiorum ſententiam loquuntur; ex quibus Henricus quod 10. qu. 6. ante medium obiter tantum, & quaſi per tranſennam eius rei vno tantùm, verbo meminit (*In veteri*, inquit, *Teſtamento non erat imaginum vſus*,) & vix dubito, quin eodem modo explicandus ſit. Alioquin nimis craſsè erraret, & ſacris litteris expreſsè repugnaret.

Gabriel Vaſq.

Demum, verum non eſt, quod dicit Aduerſarius, Gabrielem Vaſquez ſequi ſententiam eorum, qui docent, illo præcepto prohibitum omnem imaginum vſum. Sic enim loquitur ille auctor lib. 2. de adoratione diſput. 4. cap. 6.

Reſpondeo igitur, Lege veteri non fuiſſe vetitam omnem ſimilitudinem, aut effigiem quomodocunq; ſed omnem cultum, & adorationem ipſius, atque adeò omnem quoq; imaginem, ſeu effigiem modo accommodato adorationi erectam, aut conſtitutam. Hæc ille, qui in eo, quod dicit, imagines non eſſe prohibitas niſi in ordine ad adorationem, conuenit cum ſententia communi: in eo verò, quod videtur affirmare, fuiſſe prohibitam non ſolùm adorationem propriam Deo, ſed omnem cultum, etiam non proprium Deo, eſt opinio eius ſingularis; nec video, qua ratione defendi poſſit, cùm Deus ipſe explicet, quod dixit, cum ait: *Deos aureos, & argenteos non facietis vobis*, Exodi. 20. vbi ſolùm prohibentur imagines,

Vaſquez ſententia improbatur.

Exod. 20.

quæ habeantur pro Dijs. Et præterea ſatis conſtet ex Patribus, apud Hebræos aliquas imagines venerationem habuiſſe religioſam, quamuis non diuinam. S. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam ſub nomine Paulæ, & Euſtochij dicit ab Hebræis adorari ſolitam arcam, in qua erant Cherubim. Et S. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. inter ſigna, quæ habebant religioſam venerationem, ponit ſerpentem æneum, quem aſpicientes ſanabantur. Vide etiam Ioan. Damaſcenum lib. 4. de fide, cap. 17.

Iudæi quaſdā imagines religiosè venerati ſunt.

S. Hieron.

S. Auguſt.

S. Io. Damaſ.

Num. 245. *Similem enim prorſus ratiocinationem poſſet quis conficere. Prohibetur populus Iudaicus Exodi 20. vllas imagines, aut ſtatuas effingere (vt probabilis fert opinio) ne videlicet Iudæi inde ad idololatriam pertraherentur: ergò propter idem periculum prohibentur Chriſtianis imagines vllas aut ſtatuas effingere. Nam illud præceptum morale eſt; & naturali æquitate nititur. Atque hinc patet, maiorem huius primæ probationis propoſitionem, cuius veritatem notam eſſe: affirmat Card. Bellarminus, eſſe manifeſtè falſam, & minorem quoque inſufficienter ab eo confirmatam.*

2. enſtaſis contra 1. probationē Bellar.

Reſpondeo. Iudæis fuiſſe prohibitum Exodi 20. vllas imagines aut ſtatuas effingere: non eſt opinio probabilis, cum repugnet Scripturæ, Sanctis Patribus, & faueat Iconomachorum errori. Certè Moyſes iuſſu Dei fecit ſerpentem æneum, quem qui aſpiciebant, ſanabantur, Num. 21. Idem Moyſes curauit fieri, eodem iubente Deo, ex auro ſuſili Duas imagines Cherubim in tabernaculo iuxta latera Arcæ, Exod. 25. Deus Opt. Max. *impleuit ſpiritu ſuo, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia Beſeleel, & Ooliab, vt ſcirent fabrè illas imagines Cherubim, & cuncta quæ in vſus Sanctuarij neceſſaria erant, & quæ præcepit Dominus operari.* Exodi 31. 36. 37. Salomon inſtinctu Dei, ſine tamen expreſſo iuſſu, pro ſua deuotione poſuit in ipſo templi oraculo duas alias ſtatuas *Cherubim ex lignis oliuarum altitudinis decem cubitorum, & texit auro*; Et in reliquo templo fecit varias picturas, & ſtatuas multas Cherubim, & palmarum, 3. Reg. 6. & rurſum fecit Leones, & Boues multos arte ſculptoria, vel fuſili, item figuras malogranatorum, liliorum, &c. 3. Reg. 7. & 10. Vide etiam libr. 2. Paralip. cap. 3. & 4. Et quod hæc placuerint Deo, videre eſt 3. Reg. 8. & 9. Et 2. Paral. 5. & 7. Demum Chriſti ipſius tempore habebant Hebręi Cęſaris imaginem in pecuniis, Matth. 22.

Iudæis licuit facere imagines.

Moyſes fecit imagines.

Beſeleel fecit imagines.

Salomon fecit imagines.

Non ergò prohibitæ erant imagines, & ſtatuæ, ſed prohibita erat idololatria. Qui enim dixit Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile, & omnem ſimilitudinem*; explicauit ibidem preceptum ſuum, cum ait; *Deos argenteos, & aureos non facietis vobis.* Et Leuit. 26. *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, aut inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, & adoretis eum. Ego enim ſum Dominus Deus veſter.* Idem iuſſit alibi ſtatuas erigi, & ab alijs piè erectas gratas, & ratas habuit, vt vidimus. Vide Bellarm. lib. 2. de Eccleſia triumphante cap. 7. & ſeq.

Hinc liquidò apparet quàm temerè iactet Aduerſarius minorem propoſitionem argumenti Bellarminiani à Bellarmino eſſe inſufficienter probatam; & maiorem eſſe manifeſtè

feſtè falſam. Sed non eſt prima hæc Aduerſarij vana gloriatio, nec erit poſtrema.

Num. 246. *Ad illud autem, quod aſſerit, ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apoſtatam, & ſimiles, id fuiſſe quia deerant vires temporales Chriſtianis. Reſpondemus hanc Bellarmini reſponſionem, (quam Auctor Apologiæ proteſtantium pro Eccleſia Romana Puritanorum conceptionem appellauit) gratis, & abſque ſolido fundamento ab eo proferri.)*

Cur Pontif. non depoſuerit Ethnicos Imp. S. Thom. Aquinas obijt an. 1274.

Reſpondeo. Dicta ſententia, non eſt conceptio Puritanorum, nec inuentum Bellarmini, ſed S. Thomæ, grauiſſimi, & ſanctiſſimi Doctoris, & qui ante annos trecentos ſcripſit. Sic enim ille loquitur in 2. 2. quæſt. 12. art. 2. *Ad primum dicendum: quod illo tempore Eccleſia in ſua nouitate nondum habebat poteſtatem, terrenos Principes compeſcendi: & ideò tolerauit fideles Iuliano Apoſtatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, vt maius periculum fidei vitaretur.* Neque difficile eſt reſpondere ad ea, quæ Aduerſarius contra hanc reſponſionem verboſè admodum ab hoc num. 246. vſque ad num. 269. obijcit.

1 Obiectio.

Primum obijcit: quod non decebat, vt Apoſtoli præciperent fidelibus, vt obedirent Principibus infidelibus, ſimulata quadam obedientia, & cum ſecreta mentis reſeruatione, niſi vires ſibi ſuppeterent ad tales Principes debellandos.

Resp. Obediendum ſuperioribus etiam infidelibus.

Reſpondeo. Iſta ſunt figmenta Aduerſarij, non doctrina Catholicorum. Catholica Eccleſia docet, ab Apoſtolis ſincerè, & candidè, & ſine vlla mentis reſeruatione, preceptum eſſe fidelibus, vt omnibus ſuperioribus etiam infidelibus obediant, ſicut Chriſto, id eſt, ex animo, & cum omni diligentia, & humilitate. Sic enim intelligenda eſſe verba Beati Pauli ad Rom. 13. ad Epheſ. 6. ad Coloſ. 3. & Beati Petri epiſt. 1. cap. 2.

Neque hinc ſequitur, non habuiſſe Eccleſiam poteſtatem deponendi Principes infideles, qui Chriſti fidem perſequebantur, ſi vires habuiſſet. Nam ſuperioribus obediendum eſt ſincerè, & ex animo, dum ſuperiores ſunt: ſi autem deſinant eſſe ſuperiores, ceſſat continuò obligatio illis lerendi. Neq; etiam ſequitur, non licuiſſe Chriſtianis procurare, vt Principes illi ingitimo aliquo modo deſinerent Principes eſſe. Quando Prætor ciuitatis malè ſe gerit, tenetur populus illi parere ſincerè, & ex animo: & tamen poteſt apud ſupremum Principem agere de Prætore illo remouendo ab officio.

2. Obiectio.

Secundò obijcit, quod Apoſtoli Petrus, & Paulus, & Ioannes vixerunt tempore Neronis, & tamen eum tolerauerunt, cùm facilè potuiſſent diuino miraculo illum è medio tollere, quomodo Elias duos Principes quinquagenarios cum omnibus ſuis militibus incendio de cęlo allato ſuſtulit.

4. Regum. 1.

Reſponſio.

Reſpondeo. Miracula ſunt opera Dei extraordinaria, & ſupernaturalia: nec fieri poſſunt, niſi quando Deo placet. Cur autem Deo placeat, hoc tempore, & loco, & per hos homines; & non alio tempore, & loco, & per alios homines miracula facere, ad inſcrutabilia Dei iudicia pertinet. Alioqui poſſemus petere, cur S. Petrus Ananiam, & Saphiram verbo occiderit, & Tabitham verbo ſuſcitauerit; & tam multos alios peccatores permiſerit viuere, & tam multas alias pias mulieres non ſuſcitauerit.

Act. 5. Act. 9.

3. Obiectio.

Tertiò obijcit: quod ſi ob periculum euertendæ Religionis tenentur Chriſtiani deponere Regem hæreticum, qui ad hæreſim populum pertrahit: tenebuntur, ſi vires ad bellum gerendum non ſufficiant, inuenire aliquem, qui per inſidias illum occidat, etiam cum periculo propriæ vitæ. Lupus enim declaratus occidi debet, iuxta doctrinam Bellarmini ſuprà notatam, num. 43. & ſeq.

Reſponſio.

Reſpondeo. Non debet populus Chriſtianus deponere Regem hæreticum, niſi poſt ſententiam Principis ſpiritualis, cuius eſt de hæreſi cognoſcere: Princeps autem ſpiritualis ſententiam depoſitionis ferre debet, quando iuſtitia, & prudentia id exigunt. Non enim ſemper fieri debet, quod fieri poteſt, ſed examinandæ ſunt circumſtantiæ loci, temporis perſonarum, & aliæ ſimiles. Ac ſemper videndum eſt, ne dum vni malo mederi volumus, deteriora, & plura mala ſuccedant. Quamuis autem ad Principem ſpiritualem pertineat ferre ſententiam depoſitionis, & abſoluere ſubditos à iuramento fidelitatis, non tamen decet eum ferre ſententiam extremi ſupplicij, & multò minus immittere Sicarios, qui per inſidias Principem hæreticum de medio tollant, maximè cum communiter alia media ſuppetant: Refugit enim Eccleſiaſtica Lenitas Cruentas Vltiones. Et hoc ipſum experientia comprobatum eſt; Pontifices enim ſæpè noſcuntur Principes depoſuiſſe: at aliquem occidiſſe, aut occidi mandaſſe inauditum eſt.

S. Leo epiſt. ad Turbium Aſturicenſ. Epiſ.

4. Obiectio.

Quartò obijcit; Non defuiſſe olim vires Chriſtianis ad comprimendos impios conatus infidelium Principum. Teſtantur enim multi graues auctores, fuiſſe ingentem multitudinem Chriſtianorum, qui reſiſtere potuiſſent, ſi voluiſſent, tum Iudæis initio, tum Imperatoribus poſtea. Nam de tempore Iudæorum teſtatur Clemens lib. 1. Recognitionum; de temporibus Imperatorum ſui temporis teſtatur Tertullianus in Apologetico cap. 37. de temporibus Diocletiani & Maximiniani, Euſebius lib. 8. hiſt. cap. 1. & lib 9. cap. 9. de temporibus Iuliani Cardinalis Baronius Tom. 4. Annalium, ad annum 361. nec non Ruffinus lib. 1. cap. 1. Socrates lib. 3. cap. 22. Theodoretus lib. 4. cap. 2. de temporibus Longobardorum S. Gregorius lib. 7. epiſt. 1. ad Sabinianum.

Reſp. Liber Recognitionū S. Clementis.

Reſpondeo. Liber Recognitionum, & non eſt Sancti Clementis, & manifeſtè falſum dicit. Nam temporibus Iudæorum, ac præſertim Caipha Pontifice Chriſtiani non fuerunt numero pares Iudæis.

Tertullianus in Apologet.

Tertullianus in Apologetico cap. 37. duo dicit; potuiſſe Chriſtianos reſiſtere perſecutoribus Ethnicis, ſed *per diſciplinam* Chriſtianam *magis licuiſſe occidi, quàm occidere*. vtrumque dictum niſi hyperbolicè accipiatur, falſum eſt.

Chriſtianorū temporibus Seueri Imp. quis ſtatus.

Quod potuerint Chriſtiani reſiſtere Imperatoribus probat Tertullianus, quia Chriſtiani plures erant, quàm Mauri, aut Marcomanni, aut Parthi, qui cum Romanis bella geſſerunt. Illi enim vna natio erant: iſti totus orbis.

Dicit autem Chriſtianos fuiſſe totum orbem,

orbem; quia Eccleſia toto orbe diffuſa erat, & vt ipſe loquitur, *impleuerant Vrbes Caſtella, Inſulas, Caſtra ipſa, ſenatum, fora*. Atqui hęc ratio nihil concludit.

Nam hoc ipſo, quod Chriſtiani toto orbe diffuſi erant, neque congregati in vnum exercitum, ſed diſſipati, & diſperſi in varijs locis, & admixti varijs gentibus, nullas vires habebant. Sicut hoc tempore Græci Chriſtiani plures ſunt fortaſſe, quàm Turca, & tamen quia diſperſi per Turcarum Imperium neque Ducem, neque arma, neque formam exercitus habent, nullo modo Turcis reſiſtere, ſeque ab eorum tyrannide liberare queunt.

Neque etiam verum eſt, fuiſſe Chriſtianos eo tempore plures, quàm Pagani eſſent: quamuis enim Chriſtiani inuenirentur in caſtris Imperatorum, in ſenatu, in foro, in alijs cętibus: tamen pauci erant inter multos.

Tertulliani error.

Quod autem per *diſciplinam Chriſtianam magis licuerit occidi, quam occidere*: inter errores Tertulliani numerari poteſt. Vtrũq; enim ęquè licet, & occidi propter iuſtitiam, & occidere in bello iuſto, vel per legitimos magiſtratus.

Chriſtianorũ temporibus Diocletiani quis ſtatus.

De temporibus Diocletiani, & Maximiniani, verum eſt, quod Euſebius ſcribit libro octauo & nono hiſt. Eccleſ. de multitudine Chriſtianorum: ſed, vt iam diximus, nullas habet vires multitudo diſperſa, inermis, & ſine Duce. Nam etiam hoc tempore multitudo Iudæorum contemnenda non eſſet, ſi diſperſa per Europam, & Aſiam, & Africam, & ſine armis, & Principe non eſſet.

Chriſtianorũ temporibus Iuliani quis ſtatus.

De temporibus Iuliani verè ſcripſit Cardinalis Baronius to. 4. Annalium ad annum Domini trecenteſimum ſexageſimum primũ, in primo ſuo in Imperium ingreſſu optimè ſciuiſſe Iulianum, Romanum Imperium plenum eſſe multitudine Chriſtianorum: Verè quoque ſcripſerunt Ruffinus libr. 2. cap. 1. Socrates lib. 3. cap. 19. & Theodoretus lib. 4. cap. 1. Exercitum Iuliani magna ex parte fuiſſe Chriſtianum.

Iulianus Apoſtata.

Sed ſciendum eſt, Iulianum initio Imperij vſque adeò fauiſſe Chriſtianis, vt omnes Epiſcopos, quos Conſtantius fidei cauſa relegauerat, continuò relaxari iuſſerit: & ſeuerè mandauerit, vt Chriſtianis nemo moleſtus eſſet, vt Socrates lib. 3. cap. 1. Theodoretus lib. 3. cap. 4. Ruffinus lib. 20. cap. 27. & Sozomenus lib. 5. cap. 5. teſtantur. At poſtea partim minis, partim blanditijs totum ferè exercitum ſuum corrupit. Scribit enim Ruffinus lib. 11. cap. 1. totum exercitum pollutum fuiſſe ſacrilegijs, id eſt, ſacrificijs Idolorum. Et in tripartita hiſtoria lib. 7. cap. 1. legitur legem latam fuiſſe à Iuliano, vt omnes milites, aut Idolis ſacrificarent, aut de militia eijcerentur.

Iouianus Imp.

Itaque manſit exercitus Paganis, aut Apoſtatis plenus. Atque ea de cauſa Iouianus Imperator poſt Iulianum deſignatus clara voce negauit ſe imperare velle exercitui Pagano, cum ipſe Chriſtianus eſſet, vt omnes auctores ſuprà citati teſtantur.

Reſponderunt quidem milites; *Imperaturum illum eſſe Chriſtianis*; ſed hoc ſignificat, pleroſque eorum corde, ac voto fuiſſe Chriſtianos, non manifeſta profeſſione. Alioqui Iouianus non eis Paganiſmum obiecisſet. Itaque ſi qui erant in exercitu Chriſtiani, occulti erant, & communicatione ſacrificiorum Pagani habebantur, excepto Iouiano, Valentiniano, & paucis fortaſſe alijs. Vide quæ diximus ſuprà capite tertio ad numerum quartum.

Longobardi.

De temporibus Longobardorum, verum eſt, Sanctum Gregorium ſcripſiſſe lib. 7. epiſt. 1. ſe potuiſſe perdere Regem, & Duces Longobardorum, ſi in morte hominum miſcere ſe voluiſſet. Sed de hoc teſtimonio ſatis multa diximus cap. 3. ad num. 21.

5. Obiectio.

Quintò obijcit teſtimonia quædam recentiorum auctorum, Cuneri Epiſcopi Leouardienſis lib. de officio Principis, cap. 7. Gaſparis Vlembergij in libro, qui inſcribitur, *Graues, & iuſtæ cauſæ*, cauſa 22. Gregorij Tholoſani, lib. 26. de Rep. cap. 7. ſect. 10. Niniani Winzeti in flagello ſectariorum, pag. 100. Gulielmi Barclai lib. 6. de Rege cap. 26. Adami Blacuodæi in Apologia pro Regibus, & lib. 2. de coniunctione Religionis, & Imperij, Auctoris Apologiæ proteſtantium pro Eccleſia Romana, in præfat. ad Lectorem, nu. 21.

Reſp. Non licet ſubditis coniurare cõtra ſuos Principes.

Reſpondeo. Auctores ſuprà citati, excepto Barclaio, cuius auctoritatem non magni facimus, ſolùm docent, ſanctos Martyres veteres nunquã conſpiraſſe aduerſus Principes illius temporis, quamuis infideles, & perſequutores eſſent. Quod nos libentiſſimè admittimus, & imitandum eſſe docemus. Tenentur enim legitimæ poteſtati parere, donec per ſuperiorem poteſtatem non ſunt iudiciaria ſententia poteſtate ſua priuati.

Cunerus Epiſcop. Leouard.

Porrò Cunerus Epiſcopus Leouardienſis in eodem lib. de officio Principis, cap. 8. diſertis verbis docet, licere Summo Pontifici deponere Principem hæreticum, præſertim ſi ad hæreſim ſuam populos attrahere moliatur & caput aliquod conſtituere, cui ſe populi illi adiungant, & à iugo Principis illius debito modo ſe eximant. Et tamen Cunerus non ſecum ipſe pugnat, cùm in eodem lib. 7. negat licitas eſſe conſpirationes ſubditorum in Principem, & cap. 8. affirmat per ſententiam Pontificis eundem Principem poſſe deponi.

Card. Baron.

Quo etiam ſenſu Card. Baronius tom. 4. Annal. ad an. 350. laudat Chriſtianos milites, qui nunquam ſteterunt in partibus inſurgentium Tyrannorum aduerſus Imperatores legitimos, quamuis Ethnicos, & Chriſtianorum perſecutores: & ipſe idem to. 11. ad ann. 1076. fortiſſimè defendit iuſtam depoſitionem Henrici IV. Imperatoris factam per Gregorium VII. Summum Pontificem.

6. Obiectio

Sextò obijcit Sanctos Patres, *Ignatium in epiſt. ad Smyrnenſes, & in epiſt. ad Antiochenos, Iuſtinum in orat. ad Antoninum Pium, Tertullianum ad Scapulam, cap. 2. & de Idololatria, cap. 15. Auguſt. in Pſalm. 124. Optatum lib. 3. contra Parmenianum, Hieronymum ad Tit. 3. qui abſque vlla exceptione docent Principibus etiam infidelibus à Chriſtianis in rebus licitis obedientiam eſſe præſtandam: illius autem præcepti de Principibus deponendis, qui ad perfidiam pertrahunt, ſi vires adſint, nunquam meminerunt.*)

Reſp. Rom. 13 Epheſ. 6. Coloſſ. 3. 1. Pet. 2.

Reſpondeo. Iſta ad rem non faciunt, & prætermitti poterant. Scimus enim non ſolùm Sanctos Patres, ſed etiam Sanctos Apoſtolorum Principes, Petrum, & Paulum precepiſſe fidelibus, vt Principibus ſæculi, qui tunc infideles erant, cum omni humilitate

parerent. Cur autem Sancti Patres non meminerint pręcepti de deponendis Principibus infidelibus, quando vires adſunt, non eſt curioſè inquirendum, quia non tenebantur omnia ſcribere, & fortè occaſionem ſcribendi non habuerunt.

Deinde, vt ſuprà quoque monui, argumenta ab auctoritate negata, parum, aut nihil roboris habent.

Num. 269. *Sed audiamus iam, quàm ſolidè Bellarminus hanc ſuam aſſertionem probet; nempè ideò Chriſtianos non depoſuiſſe Neronem, Diocletianum, & ſimiles, quia deerant illis vires temporales. (Nam quod alioquin, inquit, iure potuiſſent id facere, patet ex Apoſtolo 1. Cor. 6. vbi iubet conſtitui nouos Iudices temporalium cauſarum, ne cogerentur Chriſtiani cauſam dicere coram Iudice Chriſti perſecutore. Sicut enim noui Iudices conſtitui potuerunt, ita & noui Principes & Reges propter eandem cauſam, ſi vires adfuiſſent.)*

Examinatur locus Apoſt. 1. Cor. 6. circa conſtitutionē Iudicum.

Num. 270. *Debile ſanè fundamentum, & graui Theologo indignum, ad concluſionem tanti ponderis, quæq; effrenato populo facilè ad rebelliones viam munit ſtabiliendam. Non enim S. Paul. eo loco iubet conſtitui nouos Iudices ordinarios temporalium cauſarum, quales ſunt, qui à ſuprema poteſtate laica legitimam poteſtatem coercitiuam accipiunt lites in foro ſæculari terminandi: ſed tantum arbitros, qui ſcilicet nullam talem habentes poteſtatem ex conſenſu tantum partium litigantium Iudices eliguntur, & ab ipſis poteſtatem ſuam accipiunt, quorum Iudicium poſt electionem ex compromiſſo ſubire obligantur, &c.*

Num. 271. *Atq; hæc reſponſio deſumpta eſt ex Gloſſa, cuius quoq; ſententiam totidem planè verbis ſequitur S. Thom. in commentarijs huius loci. Sed illud Apoſtoli (ait Gloſſa) dictum eſſe videtur contra illud, quod dicitur 1. Pet. 2. ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis. Ad quod dicendum, quod Apoſtolus non prohibet hic fideles ſub Principibus infidelibus conſtitutos comparere coram eis, quando vocantur. Hoc enim eſſet contra ſubiectionem, quæ Principibus debetur: ſed prohibet, ne voluntariè recurrant ad Iudices infideles in illis negotijs, quæ determinari poſſunt per fideles.)*

Reſpondeo. Quod Aduerſarius dicit, *fundamentum* Belarmini eſſe *debile, & graui Theologo indignum*, inanis eſt iactantia: quod dicit, concluſionem ab ipſo poſitam effrenato populo viam munire ad rebelliones, impudens eſt calumnia. Quando, & vbi docuit Bellarminus, licere plebi propria auctoritate deficere à legitimo Principe? aut licere priuatis, & ſingularibus hominibus aliquid contra Principem ſuum attentare? Hæreticis illud obijciendum erat, non Card. Bellarmino, qui eam doctrinam totus deteſtatur.

Explicatur locus Apoſt. 1. Cor. 6.

Quod ad locum Apoſtoli; Dico, Iudices illos, quos Apoſtolus conſtitui iuſſit, non habuiſſe quidem vim coactiuam in foro exteriore, & ſi Chriſtiani vocari fuiſſent ſiue ab Ethnicis, ſiue a Chriſtianis ad tribunalia Principum infidelium, debuiſſe omninò paruiſſe. Atque hoc eſt, quod S. Thomas & Gloſſa illa docet: nego tamen fuiſſe meros arbitros, ſiue Iudices voluntarios. Arbitri enim eliguntur à partibus: iſti autem conſtituebantur auctoritate publica ex mandato Apoſtoli, qui Princeps erat ſpiritualis. Item arbitros non tenentur admittere, niſi qui volunt: at hos Iudices tenebantur Chriſtiani recipere, & prohibebantur adire tribunalia Principum infidelium.

Apoſtolus enim primum docet, non eſſe bonum, adire tribunalia infidelium, cùm ait: *Audet aliquis veſtrum negotium habens aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?*

Deinde oſtendit eſſe in Eccleſia poteſtatem iudicandi de magnis negotijs, ac multò magis de paruis, cum addit; *An neſcitis, quia Sancti de hoc mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? neſcitis, quia Angelos iudicabimus? quantò magis ſæcularia?* Certè non iudicabimus Mundum, & Angelos, malos videlicet, vt Arbitri ab illis electi; ſed vt veri Iudices, & Chriſti ſupremi Iudicis aſſeſſores. Denique iubet, vt Eccleſia Corinthiorum conſtituat Iudices, quos adire teneantur, qui lites ciuiles habent, cùm ait; *ſæcularia igitur negotia, ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum*: vbi non dicit, vt vnuſquiſque ſibi eligat arbitrum, ſed vt communi conſenſu tota Eccleſia conſtituat Iudices eiuſmodi cauſarum. Et ne putaremus velle Apoſtolum, vt reuera conſtituerent Iudicem, aliquem hominem *contemptibilem*, id eſt, rudem, & ineptum, addit; *Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum: ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.*

Num. 272. *Quin etiam ipſemet Card. Bellarminus non ſatis conformiter meo iudicio, ad ea, quæ hoc loco ſcribit, videtur lib. 3. de laicis cap. 12. hanc eandem expoſitionem amplecti, qui ita inquit, ſæcularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, hos conſtituite ad iudicandum. Sic non eſt ſapiens quiſquam in vobis, qui iudicare poſſit fratrem ſuum? vbi Apoſtolus monet Corinthios, vt in his cauſis, in quibus non tenebantur neceſſariò adire tribunalia Gentium, conſtituerent inter ſe Iudicem. Quæ Bellarmini expoſitio cum ea planè concordat, quam ex Gloſſa, & S. Thom. modò adhibuimus.]*

Defenditur Bellarm. à contradictione.

Reſpondeo. Quid mirum, ſi expoſitio Bellarmini boni auctoris cum expoſitione S. Thomæ boni quoque certè auctoris, quam Gloſſa ſecuta eſt, bene conueniat? Veruntamen eadem S. Thomæ, & Gloſſæ, & Bellarmini in lib. de laicis expoſitio, non minus conuenit cum expoſitione, quam attulit Bellarm. lib. 5. de Pontifice, & in lib. Aduerſus Barclaium, & quam nos hoc loco ex eodem Bellarmino attulimus. Vbique enim hoc ſcripſit, Iudices conſtituros ab Eccleſia ex mandato Apoſtoli nihil præiudicaſſe auctoritati Principum, vel Magiſtratuum ſæcularium, quamuis infidelium. Tenebantur enim Chriſtiani adire tribunalia publica, quando vocabantur in iudicium ad ea tribunalia, ſiue à fidelibus, ſiue ab infidelibus. Atque hoc eſt, quod Bellarminus ſignificauit in libro de laicis, cùm dixit; *in ijs cauſis, in quibus non tenebantur neceſſariò adire tribunalia Gentium conſtituerent inter ſe Iudicem.* In illis enim cauſis tenebantur neceſſariò adire tribunalia Gentium, quæ ad eadem tribunalia deductæ erant

ab

ab actore, ſiue accuſatore. Sed in cauſis, quæ deductæ non erant ad illa tribunalia, tenebantur adire Iudices ab Eccleſia conſtitutos.

Num. 273. *Admonet igitur S. Paulus fideles eo loco, ne ſint contentiones, & iudicia inter ipſos, &c.*

Reſpondeo. Quæ hoc num. 273. dicuntur, omitto; quia nihil niſi verboſam repetitionem continent.

Num. 274. *Itaque non eſt bona hæc conſequentia: poſſunt fideles, ac debent ex ſententia Apoſtoli nouos Iudices arbitros conſtituere in ijs cauſis, in quibus tribunalia Gentilium adire non tenentur: ergò pari ratione nouos Reges, & Principes conſtituere poſſunt. Nam primum nihil derogat Principum poteſtati; at ſecundum eſt contra ſubiectionem Principibus debitam. Non debent autem Chriſtiani aliquid moliri, quod debitæ Principibus etiam infidelibus ſubiectioni aduerſetur, vt iam ex Gloſſa, & S. Thoma vidimus.)*

Reſpondeo. Conſequentia non eſt bona, ſi de ſolis arbitris agatur, qui à partibus eliguntur, vt Aduerſarius falsò exiſtimat: at ſi agatur de veris Iudicibus, vt Bellarminus exiſtimat, & nos ex verbis Apoſtoli demonſtrauimus, conſequentia eſt optima. Quo enim iure potuit Eccleſia, Apoſtolo iubente, conſtituere nouos Iudices, quo tempore non erant in Eccleſia vires ad deponendum Principem perſequentem, ac proinde inanis fuiſſet, ac pernicioſa depoſitio: eodem iure, vt

S. Thom.

docet S. Thomas in 2. 2. qu. 10. art. 10. habet Eccleſia auctoritatem Dei ad priuandum Principem infidelem dominio, quod habet ſuper fideles: ſed hac auctoritate non vtitur, niſi quando vſus eius non pernicioſus, ſed vtilis futurus creditur.

Replica.

At, inquit, eſt contra ſubiectionem Principibus debitam, ſi Principes priuentur dominio ſuo quod habent ſuper fideles.

Reſponſio.

Reſpondeo. Si priuati homines tentarent Principibus ſuis obedientiam denegare ante ſententiam Principis Eccleſiaſtici, facerent vtique contra ſubiectionem Principibus debitam: ſin autem ſententia Principis Eccleſiaſtici, qui de Iure diuino ſuperior eſt, & Iudex, præcedat; non eſt contra ſubiectionem debitam illis non parere. Debetur enim obedientia Principi, quamdiu Princeps eſt: ſed vbi deſijt eſſe Princeps, deſinunt etiam debitæ obedientiæ.

Num. 275. *Quinimò hæc ipſa Card. Bellarmini expoſitio ſe ipſam deſtruere videtur. Quomodo enim tunc temporis vires erant Chriſtianis conſtituendi nouos Iudices temporalium cauſarum tametſi Principes temporales repugnarent, & non nouos Reges, ac Principes, ſi Iudices ordinarios, & non tantùm arbitros conſtituere illis præceptum eſſet? Nam abſque dubio Principes infideles nunquam permitterent, vt Chriſtiani, qui illis ciuiliter ſubiecti erant ſeſe ab eorum poteſtate in cauſis temporalibus ſubtraherent, & nouos Iudices ordinarios illis inuitis conſtituerent. Et propterea eadem planè vires, quæ Chriſtianis ſuppetebant ad nouos Iudices temporalium cauſarum ſibi conſtituendos, quamuis Principes infideles contradicerent, etiam ſufficerent, vt nouos Principes, illis quoque repugnantibus ſibi eligerent. Atque hinc patet, quàm infirma ſit hæc prima probatio propoſitionis antecedentis, non licet Chriſtianis tolerare Regem hæreticum, &c.*

Reſpondeo. Quæ eſt iſthæc calumniandi libido? Quando, aut vbi dixit Bellarminus Chriſtianos temporibus Apoſtolicis habuiſſe vires ad conſtituendos ſibi nouos Iudices ordinarios repugnantibus Principibus infidelibus tunc regnantibus? aut quis hoc niſi mente captus diceret? Profectò Bellarminus diſertis verbis contradictorium dixit. Docuit enim Iudices ab Eccleſia conſtitutos ex præcepto Apoſtoli non habuiſſe poteſtatem coactiuam in foro externo: & ſi qui nollent obedire Apoſtolo, & Iudices ab Eccleſia conſtituros adire, & cauſam deferrent ad tribunalia publica Magiſtratuum infidelium, debuiſſe alteram partem comparere coram iiſdem publicis tribunalibus, & ibidem cauſam ſuam agere.

Iudices ergò ab Eccleſia conſtituti habebant quidem auctoritatem finiendi lites ciuiles fidelium, & fideles tenebantur in conſcientia Iudices illos Chriſtianos adire, & non adire Iudices infideles; quæ omnia ſecretò fieri poterant, atque ad hæc nullæ vires temporales neceſſariæ erant: non tamen poterant Iudices illi Chriſtiani cogere inuitos fideles, in foro externo, vt obedirent, præſertim repugnantibus Principibus infidelibus tunc regnantibus. Itaque firma, & inconcuſſa ſtat prima probatio Bellarmini. Vide Bellarm. in lib. Aduerſus Barclaium cap. 21.

Num. 276. *Ad ſecundam probationem illius propoſitionis antecedentis reſpondetur, ſi quis huiuſmodi argumentationem rationi à Card. Bellarmino confectæ perſimilem adduceret, non fore procul dubio ab ipſo, vt legitimam approbandam. (Tolerare Pontificem valdè ſcandaloſum, & conantem pertrahere alios ad ſua ſcelera, eſt exponere Religionem euidentiſſimo periculo. Qualis enim eſt Rector Ciuitatis, tales & habitantes in ea, Eccleſ. 10. Vnde eſt illud, Regis ad exemplar totus componitur Orbis: at non tenentur Chriſtiani, immò nec debent cum euidenti periculo Religionis tolerare Pontificem ſcandaloſum, qui alios ad ſua ſcelera pertrahere conatur. Nam quando ius diuinum, & humanum pugnant, debet ſeruari Ius diuinum, omiſſo humano: de Iure autem diuino eſt ſeruare legem Chriſti, ac naturæ, & ſcelera non committere: de iure autem humano eſt, quod hunc, aut illum habeamus Pontificem.)*

Examinatur 2. probatio Propoſitionis maioris argumenti Bellar.

Reſpondeo. Argumentatio Aduerſarij nullo modo eſt ſimilis Bellarminianæ argumentationi; & ideo Bellarminiana legitima eſt, Aduerſarij verò illegitima, & vitioſa.

Primùm enim, ſcandalum, & ſcelera Pontificum, ſi quæ eſſent, non ita Religioni ob eſſent, vt poſſet dici tolerare Pontificem ſcandaloſum, & conantem alios pertrahere ad ſua ſcelera, eſſe exponere Religionem euidentiſſimo periculo. Admoniti enim ſumus à Domino, Matth. 23. *vt quæcunque dixerint, qui ſedent in Cathedra, ſeruemus, & faciamus; ſecundum autem opera eorum non faciamus.* Sic igitur ſi fortè Pontifices dicant, & non faciant, id eſt, bene doceant, & malè viuant, tenemur facere, quæ docent; & non viuere, vt viuunt. Atque hoc idem S. Aug. docet, qui in epiſt. 164. ad Generoſum, cùm enumeraſſet omnes Romanos Pontifices à S. Petro vſque ad Anaſtaſium, qui tunc ſedebat, adiunxit hæc verba; *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium.*

Pontificis mala vita non præiudicat ipſius poteſtati, aut Eccleſiæ.

Matth. 23.

S. Aug.

Digitized by Google

ſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait de Prapoſitis malis; quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Hæc ille.

Pontifex hæreticus deponi poteſt.

At Bellarmini argumentatio non erat de motibus; ſed de fide: non de ſceleribus, & ſcandalis contra bonos mores; ſed de hæreſi, quæ fidem corrumpit, & Religionem penitùs deſtruit. Et ſi argumentatio Aduerſatij eſset ſimilis Bellarminianæ. Immò de Pontifice hæretico, & ad hæreſim trahere populum ſatagente; procul dubio eius argumentatio, vt legitima à Bellarmino approbaretur. Non enim poteſt Eccleſia tolerare Pontificem hæreticum, & fidem, ac Religionem deſtruere molientem, vt cum omnibus alijs Theologis, docet ipſe Bellarm. lib. 2. de Pont. cap. 30

Piè credi poteſt, Pontificem nullo modo poſſe eſſe hæreticum.

Quanquam ſperamus, in ſede S. Petri nunquam futurum, vt hæreticus ſedeat quemadmodum hactenus nunquam ſedit. vide Bellar. de Rom. Pont. lib. 4. cap. 6. & ſeq.

Deinde, Pontifex non agnoſcit ſuperiorem in terris (niſi in caſu hæreſeos) à quo iudicari, aut deponi poſſit, ſi malè viuat: At omnis Princeps ſæcularis Chriſtianus habet, & agnoſcere debet ſuperiorem, ſi non temporalem (ſi ſit Princeps ſupremus) at certè ſpiritualem, cui eum Chriſtus Deus ac Dominus, ac proinde de iure diuino ſubiecit.

Demùm, Pontificia poteſtas eſt de iure diuino Euangelico: politica de iure gentium humano, ac proinde non mirum, ſi illa hanc iudicet, à nemine autem extra caſum hæreſios iudicari poſſit.

Num. 277. *Reſpondetur ſecundò, tolerare, ſeu permittere aliquid, non eſſe actionem aliquam poſitiuam; ſed puram omiſſionem, actuſque negationem, ex qua ſi deinde aſfectus aliquis ſequatur, ad hoc, vt euentus ſecutus ſit omittenti etiam indirectè voluntarius, aut ſaltem illi ad culpam imputetur, oportet, quod omittens non ſolùm habeat poteſtatem impediendi euentum, verùm etiam ad illum impediendum ſit alioqui obligatus. Vt exempli cauſa, ſi quis videat nauem ſubmergi, & cum poſſit impedire, non impedit, dummodò ſubmerſioni nullam cauſam poſitiuam adhibeat, & nullum vrgeat præceptum, quo eam impedire tenetur, non eſt illi ſubmerſio etiam indirectè voluntaria, neque ipſe eſt moralis cauſa eiuſmodi euentus, vel ſaltem (quod apud omnes Theologos eſt indubitatum) ipſa ſubmerſio non magis illi vitio verti debet, quam ſi illam impedire nullatenus potuiſſet.*

Num. 278. *Vnde vulgatum illud B. Ambroſij dictum in lib. de officijs; Quiſquis paſcendo ſeruare hominem poteras, ſi non pauiſti, occidiſti: ita Doctores interpretantur, ſi non pauiſti, quando paſcere debuiſti, occidiſti. Nam peccatum omiſſionis in priuatione, ſeu negatione actus debiti conſiſtere, omnes Theologi vnanimiter profitentur.*

Dicimus ergo illum, qui Regem hæreticum pertrahentem ad hæreſim tolerat, ſeu permittit, ex quo Religio Chriſtiana in diſcrimen vocatur, non exponere Religionem periculo, niſi illud impedire non poſſit, vel per talia media impedire non teneatur, ipſe non impediendo nequaquam exponit Religionem pericula. Atque ita explicata manet maior propoſitio.)

Reſpondeo. Explicatio iſta integra non eſt, & poſſet multis eſſe occaſio peccandi.

Debitum Iuſtitiæ.

Sciendum igitur duplex eſſe debitum, alterum Iuſtitiæ, & alterum Caritatis. De debito Iuſtitiæ verum eſt, eum non teneri ad impediendum malum, quando non poteſt, aut quando non debet ex Iuſtitia, & quia debitum Iuſtitiæ conſideratur ab hominibus, qui Rempub. gubernant, non poteſt, non poſſet puniri à Iudice, qui ſubmergi nauim ſi fuiſſet, cum potuiſſet impedire, & non impediuiſſet, eò quod gubernatio nauis illi commiſſa non eſſet, vt dicit S Thom. in 1. 2. q. 6. a. 3. & eodem modo non puniretur ab hominibus; vt homicida, qui potuiſſet paſcendo ſeruare vitam alicuius, ſed non debuiſſet debito iuſtitiæ, & ideo non pauiſſet.

S. Thom.

Debitum Caritatis.

At ſi loquamur de debito Caritatis, quod obligat apud Deum, & in conſcientia; vtiq; peccat, & grauiter, qui cùm poſſet ſubmerſionem nauis impedire, non impediuit: & apud Deum homicida eſt, qui permiſit hominem inedia enecari, cùm poſſet eum paſcendo ſeruare: etiamſi cura illius hominis ad eum propriè non pertineret. Et hoc modo exponunt Doctores verba S. Ambroſij, & ſimilia aliorum Patrum.

S. Thomas docet, diuites teneri ſuperflua dare pauperibus.

S. enim Thomas in 4. ſent. diſtinct. 15. queſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 4. ſcribit eſſe communem ſententiam Doctorum teneti diuites præcepro diuino Caritatis dare ſuperflua pauperibus, quam ſententiam non retractauit in 2. 2. q. 32. immò eandem confirmauit in 2. 2. q. 66. at. 7. & q. 87. ar. ar. 1. ad 4. & q. 118. art. 4. ad 2. & Quodlib. 6. art. 12. de qua re vide præter alios Card. Caietanum in opuſculo de præcepto eleemoſynæ.

Hæc eſt igitur vera explicatio maioris propoſitionis, quod videlicet non poſſint Chriſtiani tolerare Principem hæreticum pertrahentem populum ad ſuam hæreſim, ſi poſſint, ac debeant, aut præcepto Iuſtitiæ, aut præcepto Caritatis huic tanto malo remedium adhibere.

Num. 279. *Quod attinet ad minorem, Concedimus etiam teneri Chriſtianos impedire Reges hæreticos, ne pertrahant alios ad hæreſim, & ne periculum immineat Religioni Chriſtianæ, quantum poſſunt, arguendo, increpando, obſecranda cum omni patientia, & doctrina aliiſque medijs licitis, atque a Deo ordinatis. Sed vt ratio Cardinal. Bellarmini valida ſit, oſtendere oportet ſeditiones, ac tumultus in Republ. excitare, Reges hæreticos deponere, aut occidere, ſi deponi non poſſint, eſſe media licita, & à Deo ordinata ad Religionem Chriſtianam, aut dilatandam, aut conſeruandam.*

Reſpondeo. Impedire, ne Reges hæretici populum ad hæreſim pertrahant, primùm arguendo, increpando, obſecrando, cum omni patientia, & doctrina, ſine dubio optimum eſt, ſi id fieri poſſit, aut ſufficiat: ſed ſi fieri nequeat, aut non ſufficiat: medium licitum, & à Deo ordinatum eſt, Depoſitio huiuſmodi Regum, non per ſeditiones, & cædes, vt Aduerſatius calumniatur; ſed per ſententiam Summi Pontificis abſoluentis ſubditos à iuramento fidelitatis, & Terras Regis hæretici tradentis Catholicis Principibus occupandas. Id quod ſuprà c. 3. ad n. 3. latè probauimus, & inter cætera ex Lateranenſ. Concilio generali cap. 3. Credimus

Digitized by Google

mus enim qui Catholici ſumus, generale Concilium legitimum, quale illud erat, dicere poſſe, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*: & conſequenter credimus, quæ ibi ordinantur eſſe ordinationes Dei. Ibi autem hæc media ordinantur, ad purgandam Prouinciam ab hæreſibus, vt fautores hæreticorum primùm ab Epiſcopis excommunicentur: deinde ſi hoc non ſufficiat, denuncientur Summo Pontifici, qui abſoluet à iuramento fidelitatis ſubditos, & Terram exponet ab alijs occupandam.

Concil. Lateranens.

Act. 15.

Num. 280. *At probat ille minorem, nempè non debere Chriſtianos cum euidenti periculo Religionis tolerare Regem hæreticum, &c argumento quoad apparentiam ſatis pulchro, ſed propius inſpicienti non rectè formato. Nam quando, inquit, ius diuinum omiſſo humano. Quis hoc negare audet? De iure autem diuino eſt ſeruare veram fidem, & Religionem, quæ vna tantum eſt, non multæ: de iure autem humano eſt, quod hunc, aut illum habeamus Regem. Et hæc quoq; propoſito veriſſima eſt, ſi rectè intelligatur, quia tamen eſt æquiuoca, prius diſtingui debet. Nam præceptum diuinum de ſeruanda vera fide; & Religione, vel intelligi poteſt primò, vt quilibet teneatur ſe ipſo ſeruare veram fidem, & Religionem; in quo ſenſu videtur Cardinalis Bellarminus accepiſſe ſeruare veram fidem in quarta ſua ratione principali. Et in hoc ſenſu propoſitio eſt veriſſima; ſed quid deinde ex illa deduci poſſit, quod propoſitio ipſius deſeruiat, penitus ignoro, neque enim ipſe quidquam deducit.*

Num. 281. *Vel ſecundò, præceptum illud de ſeruanda vera fide, & Religione intelligi poteſt obligare quemcunque, vt non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in alijs conſeruet veram fidem, & religionem ex vi præcepti diuini de diligendo Deo, & proximo. Et in hoc quoque ſenſu propoſitio eſt veriſſima. Sed quoniam modus ille, quo tenemur ad Deum diligendum, & proximum, & eorum bonis conſulendum, non adeò notus eſt, atque ideò in ipſo Decalogo) in quo modus iſte vtcunque, id eſt, per communia quædam principia exprimitur) omnia fermè præcepta negatiuè potius, quid ſcilicet non ſit faciendum, quàm affirmatiuè, quid ſit faciendum explicantur: & præcepta etiam affirmatiua, licet obligent ſemper, non tamen ad ſemper (vt loquuntur Theologi) ſed poſitis certis quibuſdam conditionibus, quæ non ſunt omnibus ita manifeſtæ.*

Num. 282. *Propterea, quænam ſint conditiones illæ, quæ requiruntur, &c.*

Reſpondeo. In his tribus numeris nihil ferè eſt, quod ad rem faciat. Aduerſarius enim in explicatione minoris propoſitionis ſenſum præcipuum clarum, & obuium omiſit; & ad ſeorſus minus principales, & minutos diuertit, & ideò multa dicendo, quod ad rem faceret nihil dixit.

Cum ergò Bellarminus dixit in minori ſua propoſitione, teneri Chriſtianos iure diuino conſeruare fidem, & religionem, intellexit principaliter de capitibus Chriſtianorum, id eſt, de Summo Pontifice, de Epiſcopis, de Principibus etiam laicis. Iſti enim, qui præſunt alijs Chriſtianis, & quos populi ſequuntur, tenentur dare operam, vt Chriſtiana fides, & religio conſeruetur, Summus quidem Pontifex præcipuè, vt caput Eccleſiæ loco Chriſti, cui imminet ſollicitudo omnium Eccleſiarum; Epiſcopi deinde, qui vocati ſunt in partem ſollicitudinis; prætetea Imperator, & Reges, atque alij Principes, qui tenentur præſtare brachium ſæculare in puniendis Hæreticis, & ſi opus ſit, in bello gerendo aduerſus eos, qui fidem, & religionem euertere moliuntur.

Num. 283. *Sed hoc vlterius animaduertendum eſt, tunc ius diuinum, & humanum repugnare, quando ius diuinum vnum præcipit, & idem prohibet ius humanum, vel è conuerſo, &c.*

Num. 284. *ſimiliter de iure diuino eſt, quod Principibus, &c.)*

Reſpondeo. Non percepit Aduerſarius vim argumenti, neque aſſecutus eſt, in qua re Bellarminus poſuerit repugnantiam præcepti humani ad diuinum: ideò digreditur, & vagatur extra propoſitum. Sicut etiam num. 285 & 286. allegat ſanctum Amoroſium, & Auguſtinum, & alios veteres ad probandū; Principes non debere iudicari à ſuis ſubditis, ſed contrà ſubditos Principibus etiam infidelibus in rebus iuſtis, & liciris debere obedientiam, quod nemo negat, & de quo nulla eſt queſtio.

Igitur Bellarminus, cùm dixit de iure diuino eſſe, vt conſeruetur vera Religio: de iure autem humano, vt hunc aut illum habeamus Regem: voluit ſignificare, vt ſi non poſſit conſeruari Religio in Eccleſia, & Rex talis in Regno: conſeruetur Religio, abdicato Rege: potiùs quàm deſtruatur Religio, Rege non abdicato.

Eſt quidem de iure diuinn, vt Regi, dum Rex eſt, obediatur: at vt iſte ſit Rex huius Regni, vel vt, dum viuit, ſemper ſit Rex, non eſt de iure diuino, ſed humano duntaxat; & conſequenter cùm deponitur, non violatur ius diuinum, niſi fortè ſine iuſta cauſa deponatur. Satis autem iuxta cauſa eſt, vt non regnet temporaliter, qui ſubditos ſuos priuare contendit æterno Regno.

Num. 287. *Hoc igitur certiſſimum eſt, teneri Chriſtianos iure diuino Principibus etiam infideliqus in rebus politicis obedientiam exhibere: Quod verò ſit diuinum præceptum teneri Chriſtianos ad ſeſe ſubtrahendum ab obedientia ſui Principis infidelis, quando populum ad infidelitatem pertrahit, ipſumque deponendum, ne dicam, vita priuandum, ſi alias deponi non poſſit, non probauit adhuc Card. Bellarminus, neque in ſequentibus probat illud, vel Scripturæ ſacræ, vel Eccleſiæ primitiuæ praxi, vel antiquorum Patrum doctrinæ, vel ipſi rationi naturali eſſe vllatenus conſentaneum.*

Et propterea Sigebertus Gemblacenſis, & Vincentius Beluacenſis, vt ſuprà vidimus, doctrinam hanc de Principibus, etiam auctoritate Papali deponendis, quando primòm pullulare cœpit, tempore nimirum Henrici IV. qui (vt teſtantur Otho Friſingenſis, Godefridus Viterbienſis, Ioannes Trithemius, & alij) primus omnium Imperatorum fuit depoſitus, ſi non hæreſeos, turpi ſaltem nouitatis macula aſpergere non formidabant.)

Reſpondeo. Aduerſarius mirabili arte, at non bona fide reprehendit, quod nemo docet: & quod omnes docent, tacitus prætérit, quaſi ad ipſum non pertineret, cùm id ſit, quod ipſe cum ſuo Magiſtro Barclaio

per-

pertinaciter negat? Nam teneri Chriſtianos diuino præcepto ſeſe ſubtrahere ab obedientia ſui Principis infidelis, quando populum ad infidelitatem pertrahit: Catholicorum nemo docet, niſi præceſſerit ſententia Summi Pontificis ſubditos liberantis à iuramento fidelitatis: immò omne docent, ac in primis Card. Bellarm. obedientiam eſſe præſtandam Principi, quantumuis infideli, donec legitimè regnat, id eſt, donec legitimè depoſitus non eſt. Pari ratione nemo docet, debere Principem à ſuis ſubditis deponi, vel occidi, nec inueniet Aduerſarius, vbi id Bellarm. dixerit: & tamen hæc ſunt, quæ Aduerſarius reprehendit, & de his tragœdias excitat.

Quod autem docet Bellarminus, hoc eſt, poſſe Principes hæreticos per ſententiam Sũmi Pontificis deponi, quod Catholicum dogma eſt, nec ab Aduerſario alio argumento refellitur, quàm quod Sigebertus, & Vincentius dicant, hanc eſſe nouam doctrinam.

At Sigeberto; qui per falſas calumnias Vincentium decepit, vt ſuprà cap. 3. ad num. 26. diximus, homini ſchiſmatico, & indocto

Sigebertus.

opponimus primò omnes illos Theologos, & Iureconſultos, quos ſuprà citauimus, qui ſupra octogiuta quinque; ſunt ex varijs nationibus: opponimus ſecundò multa Concilia cùm particularia, tum generalia, quæ ſuprà citata, ſunt & hanc doctrinam apertè confirmant: opponimus denique multos ſanctiſſimos, grauiſſimoſque Pontifices, qui ſacræ Scripturæ teſtimonijs confirmati, & verbis, & factis hoc ipſum docuerunt. Vtrum autem maior fides habenda ſit vni Sigeberto, quàm tot grauiſſimis Theologis, & Iureconſultis, tot Concilijs non particularibus modò, ſed & generalibus, vtriſque à Summo Pontifice legitimè approbatis, & confirmatis, & tot Summis, optimiſque Pontificibus, iudicet, qui ſanum ſapit.

Eccleſia Catholica ſemper eſt eadẽ, & eiuſdem infallibilitatis, &c.

Quid verò hoc ſibi vult, quod Aduerſarius dicit, non poſſe eam ſententiam probari ex praxi primitiuæ Eccleſiæ, vel doctrina antiquorum Patrum? an ſi in primitiua Eccleſia non fuiſſet in vſu, in poſteriori fuiſſet vſu recepta, & confirmata; ideo eſſet reijcienda? An igitur primitiua Eccleſia non potuerit errare, potuerit autem poſterior? primitiua fuerit fundata ſupra petram, fuerit columna *& firmamentum veritatis*, poſterior non fuerit, nec iam amplius ſit? Ita certè inſinuare videtur Aduerſarius, proinde quantumcunq; ſe ſub falſo Rogeri widdringtoni nobilis Catholici nomine occulere conetur: non id tamen eam aſtutè facere poteſt, quin ſe prodat aliquando non Catholicum eſſe, ſed hæreticum, nec ſequi Romanæ Eccleſiæ fidem: ſed Regis Angliæ placita. Is enim ſcribit ſe *quatuor prima Concilia generalia, & quod primis * quadrigentis poſt Chriſtum annis vnanimi conſenſu Patres ad ſalutem æternam neceſſarium ſtatuerunt, vel recipere, vel modeſto ſilentio obmuteſcere, reprehendere certè non audere*, quaſi verò tot ſequentium ſæculorum vniuerſa Eccleſia errauerit, & etiamnum erret.

In Præfatione monitoria
** Sic Latinũ exemplar habet.*

Non ita eſt, ſtat Eccleſia *fundata ſupra firmam petram in ſæcula, non commouebitur in æternum: portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Chriſtus cum ea permanet vſque ad conſummationem ſæculi: Spiritus veritatis in æternum cum ea manet, & docet eam omnem veritatem, vt ſit ipſa ſemper columna, & firmamentum veritatis, & nunquam deficiat fides eius, & qui eam ſequuntur, non ſint paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ.*

Pſalm. 86.
Dan. 2. & 7.
Mat. 7. 16 & 28.
Luc. 1. & 22.
Ioann. 14 & 16.
1 Thim. 3.
Epheſ. 4.

Non ſunt promiſſiones Chriſti, *vt falſamenta*, vt longinquitate temporis, aut vetuſtate pereant, aut conſumantur. *Dei enim filius* Ieſus *Chriſtus non fuit* eſt, *& non, ſed* eſt *in illo fuit. Quotquot enim Dei promiſſiones ſunt, in illo* eſt: *ideò, & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram*. Hæc eſt autem promiſſio, ſiue *fœdus meum in eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te* (in Chriſto) *& verba mea, quæ poſui in ore tuo* (Chriſti) *& ore ſeminis tui Apoſtolorum) & de ore ſeminis tui* (vniuerſæ omnium temporum Eccleſiæ) *dicit Dominus, amodò, & vſque in ſempiternum.*

2. Cor. 1.
Iſa. 59.

Itaque Eccleſia moderna tam eſt certæ, & infallibilis veritatis, ac primitiua; *neque incorrupta illa, & pudica ſponſa Chriſti adulterari poteſt*, vt inquit S. Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ: & tam eſt hæreticus, qui in fide repugnat modernæ Eccleſiæ, quàm qui primitiuæ. Manet enim immota vox, ſeu potius oraculum duorum celeberrimorum, & ſanctiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, S. Cypr. & S. Auguſtini. *Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus non eſt: qui in Chriſti Eccleſia non eſt*. Item antiquiſſimi Tertulliani: Non eſt ille Chriſtianus intelligendus, qui ab Eccleſiæ grege aberrauerit.

S. Cyprian. de vnitate Eccleſia S. Cyprian. epiſt. 52.
S. Auguſtin. ſerm 181. c 12.
Tertullian. in lib de Pudicitia.

Non velim intelligi hæc eo fine dicta, quaſi hæc doctrina de poteſtate Pontificis in Principibus ſæculi deponendis ſit recens, aut antiquæ Eccleſiæ incognita. Non enim primus fuit Gregorius VII. qui aut in hac ſententia fuit, aut hanc poteſtatem exercuit, vt ſuprà c. 3. ad num. 3. oſtendimus: & ſi primus ille fuiſſet, non poſſet dici recens, & noua doctrina, quæ ante quingentos annos in Eccleſia Dei non credita modò, ſed & exercita fuit. Et ſanè ſi in Eccleſia primitiua non agnouit hanc Pontificis poteſtatem, qui quæſo factum eſt, quod S. Gregor. M. Gregor. II. Gregorio III. Zach. Adriano, Leoni III. hanc poteſtatẽ non aſſerentibus modò, ſed & exercentibus nemo contradixit? nemo eas, quæ modò excitantur, tragœdias excitauit?

Num. 288. *Ad tertiam probationem, qua Card. Bellarm. ex ſimilitudine, quà Rex & Reſp. viro, & vxori comparantur, probare contendit* „
poſſe liberari populum fidelem a iugo Regis infidelis pertrahentis ad infidelitatem: ſicut coniux „
fidelis liber eſt ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge fideli ſine iniuria fidei. Quoniam non eſt minor poteſtas coniugis in coniugem, quam Regis in ſubditos, ſed aliquantò etiam maior. „
Reſpondetur in hac etiam probatione ſicut & in præcedentibus plura confundi, quæ diſtinguere oportet, &c. „

Examinatur 3 probatio Bellarmini.

Reſpondeo. Ab hoc numero vſque ad numerum 302. tanta verboſitate Aduerſarius diſtinguit varios ſenſus, & de ſingulis philoſophatur, quaſi ab hac ſimilitudine controuerſia hæc tota dependeat. Dicam autem breuiter, in quo ea ſimilitudo ſenſu accipienda ſit, & in qua re vis argumenti conſiſtat, vt Lector intelligat, Aduerſarium nulla ratione probationem Bellarm. infirmaſſe.

Pri-

Digitized by Google

[*Contra ſimile Bellarm 1. obiectio.*] Primùm opponit Aduerſatius num.289. non ſequi, poſſe à populo deponi Principem infidelem, ex eo, quod coniux fidelis poteſt ſeparari à coniuge infideli, ſi is nolit cohabitare ſine iniuria Creatoris. Quia ad Principẽ deponendum requiritur auctoritas, quam populus in Principem non habet: ad hoc autem, vt coniux fidelis ſeparetur à coniuge infideli, nulla requiritur auctoritas.

[*Reſponſio.*] Reſpondeo. Non contendit Bellarminus, poſſe Principem deponi à populo; ſed poſſe populum liberari ab obedientia, & ſubiectione Principis infidelis per ſententiam & auctoritatem diuinam ab Apoſtolo declaratam. [*1.Cor.7.*] Et ſicut coniux iſta fidelis, ſoluto vinculo prioris coniugis, poteſt coniungi alteri viro: ſic populus fidelis liberatus à iugo Regis infidelis, poteſt ſubijci alteri Regi.

[*2.Obiectio.*] Secundò opponit num.290: 291. & 292. coniugem fidelem poſſe quidem ſeparari à cohabitatione viri infidelis, ſed non propterea vinculum coniugij dirimi, ſi vir infidelis ſit baptizatus: ac per hoc non poſſe eam mulierem coniungi alteri viro.

[*Reſponſio.*] Reſpondeo. Similido à Bellarmino propoſita non fuit de coniugibus baptizatis, ſed de infidelibus non baptizatis, quorum alter conuertitur ad fidem, altero remanente in infidelitate. Ducta eſt enim ſimilitudo ex verbis Apoſtoli 1. Cor.7. & Innocentij III. cap. *Gaudemus*, de diuort. qui manifeſte loquuntur de coniugibus infidelibus non baptizatis; & docent, non ſolum poſſe mulierem ad fidem conuerſam ſeparari à cohabitatione prioris viri, ſed etiam nubere alteri viro.

[*3.Obiectio.*] Tettiò opponit num. 292. ſaltem ex ſimilitudine coniugis fidelis cum coniuge infideli baptizato, ſequi, Populum fidelem non poſſe liberari à vinculo Principis infidelis baptizati, quales ſunt Principes hæterici: quomodo coniux fidelis non poteſt liberari à vinculo, quo obligata eſt viro infideli baptizato.

[*Reſponſio.*] Reſpondeo. Baptiſmus plurimum facit ad firmitatem coniugij. Coniugium enim baptizatorum non eſt tantum contractus ciuilis, ſiue naturalis: ſed eſt Sacramentum Religionis, à quo Sacramento habet omnimodam inſolubilitatem, vt ſanctus Auguſtinus demonſtrat in lib. de bono coniugij. [*Radix omnimoda inſolubilitatis matrimonij Chriſtianorum.*] At ad firmitatem Regni nihil facit baptiſmus. Regna enim, & dominia fundantur in natura, non in gratia, & non minus eſt Rex infidelis, quàm fidelis: & Apoſtoli Petrus, & Paulus iubent, vt ſerui obediant Dominis ſuis, etiam infidelibus, cum omni diligentia, & ſubiectione. Dignior quidem eſt fidelis Rex, vt ei fideliter obediatur, ſed obligatio eſt eadem. Hinc ergò ſoluitur obiectio Aduerſarij. Nam vinculum coniugij baptizatorum eſt omninò inſolubile, quia eſt Sacramentum ſignificans coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. At vinculum obligationis populi ad Regem, eſt ſolubile tàm apud infideles, quàm apud fideles: vt vel ex eo patet, quod apud vtroſque Regna mutata ſunt in Reſpublicas, & Reſpublicæ in Regna. Proinde ſimilitudo, quam Bellarminus adhibuit, coniugum non baptizatorum, rectè probat ſolubilitatem vinculi populi ad Regem.

[*4.Obiectio.*] Quartò opponit num.294. & ſequentibus vſque ad 302. non eſſe verum in omnibus quod maior ſit poteſtas coniugis in coniugem, quàm Regis in populum. Et hic multa adducit, quæ ad rem parum, ad oſtentationem ſcientiæ multum faciunt.

[*Reſponſio.*] Ad quæ omnia Reſpondeo primùm; Bellarminum ſolùm eſſe locutum de poteſtate conſeruandi, vel ſoluendi vinculi coniugalis, & obligationis, quam habent inter ſe vir, & vxor, & Reges, & populi. Vir enim, & vxor non poſſunt ſeparari, etiam ſi infideles ſint, niſi in cauſa fidei, vt ex Apoſtolo conſtat. [*1.Cor.7*] Rex autem, & populus multis ſeparari poſſunt, tum ex conſenſu, tum etiam inuiti poſſunt, vt exempla docent.

Reſpondeo ſecundò, Non multum referre ad propoſitum, ſitne maior, an minor poteſtas coniugis in coniugem, quàm Regis in populum, in multis alijs rebus: dummodò conſtet, vt veriſſimè conſtat, Regem poſſe deponi à Regno, & non poſſe coniugem à coniuge ſeparari, quoad vinculum, in vllo caſu, ſi ſint baptizati: & non poſſe, niſi in caſu fidei, ſi paptizati non ſint.

CAP. X.

Examinatur Reſponſio ad quartam rationem Cardin. Bellarmini à num. 302. vſque ad num. 325.

NVm. 302. *Quarta ratio Cardinali Bellarmini.* [*4. Ratio Card Bellarm pro poteſtate Pontificis in temporalibus.*]

Quando Reges, & Principes ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſceptra ſua Chriſto ſubijciant, & polliceantur ſe fidem Chriſti ſeruaturos, & defenſuros etiam ſub pęna perdendi Regni: ergò quando fiunt heretici aut Religioni obſunt, poſſunt ab Eccleſia iudicari, & etiam deponi à Principatu: nec vlla eis iniuria fiet, ſi deponantur. Nam non eſt idoneus Sacramento Baptiſmi, qui non eſt paratus Chriſto ſeruire, & propter ipſum amittere quidquid habet; [*1 Probatio antecedentis*] *ait enim Dominus Luca 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & Matrem, & Vxorem, & Filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* [*Luc.14.*]

Præterea Eccleſia nimis grauiter erraret, ſi admitteret aliquem Regem, qui vellet impunè fouere quamlibet ſectam, & defendere hæreticos, ac euertere Religionem. [*2. Probatio antecedentis*]

Num.303. *Hæc eſt quarta ratio Cardinalis Bellarmini. quam Matthæus Tortus, ſuprà relatus tanti æſtimauit, vt eam ſolam præ cæteris elegerit, tanquam omnium potiſſimam, & maximè ſufficientem ad auctoritatem Papalem Principes hæreticos Principatu pellendi comprobandã. cum tamen cæteris multò infirmior ſit, & ex iiſdem principijs ſolui poſſit, quibus ſatisfactum eſt rationi præcedenti, vt ex dicendis melius conſtabit.* [*Matthæus Tortus.*]

Reſpondetur igitur, totam hanc argumentationem non habere plus virium, quàm præcedentes cùm neque antecedens propoſitio vera ſit, neque ſi vera eſſet, ex ea rectè colligeretur, quod ipſe deducere contendit.

Examinatur antecedent Argumenti Bellarminiani.

Et primò, quòd attinet ad propoſitionem antecedentem; in ea duo aſſeruntur. Primum eſt: Reges, & principes, quando ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipi cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſceptra ſua ſubijciant Chri-
» *ſto, & polliceantur ſe fidem Chriſti ſeruaturos, &*
» *defenſuros. Secundum eſt, huic pacto eſſe annexam pœnam perdendi Regni, ſi fidem datam vio-*
» *lauerint.*
» Num. 304. *Circa primum. Quamuis hæ-*
» *retici, quando ad Eccleſiæ vnitatem redeunt, de-*
» *bent iuxta ius Canonicum cap. ad abolendam,*
» *de hæreticis, tum hæreſim abiurare, tum ſcripto*
» *polliceri, ſe deinceps fidem Catholicam ſeruaturos.*
» *Et ſi ſint Comites, Barones, Rectores, & Con-*
» *ſules Ciuitatum, & aliorum locorum, iuxta*
» *commonitionem Epiſcoporum, præſtito corpora-*
» *liter iuramento, debent inſuper promittere, quod*
» *fideliter, & efficaciter cum ab eis fuerint requiſi-*
» *ti, Eccleſiam contra hæreticos, & eorum compli-*
» *ces adiuuabunt bona fide iuxta officium, & poſſe*
» *ſuum. Attamen quando Reges, aut Principes,*
» *aut alij quicunque primum Chriſtiani fiunt, &*
» *Baptiſmum ſuſcipiunt, non poteſt vllo iure, aut*
» *ratione probari, eos ad tale pactum expreſſum,*
» *vel tacitum obligari, ſi de pacto, & promiſſione*
» *propriè loqui velimus. Nam in adultis, vera*
» *fides, & contritio eſt ſufficiens diſpoſitio ad Ba-*
» *ptiſmi gratiam conſequendam. Neque ex ſenten-*
» *tia Theologorum requiritur pactum aliquod, aut*
» *promiſſio; quam pactum includit, vt Baptiſmus*
» *ritè ſuſcipiatur. Multò minus ab infantibus tale*
» *pactum exigi poteſt.*

Cap. ad abolendam de hæreticis explicatur.

Reſpondeo. Aduerſarius allegat cap. *ad abolendam*, de hæret. vt probet hæreticos, quando redeunt ad Eccleſiam; obligari ad hæreſim abiurandam, & Fidem Catholicam ſeruandam; & ſi fortè fuerint Comites, Barones, Rectores, aut Conſules Ciuitatum, obligari ad Eccleſiam defendendã præſtito iuramento, &c. Ex quo vult intelligi, eiuſmodi promiſſionem iuratam non deberi imponi ijs, qui non fuerunt hęretici, neque expreſsè, vel tacitè fieri à Principibus, quando primum veniunt ad Eccleſiam, & Baptiſmi gratiam petunt.

Sed perperam, & contra ſe Canones allegat. Nam in illo cap. *ad abolendum*; hæreticis indicitur abiuratio. Quoad autem ſequitur de Comitibus, Baronibus, Rectoribus, & Conſulibus, non refertur ad hæreticos abiurantes, ſed ad Catholicos, in quorum regionibus hæretici inueniuntur. Ex quo intelligimus, quod ſi Eccleſia poteſt Catholicis Principibus poſt Baptiſmum præcipere, vt iuramento præſtito promittant Eccleſiam contra hæreticos defendere: multò magis poteſt promiſſionem ſimilem expreſſam, vel tacitam exigere à Principibus, quando primum petunt admitti ad Sacramentum Baptiſmi.

Deinde in eodem cap. *Ad abolendam*, additur pœna his verbis; *ſi verò id obſeruare noluerint, honore, quem obtinent, ſpolientur, & ad alios nullatenus aſſumantur*. Itaque per Eccleſiam puniuntur Comites, Barones, Rectores, & Conſules Ciuitatum pœnis temporalibus, & non ſolis ſpiritualibus, vt Aduerſarius docet. Sed ille cautè iſta omiſit, ne nimis apertè aduerſus ſe Canones allegaret. Potuiſſet autem, ſi Canonibus vllam fidem haberet, in eodem titulo de hæreticis, legere cap. *Vergentis*, vbi Eccleſia præcipit confiſcari bona hæreticorum; & rationem reddit, *vt temporalis ſaltem pœna corripiat, quem ſpiritualis non corrigit diſciplina*.

Cap. Vergentis de hæret.

Poterat denique in eodem titulo legere cap *Excommunicamus*, quod eſt generalis Concilij, vbi iubentur *ſæculi poteſtates*, quando ad regimen aſſumuntur, *præſtare publicè iuramentum, quod de terris ſuæ iuriſdictioni ſubiectis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt*. Et additur pœna excommunicationis, & ſi ea pœna contemnatur, adiungitur pęna priuationis Principatus, atque vt *ſubditi eorum à fidelitate eorum denuncietur abſoluti, & terræ exponantur Catholicis occupandę*. Hæc Aduerſarius non allegauit quidem, ſed credibile eſt, eum vidiſſe, cum viderit cap. *ad abolendam*, ac per hoc non ex ignorantia labitur, ſed Eccleſiam ipſam contemnit, cuius filium ſe eſſe ſimulat.

Conc. Later. ſub Innocen. III an 1215. cap 3 Excommunicamus.

Replica.

At, inquit, non poteſt vllo iure, aut ratione probari; Principes teneri ad promiſſio- “
nem illam expreſſam, vel tacitam, quando “
primum ad Eccleſiam veniunt, vel Baptiſmi “
Sacramentum ſuſcipiunt. Sufficiens enim “
diſpoſitio eſt ad Baptiſmum, fides, & con- “
tritio. “

Principes Christiani promittunt Eccleſiæ fidelitatem.

Reſpondeo. Poteſt ab Eccleſia promiſſio expreſſa exigi, & fortaſsè olim exacta fuit; ſed fortè, quoniam id non ſatis conſtat, ideo à Bellarmino additum fuit, *expreſſum vel tacitum*. Tacita enim inuoluitur in eo, quod qui per baptiſmum incipiunt eſſe de familia Chriſti, hoc ipſo, ſubijciuntur ei, *quem* Chriſtus *conſtituit ſuper* omnem *familiam ſuam*. Et quoniam hæc familia eſt *Caſtrorum acies ordinata*, quicunque huic familiæ nomen dat, cenſetur tacitè promittere, ſe militaturum ſub Duce, Chriſti Vicario, aduerſus omnes hoſtes Chriſti, quales ſunt in primis omnes hæretici. Et quamuis Fides, & Pænitentia, quam Aduerſarius contritionem vocat, ſit ſufficiens diſpoſitio ad Baptiſmus hominibus priuatis: tamen quia magni Principes poſſent valde nocere Eccleſiæ, ſi vti vellent temporali ſua potentia in deſtructionem Eccleſię; ideo cogi poſſunt, & debent, vt promittant ſe ſceptra ſua velle Chriſto ſubmittere, & eius Fidem, & Religionem pro viribus defendere ſub pœna Regni perdendi.

Matth. 16 Luca 22. Ioan. 21. Cant. 6.

Sed quia rationem Aduerſarius quærit, attendat conſuetudinem omnium Rerump. ſiue Regnorum. Certè enim nemo Princeps transfugiens ab vna Rep. ad aliam, ſiue ab vno Regno ad aliud, admitti ſolet, niſi promittat tacitè, vel expreſsè fidelitatem ei, qui præeſt; etiam ſub pœna admittendi non ſolùm Principatus, ſed etiam vitæ. Quid igitur mirum eſt, ſi Reges terræ cum admitti petunt ad Regnum Chriſti, & tranſeunt de poteſtate Satanæ ad poteſtatem Filij Dei; promittere debeant tacitè, vel expreſsè Chriſto, & eius Vicario fidelitatem, ſub pœna priuationis Regni temporalis, & æterni? ſtulta enim eſſet Reſpublica, quæ admitteret eos, qui vellent impunè fouere hoſtes Reipub.

Hac ratione adductus Gulielmus Barclaius, Aduerſarij noſtri Magiſter, ingenuè faſſus eſt, Reges, & Principes, cum ad Eccle-

Chriſtianos promittere debere Eccleſia fidelitatē.

cleſiam veniunt, promittere debere fidelitatem, de qua eſt ſermo. Sed Aduerſarius in hac re, voluit eſſe diſcipulus ſuper magiſtrum ſuum.

Num. 305. *Et quamuis Sacerdos baptizandum interroget, an abrenunciet Satanæ, & omnibus pompis eius: & ipſe, aut Patrini vice eius reſpondeant, Abrenuncio: ſub hac verborum tamen formula, non pactum aliquod, aut promiſſio; ſed nudum tantum propoſitum, quod multum à promiſſione differt, continetur*, &c.)

Reſpondeo. Quæ in hoc numero, & ſequentibus quatuor, id eſt 306. 307. 308. 309. dicuntur ad rem non faciunt. Prolixè enim diſputat Aduerſarius de verbis illis, *Abrenuncio*, &c. Bellarminus autem non dixit, promiſſionem, de qua eſt ſermo, contineri in verbis, *Abrenuncio Satanæ*, &c. quæ ſunt communia omnibus, qui baptizantur: ſed dixit Reges, & Principes olim cùm ex Paganiſmo ad Eccleſiam veniebant, cum promiſſione illa tacita, vel expreſſa recipi conſueuiſſe. Et quoniam hoc tempore Reges, & Principes, vt plurimùm, prius baptizantur, quàm coronentur, in ipſa coronatione fieri ſolet illa promiſſio, præſtito etiam iuramento ſolemni.

Reges, & Principes in coronatione ſolitis præſtare Eccleſ. iuramentum fidelitatis.

De iuramento, & promiſſione Romani Imperatoris habetur Decretum in Clementina II. de iureiurando. Matthiam Auſtriacum, qui modò per Dei gratiam feliciter imperat, cum Francofurti anno 1612. die 24 Iunij in Regem Germaniæ coronaretur, oculis noſtris vidimus, & auribus audiuimus iuratò promittentem ad manus Archiepiſcopi, & Electoris Moguntini Ioannis Suicardi, in præſentia plurimorum Principum, tum Catholicorum, tum Proteſtantium.

Matthias Imp.

Nicolaus Sanderus lib. 3. de ſchiſmate Anglicano ſcribit Eliſabetham Reginam Angliæ quamuis hæreticam, ne de Regno minus ritè ſuſcepto ſibi quæſtio fieret iuſiurandum Chriſtianis Regibus lege & more Maiorum præſcriptum ſuſcepiſſe de fidei Catholicæ defenſione, & priuilegiorum, ac libertatum Eccleſiaſticarum conſeruatione. Maluit enim peierare, quam non regnare.

Eliſabetha Regina Angliæ.

Num. 310. *Sed eſto, concedamus diſputationis gratia, quod Card. Bellarminus verum eſſe fruſtra contendit; nempè Reges, ac Principes, quando ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, paciſci, id eſt, proprium pactum inire cum Eccleſia de fide Catholica ſeruanda, & protegenda: quo tamen teſtimonio, quave ratione veriſimili probari poteſt, illud aliud pactum de perdendo regno, ſi promiſſis non ſteterit? Nam pactum expreſſum inter Principes baptizandos, & Eccleſiam de perdendo Regno initum apud neminem (ſolo Card. Bellarmino excepto.) ſcriptum reperi, neque in vlla auctoritate, aut ratione fundatur. At verò pactum tacitum de Regno perdendo ex duobus duntaxat, quantum conyecere valeo, colligi poteſt, nimirum vel ex ipſa contritione, quæ ad Baptiſmum diſponit, ex qua ipſe Bellarminus in probatione huius rationis, (Nam non eſt idoneus, &c.) illud colligere videtur; vel ex ipſa promiſſione de vera fide ſeruanda, & defendenda Eccleſia Catholica, quam promiſſionem in Principibus baptizandis interuenire dicit quidem ſed non probat Card. Bellarminus, vt paulò poſt videbimus.)*

Reſpondeo. Aduerſarius in hoc numero tria dicit, quæ falſa ſunt.

Primùm, duo pacta à Bellarmino requiri in regibus, qui ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant: Vnum de fide Catholica ſeruanda: alterum de Regno perdendo, ſi Fidem non ſeruauerint. Bellarminus autem vnius tantùm pacti mentionem fecit. Nam quod addidit, *etiam ſub pœna perdendi Regni*, non eſt nouum pactum, ſed declaratio pœnæ, quæ in pacto de ſubijciendo ſceptro temporali Regi Chriſto, & Fide ipſius ſeruanda; includitur.

Pœna Regum hæreticorum.

Deindè, falſum eſt, quod dicit, ſe in ſcriptis vnius Bellarmini legiſſe mentionem pacti expreſſi. Nam in ſcriptis Bellarmini nuſquam habetur, requiri pactum expreſſum de perdendo Regno; ſed ſolùm requiri pactum expreſſum, vel tacitum de ſubijciendo ſceptro Chriſto, & ſeruanda Fide eiuſdem, ſub pœna perdendi Regni. Quæ verba habentur etiam apud Nicolaum Sanderum in 2. lib. de viſibili Monarchia, cap. 4. quem librum non eſt vllo modo credibile non eſſe lectum ab Aduerſario, cùm ſit liber hominis Angli celeberrimus, & notiſſimus, & cùm à Bellarmino lib. 5. de Pontif. cap. 7. hic ipſe locus Sanderi citatus ſit, atque ad eum inſpiciendum Lectorem remiſerit.

Nicolaus Sanderus.

Denique, falſum eſt, quod dicit, pactum tacitum de Regno perdendo, non poſſe includi, niſi vel in contritione, vel in promiſſione de ſeruanda fide Catholica, & quod Bellarminus exiſtimet includi in contritione. Neque enim ille de contritione vnquam eſt locutus: neque in contritione hoc pactum includitur, quia non eſt nouum pactum, ſed declaratio pœnæ, quæ debetur Regibus Chriſtianis, qui Eccleſiam Chriſti deſtruere conantur fouendo hæreticos, hoſtes fidei Chriſtianæ, ad quam pœnam ipſi obligauerunt ſeſe, quando promiſerunt ſe ſubiecturos ſceptra ſua Regi Chriſto, & fidem eius ſeruaturos. Locus autem Euangelij Luc. 14. *Qui venit ad me, & non odit Patrem*, &c. non eſt adductus ad probandum pactum illud includi in contritione: ſed ad oſtendendum, Regem temporalem non eſſe idoneum, qui admittatur ad Regnum Chriſti, niſi paratus ſit amittere Regnum temporale pro Chriſto.

Luca 4.

Num. 311. & 312. Inſtituit diſputationem de Contritione ex Franciſco Suarez viro doctiſſimo; ſed ea nihil omninò ad rem facit. Nam ad contritionem ſeù potius pœnitentiã, quæ requiritur ad baptiſmum ſuſcipiendum, ſufficere in genere propoſitum benè viuendi nunquam negauit Bellarmin. includi in ea pactum de Regno perdendo in ſpecie, nunquam aſſeruit.

Franciſcus Suarez.

Num. 313. *Sed nec ſecundò colligi poteſt ex vi ipſius promiſſionis de ſeruanda Fide, & tuenda Eccleſia Catholica (ſi ad talem promiſſionem Principes baptizandi obligati eſſent) tum quia ipſe Card. Bellarminus ſatis apertè indicat hoc loco tale pactum de Regno perdendo, non neceſſariò conſequi ipſam promiſſionem de Fide Catholica tuenda, dum ait, Principes recipi cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſceptra ſua ſubiciant Chriſto, & polliceantur, ſe Fidem Chriſti ſeruaturos, & defenſuros, etiam ſub pœna perdendi Regni, vbi inſinuat, pœnam hanc ex priori tantùm pro-*

miſſione, non neceſſariò conſequi: tum potiſſimum, quia tametſi concedamus, illum qui cum alio paciſcitur de rè aliqua, tacitè etiam paciſci de pœnis ordinarijs ſubeundis, quæ promiſſioni violatæ ſunt annexa; de pęnis tamen extraordinarijs, non eſt ſimiliter philoſophandum, niſi in tali pacto pœna illa extraordinaria ſit expreſsè nominata.

Num. 314. *Vnde licet concederemus Reges & Principes, cum ad Eccleſiam veniunt, &c. quia amiſſio Regni terreni eſt pœna extraordinaria, neque per legem diuinam, aut humanam pro hæreſis crimine Principibus conſtituta.)*

Reſpondeo. Illa particula, *Etiam*, quam tam diligenter Aduerſarius ponderauit, ſignificat pœnam perdendi Regni, non conſequi quamlibet culpam in Fide ſeruanda, vel defendenda commiſſam: ſed crimen grauiſſimum, & eiuſmodi pœna dignum.

Amiſſio Regni ob crimē hęreſeos eſt pœna ordinaria.

Quod num. 313. Aduerſarius dicit, de pęna ordinaria, & extraordinaria, verum eſt: at quod num. 314. addit, amiſſionem Regni terreni, eſſe pęnam extraordinariam, neque per legem diuinam, aut humanam pro hæreſis crimine Principibus conſtitutam, iſtud apertiſſimè falſum eſt. Siquidem in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 3. expreſsè decernitur pęna amiſſionis Principatus ijs, qui Prouinciam ſuam admoniti, & cenſuris Eccleſiaſticis mulctati, ab hæretica colluuione purgare noluerint. Quod ſi propter negligentiam purgandæ prouinciæ pœna talis infligitur: qua pœna digni erunt, qui Prouinciam ſuam hæretica labe polluere, Catholicos exterminare, Religionem euertere moliti fuerint? Adde, quod cap. *Vergentis*, de hæreticis mulctantur hęretici pęna amiſſionis bonorum; & additur ratio, quia ſi merentur eiuſmodi pœnam, qui rei ſunt læſæ maieſtatis humanæ, multò magis ea pœna digni ſunt, qui ſunt rei læſæ maieſtatis Diuinæ?

Num. 315. *Quod ſi quis dicat, non ſolum bonorum omnium deperditionem, verùm etiam mortem temporalem eſſe pœnam ordinariam hæreticorum à lege taxatam, & propterea, qui paciſcitur de lege Catholica ſeruanda, pactionem etiā implicitam facit de amiſſione bonorum, & conſequenter Regni terreni, atque de ipſa quoque capitis pęna ſubeunda, ſi in hæreſim labatur. Reſponſio eſt facilis, has leges non obligare Principes quoad vim coercentem, ſed ſolùm ſubditos. Principes enim legibus ſoluti ſunt, tuti Imperij poteſtate, id eſt, ſi delinquant, à ſolo Deo puniuntur pęnis, ſubintellige, temporalibus, vt ſuperiùs à Sanctis Patribus oſtenſum eſt.)*

Principes Chriſtiani Pontifici, & Concilijs ſubiecti.

Reſpondeo. Omnis lex imponitur à Principe ſubditis. Proinde Princeps non tenetur legibus ſuis, neque prædeceſſorum ſuorum quoad vim coactiuam; neque alterius Principis, cui ipſe ſubditus non ſit: ſed tenetur legibus Summi Pontificis, & generalium Conciliorum, quibus Principes terreni ſubditi ſunt, ſi Eccleſiæ filij eſſe, & haberi velint.

Quod dicit, *Principes Imperij poteſtate tutos eſſe*; Verum eſt ſæpè de facto, quia ſæpè non eſt, qui vi cogere illos poſſit; ſed tamen de iure non eſt verum; neque, quando quidem non deeſt, qui illos adhibita vi coercere queat, etiam de facto. De qua re diſſeruimus cap. 3. num. 5.

Num. 316. *Neque obſtat, quod lege Canonica ſancitum ſit, bona hæreticorum confiſcanda. Nam præterquam, quod Principes in pœnalibus ſub clauſulis generalibus comprehendi non ſolent, reſpondet Ioannes Pariſienſis ex Cardinal. Hoſtienſi, vt videbimus num. 454. decretum illud factum fuiſſe ex aſſenſu Imperatoris, qui tunc Paduæ præſens conſenſit, & propterea nec Imperatorem, nec alios Principes abſolutos, quoad vim coercentem obligare poterat.)*

Iacobus Simanca.

Reſpondeo. Iacobus Simanca in libro de Catholicis Inſtirurionibus tit. de pęnis, num. 75. diſputat quæſtionem illam; *an Regnum hæretici, qui ſuperiorem non habet, confiſcari poſſit*, & tandem concludit, poſſe Regem hæreticum Regno ſpoliari, & Regnum illud Catholicis tradi, & allegat multos Canones, & Leges, & Auctores. Eum conſulat, qui volet.

Cap. Vergētis, de hęreticis, quos obliget.

Quod Aduerſarius dicit, Decretum cap. *Vergentis*, de Hæreticis, abſolutos Principes non obligare, quia factum eſt ex aſſeuſu Imperatoris, teſte Hoſtienſi in c. *ad Abolendam*, de hæreticis, omninò nihil valet. Nam ſi decretum factum eſſet ab Imperatore, cum aſſenſu Pontificis, tunc fortè non obligaret Principes abſolutos, qui Imperatori ſubiecti non ſunt: ſed cum ſit factum à Summo Pontifice Innocentio, omnes obligare videtur, qui Pontifici ſubſunt, etiamſi factum ſit de conſenſu Imperatoris; ſubſunt autem Summo Pontifici omnes Chriſtiani, ſiue Principes, ſiue priuati ſint. Immò hoc ipſo, quod factum eſt Imperatore aſſentiente nomine aliorum Principum ſæcularium, maiorem vim habere videtur ad ipſos etiam Principes obligandos. Sicut Lex Principis, quæ fertur de conſenſu populi, magis obligat populum, quam ſi lata eſſet populo non aſſentiente. Sed quidquid ſit de confiſcatione, & de cap. *Vergentis*, de quo diſputari ſolet à Iureconſultis: nos magis nitimur cap. *Excommunicamus*, eodem tit. de hæreticis, quam cap. *Vergentis*. Nam, vt ſæpè diximus, in cap. *Excommunicamus*, quod eſt editum ab Innocentio III. in Concilio generali Lateranen. nominatim exprimuntur Principes, cum agitur de amiſſione Principatus ob cauſam hæreſis.

Cap. Excom. de hęreticis.

Examinatur conſequentia argumenti Bellarmini.

Num. 317. *Et quamuis hæc propoſitio antecedens, quoad vtram eiuſque partem vera eſſet; non tamen inde rectè deduci poteſt, quod Card. Bellarminus concludere vellet, videlicet, (Ergo Principes, quando fiunt hæretici, aut Religioni obſunt poſſunt ab Eccleſia iudicari, atque etiam deponi à Principatu, neque vlla eis fiet iniuria, ſi deponantur.) Non enim melior eſt prædicta conſequentia, quàm iſtæ, quæ ſequuntur.*

Quando aliqui ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſe, ac ſua ſubijciant Chriſto, & polliceantur ſe fidem Chriſti ſeruaturos, & defenſuros, etiam ſub pęna vitæ temporalis, ſimul & æternæ amittendæ: ergò quando fiunt hæretici, aut religioni obſunt, poſſunt ab Eccleſia iudicari, atq; etiam vita temporali, ac æterna priuari, nec vlla eis iniuria fiet, ſi talis contra eos ſententia ab Eccleſia feratur.)

Hęretici digni morte.

Reſpondeo. Conſequentia Bellarminiani argumenti optima eſt, & conſequentia Aduerſarij, ſi ſano modo accipiatur, mala non eſt. Nulla enim fieret iniuria hæretico, ſi ab Eccleſia damnaretur ad mortem, vel etiam

manu

manu Eccleſiaſtica interſiceretur. Quod enim Eccleſia id non facit, non eſt, quia iniuſtè ageret, ſed quia non decet. Nam quod Hæretici pęna mortis digniſſimi ſint, perſpicuũ
Deut. 13.
eſt ex verbo Domini Deuter. 13. iubet enim Deus, vt omninò interficiatur, qui auertere conatur alios falſa doctrina à cultu veri Dei. Itaque conſequentia illa, ſi ſic formetur, optima erit; Ergò hæretici poſſunt ab Eccleſia tradi brachio ſæculari, & poſſunt, ac debent à brachio ſæculari Chriſtiano mortis ſupplicio damnari, & à carnifice Chriſtiano iuſtiſſimè necari.

Num. 318. *Magna profectò eis fieret iniuria, cùm ad Eccleſiam non ſpectet ferre ſententiam in cauſa mortis; ſed hoc iudicium, ſi de morte temporali agatur, ad forum Principum ſæcularium ſpectat: ſicut etiam ad Dei tribunal pertinet poſt hanc vitam morti æternæ hæreticos adiudicare. Pari modo dicimus eſſe quidem penes Eccleſiam poteſtatem iudicandi Principes hæreticos quod attinet ad pœnas Eccleſiaſticas: at poteſtas iudicandi, quoad pœnas ciuiles, qualis eſt Principum depoſitio, Eccleſiaſticæ auctoritatis limites excedit.*

Num. 220 & ſeq.
Vide etiam, quæ ſuperiùs diximus in ſolutione tertiæ rationis, ex quibus huius conſequentiæ imbecillitas clariùs innoteſcit.)

Reſpondeo. Iam dixi ad forum Eccleſiæ non pertinere ſententiam ferre de ſupplicio extremo, non quia non poſſit abſolutè Eccleſia ſententiam iſtam ferre, ſed quia non deceat. Et poſſet Summus Pontifex, ſi iudicaret expedire, tum ipſe eiuſmodi ſententiam ferre, tum etiam per diſpenſationem concedere, vt alij Sacerdotes id facerent. Nihil enim habemus, vnde id prohibeatur, niſi ius poſitiuum Eccleſiaſticum, in quo omnium conſenſu Summus Pontifex diſpenſare poteſt. Videmus enim quod Summus Pontifex diſpẽſat cum Eccleſiaſticis, vt ipſi poſſint eſſe tum Principes temporales, vt videre eſt in Principibus Eccleſiaſticis Germaniæ: tum Proreges, & Capitanei generales, cuius rei frequentia, & viua habemus exempla.
Eccleſia habet poteſtatem vtẽdi gladio materiali, &c.

Quod addit Aduerſarius; excedere limites poteſtatis Eccleſiaſticæ, punire aliquos alijs pœnis, quam Eccleſiaſticis, id eſt, cenſuris: nec probauit; nec probabit vnquam: nos autem probauimus contrarium ex Canonibus antiquis, cap. *ad Abolendam*, cap. *Vergentis*, cap. *Excommunicamus*, de hæreticis: & cap. *licet*, de voto, & cap. 1. de homicidio, in 6. Et præterea Canonibus recentioribus Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 8. & ſeſſ. 25. cap. 3.

Sed Aduerſarius deberet aliquando apertè fateri, ſitne filius, an hoſtis Eccleſiæ. Nam ſi filius eſt, reuereatur ſacros Canones, & non tàm audacter, & obſtinatè contradicat Eccleſiæ: ſi hoſtis eſt, non ſimulet ſe Catholicum, neque dicat, *Romanam Eccleſiam*, cuius ſunt illi Canones, *eſſe columnam & firmamentum veritatis*.
Aduerſarius in Præfatione

Ad ea, quæ dixit Aduerſarius num. 220. & ſequentibus, ad quem locum remittit Lectorem, nos quoque ſatis apertè reſpondimus, nec dubitamus fore, vt tum ex his, tum ex illis iudicet æquus Lector, intolerabilem eſſe iactantiam Aduerſarij, qui Cardinalis Bellarmini (cuius ſolida eruditio, & conſtans iudicium nõ in Eccleſia Dei duntaxat probatur, ſed & hoſtibus fidei eſt admirationi,) rationes, quas ſoluere non poteſt, perpetuo deſpicit, ipſe vt maior videatur.

Num. 319. *Sed probat Card. Bellarminus ſuum argumentum duabus rationibus adeò imbecillis, vt vix vlla prorſus ſolutione indigeant.*

Prima probatio eſt: (Nam non eſt idoneus Sacramento Baptiſmi, qui non eſt paratus Chriſto ſeruire, & propter ipſum amittere, quidquid habet. Ait enim Dominus Lucæ 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & Matrem, & Vxorem, & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.)
1. Probatio Bellarm.

Hæc ratio cùm agat de præparatione ad baptiſmum, propoſitionem antecedentem confirmare videtur. Sed profectò non video, quomodo Card. Bellarm. ex hac propoſitione, quæ procul dubio eſt veriſſima, propoſitionem antecedentem corroborare poſſit, niſi pactum & promiſſionem cum propoſito confundere velit. Quæ tamen ab omnibus doctis diſtinguntur, vt ſuprà diximus.

Num. 320. *Nam antecedens propoſitio diſertis verbis agit de promiſſione, & pacto expreſſo, vel tacito de fide Chriſti ſeruanda, & defendenda etiam ſub pœna perdendi Regni. At hæc propoſitio planè loquitur de propoſito: non eſt, inquit, idoneus Sacramento Baptiſmi, qui non eſt paratus, id eſt, apud animum ſuum proponit Chriſto ſeruire, & propter ipſum relinquere omnia, quæ habet. Quomodo igitur ex eo, quod quiſquã, quoad interiorem animi præparationem, paratus eſſe debet omnia pro Chriſto relinquere, vt idoneus ſit Sacramento Baptiſmi, rectè concluditur, ergò pollicetur, & expreſsè, vel tacitè paciſcitur de Chriſto inſeruiendo, etiam ſub pœna omnia amittendi, niſi promiſſionem à propoſito diſtinguere nolit.*

Reſpondeo. Aduerſarius fingit ipſe ſibi ridiculas conſequentias, & dicit; ſe non videre, quomodo vnum ex alio ſequatur. Ego in libris Bellarmini nuſquam inuenire potui illam conſequentiam; *Debet aliquis paratus eſſe per internum propoſitum omnia relinquere propter Chriſtum, vt ſit idoneus Sacramento Baptiſmi ſuſcipiendo; ergò promittit, & paciſcitur de fide Chriſto ſeruanda, etiam ſub pœna perdendi omnia.* Aduerſarius inuenit eam non in libris Bellarmini, ſed in ſuo cerebro. Quomodo enim ignoraſſet Bellarminus, propoſitum colligi ex promiſſione: non ex propoſito promiſſionem? Aut cui ignotum eſſe poteſt, Promiſſionem ſine propoſito eſſe nequire: propoſitum ſine promiſſione facillimè inueniri poſſe?
Propoſitum & Promiſſio differunt.

Itaque ratiocinatio Bellarmini, quæ in illa propoſitione includitur, hæc eſt. Non eſt idoneus Sacramento Baptiſmi, qui non eſt paratus omnia dimittere propter Chriſtũ, vt ipſe Chriſtus docet Luc. 14. ergo debet, qui ad baptiſmi Sacramentum admitti cupit paratus eſſe omnia propter Chriſtum dimittere.
Vis, & ſenſus probationis Bellarmin.
Luc. 14.

Rurſus, paratus eſſe debet omnia dimittere propter Chriſtum, qui ad baptiſmi Sacramentum accedit ergò non debet illi eſſe graue, aut moleſtum promittere Chriſto, & Eccleſiæ, ſe fidem Chriſtianam ſeruaturum, & defenſurum, etiam ſub pœna Regni perdendi, ſi promiſſionem non adimpleuerit.

Hac ratiocinatione in verbo Dei fundata ſolidiſſimè probatur propoſitio antecedens

dens quartæ rationis Bellarminianæ : ea Bellarmino digua ; ſed Aduerſarius cùm refutare non poſſet , & fortè non intelligeret ; calumniando , & perperam explicando ridiculam facere voluit.

Num. 321. *Illud verò , quod adducitur ex Lucæ 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem, &c. nullum pactum, aut promiſſionem innoluit : ſed ſolùm confirmat id , quod de propoſito diximus. Quinimmò hoc idem Card. Bellarm. docet in lib. 1. de translatione Imperij , cap. 12. Nam poſtquam hunc textum ſacræ Scripturæ allegaſſet , ita inquit : Quæ loca, vt ſanctus Auguſtinus in epiſt. 5. ad Marcellinum rectè exponit ſic intelligenda ſunt , vt is non poſſit eſſe Chriſti Diſcipulus , qui non eſt paratus carere potiùs vxore liberis , parentibus , opibus , honoribus , atque ipſa etiam vita , quàm , vt Chriſtum offendat . Cùm igitur textus iſte Sacræ Scripturæ iuxta expoſitionem Cardin. Bellarmini de odio Patris , Matris , &c. quoad animi præparationem , ſeu propoſitum intelligatur , nihil prorſus conducit ad propoſitionem antecedentem confirmandam, quæ de promiſſione & pacto diſertè loquitur .)*

Reſpondeo. Bellarminus nuſquam dixit , verba illa Domini intelligenda eſſe de promiſſione , vel pacto : & tamen paulò ante oſtendimus , quemadmodum ſolidiſſimè inde colligarur probatio antecedentis propoſitionis.

Quod idem facit Nicolaus Sauderus Anglus Aduerſatio item Anglo , ſine vlla comparatione & ſapientior , & verior Catholicus, lib. 2. cap. 4. de viſibili Monarchia Eccleſiæ.

Deinde Aduerſarius , ſi candidè procederet ex libro Bellarmini de translatione Imperij , quem citat cap. 12. facilè animaduertere potuiſſet , quis eſſet ſenſus verborum eiuſdem Bellarm. lib. 5. de Pontif. cap. 7. quæ ipſe nunc ad ineptam , ridiculamque ſententiam detorquere niritur.

Itaque ex ſententia Bellarmini verba Domini Luc. 14. de propoſito , non de promiſſione ſunt intelligenda ; ſed ex eo propoſito planè probatur , non debere Principes mirari, aut ægrè ferre, ſi ante baptiſmum exigatur ab eis promiſſio de fide Catholica ſeruanda, & defendeuda, etiam ſub pena Regni perdendi. Quæ eadem promiſſio eadem de cauſa exigi poteſt , cum homines Chriſtiani promouentur ad Regna.

2. Probatio Bellarmini.

Num. 322. *Seennda probatio eſt (Præterea Eccleſia nimis grauiter erraret, ſi admitteret aliquem Regem , qui vellet impunè fouere quamlibet ſectam , & defendere hæreticos , & euertere Religionem .)*

Verùm , quid ex hac propoſitione , quæ veriſſima eſt , deduci poſſit ad propoſitionem antecedentem ſtabiliendam , capere non valeo . Nam ſi ad formam ſyllogiſticam eam reducere velimus, hæc videtur eſſe eius probatio . Nimis grauiter erraret Eccleſia, ſi admitteret ad Baptiſmum (vt reor) aliquem Regem , qui vellet impunè ſouere quamlibet ſectam , &c. ſed niſi Reges , & Principes , quando ad Eccleſiam veniunt , reciperentur cum pacto expreſſo , vel tacito , vt ſceptra ſua ſubijciant Chriſto , & polliceantur ſe fidem Chriſti ſeruaturos, & defenſuros etiam ſub pœna perdendi Regni , Eccleſia admitteret Reges , qui vellent fouere quamlibet ſectam, & euertere Religionem: ergò non debet Eccleſia , niſi eam grauiter errare velimus , admittere Reges , &c. Quæ quidem argumentatio , quàm inſufficiens ſit , quiuis vel mediocriter doctus ſtatim perſpicere poteſt , cùm minor propoſitio ſit apertè falſa , vt ex ſe ſatis conſtat , atque ex ſupra dictis eſt etiam manifeſtum .)

Aduerſarij fraus.

Reſpondeo . Aduerſarius , cùm non poſſit rationem Bellarmini veram , bonam , & ſolidam euertere , ipſe è ſuo cerebro aliam fingit , in qua ex propoſitio ad vnam propoſitionem veram, quæ eſt Bellarmini , adiungit aliam propoſitionem falſam, quæ Bellarmini non eſt ; & deinde clamat, argumentationem Bellarmini eſſe inſufficientem . Quod ſi rationem Bellarmini ad formam ſyllogiſticam redigere placeat ; ea ſic texenda erit : Ex quo ſequitur, Eccleſiam Chriſti aliquando grauiſſimè errare , id nullo modo eſt aſſerendum ; ſed ex eo, quod Reges admittuntur ad Eccleſiam ſine promiſſione, & pacto de fide Chriſti ſeruanda , & Religione Catholica defendenda etiam ſub pœna Regni perdendi , ſequitur Eccleſiam Chriſti aliquando grauiſſimè errare ; Ergò Reges ſine tali promiſſione , & pacto ad Eccleſiam admitti non eſt aſſerendum. Maior apud Chriſtianos eſt certa. Minor probatur . Eccleſia admittens Regem volentem fouere quamlibet ſectam , defendere hæreticos, & euertere Religionem, certè grauiſſimè errat : ſed ſi Reges admittantur ad Eccleſiam ſine promiſſione , & pacto de fide Chriſti ſeruanda , & Religione Catholica defendenda etiam ſub pœna Regni perdendi , admittet aliquando Eccleſia Reges volentes fouere quamlibet ſectam , defendere hæreticos , & euertere Religionem ; Ergò ſi Reges admittantur ad Eccleſiam ſine tali promiſſione, Eccleſia aliquando grauiſſimè errabit . Hæc eſt argumenratio , quam Bellarminus intendit , eaque certè non eſt inſufficiens , ſed ſolidiſſima , & Bellarmino digna.

Ratio Bellarmini.

Num. 323. *Neque exiſtimo locutum eſſe Card. Bellarminum de admiſſione Regis Chriſtiani ad Regnum* , &c.

Reſpondeo . Quæ hoc num dicuntur , nihil ad rem faciunt.

Num 324. *Atque in illo vocabulo , Impunè , ſubdola latet æquiuocatio , vt ſuprà etiam diximus , quaſi verò alia pęna non poſſit ab Eccleſia Principibus hæreticis infligi præter depoſitionem à Regno . Scio Card. Bellarminum benè meminiſſe illius , quod alibi ex S. Auguſtino docuerat , nimirum excommunicationem Eccleſiaſticam eſſe pęnam maiorem , quàm ſit mors temporalis , & conſequenter quam ſit depoſitio à Regno temporali . Hoc igitur puniendi genere , cum ſit Eccleſiaſticæ poteſtatis proprium , vti poteſt Summus Pontifex , abſque eo , quod poteſtatis politicæ fines inuadat .*

Num 183 & ſeq.

Lib 3. de Laicis cap. 21.

Vides itaque quàm infirma ſit tota hæc ratio Card. Bellarmini . &c.

Excommun. pœna omniū grauiſſima à quibus non timeatur.

Reſpondeo . Pœna excommunicationis reuera grauior eſt omni pœna temporali ; ſed non ſemper opinione hominum . Multi enim quos malitia excœcauit, pœnas temporales quaſcunq; magis timent, quam excommunicationem. Itaq; vt diximus c. 6. ad n. 183. Conc. Later. c. 3. aduerſus eiuſmodi homines excœcatos decreuit , vt primùm excommunicarentur deinde ſi excōmunicationem contemnerent , dominijs temporalibus priuarentur.

Tunc

Digitized by Google

Tunc igitur impunè dicitur aliquis peccare, cùm non poteſt coerceri, niſi pœnis, quas non rimet, & quibus ſpretis pergit in operibus ſuis malis. In fine Aduerſarius lætum Pæana canit, quaſi rationes Bellarmini euerterit, cùm eas ne commourrit quidem.

C A P. XI.

Examinatur Reſponſio ad quintam rationem Bellarmini, à num. 335. vſque ad nu. 353.

NVm. 325. *Quinta ratio Cardin. Bellarmini.*

V Ratio Bellarm pro, poteſtate Pont. in temporal. Ioan. vlt.

Cùm Petro dictum eſt: Paſce oues meas, Ioan. vlt. data eſt illi facultas omnis, quæ eſt Paſtori neceſſaria ad gregem tuendum: At Paſtori neceſſaria eſt poteſtas triplex, nimirum vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione, qua poterit: altera circa arietes, vt ſi quando cornibus lædant gregem, poſſit eos recludere, & prohibere, ne gregem vlterius procedant; tertia circa oues reliquas, vt ſingulis tribuat conuenientia pabula: ergò hanc triplicem poteſtatem habet Summus Pontifex.

1. argument. Bellarm. Matth. 7.

Num. 326 *Ergò tria ducuntur argumenta ex hoc loco. Primum ſit; Lupi, qui Eccleſiam Domini vaſtant, ſunt hæretici, vt patet ex illo Matth. 7. Attendite à falſis Prophetis, &c. Si ergo Princeps aliquis ex oue. aut ariete fiat lupus, id eſt, ex Chriſtiano fiat hæreticus, poterit Paſtor Eccleſiæ eum arcere per excommunicationem, & ſimul iubere populo, ne eum ſequatur, & proinde priuare eum dominio in ſubditos.*

2. Argumen. Bellarm.

Num. 327. *Alterum verò ſit: Poteſt Paſtor arietes furioſos, deſtruentes ouile ſeparare, & recludere: Princeps autem eſt aries furioſus, deſtruens ouile, quando eſt Catholicus fide, ſed adeò malus, vt multum obſit Religioni, & Eccleſiæ, vt ſi Epiſcopatus vendat, Eccleſias diripiat, &c. Ergò poterit Paſtor Eccleſiæ eum recludere, & redigere in ordinem ouium.*

3. Argumen. Bellarm.

Num. 328. *Tertium argumentum eſt: Poteſt Paſtor, ac debet omnes oues ita paſcere, vt eis conuenit. Ergò poteſt, ac debet Pontifex omnibus Chriſtianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum ſecundum ſuum ſtatum tenetur, id eſt, ſingulos cogere, vt eo modo Deo ſeruiant, quo ſecundum ſuum ſtatum debent: debent autem Reges Deo ſeruire, defendendo Eccleſiam, puniendo hæreticos, & ſchiſmaticos, vt Auguſtinus docet in epiſt. 50. ad Bonifacium, Leo epiſt. 75. ad Leonem Auguſtum, & Gregorius lib. 2. epiſt. 61. ad Mauritium; ergò poteſt, ac debet Regibus iubere, vt hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliaſque commodas rationes.*

S. Auguſt. S. Leo. S. Greg.

Cenſura Aduerſary de 5. ratione Bellarmini.

Num. 329. *Hæc eſt quinta, & vltima ratio Cardinalis Bellarmini, in qua ipſe magis ignominioſè, quàm ſolidè ex officio Paſtoris probare contendit penes Pontificem eſſe auctoritatem Principes hæreticos deponendi. Immò hac ipſa ratione, qua ille probat poſſe Pontificem Principes propter hæreſim ſuis Principatibus pellere, plus probari videtur, quàm ipſe forſan expreſſis verbis libenter fateri velit. (Quamuis ex eius doctrina de Principum depoſitione neceſſaria conſecutione colligatur, vt ſuperius num. 43. & ſequentibus dictum eſt:) nempè Pontificem habere poteſtatem Reges, & Principes non ſolùm ob crimen hæreſis, ſed etiam propter alia quæcunque ſcelera, quæ extremo ſupplicio digna ſunt (ſi præſertim Eccleſiæ monitionem audire noluerint) non tantùm dominatu, verùm etiam vita priuandi, &c.*

1. Obiectio contra 5. rationem Bellarm.

Reſponſio.

Reſpondeo. Ratio Bellarmini fideliter tranſcripta eſt.

Quæ nu. 329. & 330. repetuntur ex num. 43. & ſequentibus de cæde Principum vel per ſententiam Pontificis, vel per occultos ſicarios ad ſoluendum argumentum Bellarmini nihil: ad conciliandam Pontifici, & Cardin. Bellarmino inuidiam, & ad Reges & Principes in Pontificem, id eſt, filios in parentem concitandos multùm faciunt. Qui autem tam prauam mentem homini, qui ſe Catholicum profitetur, inſpirauerit, non videtur alius fuiſſe, quàm *Satanas*, qui *expetiuit, vt cribraret Petrum, & coapoſtolos eius*, & ſucceſſores eius, *ſicut triticum*, Lucæ 22. ſed Dominus *orauit pro Petro, vt non deficiat fides eius: itaque portæ inferi nō præualebunt aduerſus eum.* Videat Lector, quæ ſuprà ſcripſimus cap. 4. ad num. 43. Nec enim neceſſum idem ſæpiùs repetere.

Luc. 22. Matt. 16.

2. Obiectio.

Num. 331. *Hæc igitur ratio Cardinalis Bellarmini non multum reipſa diſcrepat à ſecunda ſua ratione ſuperiùs commemorata num. 173. niſi quia ibi comparat Eccleſiam Regno, ſiue Reipublic. benè inſtitutæ, vt inde probet Summum Pontificem huius Reipubl. ſpiritualis Principem habere poteſtatem deponendi Principes hæreticos, qui Eccleſiam, & veram Religionem euertere ſtudent: hic verò Eccleſiam confert cum ouiaria optimè gubernata, vt hinc demonſtret penes Paſtorem eius eſſe omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum gregem tuendum, & conſequenter ad Principes hæreticos, qui tanquam lupi gregem deuaſtare nituntur, omni ratione, qua poterit, coercendos. Quapropter eadem penè Reſponſio, quā ibi ad illam rationem diſſoluendam adhibuimus, huic etiam ſatisfaciendæ accommodari poteſt.)*

Reſponſio Diſcrimē inter ſecundam, & quintam rationē Bellar.

Reſpondeo. Quinta Bellarmini ratio, & ſecunda multum à ſe inuicem differunt.

Primùm, in ſecunda ratione nulla propriè adhibita fuit ſimilitudo. Eccleſia enim non eſt ſimilis Reipublicæ, ſiue Regno; ſed eſt verè, & propriè Reſpublica Chriſtiana, & Regnum Chriſti: in quinta autem ratione ponitur ſimilitudo inter Eccleſiam, & ouile: interque Pontificem hominum, & Paſtorem pecudum.

Deinde, in ſecunda ratione conſiderabantur Principes temporales, vt capita Reipublicæ politicæ, quæ cum Republica Eccleſiaſtica facit vnam totalem Rempublicam Chriſtianam. Atque idcircò ibi diſputabatur de ordine, quem habent inter ſe duæ iſtæ poteſtates, Eccleſiaſtica, & politica. At in hac quinta ratione conſiderantur Principes temporales, vt arietes, ſiue vt oues maiores, quæ non minus ſubſunt Paſtori, quàm oues minores. Neque in hac ratione vllum locum habet comparatio poteſtatum, neque fingi poteſt, quomodo faciant vnum corpus, ſiue vnam Rempub. ſiue vnam Ciuitatem, Paſtores, & arietes, & oues.

Itaque ſolutio rationis ſecundæ accommodari

Digitized by Google

modari non poteſt ad rationem quiutam, niſi in hoc ſenſu: quod ſicut illa ſolutio perperam adhibita eſt ad rationem ſecundam infirmandam; ira perperam adhiberetur rationi quintæ diluendæ, vel vt Aduerſario per nouam Grammaticam dicere placuit, quintæ rationi ſatisſaciendæ. Si enim licet illi Canones Eccleſiæ conculcare, cur etiam non liceat Canones Grammaticæ violare?

Num. 332. *Nam ſiue Eccleſia conferatur cum Regno benè inſtituto, ſiue cum familia rectè gubernata, ſiue cum caſtrorum acie ordinata, ſiue cum naui in medio mari fluctibus agitata, ſiue cum ouiaria optimè cuſtodita, ſiue alio quouis modo comparetur, tota Poteſtas Rectoris ipſius, ſiue Rex, ſiue Paterfamilias, ſiue Dux, ſiue Nauarchus, ſiue Paſtor, aut alio quouis nomine nuncupetur, ſpiritualis eſt, & ex fine, qui ſpiritualis eſt, nempè animarum ſalute, peti debet,* &c.

Reſpondeo. Poteſtatem Summi Pontificis, vt talis, formaliter ſpiritualem eſſe, & eius finem eſſe ſpiritualem, nempè ſalutem animarum, verum eſt: at non minus verum eſt, ſpiritualem iſtam poteſtatem virtute ſe extendere ad temporalia, & præeſſe politicæ poteſtati, & poteſtatem politicam debere dirigi, & corrigi à poteſtate ſpirituali, quando poteſtas politica impedit finem poteſtatis ſpiritualis, vt ſuprà explicatum, & probatum eſt.

Sed, vt paulò antè dixi, in hac quiuta ratione, non agitur de ordine poteſtatum, ſed de officio Paſtoris erga lupos, & oues tum maiores, tum minores.

Num. 333. *Quocirca ſicut ibi diximus, Eccleſiam eſſe Rempubl. perfectam in ſuo genere, & habere omnem poteſtatem ſpiritualem neceſſariam, & ſufficientem ad ſuum finem conſequendum, quantum eſt ex parte ipſius poteſtatis: non tamen propterea vel habere poteſtatem ea omnia ponendi, aut remouendi, quæ exſecutionem ipſius poteſtatis, id eſt, vt animæ actu ſaluentur, adiunant, aut impediunt, vel etiam idcircò habere auctoritatem Reges propter hæreſim, aut infidelitatem deponendi, vel aliquos vita priuandi; cùm hæc poteſtas temporalis ſit, & Reipubl. ciuili, non Eccleſiaſticæ propria. Ita modo aſſerimus, Eccleſiam rectè comparari ouiariæ optimè cuſtoditæ, & cùm Petro dictum eſt, Ioann. vlt. Paſce oues meas, datam eſſe illi facultatem omnem, quæ Paſtori ſpirituali neceſſaria eſt ad gregem Domini tuendum, quantum eſt ex parte ipſius facultatis: neque idcircò habere facultatem ea omnia ponendi, aut tollendi, quæ ad hoc, vt facultas in actum ſuum exeat, neceſſario requiruntur: alioqui nulla ouis abſque Paſtoris negligentia perire poſſet ſi penes eum eſſet poteſtas, omnes & ſingulas ad ſalutem æternam actu perducendi. Neque etiam propterea habere omnem poteſtatem lupos, id eſt, hæreticos arcendi, ſed tantum ſpiritualem. Cùm igitur duæ tantùm ſint ſupremæ poteſtates, quibus mundus hic regitur, actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctæ, auctoritas nempè ſacra Pontificum, ſeu ſpiritualis, & regalis poteſtas, ſeu temporalis (vt initio diximus) immeritò ſanè Card. Bellarminus in hac ſua ratione vtriuſque poteſtatis actiones confundit, & ab vna in alteram artificioſè tranſilit.)*

Reſpondeo. Hæc ſæpiùs dicta, & repetita ab Aduerſario, & à nobis diluta ſunt. Vide Aduerſarium nu. 177. & ſeq. & noſtram reſponſionem cap. 6. num. 177. 178. 179. & 180.

Poteſtas Pontificis.

Dico igitur datam eſſe S. Petro, & ſucceſſoribus eius omnem poteſtatem neceſſariam ad gregem paſcendum, & defendendũ, & ad ſalutem æternam perducendum, quia data eſt illi poteſtas ſumma, plena, & efficaciſſima, ita, vt ſi aliquæ oues non ſaluantur, id non poſſit tribui defectui poteſtatis, ſed vel negligentiæ Paſtoris, vel culpæ ouium. Neque Bellarminus confundit actus poteſtatis Eccleſiaſticæ, & politicæ, ſiue ſpiritualis, & temporalis, neque ab vna ad aliam tranſitum facit: ſed affirmat in Republ. Chriſtiana poteſtatem ſpiritualem temporali præeſſe, eamque dirigere, & corrigere debere, cum deuiat; quod Aduerſarius non libenter admittit, ſed admittere, velit, nolit, debet ſi vlla in ipſius animo remanet ſacrorum Canonum veneratio: & ſi non ficto corde dixit initio libri, *Eccleſiam Romanam eſſe columnam, & firmamentum veritatis*. Qui ordinat poteſtates, & actiones earum, id quod facit Bellarminus, non vtique eas confundit: ſed qui ordinem tollit, quod facit Aduerſarius, is eas confundit.

Num. 135. (numer enim 334. in meo libro non inuenio, & credibile eſt, negligentia typographi notam illius numeri fuiſſe omiſſam) *ſed priuſquam tria hæc ipſius argumenta ex officio Paſtorali deſumpta ſpeciatim ſoluamus, quorum tamen ſolutio iam ex ſupradictis ſatis conſtat: obſeruandum eſt primò diſcrimen inter lupos, & arietes, & oues rationales, atq; rationis expertes: ex quo naſcitur, vt paſtor pecudum, & Paſtor hominum ſpiritualis, & temporalis non ſint eadem plane ratione ad inuicem comparandi. Lupus enim, qui animal brutum eſt, nequaquam fuit ouis, neque eſſe poteſt, & licitè occidi poteſt, non ſolùm à Paſtore, verùm etiam abſque Paſtoris licentia à quocunque priuato, cui cura ouium non eſt commiſſa. At Princeps hæreticus, qui lupo aſſimilatur, tum erat ouis aliquando, tum denuò eſſe poteſt, neque à quoquam priuato abſq; Paſtoris licentia interimi poteſt. Immò neque vllus, vt opinor, admittet, poſſe Paſtorem ſpiritualem priuatis hominibus licentiam concedere, vt talem lupum, qua poſſint arte, aut ſtratagemate occidant, quamuis, vt ſuprà diximus, illud ex hac doctrina de Principum depoſitione manifeſtè ſequatur.)*

Reſpondeo. Quod Aduerſarius dicit tria Bellarmini argumenta ex ſupradictis ſatis eſſe ſoluta, ipſemet refellit, dum tantoperè laborat, vt ea in ſequentibus ſoluat; ſed quam feliciter hactenus ea ſoluerit, & deinceps ſoluat, æquus Lector, vbi noſtram reſponſionem legerit, iudicabit.

Reſponſio ad 3. Obiect.

Principem hæreticum differre à lupo; quod lupus nunquam fuit, nec eſſe poteſt ouis: Princeps hæreticus fuit ouis, & rurſum eſſe poteſt. Deinde lupus à quolibet priuato occidi poteſt: Princeps hæreticus non item; agnoſcimus, neque ignorauit iſtud Bellarminus; ſed quid hoc ad rem faciat, neſcimus. Vel enim Aduerſarius intendit probare Principem hæreticum, vt hæreticum, non rectè comparari lupo: & tunc repugnat Chriſto, & Apoſtolo eius. Chriſtus enim Matth. ſeptimo ait: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus*

Princeps hæreticus lupo ſimilis.

Matth. 7.

autem

Actor. 20. *autem ſunt lupi rapaces*. Et Apoſtolus Act. vigeſimo. *Intrabunt lupi rapaces in vos non parcentes gregi*: Vel ſignificare voluit, hæreticum, & lupum non in omnibus ſimiles eſſe, & tunc fruſtrà laborat. Id enim commune eſt omnibus ſimilibus, vt non in omnibus conueniant: vel denique probare conatur hæreticum, & lupum non eſſe ſimiles in ea re, in qua eos Bellarminus in quinta ſua ratione comparuit & tunc manifeſtè decipitur. Non enim Bellarminus comparuit hæreticos lupis in eo, quod hæreticus prius fuerit ouis, & poſteà verſus ſit in lupum: neque in eo, quod à quocunque priuato impunè poſſit occidi: ſed cõparuit in eo, quod ſicut lupus inſidiatur ouibus eaſque crudeliter occidit: ita hæretici inſidientur Catholicis, crudeliterq; morſu falſæ prædicationis in eis fidem extinguant: & ruſus in eo, quod ſicut lupos Paſtores arcēt à grege quacunque arte poſſunt: ita debent Paſtores Eccleſiæ arcere hæreticos, quacunq; arte licitè poſſunt, à grege Eccleſiaſtico: neque deſcendit Bellarminus ad particulares modos eos arcendi, credo, ne Aduerſario, & ſimilibus Eccleſiæ hoſtibus calumniandi occaſionem præberet.

Aduerſarij calumnia. Quod in fine Aduerſarius adiungit; *Ex doctrina de depoſitione Principum manifeſtè ſequi poſſe Paſtorem ſpiritualem priuatis hominibus concedere, vt Principem hæreticum, quaſi lupum quendam, quauis arte, aut ſtratagemate poſſint occidere*, calumnia eſt atrociſſima, qualem alteram neſcio, ſi vnquam humanum pectus euomuit. Video planè Aduerſarium, *Actor. 8.* *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis eſſe*. Nam cum Bellarmini ſententia ſit a Catholica Eccleſia communiter recepta, & praxi etiam, eaque frequentiſſima confirmata; dum eam Aduerſarius, quam poteſt maximè inuidioſè proponit, & exagitat, nihil aliud ſibi propoſitum habere videtur, quam Chriſti Vicarium, Patrem, & Paſtorem, velit, nolit, ſuum in odium Principum, idque grauiſſimum adducere, & omnibus Theologis, & Iureconſultis Catholicis inuidiam conflare: immò verò apertè & ex profeſſo claſſicum canere, vt omnes Principes aduerſus Eccleſiam Dei ad arma commoueat: *ſed mentietur iniquitas* *Ex poteſtate deponendi, non ſequitur poteſtas occidendi Principes.* *ſibi*. Aliud enim longè eſt ob iuſtam cauſam aliquem deponere, aliud per ſicarios occidere. Sæpè enim licet deponere, cui non licet occidere; & ſæpè cauſa eſt iuſtæ depoſitionis, quæ non eſſet cauſa iuſtæ occiſionis. Quare, quidquid ſit de veritate conſequentis, quæ non venit in quæſtionem, nec ad propoſitum facit; negatur conſequentia, quam infert Aduerſarius, dum ſic colligit; Pontifex poteſt deponere Principes, ergò & occidere, &c. Non enim ſequitur ex poteſtate deponendi *Simile.* poteſtas occidendi. Ac vt id exemplis confirmemus; poteſt Pater filium certa de cauſa deponere à primogenitura, non poteſt tamen eum occidere, aut facultatem occidendi concedere. Poteſt Dominus famulum ſuum ab officio deponere, nec tamen occidere poteſt. Poteſt Rex Magiſtratum à Præfectura deponere ob aliquam culpam, ob quam non poterit eundem iuſtè necare. Poteſt Epiſcopus Clericum deponere, & non continuò poteſt occidere. Poteſt Summus Pontifex Epiſcopum aliquando iure deponere, & tamen non poteſt ob eandem cauſam iure de medio tollere.

Et Innocentius III. qui in Concilio Lateranenſi decreuit, Principes, qui purgare recuſant Prouinciam ſuam ab hæreticorum colluuie, priuandos eſſe Principatu, non decreuit occidendos, & multi Pontifices (quorum 28. ſuprà cap. 3. enumerauimus) Imperatores, vel Reges depoſuerunt: ſententiam mortis in eos nullus omnino eorum, nullus, inquam, tulit: quantò minus priuatis hominibus facultatem Pontifices dederunt, vt eoſdem quauis arte, aut ſtratagemate poſſent occidere? Et quamuis hæretici obſtinati, vel relapſi mortis ſupplicio digni ſint: tamen Eccleſiaſtica Lenitas, quæ Cruentas Refugit Vltiones, vt S. Leo docet in epiſt. ad Turbium *S. Leo.* Aſturicenſem Epiſcopum, contenta eſt, ſi hæreticos declaratos relinquat brachio ſæculari, condigno ſupplicio puniendos.

Num. 336. *Deinde arietes irrationales, ita ſunt de grege, vt in omnibus Paſtoris regimini ſubijciantur, neque ipſi alterius gregis Paſtores ſunt deſignati: at verò arietes rationales, quales iuxta Card. Bellarminum ſunt Principes temporales: tametſi quoad aliqua, nempè ſpiritualia, Paſtori ſpirituali ſubduntur; quoad temporalia tamen ſunt etiam Domini abſoluti, & Paſtorem ſpiritualem, vt ſuperiorem non recognoſcunt: ſed & ipſi alterius gregis, nempe ſtatus politici ſunt à Deo Paſtores conſtituti. Vnde 1. Paralipom. 11. dicitur de Dauide Rege; Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Princeps ſuper eum. Et Iſaiæ 44 dicit Dominus de Cyro Rege; Qui dico Cyro, Paſtor meus es.*)

Reſpondeo. Aduerſarius vel intendit, *Principes ſimiles ſunt arietibus.* non rectè comparari Principes cum arietibus & tunc ſicut numero ſuperiore contra verbũ Chriſti, & Apoſtoli probare voluit, Principes hæreticos non rectè comparari lupis: ità nunc contra Prophetam Ieremiam probare nititur Principes temporales, non rectè ſimiles arietibus dici. Sic enim loquitur Ieremias Thren. 1. *Facti ſunt Principes eius, velut arietes non inuenientes paſcua*. *Thren. 1.* Vel ſignificare vult Principes, & arietes non in omnibus conuenire: & tunc nihil dicit, niſi quod omnes ſciunt, & nemo negat. Vel denique probare conatur, Principes temporales non conuenire cum arietibus in eo, quod Bellarminus in quinta ſua ratione præſupponit. Et tunc reſpondeo, illud à Card. Bellarmino ſpectatũ eſſe, quod arietes irrationales ſuo quodam modo præſunt ouiculis, eaſque præcedunt, dum iter faciunt, & quadam veluti poteſtate, vel tuentur, vel caſtigant. Vnde & Duces gregis appellari ſolent. Ob quam ſimilitudinem à Ieremia Propheta *Principes, velut arietes* nominati ſunt.

Quod Aduerſarius dicit, *Principes quoad temporalia eſſe Dominos abſolutos, & Pontificem, vt ſuperiorem non recognoſcere*, niſi rectè explicetur, falſum eſt. Nam ſunt quidem Principes aliqui Domini abſoluti, quia non ſunt feudatarij Regum, neque vlli Principi temporali ſubijciuntur: & in cauſis merè politicis ſuperiorem in temporalibus non recognoſcunt: tamen Summo Pontifici ita ſubiecti ſunt, vt politica eorum poteſtas à ſpirituali Pontificis poteſtate dirigi, & corrigi poſſit, in ordine ad finem ſpiritualem, vt ſępè diximus.

O Num.

Digitized by Google

Num. 337. *Denique oues rationis expertes nulla prorſus habent arma, quibus vel lupo noceant, vel ſe ab eius incurſu tueantur: at oues ſpirituales habent arma ſpiritualia, quibus cum gregis Dominici hoſte fortiter pugnent, & ab eius inſidijs incolumes ſe ſeruent. Immò neque ab ipſo niſi volentes lædi poſſunt. Quo fit, vt in Paſtore ſpirituali non ſit neceſſaria tanta poteſtas, ad lupos arcendos ſolùm propter ſpiritualem Dominici gregis ſalutem, quanta neceſſaria eſt Paſtori pecudum ad oues inermes à crudelitate lupi liberandas, cum oues ſpirituales plurima habeant arma, quibus omnes inimicorum ſuorum impetus, inſidiaſque vitare poſſunt. Sed attende, qualia armorum genera ouibus Chriſti aſſignet S. Paulus 2. Corinth. 10. In carne, inquit, ambulantes non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ, non carnalia ſunt; ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum. Et ad Epheſ. 6. Induite, inquit, vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem &c. Vnde gloſſa ſuper hunc locum, Induite vos, inquit, armaturam Dei, id eſt, virtutibus, quæ ſunt arma militum Chriſti.*)

Reſpondeo Primò. Hæc procedunt ex ignorantia ſpiritualium periculorum, & ſi quid probarent, etiam probarent ipſos animarum Paſtores ſuperuacaneos eſſe. Quid enim? *Oues Chriſtianæ*, inquit Aduerſarius, *niſi volentes lædi non poſſunt, & habent arma ipſa ſpiritualia, quibus ſe tueri, omnes inimicorum impetus, & inſidias vitare, ſeque incolumes ſeruare queunt.* Quid ergò reſtat aliud, quàm vt Paſtores aut procul abigant, aut ſaltem non magni faciant, ſed ſuis ſemet armis incolumes tueantur, & ſeruent? Ita profectò velle videtur Aduerſarius. At alio longè ſpiritu plenus erat, qui dicebat; *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, Actor.* 20. Et, *Teſtificor coram Deo, & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, per aduentum ipſius, & regnum eius: prædica verbum, inſta opportunè, & importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Et: *Tù verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, 2. *Timoth.* 4. Et ille: Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes, &c. 1. Petri 5. Vide Dialogos Sancti Ioan. Chryſoſtomi de Sacerdotio, & librum Paſtoralem Sancti Gregorij Papæ, ſi vis intelligere, quam ſit neceſſaria cura Paſtorum ouibus rationalibus. Certè multò, immò infinitis partibus magis, quã irrationalibus. Nam quamuis oues irrationales non habeant arma, quibus lupos ferire poſſint: habent tamen pedes, quibus velociter fugiant; habent vocem, qua auxilium inuocent; habent comites canes, qui pro illis aduerſus lupos fortiſſimè dimicent; & quod caput eſt, habent hoſtem vnum, aut certè paucos, eoſque viſibiles, & qui eadem arte ſemper depugnant, quique vitam temporalem ſolùm auferre poſſint, quam omninò breui amiſſuræ ſunt, etiamſi nulli adeſſent lupi.

Paſtores neceſſarij ſunt populo Chriſtiano.

S. Paulus Act. 20.

1. Timot. 4.

1. Pet. 5.

Antitheſis inter oues rationales, & irrationales.

Oues autem rationales habent quidem arma virtutum, & donorum Spiritus Sancti ſi piæ ſint: ſed ſi gratia Spiritus Sancti careant, quarum numerus maximus eſt, valde inermes inuenientur.

Deinde oues rationales, quantumuis armatæ, hoſtes habent innumerabiles, inuiſibiles, aſtutiſſimos, ferociſſimos, ſummè immites, crudeliſſimos, quibus *nomina mille, mille nocendi artes*, qui non contenti morte corporali mortem ſempiternam & corpori, & animæ adferre totis viribus moliuntur: habent demum tempus nullum, nec inſtans quidem ſecurum, & vacuum tentationibus, & inſidijs. Quare nihil magis neceſſarium, quã vigilans cura, & ſollicitudo Paſtorum.

Reſpondeo Secundo. Aduerſarius mutat terminos quæſtionis. Bellarminus dixit requiri poteſtatem in Paſtore ad arcendos lupos hæreticos explicauit; & rurſum, ad prohibendam iniuriam Arietum in ouiculas, & per arietes Principes temporales ſignificari oſtendit: Aduerſarius autem ita diſputat, ac ſi per lupos, & arietes, diabolos Bellarminus intelligi voluiſſet. De Diabolo enim intelligitur, quod ipſe dicit, *Oues à lupo lædi non poſſe, niſi volentes.* Et de Diabolo diſertis verbis loquitur Apoſtolus, ad Epheſ. 6. *Induite*, inquiens, *vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Non enim eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Et infrà: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere.* Itaque Bellarminus loquitur de poteſtate Pontificis ad hæreticos Principes coercendos: Aduerſarius reſpondet de poteſtate reſiſtendi tentationibus Satanæ. Et tamen gloriatur ſe rationes Bellarmini faciliimè euertiſſe.

Hæretici ſunt lupi.

Diabolus eſt lupus.

Epheſ 6.

Inſtantia Aduerſarij.

Num. 339. (Nam hic etiam deeſt num. 338. vel erratum eſt in notis numerorum ſignandis.) *Secundò obſeruandum eſt, duplex reperiri genus Paſtorum; vnum eorum, qui ſolùm ſunt Paſtores ouium: alterum eorum, qui & ouium Paſtores, & ſimul Domini ſunt. Inter has illud eſt diſcrimen, quod Paſtores ſecundi generis plenum habeant dominium, & poteſtatem quaſi illimitatam ſuper gregem, adeò vt ſi oues, vel à grege errantes, vel ſcabie inquinatas, aut alio quouis modo gregi moleſtas repererint, poſſint illas, aut recludere, aut ſi magis placuerit, etiam mactare. Hæc tamen poteſtas non illis competit, quà Paſtores ſunt, ſed quà ouium ſunt Domini. At Paſtoribus primi generis eſt quidem cura ouium concredita, ſed anguſtioribus terminis limitata. Nam & gregem paſcendi cura illis quidem ex officio incumbit, adeoque munus illorum eſt de conuenienti pabulo omnibus prouidere; ſi à grege deuiauerint, voce, baculo, canibus ad gregem reuocare; ſi ſcabie, aut alia contagione conſperſæ fuerint, eas à reliquis ſeparare, & remedium opportunum quantocyùs adhibere: Denique à luporum, omniumque ferarum incurſibus in quantum poſſunt, ac debent, eas incolumes ſeruare. Verum tamen neq; oues erraticas, aut morbo infectas aut alio modo gregi infeſtas, Domino non conſulta, interficere vllatenùs illis licet, cùm ſolum Paſtores ouium, & non Domini exſiſtant. Quando itaque Summus Pontifex, cui cura Dominici gregis eſt commiſſa, Paſtori aſſimilatur, eiuſmodi comparatio Paſtoribus primi generis accommodanda eſſe videtur.*)

Reſpondeo. Hæc doctrina vera eſt, ſi per Paſtores ſecundi generis intelligantur Paſtores,

Digitized by Google

ſtores, & Domini ouium rationis expertium, quales erant Sancti Patriarchæ, Abraham, Iſaac, Iacob, Iudas, & alij, qui Domini erant ouium, quas paſcebant. Quod ſi Aduerſarius per Paſtores ſimul, & Dominos intelligat Epiſcopos illos, qui Principes etiam temporales ſunt, non propriè loquitur. Principes enim temporales etiam ſupremi, non Domini ſunt hominum ſibi ſubiectorum; ſed Paſtores, & Principes, qui vt *miniſtri Dei* populos regunt, & eidem Deo, qui ſolus propriè Dominus eſt omnium hominum, rationem reddent adminiſtrationis ſuæ. Proinde poſſunt quidem gladio punire ſontes; ſed eos, qui verè ſontes ſunt, non pro arbitrio quoslibet. Sic enim loquitur Apoſtolus ad Rom.

Rom. 13.

13. *Si malefaceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malè agit.* Et infrà: *Miniſtri*, inquit, *Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.* Et Sapiens, Sap. 6. cap. *Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cùm eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Atque hoc ſignificat illud Iſaiæ 44. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es*, id eſt, Tu es Paſtor à me conſtitutus ſuper oues meas. Et illud 1. Paralip. 11. *Tu paſces populum meum Iſrael*, id eſt, tu reges populum meum, non tuum, cuius ego ſum Dominus, non tu. Quomodò Chriſtus Petro dixit, Ioan. vlt. *Paſce oues meas*, id eſt, populos, quorum ego ſum Dominus. Quam veritatem cognouit, & publicè profeſſus Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio Tranquillo, Domini appellationem, vt maledictum, & opprobrium ſemper exhorruit, & Dominum ſe appellari nec ioco, nec ſeriò paſſus eſt.

Sap. 6.

Iſaia 44.

1. Paral. 11.

Ioan. 21.

Auguſt. Imp. noluit vocari Dominus.

Num. 340. *His obſeruatis ad rationem*
» *Card. Bellarmini reſpondetur, Paſtorem tam tem-*
» *poralem, quàm ſpiritualem, vnumquemque in*
» *ſuo gradu triplicem habere poteſtatem, ſeu circa*
» *tres perſonas poteſtatem habere circa lupos, circa*
» *arietes, & circa oues. Habet enim Paſtor ſpiri-*
» *tualis poteſtatem populum Chriſtianum regendi,*
» *& à Chriſtianæ fidei hoſtibus defendendi, ſed ſpi-*
» *ritualem. Habet etiam Princeps temporalis po-*
» *teſtatem eoſdem homines gubernandi; & à pacis*
» *publicæ perturbatoribus vindicandi, ſed tempora-*
» *lem; adeò vt nec Princeps temporalis vſurpare*
» *auctoritatem ſpiritualem, nec Princeps ſpiritua-*
» *lis poteſtatem temporalem ſibi arrogare debeat;*
» *vterque tamen in ſuo genere habet poteſtatem ſuf-*
» *ficientem, quantum eſt ex parte poteſtatis, Chri-*
ſtianæ Reip. gubernacula moderandi:

Num. 341. *Habet namque Paſtor Eccleſiæ auctoritatem ſibi à Chriſto traditam oues dominicas tum doctrina ſacra, tum Sacramentorum, Eucharistiæ potiſſimum pabulo reficiendi, &c.*)

Reſpondeo. Verum quidem eſt, poteſtatem Paſtoris ſpiritualis eſſe ſpiritualem, & in paſcendo grege verbo prædicationis, & Sacramentorum adminiſtratione, bona ex parte conſiſtere: ſed verum etiam eſt, ſpirituali poteſtate poſſe Paſtorem diſponere de temporalibus, in ordine ad finem ſpiritualem; poſſe quoque temporalibus pœnis oues quandoque plectere, vt ſuprà ex Concilijs manifeſtè probaui, cum Aduerſarius ad ſua dicta probanda nihil attulerit, niſi quod hoc loco num. 340. ad marginem citat S. Bernardum, qui lib. 4. de conſiderat. cap. 4. ait: *Dracones me mones paſcere, & ſcorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, ſed verbo, non ferro.*)

S. Bernard.

Sed hic locus nihil facit pro Aduerſario. Nam per *Dracones, & Scorpiones*, non intelligit S. Bernardus hæreticos, aut Principes perſecutores, ſed domeſticos adulatores, & improbos aulicos, quos verbo exhortationis ad ſanam mentem, & bonos mores conuertendos monet, non ferro trucidandos, vt occidi ſolent veri Dracones, & veri Scorpiones irrationales. Quid hoc ad rem præſentem? quis vnquam negauit homines peccatores paſcendos verbo eſſe, vt conuertantur, non occidendos gladio, præſertim ab Epiſcopo, vt iam non ſint, qui conuerti poſſint.

Explicatur locus S. Bernardi.

Num. 342. *Ad primum argumentum reſpondetur primò, eo, niſi rectè intelligatur, probari primùm, non ſolùm Principes hæreticos, & infideles ſi populum ad infidelitatem pertrahant;*
verùm etiam malos Principes, & ſcandaloſos »
Pontifices, qui Epiſcopatus vendunt, Eccleſias »
diripiunt, &c. poſſe ſuis dominijs priuari. Nam quamuis hæretici antonomaſticè lupi *dicantur, attamen vt S. Auguſtinus tradit, & mali homines, atque hypocritæ* lupi *etiam appellantur.*

1. Reſponſio Aduerſarij ad 1. Argumentum Bellarm.

Lib. 6. contra Iulian. c. 7. & de conflictu vitior. & virtutum, c. 4.

Deinde, hoc etiam argumento, niſi rectè ex- »
plicetur, probari videtur, poſſe hæreticos, & ma- »
los Principes, & forſan malos Pontifices non ſo- »
lùm dominijs ſuis priuari, verùm etiam per inſi- »
dias à quocunque trucidari, ſi alioquin à grege va- »
ſtando cohiberi nequaquam poſſint ſicut quilibet »
interficiendi lupos poteſtatem habet.

Reſpondeo. Hæc ſolutio nihil omninò valet, quatuor de cauſis.

Primò, quia, vt in ſcholis dici ſolet, inſtantiam adferre, non eſt ſoluere argumentum.

Secundò, quia non ſequitur ex argumento Bellarmini poſſe priuari dominio ſcandaloſos Pontifices. Nam, vt ſuprà demonſtraui, Summus Pontifex (de hoc enim eſt ſermo) non habet Iudicem ſuper terram, niſi in caſu hæreſis: in caſu autem hæreſis: non eſt inconueniens, poſſe eum priuari Principatu non ſolum temporali, ſed etiam ſpirituali. Eo enim caſu ex Paſtore fit lupus antonomaſticè, de quo ſolo Bellarminus in ſuo argumento locutus eſt.

Pontifex nō habet in terris iudicem, niſi in caſu hæreſis.

Tertiò, Princeps, qui Epiſcopatus venderet, Eccleſias diriperet, & alia id genus grauiſſima crimina contra Religionem Chriſtianam admitteret, de hæreſi ſuſpectus eſſet, & poſſet a Paſtore ſpirituali aduerſus eum, tanquam contra lupum rationalem iuridicè procedi, & ipſe conuictus pro qualitate criminis puniri. Neque enim omnia Principum crimina depoſitionem à Principatu merentur.

Quartò, Quamuis verum ſit, lupum rationis expertem poſſe à quolibet priuato occidi, quoniam bellum eſt commune omnibus hominibus cum lupis irrationalibus: & habent omnes homines dominium à Deo ſuper eiuſmodi feras, quæ certum Dominum non habent: non tamen eſt verum, poſſe à quouis priuato occidi Principem hæreticum, vel

Digitized by Google

Princeps hæreticus non poteſt à quouis occidi.

aliàs dignum morte: quoniam non eſt ſimile bellum omnibus priuatis cum Principe hæretico: neque habent homines priuati dominiũ, aut poteſtatem ſuper Principes, ſed è contrario habent Principes ſuper priuatos homines poteſtatem. Neque debent ſimilitudines in omnibus conuenire, vt ſuprà oſtendimus.

2. Reſp. Aduerſarij ad 3. argument. Bellarm.

Num. 343. *Reſpondetur ſecundò concedendo antecedens, nimirum hæreticos rectè dici lupos ſicut etiam lupi ſunt infideles, ſi alios ad infidelitatem pertrahant. Ad conſequentiam dico, poſſe Paſtorem Eccleſiæ Principem hæreticum per excommunicationem, & cenſuras ſpirituales arcere. poſſe etiam iubere populo, ne eum ſequantur in ſua hæreſi, aut in alia quauis re illicita. Veruntamen ſi Card. Bellarminus intelligat, poſſe Paſtorem Eccleſiæ iubere populo Chriſtiano, ne Principem infidelem, aut hæreticum in rebus licitis ſequantur, ſiue obediant in iis, quæ abſque ſuæ ſalutis diſpendio præſtare poſſunt, illud, præterquam quod gratis aſſumit, quodque ab eo non eſt adhuc ſufficienter probatum, ſanctorum etiam Patrum doctrinæ euidenter repugnat.*

Num. 344. *Audi enim quid dicant veteres Sancti Patres, S. Ignatius epiſt. ad Antiochenos; Cæſari, inquit, ſubiecti eſtote in iis, in quibus ſubdi, nullum animæ periculum eſt. Iuſtinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium: Proinde, inquit, nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inſeruimus, Imperatores, ac Principes hominum eſſe profitentes, &c.)*

Reſpondeo deberi obedientiam Principibus etiam infidelibus, dum Principes ſunt, non ſolùm ex Patribus, verùm etiam ex verbo Dei Catholici conſtantiſſimè docent: quãdo autem vel per legitimam depoſitionem, vel alio modo Principes eſſe deſierunt nulla eis debetur obedientia. Itaque Bellarminus non negat, Principi eſſe obediendum in rebus licitis, dum Princeps eſt: ſed dicit, poſſe Principem hæreticum à Principatu legitimè deiici: & tunc poſſe imperari populo, nè illi obediat vllo modo.

Num. 345. *Quocirca de Iure diuino eſt (quod prædicti Patres explicarunt) vt populus fidelis Principibus infidelibus in rebus licitis obediat: qua igitur auctoritate fultus poteſt Summus Pontifex contra ius diuinum prohibere populo fideli, ne Principis ſui, tametſi infidelis, aut hæretici, in rebus honeſtis imperium exſequatur, vt ex hac prohibitione Princeps dominio ſuo in ſubditos priuetur? Non enim in verbis iam allatis ait Cardinalis Bellarminus, poſſe Pontificem priuare Principem hæreticum, aut infidelem ſuo dominio, aut vſu eius, & proinde poſſe iubere populo, ne eum ſequantur, quæ conſequentia multò congruentior fuiſſet: ſed è conuerſo dicit, poſſe Pontificem iubere populo, ne Principem hæreticum ſequantur, & proinde poſſe priuare eum ſuo dominio, quaſi priuatio dominij eſſet effectus conſequens prohibitionem Pontificis, ne populus ſuo Principi obedientiam præſtet, cùm tamen prius oporteat Principem dominio ſuo, aut vſu eius priuari, quam poſſit populus probiberi, ne in rebus licitis eius imperio obtemperent. Nam imperium in Principe, & obedientia in ſubdito, ſunt iure diuino ex neceſſitate connexa, & vt rectè docet Cardin. Bellarminus lib. 2. de Monarchia, cap. 19. omne membrum ſubiectum eſſe debet capiti, & omnis filius Parenti iure naturæ ſubiicitur.)*

Reſpondeo. Dictio illa, ***Proinde***, in argumento Bellarmini non ſignificat effectum conſequentem, ſed ſimplicem conſequentiam, in qua vnum ſequitur ex altero, non quia vnum ſit cauſa alterius, ſed quia vnum includit alterum, ſiue eſt idem cum altero. Sicut, ſi dicamus; Dies eſt, proinde Sol lucet: eſt homo, proinde animal rationale Sic igitur dixit Bellarminus: Poteſt Paſtor iubere populo, vt non ſequatur Principem hæreticum, proinde priuare illum dominio, quod eſt idem, ac ſi Principem illum dominio priuaſſet. Non enim Summus Ponrifex iubere ſolet populo, ne Principi obediat, niſi poſteaquam eundem populum à fidelitatis iuramento abſoluit. Abſoluere autem populum à iuramento fidelitatis, & priuare Principem auctoritate in populum, idem ſunt.

Excommun. non habet ex ſe adiunctã priuationem dominij.

Num. 346. 347. & 348. docet ex Franciſco Suario, & aliis in excommunicatione non contineri per ſe priuationem dominij, quod tùm verum eſt, tùm à Bellarmino in hoc ipſo argumento ſatis clarè affirmatur, cùm dicit; *Poterit Paſtor eum arcere per excommunicationem, & ſimul iubere populo, ne eum ſequatur, proinde priuare eum dominio in ſubditos:* Vbi duo diſtinctè poſuit, arcere per excommunicationem, & abſoluendo ſubditos à iuramento iubere eis, vt Principem illum non ſequantur, vt qui dominio ſit, atque auctoritate priuatus. Quæ duo habentur in Concilio Lateranenſi ſæpè citato, cap. 3. vbi Epiſcopis tribuitur, vt excommunicent Principes fautores hæreticorum; ſummo autem Pontifici reſeruatur, vt denunciet populos à iuramento fidelitatis abſolutos, & terras eorum Principum exponat Catholicis occupandas.

Reſp. Aduerſarij ad 2. Argum. Bellarmin.

Num. 349. *Ad 2. reſpondetur, penes Paſtorem gregis Dominici eſſe auctoritatem Principes malos per cenſuras Eccleſiaſticas recludendi, & ſeparandi à reliquo grege, quoad ea, quæ ad negotia Eccleſiaſtica ſpectant, qualia ſunt Sacramentorum perceptio, ſacrorum rituum participatio, & huiuſmodi; immò & in aliquo caſu illos à Dominico ouili exterminandi plenam poteſtatem habet. Verùm meminiſſe etiam oportet, Principes malos eſſe eiuſmodi arietes, & Paſtori Eccleſiaſtico in rebus ſpiritualibus ſubiectos, vt ipſi quoque in temporalibus ſupremi Paſtores alterius gregis, politici nimirum exiſtant. Non pertinet autem ad Pontificem oues, aut arietes ex tali politico ouili, ſed ex ſuo duntaxat, nempè Eccleſiaſtico eiicere, vel talem Paſtorem politicum officio ſuo priuare, cùm huiuſmodi poteſtas temporalis ſit, & ad poteſtatem ciuilem, non ſpiritualem pertineat.)*

Reſpondeo. Similitudo ab ariete ſumpta non ſolùm probat, poſſe à Paſtore ſpirituali Principem noxium Religioni, priuari Sacramentis, & aliis rebus ſacris; ſed etiam poſſe excludi à commercio fidelium; ita vt non valeat eos veneno ſuę infidelitatis imbuere & occidere. Ad hoc autem non ſufficit, excludere à Sacramentis; ſed neceſſe eſt excludere ab auctoritate regendi populos etiam politicè. Sicut aries furioſus non ſolum recluditur intra carcerem, vt non poſſit cum reliquo grege paſci, ſed neque poſſit gregem cornibus petere.

Quod

Digitized by Google

Quod dicit Aduerſarius, *poteſtatem Pontificis eſſe ſpiritualem non temporalem, & conſequenter non poſſe per eam eijci Principem temporalem è grege politico*: iam ſuprà ſæpius repetiuit, & ſæpius reſponſum eſt: Poteſtatem Pontificis eſſe ſpiritualem; ſed huic ſpiritnali Pontificis poteſtati ſubiectam eſſe principum temporalium politicam poteſtatem, & gladium eſſe ſub gladio: & conſequenter poſſe Pontificem per ſpiritualem ſuam poteſtatem iudicare de poteſtate politica, eamque dirigere & corrigere; & quando iuſta cauſa adeſt, eandem ab vno ad alium poſſe transferre.

Num. 350. *Multò fortaſsè aptiùs accomodari poſſet prædictum Bellarmini argumentū Prælatis Eccleſiaſticis, qui magis propriè ſunt arietes gregis Dominici, ſiue Eccleſiæ, quam ſint Principes temporales. Habet cum ſupremus Eccleſia Paſtor poteſtatem huiuſmodi arietes, ſi furioſi euadant, & ouile deſtruant, recludendi, & prohibendi, ne gregem vlterius præcedant, cum tota poteſtas hæc ſpiritualis ſit, & Reip. ſpirituali aptiſſimè conueniat.)*

Reſpondeo. Verum eſt, poſſe argumentum Bellarmini ſatis aptè accomodari ad Prælatos inferiores, quorum quoque Paſtor eſt Summus Pontifex: at falſum eſt, quod arietum ſimilitudo aptiùs conueniat in Prælatos Eccleſiæ, quàm in Principes ſæculi. Nam ſancti Apoſtoli, Petrus & Paulus Prælatos Eccleſiæ non arietes, ſed Paſtores vocant,

1. Petri 5. 1. Petri 5. *Seniores qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Domini: & cum apparuerit Princeps Paſtorum, accipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Act. 20. Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et Summi Pontifices in litteris ad Epiſcopos, non eos filios, quaſi oues, aut arietes, ſed *venerabiles Fratres, & Coepiſcopos*, id eſt, Compaſtores appellant, & vt gregem ſibi commiſſum diligenter paſcant, ſeriò admonent.

Reſp. Aduerſarij ad 3. argument Bellarm.

Num. 351. *Ad tertium reſpondetur ſimiliter, poſſe Paſtorem Eccleſiæ Principes Chriſtianos cogere per excommunicationem aliaſque animaduerſiones ſpirituales, vt eo modo Deo ſeruiant, quò ſecundum ſtatum ſuum tenetur; non tamen poteſtatis ſpiritualis limites excedere debet. At pæna capitis, membrorum mutilatio, dominiorum temporalium priuatio, cæterarumque temporalium pænarum inflictio intra fines ſpiritualis poteſtatis iure Euangelico non continentur. Quapropter explicari debuiſſet Card. Bellarmin. quid per illas commodas rationes, quas in fine adiungit, intelligi velit. Neque enim ſatis commodum eſt, poteſtatis Eccleſiaſticæ, & ciuilis actus, & officia commiſcere, aut ab vna in aliam in eadem argumentatione tranſilire: ſicut non ſolum in hac ratione, ſed & in præcedentibus ſæpius eum feciſſe ſuis locis animaduertimus. Neq; exiſtimo huiuſmodi argumentationem rationi à Card. Bellarm. conſtructæ, non omninò abſimilem, fore vt ſatis commodam ab eo approbandam.*

Num. 352. *Reges, & Principes Chriſtiani, quantum ad ciuilia, ſunt Paſtores populi Chriſtiani. atque etiam ipſius Eccleſiæ Protectores, ac defenſores conſtituti: ergo habent omnem poteſtatem neceſſariam ad populum Chriſtianum gubernandum, & Eccleſiam à luporum, aliorumque Eccleſiæ hoſtium vaſtationibus protegendam; ſed Pontifices, qui pacem publicam iniuriosè perturbant Eccleſiæ hoſtium vaſtationibus protegendam; ſed Pontifices, qui pacem publicam iniuriosè perturbant, Eccleſias diripiunt, Epiſcopatus vendunt, innocentes opprimunt, aut ſimilia facinora perpetrant, ſunt lupi, & hoſtes tum Eccleſiæ, tum ſtatus politici: Ergò & Principes Chriſtiani habent poteſtatem illos coercendi, & cogendi omni ratione, qua poterunt, nè Eccleſiæ, & Reip. politicæ ruinam moliantur.*

Reſpondeo. Verum eſt, Paſtorem ſpiritualem non debere excedere limites ſuæ poteſtatis ſpiritualis: at falſum eſt, intra eos limires ſuæ poteſtatis ſpiritualis: at falſum eſt, intra eos limires non contineri temporales aliquas pœnas, & ipſam etiam dominij, ſiue Principatus priuationem. Contineri enim eas pænas intra fines Eccleſiaſticæ poteſtatis ſæpè in hoc libro oſtendimus ex decretis generalium Concilium, & Canonibus: Aduerſarius autem non probauit contrarium.

Quæ ſint *commodæ rationes*, quibus à Summo Pontifice coerceri poſſunt principes ſæculi, quando non ſeruiunt Deo, vt ſtatus eorum requirit, non difficile eſt ex ſacris Concilijs alijſque Eccleſiaſticis conſtitutionibus colligere.

Quod dicit, non eſſe *commodam rationem; actus, & officia poteſtatum commiſcere, in eadem argumentatione ab vna ad aliam tranſilire*: verum eſt: ſed id à Bellar. vel in quinta ratione, vel in alijs factum, mera calumnia eſt.

Denique argumentatio, quam *Bellarminianæ rationi non omninò abſimilem eſſe* dicit, talis eſt ſimilis rationi Bellarm. quam ſimile eſt nigrum albo, frigidum calido, mendaciū veritati, Belial Chriſto. Certè enim inter Pontificem, & Principes Chriſtianos reſpectu populi Chriſtiani, ſiue Eccleſiæ Dei, tanta eſt diſparitas, quanta poteſt eſſe maxima. Pontifex immediatè habet à Chriſto ſupremam abſolutè in terris poteſtatem ſuper vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam, quæ Principes, & populos, Clericos, & Laicos complectitur: At Principes politici immediatè à iure humano habent poteſtatem ſuam, non ſuper Pontificem, neque ſuper vllum Eccleſiaſticum, ſed ſuper laicos duntaxat ſuæ ditioni ſubiectos. Quare argumentum Bellarm. rectè concludit: *Poteſt*, inquit, *ac debet Paſtor omnes oues ita paſcere, vt eis conuenit: ergò poteſt, ac debet Pontifex omnibus Chriſtianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum ſecundum ſuum ſtatum tenetur ideſt ſingulos cogere, vt eo modo Deo ſeruiant, quo ſecundum ſuum ſtatum debent.* (quia nimirum omnes omninò Chriſtiani, etiam Reges, & Principes Summo Pontifici iure diuino ſubditi ſunt velut oues paſtori:) *debent aut Reges* (Chriſtiani) *Deo ſeruire defendendo Eccleſiam, & puniendo hæreticos, & ſchiſmaticos: ergò poteſt, ac debet Pontifex Regibus iubere vt ea faciant, & niſi fecerint etiam cogere, &c.* Argumentatio autē Aduerſarij non rectè concludit, dum ſic infert; *Reges & Principes Chriſtiani, quantum ad ciuilia, ſunt Paſtores populi Chriſtiani, atque etiam ipſius Eccleſiæ Protectores, ac defenſores conſtituti; ergò habent omnem poteſtatem neceſſariam ad Populum Chriſtianum gubernandum,*

Digitized by Google

dum, & Eccleſiam à luporum, aliorumque Eccleſiæ hoſtium vaſtatione protegendam; ſed Pontifices, qui pacem publicam perturbant, &c. ſunt lupi, & hoſtes tum Eccleſiæ, tum ſtatus politici. ergò & Principes Chriſtiani habent poteſtatem illos coercendi, &c. Hęc, inquam, Aduerſarij argumentatio non rectè concludit. Nam ad Antecedens Maioris reſpondeo: Reges, & Principes Chriſtiani, quantum ad ciuilia ſunt Paſtores populi Chriſtiani, ſinguli nimirum quoad laicos ſuæ ditioni ſubiectos, & ijdem Reges, & Principes ſunt oues Summo Pontifici iure diuino ſubiectæ, in ſpiritualibus. quidem directè, & immediatè in temporalibus verò quatenus ea ad ſpiritualia ordinantur. Deinde ijdem *Reges, & principes ſunt Eccleſiæ protectores, ac defenſores conſtituti*, non vt capita, ſed vt brachia ſub vno capite: non vt Patres, ſed vt filij primogeniti ſub vno Patre: non vt Paſtores, ſed vt arietes ſub vno Paſtore: non vt Domini, ſed vt miniſtri, non vt iudices, ſed vt executores.

Ad conſequentiam (*ergo habent omnem poteſtatem neceſſariam ad populum Chriſtianum conſeruandum, & Eccleſiam, a luporum, aliorumque Eccleſiæ hoſtium vaſtationibus protegendam*) dico eam eſſe falſiſſimam, & perquam abſurdam.

Nam quis Principibus ſæculi omnem illam poteſtatem contulit? Chriſtum Deum, ac Dominum noſtrum. S. Petro, eiuſque ſucceſſoribus officium *paſcendi oues ſuas, confirmandi fratres ſuos, curam totius Eccleſiæ, primatum omnium, & præfecturam orbis demandaſſe*, nos ſacræ litteræ, & conſentiens Patrum auctoritas præter infinita alia docent: quis eam Pontifici ademptam in Principes ſæculi tranſtulerit, non legi, non ſcio: hoc ſcio, iure neminem facere poſſe. Sed ea de re ſatis copioſè pro noſtro quidem inſtituto, egimus ſupra cap 6. ad num. 117. Quod ſi Reges habent omnem poteſtatem, &c. ad quid quæſo Chriſtus S. Petro commiſit, vt *paſcat oues ſuas*? ad quid illi *dedit claues Regni Cęlorum*? ad quid *ſuper eam ædificauit Eccleſiam ſuam*? quomodo ſine crimine læſæ Maieſtatis Regię dixit Apoſtolus ad Epiſcopos Aſiæ: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Propter quod vigilate, &c.* Demum cur Chriſtus non Regibus, ſed Apoſt. dixit: *Qui vos audit me audit: qui vos ſpernit me ſpernit.*

Ioan 5. Luc. 22. S Greg. lib. 4. epiſt 32. Theophylact. in Lucam.

Matth. 16.

Act. 20.

,, Non habent igitur Reges, & Principes
,, poteſtatem ad Populum Chriſtianum conſer-
,, uandum, & Eccleſiam defendendam neceſ-
,, ſariam?

Habent vtique eamque perperam honorificam, & amplam in ſuo genere ſufficientem. In primis habent omnem poteſtatem regendi ſubditos quoad ciuilia, quæ a ſpirituali poteſtate, ne à regula diuinæ legis exorbitet, dirigenda eſt; & ſi exorbitet, corrigenda. Deinde habent officium tuendi ac defendendi Eccleſiam, ſed ſub directione, & iuſſu Summi Pontificis, vti non ſemel declarauimus.

Quod in Minore ait: a *Pontifices inſtar luporum pacem publicam perturbare, Eccleſias diripere, Epiſcopatus vendere, innocentes opprimere, & ſimilia facinora perpetrare*, Lutheri, & diſcipulorum eius genium ſapit. non filialem ac debitam Patri, ac Principi ſpirituali obſeruantiam.

a Vide Thom. Bozium de ſanctitate Pontif. de ſignis Eccleſiæ to. 2. lib. 7. ſigno 30. cap. 6. & 7. de gubernatione, lib. 8. cap. 3. de ſtudio conſeruandæ pacis, & amicitia l. 10. ſig 41. c. 6. de liberalitate, ſigno 42. c 9. & ſeq. de ſtudio in tuendis Catholic. Regnis to. 2. lib. 19 tote de ducentis bonis Germaniæ ac ſeptentrionis l. 22. etc.

Et verò etiam ſi eiuſmodi homines, Dei permiſſione, in illam ſacram ſedem irreperent non ideò poteſtatem in illos haberent vllam Principes temporales quidquid Marſilius de Padua, & Aduerſarius blaterent. Iam enim mille, & centum anni ſunt, quando Ennodius Ticinenſis in Synodo V. Romana ſub S. Symmacho tota approbante Synodo dixit: b *aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari; ſed ſedis iſtius* (Romanæ) *Præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio*. Hæc ille vir ſanctus, & doctiſſimus non timuit publicè dicere regnante in Italia Rege hæretico. Et annis ab hinc ferè mille ducentis in Synodo Romana c ſub ſancto Sixto III. c. 5. dictum legimus: *Non licet in Pontificem ſententiam dicere*. Et annis abhinc ferè mille trecentis in Concilio Romano d ſub S. Silueſtro cau. vlt. *Neque ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omi Clero, neque à populo iudicabitur prima ſedes*. Et annis abhinc ferè mille quadringentis ſanctus Anterius Pontifex & Martyr. e vt refertur nona, quæſtione tertia capite *Facta: Facta*, inquit *ſubditorum iudicantur à nobis: noſtra verò iudicantur à Domino*.

b V. Synodus Romana ſub S. Symmacho Epiſc. CCXVIII. an. 503. tempore Anaſtaſij Imp. & Theodorici Oſtrogothorũ Regis.
c Synodus Roman. ſub Syxto III. Epiſc. LVI an. 436. tempore Valentiniani.
d Synod. Rom ſub S. Silueſt. Epiſcoporum CCLXXX. an. 324. tempore Conſt. Magni.
e S. Anterius ſedit an. 236.

Quare Pontifex non poteſt eſſe ſubiectus Imperatori de iure: Imperator autem eſt ſubiectus Pontifici: nec hoc in ignominiã illi cedit, ſed in ſummam gloriam, *ſi Eccleſiarum*, inquit Carolus ille re, & nomine magnus, f *Dei ſeruis magnificentiam noſtram impertimus, eorumq; ſtudijs libenter obſequimur: id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus. Quid enim*, inquit rectè S. Ambroſius, g *honorificentius, quam vt Imperator dicatur filius Eccleſiæ? Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt*. Itaq; multò minus ſupra Eccleſiæ Principẽ, & caput. Quare optime S. Gregorius Nazianzenus. b *Vos*, inquit, *oues nolite paſcere Paſtores, neque ſuper terminos eorum eleuemini. Satis enim eſt vobis, ſi rectè paſcimini: nolite iudices, nec leges ferentis legiſlatoribus*. Ac ne quis dicat, Imperatores excipi. idem ſic alloquitur Imperatorẽ: *Num vocem ſuſcipitis liberam? & quod lex Chriſti vos meæ poteſtati, meoque ſubiecit tribunali? Imperamus enim & ipſi addo, & imperio maiori, & perfectiori. Suſcipe igitur vocem liberiorem, ſcio te ouem eſſe gregis mei*. Et S. Bernardus in epiſt. ad Conradum Imperatorem, *Legi: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Quam ſententiam cupio vos cuſtodire in exbibenda reuerentia Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio*.

f Apud Sigonium t. 4. de Regno Italiæ
g S. Amb. ep. 32. ad Valent. Iuniorem.
b Greg. Naz. in orat. qua ſe excuſat, quod tam diu ab Eccleſ. ſunctione abſtruerit.
Idem in orat. ad ciues timore perculſos, & Principẽ iraſcentẽ S. Bernard.

Id probè intellexit Conſtantinus Imp. quando, vt eſt apud Ruffinum lib. 10. hiſt. capit. 2. diſertis verbis pronunciauit: *ſibi non eſſe licitum iudicare Sacerdotes: ſed ab illis potius ſe eſſe iudicandum*. Ex qua etiam fide iuſta lex Theodoſij, & Valentiniani profecta eſt, Cod. Theod. lect. vlt. de Epiſcopis, & Clericis, vbi ſic legimus: *Clericos, quos indiſcretim ad ſæculares Iudices debere deduci infauſtus præſumptor dixerat, Epiſcopi audientiæ reſeruamus.*

Conſt. Imp. Lex Theod. & Valent.

Vide Th. Boziũ de ſignis Eccl t. 2. l 23 ſig. 95. c. 2. & l. 24. c. 6. 7. 8.

Ratio

Ratio additur, *Fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.*

Hæc Concilia, Patres, Imperatores: & vnus obſcuriſſimus ementiti nominis, & religionis, neſcio, quis homo ſupremum Eccleſiæ in terris Caput, & Principem, Ieſu Chriſti *Regis Regum, ac Domini Dominantium* Vicarium non dubitat iudicio Principum terrenorum ſubijcere,

Apoc. 19.

Aeque hæc de examine ſolutionum Aduerſarij ad quinque rationes, quas Cardin. Bellarminus pro poteſtate Pontificis in diſponendis temporalibus, & deponendis Regibus attulit, dicta ſufficiant.

CAP. XII.

Examinatur reſponſio ad exempla ex teſtamento veteri à num. 353. vſque ad 373.

Expedita tractatione quinque rationum Card. Bellarmini, quæ habentur lib. 5. de Pontif. cap. 7. aggreditur Aduerſarius reſponſionem ad exempla duodecim, quæ ſunt in eodem libro, cap. 8.

Eorum duo deſumpta ſunt ex teſtmento veteri: reliqua decem ex Eccleſia Chriſti. hoc igitur cap. defendamus exempla ex Veteri teſtamento petita.

Primum exemplum. 2. Paral. 26. Regis Oziæ.

Num. 353. *Primum exemplum eſt 2. Paralip. 26. vbi legimus Oziam Regem, cum Sacerdotis officium vſurparet, à Pontifice fuiſſe de templo eiectum, & cum propter idem peccatum lepra à Deo percuſſus fuiſſet, coactum etiam fuiſſe ex vrbe diſcedere, & regnum filio renunciare.*

Quod enim ſponte ſua, ſed ex ſententia Sacerdotis, vrbe, & regni adminiſtratione priuatus fuerit, patet: nam legimus Leuit. 13. Quicunque, inquit lex, maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, ſolus habitabit extra caſtra. Cùm ergo hæc fuerit lex in Iſrael, & ſimul legamus 2. Paralip. 26. Regem habitaſſe extra vrbem in domo ſolitaria, & filium eius in vrbe iudicaſſe populum terræ, cogimur dicere fuiſſe eum ad arbitrium Sacerdotis ſeparatum & conſequenter regnandi auctoritate priuatum. Si ergò propter lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & Regno priuare, quare id non poterit modo propter lepram ſpiritualem id eſt propter hæreſim, quæ per lepram figurabatur, vt Auguſtinus docet in quæſtionibus Euangelicis, lib. 2. qu. 40. præſertim cum 1. Cor. 10. Paulus dicat contigiſſe Iudæis omnia in figuram?

Leuit. 13. Lex de Lepraſis.

S. Auguſt. 1. Cor. 10.

Num. 354. Refert dictum exemplum ad formam argumenti hoc modo.

Poterat Sacerdos Leuitici generis propter lepram corporalem Regem iudicare, & regno priuare; ergò poterit Summus Pontifex propter lepram ſpiritualem, id eſt, propter hæreſim, quæ per lepram figurabatur, Regem regno priuare. Antecedens conſtat ex duobus locis Sacræ Scripturæ ſimul collatis, nempè ex Leuit. 13. & 2. Paralip. 26. Conſequentiam probat ex 1. Corint. 10. vbi Paulus dicit contigiſſe Iudæis omnia in figuram.

Num. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. ſeptem obiectiones contra iſtud Bellarmini argumentum mouet Aduerſarius, quas ordine diluemus.

Num. 355. *Reſpondetur primò, ſi hoc argumentum validum eſſet, plus eo probaretur, quã forſan Card. Bellarminus vltrò concederet, nempè non ſolùm Summum Pontificem, verùm etiam Epiſcopos inferiores, immò & Sacerdotes habere poteſtatem iure diuino priuandi Principes ſuis dominijs propter lepram ſpiritualem: ſicut in veteri lege non ſolum Summus Pontifex, ſed etiam Sacerdotes inferiores iudicandi de lepra poteſtatem habebant. Homo, inquit lex Leuit. 13. in cuius cute, & carne ortus fuerit diuerſus color, ſiue puſtula, aut quaſi lucens quidpiam, id eſt, plaga lepræ, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, & ad arbitrium eius ſeparabitur.)* 1 Obiectio.

Reſpondeo. Credibile eſt in teſtamento Veteri fuiſſe pro lepræ varietate, & diuerſitate perſonarum iudicia etiam varia, maiora, & minora cuilibet Sacerdoti licitum fuiſſe Regem iudicare: ſed quidquid ſit de more gentis illius; certè in Eccleſia Chriſti cauſæ maiores Sedi Apoſtolicæ reſeruantur, vt habetur cap. *Maiores*, de baptiſmo, & eius effectu in epiſtolis decretalibus. Itaque poteſt quidem omnis Sacerdos iudicare de lepra peccati, & abſoluere, vel ligare ſubditos ſuos; ſed quædam crimina grauiora reſeruantur Epiſcopis, alia etiam Summo Pontifici, quale in primis eſt crimen hæreſeos, cui antonomaſticè conuenit nomen lepræ. Ideò non eſt mirum, ſi quilibet Sacerdos non poſſit Reges, etiam ob crimen hæreſis, iudicare. Reſponſio.

Adde, quod in ipſo teſtamento Veteri non habemus exemplum, quo Principes ob lepram iudicati ſint ab alio, quam à Summo Pontifice.

Num. 356. *Deinde hoc exemplum etiam probat, non ſolùm propter hæreſim, ſed etiam propter alia quæcunque crimina mortifera poſſe Principes ab Epiſcopis, & Presbyteris deponi, quia non ſolùm peccatum hæreſis, ſed alia etiam peccata per lepram figurabantur, vt ipſe Card. Bellar. lib. 3. de Pœnit. cap. 3. fatetur, qui de confeſſione peccatorum loquens: Ad Sacerdotes, inquit, Chriſtianos pertinet cognitio peccati, quod per lepram figurabatur, & lepra ſpiritualis aptiſſimè nominabatur.)* 2. Obiectio.

Reſpondeo. Verum eſt, per lepram ſignificari omnia peccata: ſed non ideò poſſunt à quocunque Sacerdote Principes iudicari, ob quælibet peccata. Quoniam, vt iam, diximus, peccata grauiora reſeruantur maioribus Prælatis, & aliqua ſoli Pontifici maximo, præſertim cùm agitur de perſonis in ſummo gradu dignitatis conſtitutis. Reſponſio.

Num. 357. *Reſpondetur ſecundò, rationem hanc Card. Bellarmini ex prædicto exemplo deſumptam, eſſe etiam infirmiſſimam, cum propoſitio antecedens ſit valdè incerta, ne dicam falſa, & conſequentia non minus dubia.* 3 Obiectio.

Et quod attinet ad antecedentem, eiuſque probationem quamuis ipſe rectè colligat ex Leuit. 13. & 2. Paral. 26. potuiſſe Sacerdotem Leuitici generis Reges leproſos iudicare, & ſententiam contra eos ferre, vt ſoli habitent extra caſtra, quæ eſt prima pars antecedentis, cum huiuſmodi ſeparatio fuerit à Deo ad Sacerdotis arbitrium leproſis impoſita: non tamen ideò rectè colligitur,

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotem Leuiticum habuiſſe auctoritatem priuandi Reges lẽproſos ſuis Regnis etiam per accidens, & conſequenter, niſi Priuatio Regni neceſſariò conſequeretur habitationem in loco ſeparato à reliqua plebe, quod tamen ex ſcriptura efficaciter probari nequit. Nam vt rectè aduertit Franciſcus Suarez diſp. 15. de Excom. ſect. 6. num. 3. priuatio dominij perpetuo durat, poſtquam ſemel fit: at illa ſeparata habitatio leproſorum, ad arbitrium Sacerdotis imponenda ſolùm durabat pro tempore, quo lepra infecti erant: quo tamen tempore veri Reges permanebant, tametſi Regni adminiſtratio penes ipſas non erat. Neque enim impotentia Regnum adminiſtrandi ius, auctoritatemque regnandi Regibus aufert, vt patet in Rege impubere, penes quem eſt vera poteſtas, iuſque dominandi, licet illi, donec ad pubertatem veniat, Tutor, ſeu Curator conſtitui ſoleat, qui Regis nomine quæcunque Regni negotia de facto adminiſtret. Quod autem Ozias infirmitatis ſuæ tempore, id eſt, vſque ad diem mortis ſuæ verus Rex permanebat, apertiſſimè docet Gloſſa 2. Paralipom. 26. vbi ita ait: volunt Hebræi in anno vigeſimo quinto Oziæ hoc accidiſſe (hoc eſt eum lepra percuſſum eſſe) cuius reliqui anni ſunt viginti ſeptem: regnauit autem annis quinquaginta vno. Atque idipſum ex ipſa Sacra Scriptura non obſcurè colligitur eo loco. Vnde tametſi in verſicula 21. legamus, eo tempore, quo Ozias erat leproſus, Ioathan filium eius rexiſſe domum Regis, & iudicaſſe populum terræ; non tamen legimus, regnaſſe Ioathan filium eius pro eo, niſi poſtquam Ozias defunctus erat.)

Reſponſio.

Reſpondeo Primum. Etiamſi Ozias ſola adminiſtratione Regni priuatus eſſet, eãque filio cedere coactus fuiſſet; ius autem, & auctoritatem regnandi retinuiſſet, vt Aduerſarius vult; adhuc argumentum Bellarmini firmum, & inconcuſſum ſtaret. Nam hinc etiam conceſſione Aduerſarij colligimus Regem Oziam à Pontifice Aaronico non communione modo ſacrorum, ſed & adminiſtratione Regni priuatum, & non pœna ſpirituali duntaxat, ſed & temporali punitum. Aduerſarius autem negat, poſſe Regem hæreticum priuari adminiſtratione Regni, & dicit ſolùm priuari poſſe perceptione Sacramentorum.

Reſpondeo Secundò. Ozias Rex nomen quidem regium reliquo vitæ tempore retinuit at nomen inane: filius verò eius Regnum cum plena poteſtate (etſi ſine regio nomine) adminiſtrauit. Sic enim ſcriptura loquitur 2. Paral. 26. *Fuit Ozias Rex leproſus vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porrò Ioatham filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ.* Idem dicitur 4. Reg. 15. Itaque ex ſcriptura non habetur, vllam partem regiminis ad Oziam vllo modo pertinuiſſe. Quod clariùs explicat Ioſephus lib. 9. Antiq. cap. 11. dum ait: *Filium Oziæ ſuſcepiſſe Regnum: Oziam autem vixiſſe in vita priuata, vſque ad mortem ſuam.* Sed vtut ſit, iſtud conſtat, Oziam regni adminiſtratione priuatum, ac proinde pœna temporali affectum.

4. Reg. 15. 2. Paral. 26.

Ioſephus.

Replica.

At, inquies, Oziæ relictum eſt nomen regium, &, vt in prima reſponſione dictum, fortè ius regni. Itaque hinc non poteſt probari Reges hæreticos à Pontifice Regno penitùs priuari poſſe.

Reſponſio.

Reſpondeo. In primis inde probatur, Regi iuſta de cauſa infligi poſſe à Pontifice pœnam temporalem, qualis eſt priuatio adminiſtrationis Regni. Deinde conſequenter colligitur propter grauiſſimam cauſam, & crimen maximum atque Eccleſiæ pernicioſiſſimum, qualis v. g. eſt Hæreſis, infligi poſſe grauiorem pœnam, qualis eſt omnimoda priuatio Regni. Nam & Innocentius IV. Sanctio II. Portugalliæ Regi, quod ad Regni adminiſtrationem ineptus eſſet, ab ea remoto Coadiutorem dedit Alphonſum III. Fratrem: at idem Fridericum II. hoſtem Eccleſiæ declaratum in generali Concilio Lugdunenſi Imperio priuauit.

Vaſæus in Chron. Hiſp.

4. Obiectio.

Num. 359. (Num. 358. deſideratur) *Neque etiam ſatis firmiter probat Card. Bellarminus, Sacerdotes Leuiticos habuiſſe auctoritatem priuandi Reges leproſos ſolùm Regni adminiſtratione pro eo duntaxat tempore, quo lepra contaminati erant. Nam quamuis Ozias, poſtquam à Domino plaga lepræ percuſſus erat, regnum non adminiſtrabat, ea cauſa eſſe poterat, quia ipſemet ſponte durante tempore infirmitatis ſuæ, cum ad regni gubernacula moderanda non eſſet idoneus, committebat regimen Ioathan filio ſuo, ipſumque Regni ſui adminiſtratorem conſtituebat, donec ad priſtinam ſanitatem reſtitutus eſſet. Sed quod Sacerdos Leuiticus Reges leproſos, aut Regno, aut Regni adminiſtratione priuandi auctoritatem haberet, ex Sacra Scriptura ſatis colligi non poteſt. Sicut neque etiam ex ſacris litteris rectè deducere valemus, Sacerdotem Leuiticum habuiſſe auctoritatem priuandi Patresfamilias leproſas, aut bonis ſuis, aut bonorum ſuorum adminiſtratione: licet veriſimile ſit, tales Patresfamilias, cum ad arbitrium Sacerdotis habitare deberent extra caſtra, commiſiſſe alijs facultatem bona ſua adminiſtrandi, quamdiu lepra aſperſi erant. Atque ita patet imbecillitas propoſitionis antecedentis.*

Reſponſio.

Reſpondeo. Hæc nihil ad rem faciunt. Satis nobis eſt Oziam Regem iuſſu Sacerdotis magni habitaſſe in domo ſolitaria, à tempore lepræ vſque ad obitum, & cùm non poſſet cum populo conuerſari, coactum fuiſſe Regni adminiſtrationem permittere filio abſolutè, vt nihil omninò ad eum de Regni negotijs referretur. Quod ſi Pontificis poteſtati ſubiectus non fuiſſet, potuiſſet Pontificem contemnere, & ipſo inuito habitare in vrbe regia, & Regnum adminiſtrare. Neque enim difficile eſſet Regi leproſo vel per ſe, vel per adminiſtros Regnum adminiſtrare. Non enim lepra tollit iudicium mentis, & prudentiam ad regendum neceſſariam. Certè Naaman Syrus leproſus erat, & quoniam Pontifici Hebræorum ſubiectus non erat, non habitabat in domo ſolitaria; ſed Princeps erat militiæ, & ibat quocunque volebat. Vide lib. 4. Reg. cap. 5.

Naaman Syrus. 4. Reg. 5.

Et eodem modo poterat Sacerdos Patresfamilias priuare adminiſtratione ſuorum bonorum, maximè ſi quæ in vrbibus habebant; quoniam ſeparabat eos à populo ſeu conuerſatione hominum, & excludebat ab vrbibus, & conſequenter priuabat eorum, quæ in vrbibus habebant, bonorum adminiſtratione; eſto potuerint per alios ea adminiſtrare.

5. Obiectio.

Num. 360. *Quod attinet ad conſequentiam, tametſi propoſitionem antecedentem concedere-*

mus,

Digitized by Google

mus, nempè habuiſſe Sacerdotes veteris teſtamenti auctoritatem priuandi Reges leproſos ſaltem Regni adminiſtratione, non per ſe, ſed ſolùm conſequenter, vt Card. Bellarminus deducit, quia nimirum auctoritatem habebant ſeparandi eos à conſortio reliqui populi, & conſequenter, vt ipſe ait, priuandi eos Regno. Negamus tamen conſequentiam. Nam figura illa leproſorum in hoc conſiſtit; quod ſicut in veteri lege, qui lepra corporali infecti erant, debebant ad arbitrium Sacerdotis, quamdiu lepra inquinati erant, à conſortio reliquæ plebis ſeiungi; ita in lege Euangelica, qui lepra ſpirituali contaminati ſunt, poſſunt per Pontifices ab Eccleſiaſtica fidelium communione dimoueri, donec ad priſtinam ſanitatem reuerſi fuerint. Et propterea, ſi ex eo, quod leproſi in domo ſeparata ex ſententia Sacerdotis extra caſtra manere deberent, donec mundati eſſent, neceſſariò conſequatur, quod Regnum temporale pro eo tempore adminiſtrare non poſſent, nihil mirum, quod conſequenter Regni adminiſtratione pro eo tempore priuarentur. At ſatis conſtat apud doctiores, melioriſque notæ Theologos, vt num. 346. vidimus, quod priuatio aut Regni, aut adminiſtrationis regni temporalis non neceſſariò conſequatur excommunicationem Eccleſiaſticam. Atque idcircò in hoc etiam deficit illa ſimilitudo Card. Bellarmini, ideoque totum eius argumentum eſt inefficax.)

Reſpondeo. *Primùm*, quando Bellarm. dixit Oziam coactum fuiſſe filio *Regnum renunciare* (hoc enim obliquè notare videtur Aduerſarius) per *Regnum* intellexit, non vocabulum Regis; ſed Regni cum plena poteſtate adminiſtrationem, ſiue regiam auctoritatem.

Deindè, Boni Theologi ſuprà num. 346. ab Aduerſario citati, vt Paludanus, Richardus, Beatus Antoninus, Sotus, Medina, Richeomeus, & duo (ſunt verba Aduerſarij) celeberrimi huius temporis Theologi, & eiuſdem cum Card Bellarmino inſtituti religioſi, Franciſcus Suarez, & Martinus Becanus; quod verum eſt, & à nemine negatur, docent, nimirum, per excommunicationem præcisè, & per ſe non priuari homines dominio bonorum temporalium, & per hoc non priuari Regnis, & Principatibus: at quod Aduerſarius illis imponit, nimirum, non priuari adminiſtratione Regni, iſtud non docent.

Communis enim ſententia eſt Theologorum, & Canoniſtarum, priuari homines per excommunicationem poteſtate iudicandi, atque alijs forenſibus actibus, in quibus adminiſtratio conſiſtit ciuilis iuriſdictionis. Suarius equidem in loco ab Aduerſario citato, tom. 5. diſput. 15. ſect. 6. tria dicit, & probat contra Aduerſarium.

Franciſcus Suarius. An & quomodo excommunicatio priuet dominio.

Primò, per excommunicationem ceſſare in excommunicato forenſem iuriſdictionem, & omnes actus, qui ad illam pertinent.

Secundò, ceſſare in ſubditis obligationem fidelitatis etiam iuratæ, poſt ſententiam latam à Iudice Eccleſiaſtico, & probat ex cap. *Nos ſanctorum*, 15. quæſt. 6. & cap. *Iuratos* ibid.

Tertiò, non ceſſare dominium, & bona temporalia niſi fiat eorum mentio, vt verè fit in excommunicatione hæreticorum, qui priuantur omnibus bonis, & omni dignitate, Quare cum noſtra quæſtio præcipua de lepra hæreſis ſit, planum eſt. Aduerſarium impoſuiſſe Catholicis Doctoribus doctrinam falſam pro vera.

Num. 361. *Quinimmò, ſi à figura ad rem figuratam rectè argumentatur Card Bellarmin. in lib. 1. de Euchariſtia, cap. 3. vbi ex figuris Veteris teſtamenti probat Chriſtum Dominum verè, & realiter in Euchariſtia præſentem eſſe: tametſi concederemus Sacerdotes Leuiticos habuiſſe poteſtatem priuandi Reges leproſos ſuis Regnis non ſolùm conſequenter, ſed etiam per ſe, & primariò: non tamen proinde ſequeretur, penes Sacerdotes Euangelicos eſſe etiam eiuſmodi poteſtatem Reges hæreticos ſuis Regnis priuandi. Nam hoc ipſo, quòd lepra corporalis, & pœna iure diuino illi annexa, figura erat hæreſis, ſeu lepræ ſpiritualis, & pœna, quæ illi ex Chriſti lege reſpondet, non debet hæreſis propter figuræ ſignificationem lege Euangelica puniri amiſſione Regni temporalis, eò quod hæc pœna in lege veteri lepræ corporali impoſita fuerit; ſed pœna altioris ordinis, nempè ſpirituali, & regni æterni amiſſione caſtigari oportet: quoniam figura ſemper eſt imperfectior, & inferioris ordinis re figurata, ſicut vmbra ipſo corpore, vt ibidem Bellarminus tradit, &c.* 6 Obiectio.

Reſpondeo. Quemadmodum hæreſis, quæ eſt lepra ſpiritualis, eſt longè pernicioſior, quàm lepra corporalis: ſic excommunicatio eſt pœna altioris ordinis, quàm ſeparatio leproſorum. Excommunicatio enim non ſolùm priuat conſortio, & conuictu hominum; ſed etiam communicatione Sacramentorum, & ſuffragiorum Eccleſiæ. Quod aut præterea excommunicatio priuet adminiſtratione politica, & aliquando habeat annexam priuationem bonorum temporalium, & ipſius etiam Regni, non minuit, ſed auget grauitatem, & excellentiam pœnæ lepræ ſpiritualis ſuper pœnam lepræ corporalis. Quare veriſſimum eſt, rem figuratam eſſe altioris ordinis, quàm ſit figura. Et hoc modo Euchariſtia eſt altioris ordinis, quam ſit manna, & Agnus Paſchalis; quoniam iſta nutriunt corpus; illa nutrit animam; quamuis etiam accidentia illa Euchariſtiæ proſint ad corporis nutritionem.

Reſponſio.

Excommunicatio.

Num. 362. *Illud verò, quod in fine addidit Card. Bellarminus ex 1. Corint. 10. contigiſſe Iudæis omnia in figuram, vt inde probet lepram corporalem in veteri teſtamento fuiſſe figuram hæreſeos, & lepræ ſpiritualis, non rectè deducit ex S. Paulo, neque verba ipſius integrè, ac fideliter producit: Nam ipſe ibidem ſolùm ait: Hæc omnia (ea ſcilicet pauca, quæ priùs enumerauerat) in figura contingebant illis; de hac autem lepra figura nullam planè eo loco fecit mentionem.)* 7. Obiectio.

Reſpondeo. Card. Bellarminus non produxit S. Pauli verba, ſed ſenſum. Certum eſt autem, Apoſtolum non voluiſſe dicere illa ſolùm contigiſſe Iudæis in figuram, quę in illo capite attigerat: ſed illa, & alia eis ſimilia.

Reſponſio. Explicatur locus. 1. Cor. 10.

Quod verò iudicium Sacerdotum veteris legis de lepra corporali, figura fuerit iudicij Sacerdotum noui teſtamenti de peccatis, docent Sancti Patres paſſim, ac præſertim S. Ioan. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio.

Deinde D. Thom. 1. 2. quæſt. 104. a. 2. eodem modo citat hunc locum, quo Bellarminus. 5. *Thomas.*

minus. *Totus*, inquit, *ſtatus illius populi figuralis erat, ſecundum illud* 1. *Cor.* 10. *Omnia in figuram contingebant illis.*

S. Auguſt. Eodem modo citat S. Auguſt. in lib. viginti & vnius ſententiarum, *Cùm*, inquit, *Apoſtolus dicat, omnia in figura contigiſſe Iudæis*, &c.

Idem lib. 16. contra Fauſtum, cap. 28. *Nam quidquid*, inquit, *dicis de Sabbato, & circumciſione carnis, & differentia ciborum, aliam fuiſſe traditionem Moyſis, aliud per Chriſtum didiciſſe Chriſtianos, iam ſuprà oſtendimus, quia ſicut dicit Apoſtolus, hæc omnia figura noſtræ fuerunt.* Certè in eo capite nihil de Sabbato, nihil de circumciſione, nihil de ciborum differentia Apoſtolus dixerat: & tamen ad illa refert S. Auguſtinus verba illa: *Hæc omnia contingebant illis in figuram.*

Præterea lib. 18. contra Fauſtum, cap. 6. vbi de Sabbato, circumciſione, & differentijs ciborum diſputans idem Sanctus Auguſtinus ait: *Attende, cui contradicas cum Apoſtolo ex Apoſtolo dico; omnia hæc figuræ noſtra erant.*

Demum libro 22. contra Fauſtum, c. 24. loquens de toto teſtamento veteri: *Omnia*, inquit, *illa, ſicut dicit Apoſtolus, figuræ noſtræ fuerunt.* In omnibus his locis notatur ad marginem, 1. Cor. 10.

Quare cùm Bellarminus eodem modo, & ſenſu eandem Apoſtoli ſententiam citauerit, quo S. Thomas, & Sanctus Auguſtinus, non poteſt ille reprehendi, quaſi non integrè, nec fideliter, nec ad propoſitum verba Apoſtoli produxerit, niſi hi cum ipſo pariter reprehendantur.

13. Exemplũ Bellarm. 2. Paral. 23. Atalia Regina. Num. 363. *Secundum exemplum eſt 2. Paralip. 23. Vbi cum Athalia tyrannicè occupaſſet Regnum, & foueret cultum Baal, Ioiada Pontifex vocauit centuriones & milites, & iuſſit eis vt Athaliam interficerent, quod & fecerunt, & pro ea Ioas Regem creauit.*

Quod enim Pontifex non ſuaſerit, ſed iuſſerit, patet ex illis verbis 4. Reg. 11. Et fecerunt centuriones iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos. Item ex illis 2. Paral. 23. Egreſſus autem Ioiada Pontifex ad Centuriones, & Principes exercitus, dixit eis; Educite eam (Athaliam Reginam) extra ſepta templi, & interficiatur foris gladio.

Quod autem cauſa huius depoſitionis, & occiſionis Athaliæ non ſolum tyrannis eius fuerit, ſed etiam quod foueret cultum Baal, patet ex illis verbis, quæ ponuntur immediatè poſt eius occiſionem. Itaque, inquit ſcriptura, ingreſſus eſt omnis populus domum Baal, & deſtruxerunt eam & altaria, & ſimulachra illius confregerunt, Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

Contra hoc exemplum, vbi prius num. 364. Bellarminum acerbè ſatis, ac vehementer incuſaſſet, quaſi contra manifeſtum ſcripturæ ſenſum pro poteſtate Papali illud produxiſſet, ſex mouet obiectiones. Ac primum eodem Num. 364. *Si hoc Bellarmini argumentum aliquid roboris haberet, vtique demonſtraret ſummum Pontificem habere poteſtatem Principes ſupremos non ſolum ob tyrannidem, ſed etiã propter hæreſim, aut idololatriam non dominus tantum, verùm etiam vita priuandi; quod quamuis ex doctrina ipſius manifeſtè ſequi num. 43. & ſeq. & 329. euidenter deduximus, hoc ipſum tamen ipſemet, exemplum iſtud Athaliæ pro ſua ſententia confirmanda adducens, non obſcurè ſignificat.*

Reſpondeo. Ad num. 43. & ſeq. & 329. nos euidenter ibi reſpondimus. Ad hoc argumentum nunc dico, exempla eſſe accipienda ſecundum rerum, & perſonarum conuenientiam. In teſtamento veteri Sacerdotes gerebant arma, & præliabantur cum cæteris Iſraelitis contra hoſtes. Nam Exodi 32. Leuitæ ad imperium Moyſis occiderunt triginta millia hominum, qui vitulum aureum adorauerant; & dixit eis Moyſes; *Conſecraſtis hodie manus veſtras Domino.* Et Num. 25. Phinees ſacerdos occidit virum, & mulierem ſimul zelo Dei permotus, & placuit hoc factum Deo, ita, vt propterea *ſtabiliuerit in domo eius ſacerdotium ſempiternum*. Et 1. Machab. 2. Mathathias ſacerdos occidit ſuper aram virum immolantem Idolis: & deinceps filij eius, Iudas Machabæus, Ionathas, & Simon Summi Sacerdotes bella glorioſè geſſerunt. At in teſtamento nouo Sacerdotes abſtinent ſe ab effundendo ſanguine, & ſi quos habent extremo ſupplicio dignos tradunt brachio ſæculari puniendos. *Reſp Sacerd. in veteri teſtam. arma gerebant, & ſanguinem fundebant, non aut in nouo. Exod. 32. Num. 25. 1. Mach. 2.*

Quod igitur Ioiada ſacerdos fecit erga Athaliam Reginam, cùm illam interfici iuſſit; imitabitur Pontifex noſter erga Regem hæreticum, ſi illum excommunicet, & à regno deponat:

Num. 366. (Nota num. 365. deeſt) *Deinde falſum eſt, Ioiadam Pontificem creaſſe Ioas Regem, vt Cardin. Bellarminus hoc loco affirmat id eſt, ius regnandi, quod prius non habuit, illi donaſſe, cum ſtatim ab interitu fratrum, quos impia Athalia perfidioſè trucidauerat, verum Regni dominium hæreditario iure penes Ioas eſſet, tametſi Athalia poſſeſſionem tyrannicè occupauerat*, &c. *2. Obiectio.*

Reſpondeo. Athalia ſine dubio tyrannicè Regnum inuaſit, ſed cum ſex annis pacificè imperauerit, credibile eſt paulatim aſſentiente populo legitimũ ius in Regnum acquiſiuiſſe. Sic enim multi Reges initio tyranni, poſtea populi conſenſu accedente legitimi Principes fiunt. Ipſe certè Octauianus Auguſt. qui inter optimos Principes numeratur Remp. vi, & armis oppreſſit, ac libertate ſpoliauit: poſtea tamen conſenſu populi accedente, Princeps legitimus haberi cœpit, & imperium legitimè tranſmiſit ad poſteros. Ottho Galbam occidit, Vitellius Otthonem, Veſpaſianus Vitellium, Philippus Gordianum, & omnes tamen Imperatores à Senatu, populoque Romano ſalutati ſunt. Quomodo inuaſerunt, & occupauerunt Oſtrogothi Italiam Viſigothi Hiſpaniam, Franci Galliam, Angli Britanniam? Et tamen poſtea accedente populorum conſenſu Reges illarum terrarum legitimi habiti ſunt. *Reſponſio. Cæſar. Aug.*

Quod autem Ioiada vna cum populo fecerit Ioas Regem, ſcriptura manifeſtè docet. Sic enim legimus 4. Regum 11. *Produxit* (Ioiada *filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium, feceruntque eum Regem, & vnxerunt, & plaudentes manu dixerunt, viuat Rex.* Et lib 2. Paral. 23. *Et eduxerunt filium Regis, & impoſuerunt ei diadema, & conſtituerunt eum Regem.* Et cap. 24. *Septem anno-* *4. Reg. 11. 2 Paral. 23. 2. Paral. 24.*

rum

Digitized by Google

rum erat Ioas cùm regnare cœpiſſet. Vbi initium Regni eius ponitur à morte Athaliæ, & inſtitutione ſua in Regem.

Neque his repugnat, quod paulò antequam coronaretur, & conſtitueretur Rex, ſcriptura illum Regem appellet. Appellat enim eum Regem per anticipationem, quaſi Regem deſignatum. Nam, 2. Paral. 23. ſic legimus: *Inijt pactum omnis multitudo in domo Domini cum Rege, dixitque ad eos Ioiada Ecce filius Regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid*. Vbi primò nominat Regem, deinde dicit regnaturum; quia Rex erat non præſens, ſed futurus.

3. Obiectio.

Num. 367. *Igitur Ioiada Athaliam occidendo nihil aliud effecit, quam quod fidelem quemque ſubditum in tali caſu præſtare oportuerat. Cùm enim ob vita innocentiam, opinionem ſanctitatis, officyque dignitatem in ſumma apud populum, Regnique proceres veneratione haberetur, tantùm apud eos praualebat eius auctoritas ſeu fauor, vt omnes vnanimi conſenſu ad perfidam vſurpatricem occidendam, Regemque legitimum à Regni poſſeſſione iniquè detentum in poſſeſſionem mittendum, eius præſertim hortatu, facillimè traherentur. Hoc autem vires duntaxat, & potentiam Ioiadæ ſummamque eius apud plebem: atque optimates gratiam, & non veram aliquam Regem de nouo creandi auctoritatem arguebat.*

Reſp. Aduerſarius peſſimè conſulit Maieſt. Regia

Reſpondeo. Aduerſarius Bellarm. aliquoties falsò & per calumniam obiecit, quod occaſionem daret ſubditis, inſurgendi in Reges, eoſque trucidandi: & iam id ipſe diſertis verbis docet. Nam Athalia Regis vxor, Regis mater, & iam ipſa Regina ſeptimum annum pacificè regnabat, à nemine erat accuſata, à nullo Iudice damnata; & tamen Aduerſarius contendit licitum fuiſſe Pontifici (homini ex eius opinione, & verbis ſubdito) hortari populum ad rebellionem, & cum Proceribus, populoque conſpirare in Reginam, eamque trucidare.

At, inquit, tyrannicè Regnum inuaſerat.

Reſpondeo. Eſto, ſed iam annum ſeptimum populo aſſentiente regnabat. Quis dedie ſubditis auctoritatem in Principem pacificè regnantem? quis iudicauit eo tempore Athaliam tyrannam eſſe, non Reginam, ſi ſuperiorem ea non agnoſcebat? Videat Aduerſarius etiam atque etiam, an non ſit multò periculoſius Regum ac Principum vitæ, & Regnorum, ac Rerumpublicarum incolumitati, dare populo ac ſubditis poteſtatem rebellandi & conſpirandi, ac demum trucidandi Reges, quos ipſi (temerè ſæpè & falsò) pro tyrannis habent: quam dicere, in Pontifice velut capite vniuerſæ Eccleſiæ, ac Chriſti Vicario, eſſe poteſtatem iudiciariam Reges iudicandi, & ſi ita merentur deponendi. Quis enim dubitet, Reges tutiores eſſe, ſi ſint ſubiecti Pontificiæ æquitati, & grauitati, cui Chriſtus eos ſubiecit: quam ſi ſint ſubiecti temerariæ populorum leuitati, cui Aduerſarius eos ſubijcit?

Temeraria, & periculoſa doctrina Aduerſarij.

Quemque, inquit *fidelem ſubditum in tali caſu præſtare oportet, quod Ioiada Athaliam occidendo effecit*. Quid effecit Ioiada? Athalia Regis vxor, Regis mater interfecto ſemine regio (vt putabatur) vniuerſo Regnum Iudę occupauerat, illud iam ſeptimum annum pacificè poſſederat: anno ſeptimo Ioiada nihil tale ſuſpicantem trucidari iuſſit, & Ioas Regem declarauit. *Id*, inquit Aduerſarius, *quemque fidelem ſubditum in tali caſu præſtare oportet*, id eſt, quiſque fidelis ſubditus ſi reputet aliquem malo titulo inuaſiſſe Principatum, poteſt, nec poteſt modo, ſed & omninò debet talem Principem interficere, non obſtante, quod Principatum illum iam multis annis pacificè poſſederit, quod populus vniuerſus ei multis annis paruerit, quod nullum Princeps iſte agnoſcat ſuperiorem, quod non ſit ritè accuſatus, auditus, damnatus malo titulo occupaſſe Principatum. Declaro exemplo. Ponamus Eliſabetham malo titulo occupaſſe Regnum Angliæ, illudque omni iure deuolutum fuiſſe ad sereniſſimam, & ſanctiſſimam Scotiæ Reginam Mariam, eiuſque poſt eam filium, modò ſereniſſimum, ac potentiſſimum Magnæ Britanniæ Regem: interim Eliſabetha Regnum multis annis pacificè poſſederit, omniaque quæ ad regiam functionem ſpectant, nemine contradicente adminiſtrauerit, à nullo damnata ſit, quid inquam damnata? à nemine tyrannicæ occupationis Regni accuſata ſit: quid hic ſubditis faciendum? *Oportet*, ait Aduerſarius, *quemque fidelem ſubditum in tali caſu præſtare, quod Ioiada Athaliam occidendo effecit*, id eſt, oportet Reginam Eliſabetham trucidare, & regnum in Mariam, eiuſue filium transferre.

Ecce Reges, & Principes, habetis qui veſtræ ſtudeat ſecuritati. Ita obſeruantes ſunt Maieſtatis regiæ, violatores, & calumniatores poteſtatis Pontificiæ. *Quilibet*, inquit, *ſubditus non modò poteſt, ſed & debet in tali caſu facere, quod Ioiada fecit*. O miſeram Principum conditionem, quorum Regnum, & vita ſingulorum priuatorum iudicio obnoxia? Quod ſi Cardin. Bellarminus tale quid ſcripſiſſet, quas non Aduerſarius cieret turbas? quos non excitaret clamores?

Huic eſt affine, quod infrà num. 460. tradit; Pontificem ipſius opinione Imperatori tum ſubditum, & vt ſubditum cum conſenſu populi Romani ſeu tacito, ſeu expreſſo Imperatori Conſtantinopolitano Imperium occidentale legitimè ac validè adimere, & in Carolum Magnum transferre potuiſſe, & re ipſa feciſſe. Quantula enim tum portio Imperij populus Romanus erat? aut quam poteſtatem in electione Imperatoris habebat? Ex hoc igitur euidenter, ac neceſſario ſequitur, quemlibet ſubditum cum conſenſu vnius ciuitatis, eius etiam, quæ nullum in electione Regis ſuffragium habet, tacito vel expreſſo, poſſe ſuum verum, legitimum, ac naturalem Principem vel omni ditione, vel eius parte ſpoliare: quo ſanè latiſſima via aperitur ſeditionibus, conſpirationibus, rebellionibus, & defectionibus.

At, inquit, id docuiſſe Bellarminum lib. 3. de Laicis, cap. 6. vel ſaltem ex eis, quæ ibi docuit, ſequi.

Doctrina Bellar. de origine poteſt. ciuil.

Reſpondeo. Falſiſſimum hoc eſt. Bellarm. loco citato docet, quod & nos ſuprà docuimus, *poteſtatem politicam in vniuerſum conſideratam, non deſcendendo ad ſpecies, eſſe immediatè à ſolo Deo, nimirum, à Iure naturæ: & reſidere immediatè tanquam in ſubiecto in tota multitudine: at ſingulas ſpecies poteſtatis politicę*

in particulari eſſe de iure humano, nimirum gentium, & transferri à multitudine in vnum, vel plures: demùm poſſe multitudinem, ſi cauſa legitima adſit, mutare regnum in Ariſtocratiam, aut Democratiam, & è contrario, vt Romæ factum. Hæc ſunt quæ docuit loco citato Bellarm. & quæ ipſius verbis ab Aduerſario prolixè recitantur nu. 432. 433. 434. 435. 436.

At quod vnus aliquis ſubditus, aut vna ciuitas quæ non niſi exigua Regni ſit particula, poſſit legitimè ac validè legitimo ſuo Regi non damnato, non audito, non accuſato, adimere Regnum, regniue partem: item quod vnuſquiſque ſubditus teneatur pręſtare, quod Ioiada effecit Athaliam occidendo; iſtud nuſquam, nunquam docuit Bellarminus: non ſequitur ex doctrina Bellarmini; deteſtantur & horrent omnes Catholici, & inter eos ſine dubio Bellarminus.

An Tyrannus poſſit occidi Conc. Con*ſtantienſe.* Nam in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. publicè articulus ille damnatus eſt: *Quilibet Tyrannus poteſt, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcunque vaſallum ſuum, & ſubditum etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocunque præſtito iuramento, ſeu confœderatione factis cum eoſ, non exſpectata ſententia, vel mandato Iudicis cuiuſcunq;* Hunc articulum in dicto Concilio ita damnauit Eccleſia Catholica, vt hæreticos cenſeodos, & vt hæreticos puniendos eſſe decreuerit, qui eiuſmodi articulum pertinacitet defendere voluerint.

Sed iam vnde digreſſi ſumus, redeamus: Ioiadam opinione ſolius ſanctitatis, & ſine vera, ac legitima poteſtate feciſſe, quod fecit, Aduerſarius affirmat, nos negamus. Ille ex ſuo capite loquitur: nos verba ſcripturæ ſequimur. *Præcepit* (inquit ſcriptura 4. Regum 11.) *illis* (Ioiada centurionibus, & militibus) *dicens: Iſte eſt ſermo, quem facere debetis*, &c. Et paulò inferius, *Si quis autem ingreſſus fuerit ſeptum templi, interficiatur.* Et mox. *Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* Et iterum: *Præcepit Ioiada Centurionibus, qui erant ſuper exercitum, & ait eis: Educite eam* (Athaliam) *extra ſepta templi, & quicunque eam ſecutus fuerit: feriatur gladio.* Vide etiam 2. Paral. 23. cap.

4. Obiectio: Num. 368. *Quapropter nihil prorſus in fauorem Bellarmini ex hoc exemplo vlla conſecutione aut vera, aut veriſimili rectè concludi poteſt. Quoniam ex ſacris literis colligi nequit, vel Athaliam iuſſu Ioiadæ Pontificis ob cultum idolorum occiſam fuiſſe, ſed ſolùm propter manifeſtam tyrannidem, quia nimirum & ſemen regium truculenter interfecerat, & Regnum verò hærede ſuperſtite iniuſtè occupauerat, ideoque legitima Regina eſſe non poterat: vel Ioiadam Pontificem tam propria auctoritate, quam ex conſenſu Regis, Procerum, totiuſque populi occiſionem illam præcepiſſe. Et propterea exemplum iſtud nihil omninò conducit ad comprobandos veros Reges, ac Principes, quamuis hæreticos, aut idololatras, qui Regnum ſuum legitimè poſſident, auctoritate Papali aut occidi, aut Regno priuari vllatenus poſſe.*)

Reſponſio. Reſpondeo. Quod ob cultum Baal Athalia depoſita, & interfecta fuerit, colligitur ex ipſa ſcriptura, quæ mox poſt occiſionem Athaliæ, deſcribit fœdus à Ioiada initum inter ſe, Regem, & populum, vt eſſet populus Domini, item euerſionem templi Baal, confractionem idoli, & necem ſacerdotis eius 4. Reg. 11. 2. Patal. 23.

Quod autem Ioiada vera, ac propria auctoritate illa mandauerit, iam oſtendimus in Reſp. ad num. 367.

5. Obiectio. Num. 369. *Hoc ſecundum, nempe Ioiadam Pontificem hanc Athaliæ occiſionem ſolo auxilio, & conſilio ſuo ſollicitaſſe, & non propria auctoritate, ſed ex ordinum conſenſu Regis nomine præcepiſſe, conſtat ex illis verbis, 2. Paral. 23. Anno autem 7. confortatus Ioiada aſſumpſit Centuriones, &c. & iniyt cum eis fœdus (vt nimirum Athaliam interficerent, & Ioas Regis filium, Regemque legitimum in Regni poſſeſſionem, quam ipſa iniuſtè vſurpauerat, intromitterent) qui circumeuntes (ait ſcriptura) Iudam congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iuda, & Principes familiarum Iſrael, veneruntque in Ieruſalem. Iniyt ergò omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege, dixitque ad eos Ioiada, Ecce filius Regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid. Quæ verba exponens Gloſſa 4. Reg. 11. Hic, inquit, deſcribitur. Veri Regis inſtitutio per ſollicitudinem Ioiadæ Pontificis quærentis ad hoc aſſenſum, & auxilium Principum, & nobilium Regni, cùm dicitur, Pepigitque cum eis fœdus. Quare præceptum illud Ioiadæ de occidenda Athalia Centurionibus impoſitum proceſſit ex priori illo fœdere, quod antea cum illis, & cum Rege pepigerat*, &c. Nam verboſè repetit, Ioiadam, vt priuatum quemlibet ſubditum, Athaliam mandaſſe interfici, quæ, quia examioauimns in reſp. ad num. 367. omitto.

Reſponſio. Reſpondeo. Occiſio Athaliæ contigit poſt creatiooem noui Regis, ac propterea non eſſet incredibile nomine Regis fuiſſe datum præceptum, vt illa occideretur: neque id officeret vllo modo ſententiæ Bellarmini. Bellarminus enim non contendir, Reges hæreticos debere iuſſu Pontificis occidi, ſed tantùm deponi. Sed tamen non benè probat Aduerſarius, ſolo conſilio, & non auctoritate Ioiadæ illa omoia facta eſſe. Scriptura eoim teſte vtroque io loco, 4. Reg. 11. & 2. Paralip. 23. Ioiada conuocauit Centuriones, Ioiada armauit milites: Ioiada præcepit, vt ſi quis ingrederetur ſeptum templi, interficeretur: ſi quis ſequeretur Reginam, ſimiliter interficeretut: Ioiada, vt ioquit Gloſſa ab Aduerſario citata, inſtituit Regem: Ioiada coronauit Regem: Ioiada iuſſir interfici Reginam: Ioiada inijt fœdus inter ſe, Regem, & populum, vt eſſet populus Domini: Ioiada præcepit templum Baal euerti, aras Idolorum deſtrui, Sacerdotem Baal occidi: Ioiada poſuit cuſtodias in domo Domini, &c. Hęc omnia fecit Ioiada Summus Sacerdos: ſed quoniam ipſe ſolus non poterat rem totam perficere, Centuriones adiurauit, vt fortiter, fideliterque iuuarent, & ideò cum ipſis fœdus ioijt pro exſecutione: Quare Centurionibus nihil tribuitur niſi paritio, & exſecutio ad mandatum Ioiadæ. *Fecernut*, inquit ſcriptura, *Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.*

Quod additur de fœdere cum Rege, intelligitur de Rege futuro, id eſt, cum eo, qui paulò poſt Rex inſtituendus erat, vt ex eodem loco manifeſtum eſt. Nam ſtatim ſubiungi-

iungitur, *Dixitque ad eos Ioiada, Ecce filius Regis regnabit.*

Gloſſa. Gloſſa contra Aduerſarium facit. Sic enim habet Gloſſa exponens verba citata 4. Reg. 11. *Hic*, inquit, *deſcribitur inſtitutio veri Regis per ſollicitudinem Ioiadæ Pontificis, quærentis ad hoc aſſenſum, & auxilium Principum, & nobilium Regni*, &c. At ſi hic deſcribitur veri Regis inſtitutio, & ad hoc quæritur aſſenſus Principum, certè ante Ioas non erat Rex, etiamſi eſſet filius Regis: qui enim Rex eſt ex ipſa ſucceſſione, non debet inſtitui, ſed declarari; neque eget aſſenſu Principum. Ioiada ergò Regem conſtituit, & Reginam deſtituit, ſed auxiliantibus, & aſſentientibus Principibus, ſine quibus rem perficere non potuiſſet.

5. Obiectio. Num. 371. (deeſt enim nota num. 370.) multis verbis reprehendit Cardinalem Bellarminum, quod mala fide recenſeat verba ſcripturæ; *Itaque ingreſſus eſt omnis populus domum Baal*, &c. quaſi immediatè ſequantur interfectionem Athaliæ: cùm tamen non immediatè ſequantur, ſed interpoſita ſint iſta; *Pepigit autem Ioiada fœdus inter ſe, vniuerſumque populum, & Regem, vt eſſet populus Dei*; & deinde ſequantur verba à Cardinal. Bellarmino relata: *Itaque ingreſſus eſt omnis populus domum Baal, & deſtruxerunt eam*, &c.

Reſponſio. Reſpondeo. Non Bellarm. mala fide citauit verba ſcripturæ, ſed Aduerſarius aut calumniatur, aut neſcit, quid loquatur. Nam verba illa: *Pepigit autem Ioiada*, &c. pertinent ad declaraudam idololatriam Reginæ interfectæ, & cauſam cur interfici debuerit. Ideò enim debuit Sacerdos nouo fœdere obligare populum cum Rege ad cultum veri Dei, quia Regina, quæ proximè regnauerat, auerterat populum à cultu veri Dei ad cultum Baal. Illa autem verba, quæ ſequuntur: *Itaque ingreſſus eſt omnis populus domum Baal*, &c. ſignificant executionem fœderis iniri de idololatria à Regina introducta exterminanda.

Neque Bellar. voluit præciſè verba illa: *Itaque ingreſſus eſt omnis populus domum Baal*, &c. immediatè ſequi poſt verba, quibus præcipiebatur occiſio Athaliæ: ſed voluit, euerſionem templi Baal factam eſſe immediatè poſt occiſionem Reginæ. Itaque de rebus geſtis, non propriè de verbis locutus eſt. Citauit autem verba illa. *Itaque ingreſſus eſt omnis populus, &c.* potiùs quàm illa, *Pepigit autem Ioiada fœdus*, &c. quia illa verba magis expreſsè continent euerſionem idololatriæ, quá iſta, quamuis vtraque ad rem eandem pertineant.

C A P. XIII.

Examinatur reſponſio ad exempla ex SS. Ambroſio, Gregorio I. Gregorio II. & Zacharia deprompta à num. 413.

3. Exemplum Bellar. birni bre Theodoſij Imp. NVm. 373. (nam nota num. 372. deeſt) *Tertium exemplum eſt B. Ambroſij, qui cum Epiſcopus eſſet Mediolanenſis, & proinde Paſtor, & Pater ſpiritualis Theodoſij Imperatoris, qui Mediolani ſedem ſuam ordinariè tenebat, primùm excommunicauit eum propter cædem, quam Theſſalonicæ à militibus fieri imperauerat; deinde præcepit ei, vt legem ferret, ne ſententiæ latæ de cæde, vel bonorum publicatione ratæ eſſent, niſi poſt triginta dies à ſententiæ pronunciatione; vt nimirum, ſi quid per iracundiam præcipitanter dictaſſet, intra tot dierum ſpatium reuocare poſſet. Scribit hoc Theodoretus lib. 5.* *1. Membrum.* *hiſt. cap. 17. Atqui non potuit Ambroſius excommunicare Theodoſium propter cædem illam, niſi prius cauſam illam cognouiſſet, & diiudicaſſet, licet criminalis eſſet, & ad forum externum pertineret: non potuit autem cognoſcere, & iudicare eiuſmodi cauſam, niſi etiam in foro externo legitimus Iudex Theodoſij fuiſſet.*

2. Membrum. Num. 374. *Prætereà cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præſcribere ei formam legis, nonnè manifeſtè oſtendit poſſe Epiſcopum interdum temporali poteſtate vti etiam in eos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Et ſi Epiſcopus quilibet id poteſt, quantò magis Epiſcopus Epiſcoporum.*)

Num. 375. Admittit Aduerſarius potuiſſe à S. Ambroſio excommunicari Theodoſium Imp. ob cædem illam, ac per hoc potuiſſe iudicari de cæde illa, quatenus peccatum erat. Sed dicit ex hoc exemplo nihil probari pro poteſtate Summi Pontificis in deponendis Regibus: de qua quæſtione nunc agimus.

Reſpondeo. Bellarniinus ſecundam illam ſententiam (quam lib. 5. de Pontif. cap. 1. hæreſim vocauerat, hæreticorum eſſe dixerat, qua de re cap. 6. ad num. 117. multa diximus) capite 7. & 8. euertere volebat. Ea autem ſententia, ſeu potiùs hæreſis non tantum aſſerit, non habere Pontificem poteſtatem deponendi Reges; ſed etiam non habere vllam poteſtatem temporalem, nec poſſe vllo modo imperare Principibus ſæcularibus. Itaque Bellarminus præcipuè quidem probat Pôtificem habere poteſtatem diſponendi de temporalibus, & deponendi Reges: attamen ſimul probat Summum Pontificem habere in ſupremos Principes iuriſdictionem, vel poteſtatem in foro exteriore Eccleſiaſtico: ac proinde eis imperare poſſe, & iudicare. Probat autem, quia poteſt excommunicare eos.

Numeris quatuor ſequentibus duas obiectiones mouet contra illam alteram Bellarminiani exempli partem, quas breuiter diluemus.

1. Obiectio. Num. 376. & 377. Obijcit, poſſe quidem ab Epiſcopo cogi Principem ſæcularem, vt aliquam legem ferat, aut abroget, ſi id requirat ſalus animarum: ſed poſſe vice verſa etiam à Principe ſæculari cogi Epiſcopum ſibi ſubiectum in temporalibus, vt abroget legem aliquam ſpiritualem, ſi detrimentum afferat Reipubl. temporali; vel vt ferat aliquam legem Eccleſiaſticam, quando talis lex neceſſaria eſt ad quietem publicam iure conſeruandam.

Reſponſio. Reſpondeo. Hæc eſt Aduerſarij doctrina ſæpius ab ipſo repetita, & à nobis refutata.

Princeps temporalis non habet imperium in Epiſcopos. Epiſcopus enim verè, & propriè eſt Princeps ſpiritualis, & in ſpiritualibus ſubiectum habet Principem temporalem in ſua diœceſi degentem: neque eſt abſurdum, vt Princeps ſpiritualis iudicet de temporalibus,

quæ

Digitized by Google

quæ ſpiritualibus ſeruire debent : At Princeps temporalis non poteſt habere ſubiectum Principem ſpiritualem, etiam in rebus temporalibus, & multò minus poteſt iudicare de ſpiritualibus, quorum ipſe capax non eſt, & quæ nullo modo ſubordinantur temporalibus. Proinde non poterit præcipere Epiſcopo ex auctoritate, vt legem ſpiritualem abroget, etiamſi fortè cedat in detrimentum Reipubl. temporalis : ſed poterit alia ratione, & via defendere bonum temporale Reip. tum recurrendo ad Summum Pontificem, tum debito modo impediendo detrimentum illud, quod Reip. ſuæ adferri videt.

2. Obiect. Num. 378. & 379. objicit Ambroſium
» non caſtigaſſe pœnis criminalibus, & pote-
» ſtatis politicæ proprijs delictum Theodoſij;
» ſed ſolùm in foro conſcientiæ iniunxiſſe pro
» pœnitentia, vt legem illam ferret, non tam
» ad pœnam, quàm ad cautelam.

Reſponſio. Reſpondeo. Ab Ambroſio non fuiſſe delictum Imperatoris caſtigatum pœna criminali, quoniam cædes iniuſta cæde iuſta punienda eſt. *S. Leo M.* Lenitas autem Eccleſiaſtica Cruentas Refugit Vltiones. Falſum autem eſt, iniunctum fuiſſe Theodoſio in pœnitentiam fori conſcientiæ, vt legem illam ferret. Excommunicatio enim Theodoſij publica fuit, & publica etiam debuit eſſe abſolutio, & ſatisfactio. Itaque potuit Ambroſius imperare Theodoſio, vt ſi reconciliari cum Deo & Eccleſia vellet, legem illam ferret : atque hoc modo de rebus politicis iudicare, & diſponere in ordine ad ſpiritualia; quod Card. Bellarminus probare volebat.

4. Exemplũ Bellar. Num. 280. *Quartum exemplum eſt Gre-
gorij I. in Priuilegio, quod conceſſit Monaſterio
» S. Medardi, & habetur in fine Epiſtolarum : ſi
» quis, inquit, Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel
» quarumcunque ſæcularium poteſtatum huius Apo-
» ſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decre-
» ta violauerit, cuiuſcunque dignitatis, vel ſubli-
» mitatis ſit, honore ſuo priuetur.*

Contra hoc exemplum ſequentibus quatuor numeris duas obiectiones mouet.

1. Obiectio. Num. 381 & 382. objicit, *in his Grego-
» rij verbis non tàm præceptum imperantis, quam
» imprecantis deſiderium contineri.* Probat id ex
» ipſo Priuilegij contextu, quia in eodem Pri-
» uilegio dicit, vt, qui violauerint hoc priui-
» legium, non ſolùm honore priuentur; ſed *&
» cum Iuda traditore Domini ad infernum, niſi re-
» ſipuerint, damnentur : At*, inquit, *ſatis liquet
» poſſe Pontifices impœnitentibus damnationem ſo-
» lùm imprecari, non autem præcipere. Quare
» ſignum eſt S. Gregorium Regibus præceptionem
» eius violantibus honoris priuationem non iuridicè
» imperaſſe, ſed tantùm malè precando exoptaſſe,
aut ad ſummum à Deo eſſe priuandos declaraſſe.*

Reſponſio. Reſpondeo. Hæc explicatio verborum S. Gregorij ab Aduerſario allata, non poteſt ſubſiſtere.

Thomas Valdenſis Anglus mortuus an. 1430. *Primùm*, quia Gregorius VII. Pontifex, & Thomas Valdenſis non eruditione tantum ſed & ſanctitate conſpicui ſcriptores ſine comparatione Aduerſario maiores & probatiores, affirmant S. Gregorium in hoc priuilegio ſupremam ſuam poteſtatem oſtendiſſe, & non imprecando, ſed imperando decreuiſſe, vt honore ſuo careant, qui auctoritati ſuæ repugnare præſumunt. Sed audiamus ipſos.

S. Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 21. ad Epiſcopum Metenſem, *B. Gregorius*, inquit, *Papa Reges à ſua dignitate cadere ſtatuit, qui Apoſtolicæ Sedis decreta violare præſumpſerint, ſcribens ad quendam Senatorem Abbatem his verbis : ſi quis verò Regum, &c. Quod ſi B. Gregorius Doctor vtique mitiſſimus Reges, qui ſtatuta violarent, non modò deponi, ſed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decreuit : quis nos Henricum (Henricum IV. Imp. intelligit) non ſolùm Apoſtolicorum iudiciorum contemptorem, verùm etiam ipſius Matris Eccleſiæ, quantum in ipſo eſt, conculcatorem, totiuſque Regni, & Eccleſiarum improbiſſimum prædonem, & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe, & excommunicaſſe reprehendat, niſi fortè ſimilis eius?* *S Greg VII. Pont.*

Thomas Valdenſis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, art. 3. cap. 75. *Profectò*, inquit, *nec B Gregorius eminentiæ ſui ſtatus ſuper ſtatum imperialem præiudicauit in aliquo, cùm Regem ſibi verbotenus prupoſuit, negotio, quod tum tractabatur, attento : quod tunc aptè videbimus, ſi poſteriora eius facta, & ſcripta quæramus. Vide an ſe Magiſtrum Imperatorum*, Regum *non arbitrabatur, cum poſt priuilegia quædam Senatori Presbytero, & Abbati Xenodochij Francorum directa ſub interminatione dignitatis, & honoris omni eius violatori concluſit, ſi quis* Regnum *&c.* Hæc illi. *Thom. Valdenſis.*

Deinde, quia, quod Aduerſarius de damnatione ad inferos objicit, contra ipſum facit. Non enim Pontifex imprecaretur ouibus ſuis damnationem ad inferos, niſi crudeliſſimus eſſet. Itaque non imprecatur S. Greg. damnationem æternam; ſed declarat eiuſmodi violatores dignos eſſe, qui damnentur ad inferos, & niſi reſipiſcant, reipſa damnandos eſſe à iuſto iudice Deo. Et in eodem Priuilegio, cùm dicit, *à conſortio Chriſtianitatis ſequeſtrerentur*, non imprecatur, excommunicentur, & iubet excommunicari. Et cũ dicit, *honore ſuo priuentur*, declarat dignos eſſe, qui priuentur honore, quem habent, & iubet, vt ij, ad quos pertinet electio, alios eligant.

Num. 383. & 384. objicit non eſſe veri- *2. Obiectio.*
ſimile S. Gregorium ob tam leuem cauſam »
voluiſſe Principes honore ſuo priuari. »

Reſponſio. Reſpondeo. S. Gregorius tam grauem pœnam violatoribus eius Priuilegij addidit, quoniam Rex ipſe, & Regina, & Epiſcopi Franciæ cupientes Monaſterium iſtud perpetua quiete frui, & vt Monachi illi ſine vlla perturbatione Deo ſeruirent, ab ipſo S. Gregorio hoc poſtulauerunt, & ipſi eidem Priuilegio, illud acceptantes ſubſcripſerunt. *Euidens argumentũ Pontificiæ auctoritatis.* Atque hinc apertè colligitur ſumma Summi Pontificis auctoritas. Rex enim, Regina, & Epiſcopi exiſtimauerunt, non potuiſſe Monaſterium illud æterna pace frui, niſi acceſſiſſet Priuilegium Summi Pontificis cum grauiſſimæ pœnæ comminatione.

5. Exemplum Bellar. Leonis Iſauri Imp. Iconomachi Num. 285. *Quintum exemplum eſt Grego-
rij II. qui Leoni Imperatori Iconomacho prohi-
buit vectigalia ſolui ab Italis, & proinde mulcta-
bat eum parte Imperij, cuius factum multi lau-
dauerunt vt ſanctum, & legitimum, nimirum
Cedrenus, Zonaras in vita Leonis Iſauri, & om- »
nes alij hiſtorici, qui res geſtas horum temporum »
conſcripſerunt.*

Num.

Digitized by Google

6. Exemplum Bellar. Hilderici Stupidi Regis Galliæ

Nu. 386. *Sextum exemplum eſt Zachariæ, qui rogatus à Primoribus Francorum Childericum depoſuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni Patrem* Regem *creari iuſſit. Cuius cauſa fuit, quia propter ſocordiam Childerici, &* Religioni, & Regno *in Gallia extrema ruina imminere videbatur, vt ex Cedreno in vita Leonis Iſauri, Paulo Diacono lib. 6. cap. 5. de geſtis Longobardorum, & Bonifacio Epiſcopo Moguntinenſi in epiſt. ad Zachariam.*

Magdeburg. Cent. 8. cap. 8

Cuius facti Magdeburgenſes nullum inuenire potuerunt in antiquis ſcriptoribus reprehenſorem; nos autem plurimos habemus approbatores, nimirum Adonem, Sigebertum, Reginonem *in Chronicis. Sed de hac re diximus plura contra Caluinum in lib. 2. cap. 17.*

7. Exemplum Bellar. translationis Imperij Occid. à Græcis ad Germanos.

Num. 387. *Septimum exemplum eſt Leonis III. qui Imperium tranſtulit à Græcis in Germanos, propterea quod Græci nullum auxilium laboranti Eccleſiæ Occidentali adferre poſſent. Ex quo factum eſt, vt licet Imperatoria dignitas abſolutè conſiderata non ſit à Pontifice; ſed à Deo mediante iure Gentium, vt ſuprà oſtendimus ex Gelaſio, Nicolao, & Innocentio III. tamen Imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debeant ſuum Imperium. Quod enim hæc poteſtas ſit nunc apud Germanos, à Pontifice eſt. Et licet abſolutè non eſſet neceſſarium, vt Papa confirmaret Imperatorem, nec vt Imperator Pontifici iuramentum fidelitatis præſtaret, tamen à tempore tranſlati Imperij in Germanos vtrumq; requiritur, vt patet ex Innocentio III. cap. venerabilem, extra de electione, & ex Clementina vnica de iureiurando. Neq; iniuſtè hoc requiritur. Qui enim potuit Imperium Germanis conferre, potuit etiam certas conditiones adiungere propter eandem cauſam, ne videlicet contingeret hæreticum, vel ſchiſmaticum creari.*

Sententia Magdeburg. de Tranſlat. Imperij.

Nu. 388. *Ad hoc dupliciter reſpondent Aduerſarij: nam alij negant rectè factum, vt Pontifex Imperium à Græcis transferret in Germanos, & in hoc numero ſunt Magdeburgenſes, qui Centur. 8. cap. 10. colum. 751. ſic aiunt: Eſt hæc tranſlatio præcipuum ex miraculis Antichriſti. Theodorus quoque Bibliander tabula 10. ſuæ Chronologia dicit, Leonem III. vſurpata auctoritate Imperium à Græcis ad Germanos tranſtuliſſe.*

Sent. Marſilij de Padua, de Tranſlat. Imperij.

Num. 389. *Alij verò aſſerunt, factum quidem iure, ſed auctorem tranſlationis non Pontificem, ſed populum fuiſſe* Romanum. *Ita Marſilius de Padua, referente Pighio lib. 5. Hierarch. Eccleſ. cap. 14.*

Refutatur ſent. Magdeburg.

Nu. 390. *Ad primos* Reſpondeo, *hanc tranſlationem ritè, & legitimè factam fuiſſe, apertè cōſtare. Primò, ex conſenſu totius orbis Chriſtiani; ſemper enim omnes Chriſtiani pro veris Imperatoribus habuerunt Carolum Magnum, eiuſq; ſucceſſores, nec fuit vnquam vllus* Rex *Chriſtianus, qui Imperatorem præcedere voluerit, tametſi eum alioqui potentia, &* Regni *antiquitate anteiret. Primi ſunt Lutherani, qui ſicut populum Fide, &* Religione *ſpoliauerunt, ita quoque Imperatorem ſuum de Sede ſua deturbare moliuntur.*

Sent. Lutheranorũ iniurioſa Imperio

Secundò, *ex felici euentu huius tranſlationis. Vt enim Deus oſtenderet iure factum fuiſſe, multis victorijs Carolum ornauit, regnumque eius florentiſſimum, & Eccleſiæ vtiliſſimum eſſe fecit.*

Irene Imperatrix.

Tertiò, *ex confeſſione Imperatorum Græcorum, qui non ſemel confeſſi ſunt* Romanum *Pontificem iure potuiſſe facere, quod fecit. Nam in primis, cùm audiſſet Irene Imperatrix Carolum à Leone appellatum Imperatorem, non ſolùm non reclamauit, ſed etiam Carolo nubere voluit, & feciſſet: niſi perfidi quidam Eunuchi impediuiſſent, vt ſcribunt Zonoras, & Cedrenus in vita eiuſdem Irenæ.*

Nicephorus Imp.

Deinde, *mortua Irene Nicephorus Imperator, qui ei ſucceſſerat, legatos ad Carolum, tanquam ad Imperatorem miſit, vt ſcribit Ado in Chronico anni DCCCIII. Et paulò poſt defuncto Nicephoro, Michael ei ſuccedens ſimiliter legatos ad Carolum miſit, qui eum Imperatorem palàm ſalutauerunt, vt ſcribit Ado in Chronico anni DCCCX.*

Michael. Imp

Nec ſolùm Græci, ſed etiam Perſæ Legatos, & munera ad Imperatorem Carolum recens creatum miſerunt, vt ſcribunt Regino *lib. 2. & Ottho Friſingenſis lib. 5. cap. 31. Rurſum, (vt ſcribit Blondus lib. 5. Decadis 2. & (Platina in vita Alexandri III.) Imperator Grecorum Emmanuel, cùm audiſſet Pontificem Alexandrum III. ab Imperatore Friderico in extremas redactum anguſtias: eidem Pontifici obtulit auxilium, & pecuniarum ingentem vim, ſi vellet Imperium Occidentis Conſtantinopolitanis Imperatoribus reddere.* Reſpondit *autem Pontifex, nolle ſe ea coniungere, quæ maiores ſui de induſtria, & optima ratione diuiſiſſent. Vbi notandum eſt, Emmanuelem non voluiſſe aliud à Pontifice, quam titulum Imperij. Satis enim ſciebat poſſeſſionem ipſam à Pontifice dari non potuiſſe, ſed fuiſſe armis acquirendam; non autem ſolum titulum tanto pretio emere voluiſſet, ſi eum inanem, vel etiam falſum, & illegitimum eſſe credidiſſet.*

Emanuel Imp.

Refutatur ſent. Marſilij de Padua de Tranſlat. Imperij.

Num. 394. (nam notæ num. 391. 392. 393. deſunt) *Ad alios, qui dicunt, auctorem tranſlationis non Pontificem, ſed populum* Romanum *fuiſſe, facilè eſt reſpondere. Nam in primis populus* Romanus *nunquam ferè habuit Imperatoris creandi poteſtatem, ſed antiqui Imperatores, vel iure hæreditario habuerunt Imperium, vt Octauianus, Tiberius, Caius; vel ab exercitu creabantur, vt creatus fuit Claudius, Veſpaſianus, & alij. Et fuiſſe hanc ordinariam conſuetudinem, vt Imperator ab exercitu crearetur, teſtatur B. Hieronymus epiſt. ad Euagrium; vnde exſtat Canon legimus, diſt. 93. Tempore autem Caroli Magni nullus fuit exercitus* Romanorum, *qui eum Imperatorem creare potuerit. Soli enim in Italia erant exercitus Græcorum, & Longobardorum, & ijs omnes Carolo infenſi. Nec iure hæreditario Carolus* Imperium *habuit, vt patet.*

Nu. 395. *Deinde, ſi quam habuerunt* Romani *in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certè amiſerunt, quando Imperij ſedes Conſtantinopolim tranſlata fuit: Nam deincept per annos circiter D. hoc eſt, à Conſtantino Magno vſq; ad Carolum Magnum, nihil vnquam egit Senatus, populuſq;* Romanus *circa Imperatorum creationem.*

Num. 396. *Præterea auctores omnes, qui de hac re ſcribunt, vt Zonaras, Cedrenus in vita* Irenæ, *Paulus Diaconus lib. 13. rerum* Romanarum, *Ado in Chronico anni DCCC. Albertus Krantzius in Metropoli lib. 1. cap. 14. Ottho Friſingenſis lib. 5. cap. 31. Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Lambertus,* Regino *Palmerius, Blondus, omneſque alij Chronologi, vel Hiſtorici Leonem* III. *aſſerunt Imperium à Græcis in Francos, ſeu Germanos tranſtuliſſe. Quod idem docet* Innocentius III. *cap. venerabilem de Electione; Ad eos, inquit, ius, & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica Sede peruenit, quæ Romanum Imperium in perſona Magnifici Caroli à Græcis*

tran-

tranſtulit iu Germanos. Et ibidem ſubiungit, Principes Germanos id apertè recognoſcere. Ipſe etiam Carolus Magnus idem non obſcurè ſignificauit, cum ſcriptum à ſe teſtamentum, quo filios ſuos hæredes Imperij reliaquebat, miſit ad Leonem Papam, vt ſubſcriptione ſua firmaret, vt ſcribit Ado in Chronic. anni DCCCIV. Deniq; idem patet ex confeſſione Emmanuelis Græci Imperatoris, vt ſuprà eſt annotatum.

Carolus M. teſtamentum ſuum à Pont. confirmari petijt.

Num. 397. Octauum exemplum eſt Gregorij V. qui Sanctionem edidit de Imperatore eligendo per ſeptem Germaniæ Principes, quæ vſq; ad hanc diem ſeruatur. Quod ita eſſe præter Blondum Decade 2. lib. 3. Nauclerum generat. 34. Platinam in vita Gregorij V. alioſque multos hiſtoricos aſſerunt etiam Magdeburgenſes Cent. 10. cap. 10. colum. 546. his verbis; Gregorius ſuam patriam inſigni aliqua dignitate ornaturus ſanxit, vt penes ſolos Germanos ius eſſet eligendi Regem, qui poſt diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator, & Auguſtus appellaretur. Suntque Electores conſtituti, Moguntinus, Colonienſis, & Treuirenſis Archiepiſcopi, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, Marchio Brandeburgenſis, & Dux Bohemiæ. Vtrum autem iure Pontifex id fecerit, non aperiunt: Sed ſi velint, iure id factum, fateri cogentur, Pontificem eſſe Imperatore, & Principibus omnibus ſuperiorem, vt patet. Si verò dicunt non iure, ſed tyrannicè, iniuriam facient ſuis Patronis, & Protectoribus, nimirum Duci Saxoniæ, Comiti Palatino, & Marchioni Brandeburgenſi. Quid enim iſti habent maius, quam Electoratum? At non iure habent, ſi is qui dedit, dare non potuit. Dediſſe autem Pontificem extra controuerſiam eſt.

8. Exemplum Principum Electorũ Imperij.

Principes Electores qui ſint.

Num. 398. Nonum exemplum eſt Gregorij VII. qui Henricum Imperatorem depoſuit, & alium eligi iuſſit, quod & factum eſt, vt ipſi etiam Magdeburgenſes fatentur Cent. 11. cap. 16. in vita Gregorij VII. Rectè autem factum hoc fuiſſe, & cum approbatione, & applauſu omnium bonorum in libro ſuperiore oſtendimus, vbi Pontifices à calumnijs hæreticorum vindicauimus.

9. Exemplum depoſitionis Henrici 4.

Num. 399. Decimum exemplum eſt Innocentij III. qui Otthone IV. ſimiliter depoſuit, vt patet ex Blondo, Decade 2. lib. 6.

10. Exemplũ depoſitionis Otthonis 4.

Num. 400. Vndecimum eſt Innocentij IV. qui in Concilio generali Lugdunenſi conſentientibus vniuerſis Patribus depoſuit Fridericum II & vacauit tum Imperium annis vigintiocto, vt Matthæus Palmerius in Chronico annotauit. Extat adhuc tota ſententia in Fridericum lata, c. ad Apoſtolicæ de ſententia, & re iudicata, in ſexto. Idem etiam Innocentius IV, dedit Regi Luſitaniæ Coadiutorem quemdam, qui Regnum adminiſtraret, quandoquidem Regis negligentia, & Reſp. & Religio in Luſitania detrimentum patiebatur. Id habetur cap. Grandi, de ſupplenda negligentia Prælatorum, in ſexto.

11. Exemplũ depoſitionis Friderici 2.

Regi Luſitaniæ datus à Pontifice Coadiutor.

Num. 401. Duodecimum exemplum eſt Clementis VI. qui Ludouicum IV. Imperatorem à Ioanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum depoſuit. Cuius hiſtoriam vide apud Pighium l. 4. Hierarch. Eccleſ. c. 14. & 15. apud Robertum Arboricenſem Tom. 2. Theoremate 7. de vtroque gladio.

12. Exemplũ Ludouici 4.

Num. 402. Hæc ſunt reliqua octo exempla, quæ adfert Card. Bellarm. ad poteſtatem Papætem Principes ſuis dominijs priuandi confirmandam, quibus plura alia adiungi potuiſſent, quæ à Gregorio Tholoſano lib. 26. de Rep. c. 4. 11. 12. Ioanne Azorio 2. tom. Inſtit. lib. 12. c. 5. q. 8. (credo erratum eſſe & emendandum, lib. 11. cap. 5. qu. 8. Refert idem Azorius exempla aliquot lib. 5. cap. 42. qu. 7. & lib. 10. ca. 8.) & nonnullis alijs commemorantur.

Atque vt breuiter percurram quorundam ex iſtis exemplis, nimirum quinti, ſexti, ſeptimi, & octaui expoſitiones non omnino incommodas, nempè Gregorium etiam nomine II. (ſi verum eſſe concedamus, quod de eo ſcribunt quidam vetuſtiores hiſtorici, tametſi contrarium expreſſè doceant Anaſtaſius Bibliothecarius in Greg. II. Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Longobardorum cap. 49. in noua edit. Platina, & Sebaſtianus Verronius in Gregor. II. citans Blondum libro decimo, atque etiam Platinam) prohibuiſſe quidem, ne Leoni Iſauro Imper. à ſe excommunicato vectigalia ab Italis ſoluerentur, non tamen iuridicè priuaſſe illum iure ſuo tributa ab Italis exigendi, ſed tantum conſilio, & hortatu ſuo præcipuum auctorem fuiſſe, ne Itali Imperatori excommunicato vectigalia more ſolito penderent. Hoc enim clarè indicat Otho Friſingenſis lib. 5. hiſt. cap. 18. ita aiens: Qua de cauſa Gregorius Papa commonito ſæpè per litteras Imperatore (Leone) ac incorrigibili inuento Italiam ab eius Imperio recedere perſuaſit. Itaque Gregorius non propriè imperando, ſed ſuadendo mulctauit Imperatorem parte Imperij ſui: atque prohibuit, ſeu hortatu ſuo impediuit, ne conſueta tributa illi redderentur. In quo etiam ſenſu Abbas Vrſpergenſis in Chronico anni 718. qui ait, Gregorium omnia tributa Romanæ Vrbis, & Italiæ Imperatori dari prohibuiſſe, id eſt, ſuo conſilio impediuiſſe, & alij quoque plures antiquiores hiſtorici commodè exponi poſſunt, &c.

Reſponſio Aduerſarij ad alia exempla.

Otho Friſingenſis.

Abbas Vrſpergenſ.

Reſpondeo. Primum, quod Anaſtaſius Bibliothecarius, & Platina, & alij contrarium docuerint, falſum eſt. Dicunt quidem Gregorium Papam diu reſtitiſſe populis Italicis, qui nouum Imperatorem eligere cupiebant abdicato Leonem hæretico; quod verum eſt; ſed non negant, poſtea Gregorium cognita obſtinatione Imperatoris eum tandem excommunicaſſe, & prohibuiſſe vectigalia illi pendi, quod expreſsè tradunt Cedrenus, & Zonaras ex Græcis, Abbas Vſpergenſis, & Sigebertus in Chronico anni 728. & alij ex Latinis. Et hoc forte voluit ſignificare Platina, dum inquit: Paulus (Exarchus) vehementer Pontifici inſenſus, quod ab eo prohiberetur, quo minus noua vectigalia exigeret, clàm & apertè mandato Imperatoris viri Sanctiſſimi (Gregorij Pont.) mortem quærere, &c. Vide Card. Baronium accuratiſſimè hanc hiſtoriam deſcribentem tom. 9. Annalium, ad an. Domini 726. & 730.

V. Exemplũ Bellarmini defenditur.

Platina.

Otho Friſingenſ explicatur.

Deinde, quod ſcribit Aduerſarius ex Otthone Friſingenſi, Gregorium perſuaſiſſe Italis, vt ab eius Imperio recederent, verum eſt, ſi benè intelligatur; falſum autem, ſi iuxta Gloſſam Aduerſarij explicetur. Exiſtimat enim Aduerſarius, Gregorium ſola exhortatione perſuaſiſſe Italis, vt ab Imperatore deficerent. Hoc autem neque eſt verum, neque veriſimile. Non eſt verum, quoniam è contrario Gregorius volentem Italiam ab Imperatore ſponte deficere, omnibus modis impediuit, vt Anaſtaſius, & alij ſcribunt. Non eſt veriſimile, quia non licet ſubditis à legitimo Principe deficere, antequam per ſenten-

tiam

tiam Iudicis deponatur. Fuit autem Gregorius omnium conſenſu vir optimus, & ſanctiſſimus: non igitur perſuaſie ſubditis Imperatoris, vt propria auctoritate ab illo deficeerent. Nihilominus *perſuaſit Gregorius Italiam à Leonis Imperio recedere*, non ſolo conſilio, vel exhortatione, ſed auctoritare pontificia, qua illum ſæpiùs fruſtra admonitum, & diu rolerarum, tandem è cœtu Chriſtianorum eiecit, & prohibuit vectigalia illi deinceps ſolui.

Itaque verè perſuaſit, vt deficerent, ſed à Principe excommunicato, & à cuius obedientia liberati erant: non à Principe nondum excommunicato, nec vllo modo depoſito.

Abbas Vrſpergenſis explicatur.

Demum, quod explicat Abbatem Vrſpergenſem, qui ait, *Gregorium prohibuiſſe dari tributa Italiæ Leoni Imp. id eſt, ſuo conſilio impediniſſe*, eamque explicationem alijs hiſtoricis accommodari poſſe dicit, falſum eſt, & ridiculum. *Falſum* quidem ob cauſas iam dictas, cùm ageremus de Otthone Friſingen. *Ridiculum* verò, quia prohibere, & conſilium dare, ſiue intercedere, & exhortari multùm diuerſa ſunt. Et velim libenter ſcire ex Aduerſario, ſi vel ipſius ſententia dicti auctores ſignificare voluiſſent, Pontificem verè vetuiſſe dari tributa Leoni, quibus verbis putet eos vti debuiſſe.

Reſponſio Aduerſarij ad VI. exemplū.

Num. 404. (nam nota num 403. deeſt) item num. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. & 412. diſputat Aduerſarius de ſexto exemplo: ſed duo tantùm adfert.

Primò aliquot auctores producit, qui dicunt Zachar. non auctoritate, & poteſtare
“ Pontificia, ſed conſilio tantum, & aſſenſu
“ depoſuiſſe Gildericum.
“ Secundò, quia videbat hinc ſequi, vt li-
“ ceret populo Principem ſuum deponere, ad-
“ dit teſtimonia pro vtraque parte quæſtionis,
“ vtrum liceat Reip. Principem deponere, &
“ metuens ne eos offenderet in quorum gratiã
“ hæc ſcribebat, quæſtionem inſolutam relin-
“ quit.
“ *Quod ad primum attinet, auctores citat,*
“ *Gloſſam in cap. Alius 15. q. 7. Occam, lib. 1. Dia-*
“ *log. tract. 2. 3. part. cap. 18. Maiorem in 4. diſtin.*
“ *24. q. 3. Ioannem Pariſienſem in tract. de poteſta-*
“ *te Regia, & Papali, cap. 15. Almainum de au-*
“ *ctor. Eccleſ. cap. 1. Ludolphum Babenbergium de*
“ *iuribus Regni, & Imperij Romani cap. 12. qui*
“ *citat Hugonem, Gregorium Tholoſanum lib. 26.*
“ *de Republ. cap. 5. num. 14. Aimoinum de geſtis*
“ *Francorum lib. 4. cap. 61. Sigebertum in Chronico,*
“ *anni 750. Adonem Vienuenſem in Chronico an-*
“ *ni 749. Blondum lib. 10. Decad. 1. S. Antoninum*
“ *2. par. hiſt. tit. 14. cap. 1. §. 2. Ioannem Trithemiū*
“ *in compendio Annalium de origine Regum, &*
“ *gentis Francorum, lib. 1. in fine, Nauclerum ge-*
“ *nerat. 26. in an 750. Sabellicum Ennead. 8. lib. 8.*
“ *Michaelem Coccinium, in opuſc. de tranſlatione*
“ *Imperij.*

VI. Exemplū defenditur.

Reſpondeo. Gloſſator, Occamus, Maior, Ioan. Pariſienſ. Almainus, Hugo, Gregorius Tholoſanus, Lupoldus Babenbergius non ſunt hiſtorici, quorum eſt res geſtas, nudè & ſimpliciter, ac verè conſcribere: ſed Theologi aut Iureconſulti, quorum eſt quid iuris ſit, decidere. Quare in facto, vt eſt depoſitio Hilderici, & electio Pipini Regis potius eſt credendum Hiſtoricis: in eo quid fieri poſſit, aut debeat, Theologis, & Iuriſconſultis. Neque enim in facto probando quæri debent Gloſſæ hominum, qui hiſtoricorum teſtimonia volentium nolentiū ad ſuas opiniones accomodant: ſed quæri debent teſtimonia hiſtoricorum, qui res, vt verè geſtæ ſunt fideliter referunt.

Porrò Doctores iſti quid de poteſtate Pontificia deponendi Principes ſentiant ſuprà cap. 3. diximus.

Hiſtorici ferè omnes expreſsè, & diſertis verbis dicunt auctoritate ſedis Apoſtolicę Hildericum depoſitum, & Pipinum Regem conſtitutum.

Chronicon Francorum

Annales Francorum antiquiſſimi à Pitæo editi; *Data auctoritate ſi à Zacharias iuſſit Pipinum Regem conſtitui. Hoc anno ſecundū Romani Pontificis ſanctionem, Pipinus Rex Frācorum appellatus eſt.* Item. *Septingenteſimo quinquageſimo ſecundo anno ab Incarnatione Domini, Zacharias Papa, ex auctoritate Petri Apoſt. mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui poteſtate regia vtebatur, nominis, qui poteſtate regia vtebatur, nominis quoque dignitate frueretur.*

Eginarthus Cancellarius & gener Caroli Mag ſcrepſit ann. 824.

Eginarthus in vita Caroli Magni: *Pipinus per auctoritatem Romani Pontificis ex præfecto Palatij Rex conſtitutus eſt.*

Aimoinus al. Annonius ſiue Ammonius an 990.

Aimoinus ab Aduerſario citatus l. 4. c. 61. *Pontifex data auctoritate ſua iuſſit Pipinum Regem conſtitui.*

Rhegino al. Regino, Abb. Prumienſis circa an 912.

Regino lib. 2. Chron. *Zacharias per auctoritatem Apoſtolicam iuſſit Pipinum Regem creari & ſacræ vnctionis oleo inungi.*

Lambertus Schafnaburgenſis, circa an. 1077.

Lambertus Schafnaburgenſis in Chron. *Pipinus decreto Zachariæ Papæ per vnctionem S. Bonifacij Rex appellatus eſt.*

Sigebertus ann 1100.

Sigebertus ab Aduerſario citatus in Chronico. *An. 750. Pipinus Princeps auctoritate Apoſtolica, & Francorum electione à S. Bonifacio in Regem conſecratur, & an. 752. iterum inungitur à Stephano Papa.*

Hermannus Contractus obijt an 1054

Hermannus contractus in Chronico; *Pipinus auctoritate Stephani Papæ, detonſo, ac depoſito Hilderico, Rex Francorum factus eſt.*

Marianus Scotus Monachus S. Martini maioris Colon. obijt anno 1086. Conradus

Marianus Scotus lib. 3. Chronici: *Zacharias Papa ex auctoritate S. Petri Apoſtoli mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui poteſtate regia vtebatur, nominis etiam dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperabat, depoſitus, & in Monaſterium miſſus eſt.*

Abbas Vrſpergenſis an. 230

Abbas Vrſpergenſis in Chronico; *Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ more Francorum electus ad Regnum, per manus S. Bonifacij eleuatus eſt in Regni Solium, Et infrà; Stephanus Papa Pipinum ſacra vnctione in Regiæ dignitatis honore confirmauit.*

Ottho Friſinghen. obijt. an. 1168. al. 1169.

Ottho Friſingen. lib. 5. cap. 22. *Auctoritate Zachariæ Papæ Pipinus ad regnum eligitur.*

al Lupoldus

Hi omnes ſunt antiquiores omnibus illis Doctoribus ab Aduerſario recenſitis tanquam contrarium ſentientibus. niſi quod de ætate Otthonis Friſingen, alij aliter ſentiunt. Nam omnium ſenior fuit Ludolphus Babenbergius, qui Eiſengrenio vixit an. milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto.

Albertus Krantzius

Albertus Krantzius lib. 1. Metropolis, cap. 14. *Hæc ſedes (Apoſtolica) domui Caroli hoc præſtitit, vt Regiam haberet dignitatem.*

Paulus Aemilius.

Paulus Aemilius in Hilderico: *Zacharias Francos Sacramento Hilderico Regi dicto ſoluit*.

R. Platina

Platina in Zacharia: *Eius* (Zachariæ) *auctori tate Regnum Franciæ Pipino adiudicatur*.

Card. Baron.

Card. Baronius Tom. 9. Annal. ad an. 751 *Zacharias Romanus Pontifex Francorum Regnũ quod ſub Regibus Morouingis inertibus, & nouiſſimè ſub Hilderico ſtupido periclitaretur Apoſtolica auctoritate in Pipinum Caroli Martelli F. Carolomanni Germanum, poſt obtentas aduerſus diuerſos hoſtes ſæpè victorias, tranſtulit, eorumq; Regem creat*.

Gilb. Genebrard.

Gilb. Genebrardus Tom. 2. Chron. lib. 3. *Hic* (Zacharias) *primus cæpit Francos à fide Childerici abſoluere*. Et infrà: *Bonifacius Childericum depoſuit, & Pipinum iuſ. Regem vnxit Romani Pontificis auctoritate*.

Petrus Opmeerus.

Pettus Opmeerus in Chronico: *Zacharias Pipino regnandi cupido regnum Franciæ ob inertiam Childerici Regis conceſſit: ſicque regnũ Francorum alienatum fuit à familia Pharamundi*.

Aliqui dicunt conſilio, conſenſu, declaratione Zachariæ Pontificis id factum, qui nobis nullo modo contradicunt, quia Pontifex auctoritate ſua non modo ius Regni in Pipinum tranſtulit: ſed & Francis exſecutionem ſententiæ commiſit, mandauit, perſuaſit, quomodo de Gregorio II. paulò antè diximus. Alia eſt certè declaratio priuata Doctoris; alia publica Iudicis, ſeu ſuperioris.

An penes ſubditos ſit Poteſtas Principes deponendi.

Porrò quod attinet ad quæſtionem, quam Aduerſarius attingit de poteſtate populi ad ſuos Principes deponendos; id ſolum peto ab Aduerſario, vt apertè nobis explicet, quid ipſe ſentiat. An videlicet poteſtas Principis deponendi, quando dignus eſt, qui deponatur, ſit in populo, an in Pontifice, an in ſolo Deo, ſi ſentit, eſſe in poteſtate populi Principem deponere; valdè malè meretur de Principibus ſæculi, quos vt ſubtrahat poteſtati vnius Summi Pontificis, qui Pater eorum eſt, ſubijcit poteſtati ſubditorũ, videlicet multirudinis popularis, quæ omni Euripo concitatior omni aura eſt mobilior. Si autem ſentit, non eſſe in populo poteſtatem Principis deponendi, ſed in Pontifice, habemus illi gratias, quod tandem aliquando veritatem fateri voluerit. Quod ſi fortè ſentit, neque Pontifici, neque Reipubl. licere in ullo caſu Principem deponere, oportebit omninò, aut depoſitionem Hilderici fabuloſam eſſe, & non ab Hiſtoricis narratam, ſed à Poetis confictam: aut certè grauiter peccaſſe Pontificem Zachariam, qui vel depoſuit Hildericum, vel vt deponeretur conſilium dedit: grauiter etiam peccaſſe ſanctum Bonifacium Germaniæ Apoſtolum, & Chriſti Martyrem, qui miniſterium in ea depoſitione præbuit: grauiſſimè autem peccaſſe populum, & Proceres Francos, qui Principem ſuum, qui ſolum Deum ſuperiorem, ex ſententia Aduerſarij, in temporalibus agnoſcebat, impiè de throno deiecerunt: nec minus grauiter peccaſſe Pipinum, & Carolum eius filium, qui per ſummum ſcelus Regnum Domini ſui inuaſerunt. Atqui fabuloſam eſſe depoſitionem Hilderici, nemo dicere poteſt, niſi qui velit hiſtorias omnes negare, & fidem humanam, ſine qua viuere ſimul non poſſumus, de medio tollere.

S. Zach. Pont. S. Bonifac.

Peccaſſe in ea depoſitione Zachariam omnium iudicio probum & prudentem Pontificem; Bonifacium, Apoſtolum Germaniæ & paulò poſt Martirem glorioſum, ambos inter ſanctos relatos, & anniuerſaria memoria auctos, omnes Proceres Franciæ, & ipſos Pipinum, & Carolum, Principes ſine controuerſia præſtantiſſimos, & de Eccleſia Dei optimè meritos: certè ſine ingenti temeritate, & blaſphemia affirmari non poteſt. Hoc enim factum, ſi vnum Barclaium excipias, omniũ ore prædicatur, & laudatur.

De Canonizatione Caroli M. agit Baronius annal. Tom. 9, ad an. 814. num. 63.

CAP. XIV.

Examinatur Reſponſio ad exempla reliqua, quæ deſumpta ſunt ex rebus geſtis Leonis III. Gregorij V. Gregorij VII. Innocentij III. Innocentij IV. & Clementis VI. Pontificum Romanorum à num. 413. vſque ad 464.

Reſtat vltima pars examinis exemplorũ in qua confuſo quodam modo reſpondere cogimur ad obiectiones Aduerſarij, quoniam ipſe cum non poſſet negare res geſtas Pontificum, in quibus depoſitiones multæ Principum continentur, non eſt auſus ſingulas diſcutere; ſed confusè modò affirmans, modò negans de omnibus generatim diſſeruit, ac præcipuè de prima, id eſt, de Tranſlatione Imperij auctoritate Leonis III. facta; prolixiùs vſque ad finem libri diſputans multas paginas more ſuo impleuit.

Diſputatio de Tranſlatione Imperij Rom. ad Germanos.

Ac de translatione quidem Imperij Cardinal. Bellarminus tres iuſtæ magnirudinis libros accuratè, ſolidè, ac diligentior conſcripſit, ità vt nihil eis addi poſſe videatur. Ego nunc duntaxat hanc ratiocinationem contra Aduerſarium inſtituo. Aut translatio illa vera fuit, aut conficta. Si dicat, eſſe confictam, obruetur vocibus omnium hiſtoricorum, & fidem humanam de orbe terrarum auferet. Sin dicat, verè factam fuiſſe, ſicut verè facta fuit, rurſum quæro; an iure, an iniuria facta fuerit. Si dicat, iniuria factam fuiſſe, primùm contradicet omnibus pœnè ſcriptoribus Catholicis. Soli enim hæretici Magdeburgenſes illam vituperant, vt vnum ex miraculis Antichriſti.

Magdeburgẽſes vituperãt Tranſlationem Imperij cent. 8. cap. 10 col. 751.

Præterea, iniuriam faciet omnibus Imperatoribus Latinis, qui ab eo tempore fuerunt, & erunt quaſi Imperium eorum non ſolido fundamento ſubſiſtat.

Denique reprehendet omnes populos occidentis, qui Latinum Imperatorem, vt verum, & legitimum Imperij poſſeſſorem hactenus venerati ſunt, immò vniuerſum orbem terrarum. Nam & Græci ipſi cum Imperatore ſuo, & Perſæ, vt ex Bellarmino præcedente cap. nu. 390. retulimus, Latinos Imperatores, vt veros, & legitimos agnouerunt.

Quod ſi dicat, iure factam eſſe, quæro, an facta ſit auctoritate Romani Pontificis, aſſentientibus, vel etiam petentibus Romanis

nis

nis ciuibus: an verò facta ſis auctoritate populi Romani aſſentiente Pontifice, & Imperatorem à populis electum coronante, & benedicente: an denique facta ſit auctoritate Pontificis, & Populi Romani ſimul. Si dixerit factam eſſe auctoritate Romani Pontificis aſſentientibus, vel petentibus ciuibus Romanis: conueniet & cum rei veritate, & cum Bellarmino, & cum hiſtoricis propè omnibus, & argumentum ab exemplo ductum, quod labefactare conatur, comprobabit. Non enim reijcit Bellarminus auctores, quos Aduerſarius citat, qui populum Romanum Pontifici Romano adiungunt in opere translationis Imperij, dummodo ſoli Pontifici vera poteſtas, atque auctoritas transferendi Imperium: populo verò aſſenſus, ſtudium, petitio, atq; acclamatio tribuatur. Si dixerit factam eſſe auctoritate ſolius populi, Pontifice ſolum aſſiſtente, & coronante electum à populo, vel etiam auctoritate populi ſimul, & Pontificis: repugnabit ipſe ſibi manifeſtiſſimè, quippè qui in toto hoc libro millies repetiuit, eſſe de iure diuino, vt populus Principi ſuo obediat, & neque in caſu hæreſis, neque in vllo alio caſu, poſſe à populo ciuilem obedientiã negari Principi, quem ſemel habuerit. Ac proinde non poſſe populum, qui ſubiectus iure diuino eſt, Principem ſuum deponere. Eligàt Aduerſarius, quam partem voluerit, & vel nobiſcum conuenire, vel ſecum pugnare cogetur.

Examinatur depoſitio Henrici IV. Imp.

De exemplo nono, id eſt, de depoſitione Henrici IV. Imperatoris, per Gregorium VII. Romanum Pontificem facta, duo tantùm in ſpecie dicit.

Primum, num. 441. non defuiſſe olim, qui Henricum IV. defenderent ab excommunicatione Gregorij VII. etiam ex Cardinalibus Rom. Eccleſiæ, & *quoddam Concilium Romæ pro tunc celebratum*. Hoc autem refert Aduerſarius ex Nicolao Cuſano in libr. 3. de Concordantia Catholica, cap. 41.

Secundò, num. 435. dicit ex Otthone Friſingenſi multas calamitates Eccleſiæ accidiſſe ex depoſitione Henrici IV. ex quibus colligi videtur non placuiſſe Deo depoſitionem illam.

Ad primum reſpondeo. Nicolaus Cuſanus quando iſta ſcripſit, iunior erat & in hiſtorijs minus verſatus, & ſtabat contra Põtificem à partibus, Concilij Baſileenſis, vt diximus cap. 3. ad num. 27. & liquido conſtat ex præfatione ipſius Nicolai, quam libris illis præfixit.

Porrò manifeſtiſsimum eſt ex omnibus hiſtoricis, nullum fuiſſe verum Cardinalem, aut Concilium Catholicum pro Henrico cõtra Gregorium; ſed ſolum Bennonem Anticardinalem, & Concilium Guiberti Pſeudopapæ, ac denique ſchiſmaticos, & hæreticos. Vide Card Baronium Tom. 11. Annalium, vbi hæc omnia accuratiſſimè diſcutit.

Benno Antic. card.
Guibertus Pſeudopapa.

Ad ſecundum reſpondeo primum, Accepit populus Chriſtianus ex Henrici excommunicatione; & depoſitione aliqua detrimenta: ſed emolumenta detrimentis maiora fuere: ita *vt non immerito dici poſſit* (ait Card. Bellarm. in libro aduerſus Barclaium, c. 9.) *ſine detrimento populi rem illam eſſe peractam. Neque enim detrimentum pati dici poteſt, qui iacturam facit frumenti, quod ſeminando ſpargit in ſulcos ſi tempore meſsis multiplicatum cum exſultatione reportet.*

Status Eccleſiæ tempore Henrici IV. Imp.

Arripuerant, ac iam multis annis ſibi vendicauerant Impp. Inueſtituras Epiſcoporum, ac Monaſteriorum, immò etiam ipſorum Pontificum Rom. Epiſcopatus, & Abbatiæ, & alia Eccleſiaſtica beneficia ac dignitates venales factę auctione diſtrahebantur: ſequebantur nundinatores Eccleſiaſticarum dignitatum aulas Impp. & caſtra: Curiales, aut milites ad eas promouebantur, non virtute, non religione, non ſcientia, ſed adulationibus, largitionibus, officijs militaribus, immò & ſceleribus commendati: miſcebantur ſacra profanis, polluebantur omnia: prouinciæ erant plenæ concubinarijs, & Simoniacis: Ipſa illa ſedes Apoſtolica Petri nunquam ſceleratiores (cum rubore dico, dicam tamen) atque monſtruoſiores Pontifices habuit, quàm eos, qui per principes ſæculi intruſi ſunt. Itaque nulla vnquam perſecutio, ſiue Gentilium, ſiue hæreticorum, ſiue ſchiſmaticorum, aliorumve perduellium, qui ferro, ſcriptis, dictis alijſve quibuslibet modis Eccleſiam Dei exagitarunt, eam tantum concuſſit, aut deformauit; quantum illa à laicis principibus vſurpata poteſtas eligendi atque inſtituendi Summos Pontifices, Epiſcopos, Abbates, & conferendi Eccleſiaſticas dignitates. Nam cùm gentiles Imperatores eam perſecuti ſunt gladio, tunc, & clarior Martyrij Laurea, & ſanctior eorum ſanguine, & auctior populorum conuerſione (*ſanguis enim Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum*) facta eſt: cum verò hæretici multiplicis generis in eam inſurrexere, tum eadem eminentior auctoritate, ſapientior doctrina, illuſtrior pietate enituit: cum ſchiſmatici eam ſcindere quàm ſæpiſſimè laborarunt, capiteque germano truncare; eo magis compage vnitatis, & caritatis viſibili ſuo capiti, ac per hoc inuiſibili ac ſupremo, quod eſt Chriſtus coniuncta eſt. Cùm verò Principes ſæculi Electiones Eccleſiaſticas ſibi vendicarunt, & non modò in alias dignitates, ſed & in ipſam Cathedram Petri, ſolium Chriſti, Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis conſurgit (vt loquitur S. Cyprianus epiſt. 3. ad Cornelium (intruſi ſunt homines monſtruoſi, vita turpiſſimi, moribus perditiſſimi, vſquequaque fœdiſſimi: tum miſerabilis planè viſa eſt facies Eccleſiæ. Nam ſi (vt inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 124. de tempore) *in ipſo vertice componitur membrorum omnium ſanitas*, quid expectandum de membris, vbi caput eſt morbidum, aliud, quam iſtud Iſai. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*? Caput autem morbidum intelligo moribus, non fide. Nam vt fides Cathedræ Petri non deficiat, Chriſtus orauit, & haud dubiè exorauit. Quod ſi Eccleſia Dei eſſet humanum figmentum, vt perdi, ac perire poſſet; periſſe eam certè tum oportuiſſet, & ad nihilum redigi, ſicut de alijs diuerſarum gentium Regnis, & benè ſtatutis Rebuſp. factum conſtat quæ tamdiu conſtitiſſe leguntur, quamdiu fuere per viros prudentes, & virtute præditos adminiſtratæ; periſſe verò penitùs, vbi viris ſceleſtis tradita ſunt earum

Tertull. in Apologetico.

S. Auguſt.

Iſaia 1.

Digitized by Google

gubernacula moderanda. At Eccleſia à Chriſto Deo ac Domino inſtituta, atque in æternum fundata, vt nullis externis viribus expugnari; ità neque prauorum Antiſtitum opera aut vitio perdi, ac ne labefactari quidem poteſt. Conqueruntur, ac deplorant eum iſtius temporis Eccleſiæ ſtatum omnes ferè hiſtorici: Audiamus vnum.

Gilb Genebrardus Bonifacius VI.

Genebrardus parte 2. Chronici, lib. 4. in Bonifacio VI. *Magna*, inquit, *confuſio ob Cæſares Germaniæ omuia ia Eccleſia miſcentes, & tauquam porros feros, viaeam Domini depaſcentes*. Iterum in Stephano VII. *Iam tum iacipiebat Poatificum virtas, & integritas deficere propter Araulphum, & ſeqq. Germaniæ Imperatores ſibi Eccleſiæ iura rapientes, & libera Eccleſiæ ſuffragia in eligendis Pontificibus tollentes. Hæc Eccleſiæ captiuitas durauit annis ferè 140. ia qua apparuit peſſimam electionem præſtare optimæ Priacipum nominationi. Quod proindè ſæcalam ab Hiſtoricis iafelix iaſcribitur*. Rurſum in Benedicto IV. *infelix dicitur hoc ſæculum, &c. hoc ipſo infelicißimum, quod Eccleſia ſub Cæſaribas eſſet captiua, ſine vllo bono ferè Poatifice, ſiae vllo celebri Concilio, &c.* Et infrà: *Hoc vno infelix, quod per annos ferè 150. Pontifices circiter 50. à Ioaane ſcilicet VIII. qui Nicolao, & Adriaao II. Sanctis Pontif. ſucceſſit, ad Leonem IX. vſque (qui primus à Deo vocatus, velat alter Aaron, antiquam Pontificum integritatem è cælo in Sedem Apoſtolicam reuocauit) à virtute maiorum prorſus defeceriat, Apoſtatici, Apoſtaticiue potius, quàm Apoſtolici. Tauti ſceleris rei ſunt Germanici Impp. qui ita premebant Eccleſiam, vt ſublatis Caaonicis electionibus pro libidine, & ſæpius pecuuia, & pactis ſummos darent Pontifices; & recuſaret electus Poatificatam ſuſcipere, priuſquam ab illo confirmaretur, Aliqui etiam vi, aut largitione ſedem illam inuadebaut. Vnde minimè mirandam, ſi tam paucis anais tot exſtiterint, ac breui tempore ſemper vixerint, quando uoa per oſtium, ſed per poſticã ideſt Imperatorum tyraaaidem iagrediebatur. Quò etiam factum, vt Imperium multum ab illo apice declinaret, in quo fuerat à Francis collocatum, & Berengariana hæreſis oriretur, è tanto Pontificum aamero, quinque modò, & ſatis tenuiter laudantar, Martiaus 2. Agapetas 2. Ioaanes 17. Sergius 4. Gregorias 6. Virtute poſtea Leonis 9. & ſequentium Pontif. ademptaeſt illa vſurpatio Hearico 4. magnis etſi motibas, atque ita reſtitatus eſt Sedis Apoſtolicæ antiquus caador, ſpecies, & perfectio*. Hucuſque Genebrardus.

Steph VII.

Captiuitas Eccleſ.

Benedict. IV.

Ioan VIII Nicolaus Magnus Adrian. II.

Imperij Germanici inclinatio.

Martinus II. Agapet. II. Ioan. XVII. Sergius VI. Greg. VI. Leo IX.

Qui iſta particulatim & accuratè ſcire deſiderat, legat Card. Baronium in Annal. vbi, ne ſcandalizetur, antipharmacum ſimul paratum inueniet.

Quod ſi is fuit ſtatus, ea facies Romanæ Eccleſię omnium aliarum Eccleſiarum matris, & gubernatricis; quid de alijs ſuſpicendum? vnum tantum exemplum afferam, è quo cætera, velut ex vngue leonem cognoſcere licet: S. Stephanus Epiſcopus Albeſtatenſis ocularis inſpector in epiſt. ad walramũ Epiſcopum ita ſcripſit de Henrico IV. teſte Dodechino in additione ad Marianum Scotum, an. MXC. & Trithemio in Chronico: *Dominus Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus, & Abbatias vendidit. Etenim Conſtantienſem, bambergenſem, Moguntinenſem, & plures alios pro pecunia: Ratiſponenſem, Auguſtenſem, & Strasburgenſem pro gladio: Abbatiam Fuldenſem pro adulterio: Monaſterienſē verò Epiſcopatum, quod dicere, & audire nefas eſt, pro Sodomitica immanditia vendidit*.

Henrici IV. impietas.

Videbant ea tot ac tanta mala ſequentes Pontifices Leo IX. Victor II. Stephanus X. Nicolaus II. Alexander II. Gregorius VII. omnes miraculis clari & ſanctitate venerandi, item quinque Gregorij ſucceſſores, atque ideo iuſto zelo exæſtuantes nihil intermiſerunt admonendo, increpando tum Epiſcopos, tum Principes, frequentia Concilia cogendo, quo è tantis malis ac ſcandalis Eccleſiam Dei eriperent: Sed cum ſic nihil proficerent tandem Gregorius VII. magno inuicto atq; Apoſtolico planè animo omnium illorum malorum radices penitus euellere aggreſſus eſt, ſanciuitque, vt omnis laicalis inueſtitura penitus tolleretur. Ac licet res ea eſſet perdifficilis. ac planè humanis viribus inſuperabilis, attamen ipſe & ſucceſſores diuinæ gratiæ robore confortati eò demùm perduxerunt, vt Henricus V. an. 1122. Caliſto II. Pontif. inueſtituras Eccleſiarum omnino reſignauerit, & ita electiones Epiſcoporum, & Abbatum, quas Imperatores, & Reges vſurpauerant, Clero, & Monachis reſtituerentur, atque impurus Eccleſiaſticorum concubinatus, & Simonia aliàque ſcandala è domo Dei eliminarentur. Id quod ſine manifeſtis ſignis, & prodigijs cœleſtibus factum non fuiſſe, teſtatur abbas Vſpergenſis in Chronico.

Leo IX ſedere cæpit ann. 1049. Victor II. Steph. X. Nicolaus II. Alexan. II. Greg. VII. Victor III. Vrban II. Paſchal. II. Gelaſius II.

Henricus V. Imp. Inueſtituras Eccleſiarum reſignauit.

Reſpondeo ſecundò. Si quæ calamitates acciderunt ob depoſitionem Henrici, acciderunt ſanè ex inobedientia Henrici, non ex ſententia iuſta Gregorij. Quod ſi timore malorum, quæ ſubſequi poſſunt, bona ſpiritualia negligenda ſunt, quis vnquam boni aliquid operis aggredi audebit. Certè non debuit Clemens VII. improbare inſauſtum, & abominabile illud aſſertum Matrimonium Henrici VIII. Angliæ Regis cum Anna Bolena; non debuerunt Apoſtoli, & tot Martyres fidem Chriſti prædicare: non debuit Chriſtus ipſe, è cęlo in hunc mundum adferre Euangelium, ſi timore perſequutionum, & aliorum damnorum bona ſpiritualia omittenda ſunt. At non ità eſt. *Non enim venit Chriſtus pacem mittere in terram; ſed gladium*. Venit equidem mittere pacem, ſed *Dei*, ſed veram, ſed æternam, ſed illam *quæ exſuperat omnem ſenſum*: non huius Mundi, qui pacem reputat omnibus vitijs liberè ſeruire poſſe, quæ non eſt pax, ſed conſpiratio in malum, qualis erat illa, qua ſuperbi olim homines conſpirarunt, vt Babylonicam turrim ædificarent; & *qua fremuerant gentes, & populi meditati ſunt inania: aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Chriſtũ eius, &c.* Quantum ſit *bellum* iſtud aperit Chriſtus in ſequentibus, quibus indicat pluſquam ſeditioſum, & ciuile fore, nimirum etiam domeſticum; *Veni*, inquit, *ſeparare hominem aduerſus patrem, &c.* Et verò huiuſmodi bello ſatis aſſueta eſt Eccleſia, cuius ea eſt vox; ſæpè expugnauerunt me à iuuentute mea; ſæpè expugnauerunt me à iuuentute etenim non potuerunt mihi: Pſalm. centeſimo vigeſimo octauo. Et vix vnquam ſine huiuſmodi bello præclarum quid obtinuit: ſed ſemper

Matrimoniũ Henrici 8 Angli cum Anna Bolena. De quo vide Sanderum lib. 1. de Schiſmate Anglicano.

Matth. 10. Luc. 2. 12. 14. Philip. 4.

Geneſ 11. Pſal. 2.

per

per patiendo vicit. Verum tamen eſt omnia eſse facienda, non modo ſecundùm ordinem iuſtitiæ, ſed & prudentiæ, & caritatis.

De exemplo decimo, id eſt, de depoſitione Otthonis IV. per Innocentium III. & de exemplo XII. id eſt, de depoſitione Ludouici IV. per Clementem VI. nihil Aduerſarius habuit in ſpecie, quod diceret. Ideò alto ſilentio illa inuoluit.

Obiectio Aduerſarij.

Hoc ſolum generatim obijcit contra omnia ſimilia exempla num. 444. poſſe dici de eiuſmodi depoſitionibus, *eas quidem factas eſſe, ſed videndum, quo iure ſint factæ*. Et allegat verba Bellarmini ex lib. 2. de Pontif. cap. 30. vbi ad obiectionem de Romanis Pōtificibus per Imperatores depoſitis, reſpondit, *ea facta eſſe, ſed videndum, quo iure facta ſint*.

Reſponſio:

Reſpondeo. Debebat Aduerſarius demonſtrare depoſitionem Otthonis per Innocentium, & Ludouici, per Clementem, & alias ſimiles fuiſſe iniuſtè factas; ſicut Bellarminus demonſtrauit iniuſtè factas eſſe, quas Imperatores fecerunt. Nam (vt alia omittam) non eſt Imperator legitimus Iudex Pōtificis, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus, ipſo etiam Aduerſario teſte, ſaltem ab eo tempore, quo Pontifex fuit Princeps temporalis ſupremus in ſuis prouincijs. Pontifex autem eodem teſte Aduerſario, Iudex eſt legitimus Imperatorum in ſpiritualibus, quibus temporalia ſeruire debent.

Imperator nullo modo eſt Iudex Pontificis.

De exemplo vndecimo, quod ſolum reſtat, id eſt, de depoſitione Friderici II. per Innocentium IV. in Concilio Lugdunenſi, hoc ſolum obijcit Aduerſarius num. 452. non videri verum, quod Bellarminus ſcripſit, *depoſitum fuiſſe Fridericum ab Innocentio in generali Concilio Lugdunenſ. conſentientibus vniuerſis Patribus*.

Examinatur exemplum XI. de Friderico II.

2. Obiectio.

Probat autem ipſe non omnes conſenſiſſe, ſed plurimos reclamaſſe; primò, quia *in principio Bullæ (quod notatu, inquit, dignum eſt) non legitur; ſacro approbante Concilio; ſed tantùm, ſacro præſente Concilio.*

Deinde, quia *in tota illa Bulla non fit mentio conſenſus Patrum, ſed ſolum propè finem illius Pontifex ait, ſe cum fratribus Cardinalibus, & Sacroſancto Concilio maturam, & diligentem deliberationem habuiſſe de pluribus nefandis, & exſecrandis flagitijs Friderici.*

Denique quia *non ſine magno ſtupore omnium audientium & circumſtantium fulminata eſt ſententia illa depriuationis*: qui ſtupor ſignum eſt, non omnibus eam ſententiam placuiſſe.

2. Obiectio.

Num. 455. citat verba Ioannis Trithemij in Chronico Monaſterij Hirſaugienſis in anno 1244. *Intrauit Fridericus poſt depoſitionem ſui in Italiam & tantis malis Papam, ſubiectoſque illi populos afflixit, vt Pontificem vincere taderet, voluiſſetque ſe nunquam depoſitionem illius cogitauiſſe.*

Reſponſio ad 8 Obiectio.

Reſpondeo. Hæc omnia nullo negotio dilui poſſunt.

Matthæus Paris.

Nam quod Patres Concilij non reclamauerint, neque plurimi (vt falsò, & per ſummam temeritatem Aduerſarius ſcribit) neq; pauci immò omnes aſſenſerint, perſpicuum eſt ex Matthæo Paris auctore illius temporis, qui totam hiſtoriam huius Concilij ſcripſit in libro de rebus geſtis Regum Angliæ, in Henrico III. pag. 650. & ſequentibus.

Depoſitio Friderici 2.

Hic enim auctor ita loquitur pag. 652. *Dominus igitur Papa & Prælati aſſidentes Concilio candelis accenſis in dictum Imperatorem Fridericum, qui iam Imperator non eſt nominandus, terribiliter, recedentibus, & confuſis eius Procuratoribus fulgurarunt.* Audis, quid egerint Prælati poſt recitatam ſententiam in Fridericum? ſi vna cum Papa candelis accenſis in Fridericum fulgurarunt, certè conſenſerunt in ſententiam Papæ, eamque apertiſſima illa ſignificatione, id eſt, candelarum accenſarum fulguratione comprobarunt. Scribit idem Matthæus, Procuratores Imperatoris, Magiſtrum Taddæum de Sueſſa, & Valterum de Oera, ante ſententiam latam multa eloquentia pro Friderico peroraſſe: ſed poſt auditam ſententiam non reclamaſſe; ſed fleuiſſe, & mæſtos, atque confuſos receſſiſſe.

Et quamuis non haberemus ſignum illud candelarum; aſtitiſſe Patres in Concilio, cum Pontifice diligenter rem examinaſſe, & neque ante ſententiam, neque poſtea contradixiſſe, ſignum eſt euidens illos omnes conſenſiſſe. In hoc enim valet regula illa; *Qui tacet, conſentire videtur*.

Neque ratiunculæ Aduerſarij quidquam momenti habent. Primùm, cur initio Bullæ dicatur, *Præſente ſacro Concilio*; & non *approbante Concilio* certa ratio reddi non poteſt, cùm eiuſmodi verba variari poſſint pro arbitrio Pontificum. Niſi fortè maluerit Innocentius dicere, *Sacro præſente Concilio*, quàm, *Sacro* approbante Concilio, quoniam non condebat legem, aut Canonem aliquem communem toti Eccleſiæ: ſed ferebat ſententiam in vnum hominem, cuius ipſe competens Iudex erat; in qua re non egebat aliorum approbatione: ſed voluit tamen ad maiorem ſolemnitatem ſententiam illam ferre coram Concilio plenario, ideò dixit, *præſente Concilio*.

Secundò, ex eo; quod non fiat in Bulla expreſſa mentio aſſenſus Patrum, non concluditur eos non conſenſiſſe: ſed ex eo, quod aſtiterunt, & nec antè, nec poſt ſententiam contradixerunt, & euidentiùs ex eo, quod candelis accenſis (vt ait Matthæus Pariſ.) terribiliter fulgurarunt, colligitur certò eos conſenſiſſe.

Demùm, ſententiam illam Innocentij omnibus timorem incuſſiſſe ad inſtar fulguris coruſcantis, vt ait Matthæus Pariſ. non eſt mirum. Quoniam etſi iuſtiſſima, tamen terribilis etiam erat, cum in Imperatorem, & Regem potentiſſimum ferretur.

Reſponſio ad 2. Obiect.

Ad illud Ioannis Trithemij dico: quod Fridericus Italiam ingreſſus multum vexauerit omnes illos, qui Summo Pontifici adhærebant, verum eſt; quod Innocentium depoſitionis illius pœnituerit, falſum eſt, nec ſcimus, vnde Trithemius, qui ducentis annis, & amplius Innocentio poſterior fuit, illa ſcire potuerit: hiſtorici enim, qui res geſtas illius temporis prodiderunt, teſtantur Innocentium conſtanti animo ſemper in propoſito permanſiſſe.

Concil. Lugd. celebratum an 1244. Innocent. Pont. mortuus an. 1255. Trith. natus anno 1467 mortuus anno 1519.

CAP. XV.

Examinatur Conſilium Aduerſarij, quo inſtruit ſubditos Regnum, quomodo ſe gerere debeant in caſu depoſitionis Principum ſuorum à num. 464. vſque ad 472. & finem libri.

IN Extremo Libro Aduerſarius conſilium dat ſubditis Regum, quomodo quoad praxim ſe gerere debeant, quale par erat dare hominem maiorem rationem habentem ſtatus politici, quam ſalutis animatum.

Num. 64. recitat regulam Iuris; *In cauſa dubia (ſiue incerta) melior ſit conditio poſſidentis*. Ex hac regula concludit, ſi fortè Pontifex aliquem Principem dominio ſuo priuet, non debere ſubditos ei ſententiæ parere, donec quod talem Pontifex habeat auctoritatē Principes deponendi, per Eccleſiæ definitionem fuerit ſtabilitum: & ſi quis pareat, reum eſſe criminis imminutæ maieſtatis.

Reſpondeo. In Regulis Iuris non inuenio: *in cauſa dubia, ſiue incerta melior eſt conditio poſſidentis*: Sed ſolùm; *In re communi melior eſt conditio prohibentis*; & *In delicto, ſeu caſu pari melior eſt conditio poſſidentis*. Sed eſto, ſit etiam illa regula iuris, vt in re dubia ſit melior conditio poſſidentis: ea regula pro Pontifice facit, qui eſt in poſſeſſione à multis annorum centurijs, Principes ſæculi, præſertim in cauſa fidei, iudicandi, & deponendi. Quemadmodum enim ſi quæſtio eſſet inter duos Principes ſæculi, vter eorum ſit Dominus alicuius ciuitatis, in re dubia melior eſſet conditio poſſidentis: ſic etiam cum quæſtio ſit, non de iure alicuius ciuitatis, aut etiam Regni: ſed de poteſtate ſpirituali Summi Pontificis, vtrum ſe extendat ad Principum depoſitionem in certis caſibus; cum ipſe ſit in poſſeſſione exercendi hanc poteſtatem, regula ſine dubio pro ipſo facit.

Deindè, vtrum Pontifex talem poteſtatem habeat, eſſe apud Catholicos controuerſum, falſum eſt. Nam capite tertio prolixè quidem (quando aliter fieri non poterat) at euidenter oſtendimus, communem eſse Catholicorum ſententiam, quam nos cum Bellarmino defendimus: neque contra ſentire alios, quam hæreticos, vel ſchiſmaticos.

Eccleſ. declarauit Principem à Pont. poſſe deponi,

Demum, & illud falſum eſt; non eſse ab Eccleſia declaratum; vtrum Summus Pontifex eam poteſtatem habeat. Iam enim ſuprà oſtendimus cap. 3. ad num. 3. argumento 2. & cap. 6. ad num. 117. concluſ. quarta, id eſse declaratum in Concilio Romano ſub Gregorio VII. & in octo alijs Concilijs depoſitionem ab ipſo factam confirmantibus: item in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 3. & in Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV. quæ duo ſine controuerſia vndequaque legitima, & generalia fuerunt.

Horum Conciliorum Primum ſub Gregorio VII. celebratum expreſſis verbis, formaliter, & in actu ſignato, vt ſcholæ loquuntur, definiuit: reliqua etſi quidem non explicitè, & in actu ſignato; at certè implicitè, & in actu exercito decreuerunt, in Pontifice eſse hanc poteſtatem.

Num. 465. Reſpondet duabus obiectionibus, quæ fieri poſsunt aduerſus Conſilium ab ipſo datum. Et quia multa dicit & falſa & perículoſa, ideoque non leui pede percurrenda, verba ipſius adferam: Sic igitur loquitur.

Neque obſtat primò, quod in dubijs parendum ſit ſuperiori. Nam ſicut Summus Pontifex eſt ſuperior in ſpiritualibus, ita in temporalibus Princeps ſæcularis eſt omnium ſupremus.

Neque ſecundò, quod in dubijs tutior pars ſit eligenda: multò enim tutius videtur eſſe obtemperare Principi ſpirituali, qui Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Vicarius eſt in terris, præcipienti ſubditis, ne Principi ſuo temporali pareant, quàm iuſſum ſequi Principis; præſertim hæretici, populo ſibi ſubiecto imperantis, vt ipſi obediant.

Non enim ſecurius, ſed multò periculoſius eſt, in tali caſu Principi ſpirituali obedire, ſi non conſtat eum talem habere auctoritatem Principes hæreticos deponendi, & ſubditos ab eorum obedientia abſoluendi, & conſequenter præcipiendi, ne Principi hæretico in rebus licitis obtemperent; quàm parere Principi iuſta imperanti, qui abſque vlla controuerſia Principatum ſuum legitimè poſſidet. Qui enim Principem ſæcularem prorſus renitentem è Principatus ſui poſſeſſione extrudere conatur, in ſupremo fermè iniuſtitiæ gradu, quæ omnium ſcelerum contra virtutes morales, eſt grauiſſimum, abſque vlla controuerſia delinquit: qui autem Pontifici præcipienti, ne ſubditi ſuo Principi, quantumuis hæretico, in rebus honeſtis obediant, parere neglexerit, quamdiu apud Catholicos tum pios, tum eruditos incertum eſt, an ipſe talem præcipiendi auctoritatem habeat nulli omninò, nec leuiſſimo quidem crimini obnoxius eſſe poteſt.)

Reſpondeo. Multa hic falſa aſſumit Aduerſarius, & concluſionem efficit ad animas perdendas aptiſſimam.

1. Solutio Aduerſarij reijcitur.

Primùm, Prior Solutio nihil valet. Nam hic agitur de peccato: in materia autem peccati ſupremus Iudex eſt Pontifex, etiam ſuper Principes Chriſtianos quoſcunque etiam confeſſione Aduerſarij; & illi in dubijs obediendum eſt. Exempli gratia: Princeps aliquis Catholicus incidit in hæreſim, & minis, ac blanditijs populum auertere conatur à fide: Summus Pontifex poſt correptionem, & admonitionem paternam, excommunicat illum, & abſoluit populum à iuramento fidelitatis, & ſub excommunicationis pœna iubet, vt populus Principi illi abdicato non obediat, ſed alium, eumque Catholicum ſibi eligat. Exiſtit quæſtio; An ſit parendum Principi ſæculari, non obſtante excommunicatione, & depoſitione Pontificia, an Pontifici Maximo, non obſtante iuramento fidelitatis olim præſtito. Iſta quæſtio non eſt de re temporali, ſed de periculo peccandi, & de ſalute animæ. Ideò ſtandum eſt iudicio Principis ſpiritualis, non Principis temporalis, etiamſi res dubia eſſet; quamuis re vera dubia non ſit.

Erronea doctrina Aduerſarij.

Deinde, quod dicit *periculoſum ſubditis eſſe Principi ſpirituali obedire, ſi non conſtet, eum talia præcipiendi habere auctoritatem*, error eſt grauiſſimus, & pernicioſiſſimus, nam ſi in dubio tutius eſt obedire ſuperiori, non eſt ne-

ceſſum

ceſsum, vt conſtet, ſuperiorem habere talia præcipiendi auctoritatem, quia tunc non eſſet dubium: ſed neceſse eſt, vt non conſtet, eum tali auctoritate carere. Sic enim loquitur Sanctus Auguſtinus in lib. vigeſimoſecundo contra Fauſtum, cap. ſeptuageſimoquinto, vbi dicit, *milites obedire debere Duci ſuo iubenti arma inferre contra aliquam gentem, ſi vel, quod iubetur non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt: vel vtrum ſit, certum non eſt, ita vt fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi; innocentem autem oſtendat militem ordo ſeruiendi.*

In dubio obediendum ſuperioribus. S. Auguſtin.

Quod idem docet S.Bernard. de obedientia Religioſorum in lib. de præcepto, & diſpenſatione, vbi tradit, ſecurum eſse obedientem, *quando vel quod iubetur, conſtat non eſſe contra Deum, vel vtrum ſit, non certò conſtat.* Non enim debet inferior diſcutere præcepta ſuperioris: ſed ſimpliciter obedire, vbi non eſt certum, quod iubetur, eſse contra Deum. Et ſi regula Aduerſarij vera eſser, periret omnis obedientia, quæ debetur à ſubditis ſuis ſuperioribus, ſiue ſæcularibus, ſiue Eccleſiaſticis. Semper enim poſsent ſubditi petere, vt probaret ſuperior, ſe habere talia, vel talia præcipiendi auctoritatem. Sed ideò ſalua eſt obedientia ſubditorum, & auctoritas ſuperiorum, quia ſatis eſt, ſi conſtet, quod præcipitur eſſe iuſtum, aut non conſtet, eſse iniuſtum. De qua re præclarè ſcribit S. Bernard. in lib. de præcepto, & diſpenſ.

S. Bernard.

Præterea hæc doctrina aduerſatur ipſi Aduerſario; quoniam ſuprà num. 447. dixit, *Summos illos Pontifices, qui ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta in prædictam rerum temporalium diſpoſitionem ſeſe ingeſſerint, ob eiuſmodi facta, quamuis alioquin ex ſe iniqua non eſſe facilè condemnandos; ſi præſertim probabili virorum prudentum auctoritate moti ea ſibi licere exiſtimaſſent: non ergò debet idem Aduerſarius facilè condemnare Chriſtianos, & quidem atrociſſimi criminis, nimirum læſæ maieſtatis, qui Summis Pontificibus ſuis ſupremis ſpiritualibus Principibus, cui ſpeciali, & expreſſo Dei mandato obedire ſub pœna æternæ damnationis ſunt obligati, ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta in prædicta rerum temporalium diſpoſitione paruerint, ſi præſertim non modo probabili virorum prudentum auctoritate moti id ſibi licere, ſed & legitimi ſuperioris auctoritate compulſi, ad id ſe teneri exiſtiment.*

Tertio, quando dicit, *periculoſum eſſe » ſubditis Pontifici obedire, quando prohibet Regi » hæretico in rebus licitis obedire*: ſophiſticè, & » fraudolenter loquitur. Nam manifeſtè æquiuocat in voce, *licitis*. Nam multæ res licitæ ſunt ex natura ſua, quæ illicitæ redduntur ex prohibitione ſuperioris. Omnes cibi ex natura ſua liciti ſunt: tamen quidam cibi feria ſexta, & in Quadrageſima ſunt illiciti ex prohibitione ſuperioris: comedere ſanguinem, & ſuffocatum ex ſe eſt licitum: at ex prohibitione Apoſtolica erat primis Chriſtianis illicitum. Actuum decimoquinto: & ſalutatio ex ſe licita eſt: rectè tamen præcipit Sanctus Ioannes, vt hæreticis non dicamus, *Aue*. Sic igitur obſequia Principum ex ſe non ſolū licita, ſed etiam debita ſunt: ſed prohibente Paſtore ſpirituali fiunt illicita. Et credo, ſcit Aduerſarius vulgarem illam diſtinctionem; quo quædam ſunt prohibita, quia illicita: quædam autem ſunt illicita, quia prohibita. Non igitur prohibet Summus Pontifex, cùm Principem hæreticum excommunicat, & deponit, ne in rebus licitis ſubditi illi pareant: ſed prohibet ne in rebus illicitis illi pareant: quia quæ antea ex ſe licita erant, nunc ex prohibitione ſacta ſunt illicita. Alioquin negabit Aduerſarius generatim vim excommunicationis Eccleſiaſticæ. Prohibet enim Eccleſia, ne cum excommunicato per ſententiam declarato colloquamur, & conuiuamus: neque cenſetur prohibere res licitas, quia colloquium, & conuiuium, quæ ex ſe licita ſunt: per excommunicationem reddita ſunt illicita.

Illicitū duobus modis dicitur.

In epiſt. 2. Ioan.

Quartò, quod dicit, *Principem, qui Principatum ſuum legitimè poſſidet, poſſe iuſta imperare ſubditis, & ſubditos non peccare, dum ei obediunt, etiamſi Pontifex eum Principem excommunicauerit, & depoſuerit*, cùm falſum aſſumit, tum etiam ambiguè loquitur. Cùm enim dicit; *Principem depoſitum à Summo Pontifice, legitimè poſſidere Principatum*; aut falſum dicit, aut certè æquiuocat in nomine, *poſſeſſionis*. Legitimè poſſidet, ſi reſpicias legitimam adeptionem: ſed non legitimè poſſidet, ſi reſpicias depoſitionem. Et ſimpliciter non legitimè poſſidet, qui depoſitus eſt, quia poſſidet, quod non eſt ſuum.

Cùm dicit; *Principem depoſitum poſſe iuſta imperare*; rurſus aut ſalſum dicit, aut ambiguè loquitur.

Nam ſi ſenſus ſit; poſſe iuſta imperare: tam ex parte poteſtatis, quam ex parte obiecti, falſum dicit: quia ex parte poteſtatis, qua ſententia Iudicis priuatus eſt, non poteſt iuſtè imperare. Deinde, in nomine, *iuſta* latet æquiuocatio. Nam poteſt imperare ea, quæ ex natura ſua iuſta ſunt, verum eſt: poteſt iuſta imperare, quæ vndequaque iuſta ſunt, falſum eſt, cum propter Principis depoſitionem, & Pontificis prohibitionem quæ iuſta erant, iniuſta facta ſint; vel vt magis propriè loquar, quæ alias iuſta erant, iniuſtè præcipiuntur. *At dubium eſt, an ſit iuſtè depoſitus.*

Reſpondeo. Apud Catholicos nullum hac de re dubium eſt: ſed etiamſi dubium eſſet, tutius eſſet obedire Pontifici, quam Regi: cùm poteſtas Pontificis ſit altior, & maior poteſtate Regia: cùm ille animas, iſte corpora regat; & vbi de peccato agitur, Iudex ſit Pontifex Eccleſiæ, non Princeps ſæculi. Demum, quia certum eſt omnes Chriſtianos ſubiectos eſſe Pontifici: ſubditos Principi depoſito non eſſe ſubiectos apud Catholicos certum eſt: apud Aduerſarium dubium, & incertum.

Quintò, quod dicit, *Principem ſæcularem prorſus renitentem è Principatu ſuo extrudere, eſſe grauiſſimum ſcelus*; manifeſtè æquiuocat in voce *extrudere*. Si enim intelligatur de eo, qui priuata auctoritate extrudit, veriſſimum eſt, ſed extra propoſitum: ſin autem intelligatur de eo, qui ius habet extrudendi, & falſum dicit, & ſecum ipſe pugnat Aduerſarius. Nam num. 460. contendit Imperium Romanum fuiſſe legitimè translatum à Græcis ad Germanos auctoritate Pontificis, & populi Romani ſimul, quod idem habet num. 413. ita vt non auctoritas iudiciaria Pontificis,

Aduerſ. docet Principes à ſubditis ſuis deponi poſſe.

quem

quem in temporalibus Imperatori (ſed falsò) contendit ſuiſſe ſubiectum, ſed conſenſus eius velut vnius è populo ad eam translationem concurrerit:& nō exiſtimauit ſcelus eſſe,Grecum Imperatorem omninò renitentem, quem populus Romanus nec elegerat, nec eligendi habebat poteſtatem, è Principatu ſuo, quem legitimè poſſidebat, extrudere.

» Sextò, cùm dicit, *ne minimum quidem*
» *crimen admittere, qui negligunt obedire Pontifi-*
» *ci iubenti, vt populus non obediat Regi heretico*
» *in rebus honeſtis, quamdiu apud pios, & eruditos*
» *incertum eſt, an Pontifex talia præcipiendi au-*
» *ctoritatem habeat*, æquiuocat, ſecum ipſe pu-
» gnat, falſum dicit, pernicioſiſſimè errat.

Æquiuocat in verbis, *in rebus honeſtis*. Iam enim non ſemel oſtendi, res illas in ſe honeſtas eſſe poſſe: ſed fieri turpes, & illicitas per ſuperioris prohibitionem: ſeu potius illicitè ab eo, qui Principatu ob hæreſim priuatus eſt, præcipi, & illicitè ab alijs exſecutioni mandari.

Secum ipſe pugnat. Nam ſi apud pios & eruditos incertum eſt, an Pontifex talia præcipiendi, id eſt, Principes deponendi, ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluendi, &c. habeat auctoritatem; certè incertum apud eoſdem pios, & eruditos eſt, an Princeps à Pontifice depoſitus poſſit ac debeat è Principatus ſui poſſeſſione exturbari, item, an Princeps depoſitus poſſit ſubditis imperare. Nam vnum incertum eſſe nequit, quin alterum quoque ſit incertum eodem modo, & vnum non poteſt eſſe certum, quin & alterum pariter ſit certum,cùm ſeſe mutuo conſequantur, vt patet: Igitur ſi non peccat, qui non obedit Pontifici pręcipienti Principem deponi, eò quod incertum ſit, Pontificem talem habere poteſtatem, certè nullo modo peccabit is, qui non obedit Principi depoſito imperanti quidpiam, quia incertum eſt, tali Principi competere auctoritatem imperandi. Item neque peccabit is, qui conatus fuerit Principem depoſitum è Dominatus ſui poſſeſſione exturbare, quia incertum eſt, an Princeps habeat ius Principatum retinendi. Atqui Aduerſarius contendit, peccare ſubditum non parentem Principi depoſito, non obſtante quod incertum ſit, an habeat poteſtatem imperandi: & num. 464. dixit crimen imminutæ maieſtatis incurrere, qui Principem depoſitum voluerit exturbare: Peccat igitur & is, qui non paruerit Pontifici talia præcipiēti, non obſtante eo, quod incertum eſſet, Pontifici talem competere poteſtatem, & reus erit criminis læſæ Maieſtatis Pontificiæ, quæ regia vtique auguſtior, diuinior, & ſuperior eſt, qui conatus fuerit Pontificem è poteſtatis ſuę poſſeſſione exturbare, vti Aduerſarius facit.

Falſum dicit, dum ait *apud pios & erudi-*
» *tos incertum eſſe, vtrum talia præcipiendi Sum-*
» *mus Pontifex auctoritatem habeat*. Id enim a-
» pud omnes pios & eruditos Catholicos certiſſimum eſt, & ſolum apud Barclaium, Aduerſarium, & eis ſimiles incertum eſt.

Demùm pernicioſiſſimè errat,& in errorem
» alios inducit, cùm affirmat, non *eſſe peccatum*
» *non obedire Pontifici, quamdiu incertum eſt, eum*
» *talia præcipiendi auctoritatem habere*. Nam vt paulò antè ex Sancto Auguſtino, & S. Bernardo oſtendi, non debet inferior diſcutere præceptum ſuperioris: & in re dubia parere tenetur: & tunc ſolum poteſt, & debet non obedire, quando quod præcipitur conſtat apertè contra Deum eſſe: tunc enim *obediendum eſt Deo potiùs, quam hominibus*; & qui *Act. 5.* contrarium cum Aduerſario docent, euertūt omnem Magiſtratuum obedientiam.

Num. 467. (nota enim num. 466. deeſt)
Neque quenquam perterrere debet, quod Sum- »
mus Pontifex ſit Chriſti Vicarius, cum Princeps »
quoque temporalis Dei miniſter ſit, vt ait S.Pau- »
lus ad Rom. 13. atque etiam ipſius Dei, qui eſt »
Rex Regum, & Dominus Dominantium, Vica- »
rius in terris, vt Anaſtaſius Papa in epiſt. ad A- »
naſtaſium Auguſtum diſertis verbis affirmat. Pe- »
ctus, inquit, clementiæ veſtræ ſacrarium eſt pu- »
blicæ felicitatis, vt per præſtantiam veſtram; »
quam velut Vicarium, Deus præſidere iuſſit in »
terris, Euangelicis, Apoſtolicisque præceptis »
non dura ſuperbia reſiſtat, ſed per obedientiam, »
quæ ſunt ſalutifera compleantur.)

Reſpondeo. Facit Aduerſarius, quod pio Catholico (ſcilicet) facere conuenit, vt reuerentiam Summi Paſtoris Eccleſiæ, quantum poteſt, imminuat. Quis non videt, Aduerſarium id vnum contendere, vt deprimat Summum Pontificem, atque eius ſe hoſtem declaret; Regi verò magnæ Britannię placeat atque eius ſe doctrinæ obſeruantem, ac ſtudioſum oſtendat? Quid enim? Iacobus Ma- *Iacobus Rex Mag. Britan.* gnæ Britanniæ Rex in Præfatione ſua monitoria, vt oſtenderet *ſe Pontifice nulla ex parte inferiorem eſſe, ac Regum eſſe prouidere*, &c. dixit *Reges eſſe Vicarios Dei*. Aduerſarius vt pulchrè cui placere ſtudet, conſonet, Pontificem quidem Chriſti (qui nimirum dixit, *Pater maior me eſt*, Ioa. 14.) Vicarium eſſe *Ioan. 14.* concedit, (an ſincerè, ipſe viderit, ego multum dubito) ac Regem eſſe Vicarium Dei, *qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Et vt Pontificem infrà Regem magis depri-miat, ſuffuratur titulum à ſcriptura Chriſto tributum Apoc. 17.& 19. & tribuit Deo. *Pon-* *Apoc. 17. & 19.* *tifex*, inquit, *eſt Vicarius Chriſti*, ſimpliciter ſine Epitheto: *At Rex eſt Vicarius Dei, Regis Regum, & Domini Dominantium*: cùm tamen is titulus in ſcriptura Chriſto propriè tribuatur. Non quod negem Deum Opt. Max. eſſe Regem Regum, ſed vt declarem maleuolentiam Aduerſarij in Pontificem. Quis enim non videt hac ratione illuſtrari Maieſtatem Pontificis; Chriſtus eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc. 17. & 19. at Pontifex eſt Vicarius Chriſti. Sed ad rem. Dicatur Rex, vt Anaſtaſius Papa loquitur, quaſi *Vicarius Dei in terris*: at non in tota Rep. Chriſtiana, ſed in ſuo regno: & in ſuo Regno, quoad temporalia ſolùm, habens poteſtatem ſuam immediatè à iure humano: Summo verò Pontifici relinquatur, vt non quaſi Vicarius, ſed Vicarius abſolutè nominetur Chriſti Dei, & hominis in vniuerſa Republ. Chriſtiana vſque ad vltimos fines orbis terræ: & non ſolùm in ſpiritualibus, ad quæ poteſtas Regis nullo modo pertingit: ſed etiā in temporalibus, quatenus iſta ſpiritualibus ſubordinantur: habens poteſtatem ſuam immediatè à iure diuino, independenter ab omni iure humano. Et hac veritate conſtituta diſcant & intelligant Chriſti fideles quanti facere

cere

cere debeant Vicarium Ieſu Chriſti, & vtri debeant parere, cum de periculo peccandi agitur, Summo Pontifici an Regi.

Num. 468. *Neque obſtat*, inquit, *tertiò, quod ſubditus forſan eam opinionem probabiliorem eſſe exiſtimet, quæ aſſerit penes Pontificem eſſe poteſtatem Principes hæreticos ſuis regnis abdicandi: & propterea ſi Pontifici in hoc caſu Principem deponenti non pareret, videretur contra propriam conſcientiam, aut ſaltem contra dubiam operari quorum vtrumque tum iure diuino, tum naturali eſt omninò illicitum. Et enim vt rectè docent Theologi) poteſt quis tuta conſcientia ſequi opinionem, quam videt doceri à viris doctis, & peritis in ea arte, contra ſuam propriam, eamque magis communem, minuſque tutam, & conſequenter docent, quod agere contra propriam opinionem, & agere contra propriam conſcientiam ſint res valdè diſtinctæ.*

Reſpondeo. Vera eſt Theologorum doctrina de diſcrimine inter opinionem, & conſcientiam: ſed ea malè ab Aduerſario applicatur.

Primùm enim, quod Summus Pontifex poſſit Principes hæreticos deponere, non eſt opinio, ſed res certa; vt ſuprà cap. 6. ad num. 117. concluſ. 4. oſtendimus.

Deinde falſum eſt, contrariam ſententiam doceri à viris doctis, & peritis, niſi magnos Doctores appellare velit Marſilium de Padua hæreticum, Gulielmum Barclaium, & ſimiles; ſanctum verò Gregorium VII. B. Iuonem Carnotenſem, S. Thomam, S. Bonauenturam, S. Raymundum, B. Auguſtinum Triũphum, S. Antoninum, Ioannem Card. à Turrecremata, Thomam Card. Caietanum, Henricum Card. Oſtienſem, Petrum Bertrandum Card. Eduenſem, Petrum Paludanum Patriarcham Hieroſolymitanum, Durandum Epiſcopum Meldenſem, Ægidium Bellamera Epiſcopum Auenionenſem, Pelagium Aluarum Epiſcopum Siluenſem, Iacobum Simancam Epiſcopum Pacenſem, Cunerum Epiſcopum Leouardienſ. cum ingenti numero ſcriptorum Theologorum & Canoniſtarum, quos ſuprà citauimus 85. num. indoctos, & imperitos eſſe declaret, quibus addere poſſumus Conrad. Koellinum Vlmenſ. quod lib. 26. Ioan. Fabrum Epiſcop. Viennenſ. in opere, quod inſcribitur, *contra noua quædam M. Lutheri dogmata, §. ſubdis decimum nonum errorem*, Germanos: Sixtum Senenſem, Bibliothecæ ſanctæ Tom. 2. lib. 6. annot. 27. Ludouicum Maioranum Grauinatem, de vero Dei cultu, lib. 2. cap. 24. & lib. 3. cap. 32. Italos; Ioannem Viguerium Hiſpanum in inſtitutionibus Theologicis cap. 10. §. 5. verſ. 2. auctorem libri, qui inſcribitur, *Fortalitium fidei*, lib. 2. conſideratione 11. & infinitos alios.

Denique falſiſſimum eſt communem ſententiam eſſe minus tutam, quam docent tot viri ſancti, tot Præſules Eccleſiarum, tot inſignes Doctores omnium nationum Chriſtianarum: quam ea ſit, quam docent pauciſſimi ſchiſmatici, vel hæretici, vel (vt Azorius loquitur) Apoſtatæ, vel politici, nimis certè abiectè de iudicio Lectorum Aduerſarius ſentit, quibus ſe perſuaſurum eiuſmodi paradoxa confidit. Sed fortè magis tutam ſententiam ſuam Aduerſarius intelligit apud Regem Angliæ: non apud Deum, & Chriſtum eius, præſertim ſi magis carcerem, & vincula, & ipſam corporis mortẽ timet, quàm gehennam.

Azorius To. 2. Inſtit. lib. 10. c. 6. q. 3.

Num. 469. *In hoc igitur caſu, ſicut in multis alijs, non obſtante propria opinione, qua quis ſpeculatiuè per principia intrinſeca arbitratur, ſe obligatum eſſe ita operari, vt ſua opinio dictat: poteſt nihilominus, & tenetur rectum conſcientiæ dictamen ſibi formare, quò practicè hic nunc abſque vllo dubio exiſtimet, ſe contra propriam opinionem debere operari. Et hoc dictamen practicum elicere poteſt partim ex principijs extrinſecis, nempè auctoritate virorum prudentium, & in Theologia, Iuriſque prudentia peritorum, qui contra ipſum ſentiunt, quorum opinionem iuxta rectæ rationis, ac prudentiæ normam in moralibus tutò ſequi poteſt: partim ex prædicta regula Iuris, quod poſſeſſor bonæ fidei non eſt è poſſeſſione ſua excludendus, quamdiu ius aduerſæ partis eſt incertum: & apud Theologos, & Iureconſultos pios, ac eruditos controuerſum. Ad quod etiam dictamen eliciendum conducit alia regula Iuris; Cùm ſunt partium iura obſcura fauendum eſt Reo potiùs, quàm Actori.*

Num. 470. *Quamuis enim per propria, & intrinſeca principia, quæ ſcilicet ducuntur ex cauſis rei, vel effectibus, aut incommodis, quæ rem conſequuntur, eam opinionem amplecteretur, quæ aſſerit Papam talem habere auctoritatem hæreticos Principatu pellendi; cum hoc tamen ſimul ignorare non poteſt, niſi de induſtria vel cæcutire, vel proteruire velit, tum quod contraria opinio ſit etiam nunc apud Theologos, & Iuriſconſultos controuerſa, & adhuc ſub indice lis exiſtat: tum potiſſimum, quod poſſeſſor bonæ fidei non ſit è poſſeſſione deturbandus, aut tanquam malè poſſidens condemnandus, quamdiu ius alterius partis eſt obſcurum.)*

Reſpondeo, volui hæc omnia recitare, quamuis idipſum ſæpiùs in his verbis repetatur, vt Lector intelligat, quanto ſtudio iſte, qui ſe Catholicum fingit, conetur, conetur bonam conſcientiam opprimere, & ſyndereſim, ſi fieri poſſit, extinguere. Deus bone, quanta cupido animas ad gehennam pertrahendi in hoc homine regnat; Sed videamus quid adferat, & diſcutiamus tenebras, quas oculis interioribus offundere nititur.

Dicit, *poſſe hominem contra ſuam opinionem dictamen conſcientiæ formare, vt practicè aliud agat, quàm theoricè arbitratur eſſe agendum. Hoc autem dictamen elici poſſe partim ex auctoritate virorum prudentium, partim ex regula Iuris, quod poſſeſſor bonæ fidei non eſt è poſſeſſione ſua excludendus, quamdiu ius aduerſæ partis eſt incertum.*

Hæc eſt ſumma vtriuſque numeri, quæ ad propoſitum noſtrum applicari non poteſt. Nam ſi auctoritas quæritur ad formandum dictamen conſcientiæ; quæ maior auctoritas inueniri poteſt, quam XIV. illorum Concíliorum, quæ ſuprà cap. 3. ad num. 3. argum. 2. recenſuimus, inter quæ eſt Lateran. generale ſub Innocentio III. quo maius Concilium nullum fuit? Et ſi ad illa Concilia addantur ſupra 90. ſcriptores variarum nationum, qui omnes cum Concilijs mirificè conueniunt: quæ maior auctoritas fingi poterit? Et tamen audet Aduerſarius ſuadere hominibus, vt auctoritate duorum, vel trium modernorum, qui Theologiam vix primoribus labris attigerunt,

getunt, forment dictamen conſcientiæ contrarium rationi manifeſtæ, & iudicio orbis Chriſtiani.

Porrò regulam illam iuris, quam allegat (ſi tamen regula talis in iurie inuenitur) iam oſtendimus contra ipſum pugnare, & nunc idipſum clariùs oſtendemus. Regula enim illa adhibenda eſt inter duos litigantes, non inter Iudicem, & Reum; vel ſi inter Iudicem, & Reum adhibeatur, Iudici fauebit, non Reo. Ponamus exemplum. Papa iubet hæretici alicuius conuicti, & damnati bona confiſcari: ſi hæreticus excipiat: ego ſum poſſeſſor bonæ fidei: quippe hæreditatis iure hæc bona poſſideo, & in re dubia melior eſt conditio poſſidentis: reſpondebit Papa, deliras fili: ego enim non iubeo bona tua confiſcari, quia mala fide poſſideas: vel quia contendat aliquis ad ſe pertinere, non ad te: ſed quia in pœnam criminis hæreſeos dignus es, qui tali pœna plectaris. Quod ſi rurſus dicat hæreticus; Ego non debeo paternis bonis ſpoliari, quæ bona fide poſſideo, niſi conſtet, an tu poteſtatem habeas iubendi, vt ea mihi à Fiſco tollantur. Reſpondere poterit Papa; ego quoque bona fide poſſideo poteſtatem hanc mihi à prædeceſſoribus tranſmiſſam, & quam illi exercuerunt, & ego adhuc exercui; ideò ſpoliari non debeo hac poteſtate, niſi tu prius doceas, illam ad me non pertinere; proinde regula tua mihi prodeſt, non tibi. Et quoniam in hac ſecunda lite, quam tu moues, ego ſum Reus, tu Actor, pro me quoque facit illa alia regula quem tu producis: *cum ſunt partium iura obſcura, fauendum eſt Deo potius, quàm Actori*. Hæc Papa dicere poſſet, ſi de eius auctoritate dubium eſſet.

Dialogiſmus inter Papam & hæreticum

Sed profectò auctoritas eius in dubium verti non poteſt, etiamſi eam dubiam facere conetur Aduerſarius. Ex his manifeſtum erit, quàm impudenter colligat Aduerſarius, cùm ita pergit.

Num. 471. *Et propterea ſiue Papa, ſiue Princeps, ſiue alius quicunque extraneus Principem hæreticum è Regni ſui poſſeſſione eijcere contenderet, lite hac de Principum depoſitione ſub Iudice exiſtente, apertiſſimam contra iuſtitiæ regulas iniuriam illi irrogaret. Atque à fortiori non poteſt à manifeſta perduellione excuſari ſubditus, quamcunque opinionem circa poteſtatem Pontificis temporalem ſpeculatiuè tueatur, qui practicè ſub prætextu forſan deuotionis erga ſedẽ Apoſtolicam, non æquè etiam perpendens debitum ſuæ ſeruitutis erga Maieſtatem Regiam obſequium, Principem ſuum legitimum non obſtante quacunque excommunicatione, aut depriuatione Papali è Regni ſui poſſeſſione expellere niteretur.*

Reſpondeo. Lis nulla pendet ſub aliquo Iudice de poteſtate Pontificis in deponendis Regibus hæreticis, vt neque de confiſcandis bonis aliorum hæreticorum. Alioqui doceat Aduerſarius, ſub quo Iudice controuerſia iſta pendeat.

Videmus quidem vnum, & alterum in ſcriptis ſuis garrientes: at Iudicem ſedentem, & partes litigantes adhuc non vidimus.

Deinde, vt iam ſæpiùs admonui, ſi lis iſta penderet, ſecundum regulas ab Aduerſario allegatas, deberet manuteneri Pontifex in poſſeſſione ſuæ poteſtatis, quam bona fide à multis annorum Centurijs habet, & exercet, & cuius rei innumerabiles in toto orbe Chriſtiano teſtes fide digniſſimos habet.

Num. 472. *Venerandi igitur ſunt Pontifices, vt Paſtores noſtri ſpirituales: Reges etiam honorificandi, vt Domini noſtri temporales. Non eſt deprimenda illorum auctoritas, vt horum poteſtas nimium efferatur: neque iſtorum Maieſtati quidquam eſt detrahendum, vt Pontificum iuriſdictioni plus æquo deferatur. Sed memores ſemper Dominici præcepti ſuum cuique tribuamus: Cæſari reddentes, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo.*

Reſpondeo. Hæc concluſio vera eſt, ſed non multum cohæret cum reliquo libro, in quo Aduerſarius conatus eſt totis viribus Pontificiam auctoritatem deprimere, vt Reges ſæculi in ſublime extollere: neque contentus fuit verbis ſuis; ſed voluit etiam verbis Illuſtriſſimi Card. Bellarmini violenter ad ſuum propoſitum detortis, id agere, atque ipſum licet & ſcriptis, & viua, claraque voce reclamantem, manibuſque ac pedibus, totiſque viribus reluctantem obtorto collo in conſortium ſui erroris adſciſcere, vt mirum non ſit, ſi etiam Reuerendiſſimum Epiſcopum Leouardienſem Cunerum, Michaelem Vulcurunum, Petrum Gregorium, & alios quoſdam cogere tentauerit, vt dicerent contra eorum, quæ verbis apertis, diſertiſque ſcripſerunt. Nam ſanctos Patres Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, & alios eiuſdem claſſis nimis aperta temeritas fuit, velle in teſtes adducere earum rerum, quarum ipſi nullam vnquam mentionem fecerunt.

Spero autem me ita perſpicuè obiectiones eius diluiſſe, vt omnes intelligere poſſint, quantum diſtet lux veritatis à tenebris erroris. Itaque non reddidit Aduerſarius Deo, quæ Dei ſunt, cum Vicarij ipſius auctoritatem, quantum potuit, imminuerit: neq; redditdit Cæſari ſolum ea, quæ Cæſaris ſunt; ſed addidit, vt eſſent Cæſares, & ipſi etiam Principes minores, abſoluti tamen, Patres, & Paſtores Epiſcoporum, & ipſius Summi Pontificis in temporalibus, ita vt eoſdem temporalibus pœnis, vt filios improbos caſtigare poſſent.

Longè aliter docet S. Ambroſius, qui in oratione de tradendis Baſilicis, propè finem, ait; *Quid enim honorificentius, quàm vt Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur? Imperator enim bonus intra Eccleſiam eſt, non ſupra Eccleſiam*. At certè ſi Imperator, & Rex quicunque non ſolùm Laicorum, ſed etiam Clericorum, & Epiſcoporum in temporalibus Pater eſſet, eoſque vt filios caſtigare pœnis temporalibus poſſet, honorificentius eſſet, vt Imperator, ſiue Rex, Pater Eccleſiæ, quàm filius Eccleſiæ diceretur: & non ſolùm intra Eccleſiam, ſed etiam aliquo modo ſupra Eccleſiam eſſet. Quare cum hæc Aduerſarius non vno in loco docuerit, S. Ambroſio teſte, plus dedit Cæſari, quàm Cæſaris eſſet. *S. Ambroſ.*

Ergò *Deum timeamus, & Regem honorificemus*, vt S. Petrus nos admonet: *& obediant* omnes tum Reges, tum populi *Præpoſitis ſuis, & ſubiaceant illis: quoniam ipſi peruigilant tanquam rationem pro animabus illorum reddituri.* *1. Petr. 2.* *Hebr. 13.*

Iſaia 60. Pſalm. 2.

ri, vt Sanctus Paulus clamat. Nam vt Euangelicus Propheta Iſaias ex ſpiritu Dei optimè monet; *Gens, & regnum, quod non ſeruierit Eccleſiæ peribit.*

Quare repetam, & concludam cum magno & Rege, & Propheta; *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.*

Omnia iudicio, & cenſuræ Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſubiecta ſunto.

LAVS HONOR, ET GLORIA
IESV CHISTO DEO, AC DOMINO NOSTRO
VIRGINI MATRI:
ET OMNIBVS SANCTIS DEI.

APPROBATIO.

Ego infra ſcriptus præſens hoc opus, cuius eſt titulus, Apologia Adolphi Schulckenij Geldrienſis, &c. *pro Illuſtriſs. D. Roberto Bellarmino S. R. E. Card. de poteſtate Pontificis temporali, aduerſus librum falsò inſcriptum, Apologia Card. Bellarmini pro iure Principum, &c. Auctore Rogero Vviddringtono, legi, & examinaui, nihilque in eo vel Orthodoxæ fidei, vel probitati morum diſſentaneum inueni; ſed multa, propter quæ Catholicæ Religioni ad confutandos huius temporis errores plurimum emolumenti allaturum illum cenſeo. In Conuentu S. Dominici, Coloniæ, die 26. Martij, anno 1613.*

Fr. Coſmas Morrelles Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Magiſter, Apoſtolicus Inquitor Coloniæ.

Digitized by Google

AGOBARDVS
ARCHIEPISCOPVS
LVGDVNENSIS.

Natus octauo Redemptionis noſtræ ſęculo floruit nono, cuius primo poſt quadrageſimum annum vita deceſſit, Vir fuit Catholicæ Religionis zelo, morum integritate, ac doctrina clariſſimus, cuius quamplurima poſt ſe monumenta reliquit variarum elucubrationum, in volumine XIV. Bibliothecæ Magnæ Veterum Patrum appoſitæ, editionis nouiſſimæ Lugdunenſis, ex Stephano Baluſio Turulenſi, & Papyrio Maſſono, ex quibus ſequentem de poteſtate vtriuſque Regiminis Eccleſiaſtici, & Politici, vnà cum epiſtola Gregorij Papæ IV. ad Epiſcopos Regni Francorum ab Agobardo relatam exhibemus.

DE COMPARATIONE vtriuſque regiminis Eccleſiaſtici, & Politici, & in quibus Eccleſiæ dignitas præfulgeat Imperiorum maieſtati.

I. DOmno clementiſſimo, & Chriſtianiſſimo, ac per hoc omni laude digniſſimo Imperarori Ludouico, Agobardus. Iubet veſtra prudentiſſima ſolertia contra commotiones huius temporis paratum eſſe vtrumque ordinem, militarem videlicet, & eccleſiaſticum; id eſt, & eos, qui ſæculari militiæ, & illos, qui ſacris miniſterijs inſeruiunt; & illos quidem ad certandum ferro, iſtos autem ad diſceptandum verbo; vt ſimiles ſimilibus obſiſtere valeant. In qua re ſummoperè ſciendum eſt, quòd in congreſſione armorum plus expectanda eſt iuſtitia ſuperni regiminis, quàm robur brachiorum; in altercatione autem ſermonum plus expectanda eſt veritas, quàm copia verborum. Propter quod orandum eſt ab omnibus tota intentione mentis,
Pſal 16. vt ille de quo vos dicitis, *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*, quia illuminatio veſtra eſt, ſaluum vos faciat in ſua miſericordia, vt huic orationi congruenter vos ſubiungatis:
Pſal. 30. *Domine non confundar, quoniam inuocaui te.*

II. Ego igitur ſeruulus veſter, cùm cognouiſſem ex veſtro ſacro Præcepto iuſſum mihi eſſe ad veſtram præſentiam properare ita paratum, vt cum cæteris eccleſiaſticis viris contra iniuſtos reprehenſores iuſtæ reprehenſionis oppoſitionem adhibere poſſem, viſum mihi eſt vt in Dei, & veſtro ſeruitio, de anteriorum patrum actibus, & ſenſibus hæc verba, quæ ſubteradnexa ſunt, glorioſiſſimæ excellentiæ veſtræ mitterem; quatenùs ſancta religio veſtra piè perpendere dignetur, cuius reuerentiæ debitores eſtis ad veſtrum cotidianum profectum erga Sedem Apoſtolicam. Denique B. Pelagius Papa, cùm quoſdam redargueret Epiſcopos, eò quod nomen eius reticerent in actione ſacri myſterij, id eſt, in ſolemnijs Miſſarum, (in principio ſcilicet, vbi dicere ſolemus, *in primis quas tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vnà cum famulo tuo Papa noſtro*) ait ad eoſdem Epiſcopos: Diuiſionem veſtram à generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non poſſum, vehementer ſtupeo. Cùm enim beatiſſimus Auguſtinus, dominicæ ſententiæ memor, quæ fundamentum Eccleſiæ in Apoſtolicis ſedibus conlocauit, in ſchiſmate eſſe dicat quicunque ſe à Præſulum earundem ſedium auctoritate, vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtet eſſe Eccleſiam, niſi quæ in pontificalibus Apoſtolicarum Sedium eſt ſolidata radicibus; quomodo vos ab vniuerſi orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria ſecundùm conſuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo, licèt indigno, Apoſtolicæ Sedis per ſucceſſionem Epiſcopatus præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem.]

III. Beatiſſimus quoque Leo Papa ad vniuerſos Viennenſis Prouinciæ Epiſcopos de auctoritate, & priuilegio Apoſtolicæ Sedis ita ſcribit: [Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes, Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis ſaluator inſtituit, vt veritas, quæ antea Legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſal 18 Rom. 10.
Sed huius muneris ſacramentum ita Dominus

ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter coulocaret, vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.]Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret; hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem Deo, vt diximus ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id quod accepit à veteribus non ſequendo.] Hæc beatus Leo; ſed & alij multi huiuſmodi docentes, vt illius ſtabilis petræ ſempiterna ſoliditas, ſuper quam Dominus Saluator noſter propriam ſundauit Eccleſiam, à Solis ortu vſque ad Occaſum primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum auctoritate tam per ſe, quàm per Vicarios ſuos firmiter obtineret. Ex quibus Beatus Anaſtaſius Papa ad Imperatorem ſcribens, docet quòd pro Chriſto fungatur legatione, qui pro pace precatur Eccleſiæ; & ipſum Imperatorem admonet, vt conſtitutis Apoſtolicæ Sedis obtemperet.

IV. Certè, clementiſſimè Domine, ſi nunc Gregorius Papa inrationabiliter, & ad pugnandum venit, meritò & pugnatus & repulſus recederet. Si autem pro quiete, & pace populi, & veſtras, laborare nititur, bene & rationabiliter obtemperandum eſt illi, non repugnandum. Si enim quod veſtra voluntate, & poteſtate cum conſenſu totius Imperij veſtri factum eſt, & poſtea in Apoſtolica Sede roboratum, hoc vult in priſtinum reducere ſtatum, ſatis rationabilis, & opportunus eſt eius aduentus. Quia nullatenus quod ita eſt conſtitutum à vobis, debetis mutare. Nec enim ſine graui periculo, & reatu animæ fieri poteſt.

V. In his ſacratiſſimis diebus Paſchalibus perlatæ ſunt ad me litteræ iſtius Apoſtolici, præcipientes vt ieiunia, & orationes cum abſtinentia faceremus, ſi fortè omnipotens Dominus effectum conatui eius præſtare dignetur; quatenus apud vos obtineri poſſit, vt pax, & concordia priſtina domui, & regno veſtro reſtituatur. Quod ego audiens, compunctus, faciem cordis mei, quantum valui, ad Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum leuaui vehementer exoptans, vt ſine ſanguinis effuſione tam iniuſtus tumultus per benigniſſimam omnipotentiam eius ſedaretur.

VI. Dignetur ſublimis prudentia veſtra piè perpendere, quod Apoſtolus dicit: *In no-*
1. Tim. 3. *niſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa*. Quæ pericula beatus Papa Gregorius ſuo iam tempore, quando adhuc ſtatus idem multò, & incomparabiliter melior erat quàm nunc, ita deplorat, dicens: [Tantis quippe in hoc loco huius Mundi fluctibus quatior, vt vetuſtam, ac putreſcentem nauem, quam regendam occulta Dei diſpenſatione ſuſcepi, ad portum dirigere nullatenus poſſim. Nunc exaduerſo fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli ſpumoſi maris intumeſcunt, nunc à tergo tempeſtas inſequitur; interque hæc omnia turbatus, cogor modò curuato nauis latere minas fluctuū ex obliquo declinare. Ingemiſco, quia ſentio quòd negligente me creſcit ſentina vitiorum, & tempeſtate fortiter obuiante, iam iamque putridæ naufragium tabule ſonant.] Heu, heu! Si tunc iam putreſcebat nauis Eccleſiæ, & ſi eius tabulæ iam putridæ erant, quid nunc eſt?

VII. Hæc verba, pijſſime Domine, beatiſſimi Doctoris, propterea ad memoriam veſtram reducere præſumpſi, vt quia nemo dubitat vos multò, & ineffabiliter plus eſſe amatorem regni cœleſtis, quàm terreni, permanſuri, quàm tranſituri, & iuxtà veſtram ſanctam fidem, ſpem, & charitatem de nullo opere poteſtis tam carè Deum placare, quàm de ſollicitudine, & adminiſtratione pacis, & vnitatis Eccleſiæ, veſtra ſolertiſſima religio elaboret, vt omnis anima fidelis proficiat in fide, & cognitione Dei, quæ res omnibus rebus Deo carior eſt. Huius rei niſus, merita veſtra adpropinquare faciat Apoſtolicis meritis.

EPISTOLA GREGORII IV. PAPAE ad Epiſcopos Regni Francorum.

ROmano Pontifici ſcribentes, contrarijs eum in Præfatione nominibus appellaſtis, Fratrem videlicet, & Papam; dum congruentiùs eſſet ſolam ei paternam reuerentiam exhibere. Aduentu quoque eius comperto, lætari vos dicitis, credentes omnibus Principi ſcilicet ſubiectis profuturum, & optaſſe, occurſum veſtrum nobis non negandum, niſi ſacra iuſſio imperialis præueniret. Quæ verba reprehenſibilia ſunt, vno quidem modo, quia iuſſio Apoſtolicæ Sedis non minùs vobis ſacra videri debuerat, quàm illa quam dicitis imperialem, deinde, quia veritate caret, quòd dicitis illam præueniſſe, non enim illa præuenit, ſed noſtra, id eſt, Pontificalis. Neque ignorare debueratis, maius eſſe regimen animarum, quod eſt Pontificale, quàm imperiale, quod eſt temporale. Beatus Gregorius Nazianzenus non hoc timuit coram Imperatoribus in Eccleſia prædicare. Sic enim ipſis Imperatoribus loquitur dicens: [Suſcipitiſne libertatem verbi, libenter accipitis, quòd lex Chriſti ſacerdotali vos noſtræ ſubijcit poteſtati, atque iſtis tribunalibus ſubdit? Dedit enim & nobis poteſtatem, dedit principatum, multò perfectiorem principatibus veſtris. Aut numquid iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni, ſi à terrenis cœleſtia ſuperentur, ſi diuinis præferantur humana?] Quare igitur vos, ſicut veri ſacerdotes, diuini videlicet cultus miniſtri, non humani, non reſpondetis Imperatori, cuius ſacra vos dicitis iuſſione præuentos, ſicut iſdem beatus Gregorius alloquitur Imperatorem præſentem, dicens: [Patienter, quæſo, accipe libertatem noſtram. Scio te ouem eſſe gregis mei à Chriſto mihi ſummo paſtore annumeratam, & à Sancto Spiritu conſignatam; ſcio te inter ſacra altaria cum veneratione ſubijci manibus ſacerdotis; ſcio te beatæ Trinitatis cultum, fidemque non tua,

Gregorius Nazianzen. de Iere. dictis.

ſed

ſed noſtra prædicatione ſeruare. Et poſt ali-
qua: Memento ſemper, quòd vna tibi natura
eſt eademque ſubſtantia cum omnibus, qui
tibi ſubiecti ſunt. Tu tamen animo eſto cum
Deo, & non tam dominari te mundo, quàm
dominari tibi Chriſtum, gloriare.] Quare
etiam nunc commorantes cum Imperatore,
intermittentes ſtultiſſimas adulationes, non
ei prædicatis cum beato Auguſtino dicentes:
Aug. lib. 5. de ciu. Dei cap. 24. [Felices dicimus Imperatores, ſi iuſtè impe-
rant; ſi inter linguas ſublimiter honorantium
& obſequia nimis humiliter ſalutantium non
extolluntur, & ſe homines eſſe meminerint; ſi
ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè di-
latandum maieſtati eius famulam faciunt; ſi
Deum timent, diligunt, colunt; ſi plus amant
illud regnum, vbi non timent habere conſor-
tes; ſi tardiùs vindicant, & ignoſcunt; ſi ean-
dem vindictam, pro neceſſitate regendæ, tuen-
dæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimi-
citiarum odijs exerunt; ſi eandem veniam non
ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem cor-
rectionis indulgent; ſi quod aſperè coguntur
plerunque decernere, miſericordiæ lenitate,
& beneficiorum, largitate compenſant; ſi lu-
xuria tantò eis caſtigatior, quantò poſſet eſſe
liberior; ſi malunt cupiditatibus quàm qui-
buslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia
faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ,
ſed propter charitatem felicitatis æternæ; ſi
pro ſuis peccatis humilitatis, & miſerationis,
& orationis ſacrificium Deo vero ſuo immo-
lare non negligunt; tales Chriſtianos Impe-
ratores dicimus eſſe felices interim ſpe, po-
ſtea re ipſa futuros, cùm id quod expectamus
aduenerit.] Vos autem è contrario, quia
non vultis eſſe veri ædificatores, eſtis procul-
dubio veri deceptores, ſicut ſcriptum eſt:
Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te deci-
Iſai. 3. *piunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Dein-
de, poſtquam dixiſtis vos lætatos eſſe de ad-
uentu noſtro, iterum intuliſtis quorundam
relatione magno mœrore affectos, quod vti-
que facit inſtabilitas mentis. Verum eſt om-
Iacob. 1. ninò quoniam qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui
maris, qui à vento mouetur. Sed inter has
hæſitationes nimis ſtolidè nos iudicatis im-
memores eſſe paſtoralis officij, & diſtrictiſſi-
Sap. 17. mæ moderationis. Deindè, ſicut ſcriptum
eſt, cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium
condemnata; adiungitis quod omni verecun-
dia dignum eſt, dicentes nos venire propter
quandam præſumptuoſam, & omni ratione
carentem excommunicationem faciendam;
& admonetis nos nimis inuolutis, & confuſis
ſermonibus, & ſenſibus, vt neque noſtra vo-
luntate, neque alterius hortatu præſumptione
prorumpamus; eò quòd, vt dicitis, perti-
neat ad iniuriam, ac dehoneſtationem Impe-
rialis poteſtatis, & ad minorationem, & re-
prehenſionem noſtræ auctoritatis. Dicite,
quæſo, quæ ſunt iſta portenta verborum? &
quid potiùs pertinet ad dehoneſtationem im-
perialis poteſtatis, opera digna excommuni-
catione, an ipſa excommunicatio? Sed quia
hæc verba veſtra exaggerare laborioſum eſt,
eò quòd plena ſint nauſeæ; tantùm illud fla-
gito, vt dicatis quomodo poteſt fieri, vt ma-
nente Apoſtolicæ Sedis honore, mea tantùm
perſona in cauſa reprehenſionis, & vitupera-
tionis remaneat? Nullo modo enim fieri po-
teſt, vt ſi is, qui locum beati Petri tenet,
exhoneratur, ſine crimine duntaxat, cathedra
eius honorata permaneat. In tantum autem
honoranda eſt Cathedra Pontificalis, & pro-
pter Cathedram ſedens in illa, vt etiam de
Caipha crudelitate, & incredulitate impio, di-
cat Euangeliſta: *Hoc autem à ſemetipſo non di-* Ioan. 11.
xit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, propheta-
uit, quia Ieſus moriturus erat pro gente. Vnde
conſtat etiam impium Caipham propter Ca-
thedram honoratum eſſe prophetia. Vos au-
tem fidelem, & cultorem pietatis Pontificem
dehoneſtandum prædicatis abſque iniuria Se-
dis, quod omninò falſum eſt. Bene autem
ſubiungitis, memorem me eſse debere iuriſiu-
randi cauſa fidei facti Imperatori. Quod ſi
feci, in hoc volo vitare periurium, ſi annun-
tiauero ei omnia, quæ contra vnitatem, &
pacem Eccleſiæ, & Regni committit, quod ſi
non fecero, periurus ero, ſicut & vos, ſi ta-
men iuraui. Vos tamen, quia proculdubio
iuraſtis, & reiuraſtis, promittentes ei erga
illum omnia fideliter vos agere, & nunc vi-
dentes illum agere contra fidem, & præcipi-
tari in perniciem, non reuocatis eum quan-
tum ex vobis eſt, periuri eſtis: quia pro eius
ſalute ſecundùm fidem promiſſam non labo-
ratis. Deinde promittitis mihi venerabilem
receptionem, ſi tamen ita ad illum venero, vt
eius voluntas eſt. Hæc non in libris diuinis,
ſed in veſtris conſcientijs legitis, qui omnia
facitis propter temporalem retributionem, eò
quòd ſitis arundines vento agitatæ, & omnes
auræ vos flectant. Penſate, penſate fratres, Matth 11.
quàm longè eſt mens veſtra ab illa petitione,
qua in celebrationibus Miſſarum ſoletis dice-
re Deo, non voluntate, ſed voce: *Da nobis pro*
amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius
aduerſa formidare. Nam ſi ex corde hæc pete-
retis, iam dediſſet ille, qui dicit: *Petite, &* Ioan. 12.
dabitur vobis. Deinde dicitis illam primam
diuiſionem regni, quam inter filios ſuos fece-
rat Imperator, nunc iuxta rerum opportuni-
tatem eſſe mutatam, quod omninò dupliciter
falſum eſt, vno quidem modo, quia non eſt
opportunitas, ſed importunitas, eò quòd ſit
cauſa, & origo conturbationis, & diſſenſionis,
commotionis, & deprædationis, & omnium
malorum, quæ per ſingula dicere longum eſt,
extra periuria innumera, & fidei, ac pacis ex-
pulſiones, alio verò modo; quia necdum ſci-
tis, vtrum ſit commutata, an per verum Re-
gem, & Dominum maneat inlibata. Iſta
enim commutatio, quam vos dicitis iuxta
rerum opportunitatem factam, inde cogno-
ſcitur quia non fuerit per Deum, quia multo-
rum peccatorum origo exiſtit. Illud namque
quod per voluntatem Dei fit, plerumque cau-
ſa eſt præſſuræ, & perſecutionis; ſicut factum
eſt aduersùm Sanctos Apoſtolos, & Martyres,
qui non propter aliud paſſi ſunt, niſi propter
defenſionem, & confirmationem Euangelicæ
veritatis. Cauſa autem peccatorum, & ſcele-
rum eſſe non potuit, ſicut veſtra diuiſio eſt,
quam dicitis fuiſſe opportunam. Deinde,
quod grandi ſupercilio dicitis, quia ſi reue-
renter venerimus ad Imperatorem, per ipſum
cognoſcemus omnem rei veritatem, quare op-
portunè, & vtiliter mutuata ſit diuiſio, hoc
loqui cogit vos magnitudo ſuperbiæ, æſtiman-
tes ſolos vos poſſe rerum cognoſcere cauſas.

Verè

Verè dico vobis, quia non ſolùm ſtultus, ſed
& infelix eſt, qui non intelligit quantos, &
quales fructus malorum protulit veſtra commutatio,
& de cuius theſauro maligni cordis
proceſſit, & pro qua re vos laudatores,
& defenſores eſtis huius malignitatis. Deinde
ſubiungitis, quia niſi ſecundùm voluntatem
veſtram venero, non habeo Eccleſias veſtras
conſentaneas, ſed in tantum contrarias
vt nihil mihi in veſtris parrochijs agere, vel
diſponere liceat, nec quempiam excommunicare
vobis obſiſtentibus. Verè verum eſt, quod
Matth. 12. Veritas dicit: *Malus homo de malo theſauro cordis
ſui profert mala.* Quare mihi contrarij cum
Eccleſijs veſtris eſſe debetis in legatione pacis,
& vnitatis, quod Chriſti domum, & miniſterium
eſt? An ignoratis Angelorum cantu pro-
Luc. 2. miſſam eſſe pacem in terra hominibus bonæ
voluntatis? per Apoſtolum autem tribulationem,
& anguſtiam in omnem animam hominis
operantis malum? Hic apparet, quòd
congruat vobis illud, quod Scriptura dicit:
Prou. 22. *Arma, & gladij in via perverſi.* Vos conamini
obſiſtere peruerſitatibus veſtris nobis, qui legatione
fungimur pacis. Nam quicunque
inter vos membra Chriſti ſunt, non eum poteſtis
abſcindere à corpore capitis, quod eſt
Chriſtus. Nam etſi vos datis operam ſeparandi
à corpore vos ipſos, tamen ſicut ſemper
Auguſt. contra lib. Petil. l. 2. c. 104. fuit, eſt, & erit; vt vnguentum illud, Spiritus
videlicet Sanctus, (qui deſcendit à capite
Chriſti in barbam, quæ eſt Apoſtolorum chorus;
& de hac barba in ora veſtimenti, quæ eſt
capitium tunicæ, Eccleſiæ ſcilicet Chriſti, quod
capit caput, vt inhabitet Chriſtus per fidem
in corde eius.) in omnibus vbique fidelibus
ſeruet vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Hæc
idcircò dicimus, vt noueritis non vos poſſe
diuidere Eccleſiam Gallicanam, & Germanicam
ab vnitate tunicæ, quæ ſubiacet capicio,
ſublimioribus videlicet membris Eccleſiæ, qui
proximiores ſunt barbæ, Apoſtolis ſcilicet,
ac per hoc Apoſtolicis ſedibus; ſicut barba
non poteſt eſſe niſi in capite. Deinde dicitis,
rem ridiculam ſubinferentes, *& quod potiùs
tacere, quàm dicere maluimus; Si autem non egeritis,
aſſenſum conſilio noſtro non præbueritis, honoris
veſtri periculo ſubiacebitis;* ſi potiùs maluiſtis,
id eſt, magis voluiſtis tacere, quàm
dicere, quare non tacuiſtis? Conſuetudo eſt
in vobis, vt id, quod minus eſt, vincat, quod
maius eſt. Maior voluntas extitit in vobis tacere,
minor autem dicere; & tamen minor vicit
maiorem. Credendum eſt omninò, quoniam
in diſcordiarum amatoribus victrix eſt
cupiditas, victa continentia. Illud verò quod
minari vos cognoſcimus periculum gradus,
quis explicare poterit quantum ſit abſurdum,
quantùmque inconueniens, & ſtultum; cùm
veſtra comminatio non ſit propter crimen, homicidium
ſcilicet, ſacrilegium, aut furtum,
vel aliquid huiuſmodi; ſed niſi ita venerimus,
ſicut ipſi vultis, cui rei in argumento adiungitis
iuramentum; & non recordamini erubeſcentes,
quia periuri peieratum degradare non
poſſunt, etiamſi eſsem. Denique vos non me
ſcitis eſse peieratum. De vobis autem nemo
qui dubitet hoc eſse. In hac re nemo eſse debuerat
ſolertia veſtra, quia quicunque cloacam
commouet, quantò amplius commouerit,
tantò ampliorem fœtorem exhalari facit.
Quod autem de ſequentibus me fratribus, &
coepiſcopis ſimiliter promittitis agendum, &
additis, *irretractabiliter;* miranda in hoc præſumptio
veſtra cognoſcitur. Numquid quod
in parte agitur, retractari apud vniuerſitatem
non poterit? Numquid quod apud homines à
rectitudine deuiantes agitur, apud meliores,
recti videlicet tenaces, retractari non debet?
aut quod in præſenti malitiosè iudicatur, Dei
iudicio retractandum non erit? Quod veſtræ
minæ continent, nunquam adhuc ab initio Eccleſiæ
factum eſt. Nam etiamſi ego fuiſsem
periurus; aptandum vobis erat illud euangelicum:
Neque tu times Deum, cùm in eadem Luc. 23.
damnatione ſis?

FINIS.

ALANI COPI ANGLI,

DIALOGVS PRIMVS

Contra Eccleſiaſticæ de vitis Sanctorum Hiſtoriæ, Summi Pontificatus, & Sacri Cœlibatus oppugnatores.

Alani Copi Theologi Angli Opus inſcriptum, Dialogi ſex, contra Summi Pontificatus, Monaſticæ vitæ, Sanctorum, ſacrarumque Imaginum oppognatores, & Pſeudo Martyres in lucem primum datum comperimus Antuerpiæ ſal. an. 1566. Fuit Alanus ſi ex doctrina hominem æxtimare licet, vir equè eruditus ac pius inter Anglos primæ notæ ſacros Scriptores non immerito computandus,& ſi enim haſce elucubrationes velint quidam (inter quos Richiardus Giobbonus in Hiſtoria Anglicana) à Nicolao Harpſpheldio fuiſſe Alano, vti amico conceſſas, ita fuerit nec ne Anglicos Scriptores pro lubitu poterit conſulere lector, noſtrum enim cum minime ſit, nomina Authorum elucidare ſed doctrinam eorum quam prò Summo Pontificatu tradiderunt in vnum exaratam exhibere, Dialogum primum huius inſtituti qui Alani nomine per ſæculum pluſquam integrum, communi acceptatione diſcurrit; oculis legentium offerimus.

PERSONÆ,

IRENÆVS Anglus: CRITOBVLVS Germanus.

CAP. I.

Summa & ordo eorum, de quibus in hiſce Dialogis differitur.

Iren. QVID illud eſt, mi Critobule, quod re tanta cum voluptate legentem video, vt intimam animi alacritatem indicet, & eloquatur exterior vultus tui habitus, non paulò quàm eſſe plerunque ſolet, hilarior atque iucundior. Videri certe alicui poteris cæleſti aliquo numinis afflatu repente concitatus; prout affici ſolent ſubinde piæ mentes ſacrorum operum lectione, veluti facibus quibuſdam in amorem diuinum vſque eo inflammatæ, vt interior ille animi affectus in ipſum ſæpe corpus redundet. Id quod de S. Stephano produnt ſacræ

Vultus indicat animi affectus.

Act.6. litteræ; *In quem intuentes omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Et ego quidem ingentem hanc lætitiam animi tui in oculis, in ore, in fronte elucentem, eodem ex fonte deriuatam illuc exiſtimarem; niſi præſcirem huius fluminis riuulos exhilarare tantum ciuitatem Dei, nec diminare ſolere ad extraneos. Psal.45. Sad quid illud obſecro libri eſt, in cuius lectionem tam ſtudioſe incumbis? An is tibi forte tanti gaudij materiam ſubijcit, vt continere illud non poſſis, quo minus ſe in vultum transfundat?

Crit. Recte tu quidem, Irenæe, diuinaſti. hinc enim omnis illa, quam præmefero, lætitia. Hunc ego ſane librum, pro eo atque debeo, maximi facio; quem cum omni Crœſi alicuius vel Craſſi gaza libens non commutarim: nec tu eum (credo) etſi ſoleas noſtra faſtidire, facile contempſeris. Me certe ita totum ad ſe rapuit; vt ignorarem, an quicquam mihi multis his annis iucundius acciderit. Ex cuius lectione magis me iam tui, ac veſtrorum omnium pudet atque miſeret; qui in tanta Euangelij renaſcentis luce, in ſuperiorum temporum ac ignorantiæ veſtræ tenebris

adhuc iacetis; nec veritatem diuinitus patefactam atque illuſtratam reſpicere in animum inducitis.

Cæcitas Euangelicorum in media luce, & præpoſterũ de Catolicis iudiciũ. Luc. 23.

Iren. Nihil ego à te inſolens audio; in huiuſmodi querelis detritus es: ad quas iam pridem aures meæ occaluere: & noſti me tibi in familiari colloquio ſolitum eſſe illud Chriſti regerere; *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos & ſuper filos veſtros*: & prætetea; te ac tuos ridicule in eo facere, quod cùm clariſſimis rebus tenebras obducatis, nec radios Catholicæ doctrinæ vndique his mille quingentis annis collucentes tenebricoſi ipſi homines ferre poſſitis; in acutiſſima oculorum acie, aut ipſo potius ſole tenebras cauſſemini; phreneticis non abſimiles, qui cùm omnium ſanorum indicio minus ſani habeantur, ſuo ipſorum ſe ſolos ſapere, & ceteros inſanire putant. Sed dic tandem quis ille liber ſit, quis libri auctor, cuius ſic oblectaris lectione, vt inde immenſa quadam lætitiæ voluptate frui, & quodam modo beatus eſſe videaris.

Euengelici phreniticorum ſimiles.

Crit. Rem omnem tibi pro antiqua noſtra notitia, & inueterata iam diu inter nos amicitia libere & ſimpliciter enarrabo. En igitur tibi præclaram ac nobilem illam Eccleſiæ Anglicanę Apologiam: Cui vtinam tu tantum tribueres, quantum illa meretur, & quantum abs te præ alijs vt tribuatur, ſuo iure quodam modo vindicare poreſt: quippe qui fueris non ſolum in Britannia inſula educatus, ſed Trinouanti etiam (quæ Angliæ metropolis eſt, & Londinum hodie dicitur) natus.

Apologia Eccleſię Anglicanæ.

Iren. Non eſt, mi Critobule, cur hac de re ſis ſolicitus. Nam Apologia (cuius tu amore inſanire propemodum videris) iſta tantum apud me valet, quantum certe valere debet. Cui ego nihil, quod ſit tribuendum, adimo; nihil, quod ſit detrahendum, concedo. Omnia ex veritate, non ex plauſibilibus humanæ ſapientiæ verbis æſtimo: omnia recta Catholicæ fidei regula metior, non flexuoſis & momentaneis incertarum opinionum commentis. Quod ſi meum de ea iudicium ſorte requitas; nihil fere aliud habeo dicere quàm illud Poetæ: *Impia ſub dulci melle venena latent*. Sed perge ad reliqua.

Crit. In Apologiæ igitur huius lectione dum ſerio verſarer; eaque (vt ſolet in cultiſſimo horto contingere) varias iucunditates ac amænitates ita ſuppeditaret, vt nullius vnquam hominis voluptarij nares tanta odorũ, qui è floribus iucundiſſimis afflantur, ac animus meus lectiſſimarum ſententiarum & hiſtoriarum ſuauitate perfunderetur: prouectus tandem ſum ad eum locum, vbi mentio Caroli Magni & Synodi in Germania iniecta eſt. Ibi vero gaudio quodam incredibili delibutus ſum. Atque hic interim tu ex inſperato aduenisti, cui, vt dicis & facile credo, animi mei motum vultus ipſe detegit.

Apologia Anglicana venenũ melle tinctum.

Carolus Magnus. Synod Frãcofordienſis

Iren. Sed cur in hac potiſſimum hiſtoria acquieſcis?

Crit. Dicam; inter ceteros Eccleſiæ veſtræ craſſos errores, peculiare quoddam ſemper odium in ſuperſtitioſum & impium illum ſtatuarum veſtrarum cultum, quam Græci proprio nomine εἰδωλομανίαν vocant, ſcis me habuiſſe. Quare nihil ego vnquam lubentius homo Chriſtianus ac Germanus legendo arripui, quàm tantum Principem tam celebrem Imperatorem (cuius potiſſimum ductu maxima gentis noſtræ pars Chriſto initiata eſt) cum omnibus Germaniæ, Galliæ, ac Italiæ Epiſcopis tantæ turpitudini, ac hodie tam vſitatę olim inter ipſa eius initia tam acriter ſe oppoſuiſſe. Nec ſine magna animi voluptate, pariquè fructu ſuccurrebat; iacere iam prorſus antiquas veſtras defenſiones, quæ Synodo illa Nicæna Imaginibus veſtris dicata nitebantur: tum & illas, quibus ſolebatis ambitioſe ſatis, & nimis confidenter iactare non poſſe œcumenicam Synodum priuata aliqua infirmari. Poſtremo hic velut in ſpeculo conſpiciebam ſupinam ac intolerabilem quandam, neſcio, imperitiam dicam an perfidiam Catholicæ veſtræ, quam fingitis, Eccleſiæ ac Sinodi iſtius Tridentinę. Quid enim boni ſperandum eſt, vel ab Eccleſia veſtra, vel à Patribus iſtis Tridentinis; qui ſpecioſo quidem Synodi vocabulo nobis illudere; qui iſtos, quos commemoraui, & alios id genus errores in Germania ante octingentos pæne annos, tanta eam auguſti Imperatoris auctoritate, tanto tot ſanctiſſimorum doctiſſimorumque Præſulum conſenſu damnatos, & omnium ſibilis exploſos, non ita pridem indicto in Germaniæ etiam finibus & oppido imperij Concilio rurſus reuocare; pertinaciter tueri; & tanquam ſacroſancta orthodoxæ Fidei dogmata orbi Chriſtiano proponere, vel potius obtrudere conantur. Gaudebam itaque oppreſſam ac tot ſæculis ſepultam veritatem, & antiquam fidei dignitatem tandem poſtliminio reſtitutam. Hanc verò hiſtoriãm etſi apud noſtros ante legeram, quibus non ſine cauſa plurimum tribuo: cùm tamen eandem tam eleganti ac facunda Apologia, totiuſque Anglicanæ Eccleſiæ auctoritate conſignatam ac corroboratam viderem; & ad cauſam tanti momenti tam apte atque dextere applicatam; mirifice, ſupra quàm verbis dici poteſt, affectus ſum. Quare per veterem te amicitiam rogo, perque animæ tuæ ſalutem; vt vel tandem depoſita animi iſta peruicacia emolleſcas; & totum te ſincero diuini numinis cultui dedas; nec exploratæ ac patefactæ veritati aduerſari amplius iam ſciens & prudens velis.

Euangelicorum inſigne in Chriſti & Sanctorum Imagines odium.

Nicæna Synodus ſecunda de adorandis Imaginibus.

Frigidæ, & ieiunæ Euãgelicorum in Catholicam Eccleſiam & Synodum Tridentinum calumnia.

Iren. Ego certe ab ea nota, vt qui maxime, abeſſe videor; eamque in te & tuos potiſſimum cadere exiſtimo.

Crit. Hæc tu præpoſtero & præiudicato affectu dicis. Nam vt alia omittam, certe in hac Imaginum cauſa nihil habes, quo vel hiſcere deinceps poſſis; ita tibi hæc Caroli ſynodus os obturat, vt vel ingratis taceas.

Iren. Aliquid profecto diceres, ſi hæc eſſet eam ſolida & vera, quàm eſſe tibi videtur hiſtoria.

Crit. Quid ego audio? an aliquis vel leniter dubitandi ea de te locus relictus eſt? pręſertim poſt tam amplæ, & illuſtris Eccleſiæ teſtimonium?

Iren. Vt ego quidem ſentio, nullus.

Crit. Quo ergo illa tua? ſi vera eſſet hiſtoria.

Ficta de Carolo Magno & Synodo Francofordienſi fabula.

Iren. Nihil equidem dubito hanc non eſſe, vt tu tibi falsò perſuades, puram alicuius rei geſtæ hiſtoriam, ſed ab aliquo ſurreptitio potius nebulone, & Iconomacho medius fidius inepto vel de induſtria confictam, vel ex opinionis errore fucata Caroli Magni perſona,

na, & ſpecioſo ſynhodi titulo plauſibiliorem factam eſſe fabulam.

Crit. Deum immortalem, quorſum iſta tendunt? quid ſibi volunt? Serione hæc dicis, an ioco?

Euangelicorum magiſtri abutuntur credulitate diſcipulorum ſuorum.

Iren. Certè, vt hominem Chriſtianum, amicum decet, conſtanter & ſeriò: & valde quidem doleo te tam inani gaudio lactari; & præceptores tuos ita te ludificari, vt cogant te pro theſauro carbones amplecti; aut potius gladium tibi porrigere, non quo cauſam tuam tuearis, ſed eam planè iugules. Proinde id te rogo, ne vel Apologeticis, popularibus quidem meis, ſed iſta iam à Catholica Eccleſia (quod doleo) defectione omnino tuis, vel alijs Euangelicis plus fidei de hac Carolina Synodo tribuas, quàm veritas ipſa concedit.

Crit. Æquiſſima poſtulas. Quare ego te viciſſim rogo, ſi vacet, vt veritatis indagandæ, & plenius cognoſcendæ gratia aliquot mecum dies ponas in harum rerum diſceptatione. Quod ſi feceris, veriſimile eſt, vt alterutrum tandem conſequatur; vt vel ego in tuam, vel tu (quod potiùs credo) in meam ſententiã concedas.

Iren. Vacat certè, vt numquam magis. Quanquam vel in maximis meis negotijs aliquid temporis eſſem aucupaturus, quo poſſem tuæ hac in re voluntati ſatisfacere. Hanc ego diſceptationem & opto, & futuram ſpero animæ tuæ fructuoſam. Id verò de meipſo profiteor, quo veritas vocat, & quam in partem rationum momenta præponderant, ab ea me ſemper ſtaturum. Sed quem diſceptandi modum rationemque inibimus?

Ordo diſputationis.

Crit. Oportune id tu quidem admones, aliam enim quandam diſquiſitionem anteuertere illam Imaginum cauſam debere arbitror; ne eo tandem, velimus nolimus, quaſi è medio curſu abrepti importunius feramur.

Iren. Expecto, quid velis: forſitan tamen ſubodoror.

Imaginum cultu vnde dimanauit.

Sanctorum inuocatio Euangelicis ſapit idololatriam; reliquiarum cultus ſuperſtitionẽ; miracula eorũ, & poſt mortem apparitiones falſitatem.

Crit. Omnis hic veſter de adorãdis Imaginibus fœdus error ab alia idololatria, velut à fonte quodam, illa, inquam, veſtra Sanctorum inuocatione; qua turpiter abiecto Chriſto nouos ſequeſtres, & mediatores conquiritis; à ſuperſtitioſo Reliquiarum cultu; à miraculis denique, quæ viuis poſt mortem falſo tribuitis, & eorum apparitionibus ferè dimanauit. Hic fons ſi ſemel veritatis, & ſcripturarum ſole exſiccatus fuerit; exareſcent facile ceteri omnes ſuperſtitionum riuuli. Quare poſtquam in hunc ſemel ſcopulum impegiſtis, totius poſtea fidei miſerandum feciſtis naufragium. Sed has impoſturas, vt alij ex noſtris ſæpe magna cum laude, ita nuper omnium præſtantiſſime Magdeburgenſes, partim ex Dei verbo, partim ex reconditis, & aureis Eccleſiæ hiſtorijs aperuerunt, & ſubuerterunt.

Eccleſiaſticam Magdeburg. ſuorũ hiſtoriam, vel potius Eccleſiaſticæ hiſtoria deprauationem, quantis laudibus efferant Euãgelici?

Quæ vt ſunt ampla ad laudem illorum, ita ſanè propter alias raras, & eximias Eccleſiæ hiſtorias digni ſunt, quibus maxima quædam à bonis, & doctis omnibus gratia merito apponatur. Quas ad euangelicæ doctrinæ recens iam renatæ confirmationem, partim cum craſſis quibuſdam multorum ſæculorum tenebris circumfuſæ atque occultatæ, in lucem ptimum vocarunt; partim cùm non modo rudes & impolitæ, ſed & adulterinæ, contaminatæ, atque ſuppoſiticiæ eſſent, ab omni fucò vindicarunt; in priſtinum nitorem reſtituerunt; & ſine vlla veritatis labe aut macula mundas, & elegantes reddiderunt. Quo illorum labore & induſtria factum eſt, vt fæce iam repurgata, ſordibus elutis, omnique mendaciorum ſcoria excocta, velut ſpecioſum quoddam, & pulcherrimum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ corpus, in quo nullus næuus, nihil niſi (vt ita dicam) veritatis aurum purũ putum, ſummo artificio elaboratum maxima cum voluptate noſtra, nec minore fructu habeamus.

Catholicia Eccleſiaſticarum hiſtoriarum ſcriptores iniuſte ab Euangelijs ſugillantur.

Omnes enim ferè apud recentiores iſtos veſtros ſcriptores patrum, ſiuè Sanctorum, ſiuè aliorum hiſtoriæ non in ijs ſolum, quæ illis poſt obitum ridicule attribuitis; verum & in ijs, quæ ſuperſtites deſignaſſe fingitis, corruptiſſimæ, & deprauatiſſimæ. Cùm itaque in effrenatam quãdam, & flagitioſam omnia corrumpendi licentiam paſſim effunderentur; & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ authoritatem ementientes fabulis vanis atque inanibus miraculis omnia deformarent: eo res tandem turpitudinis recidit, vt defunctorum etiam ſtatuas, neſcio quibus nugis (quas miracula dicunt) ornare nullus pudor eſſet. Vnde factum eſt, vt ſenſim imprudentes homines ad earum etiam adorationem prolicerentur. Quare niſi ille tam turpis de adorandis Diuis; eorum Reliquijs; & ementitis, dum viuerent, & præſertim poſt mortem ipſorum miraculis, error primum ex animo tuo euellatur, fruſtra videor laboraturus, vt te à ſtatuis tuis abducam. Quæ tamen prioribus illis de quibus dixi, velut calumnijs quibuſdã, quæ totam hanc mendaciorum ſtructuram ſuſtinent, euerſis, mox (vt vitis quæ natura caduca eſt, & niſi aliunde ſuſtineatur, in terram fertur) ſponte corruent.

Iren. Quos tu mihi ſcopulos narras? Hactenus ego Sanctos, conciues iam Angelorum & Domeſticos Dei, noſtra poſt Chriſtum præſidia, non fidei Chriſtianæ ſcopulos ſum arbitratus: & honorem, quo eos afficimus, Deo gratum, non ab omni pietate alienam, & abhorrentem eſſe idololatriam. In qua me ſententia cum alia ſemper, tum nuper Magdeburgentium tuorum in primis Centuriæ confirmarunt.

Magdebur. hiſtoria cur aurea appelletur.

Quorum tu hiſtoriam cur auream appelles nondum video, niſi ob id fortè, quod Germaniæ principes nimis multo auro inſignia mendacia redemerint. Sed ne prepropere videar, temereque de rebus non dum plenè à te propoſitis iudicare; proferto tandem bellas, & aureas iſtas hiſtorias; tum certiùs à me reſponſum auferes.

Crit. Incipiam itaque, vt ordine in ſingulis diſpoſita progrediatur oratio; à Sanctorum rebus in hac vita geſtis, deinde ad eorum, poſtquàm in cœlum recepti ſunt, miracula abiturus. ſed id ante omnia mihi curæ erit, ne quid hic omittatur, quod ad oppugnandam Romani Pontificis tyrannidem quoquo modo pertinere videbitur. In qua me materia dicturum ipſa copia obruit: ex qua ego pauca, ſed noſtro propoſito accommodata, hinc inde carpam atque colligam.

Summa eorũ, quæ partim ex Eccleſiaſtica Magdebur. hiſtoria, partim ex Apologia Anglicana, partim

En tibi igitur Ruffini; & Nicephori de Gregorij Neocæſarienſis miraculis: en Theodoreti de Marcello Apameenſi ſomnia, & fabulas. Ecce tibi incognitam hactenus, ſed veriſſimam de Cornelio Romano Pontifice hiſtoriam, qui cœnam Dominicam nefariè, & horribilliter contaminauit,

Digitized by Google

ex alijs Euãgelicorum libris contra Catholicam Eccleſiam ventilantur, quibus in diſputationis progreſſu occuritur.

& pro Chriſti conuinio caninum planè reddidit. Vnica certe ſextæ Carthaginenſis ſynodi narratio, vt ea à Magdrburgenſibus noſtris explicatur & illuſtratur, Papatum penitus euertit. Quam Anglicana etiam Apologia attingit, & vt cætera multa id genus de Liberio Papa, Ioanne vigeſimo tertio, & de alio nomine quidem Ioanne, ſed femina ſexum ementita contra Romani Pontificis erroris, & quam ſibi inſolentiùs vindicat in omnibus, & ſuper omnes prærogatiuam, ſic & illam illuſtrem de Auguſtano Epiſcopo contra turpem veſtrum cœlibatum hiſtoriam eleganter & accommodatè applicat. Hanc alibi Illyricus diligenter pertractat, & Magdeburg. digniſſimam, quæ in Centurijs ſuis ſemel atque iterum iuſereretur, eam cenſuerunt. In infinitatem quandam abiret oratio, ſi reliquas Eccleſiaſticæ hiſtoriæ labes, & corruptelas à veſtris fœdè aſperſas, à noſtris diligenter purgatas, & deterſas, vt rei magnitudo poſtulat, perſequerer, illa præſertim monaſticæ vitæ ludibria & portenta, quæ veſtri pro glorioſis miraculis hactenus venditarunt; necnon & illa opinionum monſtra ac pernicioſa de adorandis imaginibus, de quibus dixi, & in quibus vos nimium vobis placetis, deliramenta. Quæ & reliqua id genus innumera Magdeburg. noſtri narratione rerum continua, & eleganti ſerie ad ſexcentos annos producta luculenter confutarunt. Vt itaque cùm priora illa noſtrorum hominum totos hos quadraginta, & amplius annos plurimorum, tum multo etiam magis recentia iſta Magdeburgen. & Apologeticorum ſcripta me in religione, quam ex eorum fontibus hauſi, confirmant: ita omnium maximè animum meum aliud quiddam commouet, quod me non modo in hac quam mihi iam indui perſuaſione, ne ab ea vllius vnqnam periculi metu deflectam, retinet; ſed etiam ſi non autè induiſſem, ad eam quàm primum induendam impelleret.

In catalogo. cent.6.c.7.pa 389.& ca.10. pag.696.

Iren. Mirum ni philtro quodam nuper captus ſis. Sed illud, quidquid ſit, explica.

Falſa martyrij ſpecie Euangelici capiuntur.

Crit. Paucis itaque accipe. Nobile & tam frequens ex omni ordine, ętate, & ſexu noſtrorum, martyrium intelligo, qui non tam libris quàm ſanguine ſuo hanc noſtram religionem conſignarunt. E quibus nemo omnium eſt (quod ſcio) qui ſacroſanctam Romani veſtri Pontificis authoritatem; qui Sanctorum inuocationem, ficticia eorum, poſtquàm obierunt, miracula; reliquiarum honorem; & ſacrilegum hunc cum primis ſtatuarum cultum, cum vitæ iactura non ſit deteſtatus. Quorum tam admirabilis ad martyrium obeundum ardor, ita animum meum totum occupat & inflammat, vt Deo propitio, & ego vitam potiùs, quàm tam ſanctam perſuaſionem deponere malim.

Iren. Niſi alia, mi Critobule, habeas religionis tuæ firmamenta, non eſt quod ego cauſæ meæ diffidam; neq; quod tu ita in oculis Magdeburgen: tuos feras; vel, quaſi te ſingulari quadam rerum præſtantium cognitione, & raris ac peregrinis, à nouis forſan inſulis allatis diuitijs bearint, glorieris. Non eſt, quod Catholicorum conditionem deplores, aut eos nefariè circumuentos quæraris. Tu potiùs tibi ipſi caue, ac rebus tuis proſpice; qui in longe grauiſſimam captionem per veteratores iſtos incideris. Qui tibi pro veritate (qua homini nihil carius eſſe debet) notiſſima, & impudentiſſima mendacia obiecere; dum veras, & ſinceras hiſtorias, leuiſſimè, & pueriliter eleuant: falſas verò magna impudentia partim ab alijs arripiunt: partim multo maiori impudentia à ſe comminiſcunt. Etſi enim magno tu ſermonis compendio iſta perſtrinxeris: tamen (nil fallor) ſingula quo ſpectent, non ignoro. Atque ideò tantum mihi arrogo, vt magnam tibi per iſtos factam fraudem confidenter pronuntiare auſim. Martyres verò iſti tui, quantiuis apud te pretij ſint; apud me certe nihil valebunt. Si enim doctrina omnis iſtorum contra Romani Pontificis dignitatem, contra Sanctorum, Crucis & Imaginum honorem in ſplendidis iſtis hiſtorijs à me ſemel (quod ſpero futurum) euerſa fuerit; quis quęſo veri martirij locus iſtis relinquetur, qui in grauiſſimis, & pro grauiſſimis erroribus mortem obierunt? Quanquam ſi veritas à te in his quæſtionibus, quas recenſui, & quæ à nobis in hoc paucorum dierum colloquio agitabuntur, ſtaret: nihilo tamen magis iſti eſſent veri Maryres; cùm præter impias in his controuerſijs opiniones, multa illi alia adulterina, & pernicioſa contra Catholicam fidem dogmata perditè, & obſtinatè moriendo defenderint. Sed de his ſuo loco, & tempore, ſi neceſſe fuerit, videbimus. Tu vero interim, ne ego forſan aliorſum, quam aut tu cogitas, aut res poſtulat accipiam, præclaras iſtas tam præſtantium hiſtoriarum merces latius explica & euolue; vt certo & pleno obtutu, nec per tranſennam (quod dicitur) tanta ornamenta videamus.

Magdebur. veteratores impudentiſſimis mendacijs credulos circumueniunt.

Qui in perfidia noui Euangelij pertinaciter mortem oppetierunt, eos non eſſe martyres, ſed pſeudomartyres.

CAP. II.

Defenditur hiſtoria Gregorij Neocæſarienſis contra Magdeburgenſium calumnias.

Crit. LVbens id quidem fecerim, vt quæ iam tu iam prima auditiune facilè deprimi, & extenuari à te poſſe exiſtimas, rebus à me vberius explicatis, & attentius à te perpenſis, quantum ſit veritatis pondus, & quàm non ſine cauſa tam prolixe Magdeburgenſes noſtros laudarim, vna mecum ingenuè confitearis. Quid ergo? tù ne ſuſcipies patrocinium Ruffini; qui auſus eſt ſub fuco Euſebiani interpretis Eccleſiaſticam eius hiſtoriam fœdare; & narrationes de Gregorio aſpergere mendaces, & ſuperſtitioſas, quales Monachorum otioſum genus finxit, quæ nec in poſterioribus Euſebij editionibus, nec in Græco vſquam exemplari conſpiciuntur. Quibus tamen Nicephorus pro ſuo more magis vana, & nugatoria attexit.

Cent.3.c. 13, pag.306.

Iren. Qui mēdaces ac ſuperſtitioſas narrationes communiſcuntur, eos ego ad monaſteria non ad ſaginam, ſed ad arctam diſciplinam amandari optarem, verum enimuero nullam ego talem fœditatem, qualem tu ſomnias, in Ruffino agnoſco.

Ruffinus à calumnia vindicatur.

Crit. Cernuntur ergo iſta apud Euſebiū?

Iren. Nec id dico; ſed fraudem, & malitiam iſtorum aperio; qui imprudentibus lecto-

ctoribus ad fidem hiſtoriæ totius extenuandā perſuaſum cupiunt. Ruffinum illa quaſi ex Euſebio recenſere; aut nullum extitiſſe grauiorem authorem ante Nicephorum qui hæc prodidiſſee.

Crit. Sic accipio.

Iren. Sed longè aberras. Ruffinus enim apertè profitetur hæc ab Euſebio prætermiſſa.

Crit. Egreſſus eſt igieur Ruffinus fines ac limites interpretis.

Ruffinus paraphraſtes, potiùs quā interpres Euſebij.

Iren. Non id iam diſceptatur; nec de fide officioue interpretis (in quo genere Ruffinus magis paraphraſten agit; & ſæpe nec verba, nec ſenſum appendit, ſed aliàs de ſuo addit, aliàs detrahit) ſed de ipſius hiſtoriæ veritate agitur.

Crit. At iſta ſunt, ſi credamus Magdeburgen. otioſi alicuius in monaſterio aliquo obdominis ſomnia.

Iren. O teretes, & religioſas Magdeburgen. tuorum aures! Quibus illi, precor, argumentis huius hiſtoriæ vanitatem conuincunt?

Crit. Iam dixi.

Ruffin. lib. 7. cap. 25.

Iren. Atqui hoc ipſum, quod de Ruffino allatum eſt, certiſſimam rei veritatem arguit.

Crit. Mirum, ſi res ſic abeat.

Euſebius mentionem quidem facit de Gregor. li. 7. ca. 28 licet non de hiſtoria quam Ruffinus recitat.

Iren. Sic abire neceſſe eſt. Miratur enim Ruffinus Gregorij illam per orbem vniuerſum celeberrimam hiſtoriam ab Euſebio prętermiſſam. Quare eam, vt cognitu digniſſimam, vel alieno loco interponere magnum putauit operæ pretium. Nec iam video cur, ſi ſolo Ruffino niteretur, fides hiſtoriæ laboraret magis, quàm ſi ab Euſebio fuiſſet relata. Quo etſi fuerit tempore paulò inferior, & forſan eruditione; fidei tamen Catholicę ſinceritate ac conſtantia multo fuit ſuperior.

Euſebij, & Ruffini cōparatio.

Synod. 7. act. 5. & 6.

Crit. Habet quidem oratio tua aliquid ſimilę veri, ſed aueo audire, an ſepoſito nugatore illo Nicephoro vlla ſint veterum monumenta de illa Ruffini ac Nicephori narratione.

Qui pręter Ruffinum, & Nicephorum de Gregorij Neocęſarienſis mirandis operibus ſcripſerint.

Iren. Sunt; & ea quidem tuam firmę authoritatis, vt poſt Apoſtolica ſcripta, ne deſiderares quidem firmiora: Hieronymi dico, Baſilij, ac digni quidem tali fratre Gregorij Nyſſeni, à quo deprompta ſunt, quæ vel Ruffinus, vel Nicephorus narrant. Elegantiſſimo enim & docto opere omnes vitæ eius rationes perſequitur: ſtupenda vero Gregorij facta, tam certa apud omnem vetuſtatem habita ſunt, vt non alio fortè nomine quàm μεγάλου καὶ θαυματουργοῦ id eſt, magni ac mirifici deſignaretur.

De viris illuſtribus.

De Spiritu Sancto c. 29.

3, In vita eius.

Greg. Nyſſen. in vita Greg. Neocæſa.

Euagr. lib. 3. cap. 31.

Cano. 2. ſynod 6. in Trull.

Crit. Credidiſſem certè totam illam Nicephori orationem præſertim de compreſſo Lyci fluminis nomini ſuo reſpondentis impetu, atque impreſſione, de Iudæo, deque Gregorio in arborem transformato, ex fraude & mendacijs totam compoſitam fuiſſe.

Greg. Neocæſarienſis cur ſit appellatus Thaumaturgus.

Iren. Imo non Nicephorus ſed Magd. tui, toti à mendacio contra verum ſtant. Gregorius enim Nyſſenus propter admiranda ſigna, cum Moſe eum confert. Quorum alia recentia ſemper ac in oculis incurrentia; vt paludem in aridam terram; baculum vero in flumine ad ſiſtendam eius violentiam defixum, in frondeſcentem poſtea arborem conuerſum: alia non fictis quidem auditionibus, aut diſſeminato temere vulgi rumore, ſed oculatorum teſtium totiuſque ciuitatis auctoritate per manus tradita, ſempiterna memoria remanſiſſe ad Gregorij vſque ætatem conſtat. Quæ quidem Baſilius atque Gregorius ab ijs quoque, qui cum ipſo vixerant, accipere potuerunt, ſi vt Nicephorus refert, ad Diocletiani tempora peruenerat.

Greg. Neocæſ. miracula.

Latinè lupus dicitur.

Cent. 3. cap. 10. in Vita Gregor. Neocæſ. fo 220. Epiſt. 62. ad Neocæſ.

Crit. Sed non produxit vitam ad ea tempora, ſi credimus Magdeb. qui ex Baſilio oſtendunt eum ad extremàm ætatem non perueniſſe.

Iren. Memini; neque iam cogito hanc meam litem facere (in qua tamen fortè obtinerem) illud autem conſtantius dixerim, nihil effici contra Nicephorum ea collectione, cum Baſilius ibi loquatur non de Gregorio Thaumaturgo, aut eius annis, ſed de Macario Neocæſarienſi Gregorij, alijs intercurrentibus, ſucceſſore recens demortuo; cui vt alium ſufficiant, Neocæſarienſes cohortatur. Alioqui vel ea ipſa epiſtola teſte, Gregorius non iam Diocletiani modò, ſed & poſteriora Baſilij tempora attigiſſet.

Supina Magd. negligentia.

Crit. O ſupinam ac latam noſtrorum negligentiam!

Iren. Sic eſt; vt iam ſi cætera nobis deficerent, vel hic fœdus iſtorum error, quanta ſit beatorum, quanta Gregorij noſtri etiam poſt mortem virtus, illuſtri poterit eſſe documento. Qui cùm tam multi ſint, & meo iudicio non indocti; ſuo autem longè omnium doctiſſimi: quique cum magno ſupercilio Catholicam Eccleſiam condemnent, eamque ſe poſt mille annos à ſuperſtitione ac idololatria vindicare, omniaque in his hiſtorijs ad ſolius veritatis amuſſim exigere iactitent: tam ridicule tamen hic allucinantur, vt eiuſmodi error, ne in vno quidem homine, qui ſolus hanc hiſtoriam concinnaret, foret vllo modo tolerabilis. Nunc vero cùm tot lyncei, non in tenebris, nec in re quidem ardua, ſed in aperta ac perſpicua luce offendant, & in tale mendacium incurrant; quid aliud ſtatuendum, quàm beatum Gregorium (cuius laudibus ac operibus, aut potiùs ipſius Dei detrahunt, qui per eum diuinam ſuam vim ac poteſtatem mirificè exeruit) mirabiliter offudiſſe hanc eorum oculis, mentique tetram caliginem, nec minus ipſis turpem, quàm fuit illa olim Syris, qui Eliſeum; aut vt proprius accedam, quàm fuit illa Ethnicis, qui ipſum hunc Gregorium, de quo loquimur, comprehendere & de medio tollere contenderunt: vt non iam ſe Gregorius in arborem, ſed Magdeb. tuos in truncos ſenſu iudicioque carentes conuertiſſe videatur. Ac certe ſi Ethnicorum ac Magdebur. tuorum in beatum virum odium contendere inter ſe ac conferre velim; vereor ne maius iſtorum & acerbiùs, quàm illorum videretur. Iſti enim cùm beati huius, ac aliorum ſanctiſſimorum Patrum manibus giganteo quodam auſu, ac plus quàm Ethnico pugnare; & ſacroſanctam beati viri ac tantorum Dei operum memoriam abolere; non erubeſcunt. Habes iam igitur præter Ruffinum, illud tuum otioſum Monachorum genus, Baſilium dico cum frate Nyſſeno ac Hieronymo, qui hanc huius viri memoriam ſuis ſcriptis perpetuitati conſecrarunt: ſed tales Monachos vt iſti tui præclari Magd. vix vmbram quidem nominis ipſorum ferre potuerint; dum huius hiſtoriæ fidem eleuare

4. Reg. 6.

Magd. à Gregor. Taumaturgo in truncos cōuerſi.

Magd. gigantea pluſquam Ethnica cum manibus ſanctorum pugna.

uare

Digitized by Google

uare conatur. Ad quorum ter ſancta myſteria ſinceritatemque qua ſumma ſe in hoc opere, vti clamitant, intelligendam, aditum iam tibi ac ianuam pateſeci. Nolim vero meliora, aut ſinceriora de reliquis à te propoſitis exſpectes. Scire enim poteris ex vnguibus (quod dicitur) leonem.

CAP. III.

Retunditur Magdebur: calumnia contra Theodoretum pro hiſtoria Marcelli Apameenſis, & eorum fraudes in diſſimulanda ſimili ex Epiphanio hiſtoria de Ioſepho Confeſſore aperiuntur.

Critob. SEd quid ſtatuis de illa Theodoreti narratione & Marcelli facto, quod, vt alia id generis, mendacij & ſuperſtitionis Magdebur. videntur arguere; qnaſi vel nihil tale à Marcello, vel ſi quid tale, non ſic tamen geſtum fuiſſet; ſed poſtea à recentioribus potiùs ita confictum. Quin & ſolemnem illum Catholicæ Eccleſiæ ritum aquam precibus & ſigno Crucis ad morbos & Dæmones abigendos conſecrandi, cum Apologeticis in Anglia irrident; nec Romano Pontifici ac Martyri Alexandro, ſed Ethnico alicui Pontifici tribuendum exiſtimant.

Ritum aquæ precibus, & ſigno Crucis ad morbos, & Demones abigendos conſecranda Magd., & Apologetici in anglia impiè irrident.

Iren. Quid ego aliud ſtatuerem, quàm Magd. tuos ſui ſemper eſſe ſimiles; nec, vt comicus dixit, de bonis Græcis Latina facere non bona; ſed veras Chriſtiani populi hiſtorias, tam Græcas qnàm Latinas ab ipſis naſcentis Eccleſiæ, & ipſis principijs conſcriptas ſumma malitia in meras fabulas, nobili quadam rethorica conuertere. Alioqui à te quæro, quid ſequnti illud Marcelli factum aut negant, aut vt ſnperſtitioſum conuellunt?

Li.5.ca.21. Cent.4. ca. 6. pa 440. Cent. 2.ca 6.pag.121. In Apolog.

Crit. Nihil illi quidem adferunt quod video, prætet meram inficiationem.

Ireu. At ita cuiuis facilè licet eſſe diſerto; neque quicquam eſt in tota religione tam certum & exploratum; vt non facilè hac ratione liceat cuiuis infringere, aut eludere.

Crit. Sed imperitia credo magis, quam malitia adducti hoc faciunt.

Iren. Tolerabilius hoc qnidem foret: nunc verò omnem ſibi in poſterum veniæ ac fidei ſpem præciderunt.

Crit. Quare?

Iren. Quia ſcientes ac prudentes, ac dolo malo, vt olim Dauus ille, omnia perturbant; neque ſimplici errore (qui tamen in tot & tantis viris, & tanta cauſa vix eſſet ferendus) huc prolabuntur.

Dolus malus Magd. in Eccleſiaſticis hiſtorijs vel diſſimulandis vel de prauandi.

Crit. Quare?

Iren. Quia ſi obſerues, hoc in more poſitum habent, vt, ſi aliquid occurrat, quod cum noui iſtius Euangelij placitis non ſatis conueniat, quodque ſe deſperant, vel leui ſuſpicione poſſe aſpergere; id perfide contra hiſtoriæ & muneris ſui, imò contra Chriſtiani hominis officium tegant ac diſſimulent: in alia verò, quæ quocunque morſu arrodi à ſe poſſe putant, rabiem ac dentes ſuos exerceant.

Crit. Ceterum nihil hic tale accidiſſe puto.

Iren. Maximè. Nam vt nihil iam de decreto illo Alexaudri, deque Marcelli facto, quæ iſti conuellnnt, diſquiram; inſignem, & indubitatam in hoc genere hiſtoriam Ioſephi præclari Confeſſoris (qui è tenebris Iudaicæ ſuperſtitionis ad Euangelij lucem, admiranda quadam Dei prouidentia ereptus eſt) inexpiabili ſilentio inuoluunt: vt vel ex eo ipſo vulgare illud prouerbium verum eſſe videatur, quo dici ſolet, Dæmonem aquam ſacram odiſſe. Cuius vel mentionem, ſpiritus, qui iſtos inhabitat, è longinquo fugie. Quamquam & alia quædam concurrunt, cur hiſtoriæ huius, qua vix in toto eo ſæculo illuſtrior occurrit, ſcriptionem fugerint.

Ioſefi confeſſoris hiſtor. cur Magd. diſſimularint.

Aqua ſacra.

Crit. Quænam?

Iren. Venerandum cum primis Crucis ſignum, quod Dæmones abhorrent, eos ab huius hiſtoriæ vera narratione coercuit; tum in azymis, id eſt, non fermentatis panibus, Euchariſtiam conſiciendam; nec poſſe in clerum allegi, qui defuncta vxore matrimonium repetit; & alia id genus. Quæ omnia, ac integram Ioſephi hiſtoriam licet alieno propemodum loco Epiphanius, qui cum eo aliquando coniunctiſſimè vixit, luculenter deſcribit. Sed iuuabit Epiphanium aut Ioſephum ipſum audire. Variatis autem nominibus, & locis, eodem redit tota narratio, quo illa de Marcello; niſi quod ille Dæmonem, qui obſtiterat, ne templum ſuum euerteretur, iſte Dominici templi ſtructuram ſuis præſtigijs impedientem, aqua ſigno Crucis ac precibus conſecrata eiecerit. Epiphanius itaque poſtquàm narraſſet dæmoniacum quendam huiuſmodi aqua curatum, oſtendit eum aliam quandam, eamque admirabilem Dæmonis vim repreſſiſſe. *In nomine*, inquit, *Ieſu Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumſtantium, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentia ignis, ad perficiendum domum Domini. Et ſic accepit aquam in manum, & de aqua ſingulas fornaces reſperſit, & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit. Turba verò præſentes, clamore edito; vnus Deus qui auxiliatur Chriſtianis; seceſſerunt.* Sed de hac re tota, quam callidi veteratores ſe eludere non poſſe videbant propter Epiphanij auctoritatem, apud bellos iſtos ſcriptores, ſummum ſilentium.

Crucis ſignum. Panis azimus ad conficiendã Eucareſtiã. Secunde nuptiæ impedimentum clericatus Epiph. de Ioſepho, qui cũ coniunctiſſimo vixit teſtimonium.

Dæmonum electio per aſperſionem aquæ ſigno Crucis conſecratæ. *Lib.1.to.2. hæreſ 30. Iano Cornario interprete.*

Crit. Iſta certe longè abſunt à fide ſinceri ſcriptoris, ſed aliquid obliuioni iu tanto opere condonandum eſt.

Iren. Facile condonarem; niſi res ipſa manifeſtam fraudem clamaret. Nam ne Ioſephus obliuione, vt ſit, excidiſſe illis videatur, de eo ſæpius mentionem ad alias cauſas faciunt, imò & huius de quo loquimur, in Tyberiade ædificati templi; vt nihil habeant quo ignorantiam prætexant.

Magd. perfidum ſilentiũ & fraus manifeſta. *Cent.4.ca. 10 & 14 pag 1295. & 1457.*

Crit. Hæc mihi fidem facere videntur, ea quoque eſſe vera, quæ de decreto Alexandri, & facto Marcelli veteres tradunt.

Iren. Quid ni? quantumuis egregij iſti tui Centuriones pro ſolita ſua pietate, decretum illud Alexandri de aqua luſtrali ad Dæmones profligandos conſecrata non Alexandro nec alicui Chriſtianornm Epiſcopo, ſed Ethnico potiùs Pontificl, qui adhnc Romæ collegia habebant, tribuendum putent. Iſtis igi-

Cent.2.ca.6. pa.121.

igitur indicibus non Marcellus modò & Alexander, ſed & ipſi Apoſtoli non iam Chriſti, ſed Dæmonum ſunt Pontifices. Huiuſmodi enim oratio inter eas conſtitutiones quæ à Clemente conſcriptæ ſunt, & Apoſtolicæ ſemper dictæ ſunt, reperitur. *Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & dator olei miſericors & benigne, qui dediſti aquam ad potum & munditiem, oleum ad exhilarandum faciem in exultaaione lætitiæ: ipſe quoque nunc, ſanctifica hanc aquam, & hoc oleum in nomine eorum qui attulerunt, & da virtutem ſanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnibus inſidijs aduerſariam, per Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra, quocum tibi gloria, honor, & cultus cum Spiritu Sancto Amen.* Audiſti iam quid Theodoretus, quid Epiphanius, quid Alexander Pontifex & Martir, quid Clemens vir Apoſtolicus, de aquæ luſtralis vſu ſcripſerunt. Cuiuſmodi alia complurima, eaque clariſſima teſtimonia licet ab Apoſtolicis temporibus per ſexcentos annos ad quæ Magd. hiſtoriæ ſuæ ſeriem perduxere tam apud Græcos, quàm Latinos ſcriptores parata atque obuia ſiut: Magdeburgenſium tamen tuotum ſpiritus ab omnibus his longè fugit, & ea ne nominare quidem ſuſtinet. Quorum tamen ſi nihil hactenus extitiſſet, vel noſtri temporis admiranda in hac parte exempla, aduerſus tetras has Magd. calumnias ſufficere deberent. Vt enim reliquas mundi partes prætermittam, in eo, quem nouum orbem dicimus, traditur patres ſocietatis ſacroſancti Nominis Ieſu per aquã luſtralem multa in ægrotos beneficia contuliſſe; quam cùm potandam dediſſent muto, paralytico, & febricitanti, ille linguæ impedimentum, proximus paralyſin, tertius febrem depulit. Traditur, multas mulieres prius ſteriles, fœcundas factas, & immanem maris tempeſtatem tranquillatam. Sorices præterea, qui omnia ſata miſere vaſtabant, à terris Chriſtianorum ſacra aqua conſperſis ad proximos gentilium agros fugatos. Quod cùm illi viderent, terraſque ſuas eorum multitudine grauius ſolito infeſtatas, valde aduerſus nouos Chriſtianos indignabantur, Deumque Chriſtianorum ipſorum idolis longè potentiorem confiteri coacti ſunt. Quare Chriſtiani cum tanta ex vſu ſacræ aquæ beneficia percipiant, quoties in grauiores morbos incidant, accerſunt mox aliquem ex patribus, vt ſacra aqua ab eis perfundantur, eorumque orationibus iuuentur.

lib 8 c. 35.

Oratio ex Clemente Ro. pro aqua ad Dæmones abigendos conſecranda.

Vide Epiſt. patrum ſocietatis Ieſu.

Crit. Video aquam conſecratam maiora & certiora habere ex antiquitate præſidia, quàm hactenus putaram. Video primæ Eccleſiæ & noſtræ hodie in hoc genere miracula valde congruere.

Iren. Hactenus bene; ſed perge.

CAP. IV.

Proponuntur argumenta varia quæ Magdeburgen. contra Rom. Pontificis auctoritatem præſertim ex hiſtoria ſextæ Carthag. Synodi de Nicænis per eum canonibus deprauatis preferunt. Quibus additur, quod ijdem Magd. aſſerunt, Rom. Pontificem nulli ex octo primis œcumenicis Synodis præſediſſe, niſi quod ſemel Legati eius in Chalcedonenſi Synodo per fraudem huc irrepſerunt.

Crit. AT enim inſignem quandam operam iſti in Nicæna prima ac ſexta Carthaginenſi Synodo, ab intolerabili falſi iniutia vindicanda poſuerunt; ob quam laude, honore, ac præmijs ſunt decorandi.

Iren. Per mihi mira hæc videntur.

Crit. Efficiam, ni fallor, mirari vt deſinas, & harum Synodorum maieſtatem, quam Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœleſtinus, & alij Romani Pontifices imminuerunt (è quibus Zozimum Deus vt falſum reſtem poſt tres annos, & nouem menſes extinxit) vt par eſt agnoſcas; & ſuam illis dignitatem poſt tot ſæculorum decurſionem, patefacta iam, quæ hactenus oppreſſa eſt, veritate reſtitutam mecum communiter gaudeas.

Cent. 5. c. 10. pag. 1241. & ca. 7. pa. 775.

Iren. Magnum certe mihi aliquid parare videris.

Crit. Sanè aut ego mihi nimium blandior, aut hoc ipſum, quod dicis, teneo; idque adeo perficiam. Primum itaque conſtat, quod Apologetici admonent, & ipſi canones teſtantur; Nicænam Synodum nullis huiuſmodi prærogatiuis, quibus ſe hodie ab omni antiquitate ornatam, & vnde omnia ad ſe reuocare poſſe iactat, Romanam ſedem amplificatam agnouiſſe; vſque eo vt Alexandrinam & Antiochenam illi exæquet, neque quicquàm aliud ei præ ceteris egregium attribuat.

Ration Magd. & aliorũ quib. imminuere conãtur Ro. Põt. auctorit.

Apol. Angl.

1.

Nicæna Synod.

Cap 6.

2.

Iren. Perge; quamuis iam mihi videor ſenſus, mentemque tuam deguſtare.

Crit Auſi tamen ſunt Romani tui, non ita multo poſt, idque per ſpeciem Nicæni canonis, ex omnibus Prouincijs Epiſcoporum à Synodo damnatorum prouocationes ad ſe rapere: ſed ampliſſima atque ornatiſſima Carthaginenſis Synodus, cui Auguſtinus inter alios interfuit, huic tanto auſui interceſſit; & cum illi canonem quendam commenticium apud ſe amplificandæ dignitatis ſuæ cauſa natum proferrent, eiuſque apud Africanos obſeruationem vrgerent; prudenter illi domeſticum teſtimonium, vt ſuſpitioſum, & parum tanta in re firmum arbitrati, ab Alexandrino & Conſtantinopolitano Epiſcopis, apud quos longè omnium ſinceriſſima exemplaria conſeruabantur; de quorum fide, ne tenuis quidem ſuſpicio inijci potuit, ſubſidium petunt. In quibus, vt & ex litteris Cyrilli Alexandrini, & Attici Conſtantinopolitani ad Africanos patres tranſmiſſis apparet, nul-

Carth. Synod 6.

5. Cent. Magde. p. 853. & 854.

Illyr. in Cathalo. & in libello de 6. Carth. Syn.

Litteræ Cyrilli & Attici ad Africa. patres.

Digitized by Google

nullus huiuſmodi, qualem Romani proferebant, canon inerat. Quare patres omnes huiuſmodi appellationes communi decreto ſubmouebant. Neque Romano Pontifici quicquam iuris in Africanas Eccleſias ab eo tempore conceſſerunt. Has autem Cyrilli & Attici litteras, ex quibus Romani veſtri Pontifices Nicænos canones ſumma perfidia nefariè commaculaſſe conuicti ſunt, non Magd. & Apologetici tantum, ſed & reliqui noſtri homines, inter quos eſt Smidelinus, mirificè amplectuntur. Et licet ad centum poſtea integros annos immoderatam & laſciuientem illam Romanorum dominationem ea Synodus repreſſerit: paulò tamen poſt ad maiorem, & demum (obcæcatis prorſus reliquorum Epiſcoporum mentibus) ad hanc, quam

Niceni canon. deprauati.

In refutatione Heſſij.

3\. hodie patimur tyrannidem, erupit. Sed iuuabit accuratius conſiderare alias fraudes, & cuniculos, quibus confractam ab iſta Synodo tirannidem, ſenſim poſtea inſtaurarunt atque renouarunt. Nam cùm dolerent Nicænos canones, quos Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœleſtinus, adulteraſſe conuicti ſunt, quaſi bolum è faucibus ereptos, eos quidem deinceps pro ſe allegare non ſunt auſi. Leo igitur poſtea & Gelaſius licet diabolica audacia ac impudentia, patres, & canones iactent; callide tamen Nicænos ſupprimunt, nec, quãdo aut à quibus alij canones ſunt lati, oſtendunt. Quare variè & in contrarias planè ſententias iſta agitant. Alij enim in patribus & canonibus Nicænis, alij in canonibus & patribus, quos alioqui ſigillatim non nominant, ne ſe prodant; alij in conſuetudine, alij verò, quia cætera non ſatis firma videbantur, in Chriſto & Petro Apoſtolo amplitudinis huius firmamentum conſtituunt.

Leo, & Gelaſ.
Cent.5.ca.10 p. 1261. & 1274.

Cent 4 c.7. pag. 580.

Et ſanè quanto magis de reliquis quinti ſæculi patribus apud me cogito, tanto magis magiſq; cõfirmor, vt ea vera credam, quæ Magde. de ſexta iſta Carthaginenſi Synodo prodidere. Nam ſi ſeponas decretales epiſtolas, quæ iuſta ſuſpicione domeſticæ fraudis obruuntur, & paucos huius ſæculi adulatores, Euagrium dico victorem, & ſimiles; rara, aut nulla ſunt patrum de Rom. Pontificis eximia præ alijs auctoritate, præſertim Chryſoſtomi, & Auguſtini teſtimonia. Atque hic rectè quidem meo iudicio Magd. obſeruarunt, non temere ijs credendum, quæ Innocentius ſuæ amplitudinis glorioſus præco effundit; cùm Auguſtinus qui toties de eo & eius ſcriptis meminit, hac tamen de re nullam mentionem faciat. Quod ſi adhuc in tanto teſtimoniorum, & probationum pondere hæreas, verum Romani Nicænos canones corruperint; id aliunde quoque oſtendam. Canonem enim quendam, quaſi ex Nicæni Concilij auctoritate in alia quidem, & leuiori cauſa, ſed quæ magis impotentem eorum ad ſuæ ſedis dignitatem ampliandam ambitionem, palam præſeferat, ſuppoſuerunt. Id quod ex ipſis Magdeburgenſibus certius perſpicies. * *Socrates*, inquiunt, *aſſerit canonem Eccleſiaſticum iubere, ne qua canonice dedicetur Eccleſia ſine conſenſu Romani Epiſcopi. Quem vero intelligat canonem non facilè eſt intelligere: nam inter Nicænos nullus talis extat. Sed videtur Socrates ex epiſtola Iulij eam phraſim hauſiſſe lib. 2. cap. 17. de quo non eſt mirum ſi myſterij iniquitatis more, canones ſibi ipſi de ſuo iure mentitus eſt. Zozomenus lib. 3. cap. 10. eandem hiſtoriam referens non meminit canonis de conſecrandis templis cum conſenſu Romani Epiſcopi.* Hæc illi. At quis ferat talem Scyllam, talem Charybdin, quæ horrenda quadam voragine aliorum omnium per orbem Epiſcoporum poteſtatem ita abſorbeat & exhauriat; vt ne in diſiunctiſſimis quidem orbis partibus vel Eccleſia liceat niſi ex eius auctoritate dedicare. Quanquàm, & hic omnis dedicationum ritus ſuperſtitione non caret; vtpote qui à Iudæis ad nos deriuatus eſt. Etſi non ignorem extare apud Gratianum, Nicænum (vt fingit) de templis certo quodam ritu dedicandis canonem; ſed quem Magd. vt Nicænum non recipiunt: cùm inter eos non recenſeatur, qui à Conſtantinopoli, & Alexandria, in Africam tranſmiſſi ſunt.

Cent.5.ca.7. pa.774.

Patres Chryſoſtom Auguſtinus.

Innocentius Cent.5.ca.10 pa. 1233.

Corruptio Nicænorum canonum. Cent 4.ca.7. pa.533.

Canon Nicænæ Synod de dedicatione Eccleſiarum.
** lib.2. c.8.*

Gratianus. Cent 4 ca.6. pa. 408. & 409. De conſecr. diſtinct.1. c. Eccleſijs.

Illud iam mihi animaduerſione dignum videtur quod Magd. inter alia Africanorum patrum decreta, & hoc conſtitutum obſeruant, ne Romanus Epiſcopus vniuerſalis appelletur. Quod tamen Petrus ille, qui tomos Conciliorum digeſſit, ſiue errore, ſiue fraude aliqua omnino prætermiſit. Illud etiam Illyricus nuper cum reliquis Auguſtanæ confeſſionis patronis ex Cuſano docuit; Concilijs præſidendi ius non Romano Pontifici, ſed Imperatori deberi: Neque in vlla ex primis illis octo œcumenicis Synodis extare aliquod exemplum, quo Romanum Pontificem, aut eius Legatum præfuiſſe, conſtare poſſit; niſi quod ſemel in Chalcedonenſi Synodo, Imperatoris legatis abſentibus, huc ſe Romanus ingeſſerit. Et Magd. planè docent, nec Cæleſtinum Epheſinæ, nec Chalcedonenſi Leonem præfuiſſe, nec, qui præeſſent, præſcripſiſſe; ſed cum ab Imperatoribus Præſides antea conſtitutos intellexiſſent, his potiſſimum ſuas vices mandaſſe; atque ita ſenſim inoleuit communis iſte hodie error, quo creditur omnis hæc Concilijs præſidendi poteſtas fuiſſe penes ſolum Romanum Pontificem: Cuius auctoritatem hoc ſæculo, multi adulatores nimium amplificabant. Quæ fraus tantum tandem valuit, vt poſt octo illas primas œcumenicas Synodos, Imperatores ſuo iure prorſus ſint deturbati: quemadmodum & reliquo ſuo iure de Concilijs indicendis per eoſdem prorſus ſunt excluſi. Prima enim Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, atque Chalcedonenſe, conſtat non Romanos Epiſcopos, ſed Imperatores, Conſtantinum, vtroſque Theodoſios, atque Martianum coegiſſe; quod Magd. & poſt eos Apologetici tradunt. Et Magdeb. Gelaſium impudentiſſimi mendacij arguunt, quod iactitat in Epiſtola ad Dardanos Romanam ſedem ſolam decreuiſſe, vt Calcedonenſis Synodus fieret. Primam enim apud Nicænam œcumenicam Synodum Ruffinus Conſtantinum Magnum; ſecundam verò Theodoſium apud Conſtantinopolim coegiſſe ſcribit Theodoretus. Quin & Leo à Theodoſio ſecundo poſtulat, vt in Italia liceat ſibi Synodum conuocare: Cumq; Marcianus Chalcedonenſe Concilium indixiſſet: Leo egit, vt illud ad commodius, & oportunius tempus differretur, ſed impetrare non potuit. Quare non ſine cauſa Apologetici vociferantur aduerſus Pium Pontificem, qui Tridentino Concilio cogendo, Imperatori Ferdinando ma-

6\.

Cent.4. ca.7. pag.534.

7\.

Nicolaus Cuſanus. Ius præſidẽdi Conc. Imperatori tribuitur.
In proteſtat. contra Conc. Trident.

Cent.5 c.7. pag 781.

8\.
Ius indicendi Conc. Imperatori adſcribitur.

Li.1.ca.1. Li.5. c. 9. Epiſt. 24. & 23. Cent.4 pag. 534. Cent.5. pag. 785.

Vociferatio Apologeti-

eorum in Anglia aduerſus Pium IV. Pontif. maximũ de indictione Conc. Trid. 9.

magnam fecerit iniuriam, quod illius ſibi ius arrogarit, temereque adſcripſerit. Neque admirandum, ſi iſti, & ſimiles errores de Romanæ ſedis dignitate ſenſim in orbem irrepſerint, cùm fortè ne illud quidem verum ſit, quod Rom. Pontifices pro fundamento poteſtatis ſtatuunt: hanc videlicet ſe amplitudinem à Petro, qui multis annis Romanam Eccleſiam gubernauit, accepiſſe: cùm non deſint multi etiam docti homines, qui libris editis aſſerant, Petrum nunquam vidiſſe Romam: à qua ſententia non videntur Magdeburgenſes omnino abhorrere. Neque quidquam in Euangelicorum noſtrorum concionibus vſurpatius ferè eſt, quam Petrum nunquam fuiſſe Rom. Pontificem. Hæc, & alia id genus Illyricus in hiſce Centurijs, & antea peculiari quodam opere Venetorum Duci dicato.

Petrus Ap. negatur vel Romæ fuiſſe, vel Romanus fuiſſe Epiſc.

In quibus eſt Vlricus Velenus.

Cent. 1. lib. 2. cap. 10. pag 562.

Ioan Funccius in Cronolog.

CAP. V.

Reſpondetur ſupradictis Magdeburgenſium argumentis; & primam ſemper fuiſſe Romani Pontificis in generalibus Concilijs, & in alijs cauſis Eccleſiaſticis auctoritatem oſtenditur.

Iren. SCio veſtros de ſexta Carthaginenſi Synodo magnificè ſe iactare, ſed ſine cauſa, cùm ſint, quæ iſti adferunt, falſa, ementita, & plena erroris omnia. Id enim vt primùm dicam, quale illud, & quam turpe eſt, vel ad dicendum, vel ad cogitandum; aut Nicænam cum reliquis omnibus, aut reliquas œcumenicas Synodos cum Nicæna (quod neceſſe eſt, ſi iſta ſint vera) pugnare. Nam ſiue ſpectes Conſtantinopolitanam, quæ proxima ſucceſſit primæ Nicænæ; *Apoſtolicæ ſedi debitam reuerentiam exhibuit*, & Rom. Pontificem ſuperiorem Conſtantinopolitano agnouit; ſiue Epheſinam ordine tertiam, quo confluxerant ducenti pæne Pontifices, omnes prope Metropolitani, & tantæ doctrinæ vt ſinguli eorum de controuerſijs diſceptare valerent: hi omnes Cæleſtinum licet abſentem, cuius vices Cyrillus gerebat, conſeſſus ſui præſidem ac caput, vt Chalcedonenſis Synodus, quæ paulò poſt ſequuta eſt, teſtatur, profeſſi ſunt: & ante Chalcedonenſem ipſa Epheſina Synodus, idque adeo in litteris ad Theodoſium, & Valentinianum Imperatores miſſis. Vincentius certè Lirinenſis vir doctiſſimus non id modò oſtendit; Stephanum Rom. Pontificem præ ceteris Cypriani Synodo reſtitiſſe, dum ita ſcribit: *Dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes fidei deuotione tantùm vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat*: Sed præterea cum librum ſuum triennio poſt hanc Synodum componeret, Cæleſtini auctoritatem tanquam ſingularem & maioris, quam quæuis alia eſſent, momenti, Neſtorianis & alijs Hæreticis opponit, *Romamque orbis caput* appellat. Et tota Epheſina Synodus, datis ad Neſtorium litteris, eum admonet, vt intra deliberandi tempus per litteras Cæleſtini illi datum maturè reſipiſcat. Et præſes Concilij Cyrillus iam ſententiam contra Neſtorium dictaturus, ad eam ſe ferendam tum neceſſitate canonum, tum Cæleſtini litteris coactum profitetur. Ex qua vel vicaria Cyrilli auctoritate valdè amplificata creditur Alexandrinæ ſedis dignitas, adeo vt Alexandrinus Epiſcopus iudex vniuerſi orbis appellaretur. Quod nec Græci diffitentur; vt meritò * Proſper ſcripſerit, *Cyrilli induſtria, ſed Cæleſtini auctoritate, Neſtorij errores fractos*. Qui alibi etiam non dubitauit affirmare; *Romam per Apoſtolici ſacerdotij principatum ampliorem factam eſſe arce religionis, quam ſolio poteſtatis*: & ita canere.

Generalia Concilia agnouiſſe Romani Pont. primatum.

Damaſus in epiſt. ad orientales Epiſc. ex Tripartita hiſtoriali 9 ca. 15. & Theodoret. lib. 5. cap. 9.

Conſtantinopol Synodus.

Epheſina Synodus.

Vincentius. Lirinenſis.

Vincẽt Lirin. aduerſus pro ſan. nouit.

Chal. Synod. Act. 4. pag. 871.

Roma orbis caput.

Epheſina Synodus.

Euagr li. 1. cap. 4.

Balſamon in Nomocan. tit 8. cap. 1. Niceph. lib. 14. c. 34.

** In Chron.*

Proſperi de Romanæ ſedis dignitate ſententia.

De vocatione Gentium lib. 2 cap 16. Lib. de ingratis.

> *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris*
> *Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,*
> *Religione tenet.*

Quid verò aliud omnia Chalcedonenſis Synodi acta magis præſeferunt, quàm ſingularem quandam Romanæ ſedis præ alijs Epiſcopis dignitatem? In qua non ſemel, idque ſurreptitio, vt iſti calumniantur, ſed continuato per omnes Concilij partes honore, illius vicarij præſederunt. Id quod ex ipſis actis apertiſſimè vbique conſpicitur. Quæ quidem eis prærogatiua delata eſt, licet vnus ex illis, non Epiſcopus, ſed Præsbyter tantummodo fuerit. In hac Synodo reperies Dioſcorum exauctoratum, & anathemate inuſtum, quòd auſus fuerat anathematis in Leonem Pontificem ſententiam dictare, & Synodum ſine ipſius conſenſu cogere: quod neque rite factum eſt, nec fieri licuit. In hac, *Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum caput* appellatur. In hac audimus Leonem appellatum; *vniuerſalem Archiepiſcopum; vniuerſalem Papam; vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopum*. Gregorius itaque primus ſcribit, ab hac Synod. delatum fuiſſe Rom. Pontifici *vniuerſalis Epiſcopi* nomen; in qua etiam, (ſi S. Thomæ credimus) non ſolum Rom. Pontifici ſub *œcumenici Epiſcopi* nomine à tota ciuitate acclamatum eſt, ſed decretum etiam, vt libera eſſet Epiſcopis ad Rom. ſedem appellandi poteſtas. In hac Synodo Romani Pontificis Legati ſententiam contra Dioſcorum ferunt, primique omnium ſubſcribunt: * Et, cum diſceptaretur an Ibas inter Catholicos recenſendus eſſet, Legati Rom. Pontificis primi (idque ex antiquo, vt ibidem apparet more) ſententiam pronunciant: omnemque ab eo hæreſis notam abſtergunt. Tota denique Synodus Leonem B. Petri interpretem omnibus conſtitutum, eumque licet abſentem, per Vicarios tamen & adfuiſſe, atque adeo vt caput membris præfuiſſe. Imperatores verò ad eam ornandam præſediſſe, ingenue profitetur. Quod ſi adhuc Apologetici, & Magdeburgenſes tui reſiſtant, & in tam clara tot Epiſcoporum luce, qui Synodo interfuerant, acquieſcere nolint; ſed qua ſolent, pertinacia Imperatoribus iniuriam factam clamitent, parati Cyrillum & tot patres reijcere, niſi Imperatorium aliquod apud extraordinarium iſtorum tribunal teſtimonium producatur: age pareamus iſtorum importunitati, & per ipſos ſanctiſſimos Imperatores contra iſtorum mendacia Rom. Pontificis, & aliorum Epiſcoporum innocentiam, dignitatemque aſtruamus. Quam narrationem, vnde aptius quàm ab ipſa prima omnium Synodo, & tempore, & dignitate auſpicabimur,

Chalcedon. Synod.

Act. 1.

2. *Act. 3. p. 858.*

3. *Act. 1. p. 741.*

4. *Act. 1 p 740*

5. *Act 3. p. 839. 840. 842. 844 & Act. 8 pag. 897.*

Greg. lib 4. epiſt. 32 & 36.

In opuſcul. contra Græcor errores.

6. *Act. 3. p. 347.*

** Act. 10 pag. 910.*

7. *Act. 3. p. 867.*

Teſtimonia Imperat. & acta omnium generalium Concil. ex quibus conſtat,

principarũ in rebus Eccleſiaſt. penes Rom. Pontif. ſemper fuiſſe. Conſtantin.

id eſt Nicæna, & optimo Principe Conſtantino? Qui ne ſedere quidem in Synodo, niſi annuentibus Epiſcopis voluit; qui modicam quandam ſibi, humilemque ſedem parari curauit. Nunc igitur audi dignam tanto, & tam Catholico Principe ad Epiſcopos in Synodo vocem: *Deus* (inquit) *vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari.*

Theodoſius Magnus.

Proxima œcumenica Synodus, imperante pio Theodoſio, ſequuta eſt. Quis autem per omnem Eccleſiæ memoriam eum illi Synodo præſediſſe ſcripſit? Certè nullus.

Theodoſius Iunior.

Hanc excepit Epheſina ſub imperio alterius Theodoſij: qui tantum abeſt, vt ſe loco motum per fraudes Cæleſtini, aut quidquam de iure ſuo imminutum queratur, aut ſe cauſis, iudicijſque Eccleſiaſticis immiſcuerit; vt potiùs, cum Candidianum comitem eò miſiſſet, ſerio admonuerit, ne ſe quæſtionibus de rebus religionis interponeret.

C. Satis euidenter diſtin. 96.

Illicitum eſt (inquit) *eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.*

Martianus quomodo, & quare interfuerit Cõcil. Chalcedonenſi.

Chalcedonenſi quidem, quæ proxima fuit, interfuit Martianus; ſed quo modo, & quare interfuerit, ipſe explicuit; cùm *ſe Conſtantini exemplo adeſſe doceret ad confirmandam fidem, non ad virtutem oſtendendam*; non vt ferret de fide legem; ſed vt latam à patribus, pro auctoritatis ſuæ magnitudine obſeruandam vbique curaret.

Liberatus in Breuiar. cap. 13.

Et præſidem quidem Concilio præſcripſiſſe Martianum, nemo vnquam prodidit: præſcripſiſſe vero Leonem, a multis proditur. Imo quos præſcripſerit non ſolum miſſis ad Synodum, ſed, & ad Martianum litteris oſtendit. Et quemadmodum totius eum Synodi caput ipſa Synodus, licet abſentem: ita & Martianus ipſe abſque dubio agnouit. Quod cum ex alijs tum vel ex eo apparet, quod non ſolum Synodus; ſed & Martianus eum rogarit, vt Synodi decreta confirmaret: quod & Leo fecit.

Epiſt. 49. & 47.

Epiſt. 59. vide Chalced. Conc. Act. 3.

Quod ſi adhuc Magdeburgenſes & Apologetici repugnent, ipſum Martianum, ampliſſimum contra ipſos teſtem, aduocabimus; qui publico quodam edicto Cæleſtinum contra iſtorum calamnias purgat: quo, omni imperio denunciatur, apud Epheſum Neſtorij errorem euerſum, *præſidentibus ibidem Cæleſtino Romanæ Vrbis, & Cyrillo Alexandrinæ Ciuitatis, Epiſcopis.*

Vide edictum Iuſtin. continens eius fidem tom. 2. Concil.

Cui Syoodo eos præſediſſe Iuſtinianus quoque Imperator fatetur; nec aut in quinta œcumenica Synodo, eo imperante, habita aliquod ſibi ſuffragij ius vindicauit; aut quicquam de iure Martiani Imperatoris in Epheſina detractum quæritur.

Quæ ſint partes Epiſcop. quæ Ciuil. Magiſtrat. in Concil.

Atque hæc nobis Synodus demonſtrauit, & oſtendit, non modò inter Romanos, & reliquos Epiſcopos; verum etiam inter Epiſcopos ac Ciuilem Magiſtratum in Concilio præſentem diſcrimen; cùm illi ad ſuffragia, & ſententias dicendas; hic ad Concilium ornandum, defendendum, & ad actiones Synodi moderandas, vt ſeditione ac tumultu vacet, interſit. Quod vt in reliqua ſemper republica, ita vel maximè hic Princeps præſtare deberent. Cùm enim ſumma hominis ſelicitas in veritatis conſideratione, ac contemplatione ponatur; vt alias ſemper, ne ea perturbetur aut interrumpatur, Principes viri proſpicere debent; ſic certè potiſſimum in huiuſmodi œcumenicis Synodis: quæ non ad aliud coeunt, quam vt auſpice Spiritu Sancto, certiſſimas Chriſtianæ fidei rationes intentis animis & precibus acerrimè inquirant, & perueſtigatas proferant. Et cùm nos iubeat pro illis orare Paulus, vt per eos tranquillam & quietam vitam agamus, debent certè his potiſſimum temporibus, & noſtræ pro Principibus preces, & illorum ad ſanctorum Epiſcoporum defenſionem, quietemque ſtudia excitari, præſertim cum illi, relictis gregibus ſuis, ex longinquo maximis impenſis atquè laboribus ad huiuſmodi Synodos, ad rerum diuinarum meditationem, ſummæque veritatis acerrima atque attentiſſima cura perueſtigationem confluant. Quæ vt propria ipſorum eſt in difficillimis Chriſtianæ reipublicæ temporibus, errorum atque hæreſum tempeſtate iactatis: ita certè non decet Ciuiles Principes voce atque ſuffragijs ea in re illis præire; ſed quod illis credendum Spiritus Sanctus dictauerit, religioſe exequi, & omnia impedimenta vndecunque obijcienda, periculaque (qualia Tridentini patres ante paucos annos per Mauritium, & ſocios eius ſenſere) pro principali ſua auctoritate atque poteſtate diſcutere atque ſubmouere.

1. Tim. 2.

Apologeticorũ in Anglia ad confirmationẽ erroris ſui ementitum ex Socrate teſtimoniũ.

Allegant Socr. lib. 5. c. 10. in Apolog. Anglicana.

Apologiæ Anglicanæ error.

Vndè mirari ſatis non poſſum, quid Apologeticis in Anglia tuis animum induxerit, ciuili magiſtratui, idque ex Socratis teſtimonio, qui ne mentionem quidem huius Concilij facit, neceſſaria in Synodis ſuffragia tribuere. Nec Iuuenalem quidem ac Thalaſſium ille pro hæreticis damnauit, aut de gradu aliter deijciendos ſtatuit, quàm ex Concilij decreto. In quo Apologetici falluntur; cùm eos à Leone Romano Pontifice, & Synodo, ad Epiſcopatum atque ſuffragia ferenda repoſitos conſtet. Tanta verò fuit apud hanc totam Synodum, Romanæ maieſtatis amplitudo, vt ea, quæ decreuerat de prærogatiua Conſtantinopolitanæ ſedis, cui (quòd ibi Imperatores Imperij ſedem domiciliumque collocaſſent) proximum Romanæ locum (Antiochena, & Alexandrina in ordinem redactis) deferebat, parum habere firmitatis putaret, niſi Romani Pontificis conſenſu accedente: quem, vt decreto illi honorarium ſuum arbitrium adiungeret, multis & ſupplicibus verbis orabat.

Act. 4. Euagr. lib. 2. c. 4. & 17. Niceph. lib. 15. c. 30.

Act. 3.

Act. vlt. Leo epi. 59. & 62. ad Iuuenalem Hieroſolymit. & ceteros Chalced. Synodi Epiſc.

Nec tamen id ab eo extorquere poterat, cùm reliqua omnia probaſſet; ne veteris Eccleſię cõſuetudinis infirmandæ, ac canonum violandorum occaſionẽ præbere videretur. Quin eouſq; temerarios Anatolij Cõſtantinopolitani conatus fregit, vt ille vltro cederet, & culpã immoderatæ ambitionis fateretur, ac deprecaretur.

Leo ep. 71. ad Anatolium.

Conſtantinop. ſecunda Synod. œcumenica quinta.

Tom. 2. Conc. in quinta Synodo.

Iam ſi te ad quintam œcumenicam Synodum conuertas, eiuſque acta animo, cogitationeque peragrare ac percurrere velis, reperies omnia ſimilia: Iuſtinianum videlicet Siciliæ Epiſcopum Petrum Antiochenum, hominem hæreticum, amice admonentem, vt maturè in viam, & ad Catholicam fidem redeat: fore enim alioqui, vt propediem 1.
à Felice Romano, Epiſcopatus dignitate moueretur. Quod paulò poſt, vti ille dixerat, ita factum eſt. Menam præterea Conſtantinopolitanum ex præſcripto ac auctoritate Agapeti Romani Anthimum Conſtantinopolitanum hæreticorum ducem dignitate exegiſſe. 2.
Act. 4.
Eundem itidem exclamantem, *ſe, quos Romana ſedes damnaret, damnare; quos probaret, probare.*

Digitized by Google

Conſt 6. ca. 9. pag. 543.

bare. Habita eſt eodem tempore Synodus Mopſueſtena; quæ cum ad Vigilium Rom. Pontificem ſcriberet, his inter alia verbis, quę Magdeb. etiam tui citant, vſa eſt. *Decebat, cum primam Sacerdotis dignitatem ſortiti eſtis, ea quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ diuinitus honoratæ beatitudini fieri*. Nec à prioribus, ſexta illa, quæ Conſtantinopoli in Trullo habita eſt, diſſidet; in qua perlonga Agathonis Papæ, & totius Romanæ Synodi (cui ex Anglia Vuilfridus Eboracenſis interfuit) epiſtola recitata eſt, quæ ſingulares Romanæ ſedis prærogatiuas continet. An quiſquam pedem ſupplo ſit? an inclamauit? an verbo, an nutu reſtitit? Quid multa? tantum id quidem aberat, vt Agathonis illa epiſtola, quaſi egregia præ cæteris auctoritate, & ſingulari aduerſus Monothelitas præiudicio vniuerſa Synodus niteretur; & Conſtantinus Imperator, qui Synodo interfuit, ad eam epiſtolam reſcribens, Agathonem velut *Petri vniuerſalis Paſtorum Principis* ſucceſſorem; eius verò litteras, vt antiquis Synodorum decretis quàm maximè conſentaneas, atque ipſius adeo *Petri vocem* amplecteretur, ſuſpiceret, admiraretur. Cuius auctoritatem, non verbis modo, ſed ipſo facto, quod potentius eſt, tota Synodus comprobauit; cum Vicarij eius, & primum conſidendi eundemque ſubſcribendi ante Conſtantinopolitanum, reliquoſque Epiſcopos; poſtremum verò Conſtantinus Imperator, locum ſortiretur.

Conſtant. tertia, œcumenica ſexta Synod. *Tom. 2. Conc. Act. 4. Synod. 6.*

Conſt. IV. *Act. 18.*

Act. 17.

Vt non parum miret, quid Apol. tui velint, qui Ciuili magiſtratui, non neceſſaria modò ad religionem conſtituendam ac definiendam ſuffragia, ſed Principem quendam ſuffragij locum tribuant; cùm magnum atque manifeſtum poſitum ſit hic diſcrimen. Epiſcopi enim ad neceſſariam cauſæ definitionem; Conſtantinus verò ad fidei ſuæ explicationem & definitionis corroborationem, atq; delendam hæreſeos maculam, quæ, iam inde ab Heraclio, imperio inhæſerat, ſubſcripſit. Quare duplices ſunt ſubſignationes Epiſcoporum, primæ ad eam ipſam definitionem, abſente Conſtantino; ſecundæ poſtea eo præſente, atque ob eam, quam dixi, cauſam ſubſcribente. His & reliquis id genus de prærogatiua Romani Pontificis teſtimonijs, ſeptima ac octaua œcumenica Synodus abundat. In ſeptima enim non modo recitata eſt epiſtola Adriani primi Pontificis Romani, quæ *Romam omnium Eccleſiarum caput* conſtituit, & in qua fatetur ſe non fuiſſe Synodo conſenſurum niſi intellexiſſet Tharaſij in Catholica fide aſſerenda conſtantiam ac firmitatem: verum etiam Pſeudoſynodus illa Iconomachorum (quæ ſibi œcumenicæ titulum inſolenter arrogabat) reiecta eſt, quia de Synodorum more, nulla Romani Pontificis auctoritate munita eſſet. Illam præterea Synodum Romani Pontificis agnouiſſe prærogatiuam, vt cætera deſint, hoc vnum in primis argumento eſſe poteſt, quod eius Legatis licet non Epiſcopis ſed tantum Presbyteris primum conſidendi, & decretis ſubſcribendi locum detulerit. Imperatoris certè in hac Synodo, & controuerſia definienda auctoritatem nullam legimus; quemadmodum nec in octaua œcumenica, cui Adriani ſecundi Legati præfuerunt, & Photium Conſtantinopolitanum Epiſcopatu mouerunt. In qua Donatus Oſtienſis Epiſcopus primus omnium ad hanc formam ſubſcripſit. *Ego* (inquit) *Donatus Dei gratia Epiſcopus Oſtienſis Eccleſiæ, locum obtinens Domini mei Adriani vniuerſalis Papæ omnia, quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ & vniuerſali Synodo præſidens ad voluntatem eiuſdem eximij Præſulis promulgaui, & manu propria ſubſcripſi*. Poſt quem ſubſcribunt Conſtantinopolitanus, & Legati Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ Ciuitatis Epiſcoporum, Quorum quilibet ita ſubſcripſit; *concordans, & definiens*; præſente quidem tum Baſilio Imperatore, ſed adeo nihil de iure ſuo ſibi detractum expoſtulante, vt & verbis & factis, publicè (quaſi exorituros aliquando Magdeburgenſes tuos repreſſurus) Romani, & aliorum Epiſcoporum prærogatiuam confirmarit. Verbis quidem; quibus pie ac prudenter cauſarum Eccleſiaſticarum iudicium, definitionemque ad ſolos ſpectare Epiſcopos palam profitebatur: factis; cum poſt illos, quos diximus, ſubſcribens, ſanctam ſe & vniuerſalem Synodum, & quæ ab ipſa definita erant ſuſcipere, & *conſentiendo* non (vt Epiſcopi) definiendo *ſubſcribere* teſtaretur. Et interim non pudet Magdeburg. & Apologeticos tuos in Concilijs ſummam rerum definiendarum auctoritatem ad Imperatores reijcere, & prima Catholicis Concilia, quaſi à ſe ſtarent, obijcere? Et Euangelicos tuos paucula verba, quæ ex Cuſani libris malo (vt videri poteſt) dolo ſunt aucupati, contra tantam auctoritatum lucem obtrudere, & ſuffragij dandi principatum Ciuili magiſtratui in Epiſcoporum Synodum deferre? Sed quod ad Cuſanum attinet, qualis qualis fuerit, non poteſt certe tot patrum luminibus obſtruere; nec cùm vnus ſit, tot cataphractorum equitum vim, & impreſſionem ſuſtinere.

Alius eſſe Epiſ. alias Ciuil. magiſt. partes in Concil. *Apologia Anglicana.*

Duplices fuiſſe ſubſignationes Epiſc. in Cõcil. ſexto, & quare. *Act. 17. & 18*

Sept. œcumenica Synod. *Act. 2. 4. & 6.*

Octaua Synod.

Act. 4. & vl.

Baſil. Imp. verbis, & factis publice in Conc. Rom. & aliorum Epiſc. prærogatiuam confirmauit.

Cauſarū Eccleſiaſt. iudicium ad ſolos pertinere Epiſcop.

Impudentia Magd. & Apol. in Anglia, qui Imperat. ſummam rerum definiendarum in Cõc. auctoritatẽ, contra omnia Concil. tribuunt.

Cuſ. ſent. de in re Conc. indicẽdi expenditur.

Eum egregie doctum, & valde acutum hominem fuiſſe exiſtimo, ſed forte in hac primatus cauſa eodem, quo multi illius temporis viri, & in ijs æqualis eius Æneas Siluius, errore implicatum. Verum Æneas (qui poſtea ad ſummum Pontificatum euectus Pij nomen accepit) cùm progreſſu ætatis ad rem plenius intelligendam adhibuiſſet tempus, & diligentiam, veritatem, quæ eum ſugerat, edoctus, errorem ſuum candidè agnouit, pie correxit, & publicè reuocauit. Neque verò hic idem Nicolaus Cuſanus, ſi omnia eius verba diligenter vndique attendas, perinde in Euangelicos inclinatione voluntatis propendet, ac ipſi videri eum volunt. Nam alicubi dicit: *Imperatorem, negligente aut contradicente Romano Pontifice imminente magno vniuerſali turbationis Eccleſiæ periculo, præceptiue poſſe Synodum indicere ad prouidendum fluctuanti Eccleſiæ*: alibi verò, vbi deſcribit modum, & ordinem, quem antiquitas in Concilijs ſequuta eſt, tradit; *generalia Concilia de conſenſu Romani Pontificis, & aliorum Patriarcharum fuiſſe coacta*; poſtea addit; *Laicos, & Principes nihil definitiue dixiſſe, ſed ſolicitando, exhortando, & aſſiſtendo interfuiſſe*; denique in hæc verba; *Vltimo ſuperſcriptio adijciebatur, quæ varia quoad ordinem inuenitur; ſicut & ſeſſionis ordo in alijs, & alijs Concilijs. Poſt Vicarios Patriarchalium ſedium ſubſcripſerunt ſe in octaua Synodo Baſilius, & Conſtantinus; deinde Epiſcopi alij,*

Euang teſtimonio Cuſ. quem pro ſe citant, iugulantur.

Li. 3. de concordantia Cathol. cap. 25.

Laicos, & Principes nihil vnquã definiuiſſe in Concil. *Lib. 2 de concordantia Cathol. ca 6.*

Tria ex Cuſani verbis eliciuntur contra errores Euang.

alij, &c. Ex quibus Cuſani verbis tria contra Illyricum, & Auguſtanorum confeſſionis patronos eliciuntur: primum, ius conuocaudi Concilij ad Imperatorem præcipuè, propriè, & (vt Iuriſperiti loquuntur) regulariter non pertinere, ſed extraordinaria quadam ratione; nempe cum eiuſmodi inciderit, quæ legem non habet, neceſſitas, vt aliter reipub. Chriſtianæ ruituræ ſuccurri non poſſit: deinde, Laicos, & Principes nihil definiuiſſe in Concilijs: poſtremo; Imperatores poſt Vicarios Patriarcharum in octaua ſaltem Synodo ſubſcripſiſſe. Sed quid hæc tantum commemoro, cum nihil fere in religione habeat Cuſanus cum Euangelicis commune, vt vt illi eum à ſe ſtare in hac cauſa glorientur.

Cuſani ſententia explicatur.

Quod autem dixerit Imperatores de conſenſu Romani Pōtificis Concilia indixiſſe; id ſi referatur (vt referri certe poteſt, & ſorte etiam debet) ad ea tempora, in quibus hæretici rebelles iuſſu Romani Pontificis non fuiſſent in Synodum coituri, vel ad eam acceſſuri; nihil ſanè pro Euangelicis, nihil contra Catholicos facit.

Quo in ſenſu Imp. dicantur Concil. coegiſſe, ac eis præfuiſſe.

Libenter enim fatemur, & vltro concedimus Imperatores quandoque in huiuſmodi anguſtijs, & difficultatibus rerum, auctoritate, conſenſu, precibus Romani Pontificis inductos Concilia coegiſſe, ac eiſdem interfuiſſe; non vt quicquam definirent, ſed vt effrenem hæreticorum ferociam præſentia ſua reprimerent, & ne aliquis importunitate, & audacia Laicorum turbulētus motus oriretur, prouiderent. Imo & illud non diffitemur, fieri poſſe vt alicui fortè Synodo dicantur *aliquando præfediſſe*; quod non eſt ſimpliciter accipiēdum, ſed quoad ea, quæ ad eorum officium ſpectabant, hoc eſt, vt darent operam, vt omnia in Concilio tranquille, quietè, pacatè agerentur, ne quis oriretur tumultus, vel ſi exortus fuiſſet, vt quam primum compeſceretur.

Imp. in Cōc. officium.

Hæ namq; partes ſunt Imperatorū. Atque hanc fuiſſe Cuſani ſententiam, doctis quibuſdam viris placere video. Quod ſi ita ſit, tum fruſtra à Cuſano ſubſidium petunt Euang. ſin verò non ſit, tum æquum certe eſt, vt Cuſanum licet doctum; vnum tamen hominem, & cum quidem recentiorem potius in hac cauſa deſeramus, quam quos recenſui, tot, tam ſanctos, tam antiquos patres. In quorum numero nemo eſt, quemadmodum nec Catho. vnquam fuit, qui ferendum putauerit, vt Laicus aliquis licet in altiſſimo digniratis gradu conſtitutus primum de religione differendi locum in Synodo Epiſc. obtineat. Quæ certe nihil minus quam Epiſc. Synodus dicenda eſt, ſi dicendæ ſententiæ in Eccl. cauſis definiendis Princeps ſit Imp. aut Rex? Qua de re Atha. te ſententiam ſcire cum primis cuperem. *Qua fronte*, inquit, *conuentum, Synod. appellare audent, cui omnes præſedit?* & alibi. *Quando*, inquit, *à condito æuo auditum eſt, quod iudicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ quidem Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt; ſed neque patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Conſtantiū denique, qui hoc ſibi arrogarat, Antichriſti imaginem induiſſe ſcribit. Nec te iam quicquam mouere debet Africana illa Synodus, quod, vt volunt Magd. Rom. Pontifici vniuerſalis Epiſcopi nomen ademit; quod ei in Chalced. illa Synodo, totius orbis conſenſu tributum eſt: quandoquidem nihil huiuſmodi, vel in mentem vnquam illis patribus veniſſe credendum eſt. Neque enim de alijs ibi, quam Africæ primatibus agitur. Et vt maxime egiſſent de Romano Pontifice, quomodo priuata vnius prouinciæ Synodus œcumenicæ præiudicaret? Synodi itaque iſta ſunt verba: *Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum vel ſummus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus.* Quod autem in decretis ſequitur, *vniuerſalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, à Gratiano, vt apparet, aſſutum eſt. Ea enim clauſula in ipſis canonibus non modo apud Latinos, ſed & Græcos deſideratur: vt iam Magd. tui accuſationem ſuam non aduerſus Petrum, ſed Græcos, infeſtiſſimos Romanæ Eccleſiæ hoſtes inſtituant, cur eam clauſulam prætermiſerint: atque de iſtis quoque querantur, quod adulandi ſtudio hæc Romani Pontificis auribus dederint. Imo de ſe potius, quam de probo illo viro Petro Crabbo querantur; quippe qui eadem omnino canonis verba, quæ ille, nulla mentione de vniuerſali Epiſcopo facta, recitant: Vt vel hinc appareat, nihil aliud eos quam meras calumnias Petro ſtruere, & in idem, quod illi obiectant, ſi quod eſſet, vitium incidere. Ego tibi certe, ni fallor firma a primis octo œcumenicis Synodis præſidia, & longe ab omni adulatione, & vanitate remota propoſui, vt iam non ſit mihi neceſſe, retro ad poſteriora Innocentij tertij tempora, ſub quo in Lateranenſi Synodo Metropolitani ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti, cum Patriarchis Conſtantinopolitano, ac Hieroſolymitano interfuerant; multoque minus ad Conſtantienſe, Baſilienſe, & Florentinum Concilium, in quo Græci cum Armenijs, ſingularem Rom. Pontificis poteſtatem agnouete, deferri. Nunc itaque tecum diſpice, an velis Nicænam ita eſſe primam, vt reliquas omnes abſorbeat, ac deprimat, aut ceteræ illam abrogent; an potius eam ita commode interpretari, quod neceſſarium eſt, ne vel annuendo, vel abnuendo, vllis reſponſi tui anguſtijs conſtringaris.

Thom. Campegius de auctoritate ſacrorum Conc. cap. 17.

Apologia 2.

Atha. præclara in principes ſentētia, qui reb. Eccleſiaſt. ſe immiſcent, & ius ſibi Conc. præſidendi arrogant.

Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.

Afric. Syn. vniuerſalis Epiſ. nomen Rom. Pont. non ademiſſe.

Cent. 4. cap. 7. pa. 555.

Carthag. 3. cap. 26.

Grat. notatur.

Apud Blaſ. in Concil. Carthagin. can. 41.

Petr. Crabbus Conc. collector à Magd. calūnia vindicatur.

Cent. 4. c. 9. pag. 868.

Conc. Lateranenſe, Cōſtantien, Baſilienſe. Florentinum.

Vide acta Doctorū Conciliorum.

Crit. Ego vero multo malim commodā, ſi id fieri poſſet, interpretationem aptari: nec id ſane fieri poſſe valde diffiderem, niſi illæ ipſæ, quibus niteris, Chalcedonenſis, ac Synodus in Trullo, me prorſus à tua ſententia auocarent. Vtraque enim ad patria priuilegia Romanam, & Conſtantinopolitanam Sedem reuocat, nec aliquid præterea egregium Romano defert.

Can. 36. in Trullo.

Iren. Hæc tota tua ratio à canonibus ſextæ Synodi pendet, de quibus non ignoro, quantum tui contra Rom. Pontificem ſe venditent, dum eum ad æqualitatem cum alijs conantur reuocare, & coniugatis Sacerdotium ita deferre, ne vxores abdicent. Sed Cadmea plane victoria eſt, qua plus accipitur, quam datur, detrimenti: Nam, vt à poſtremo primum incipiam, quantulum quæſo eſt illud, vnde veſtri iuuantur? Sacerdotibus enim omnis matrimonij ſpes præciditur, & Epiſcopo etiam ea, quam ante ordinationem duxerat, in monaſterium abripitur, & Monachi vxores ducentes, non modo Eccleſiaſticis, ſed

De Canonibus ſextæ Synodi. Canon. 12.

Canones quidam ſex ti Conc. cōtra Dalilas Euangelicorum.

Can. 6.

Can. 12. & Can. 48.

ciui-

ciuilibus pœnis in adulteros conſtitutis coercentur. Quod ſi Iouiniani Imperatoris capitalis illa, aliæque leges contra eos, qui ſacras virgines ſub matrimonij ſpecie ſacrilegæ violant, hodie obtinuiſſent, nunquam Apoſtolus veſter Lutherus, aut eius diſcipuli tam præcipites ad tam inceſtas nuptias conuolaſſent.

Iouiniani Imp. lex capitalis in violatores ſacrarum virginum ſub ſpecie matrimonij. 5. Si quis C. de Epiſcopus & clerie. Euang. inceſta nuptia.

Nec tamen te iſtis canonibus plus, quã par eſt, tribuere velim. Neque enim ſunt canones ſextæ Synodi, quos illa nullos tulit, in ſola Monothelitarum condemnatione acquieſcens: nec ijdem patres poſt quadriennium (vt quidam aſſerunt) redierunt, ad hos canones edẽdos; nec ſi redijſſent, idem ſed aliud Concilium haberi deberet. Redierunt quidẽ multi patres, ſed vigeſimo ſeptimo poſt anno, quando hi canones, nemine Rom. Pont. vices obtinente, præſcripti ſunt. Nam ad hunc annum hos canones Theophanes Grecus, ac Anaſt. Rom. Bibliothecarius illorum temporum homines perſpicue referunt, & poſt eos Iuo. Quamuis, neſcio qua ratione, in Iuonem vtrunque irrepſit manifeſto & ſecum pugnante diſſidio. Quare nec alij ex iſtis hodie canonibus obtinent, quam quos poſtea Rom. Pont. aut aliæ poſtea œcumenicæ Synodi ratos eſſe voluere. Miſſos certe eſſe ad Sergium à Iuſti. & ab eo reiectos ſcribit Iuo; tum deinde ad Ioan. ſeptimum, vt quos vellet, probaret; quos nollet, induceret.

Can. 44.

Sexta Syno. nullos tulit canones.

Quarta parte ca. 78. & 321.

Can. qui ſexte Syn. perhibentur, quo tempore & qua authoritate fuerit editi.

Iuo. Can. 6.

At ego iam à præclaris iſtis canonum authoribus quæro; quo modo aut cum Nicænis, aut ſecum iſti canones cohæreant, qui Rom. cum Conſtant. coæquant, & tamen iſtum poſt illum proximum eſſe volunt? Vbi illa quæſo, exæquatio in Nicænis canonibus? Quis præterea non videt iſta nimium eſſe inter ſe diuulſa, disiuncta, ac ridicula; æqualem eſſe, & tamen poſteriorem eſſe. Atque ideo vetuſti authores nihil de iſta æqualitate meminerunt. Ruffin. verò, & Theod. nihil omnino de vlla Conſtant. Præſulis prærogatiua attingere videntur. Reliqui vero Eccleſiaſt. hiſtoriæ ſcriptores, vt Socrates, Sozomenus, Liberatus, Euagrius, & omnium recentiſſimus Nicephorus, recenſent quidem eam ſed non equant verum proximum Romano locum tribuunt: quemadmodum, & tertius canon Conſtantinop. ſub Theodoſio.

Canones ſexte Syo. & Chal. neque cum Nicæn neque ſecũ cohærere.

Quid & qui Eccl. hiſt. ſcriptores, & œcumenica Conc. de æqualitate Rom. & Conſtant. Pont. memoriæ tradiderint.

Sed nec vllo ea de re canone cautum eſt à patribus Chalcedonenſibus, licet, contradicentibus Romani Pontificis Legatis, huiuſmodi eum priuilegio ornare conati ſint, vt poſt Romam in omnibus, & per omnia primam, ſecunda eſſet Conſtantinopolis. Prima quod ſcio ex omnibus Synodis, ſexta illa in Trullo huius æqualitatis meminit. Quãquam non vera, & œcumenica illa Synodus, ſed alia quæ poſtea, vt diximus, eò confluxit: quæ œcumenicæ Synodi nunquam habuit authoritatem. Nec vlla alia poſtea œcumenica (quantum adhuc reperio) Synodo quicquam de iſta æqualitate ſancitum, aut ab vllo vetuſto grauiore authore proditum eſt. Qui enim huiuſmodi quicquam proderetur, cum aperte id honorem Petro à Chriſto ipſo datum reuelleret, quem toto Eccleſiæ præfecit? Vt quantumuis Cõſtantinopolitanus Epiſcopus, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, aut æquaretur, aut præponeretur (quorum priuilegia humano magis quam diuino iure nituntur) infra tamen Petrum, & eius ſucceſſores, vel Chriſti ipſius firmiſſimo decreto ſe redigendum cognoſceret.

Soc. li. 5. c. 8. Soz. li. 7. c. 9. Liberatus in Breuiario ca. 13. Euag. lib. 2. cap 4. & 16. Niceph li. 12. cap 13. li. 15. cap. 7. lib 16. ca. fin. Seſſ. 16. Can. 36.

Quanquam ægre vel proximum locum, importuna ſua aut ſingulari quodam Imperatorum ſuffragio & patrocinio conſequuti ſunt. Nam, & quæ Conſtantinopoli geſta ſunt Damaſus, & quæ Chalcedoni, Legati Leonis primum, tum ipſe Leo reſciderunt, Anatoliumque eò (vt diximus) hic redegit, vt ambitionis ſuæ culpam agnoſceret: cuius in decretis Nicæni fortiter aſſerendis conſtantiam Martinianus Imperator (quamuis alioqui ad Conſtantinopolitanum amplificandum propenſiſſimus) laudaret. Poſtea Iuſtiniano, & alijs Imperatoribus ad Conſtantinop. Epiſcopi dignitatem amplianđam, euehendamque magno conamine incũbentibus Rom. Pontifices ceſſere, & proximas ei honoris partes deferri paſſi ſunt. Non ignoro tamen, vt Magd. adferunt, Sozomenum adfirmare paribus honoribus atque priuilegijs ornatam Conſtantinopolim, atque Romam; quod & Nicephorus tradit. Sed illa æqualitas ad prophanos & ciuiles, non Eccleſiaſticus honores ſpectat.

Chal. Synod. Act 16. Leo Epi. 53. ad Anatoliũ 55. ad Pulcheriam. 71. ad Anatoliũ 59. ad Mart.

Cent. 4. ca. 7. pag 553. Sozo. lib. 7. cap. 1. Niceph. li. 12. cap. 13.

Vt fruſtra Foxus tuus ſe cruciet & contrudat non tã μετὰ ἐκκλησιῶν, quam ἐκ ἐκκλησιῶν legendum. Sed ne ego in re nimium manifeſta ſuperuacaneam operam ponere videat, vt iſta omnia vana ac commenticia oſtendam, vnius duntaxat hominis teſtimonio vtar, ſed eius, qui vt ille ait, futurus erit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Is igitur eſt Iuſtinianus Imperator, qui *Ioannem caput omnium Eccleſiarum* appellat; cuius ſe Eccleſiæ amplitudini augendæ ſtudere dicit. Ad hæc, *Summi*, inquit, *Pontificatus apicem apud Romam eſſe, nemo eſt qui dubitet*. Sed vt ad id, quod hanc omnem quęſtionem abrumpit, accedam, Iuſtinianus ſtatuit, vt Canones Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, ac Chalcedonenſis, vicem legum obtinerent: *& vt ſecundum eorum definitiones, ſanctiſſimus veteris Romæ Papa, ſit primus omnium Sacerdotum*; & in magni beneficij loco, proque magno patriæ ſuæ ornamento ducit, ſi illius Epiſcopus Legati Romani authoritate perpetuo fungeretur.

In comment. rerum Eccleſ. In ſupplicatione ad proceres Angliæ. Iuſti. de primatu Rom. Pont. teſtimonia, quibus oſtenditur Nicænos cano. eidem primam detuliſſe. Cod. de ſumma Trinit. ac de fide Cat.

In nouella conſtit 131. apud Haloandrum, & in vulg. collat. 9 tit 6 & collat 6. tit 4.

Quo vno Iuſtiniani teſtimonio Apologetici tui mirum in modum percelluntur; non eò ſolùm quod hanc prærogatiuam à Phoca Imperatore, Bonifacio importune ambienti indulgenter conceſſam narrent: ſed etiam quod Nicænos canones nihil egregium Romano Pontifici detuliſſe contendant, & neſcio quam exæquationem ſomnient, quam ne verba quidem canonum pariuntur. Quorum omnis ſenſus huc potiſſimum recidit, vt non modo Romano Pontifici, ſed Alexandrino, Antioch. ac Hieroſol. Epiſcopis ſuæ conſuetudines integræ ac illæſæ conſeruentur, quaſi ex edicto illo prætorio, *vt poſſidetis, ita poſſideatis*. Hoc addo amplius, ſi doctiſſimi, & diligentiſſimi hominis interpretationem ſequamur, non aliam eſſe ſuperiorum Epiſcorum iuriſdictionem, quàm quantam, & qualem eis olim Rom. Pontifex attribuit. Non itaque exæquantur, ſed ſua ſingulis antiqua iura illibata conſeruantur. Tantum enim meo iudicio valent illa, τὰ ἀρχαῖα κρατείτω. Atque ideo Hieronymus aſſerit patres Nicænos proſpexiſſe, ne Hieroſolymitanæ ſedis amplificatio antiquam Metropolis, Cæſareæ videlicet dignitatem tolleret. Iſtam vero iſtorum equalita-

Apolog. Angeli. duplicis mẽdacij conuincitur ex teſti. Iuſtin. Imperatoris.

Quis ſit verus ſenſus can. ſextæ Synod. quo Euang. abutuntur ad exæquationẽ Roman. & Conſt. Pont. Turrianus in dog. ſabract. lib. 3.

Can. 6.

Hieron. cont. Iohã. Hieroſ.

Luth. alio errore reijcit æqualitatem Rom. & Conſtan tinop Præſulis
Propter. 7. can. Nican.

litatem Lutherus ipſe ſed alio errore reijcit; quippe qui faſces iſtos ſupremæ maieſtatis, ab Hieroſolymitano potiſſimum vindicandos aſſerat. Neque enim vir ille bonus, ac minime inuidus, quis eam capiat valde curat; modo ſuam Rom. prærogatiuam præripiat.

CAP. VI.

Sozimum, & alios Romanos Epiſcopos non corrupiſſe Nicænos canones, neque cauſam fuiſſe cur corrumperent, cum etiam ſine illis Africanos ex recentibus ipſorum chirographis obſtrictos ita tenerent, vt tergiuerſari non poſſent.

Crit. NEque ego iam tecum amplius de iſta æqualitate contendam, nec grauate feram, quoties coitur in Synodum Pontifici Romano primas dari: ſuffragij prerogatiuam ei defero, atque hic me plane ſuccumbere fateor. Sed Sozimi accuſatio de corruptis canonibus integra adhuc eſt, & ſuis viribus nititur; quod augendæ dominationis ſuæ cauſa ementitum quendam canonem protulerit, quaſi ex eo liceret Epiſcopis vbiuis gentium à Synodo ſua damnatis, Romam prouocare.

Iren. Omnis itaque noſtra quæſtio in eo vertitur, an in falſi crimen Sozimus inciderit.

Crit. Sic eſt; Sozimi te pudorem, ac ſociorum eius purgare velim.

Elyr.conſer. lib illum, qui appell. hiſto. certaminum inter Roma Pont & ſexta Cartha Syn quam dedica uit Duci ac Senat. Venet. ex qua nos aliquot eius argumenta depr. ſimus. Vide aſt. Cō col.

Aug cont. Pelag de gratia Chriſti lib. 2. cap. 2. 7. 8 17. lib. 1. cap. 30. lib 1. ad. Bo. lia. Epi. 90. & 92.

Illy execrā da in ſum Pontif. maledicentia.

Afric. Syn. honorifica de Bonif. Celeſt. Innocentio Rom Pont. mentio.

Aug de Innoc. & Sozi. elogia.

Iren. Perfacile id quidem mihi erit, vt & reliquorum Innocentij, Celeſtini, Bonifacij, quos nobis Illyricus tuus, ac ſcite, vt putat, Sceleſtos, Nocentios, ac Maleſacios reddit. Nec ille fallitur, ſi cuiquam prudenti, nedum illuſtriſſimis Duci ac Senatui Veneto, hac ſua maledicentia, ac veteratorijs artibus ad veritatem opprimendam illudi poſſe ſperet. Ceterum ipſa Africana Synodus horum Pontificū pudorem aſſerat; *Domino*, inquit, *beatiſſimo ac venerabiliſſimo fratri Bonifacio*; rurſus, *Domino dilectiſſimo, & honorabili fratri Cæleſtino*. Innocentium vero ſanctum Papam appellat, nec minus honorate paſſim patres de ipſis loquuntur. Auguſtinus præterea, quem tu huic Concilio interfuiſſe dicis, Innocentium non Nocentium, ſed ſanctum, & beatiſſimæ memoriæ Papam; Sozimum verò beatiſſimum, & venerabilem Papam appellat.

Crit. At hoc ipſo Romanorum crimen exaggeratur. Quanto enim honorificentius Africani de illis aut ſenſerit, aut loquuti fuerint; tanto ſane turpius fuit iſtis, tot, & tantos patres fictis atque ementitis canonibus circumuenire voluiſſe.

Iren. Quos tu mihi fictos canones narras? Quod crimen nec patres ipſi, nec quiſquā ab omni memoria ante iſtos homines natos, & recentiores Græcos illis obiecit.

Crit. Extare ergo inter Nicęnos hunc canonem exiſtimas?

Iren. An hodie extet, aut vnquam extiterit, non iam decerno, nec multum moror. At iſti viri boni, ſiue extiterit, ſiue non extiterit, falſo innocētes homines, falſi inſimulant.

Crit. Quare?

Sozim. & alij Pont. liberantur à falſi crimine, quod illis imponitur ob emētitos canones Nicænos

Iren. Quia ſi ad æquitatis ac iuris patrocinium nos referamus, falſi crimen dolum malum perſequitur, & cum perſona, vt cetera crimina, extinguitur, nec memoriam onerat. Onus præterea dolum probandi ad ipſum accuſatorem reijcitur; vt iam, quæ ſint tuæ partes, intelligas.

Crit. Iuris iam me cautionibus implicatum video; nec ego alia ratione falſi accuſationem probare poſſum, quàm quod iſte Canon inter Nicænos non extet.

Iren. Finge vero, nec extare, nec extitiſſe vnquam: non tamen ſtatim iſti in falſi crimen incidunt. Ineſt enim vſitata illa in cautionibus, ac conditionibus formula, *ſi ſciens, ſi dolo malo*. Quod ſi iſtis quo doli mali accuſationem perficiant, deſit (vt certe deeſt) mihi ſane, quo ſuſpitionem ab eis remoueam, multa ſuppetunt. Quorum vel ſanè dignitatis magnitudo, hanc omnem repellit; vt, quæ in archiuis Eccleſiæ ſe reperiſſe dixerint, ita ſanè reperiſſe à deceſſoribus relicta, non ab ipſis flagitioſe conficta credamus: Verum enimuero Africanos ad victoriam ac veritatem contra ipſos obtinendam ita irretitos habent, vt ſe honeſtè explicare nequeant. Habita eſt enim frequentiſſima atque œcumenica, ex omni orbe Epiſcoporum Synodus ſub Conſtantio & Conſtante Sardicæ, quæ Epiſcopis à ſua domi Synodi damnatis, Romam prouocandi poteſtatem dedit. Cui ne fortè Apologetici quaſi ſine Britannorum ſuffragio habitæ aduerſentur, præter Ægypti, Libyæ, Pentapolis, Paleſtinæ, Arabiæ, Iſauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galaciæ, Daciæ, Myſiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Theſſaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Siſiæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Thuſciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutij, Siciliæ, Sardiniæ, Hiſpaniarum, & Galliarum Pontifices, & Britannię quoque Epiſcopos interfuiſſe conſtat. Africanos verò ita premit, vt nullum habeant ſubterfugium. Trecentos enim huic Synodo Epiſcopos interfuiſſe, & ſubſignaſſe conſtat; quorum quadraginta fere Sardicam ex Africa confluxerunt.

Sardic Cōc canonibus Romā prouocandi facultas Epiſcopis data.
Sardic. Conc. Can 3. 4 7. Theod. li. 2. cap 8.
Atha. Apol 2.

Nec Africanos modo, ſed & reliquum omnem orbem illius Synodi decreta conſtringunt. Dixit enim omnis Synodus: *vniuerſa, quæ conſtituta ſunt, Catholica Eccleſia in vniuerſo orbe diffuſa cuſtodiat*. Tribus verò canonibus hæc tam ampla, & memorabilis Synodus Rom. Pontificis, de qua agimus, in probandis vel reijciendis totius orbis Epiſcoporum appellationibus, auctoritatem agnouit, & confirmauit. Quò & ille alius ſpectat, quo cauetur ne presbyteri, & diaconi ex alijs vndique regionibus confluentes Theſſalonicam, diutius ibi hærerent, ſed negotijs expeditis domum quam citiſſime reuerterentur. Ob eam vero cauſam magna illuc cleri multitudo cōcurrebat, quod Theſſalonicenſis Epiſcopus à more per manus deducto Rom. Pontificis in illis regionibus legatum viceſque ageret. Quæ licet ita certa & teſtata ſint, audent tamen Magdeburgen. adfirmare Sardicenſem Synodum Romani primatus ignaram fuiſſe, atque ad id probandum canonem quendam ab Arianis Antiochiæ, & alium, vt aiunt, ſimilem Sardicæ conditum (quæ nihil omnino facit contra Rom. Pontificis

Can. 21.
Can. 3. 4. 7.
Leo Epi. 84.
Cent 4 cap. 7. pag. 552. & 553.
Inſulſa, & puerilia Magd. contra Rom. Pont. authoritatem argumenta.

Digitized by Google

ficis authoritatem)& leuiuſcula illa argumenta; quod Synodus Sardicenſis Iulium amicum & collegam appellarie, proferte. Omni enim probatorum, & Catholicorum patrum præſidio nudari, præclarum ſcilicet ſibi ab hæreticis auxilium accerſunt, qui canones ad infringendam Apoſtolicæ Sedis authoritatem ediderint, atque adeo Iulium anathemate percuſſerint.

Sed neminem impium hoc, iniuſtum, & inane iſtorum fulmen terrere debet, qui meminerit: eos vel Arianos fuiſſe vel Dioſcoro poſtea Alexandrino inſtar grauiſſimi criminis ſimilem in Leonem in Chalced. Synodo audaciam obiectam fuiſſe, eumque ob eam potiſſimum cauſam exauctoratum. Iam ſi huc aggregemus decretales Damaſi ad Stephanum Archiepiſcopum, & eiuſdem Stephani, & triũ Africanorum ad Damaſum epiſtolas; in quibus Romani Pontificis amplitudinem, vt egregiam, & eminentem præ aliis Eccleſijs (præſertim in eo quod iam in dubium vocari fingunt, in ſexta Africana Synodo) perſpicuè agnoſcunt, & venerantur; multo magis miraberis hoſce ſextæ Synodi patres, non ſolùm à totius reliquæ Catholicæ Eccleſiæ, ſed à tam recentibus, & calentibus adhuc maiorum ſuorum inſtitutis tam cito receſſiſſe. Vt enim nihil dicam vel de illis Damaſi litteris, quibus Ariminenſis Synodi acta ideo penitus irrita decernit, quod Romani Pontificis, cuius ſententiam cum primis expectandam dicit, conſenſus defuerat; vel illis illius ad Africanos litteris, quæ Romanæ Eccleſiæ maieſtatem, & prærogatiuam ſingularem grauiter aſſerunt: Africani certe patres vltro profitentur, neminem Epiſcopum, quantumuis diſiunctum niſi conſulto Romano Pontifice, de ſede deturbandum, omneſque grauiores cauſas ad eius cognitionem reuocandas.

Euarg. li. 2. cap 4.
Chal. Synod. Act. 3.

Theo. lib. 2. cap. 22 Sozo men lib. 2. cap 23.
Afr. patres omnes grauiores cauſas de Rom Pont referẽdas cenſuerunt.

Crit. Sardicenſis quidem Synodus valde me premit, cuius authoritatem quo modo excutiam, nihil adhuc habeo. Sed Damaſi & aliorum illæ epiſtolæ minus me ſolicitum tenent, quas corruptas, & adulterinas eſſe vel ex eo conſtat, quòd de Cœna Domini parum religioſe loquatur ſubornatus iſte Damaſus: cùm aſſerat Sacerdotes corpus Chriſti ſacro ore conficere

Damaſi Epiſt. à calũnia Magd vendicatur. *Cent 4 c. 7. pag. 581.*

Iren. O egregium acumen, quo & Hieronymi quoque ſcripta, qui ijſdem verbis vtitur, ſunt inducenda? Sed quid ego hic Hieronymum appello? quin Chriſtum ipſum potius; qui cum ore ſacro corpus ſuum confecerit, eandem in Apoſtolos, & reliquos Sacerdotes poteſtatem transfudit. Itaque faceſſant iam non Damaſo (ſi quid huiuſmodi ſcribat) ſed Chriſto potius ipſi negotium. Caduut ergo cauſa Africani tui, vel ſuis ipſi chirographis, quibus ita implicantur, vt neceſſe ſit illis, huiuſmodi appellationem ratam habere. Atque iſta, vt nihil præterea adijciam, Romanos Pontifices ſatis à falſo, & dolo malo purgant. Quibus nemo omnium hominum ineptiſſimus, ac turpiſſimus vteretur, qui aliam rectam atque expeditam, ſaluo pudore, defenſionem haberet.

Hieronymus.
ad Geliod.

CAP. VII.

Non fuiſſe vera, perfecta, & ſincera Nicænorum canonum exemplaria è Græcia ad Africanos tranſmiſſa, ex multis, qui in eiſdem deſiderantur, canonibus oſtenditur.

Crit. VEriſimilia quidem dicis, ſed interim ab omni Niceni Concilij præſidio excluſi ſunt.

Iren. Cur ita exiſtimas?

Crit. Propter vera atque ſincera exemplaria Conſtantinopoli, atque Alexandria in Africam allata, quæ nullum huiuſmodi canonem complectuntur.

Iren. Nullos ergo alios canones admittis?

Crit. Nolo mihi plus tribuere, aut ſapientior videri patribus iſtis, qui his canonibus, quaſi defenſionis ſuæ fundamento innixi ſunt.

Multi can. Niceni partim ex Cõc. recenſentur: qui in exẽplaribus è Græcia in Afr. tranſmiſſis non apparent.

Iren. Si igitur veſtros ſequamur, reijciendum eſt quod ſcripſit Ambroſius, cum quo ſentire videtur Baſilius: à patribus Nicænis conſtitutum, *ne bigamus in clerum aſciſcatur*. Sed ſcio veſtros potius, quàm vt id obtineret, & vel vnica Dalila ſpoliarentur, clamaturos Ambroſium quoque cum Baſilio, canones conſpurcaſſe. Reijciendum præterea quod ſcripſit Auguſtinus, *ne Epiſcopus ſibi ſucceſſorem ſufficiat*, Nicænis canonibus cautum. Et vt patres tuos Africanos ſuo iugulem gladio; reijciendum quod ipſa Carthaginenſis Synodus ex canone Nicæno probat, *non eſſe niſi à ieiunis offerendum* Iuſtinianum quoque Imperatorem in legem Corneliam de falſo incidiſſe clamemus, qui ex canonibus Nicænis, *Romano Pontifici egregium præ alijs Sacerdotibus honorem tribuit*. Sed neque ille canon, in his quidem exemplaribus, quæ hodie habemus, conſpicitur, de quo ſecunda illa apud Conſtanopolim œcumenica Synodus mentionem facit: videlicet, *vt in vnaquaque prouincia illius prouincia cultores, aſſumptis etiam, ſi videatur finitiſſimis, conferant Eccleſiaſticos honores his, quos vtiliter geſturos eſſe confidunt*. Ad hæc vbi eſt hodie inter acta Nicænæ, Synodi, quod Hieronymus tradit, eam Synodum *librum Iudith in numero ſanctarum ſcripturarum computaſſe*? Vbi in iſtis tam caſtis, & integris exemplaribus, tam longè petitis, vel illud patrum decretum, quo Leone teſte definiunt, *Chriſtum factum filium hominis, veram carnis atque animæ habuiſſe naturam*. Vel reliqua illa Chriſtianæ fidei, quam Nicænum, quod dicitur, ſymbolum complectitur, religioſa confeſſio. Præterea vbi eſt ille Nicænus canon, quem Gregorius Turonenſis his verbis refert: *Si quæ reliquerit virum, & thorum in quo bene vixerit, ſpreuerit, dicens; quod non ſit ei portio in illa cœleſtis regni gloria, qui fuerit coniugio copulatus; anathema ſit*, Et quoniam Euangelici tam ſerio hos ſolos canones, è Græcia, per Atticum, & Cyrillum tranſmiſſos vrgent, alioſque omnes faſtidiunt, expediat mihi Caluinus cum ſocijs, an & ille quoque canon Nicænus in eis recenſeatur, quo ſibi blan-

1 *Amb. Epiſt. 82.*
In nouel Iuſtin conſtit. 133 vbi idẽ recitatur ex Baſil.
2 *Aug Epiſt. 110*
Vide vitam Aug. in Poſſidonio cap 8.
In Carthag. Concil ca 51 Græco apud Balſamonem Conſtit. 131.
3
4
5
Theod. lib. 5. cap 9.
6
In præfat. In diuth.
7
8

Euãg error manifeſtus conuincitur ſuo ipſorũ teſtim. quò cõtra Cath. Eccl. canõ. quendã Nicanum protulerunt, qui non reperitur inter viginti illos, quos ſolos temere aſſerunt pro veris Nicænis recipiendos

dum-

Epi. ad Leonem imp 78. Lib. 9. hiſt. cap 34.

diuntur, ſed fruſtra, poſſe ex eo Catholicæ Eccleſię de Euchariſtię tranſubſtantione ſidem euerti. *Ne humiliter*, inquiunt, patres, *intenti ſimus ad propoſitum panem, & poculum, ſed eleuata mente, fide conſideremus in ſancta illa menſa Agnum Dei*. Poſtremo, vt quam ridicula ſit iſta omnis collectio intelligatur: ſimus rurſus Ariani cum Iudæis Paſcha celebremus; qua de re nihil inter viginti illos apud Africanos, & Illyricum canones cautum; cùm tamen ob has duas cauſas Synodus conuenerit.

Nulla mentio neque de celebratione Paſcha, neque de condemnatione hæreſeos Arianæ ſit in Nicænis canonib. qui extant. cum tamen his de cauſis Synodus fuerit coacta.

Euſeb. de vita Conſtant. lib. 3.

Epiph. lib 3. tom. 2 hæreſ. 70

Cent 5 ca. 9 pag. 862.

Narrat. illã ex Cyrillo. & Attico de integris canonib Nicænis non vſquequaque veram videri.

Ibid. & pag. 862.

Quomodo itaque aut Illyricus, aut alij Euangelici iſtos canones à Græcia in Africam tranſmiſſos pro certis, & exploratis, & vniuerſis Nicænæ Synodi canonibus iactare poterunt; cum tot, & inter ea præcipua totius Synodi capita apud Illyricum omnino deſint? Ego ſane non poſſum adhuc à me ipſo impetrare, vt ita credam, quantumuis Cyrillus, & Atticus (vt iſti quidem aiunt) hos vt ſolos, & integros canones magnificis verbis amplectantur. Et dubitationem de narrationis fide aliquam illud mihi mouet, quod Cyrillus ad Eccleſiaſticam hiſtoriam, quæ huiuſmodi canones complecteretur, Africanos remittat. Nam vt nihil opus erat, illuc eos reijcere, cùm profiteatur ſe ex primo, nullæque ſuſpitioni obnoxio exemplari ad ſummam fidem canones deſcipſiſſe: ita dum Africanos eo ablegat, totã rem magis impeditam, & perplexam reddit. Nam vt de Socrate, Theodoreto, Sozomeno eum ſenſiſſe non eſt credibile; cum quod incertum ſit, an eo viuo illorum hiſtoria ſit edita; cum quod huiuſmodi canones non appareant in eorum libris, quemadmodum nec in Euſebio: ita quidem, ſi de Ruffini hiſtoria, quæ nominatim eos complectitur, & quam forſan legit Cyrillus, ſenſerit, ſibi ipſi fidem magis detrahit; cum canones apud Ruffinum, & ordine, & numero, & rebus ipſis diffideant ab ijs, quos ſollummodo ex Cyrilli, & Attici authoritate Africani amplectuntur. Quanquam, neſcio, quomodo, & hic quoque non cohæreat Græcorum narratio. Nam Marcus ille Epheſinus, accerrimus Romanæ Eccleſiæ oppugnator, ait; Africanos non ad Cyrillum & Atticum, ſed Cyrillum, & Proculum pro his canonibus miſiſſe, & quęſtionem in eo poſitam fuiſſe; an Nicæni canones Romanum Pontificum œcumenicum appellent,

Ruffin. lib. 1. cap 6. Eccleſ. hiſtoria.

Vide Conc. *Florent. ſeſſione 20.*

Crit. Video certe iam noſtros debere nouam quandam rationem ac reſponſum meditari, nec nimium hic hærere.

Magde. plagas contra ſe texuiſſe.

Iren. Id magis dixeris, ſi reliqua ſimiliter cogites: plagas enim ipſi contra ſe texuerunt. Nam ſi iſtos ſolos canones vrgeant, Dalilis ſuis excidant: euanuit enim præclarus iſte, ac memorabilis Paphnutij canon de Dalilis cum ſacerdotio retinendis.

Crit. Quantum video non multum noſtri promouere, dum iſta præſidia excogitarunt.

Cauſſæ cur exemplaria Nic. hodie ſint mutila, & decurtata quæ eadem cauſa Sozim. ac alios Ro. Pontifĩ falſi ſuſpicione liberat.

Iren. Multa iam alia præterea occurrunt, cur non modo Sozimum ac ſocios à falſo liberem; verum etiam cauſam, cur hodie iſta Nicæna exemplaria ſint tam mutilata, ac manca, probabiliter oſtendam.

Crit. Nihil mihi gratius acciderit.

Iren. Illud ergo antiquum, *cui bono*, ad mentem reuocare debes, ac virum quidem iuſtum, impunè peccandi occaſione data, abſtinere tamen; improbos vero facile illam arripere. Arrianos præterea permultos an nos Conſtantinopoli, ac Alexandrię omnibus etiã Imperij viribus ad improbitatem ſuam propugnandam armatos, dominatos fuiſſe; qui capitali odio, qui ferro, qui flamma in Catholicos homines graſſati ſunt: quibus nihil vnquam inuidioſius, quam Nicænæ Synodi, & Romanis Pontificis nomen? Quis igitur dubitet, eorum vngues in Nicænis illis exemplaribus fœdandis hæſiſſe, quorum cruentis manibus tot Catholici acerbiſſimis ſupplicijs crudeliſſime ſunt excarnificati? vt non ſit credibile Nicænis eos canonibus peperciſſe, qui vitæ Catholicorum & diuinis ſcripturis, quas igni abſumebant, haud pepercerant. At Romæ cuius nullus vnquam Epiſcopus eam hæreſim propugnauit, vera atque incontaminata exemplaria conſeruata fuiſſe, non veri modo ſimile, ſed veriſſimum videtur.

Arian in Cathol. & Nicen. Synodum ingens odium.

Atha. de perſequutio. ad Orthodoxos

CAP. VIII.

Liberium Romanum Pontificem non fuiſſe Arianum. Apologiæ præterea Anglicanæ in Ioannem 23. & Ioannem 8. calumnia contunditur, ac vera Victoris, Romani Pontificis & Martyris hiſtoria explicatur.

Crit. HÆc certe ad perſuaſionem mihi ſatis accommodata viderentur, niſi me Angli aliò auocarent, qui tradunt Liberium Romanum Pontificem ad Arianos defeciſſe, vt nihil hic dicam de Ioanne Romano Pontifice, qui de immortalitate animarum impie ac nefarie ſenſit; nec de ſtupendo illo Dei iudicio, quo feminam ſexum ementitam illi ſedi illuſiſſe paſſus eſt.

Apolog. cur nullis auctorum teſtimonijs confirment quæ de Ioanne femina tam confidenter exprobrant

Iren. Sed quibus iſti auctorum teſtimonijs ſua muniunt?

Crit. Nullis quidem, quod nemini; neque neceſſe puto, cum ſint certe omnia manifeſta, atque explorata.

Quæ de Ioã. femina feruntur, etiã ſi vera forent, non eſſe alicuius imminuendam Rom. Pont auctoritatem momenti

Iren. Atqui ego magis puto, hoc totum ſilentium à fraude, mala mente, ac mendacij conſcientia profectum. De femina illa tua, ſiue verum, ſiue falſum ſit; non ita multum moror. Quæſtio enim facti eſt, quod dicitur, & non iuris: facti vero ignorantia culpa vacat, & in prudentiſſimum cadere poteſt; vt mirum ſit prudentes iſtos homines, acerbi conuicij cauſa, id, quod nec ſapientiſſimi vitare poſſunt, obijcere; & quod, ſi aliqua ineſſet culpa, ad noſtros hodie Pontifices nihil pertineret. Sed non iam expecto ab iſtis modeſtiam, ſed veritatem requiro. Expediant ergo mihi aliquem notæ & probatæ fidei auctorem, qui intra totos quadringentos poſtea annos hoc ita factum ſcripſerit, qualem vt non nego extare poſſe; ita certe, eum magna diligentia, in quoſcunque incidere potui, percurriſſem (qui ſane vniuerſi rem tam memorabilem nunquam ſilentio inuoluiſſent) ne tenue quidem huius rei veſtigium inuenio: vt totum hoc quicquid ſit, à recentioribus atque obſcuris, nec inimicem con-

Nullus fide dignus ſcriptor & vicinus illorum temporum adhuc proferri potuit, qui mentionẽ de Ioanne femina fecerit.

Digitized by Google

conſentientibus, nec ita magni iudicij ſcriptoribus, idque ex fama & incertis auditionibus profectum videatur.

Qui pmi de Ioā femina fabulam ſcriptis ſuis inſeruerint Sigebertus. Martinus.

Crit. Certe inter alios Sigebertus, ac Martinus ille, homines Romanæ ſedi addictiſſimi, iſta pro veris tradidere, & reliqui poſt eos paſſim. Et, ſi tibi homini Latino Latini tamen non ſatisfaciant; adiungemus in ſubſidium & Græciam, quæ de hac hiſtoria non reticuit. Sed quid auctoribus ſcriptiſque hanc rem aſtruere conamur, cum oculis manibuſque certa quædam huius hiſtoriȩ monumenta, & veſtigia ſupperant? Conſeruatur enim Romȩ meretricis huius ſtatua, & ſedes quædam pontificia, in qua per foramen eligendi Pontificis virilia contrectantur ne oculi rurſus fallantur.

Iren. Totius huius rei curam ad Romanos reijcio, qui certiora nobis prodant. Audiui certe ſæpe viros graues, & doctos, & qui Romæ diu ſunt verſati, qui hæc omnia ad egregias fabulas referunt. Neque ego hic quicquam dico de ermaphroditis & ἀνδρογύνοις de quibus veterum libri pleni ſunt. Et ne à noſtri temporis memoria longius abeam; non ignoro monumentis literarum eſſe traditum, mulierem quandam nomine Æmiliam Antonio Spenſæ ciui Ebulano nuptam, poſt duodecimum à nuptijs annum in virum tranſijſſe; vxorem ſibi, reddita dote ex iuſſu regis Siciliarum Ferdinandi, aſciuiſſe; & filios demum habuiſſe. Legi etiam alteram mulierem, vbi puerum peperiſſet, in marem fuiſſe mutatam. Vtcunque ſit, veteres & proximi quique huic ſeculo auctores, nihil de hac femina meminerunt, imo nec de Ioanne aliquo, hoc ſaltem loco, qui octauus diceretur, id eſt, inter Leonem & Benedictum; quo quidem ſolet collocari. Nec ratio temporis, aut anni Pontificum id patiuntur; ſi verum calculum ſequamur. Nec ego iſtos à Sigeberto quidquam iuuari arbitror. Antiquiora enim Sigeberti exemplaria nullam huiuſmodi narrationem complectuntur: & ſatis præterea conſtat, illius hiſtoriæ multa aſciticia & plane vana ex, neſcio, cuius Galfridi Monumetenſis libro aſperſa. De Martino minus laboro, à quo (niſi mea me coniectura fallat) hæc omnis fabula prodijt, homine non ſatis circumſpecti in hiſtorijs accuratè excutiendis iudicij. Quod in plurimis, ſi neceſſe foret, facile oſtenderem. Quanquam nec ipſe, nec alij fere poſt eum, vt veram hiſtoriam atque exploratam, ſed quaſi ab incerto rumore, aut ſcripto acceptam referunt. Ad quam ego totam euertendam multa adferre poſſem, ſi luberet diligentius eam expendere: nulla enim fere fabulæ pars cohæret. Et futile omnino eſt illud Balæi tui commentum; Ludouicum Imperatorem, ab hac femina Imperio inauguratum fuiſſe. Neque memini quicquam de iſta femina à quoquam Græcorum proditum, niſi à ſolo Laonico Chalcondyla; qui recens ſcripſit, nempe poſt captam à Turcis Conſtantinopolim; & quæ ſcripſit in hac re, à noſtris lacunis hauſit. Quare cum iſta meliore fide non vtantur, non ſatis perpenſo iudicio Apologetici ea cum rebus religionis noſtræ coniunxere; aut illam, ſi quæ ſit, feminæ ſtatuam iactant. Quæ qua fide aut fronte faciant, ipſi viderint, qui poſt incenſas Chriſti & Sanctorum Imagines, hanc tantopere exoſculantur. Qui cum toti ſint in calumnia Romano Pontifici ſtruenda; interim quid domi, aut quàm flagitioſe agatur, nihil penſi habent; & longè atrocius peccant, quam Ioannes quem iſti feminam dicunt, peccarit; cum inceſtas Sacerdotum & Monachorum nuptias palàm tueantur. Quantum vero fidei Chalcondylæ tum in hoc, tum in alijs ſit tribuendum, vel hinc conijcito. quod de noſtra Britannia, & alijs vicinis regionibus tam flagitioſe & aperte mentiatur. Ait enim per vniuerſam inſulam hunc morem receptum eſſe: vt, quum quis primùm amici domum vocatus ingreditur, mox cum vxore eius concumbat, vt deinde lautius hoſpitio excipiatur: In peregrinationibus quoque ſolenne eſſe, vt amici vxoribus vtantur mutuis. Hanc verò de Ioanne fabulam potius, quàm certam hiſtoriam poſt exortas graues illas inter ſedem Romanam, & Imperium contentiones, ad illius ſedis odium confictam exiſtimo. Ac deinde temere aut à Martino ſcriptam, aut illi poſtea aſperſam.

Plin. lib. 7. c. 3 & 4. Gell. lib. 9. cap. 4.

Hermaphroditi Inſignes hiſtoriæ de mutatione ſexus.

Gaudentius Merula lib 1 memorabiliū ca. 3.

Circiter annum Chriſti 1496 vt apparet ex cōtinuatione tēporum additaad Chronicon Euſebij.

Sigeberti hiſtoria corrupta.

Quid hiſtor. Martini Poloni tribuēdum ſit, qui primus huius fabulæ auctor fuiſſe creditur.

Lib. 6 colum. 411.

Laonicus Chalcondyla recens recens ſcriptor ſolus ex omnib. Grecis mētionem facit de Ioan. femina. Venerunt nuper ad manus meas annotation. in Plantinā doctiſ viri Onuphrij, qui hanc fabu. penitus explodit. Ad quam te candide lector remitto.

Chalc lib. 2. columna 316.

Chalc. flagitioſū & impudens de Britannia, & vicinis regionib. mendacium.

Crit. Hanc mihi iam de Ioanne narrationem ſuſpectam plane, & Chalcondylæ (à quo illam ſumpſimus) fidem leuiſſimam reddidiſti. Nuptias vero iſtas, quas tu improbas, ex ſcripturis & Patribus, tueri ſe poſſe ſperant.

Iren. De nuptijs illis nolo hoc loco iam tecum contendere: hoc tantum dixerim cum Virgilio, *Coniugium vocat, hoc prætexit crimine culpam.* Vides igitur in recenti Chalcondyla id quoque locum habere, quod ille olim de antiqua Græcia ſcripſit:

Et quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Lib. 9.

Quare de his rebus maiorem in tuis Apologeticis & in Sleidano illo veſtro, cum in reliquis multis, tum in hac hiſtoria cautionem, & prudentiam deſidero. Qui ex Gallico quodam, eoque ignobili incertique auctoris libro, quaſi aduerſus Pontificios mercatores conſcripto, eadem, qua multa id genus, vanitate veluti inſignem quandam mendaciorum vendendorum mercaturam proponit. Sit tamen, ſi velint (quoniam non eſt id quidem fortaſſis ex eo genere, quod fieri non poteſt) verum. Quid eſt cur tam tragice vociferentur, & quaſi cœlum & terram miſceant? Ego vero te rogo, vtrum turpius, feminam, quæ ſe tamen pro viro gerit, ſexumque tegit, quæque ab omnibus pro viro habetur; an eam potius, quæ ſexum nihil diſſimulat, pro Pontifice ac ſupremo Eccleſiæ Capite habere?

Multo turpius & abſurdius eſt, feminā ſummā rerū Eccleſiaſticarum poteſtatem ſcientes & prudentes (quod Apologetici in Anglia fecerunt) deferre, quā de induſtria obtrudere, quā fortuito per ignorantiam deferre.

Crit. Iſtud certe illo infinitis partibus ſceleratius eſt.

Iren. At hoc egere egregij iſtiuſtuę Apologiæ artifices, qui feminam in Eccleſiæ præſidem vltro aſciuere, eique Eccleſiaſticarum cauſarum arbitrium detulere. Quare cum Romanorum in facto, quod prudentiſſimos fallere poteſt, cuius tolerabilis eſt ignorantia (ſi tamen aliquando factum eſt) imprudentiam taxandam exiſtimant, ſibi omnem veniæ ſpem præripiunt, qui ſcientes & prudentes in eundem ſcopulum clara in luce, certiore turpitudine incurrunt.

Apologetici in eo turpiſſime offēderunt, quod Rom. Eccl. vitio vertūt.

Crit. Huius rei cogitatio ſepius animum meum vehementer torquet: & hic illud forſan Virgilij de Apologia iſta dici poterit:

Digitized by Google

Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ. Cùm enim mihi Angli, cetera egregij ac ſuſpiciendi videantur, eoque magis, quo propius ad Caluini, communis noſtri præceptoris dogmata, hoc eſt, ad ipſam veritatem accedunt; id mihi ſolum valde diſplicuit, quod tantam labem renaſcenti Euangelio inuri patiantur, vt ciuili magiſtratui, atque adeo feminæ primarium rerum Eccleſiaſticarum arbitrium tribuant. Cuius rei indignitate commotus Caluinus noſter, ita in Henricum Regem Angliç exarſit, atque ita eum ſcriptis exagitauit, vt neminem vnquam Papam acerbius.

Oſeæ cap. 5. Amos cap. 5. Caluinus in Henric. viij Angliæ reg. acriter inuehit, propter eum, quem ſibi vindicauerat, Eccleſiæ Anglicanæ principatum.

Iren. Memini; ſed nos iam ad Ioannem Romanum Pontificem conuertamur, quem iſti aiunt, impie de animarum immortalitate ſenſiſſe. Sed miror iſtos, vel Balæum ſuum, domi non conſuluiſſe. Ex quo, & ſe erraſſe, ac Ioannem calumniatos (quippe qui nunquam de animarum immortalitate impie ſenſerat) & eum, quemcunque aliquando tueretur errorem (ſi tamen verum ſit, in eo eum errore verſatum) reuocaſſe facile intelligerent. Ita neque eius, neque cuiuſcunque Romani aliquando Pontificis error fidem Chriſti infirmabit; qui promiſit Petro: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Singulari enim Dei bonitate factum eſt, vt aut nullus hactenus ex ea ſede Epiſcopus aliquid contra fidem commiſerit, ſiue in grauem aliquem errorem, vel hæreſim lapſus ſit; aut eum cum Petro & Marcellino pœnitentia non diluerit, ac deterſerit; aut certè habuerit reliquæ Eccleſiæ Romanæ, concilijque ſui Eccleſiaſtici conſenſum; ſed ſibi ſoli illum errorem retinuerit, non edicto, legeque publica ita credendum ſancierit. Quanquam Petrus & Marcellinus non tam in fide errarunt, quam in moribus peccarunt: in eo ſcilicet, quòd fidem de qua minime dubitabant, & quam ſine errore cognouerunt, per timorem humanum negabant. Certè Petrus non fidem Chriſti, ſed Chriſtum, ſalua fide negauit. Quod ſi obtinemus, vt neceſſe eſt; cur tantam diuini beneficij magnitudinem, non grati exoſculamur potius, quàm quod facimus, quotidianis, falſiſque doctrinæ corruptæ conuicijs matrem, ac radicem noſtræ religionis miſerè lapidamus? Liberij verò cauſam non ſatis attentè, aut acutè iſti diſcernunt. Magno ille certè, atque exaggerato virtutibus animo Conſtantij furoribus ſe obiecit. Quare exarſit aduerſus eum Conſtantius, & in exſilium aſportari iuſſit poſt biennium; deinde reuocatus eſt, non quia ad Arianos defecit, vt iſti aiunt, ſed ad preces matronarum Romanarum, & quia res ob eius deſiderium Romæ ad ſeditionem, & motum tendebant.

De all. Rom. Po. in Io. 23. Apologeticorum in Ioann. 23. calumnia.

Matth. 16.

Liberius Papa ab hæreſeos nota, quam Apologetici ei iniuſtam exprobrat, aſſeritur.

Crit. At Hieronymus eum exſilij tædio fractum in hæreticam prauitatem ſubſcripſiſſe ſcribit.

Locus ex D. Hieronym. contra Liberium.

Iren. Potuit iſta Hieronymus longè gentium poſitus auditione ac rumoribus incertis accepiſſe. Et forſan ſi Hieronymus hodie viueret, eo ſe modo excuſaret, quo ſe in eodem libro excuſauit, quòd multorum ſcriptorum non meminerit. *Et quod alij*, inquit, *forſan, notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum.* Poterant & Ariani ſuo more iſta lucubrationibus eius aſperſiſſe. Nec eſt, quòd vnus reliquorum numero preponderet; cùm præſertim Ruffinus eius equalis non audeat pronuntiare, eum Arianiſmo ſubſcripſiſſe. Sed quid coniecturas ſequimur? omnem hunc ſcrupulum Athanaſius prorſus eximit, qui hanc ſubſcriptionem non ad fidei cauſam, ſed ad conſenſum, quo confirmauit exauctorationem ipſius Athanaſij in Synodo Arianorum refert. Quod ipſum vi illata, & per tormenta, non libera voluntate feciſſe, fatetur Athanaſius. A fide verò non deflexiſſe eum, Baſilij, Epiphanij, atque Ambroſij ſcripta, qui eum beatiſſimum ſæpe appellant; Optati & Auguſtini, qui inter Catholicos ſedis Romanæ eum ſucceſſores recenſent, teſtimonia; tum Macedoniani ſatis oſtendunt: quos Catholicæ ac Nicænæ poſtea fidei copulauit ac coniunxit, quam ipſe conſtanter ad mortem retinuit: vt, etiamſi violento illorum temporum æſtu ablatus, reclamante conſcientia, calamo magis quàm animo hæreticorum ſententiæ ſuffragatus ſit (quod morum potius eſt vitium, quàm error fidei) pœnitentia tamen poſtea cum Petro acta, feliciter obierit. Libenter enim hanc Romanæ ſedis prorogatiuam non, vt Apologetici tui, irridemus (*ſi Eccleſia*, inquiunt, *Romana errare non poteſt, felicitatem eius maiorem eſſe opportet, quàm iſtorum prudentiam*) ſed grati ac beneuoli amplectimur. Felicitatem quidem iſtam fatemur, & agnoſcimus; non illam, quam Epicurei, neſcio quibus aſtris ac fato alligatam; ſed neque humana vlla prudentia partam; verùm à Chriſti ipſius oraculo pendentem; *Super hanc*, inquit, *Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hanc felicitatem cum gratijs, quantas mens noſtra capere poteſt maximas, amplectimur; qua factum eſt, vt, cùm Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, Conſtantinopolitanæ, ac aliæ Apoſtolicæ ſedes varijs hæreſibus, quaſi vaſtis tempeſtatibus ſæpius ſint iactatæ; illæque omnes hodie ſub Turcis, & alijs id genus hominibus à Chriſto alienis ignobilem ſeruitutem ſeruiant: ſola Roma ſumma Dei benignitate, nunquam hactenus vel vnum apicem contra rectam, & Catholicam fidem promulgarit; neque illos Turcicæ ſeruitutis aculeos ſenſerit.

Lib. 1. c. 27. Eccl. hiſtor.

Ruffinus.

Athanaſius.

Baſilius. Epiphanius Ambroſius. Optatus. Auguſtinus.

Macedon. *Athan. ad ſolit. vit. agentes & Apol. 2. Baſil. Ep. 74. Amb. lib. 3. de virgin. Epiph. lib. 3. to. 1. har. 75. Optat contra Donat. lib. 2. Aug. ep. 165. ad Generoſ. Socr. l. 4. c. 11 & 12.*

Apol. Angl. Rom. Sedis prærogatiua & felicitas eſt ſingularis, nulla vnquam fuiſſe hæreſeos labe infectam.

Quod enim ante mille ducentos annos ſcripſit Theodoretus; hoc & nos hodie verè pronunciare poſſumus: *Tenet*, inquit, *iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cum propter alia; tum quia ſemper hæretici fætoris exors permanſit; neque vllus vnquam qui contraria ſentiret, in ea ſedit; quin potiùs Apoſtolicam gratiam inuiolatam cuſtodiuit.* Hanc felicitatem qui vel non agnoſcunt, vel vt, iſti tui, irrident, omnium hominum ſunt infæliciſſimi, & erga diuina Chriſtianæ Reipublicæ, ac ſalutis ſuæ commoda diuinitus oblata ingratiſſimi.

Theodoreti teſtimonio Rom. Sedes ſemper fuit hæretici fętoris expers

Ad Renatum Presb. ex Col leg. Cardin.

Crit. Videris mihi ex ſuperiore iſta tua oratione, præter alia ſentire, Nicænos patres honorificentius de Romana, quam alijs ſedibus ſenſiſſe, & eorum canones, huius ipſorum iudicij teſtes, fraude atque inſidijs Arianorum abolitos atque è medio ſublatos eſſe.

Iren. Ita ſanè mihi videtur. Neque tamen neceſſe patribus fuit, nouum aliquod de eius ſedis authoritate decretum promulgare, quæ toti Orbi erat teſtatiſſima. Quare & hanc, de qua agimus, appellationum prærogatiuam,

gene-

generali illa cautione; de ſuo ſingulis Patriarchis iure conſeruando cum reliquis priuilegijs, ſignificaſſe videntur. Nam & ante hanc Synodum, cum Paulus Antiochenus à Synodo Epiſcoporum damnatus eſſet, atque exauthoratus: neque tamen ſententiæ parere vellet, ſed Epiſcopatum retineret, re ad Imperatorem Aurelianum relata, is licet à noſtra religione abhorrens mandauit, vt cui Romanus cum Italis eum Epiſcopatum mandaret, is denium pro legitimo Epiſcopo haberetur. Atque ita Paulus exactus eſt; vt nihil hic de Victore Romano Pontifice dicam, qui, ni Irenæus, & alij interceſſiſſent, Aſianas Eccleſias anathemate deuouiſſet: adeo ne Ethnici quidem, hanc Romanæ Sedis prærogatiuam, quam belli iſti Theologi neſcire ſe fingune, ignorabant. Quam nec Marcellinus poſtea licet paganus reticuit: qui fatetur, Athanaſio ab Arianorum frequenti Synodo Epiſcopatu moto, non tamen Conſtantium Imperatorem acquieuiſſe; ſed enixe cum Liberio Romano egiſſe, vt is pro authoritate, qua æternæ vrbis Epiſcopi potiores erant, Synodi iudicium ratum haberet: adeo ſe nihil Conſtantius profeciſſe tot epiſcoporum calculis putabat, ſolo Liberio renitente. Quare non ferens voluntati eum ſuæ obnitentem, In exilium abduci iuſſit. Qua vna hiſtoria, vt quaſi vna fidelia duos parietes dealbem, vtrunque eorum, quæ diximus, euincitur: amandationem Liberij in exilium, à cauſa fidei non pendere, ſed ab Athanaſij exauthoratione; eamque in Epiſcopo per Synodum factam, non ſatis firmam eo prouocante; niſi Romani Pontificis authoritas adiungatur.

Aurelianus Imp. licet à Chriſtiana abhorrens agnouit Rom. Pont. prærogatiuã, quã Apologetici & alij neſcire fingunt. *Euſeb. l. 7. c. 26. apud Ruffin. Græcè lib. 7. c. 30.*

Victor. *lib. 5. c. 54.*

Marcellinus

Conſtant. Imp. *Rerum Rom. lib. 15.*

Victoris Rõ. Pontificis & Martyr. hiſtoria cont. Euangelic. explicatur.

Crit. Cetera non valde inficior, niſi quod Victoris exemplum cauſam tuam infirmat; quo noſtri pro ſe plurimum vtuntur: ve vel hinc oſtendant in remotas Eccleſias, nullam habuiſſe illis temporibus Romanum Pontificem authoritatem.

Iren. Sed iſti fallunt, & falluntur, nec ſatis accuratè cauſam iſtam cognoſcunt. Noſti enim, in quouis tribunali declinationis fori exceptionem, aliarum omnium primam & principem. Quam, ſi Irenæus, aut Aſiani Victori oppoſuiſſent (quod certè feciſſent, ſi ea ſuppeditaſſet) non prorſus à cauſa aliena tui loquerentur. Iam non de iuriſdictione, quæ nulla eſſet; ſed de ea ex æquitate moderanda agebatur: nec debere Romano Pontifice poteſtatis ſuæ amplitudine abuti contra eos, qui licet à reliqua pæne Eccleſia in Paſchatis obſeruatione recederent; morem tamen à maioribus, atque adeo Apoſtolis relictum tuerentur.

Crit. Veriſimilia ſunt, quæ dicis.

CAP. IX.

Oſtenditur ex vera Iulij apud Athanaſium Epiſtola, & alia Leonis primi, datam fuiſſe à Nicæna Synodo Epiſcopis vbicumque gentium damnatis ad Romanam ſedem appellandi facultatem.

Crit. SEd quid hic tantas moras nectimus cum Innocentius vnus ex iis, quos iſti falſi crimine inceſſunt, Arcadium Imperatorem Conſtantinopoli degentem cum vxore, propter Chryſoſtomi exilium, ſacris abſtentum denunciarit. Neque hactenus quiſquam veterum, eum auctoritatis ſuæ fines egreſſum memoriæ prodidit. Quid in re manifeſta tergiuerſamur? cùm conſtet Iulium Romanum Pontificem, ad quem propter ſedis dignitatem omnium iura pertinebant, Athanaſium, Paulum, Marcellum, alioſque quos Arianorum Synodus Epiſcopatu deturbarat, in integrum, prouocatione ab eis interpoſita, reſtituiſſe?

Greg. Alexãdrin. Archiepiſ. in vita Ioan. Chryſo.

Arcadio Imperat. ſacris interdixit Innocentius

Epiſcopi ab Ariana Synodo loco motus Iulij Rom. Pont. appellantes ab eodem reſtituuntur *Athana. Apolog. 2. Sozom. l. 3. cap. 8.*

Crit. Non poſſum contradicere. Neque iam dicam dolo malo (id enim improbe dicerem); nec tamen ſine culpa, Romanos canonem Nicænum, qualis nunquam extitit, aut quem certè probare non potuerunt, recitaſſe meritò dixerim. Simplicius, atque candidius egiſſent, ſi ab æquitate, à mente, à ſententia patrum, vſuque veteris Eccleſiæ, non conceptis verbis canonis, de quo non conſtaret, niterentur.

Iren. Quaſi verò Iulius, cum Athanaſium reponeret in ſedem, aut ignorarit; aut non perſpicuè ſcripſerit, Nicænis canonibus cautum; *Epiſcopum à ſua Synodo damnatum ad maiorem prouocare poſſe*. Et quæ eſt illa maior, ſi non ſit Romana?

Canon Nicæn. de appellationib.

Crit. At vbi hæc Iulius ſcripſit?

Iren. Certè in epiſtola ad Orientales.

Crit. Tandem quod exſpectabam, quantumuis compreſſum, erupit: venimus iam ad totius quæſtionis ſummam. Hic verò quaſi ἐν ἀκμῇ ad frigidam, & commenticiam, quales reliquæ ſunt, Decretalem epiſtolam reijcimur.

Iren. Scio veſtros illas Romanorum Põtificum epiſtolas magno ſupercilio reijcere, & aſpernari; de quibus iam tecum diſceptationem inſtituere non cogito; nec neceſſe habeo, cum iam à te ſim conſequutus, quod volo.

Crit. Quid hoc eſt?

Iren. Athanaſio priſtinum ſuum honorem, & gradum, quo motus eſt, Iulium reddidiſſe.

Athanaſius legitima Iulij authoritate reſtitutus.

Crit. Fateor.

Iren. Neque oſtendiſſe quenquam vnquã patrum, hac eum in re, iuriſdictionis ſuæ modum exceſſiſſe.

Crit. Id etiam concedo.

Iren. Sed non caruiſſet reprehenſione, ſi aliquid contra canones Nicænos aut veteris Eccleſiæ morem egiſſet. Atque hoc eius factum, iudiciumque contra Arianos, quos ex vltimo pæne oriente Romam euocauit nume-

Athan. apolog. 2.

roſa illa (de qua dixi) Sardicenſis Synodus adeò non reprehendit, quaſi Ariani ab extraneo iudice, & quem reiectione interpoſita legitimè fugere potuiſſent, accerſiti forent: vt magnam potius illis culpam aſcribat, quod iudicio non ſteterint.

Crit. Ita credo, nec id iam amplius quæro, ſed vt ex ipſa Iulij epiſtola hunc eſſe Nicænum canonem demonſtres: quod vtique tibi, & tuis fuerint palmarium.

Apolog. 2. Petr. Nannio interprete. Iulij & 306. in Synodo Rom Epiſc. ex Athan. Epiſt quæ docet Nicæno Concil fuiſſe cautum, ne Epiſ. præter ſententiam Roman. Pont. ſede ſua exigatur.

Iren. Ego certè tibi nihil niſi ex certo, atque explorato ipſius Athanaſij libro hac de re proferam: auſculta igitur. Habetur Iulij epiſtola apud Athanaſium, pro Athanaſio ad Arianos; quæ inter alia hæc complectitur: *Quid,* inquit, *actum eſt dignum offenſa? aut qua in re vobis, quibus ſcripſi, cauſam ſucceſionis præbui? An quia adhortati vos ſumus, vt ad Synodum occurreretis? Atqui illud potius cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene ſentiunt, de ijs quæ egerunt, & in quibus ipſi, vt aiant, iudices fuere, non indignanter ferre ſolent, ſi quod ab ipſis iudicatum eſt, ab alijs excutiatur; quippe qui ſecuri ſint, ea quæ ipſi iuſtè iudicarant, iniuſta numquam fieri poſſe. Quo circa Epiſcopi in magna Synodo Nicæa congregati non ſine Dei Concilio permiſerunt, prioris Synodi acta in alia Synodo examinari; vt & illi qui iudices erant, præ oculis haberent; & illi qui ſententiam acceperant, certo agnoſcerent, ſe non per ſimultatem priorum iudicum, ſed iure, & merito condemnatos eſſe. Quod ſi iſtiuſmodi conſuetudo olim fuit, eiuſque memoria renouata eſt, & ſcripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non ſinitis; rem profecto indecoram facitis. Morem enim, qui ſemel in Eccleſia obtinuit, & à Synodo confirmatus eſt, iniquum eſt à paucis abrogari.* Adijcit deinde poſtea, & alia quædam: *Si Athaſius. Marcellus, & alij, vt dicitis, omnino in culpa fuerunt; oportuit ſecundum canonem, & non iſto modo iudicium fieri; oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iuſtum eſſet, decerneretur. Epiſcopi enim erant, & non vulgaris Eccleſia, qui iſta patiebantur; ſed quam ipſi Apoſtoli ſuamet opera ad fidem inſtruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina ciuitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, vt primum nobis ſcribatur; vt hinc, quod iuſtum eſt, definiri poſſet? Quapropter ſi iſtic huiuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat; id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt, poſtquam iam egerint, quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis, cui non interfuimus, eſſe volunt. Non ita ſe habent Pauli ordinationes, non ita patres docuerunt, ſed faſtus iſte, & nouum ſtudium eſt: obſecro vos, cum alacritate audite: pro publico bono iſta ſcribo. Quæ enim accepimus à Beato Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, non ſcripturus alioqui, quæ nota apud vos eſſe arbitror, niſi facta ipſa nos conturbaſſent.*

Hactenus Iulius. Nec tamen hæc Epiſtola à Iulio ſolo, ſed à Sinodo Romana, cui interfuerant ex varijs orbis nationibus Epiſcopi trecenti ſex, miſſa eſt. In qua illud primum animaduertendum in Synodo Nicæna conſtitutum, *vt à Synodo damnatus, maiorem Synodum poſſit appellare.* Atque vbi queſo inter illa tua exemplaria, tam certę atque exploratæ fidei, quæ Carthaginenſes tantopere vrgebant, iſte canon? Iam vbi ille alter, de quo

Cano. duo Nicæni de Romanæ ſedis ſuper alias autho-

Iulius loquitur, & qui totam noſtram quæſtionem abſoluit, ne præter ſententiam Romani Pontificis Epiſcopus ſede exigatur? quem in primis conſulendum ſtatuit canon? Hunc denique apparet vetuſtiſſimum, & à primæ Eccleſiæ origine, atque adeo Petro, & Paulo morem deductum: vt merito poſtea doctiſſimus, & ſanctiſſimus ille Romanus Epiſcopus Leo primus ad Theodoſium Imperatorem ſcribens, Flauianum Conſtantinopolitanum, qui ab hæreticis, & Pſeudoſynodo Epheſina oppreſſus Romam prouocauerat, ita appellantem audiendum ex Nicænis decretis aſſeruerit.

titate: qui inter eos, quos Euangelici ſolos amplectuntur, non extant.

Leonis primi teſtimonio canon Nicænus de appellationibus comprobatur. *Epiſt. 25.*

CAP. X.

Calumniæ Magdeburgen. contra Leonem & Gelaſium Romanos Pontifices deteguntur, & ſi quid in ſexta Carthaginenſi Synodo cōtra appellationes tranſmarinas ſtatutum fuerat; id non ad Epiſcoporum, ſed inferioris Cleris appellationes, primum oſtenditur pertinere: deinde quicquid hoc ipſum fuerit, id totum poſtea à Cartaginen. Clero imperante tum Iuſtiniano fuiſſe reuocatum.

Crit. PRæclara quidem ſunt hæc, & euidentia, ſi modo ſint vera, antiquitatis teſtimonia, quæ Magdeburgenſes noſtros, vel non vidiſſe, vel ſilentio præterijſſe miror. Sed hic male facio, qui ſic interrumpo curſum orationis tuæ. Adde pro in quæ dicturus eras: nunc arrigo tibi aures.

Iren. Nulla eſt igitur Leonis, Gelaſij, & aliorum Romanorum Pontificum diabolica, vt Magdeburg. tui garriunt impudentia, qui partim à ſuperiorum temporum ſcriptis, partim à deceſſoribus ſuis per manus tradita; &, quod potiſſimum eſt, à tota ante ſe Catholica Eccleſia credita, ſimili quoque fide poſteris ſuis conſignarunt: ſed tuorum potius Magdeburgen. qui ſcribunt poſt ſextam iſtam Synodum, nec Leonem, nec alium quemquam Romanorum Pontificum auſum fuiſſe Nicænos amplius canones pro ſe allegare; cum præter alios, mox ab ipſa Synodo, Leo vir omnium ſæculorum iudicio ſanctiſſimus, & doctiſſimus id fecerit. Qui tum aliorum, tum Innocentij, contra quem iſti adeo rixantur, decreta, quod ipſi Magdeburgenſes fatentur, confirmat: & Epiſcoporum quamuis longiſſime diſiunctorum, ad Romanam ſedem prouocationem ex Nicænis canonibus (quam iſti in Innocentio ſententiam execrantur) legitimam eſſe, vt diximus, oſtendit. De quibus mirum eſt, iſtos tantas lites ciere; quaſi illis ſublatis, aut infirmatis tolleretur, & debilitaretur omnis Romani Pontificis authoritas, cum aliunde ſatis conſtet, antiquæ Eccleſiæ etiam ante Nicænam Synodum regulam, & canonem fuiſſe, vt de deijciendis Epiſcopis, aliæque grauiores cauſæ, præſertim

Magdeburgenſium impudentes in Leonem Gelaſium, & alios Romā. Pontifices calumniæ.

Leo.

Cent. 5. c. 10. pag. 1259.

recens

receŋs exortæ contra fidem diſceptationes ad illius potiſſimum ſedis cognitionem referrentur. Atque, hoc eſt, quod nos Catholici à veſtris euangelicis potiſſimum poſtulamus, ne contra illius ſedis authoritatem religionem veterem inuertant, nèue poteſtatem diuinitus illi attributam intercipiant. Quam ingenue fatemur à Chriſto, illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Petro promiſſam, eamque promiſſionem verè repræſentatam, & ad rem collatam, cùm diceret: *Paſce oues meas*: Vt ridicula ſit Magdeburgen. tuorum Rethorica. quaſi Romani Pontifices in contrarias ſententias ſcindantur, quod alij in aſſerenda ſedis illius authoritate iure diuino, alij conſuetudine, alij Nicænis, & aliorum patrum canonibus, nitantur, cùm conſtet Eccleſiæ conſuetudinem, eiuſdem eſſe cum lege ſcripta authoritatis; &, ſi quid in ea perplexi, & impediti occurrat, optimam illius interpretem. Neque vel cogitari poſſe, quicquam firmius illis patrum decretis, quæ, cùm ſcripturis ſint conſentanea, vſu quoque, & moribus totius Eccleſiæ vim ſuam obtineant. Quam conſuetudinem in hac noſtra quæſtione de Romani Pontificis prærogatiua, videtur Iulius canonem Eccleſiaſticum appellare, ab ipſis Apoſtolis non tam ſcriptum, quam per manus traditum, & à Nicæna, atque alijs poſtea Synodis confirmatum.

Catholici quid potiſſimum ab Euangelicis poſtulent.

Chriſtus quibus verbis Petro primatum promiſerit, & promiſſum dederit.

Ridicula Magdeburgens. Rethorica.

Cent. 4. c 7. pag. 580.

Conſuetudo Eccleſiæ eſt eiuſdem cũ lege ſcripta authoritatis, & optima illius interpres.

Fundamentum verò totius huius authoritatis, cũ alij patres, tum Leo in Chriſti verbis collocat; vt quicquid ſit amplitudinis, quod in ea ſede Nicæni patres agnouerint, quaſi à Chriſto profectum, & à prima eccleſia continuato fluxu ad ſe diriuatum, religioſe, & ipſi quoque conſeruarint. Quare, & hæc habentur apud Leonem: *Cum de ordinationibus*, inquit, *Sacerdotum quædam apud vos illicitè vſurpata crebior ad nos commeantium ſermo perferret; ratio pietatis exegit, vt pro ſollicitudine, quam vniuerſa Eccleſia ex diuina inſtitutione dependimus, rerum fidem ſtuderemus agnoſcere, vicem cura noſtra proficiſcenti à nobis fratri, & conſacerdoti noſtro Potentio delegantes, &c.* Vides vnde ſe muniat Leo, idque apud ipſos Africanos Epiſcopos, & tam recens à graui illa, & tam atroci, quam iſti comminiſcuntur, digladiatione. Qui igitur fieri poteſt, vt hoc iſtorum non dicam verum, ſed aliquo modo credibile videatur commentum. Cernis enim, quantumuis à Synodo iſta Carthaginenſi decretum ſit, ne Romanus Pontifex Legatos vllos in Africam ad cauſas audiendas mitteret: miſſum tamen hunc à Leone Potentium. Quare vt iſta omnia: ius diuinum, conſuetudinem, Nicænos patres, & canones Catholici arbitrantur ad ſtabiliendam Romani Pontificis dignitatem concurrere: ita ſane ego arbitror, nec Carthaginenſes eam patres ad hanc, quam iſti iactant, rationem vnquam imminuiſſe. Quamquam renouatum forte ab eis eſt Concilij Mileuitani, non ita diù ante habiti, decretum, quo cautum erat; ne Presbytero, Diacono, aut alijs, qui inferioris gradus clerici eſſent prouocatio extra Africam daretur.

Epiſt. 87. ad Epiſc. Africanos per Maritaniam Cæſarienſ. conſtitutos.

Canon. 22.

Quam tamen vt Epiſcopo non præcluſerunt (quemadmodum Carthaginenſes patres viſi ſunt præcluſiſſe) ita nec omnem prorſus prouocationem ſubmouiſſe ſextam iſtam Synodum apparet, quod facultatem œcumenicam Synodum appellandi de iniuria querentibus non intercipiat. Quæ cum ægre, & multis ſæpe ſæculis vix coeat; atque adeo tarda ab ea remedia petantur; neque eam cogi niſi ob grauiſſimas communeſque cauſas par ſit, æquiſſima ſemper habita eſt ad totius Eccleſiæ præſidem eorum appellatio, quorum cauſæ domi tam commodè componi non potuere. Quam vt à priuatis perſonis, leuioribuſque in cauſis paſſim, & ſine delectu interpoſitam forte patres iſti non probarunt: ita omnem prorſus ſuſtuliſſe non crediderim.

Canon Mileuitani Cõcil. quo clerici prohibeatur extra Afric. appellare.

Aequiſſima cur ſemper habita ſit appellatio ad Rom. Pont.

Illud autem ſatis apparet, nec potuiſſe iſtam priuatam Synodum, ad ſuperioris poteſtatis iura infringenda quicquam legitimè ſancire; nec Eccleſiæ poſtea vſu illius decretum fuiſſe comprobatum; & quicquid illud demum fuerat, quod ad præiudicium Romanæ Sedis conſtituerit, ab Eulalio Carthaginenſi Epiſcopo, & alijs Africanis, imperante Iuſtiniano, per pænitentiam reſciſſum. Qnod cum Illyricus non ignoret, clamat tamen Romanum Pontificem partim excommunicationibus, & minis, partim blandicijs eum huc perpuliſſe: ſed non alia authoritate, quam quia *αὐτὸς ἔφα*. Eodem modo clamat Iacobus Beurlinus Eulalium Romani Pontificis impietate, & tyrannide, vt palinodiam caneret, fuiſſe coactum: ſed non alio hoc probat, neque probare poteſt, quam ſe ipſo teſte. Neque tamen interim vllos in Africa Catholicos Epiſcopos hanc Romanæ Sedis amplitudinem agnoſcere noluiſſe, ab vllis probatis ſcriptoribus proditum eſt. Id ſatis conſtat. paulò poſt Auguſtini mortem, totà fere Africa per Alanos, Gothos, & Vandalos, qui fœdiſſima Arianorum hæreſi contaminati erant, oppreſſa, exactiſque Catholicis, ſolos Arianos Epiſcopos regnaſſe: quos ſolos iam in Africa patronos Illyricus habet.

Sextæ Cartha. Syn. quoad interdictionem tranſmarinorum appellationum reuocatio.

Tom. 2 concil. In catalogo. teſtium veritatis, pag. 55. Illyricus.

Iacobus Beurlinus. Contra aſſertion. Petri Soti.

Nulli in Africa Catholici Epiſcopi Romanæ ſedis prærogatiuam vnquam agnoſcere recuſarunt.

Vict. lib 2. de perſecutione Vandalorum.

Catholici enim Epiſcopi in grauiſſima adeo illa ſua iactatione atque tempeſtate, cum alijs in rebus, tum vel in eo ſuum erga Sedem illam obſequium, atque obſeruantiam ſatis teſtati ſunt; quod laceſſiti ab Arianis ad publicas de fide diſceptationes, illas non, niſi interueniente Romanæ vt primæ Sedis authoritate, & Romani Pontificis Legatis præſentibus, obeundas aſſeruerint.

CAP. XI.

Inſignis Muſculi, & Magdeburgenſium, vel imperitia, vel impudentia, qui pro eo, quod Socrates, & alij habent; non poſſe ſine Romani Pontificis conſenſu Synodum haberi; ſubſtituerunt, non poſſe: canonicè dedicari Eccleſias.

Crit. VEterem fuiſſe, & forſan Nicænum, aut ab eis prohatum hunc de Romani Pontificis Poteſtate canonem, iam haud ægre admiſerim. Atqui vt in re tam graui, & tanti momenti; vtpote, cum de Epi-

ſcopo

Digitized by Google

De Eccleſiarum dedicatione.

ſcopo de Sede ſua exturbando, deque fide cõmuni per hæreticos iactata atque agitata, firme conſtituenda agebatur, veteres ad Romanæ Sedis tanquam eminentem, & ſingularem quandam auctoritatem confugiſſe, mihi iam ſatis probabile videtur: ita immoderatam illam eorum ambitionem, qua Epiſcopos etiam longiſſime ſemotos Eccleſiam, niſi ipſorum authoritate interpoſita, dedicare non ſunt paſſi, nunquam equidem probarim. Nec tu forſan quicquam habes, quo eos purges: niſi fortè adulterinum illum canonem, qui quaſi falſo quodam ſplendore obiecto Socratis oculos perſtrinxit: quamuis cautior in ea re credenda fuerit Sozomenus.

Iren. Non Socratis, ſed tui, Magdeburgenſium, & Muſculi tui oculi vano iſto ſplendore perſtricti ſunt. Quamquam tu facilem apud me, & Deum, vt ſpero, ſi matutè reſipiſcas, veniam inueneris; qui non tam malitia quàm præcipiti quadam credulitate, qua ſtatim omnia præceptorum tuorum dictata auidè arripis, huc prolapſus videris. At Magdeburgenſes, & Muſculus non errore, ſed deplorata malitia ad iſta mendacia, & conuicia proruunt; nec tam inani, & falſa quadam lucis imagine oculorum acies illis perſtringitur, quam in clariſſima luce hebes ſimulatur; vtpote qui, clauſis ſponte oculis, eam non ſolum videre ipſi nolunt, ſed & alijs eripere ſtudioſè conantur. Nam nec Sozomenus, nec Socrates illis, quos citaſti, locis vllum de Eccleſiarum dedicatione canonem commemorat. Iſte canon non Romæ apud Iulium Pontificem, ſed in officina præclara Muſculi cluſus eſt.

Magdeburgenſium, & Muſculi deplorata malitia.

Muſculus in peruerſa ſua Socratis, & Sozomeni tranſlatione architectus eſt Canonicis ſuppoſititij de conſecratione Eccleſiarum

Crit. Iſta mihi planè admirabilia ſunt, & penè incredibilia.

Iren. Expecta parùm: præſtantiſſima fabulæ pars adhuc ſupereſt; ex qua intelliges quam egregij hiſtriones ſint Magdeburgenſes tui.

Crit. Neſcio, quod ſpectes.

Magdeburgenſes quam egregij ſint hiſtriones.

Iren. Audi igitur. Vt ergo affirmo, nullam eſſe ibidem huiuſmodi canonis mentionem: ita ſanè contendo, id, quod tam accuratè hodie quæſiuimus, & tandem in ipſa Iulij Epiſtola quaſi anxiè quæſitam prædam inuenimus, ibi reperiri. Vterque enim tam Socrates, quàm Sozomenus de Athanaſio, & Socijs, quos Epiſcopatu Ariani deiecerant, per Iulium in integrum reſtitutis, & Synodo Arianorum per eundem infirmata, quod contra canones ſine illius authoritate coierit, diſerte teſtatur. Atque hic, vt dixi, malitia Magdeburghenſium erumpit. Qui licet tam atrociter contra Romanos Pontifices inuehantur, quod canones Nicænos adulterarint, & ex Iulij Epiſtola nouam ſibi auctoritatem attribuerint: hic tamen (tanta eſt vis veritatis) aperte ſe produnt, & Iulium ipſum conuicijs impetunt; quod canonem ad dignitatem ſuæ Sedis amplificandam commentus ſit. Quem tamen, ne eo prolato ſtatim cauſa caderent, proferre nolunt; ſed ſuppreſſa veritate, neſcio quid, ex Socrate de templis conſecrandis impudentiſſime effutiunt.

Socrates. Sozomenus.

Magdeburgenſes produnt animi ſui prauitatem.

Lib. 2. c. 8. & 17. Lib. 3. c. 8. 10. 11 Tripart. hiſtor. l. 4. c. 9. 15 19.

Nam non ſolum Græca, quæ hodie extant, exemplaria manifeſtè Socratem, & Sozomenum non de illo dedicationum, ſed de illo alio canone agere; Ne ſine Romani Pontificis conſenſu firma ſint Concilia: verum, & vetus illa mille plus minus ad hinc annos Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tranſlatio. Quod enim Socrates Græce ſcripſit; ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας: hoc Epifanius Scholaſticus ſic Latine reddidit; *Cum vtique Eccleſiaſtica regula iubeat, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Sed Muſculus, & poſt eum Magdeburgenſes tui vltima illa verba, κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, in hunc modum peruerterunt potius, quam tranſtulerunt; *canonice dedicari Eccleſias.* Cuius interpretationis aliam, opinor, cauſam afferre nequeunt, quam malam ipſorum mentem, malum animum. Neque enim aliquo exemplo, & probati auctoris, ſiue interpretis teſtimonio demonſtrari, credo, poteſt; κανονίζειν idem valere, quod *canonice dedicari*. Ego certè, quamuis non indiligenter hoc ipſum quæſierim; quærendo tamen inueſtigare nondum potui.

Quod autem is ſit verus horum verborum, κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, ſenſus, quem Epi-Epiphanius expreſſit, Caſſiodorus approbauit, orbis Chriſtianus iam diu recepit, præter alia multa, id etiam argumento eſſe poteſt, quod in Chalcedonenſi Concilio in eandem ſententiam eadem dicendi formula habeatur. Ibi enim ſic legitur, κανονιζομένας συνόδους, id eſt, doctiſſimo viro Gentiano Herueto interprete, *Sinodi Canonibus conſtituta.* Quem locum, ſi quis Muſculi tui veſtigijs inſiſtens, ita interpretaretur, Synodi Canonice dedicatæ; nonnè ineptè faceret? nonne ſuam vel imperitiam, vel perfidiam inde proderet? Quid, quæſo, intereſt; vtrum dicas κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας an κανονίζειν τὰς συνόδους? An non ἐκκλησία ſignificat etiam concilium, quemadmodum, & σύνοδος? Quid, cum Iulius Romanus Pontifex ad Epiſcopos orientis ſcripſerit; *in antiquis decretum fuiſſe ſtatutis, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari*; nonne Socrates videri poteſt hanc Iulij ſententiam, cuius hoc ipſo in loco mentionem facit, eiſdem, quæ iam recitaui, verbis Græce expreſſiſſe? Nicephorus certè eandem ſententiam ſic effert; ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος μὴ δεῖν, ἄνευ γνώμης τοῦ Ῥωμαίων ἡγουμένου, τὰς ἐκκλησίας συνοδικῶς κανονίζεσθαι. Quæ Nicephori verba ſic vertit vir egregie doctus, Ioannes Langus; *Quum quidem Eccleſiaſtico Canone ſancitum ſit, non oportere Eccleſias citra Romani Epiſcopi ſententiam in Synodis quidquam ſtatuere.* Sed vt res hæc multorum ſuffragijs ſit teſtatior, iuuabit interpretationem verborum Socratis exquiſitiſſimam, quam ſanctiſſimæ vir memoriæ, & magnum Angliæ noſtræ decus, Ioannes Chriſtophorus Epiſcopus Ciceſtrienſis omnium fæliciſſime elaborauit, coronidis vice adijcere. Sic igitur ille; *cum Canon Eccleſiaſticus iubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſijs ſancire.* Siue ergo cum veteri interprete vertamus *concilia celebrare*; ſiue ad imitationem Herueti, *Canones conſtituere Synodis*, ſiue cum Lango *Eccleſias quidquam ſtatuere*, ſiue cum Chriſtoforo *decreta Eccleſijs ſancire*, omnia hæc eodem tendunt, in idem fere recidunt. At Muſculi tui illud, *Canonice dedicari Eccleſias*, quam eſt cum ab his omnibus diuerſum,

Canon 19

Eccleſiaſt. hiſt. l. 9. c. 5.

Nicephorus

Io. Langus.

Ioan. Chriſtophorſonus Epiſcop. Ciceſtrienſis.

Socrat. l. 2. c. 5

tum

Digitized by Google

In Epiſt. ad Eduard. Anglorum Regē.

tum à Græcorum verborum ſenſu alienum? In quo, eo maiorem meretur reprehenſionem, quod cum teſtatus ſit, *ſe non mutaſſe quidquam, ſed omnia bona fide ſic vertiſſe, vt reperit*: hic tamen tam à veteri interpretatione, quàm Græci exemplaris fide non fortuitò, ſed de induſtria fallendi animo, & Romanæ Sedis odio aberraſſe videtur.

Crit. Id ego, vt credam, in animum inducere non poſſum: ſed potius mihi perſuadeo, eum in Græco forte exemplari legiſſe, ἐγκαινίζειν τὰς ἐκκλησίας: quod quid aliud eſt, quam dedicare, & conſacrare templa? Sic enim legitur in libro tertio Regum: καὶ ἐνεκαίνισε τὸν οἶκον κυρίου ὁ βασιλεύς: quod eſt; Et dedicauit domum, ſiue, vt vulgata habet editio, templum Domini Rex.

Cap. 8.

Iren. Multum tibi debet Muſculus, quem tanto ſtudio defendere conaris: ſed conatui tuo in tam mala cauſa non poteſt reſpondere euentus. Nam licet hoc abs te ingenioſe, & acute ſit excogitatum: tamen nec Græcum exemplar hactenus vllum eiuſmodi, quod ſcio, proferri potuit: nec Muſculi interpretatio cum eo vſquequaque cohæret. Illud quippe verbum *canonice* arguit eum κανονίζειν potius, quā ἐγκαινίζειν legiſſe. Sed ſiue hoc, ſiue illud legerit, culpa vacare non poteſt, nam ſi hoc, cur de ſuo addit illud *canonice*? ſi illud; cur alienum falſo affingit ſenſum? Viderit igitur Muſculus, qui in peruerſa ſua translatione huius canonis architectus eſt, & Magdeburgenſes, quo ore Romanos Pontifices, homines innocentiſſimos, & ſanctiſsimos ob violatos illos canones inceſſant; cum ipſi in illud crimen, quod innocentiſsimis obiiciunt, manifeſte incidant. Cernis itaque doctorum tuorum proiectam impudentiam: iam perſpice craſſam ſtupiditatem. Ipſi enim in eadem alibi Centuria non de Eccleſijs dedicandis, ſed de Romanorum Pontifitum illa prærogatiua, qua Epiſcoporum cauſas ex remotiſsimis prouincijs ad ſuum tribunal reuocabant, Socratem, & Sozomenum agere, palam oſtendunt. Imo eodem omnino folio, quo fingunt Iulium canonem de dedicandis Eccleſijs pro amplianda ſua authoritate ſibi commentum; idque ex ipſis Socratis teſtimonio lib. 2. cap. 17 ipſi palam ex eiuſdem Socratis commemorato libro, & capite docent, Socratem egiſſe de canone Eccleſiaſtico; quo Iulius decreta Synodi Antiochenæ, ſe non conſulto, habitæ infirmabat. Atqui poſtquam monſtra, quæ deuincerent, ingenioſe ſibi finxerunt: tum magno impetu formidandam illam Herculis clauam per ſolitam ſuam dialecticam contorquent, vt illam Socratis, & Sozomeni narrationem confringant. *Sed Theodoretus*, inquiunt, *non facit huiuſmodi applicationem lib. 2. cap. 4. & Ruffinus hæc omnia de Iulio ſilentio præterit.* Quaſi verò tam præciſa Ruffini narratio omnia Iulij acta, quem vix nominat, complectatur: Aut quaſi Theodoretus non eo ipſo capite aperte aſſerat, Iulium Eccleſiaſticam legem ſequutum, Arianos, qui Athanaſium exauctorauerant, Romam euocaſſe: Aut quaſi ampliſsima illa, de qua dixi, Sardicenſis Synodus ex eiuſdem Theodoreti narratione non damnet eoſdem Arianos, vt calumniatores, quod Romam à Iulio accerſiti non comparuerint: Aut quaſi idem

Inſign. Magdeburgenſiū ſtupiditas. Cent 4 cap. 7 pag. 533. 535.

Cent. 4. cap. 7 pag. 531.

Ariminenſis Synodi decreta nullius fuiſſe momenti non oſtendat, quod Romani Pontificis (*cuius ſententia ante omnia exploranda fuerat*) conſenſus adhibitus non fuiſset; quod antea attigimus: Aut quaſi eiuſdem Theodoreti, de ampliſsima hac Romanorum Pontificum auctoritate, & priuilegijs frequentiora alibi non conſpiciantur teſtimonia. Extant enim duæ eius Epiſtolæ; altera ad Leonem Romanum Epiſcopum; altera ad Renatum Romanæ vrbis Presbyterum. In illa conuenire dicit, *vt primæ per omnia Romanæ Sedi deferantur*; eamque multis prærogatiuis, & priuilegijs amplificatam ait: In altera eiuſdem Sedis in omnes totius orbis Eccleſias latiſsime patentem auctoritatem; neque eam vnquam à recta fide deflexiſse fatetur.

Theod. lib. 2. cap. 22.

Theodoreti de primatu Rom. Pont teſtimonia.

Et cum ipſe Eccleſia ſua fuiſſet eiectus, Romam prouocauit; vt iam non vocis ſolum ſuffragio, ſed & factis hanc Romani Pontificis prærogatiuam confirmarit. Atque hæc quidem de Theodoreto: qui his ipſis temporibus; quibus iſti fingunt Cyrillum, & Atticum Africanis patribus è Græcia ſignificaſſe, nihil de eiuſmodi Romanorum Pontificum priuilegio in Nicænis canonibus conſpici potuiſſe; hoc ipſum priuilegium homo Græcus ex lege Eccleſiaſtica illis attribuit. Qui ſiue de Nicænis, ſiue alijs Eccleſiæ canonibus his verbis ſenſerit, ad rem ipſam nihil certè refert. Atque ideo Magdeburgenſes lectori perſuadere conantur, nihil huius rei in Theodoreto cerni. Sed vt conſpicis apertiſſimi mendacij conuincuntur.

Magdeburgen mendacium apertiſſimum.

Iam vt nihil impudētius quā veteres auctores cōmaculare, & nouos poſt 1300. fere annos canones cōminiſci, ita ſanè nihil ſtupidius, quā eos cōminiſci, à quibus adeo nihil iuuentur, vt multo facilius proſternātur. Si enim ex tam veteri Eccleſiæ canone, tanta fuerat Romani Pontificis amplitudo, vt reliqui per orbem latiſſimè diffuſi Epiſcopi, ne Eccleſiam quidem, niſi illius auctoritate intercurrente, conſecrare potuerint; quis crediderit eos Epiſcopum de ſede mouere, graues de religione controuerſias iure explicare, & definire, non dicam contra illius ſedis, ſed citra ipſius cōſenſum vnquam potuiſſe? Iam cur non ſit ille, quem Gratianus profert (quando Eccleſia ſemel dedicata iterum ſit dedicanda) Nicænus canon, nihil idoneum adferunt Magdeburgenſes, niſi quod lectori perſuaſum cupiunt; illius ſeculi patres ad nouum quendam Iudaiſmum inclinaſſe, quod καινοζηλία ſine verbo Dei huiuſmodi cæremonias inuexerint. Quod ſi verum ſit, iam non ſolum Baſilius, Ambroſius, qui hos ritus probant, & Athanaſius, qui ſuo ſæculo nullum fuiſſe Chriſtianorum ad templa non conſecrata acceſſum commemorat; verum etiam celeberrimus ille primus Imperator Conſtantinus, cum omnibus illis Macedoniæ, Myſiæ, Perſidis, Thraciæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Syriæ, Meſopotamiæ, Arabiæ, Paleſtinæ, Ægypti, Lybiæ, Thebaidis, alijſque Epiſcopis, qui frequentiſſimo conuentu templum Hieroſolymitanum ex Conſtantini voluntate, & iuſſu ſolemni ritu dedicarunt; & reliqui ab eo tempore Epiſcopi & Chriſtiani, qui hunc ritum religioſe conſeruarunt, ad veteres Iudæorum ſuperſtitiones degenerarunt. Quod quid aliud eſt, quam ſi diceres Syna-

Ex Gratiano canon Nicænus de conſecratione Eccleſiarum Ca. Eccl. ſemel, de conſecrat. diſtinctione 1.

Rit. Eccleſ. dedicandarū contra calūnias Magdeburgenſium defenditur. Cent. 4. c 6 p. 408 409. Baſil. Pſal. 114. & de 40. Mar Felicem. Athan. Apoſyr. Amb lib. 1. Epiſt 5 ad leg. ad Conſtant.

Hieroſolymitani templi celebris ex Conſtantini Magni voluntate dedicatio. Euſeb. li. 4. de vita Conſtan

go-

gogam hactenus perduraſſe, & Chtiſti Eccleſiam penitus fuiſſe obrutam. Huic verò dedicationi vt conſtat patres aliquot Nicænos interfuiſſe; ita & illum eos canonem edidiſſe credibile eſt. Quem non domi apud ſe natum Gratianus protulit, ſed à maioribus acceptum bona fide ad poſteros tranſmiſit. Multos enim alios eſſe canones Nicænos, quàm quos Africanos patres iſti ſolummodo agnouiſſe aiunt, iam ſatis demonſtraui. Neque tu tamen vnquam exiſtimaris iſtos, qui propter Nicænos hos canones corruptos, vt fingunt, à Romanis Pontificibus, omnia commiſcent, & eorum dignitatem intemperanter & contumelioſe proſcindunt; quicquam ex animo agere, aut veros canones Nicænos magni facere: cùm conſtet factionis totius ducem adfirmare, neſcio quid veneni in voce ὁμοούσιος ſubeſſe; & Philippum Melanchthonem Nicænos patres, vt imperitos, & parum cautos propter canones pænitentiales, quos dicit eſſe extra ſcripturam, & ſemina multarum ſuperſtitioſarum opinionum; atque Brentium eoſdem Nicænos patres, quaſi legitimam militiam damnarent, falſo notare, vt nihil hic dicam 14. Nicænum canonem apud totum Euangelicum gregem ſqualere: apud Zuinglianos quidem, quod veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia aſſerat: apud Lutheranos vero, quod de ſacrificio eiuſdem corporis teſtetur.

Gratianus.

Nicæni Canones quam male audiát apud Euangelicos.

Lutherus. *Luthe. contra Latomum.* Melanchthon. *lib. de Eccl.* Brentius. *Contra Petrum Sotum.*

Quare Euangelici tui, qui canones Nicænos tantopere vrgent, milites mihi imitari videntur, qui, dum clam aliquid contra aduerſarios moliri, eoſque circumuenire conantur; fumum excitare ſolent, quo illis ad tempus lucem eripiant. Sed iſte tuorum fumus cito euaneſcet, & Catholicæ veritatis lumen, velint, nolint, radios ſuos, quibus iſtæ tenebræ diſſipentur, longè lateque emittet. Habet enim & ſemper habuit contra mendacium ſuos Eccleſiaſticorum dogmatum veritas vindices. Quæ licet ad tempus conticeſcere, & ab aduerſarijs opprimi videatur; emergit tamen, & ſe tandem prodit, claramque ſuam vocem, vt etiam multa poſt ſæcula exaudiatur, emittit. Quo enim magis premitur, eo ſe tandem illuſtrius erigit in morem palmæ, quæ adeo oneri non ſuccumbit, vt in contrarium potius nitatur; & ferri, quod dum tunditur, ſplendeſcit.

Vis veritatis inuicta.

CAP. XII.

Primus œcumenicas Synodos ſine conſenſu, & auctoritate Romani Pontificis non fuiſſe habitas: nec quicquam prodeſſe Euangelicis, quod Imperatores olim Concilia coegerint; & cur id hodie commode fieri non poterit.

Crit. TVm mihi iam hactenus ex Iulij Epiſtola, & Socratis atque Sozomeni narratione, Romanæ ſedis illam, pro qua hodie tanta inter nos contentione decertatum eſt, prærogatiuam, veteremque Eccleſiæ de eadem, canonem dilucidè probaſti. Nec ego vnquam credidiſſem noſtros tam fœde veterum ſcripta contaminaſſe; quos quo modo excuſem, quantumuis in eos propendeam, nihil reperio. Illud tamen, quod ex Magdeburgenſibus, & Apologeticis docui, verum videtur: primis videlicet Eccleſiæ temporibus Imperatorum auctoritate œcumenica Concilia coijſſe. Quod cùm ita hodie non fiat, videtur cum Imperatorum noſtrorum quadam iniuria, & veteris illorum poteſtatis imminutione (de qua iſti queruntur) coniunctum.

Iren. Rebus ita, vt dixi, conſtitutis, id eſt, cum conſtet Romanos Pontifices œcumenicis Synodis præſediſſe; nec eas aut olim coactas, aut cogi poſſe ſine eorum auctoritate; & Epiſcopos ſolos, non ciuilem magiſtratum ſuffragij dicendæque in Synodo ſententię ius habere; non tam magni momenti res eſt, atque eam Magd. & Apologetici faciunt, vter ſuas in œcumenico Concilio olim cogendo partes interpoſuerit, Romanus Pontifex an Imperator. Quod vt per litteras Imperatorum ad aliquot ſæcula coijſſe non negamus; ita Epiſcoporum, & Romani potiſſimum Pontificis (vt par erat) conſenſum interueniſſe contendimus. Quod ita eſſe in Nicæna Synodo ipſius acta, & Damaſus in vita Syluestri, & ipſi Magd. ſatis oſtendunt. Nec ea, quæ ex Leone & Theodoreto in contrarium adferunt, his quicquam aduerſantur: fatentur enim Magdeburgenſes, Epiſcopos illos, qui Conſtantinopolim conuenerunt, Romam litteris Imperatoris Theodoſij ad habendam Synodum, quam Damaſus cogebat, accitos. Cuius Synodi caput, non Imperatorem, ſed Damaſum patres his verbis agnoſcunt: *Poſtquam*, inquiunt, *vos Romam cogentes Dei voluntate Synodum, pro fraterna charitate tanquam membra veſtra, uos quoque litteris ſumma pietate Imperatoris accerſiuiſtis, &c.* Et ſine cauſa tam acerbe in Gelaſium Sanctum atque doctum Pontificem inuehuntur.

In Nicæna Synodo Romani Pont. interueniſſe conſenſum.

Theodoret. li. 5. ca. 9. Damaſum, non Imperatorem præſidem fuiſſe Conc. Rom.

Quamuis enim non diffitemur Leonem Romanum Pontificem, Theodoſium atque Martianum pro Synodo habenda interpellaſſe; nec coijſſe illis temporibus œcumenica Concilia, niſi ex præcepto Imperatorum: non tamen dicimus, aut nullas fuiſſe Romani Pontificis hic partes aut nullam eum auctoritatem interpoſuiſſe. Scribit enim Leo ad hunc modum. *Dedimus*, inquit, *litteras ad fratres, & Coepiſcopos Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, atque Gallicos, eiſque Concilium Synodi generalis indiximus.* Quin, & alibi cum Romani Pontificis conſenſu œcumenicas Synodos conuocari adfirmat. Illa verò, quam iam recitauimus, Leonis auctoritas illud quoque Magdeburgen commentum, quo poſt ſextam Carthaginenſem Synodum omnem Rom. Pontificum in Africa auctoritatem abolitam fingunt, confringit. Sed iam hanc ipſorum calumniam, vel ex ipſa Chalcedonenſi Synodo, in qua potiſſimum defenſionem ſuam contra Gelaſium conſtituunt; & propter quam tam aſpere contra eum vociferantur, propulſabimus. Et, aliæ (vt ſolent) probationes nihil apud eos poterint, per Valentinianum Imperatorem atq; adeo Martianum, cui tantam

Gelaſius iniuſte à Magdeb. reprehenſus.

Leonem interpoſuiſſe ſuam auctoritatem in Chalcedon. Synod *Epiſt. 93. ad Turibium ca. 17.*

Magdeb. cõmentũ de abolita Rom. Pont. in Africa poſt ſextã Carthag. Synod. auctoritate. *Epiſt. 62. ad Iuuena. Hieroſolymitanũ Epiſco. & ceteros Epiſcopos in Synod. Chalcedon.*

tam

Ex litteris Valẽtiniani & Martiani Chalcedon. Synod Leone Rom Pōtif auctore coijſſe oſtẽditur.

tam per Leonem iniuriam irrogatam elamitant, Leoni & Gelaſio patrocinabimur. Extant enim vtriuſque ad Leonem litteræ, in quibus eum honorificè, vt omnium Epiſcoporum primum ſalutant, & eo potiſſimum auctore Synodum coire cupiunt. Extat, & alia ad eum Martiani Epiſtola, qua intet alia de Epiſcopis in œcumenicam Syoodum conuocandis agit: *vt quæ*, inquiens, *Chriſtianæ religioni, & fidei proſint, ſicut ſanctitas veſtra ſecundum Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.* Alibi vero Valentinianus, & Martianus Imperatores innumerabiles pænè Sacerdotes Chalcedonem conueniſſe aiunt & de fide ex auctoritate Beatiſſimi Leonis Papæ diligenter inquiſiuiſſe.

Tom. 1. Conc.

Quo uon poteris amplius huius, de qua agimus, rei confirmandæ teſtimonium deſiderare. Neq; huic Leonis auctoritati quicquam detrahit, quod pio Imperatori, qui Concilium ſtatim repræſentari cuperet, ceſſerit, quod ipſe potius ad aliud tempus prorogari mallet: Vt iam non in Gelaſio, ſed Magd. potius impudentiſſimum illud, quod illi obiectant, mẽdacium hæreat. Qui certè vnam illam illius ſententiam, qua multa illorum mendacia iugulat; quaque Romanum ſæpè Epiſcopum etiam ſine Synodo Epiſcopos à Synodo damnatos, vt Athanaſium, Chryſoſtomum, Flauianum, & alios reſtituiſſe; & Romanam ſolam ſedem non conſentieodo Epheſinæ Synodi acta euertiſſe; & auctoritate quoque ſua, vt Chaleedonenſis Syoodus haberetur, ſolam decreuiſſe adfirmat; nullo modo ferre potuerunt: ſolius enim Romanæ ſedis auctoritate ea Synodus conuenit. Sed cum litteras Martiani interueniſſe compertum ſit; illa voce, quæ multitudinem vel ſocietatem excludit, non Martiaoi, ſed aliorum Epiſcoporum auctoritas ſecluſa videtur. Quam non fuiſſe interpoſitam præſertim Apoſtolicarum, & principalium ſedium, vt Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, atque Epheſinæ, ex actis Synodi conſtat. Chalcedonenſis enim Synodus aduerſus harum potiſſimum ſedium Epiſcopos, qui in Epheſina Synodo Flauianum virum ſanctum oppreſſerant, coacta eſt. Vt itaque Romaoa ſola ſedes, quia actis Epheſinis noluit conſentite illius Synodi acta euertit; ita (ob eam quam dixi cauſam, & quia nulla œcumenica Synodus citra eius conſenſum haberi poteſt) ſua potiſſimum auctoritate Concilium Chaltedonenſe coegit.

Vna Gelaſij ſentẽtia multa Magdeb mendacia iugulat.

Vide 1. tom. Conc. Epiſtolã Gelaſij ad Epiſcop. Dardaniæ.

Calcedon. Synod. Act. 1.

Imperatores cur olim interpoſuerint ſuam in Concil. auctoritatem.

Neque Martiani certè aut aliorum Imperatorum auctoritas ita vnquam interpoſita eſt, vt aliquam ſibi ſententiæ in quæſtionibus fidei dicendæ poteſtatem attribuerent, ſed ad ſecuritatem potius Epiſcoporum, qui tam remotas prouincias obire cogerentur; & quia Senatuſconſulto, & veteri Imperij edicto, neque collegia, neque frequentes hominum conuentus, niſi Principum præeunte auctoritate, nè fortè ſub eo prætextu aliquid damni Reipublicæ daretur, inſtitui olim poterant. Solebant etiam illis temporibus Imperatores eo quoque illuſtriſſimos aliquot aulæ ſuæ homines, qui diligenter proſpicerent, ne quid per tumultum ibi fieret, amandare: & ipſi decreta Conciliorum ciuilibus pœnis aduerſus contumaces defendere. Quæ omnia commodiſſimè, & ad ſummam Epiſcoporum ſecuritatem, atque totius reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem, cùm vni Romanum Imperium pareret, illis temporibus expediebantur. Nunc vero imperio ita hodie ſciſſo, & dilacerato, omnes hæ commoditates fere interciderunt. Vnde factum eſt; vt Reipublicæ immutata ratione, & indicendi quoque Concilij per Imperatorem ratio uon ſine cauſa ſit immutata. Et cautio, quam Apologetici adhibent, vt reges vno conſenſu illud indicant, propter crebra bella, naturalemque diſſentiendi pronitatem, multaſque alias ob cauſas talis eſt; vt, ſi eo redigamur, nulla aut parua ſpes œcumenici vllius vnquam Concilij ſuperſit. Atque hoc eſt forſan, quod Apologetici in primis cupiunt; cùm ex œcumenicis Synodis certo futuram videant lætam Catholicæ Eccleſiæ victoriam, & triſtem ſectæ ſuæ Euangelicæ ruinam. Res ergo ipſa & temporum neceſſitas hanc curam ad vnum reuocat; cui omnes, & poſſint & debeant parere, & is certè hodie in his paruis Imperij reliquijs, aut Romanus Pōtifex, aut certè nullus eſt. Nam cum, præter ſingularem illam ſuam in vniuerſum orbem auctoritatem, totius Occidentis ille ſit, & ſemper fuerit Patriarcha: ratio poſtulare videtur, vt citra illius conſenſum, nulla in Europa œcumenica Synodus aut haberi, aut rata eſſe debeat. Ita aut nulla, aut quantula quæſo iam eſt Cæſaris iniuria; ſi Romanus potiſſimum Pontifex maiorum more ſe hic interponat, quam, ſi tamen aliqua aliquando iniuria fuit; iam olim tam inueterata conſuetudo, cuius ille præſcriptione tutus eſt, penitus aboleuit.

Ratio indicendi Concil. cur ſic immutata.

Apologeticorum in Anglia cautio de indictione Concil. callida, & iniuſta.

Conc. indicendi poteſtatem hodi penes Rom. Pōtif. eſſe ſine vlla Cæſaris iniuria.

Inique igitur faciunt Apologetici, qui mero illius ſedis, & Catholicæ veritatis odio, nulloque Cæſaris ſtudio (hanc enim reliquis Regibus poteſtatem, perinde ac Cæſari tribuuot (Romanum duntaxat Pontificem ab hac eadem, quam ſolus optimo ſibi iure vindicare poteſt, iuriſdictionis prærogatiua ſubmouent. Qua in re licet Regibus gratificari videri velint; caueant tamen, ne, dum hanc rationem ſequuntur, vt; quia hæc poteſtas ante mille annos Imperatoribus competebat, Rom. Pontificem ea excludendum putent; Reginæ quoque noſtræ, & aliorum Regum, qui olim Romano Imperio ſuberant, ius grauius quàm putarint conuellant. Neque enim multi credo Principes tales aduocatos habere deſiderant. Sed vt vere, quod ſentio, & quod res eſt, dicam, iſti nec Ferdinandi, nec aliorum Regum, ſed ſuam, & hæreſeos ſolius cauſam his rationibus promouendam ſuſcepere. Neque hæc differunt, quod vllam Tridentinæ Synodi, ſi eam Carolus aut Ferdioandus indixiſſet, maiorem rationem eſſent habituri; ſed vt Romanos Pontifices Cæſari, & Regibus inuidioſos faciant, atq; ita aditum ſibi quendam ad hæreſes ſuas propagandas, veteri Eccleſiæ diſciplina ſemel perturbata, faciliorem comparent. Neque dubium eſt, quin ſimili contemtu patrum horum decreta reijcerent, quantumuis à Concilio promulgando Romanus Pontifex abſtinuiſſet, illudque omne munus Cæſari permiſiſſet: quippe qui Nicænæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis Synodi canones (in quibus Synodis Imperatorum auctoritatem viguiſſe elamitant) non modo violant, ſed & violandos docent, & acerbis conuicijs

Apologetic. odium in ſedem Apoſt.

Apologetici dum per fas & nefas ſuã Rom. Pont. auctoritatẽ eripere conantur, Regum etiam iura tacite conuellunt.

Apologet. quid moliantur, dum Cæſari, & alij Regibus ius Concil indicendi deferunt.

D lace-

Digitized by Google

Martiani Imp. vox præclara de Concil. L. nemo Co. de ſumma Trinit.

lacerant. Atque vtinam apud iſtos præclara illa Martiani vox aliquid obtineree; *Iniuriam,* inquir, *facit iudicio reuerendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata, aut rectè diſpoſita, reuoluere, ac publicè diſputare contenderit.* Obſeruent itaque primum, quæ ſanſte, vel à veteribus vel à Tridenrina nuper Synodo decreta ſunt; & Illuſtriſſimæ memoriæ Caroli, atque religioſiſſimi quoque ipſius fratris Ferdinandi præclara exempla in hac Synodo colenda imitentur: & tum ſi velint de Iure Imperatoris differant; & de iniuria quoque, ſi quam probare poterint, illi facta quærantur. Quam ſi probarent (quod nunquam, credo, futurum eſt) nihil dubito tam pium Imperatorem paci potius & vtilirati Eccleſiæ, quam ſuo honori, qui nunquam, aut niſi leuiter certè hac iu re imminui poteſt conſulturum: & recordaturum cum cetera, tum & illud, Romani Pontiſicis potiſſimum beneficio, hoc quod hodie reſtat, Imperium in Germaniam olim perueniſſe. Nec dubito eum, etiamſi Concilium ex more veterum indiceret, nihil ea in re ſine Rom. Ponrificis conſenſu acturum; & tam æquis auribus Rom. Epiſcopum hodie auditurum, atque audiuir olim pius, & celeberrimus Martianus Leonem illum Sanctum Ponrificem; qui non ſolum miſit, qui Epheſinæ Synodo præſiderent, ſed ei, quos præfeciſſet, datis ad ipſum Martianum litteris ſignificauit: denique, vt ſanctus ille Pontifex de Martiano ſcribit, *non conuocaturum Concilium, niſi Beatiſſimi Petri iure atque honore ſaluo.* Sed nos iam ad Nicęnos noſtros canones, propter quos omnia iſta agitantur, reurrtamur.

Epiſt. 47. & 49. ad Mart.

De canonibus Nicænis.

Cùm itaque ex tantis & tam amplis teſtimonijs tot Nicænos canones deeſſe, & ex iiſdem canonibus Epiſcopis Romam prouocandi ex omni prouincia poteſtatem datam docuerimus; quid obſtae, quin credamus Sardicenſem Synodum illum ſuum canonem ab eis hauſiſſe? cùm præſertim, & reliquorum patrum monumenta, & Eccleſiæ ſemper vſus, id ita perpetuo obſeruatum teſtentur. Imo quid obſtat, quin verus ſit Nicænus canon non ille modo, quem iſti in epiſtola Iulij non ferunt; ſed & ille altrr, qui hactenus deſideratus eſt; quique multo ampliora Romano Pontifici defert: quem his nobis verbis vir quidam doctiſſimus nuper exhibuit. *Vt autem cunctis ditionis ſuæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit; & vt à principio Petrus Chriſti Vicarius religioni, Eccleſijs, ceteriſque ad Chriſtum rebus pertinentibus præfectus, principum Chriſtianorum, Prouinciarum, & omnium gentium Dominus & rector erat; ita ille, cuius Principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & Principatum obtinet. Huic ſanctioni ſi quis repugnauerit, & obſiſtere auſus fuerit; totius Synodi decreto anathemati ſubijcitur.* Quid igitur iam Magd. & Apologetici ex iſta ſua contra Nicęnos canones oblatratione aliud quam anathema, itaque à Nicænis patribus ſibi acquiſierint? Qui quo magis poſt 1300. fere annos eorum auctoritatem & memoriam obliterare conantur; eo illi illuſtriores quotidie redduntur cum & Arabice conſcripti nuper reperti ſint, in quibus ea continenrur, propter quæ Iulij iſti Epiſtolam commenticiam eſſe volunt. En igitur tibi tandem illum, quem tam anxie quæſiuimus, Nicænum canonem. Iam demum inrelligis, quo ſpectane illa, τὰ ἀρχαῖα κρατείτω: *Vetera*, inquiunt patres, *obtineant*, qui de his & alijs id genus Romanæ ſedis priuilegijs ſine dubio ea accipi voluere. Quæ quidem priuilegia per totum orbem, ob Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli reuerentiã, & propter illam, quam dixi, Chriſti promiſſionem, tam erant certa, tam firma, ac inuiolata, vt ab eorum firmitate, reliquis quoque Epiſcopis ſua conſeruandæ, præſertim Alexandrino, Antiocheno, atque Hieroſolymitano, Nicæni patres conſtituerint.

Franc. Turr. Dogm. charact.

Can. 44. Nicani Conc de Romani Pontif prin. cipatu.

Turrian li. 3 Dog Charact

Priuil. Apoſtolicæ ſedis quam firma olim habita fuerint.

Cæcutiunt igitur Apologetici in meridie, dum, neſcio quam, æqualitatem excogitant. Aut ergo illum ſuum canonem Sardicenſes à Nicænis, quod veriſimile eſt, mutuati ſunt, eundemque (vt fit) renouarunt; aut certè ſi verbis, non mente tamen, ac ſententia patrum Nicænorum hac in re deficimur. Sic vndique Carthaginenſes patres conſtringuntur, vt elabi nullo modo poſſint. Quod ſi nec iſta præfractis hominibus ſatisfaciant, ſaltem id ab eis, quod ratio poſtulat, impetremus; ne plus Carthaginenſi Synodo, quàm reliquo orbi tribuamus. Quam, vt ſe finibus ſuis cõtineret, & quantumuis ampla, in rebus tamen perplexis in Apoſtolicæ & Romanæ ſedis iudicio potiſſimum acquieſceree, ſi non antiqua Eccleſiæ (de qua diximus) regula, quæ ſtatuit; ne præter Romanæ ſedis auctoritatem, rata ſint Concilia; certè vel fœdus ille totius Africanæ ac frequentiſſimæ Synodi (cui Beatus Martyr Cyprianus interfuit) error admonere graui atque domeſtico documento abunde debuiſſet. Nam, & hanc Synodum, ſi iſta ad hunc modum egerit, graui errore implicatam fuiſſe nihil dubito.

Non plus tribuendum Carthagi. nen. Synodo quã reliquo orbi Chriſtiano. *Sozomenus li. 3. ca. 10.*

CAP. XIII.

Non eſſe credibile Auguſtinum cum reliquis patribus Africanis in ſexto Concilio Carthaginenſi ſic egiſſe, vt Magdeburgenſes ſcribunt. Præterea varia patrum illius ſæculi, quo habita eſt ſexta Carthaginenſis Synodus, præſertim Chryſoſtomi, Cyrilli, & Auguſtini proferuntur teſtimonia, quæ Magdeburgenſes ne attingere quidem voluerunt.

Crit. VIderis mihi huius Concilij actiones in dubium ac incertum reuocare.

Iren. Certe, vt, quod ſentio, apud te liberè profitear, Punicam licet alioqui famoſam non habeo ſuſpectam, ſed Græcam illam potius fidem atqur leuitatem. Et vereor, ne hic quoque illud, quod prius recenſui, obtineat.

Punica fides famoſa.

Et quid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

ne vè hãc de Nicęnis canonibus narrationem, tanquam bellam ſabulam Africanæ Synodo attexuerit. Quis enim vnquam crederet ducentos,

Græca fides ſuſpecta ſuper crimine falſi, ſo hiſtoria Carthag Concilij deſcribenda. Rotiones tanium non neceſſariæ, quibus oſtēditur veriſimile non eſſe Aug. & patres Africanos in Concilio Carthag Pont. Rom. authoritatem ſic imminuiſſe, vt Magdeburgenſes aſſerunt.

eos, & amplius patres (tot enim ei Concilio interfuiſſe iſti aſſerunt) & inter eos Auguſtinum, aut tam negligentes, vt illam Iulij (de qua ex Athanaſio diximus) Epiſtolam, ac Synodum totam Sardicenſem, cui tot Africani patres ſuum ſymbolum dederunt, recenti & viua adhuc eius memoria ignorarint; aut tam pueriles fuiſſe, vt cetera omni tantæ, quanta maxima poteſt eſſe in Eccleſia, authoritatis, non ob aliud reiecerint, quam quod eadem certis verbis per canones Nicænos non ſint cauta ac prouiſa? quaſi totam Eccleſiæ auctoritatem in Nicænos illos canones, velut formulam quandam concludi oporteat; qua qui cadat cauſa quoque, vt olim antiquo iure, cadere debeat. Quis iam ferat craſſiſſimæ ignorantiæ illam vocem in tot & tantis patribus, qua clamant; in nullo vnquam patrum Synodo conſtitutum, vt talem ſibi Romanus Pontifex auctoritatem aſſumeret? Vbi illa Auguſtini, & reliquorum prudentia, qui Conſtantinopolitana, & Alexandrina illa exemplaria pro puris & ſinceris, quibus nihil deeſſet, exoſculantur? Quæ mutilata ac quaſi decurtata fuiſſe res ipſa clamat, atque ipſa Africana Synodus docet ex canone illo; Ne quis niſi ieiunus ſacrificet. Cur non ſua lege ſuiſque verbis Auguſtinus conſtringeretur? Is in alia cauſa ad Iulianum ſcribens, apud quem voluit Innocentij actoritatem (ſub quo hæc quæſtio agitata eſt) eſſe grauem; *Quid potuit*, inquit, *vir ille ſanctus Africanis reſpondere Cōcilijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perſeueranter Eccleſia?* Quid faceret, quid diceret Auguſtinus, ſi hæc eius verba Iulianus ad Innocentium de eo, quod in præſenti Nicænorum canonum cauſa ei obijcitur, falſi crimine purgandum retorquere? An Innocentius illic Innocentius fuit, hic vero nocens, & improbus redditus eſt? Certe cùm doctiſſimi quique ex omni Græcia, & inter eos Beſſarion Concilio Florentino interfuiſſent, & inter alia ad ſuam ipſorum fraudem, & improba corrumpendi patres conſilia tegenda iactarent Nicænum canonem per Romanos Pontifices deprauatum: Ioannes vir doctiſſimus reſpondit, nullum eos vnquam eius criminis fide dignum teſtem proferre potuiſſe; fuiſſeque illos, quos ab Oriente acceperant, canones mancos, multilatos, atque corruptos, idque ipſos Africanos ſatis cognouiſſe.

In Epi. Synodi Africanæ ad Coleſtinū.
Conſtantinop. & Alexandrina Nicænorum canonum exēplaria fuiſſe mutila.
Can. 14. & Cartha. Concil. 3. Can. 48 vel apud Balſamonem Canon 51.
Auguſtini de Innocentio teſtimonium.
Lib. 1. contra Iulianum. ca. 2. in editione Lugdunenſi anno Dom. 1562.
Concilium Florentinū.
Beſſarion.
Seſſ. 20.
Nullus fide dignus ſcriptor vnquā tradidit Nicænos canones à Rom. Pont. fuiſſe corruptos.

Crit. Si mihi iam probares Africanos his temporibus patres, tam ſplendide de Romani Pontificis auctoritate ſenſiſſe, atque eos quos hactenus recitaſti, maxime Auguſtinum: nihil iam mihi ſupereſſe videretur, quin exiſtimatem hanc Synodum (vt olim ceſſit illa Cypriani) tam illuſtri totius orbis auctoritari cedere debere; aut potius iſta, quę iam magnifice à Magd. & Apologeticis de Synodo iſta venditantur, non omnino ſiniſtra aliqua fraudis alicuius opinione carere. Sed, vt credo, nullam præ alijs Epiſcopis prærogatiuam Romano Pontifici Auguſtinus defert. Nihil enim huiuſmodi ex Auguſtino proferunt Magdeburgenſes; verum ex alijs ex hoc quinto ſęculo ſcriptoribus, plurima; quos vt adulatores, ſicut diximus, reijciunt.

Cent. 5. c. 7. pag. 774. & 775.

Iren. Reijciunt quidem, vt dicis, ſed cur optimi & ſinceri ſcriptores, cur ſanctiſſimi Epiſcopi, cur denique principes viri ad gratiam Romanorum Pontificum turpiter mentirētur; nihil iſti quidem dicunr, nec dicere poſſunt: Alioqui ediſſerant cur Euagrius homo Gręcus, & tam longe remotus cum mendacio & veritatis iniuria eis adularetur? Cur Turibius Auſtricenſis, cur Tarraconenſes Epiſcopi, cur Synodus Vaſenſis, cur denique Galla Palacidia, cur Valentinianus Imperator, & alij, quorum ipſi teſtimonia contra ſe producunt, paraſitos ſe Romanorum Pontificum tam indigne facerent? Qua nobili dialectica non ſolum huius ſæculi patrum, ſed & ſuperiorum quaſi vno ad omnia reſponſo defuncti poſſent teſtimonia obruere? Sed vt hos prætermittam; an & reliqui quoque quinti ſæculi patres beneuolentiam eorum turpi aſſentatione colligere voluerunt? atque inter eos Græciæ lumen Chryſoſtomus? Qui ait, *patrem vni genti Hieremiam; Chriſtum verò vniuerſo terrarum orbi Petrum propoſuiſſe*. Quem *Paſtorem*, & *caput* Eccleſiæ, *magiſtrum totius orbis*, *os Apoſtolorum*, *atque principem*, & totius conſortij verticem appellat; & ab eodem Iacobum iuſtum Hieroſolymis Epiſcopum fuiſſe deſignatum ſcribit: vt quod alij Petro, Iacobo, & Ioanni; id Chryſoſtomus ſoli Petro vt aliorum Principi tribuat.

Li. 2. c. 16.
Epiſt. Leonis 93.
Epi ad Hilarium.
Canone 4.
Epiſtol. ad Pulcheriam. & ad Theodoſium.
Epiſtol. ad Theodoſium.
Cent. 5. c. 7. pag. 774. & 775.
Euagrius.
Patres quinti ſæculi.
In Matth. Homil. 55 & vltim. in Io:
Chryſoſtomi de Rom. Pont. principatu teſtimonia.
Euſeb. lib. 2. cap. 1. & 23.
Homil. in Io:

Crit. Sed non fuit (niſi ego valdè fallor) Chryſoſtomi ea mens, is animus, vt hanc tam amplam Petri poteſtatem ad ceteros quoque Romanos Epiſcopos delatam iudicaret. Imo nec ſoli Petro, ſed & reliquis Apoſtolis, Paulo præſertim, totum orbem eſſe commiſſum aſſerit. Ambroſius certè de Petro & Paulo diſſerens, quem cui præferat, neſcit; vt qui ſint, quemadmodum ille ſcribit, æquales.

Obijcitur.
Homil. 2. de laud. Paul. Homil. 18. ad Rom & Hom. vlt. in Ioan.
Ambroſius.
Serm. 56.

Iren. Hanc tuam orationem Chryſoſtomus non verbis modò (quæ iam audiſti) ſed & factis refutauit. Neque enim ſolius Petri, ſed ſucceſſorum etiam eius, & cum primis Innocentij (quem iſti Nicænos canones, quaſi ſacras Eccleſiæ tabulas adulteraſſe fingunt) in totum vndique orbem latè diffuſam authoritatem agnouit: cum ab eodem poſtularet, vt ille pro dignitatis ſuæ amplitudine, ſimul eum in ſedem, à qua iniuſte deiectus fuerat, reponeret; ſimul aduerſarios eius, qui hanc illi iniuriam intulerant, anathemati ſubijceret. Quod Chryſoſtomi votum non fuiſſe irritum, paulò poſt euentus comprobauit. Reſcidit enim Innocentius, quidquid aduerſus Chryſoſtomum Theophilus, totius huius turbæ choragus, egerat. Quem vnà cum Arſacio, qui in locum Chryſoſtomi ſuffectus eſt, exauthorauit: nec eos modo, ſed Arcadium quoque Imperatorem, & coniugem, quòd Chryſoſtomum in exilium ablegaſſent, anathemate deuouit. Atque hic tu inter alia animaduerte, quod eundem Theophilum Innocentius ad œcumenicam ſynodum, vt iuxta Nicænos canones actorum ſuorum rationem redderet, euocauit. Quod argumento eſſe poteſt, tum Romani Pontificis authoritatem non fuiſſe per decreta Nicena, vt iſti fingunt, in ordine redactam; tum plures extitiſſe canones Nicænos, quam quos iſti prætendunt. Neque verò diffitemur reliquis Apoſtolis, & Paulo vniuerſum orbem fuiſſe commiſſum. Quod vt ita eſſet, illorum temporum ratio, & prima naſcentis fidei incunabula omnino flagitabāt.

Refutatur.
Centur. 5. c. 7. pag. 775.
Pallad. in vita Chryſoſt. Nicephor. lib. 13. cap. 32. & 34.
Pallad. in vita Chryſoſt.
Canon Nicænus.

Digitized by Google

Sed vt hoc ſingularem Petri cum in alios, tum in ipſos, quorum erat caput, Apoſtolos authoritatem nihil imminuit: illa nec illud Ambroſij, qui Petrum, & Paulum, *æquales* quidem facit *meritis* hac enim voce vtitur) non authoritate. Aperte ſanè ibidem fatetur, vtrũque *percepiſſe claues*, ſed Paulum *Scientiæ*, Petrum verò *Potentiæ*. Hic verò diſſimulare non poſſum, Oecolampadium, vt veriſimile eſt, Romanæ ſedis odio adductum, ea, quæ ex Chryſoſtomi in Ioan. commentarijs recenſuimus, in interpretatione Theophylacti (qui vt in alijs ferè, ita & hic Chryſoſt. ſequitur) de induſtria prætermiſiſse. Nam quod cauſatur, ea ſe in ſuo exemplari non reperiſse, haud difficulter credere ita eſse, ſi ea aut in alijs non apparerent: aut ſi non conſtaret ſummo in ea ſedem odio atque innidia Oecolampadium flagraſse, & in Grecorum ſcriptis transferendis non bona ſemper fide verſatum eſse.

Sermon. 66.

Oecolampadius.

Crit. Indignum certè facinus. Verum enimuero cupide Cyrilli de Romanæ ſedis authoritate ſententiam (quoniam & ille partes ſuas egit in hac ſexta Carthaginenſi Synodo) audirem.

Cyrilli de Rom. Pont. authoritate teſtimonia.
Nicephor. lib. 14. cap. 34.

Iren. Imo iam hodie audiſti, cum tibi Epheſinam Synodum proferrem. Cyrillus enim non modò adfuit, ſed & præfuit rebus omnibus, Cæleſtini abſentis vicarium, vt dixi, munus ſuſtinens. Ex qua occaſione factum eſt, vt Alexandrinus poſtea Epiſcopus *iudex vniuerſi orbis* diceretur: qua de re aliquam antea mentionem fecimus. Sententiam verò, quam in Synodo viuæ vocis ſuffragio præſens probauit, poſtea ſcriptis quoque confirmauit, & ad poſteritatem tranſmiſit. In quibus Petrum *Principem*, & *caput* Apoſtolorum appellat. Alibi verò: *Nulli*, inquit, *alij quàm Petro Chriſtus quod ſuum eſt plenum. ſed ipſi ſoli dedit*. Et rurſus, *Pedes Chriſti humanitas eſt, ſcilicet ipſe homo, cui tota Trinitas pleniſſimam dedit poteſtatem, quē vnus trium aſſumpſit in vnitatem perſonæ, tranſuexit ad patrem, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, vt adorent eum omnes angeli Dei, quē totum dimiſit per ſacramentum & poteſtatem Petro & Eccleſiæ eius*. Ad hæc: *Petro*, inquit, *omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt*. Præterea; *debemus*, inquit, *nos vt qui membra ſimus, capiti noſtro Pontifici Romano, & Apoſtolicæ ſedi adhærere: ad nos pertinet inde quid opinandum, quid tenendum ſit quærere, quoniam ſolius Pontificis ſit arguere, corrigere, increpare, ratum facere, diſponere, ſoluere, & ligare*. Vides igitur nihil opus fuiſse Romanis Epiſcopis ad Nicænos canones, quaſi ad vnicum præſidium confugere; multoque minus eoſdem nefarie conſpurcare, & corrumpere pro ſua dignitate amplianda; cum diuino iure ſit ea ſatis confirmata. Vides ridiculam & ſtupidam plane eſse Magdeburgenſium tuorum, atque Africanorum, (ſi res ita geſta eſt, vt Magdeburgenſes tui præſeferunt) collectionem; qua Nicænos canones per Cyrillum Romanis ereptos tantopere gloriantur: qui vltro illis ampliora defert ex ſacrarum ſcripturarum authoritate, quam quidquid eſt, quod illi ex Nicænis canonibus ſibi vindicabant. Quod ſi reſpondeas, hanc hodie Cyrilli authoritatem in libris noſtris non apparere; certe vt aliorum, ita & Cyrilli libri, & vt ex aliorum quæ erant ſcriptis multa, ita & in Cyrilli quædam deſiderantur; quæ nobis partim edax vetuſtas, & varij humani caſus, partim maligna hominum ingenia eripuerunt. Cuius rei ſi non aliud, illud certe nobis fidem certiſſimam poteſt facere: quod cum hodie quatuordecim tantum Theſaurorum libri vulgo circumferantur; apud veteres tamen trigeſimus ſecundus recenſeatur. Ab hæreticis vero hos Cyrilli libros mutilatos, & quæ in eis ad Romani Pontificis authoritatem pertinebant, quemadmodum & quæ in commentarijs Theophilacti ſuper Ioannem, & quædam in Concilio Chalcedonenſi, eraſa fuiſſe docti conqueruntur.

Lib. 12. in Io: cap 64 in illa verba: Tu verò conuerſus.
Luc 22.
Cyrill in lib. Theſaurorũ.

Cyrilli libri ab Hereticis mutilati.

Synod. ſexta. Act. 10.
Tom 2. Concil pag. 338.
Melchior. Can. de locis Theolog lib. 6. cap. 5.
Greg. lib. 5. Epiſt. 4 ad Narſem comitem.

Nec ſolum Latini hanc eius authoritatem, ac inter alios doctiſſimus ille Cardinalis Ioannes de Turre Cremata, qui Baſilienſi Concilio interfuit, & ante eum Auguſtinus Anconitanus, & Thomas Aquinas principes ſuæ ætatis theologorum libris ſuis inſeruerunt; ſed etiam Græci in Florentino Concilio vltro Cæleſtinum, de quo diximus, Epheſinæ Synodo per Cyrillum præſediſſe faſſi ſunt; & cum Latinis de Romani Pontificis amplitudine conuenerunt. Et cum Andreas Coloſſenſis Epiſcopus Cyrillum in Theſauris Romanis Pontificis authoritatem plurimum extuliſſe diceret, nemo omnium ei refragatus eſt. Imo Gēnadius Scholarius patriarcha Conſtantinopolitanus, qui interfuit etiam in Synodo Florentina, in opere quod Græce pro Latinis contra Græcos ſcripſit de quinque capitibus (è quibus vnum eſt de primatu ſummi Pontificis) eadem, etiamſi forte non omnia, quæ iam adduxi, ex Cyrillo citat teſtimonia. Quæ Græcus ipſe contra Græcos nunquam fuiſſet Græce prolaturus; niſi compertum ei fuiſſet, ea in Cyrilli libris reperiri; ne cauſam bonam, quam tuendam ſuſceperat, ſuſpicioſo vel falſo teſtimonio deteriorem redderet. Sed tam ſplendidum veritatis lumen per Cyrillum, & Chryſoſtomum è Græcia hoc tempore affulgens, caligantes, & luſcioſi tui Magdeburg. videre non potuerunt: Adeo oculos in ſola Africa defixerunt; in ea tantummodo, vt olim Donatiſtæ propter Anabaptiſmum, ita iam odio Romanę Sedis Eccleſiam concluſam ementientes: Et cum reliqui omnes ſcriptores, patres, Epiſcopi, turpiter ſe hoc ſæculo ad Romani Pontificis pedes abieciſſent, perque omnia aſſentari ſibi imperaſſent; ſolum Auguſtinum cum Africana ſua Synodo nihil ad gratiam, & voluntatem eorum aſsentatoriè ſtatuiſse, aut ſcripſiſse.

In ſumma de Eccleſ. & in apparatu ſuper decreto unionis Græcorum in Cõcilio Florentino.

Trigeſimus ſecundus liber Theſaurorum Cyrilli citatus in ſexta Synodo.

Ioan. de Turre Cremata.

In lib. de poteſt. Eccleſiaſtic.

Auguſtinus Anconitanus.

Thomas Aquinas.

In opuſculo contra errores Græcorũ.

Concilium Florentinũ.

Vide ſeſſ 5. 7. & 8.

Gennadius Scholarius.

Sed ambo te? quid eſt cur Auguſtinus, aut alij hoc ſæculo Africani à maioribus ſuis, præſertim Tertulliano, & Cypriano, (vt nihil de reliquis dicam) degenerarint? An & illos quoque ad iſtam aſsentationem eruditos clamabunt? Romanæ certe ſedis dignitatem nemo ex omnibus patribus plenius, aut luculentius vno Auguſtino explicat: neque eam quiſquam magnificentius ornat, aut magis ab iſta, quam iſti illi tribuunt in Carthaginenſi Synodo, ſententia diſſidet. Quare cum Pelagium & Celeſtium aliquot in Africa Synodi damnaſsent; non tamen ab illis, ſed *ab Innocentio, & Sozimo illos toto orbe Chriſtiano damnatos* ſcribit. Quaſi Africanorum ſolius Africæ terminis; Romanæ verò ſedis poteſtas non alijs quam totius orbis Chriſtianis finibus circũſcri-

Epiſt. 157. ad Optatum.

ſcriberetur. Ac propterea Auguſtinus non Africanas Synodos, ſed Apoſtolicæ ſedis litteras, ſententiamque potiſſimum eis proponit, quos, ne in errorem inciderent, aut muuire, aut iam lapſos emendare cupiebat.

De vtili. credend. c. 17.

Auguſtini de Romanæ ſedis authoritate ſententia.

Auguſtinus eſt qui ſcribit; *Non debere nos dubitare eius Ecclesiæ gremio condere, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrātibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit. Cui nolle primas dare vel ſumma profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Et ne dubites eum de Rom. Petri Cathedra ſentire; audi quid in eandem ſententiam alio loco ſcribat:

Contra Manichæi Epiſtolam, quam Fundamenti vocant. c. 4.

Multa, inquit, *in Eccleſiæ gremio me iuſtiſſime tenent. Tenet conſenſio populorum atque gentiū: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata: Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues poſt reſurrectionem ſua Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.*

Lib. 2. contra litteras Petiliani.

In qua Petri ſede Anaſtaſium, & alios ſuo tempore Romanos Pontifices ſediſſe affirmat. *Cathedra*, inquit, *quid tibi fecit Eccleſia Romana, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?* Cui nos frementibus quamuis tuis Magdeburgenſibus, & Apologeticis tuis fidenter addimus: In qua poſt 1562. annos Pius quartus iam ſedet.

Cauſa 24. quæſt. 1. cap. Pudenda.

Audi iam alia Auguſtini teſtimonia. *Quod ſi*, inquit, *nullo modo rectè dici poteſt Eccleſia in qua ſchiſma eſt; reſtat vt quoniam Eccleſia nulla eſſe non poteſt, ea ſit, quam in ſedis Apoſtolicæ per ſucceſſiones Epiſcoporum radice conſtitutam hominum nullorum malorum malitia, etiamſi nota excludi non poſſit, ſed pro temporis ratione toleranda iudicetur, vllo modo valeat extinguere.*

Cauſa 24. quæſt 1. cap. Schiſma.

Auguſtinus eſt, qui de ſchiſmaticis ſcribit: *Aduerſus authoritatem illarum Eccleſiarum, quæ ab Apoſtolica ſede Epiſtolas accipere meruerunt, temere credendo, immaniſſimum ſchiſmatis crimen à ſe propulſare non potuerunt.*

Epiſt. 157.

Auguſtinus eſt, qui ſcribit ſe & alios Africæ Epiſcopos authoritate, atque mandato Sozimi Romani Pontificis apud Cæſaream Mauritaniæ ad Synodum conueniſſe.

Epiſt 165.

Auguſtinus eſt, qui Donatiſtas & alios hæreticos authoritate Romanorum Pontificum Petro ſuccedentium quaſi ſingulari & egregia premit. Eſt etiam & hoc Auguſtini teſtimonium;

Augu. in qu. vet. & noui teſt. q. 75.

Saluator, inquit, *cùm pro ſe & pro Petro dari iubet didracham, pro omnibus exoluiſſe videtur: quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij: ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici.*

In pſal. contra partem Donati.

De quæſt. vet. & noui teſt. q. 110

De Bapt. cōtra Donat. lib. 2. c. 1.

Contra 2. Epiſtolas Pelag. lib. 1. c. 1.

Auguſtinus eſt, qui ſcribit: *Numerate vel ab ipſa Petri ſede; & in ordine illo patrum, quis cui ſucceſſerit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Auguſtinus eſt, qui tradit *peſtilentiæ eſſe Cathedram, quæ perturbat huius ſedis ordinem, traditionemque corrumpit.* Auguſtinus eſt, qui ſcribit: *Vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed etſi diſtat, cathedrarum gratia, vna tamen eſt Martyrij gloria.* Auguſtinus eſt, qui Bonifacium *celſiore ſpeculæ paſtoralis faſtigio præſidere*, & hæc ad eum inter alia ſcribit: *Hæc ergo ad tuam potiſſimum dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda quam examinanda: & num forſan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui.*

Li. 1. contra Iulian. c. 2.

Auguſtinus eſt, qui hunc ipſum, de quo agimus, Innocentium Cypriano (de quo diximus) & Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, alijſque Epiſcopis propter ſedis dignitatem præponit.

Cùm enim Irenæum, Cyprianum, Hilarium, alioſque Epiſcopos commemoraſſet, eorumque authoritate Iulianum Pelagianum preſſiſſet; mox infert: *Cum his*, inquit, *Innocentius Romanus Pontifex conſedit, etſi poſterior tempore, prior loco.*

Auguſtini & Africanorum litteræ ad Innocentium.

Epiſtola 90. 91. 92. 93.

Auguſtinus denique eſt, qui inter reliquas Epiſtolas ſuas, & eas inſeruit litteras, quas ipſi & alij Africani patres ad hunc Innocentium miſerant, rogantes, vt, quæ ipſi in duabus Synodis contra Pelagium, & Celeſtium conſtituiſſent, Apoſtolica ſua authoritate rata haberet, & confirmaret. Quibus & ipſius Innocentij ad Africanos reſponſum addidit, in quo ita effertur Romanæ ſedis amplitudo, vt nullibi magnificentius.

Innocentij reſponſum ad Africanos.

Ibi Innocentius id palam profitetur, quod nos hodie tam ſolicitè inueſtigauimus, & quod tam præfractè Magdeburgenſes inficiantur. Affirmat enim patres non tam humana, quàm diuina decreuiſſe ſententia, vt in grauiſſimis cauſis Eccleſiæ Romanæ ſemper fides conſulatur; & in rebus de fide controuerſis nihil vel in remotiſſimis prouincijs definiatur, niſi ex eius authoritate, ad quam omnium Eccleſiarum ſolicitudo pertineret: & hanc regulam toto ſemper orbe ſeruatam fuiſſe; eamque iam ipſos Africanos in Romana ſede conſulenda ſequutos.

Cent. 5. cap. 7 pag. 774. & 775.

Crit. Quantum ex his teſtimonijs intelligo, vix quiſquam ex patribus, plus Romano defert Pontifici, quàm Auguſtinus. Quæ, miror, ſi ſint Auguſtini; cùm Magdeburgenſes, etſi multorum huius ſæculi patrum ſententias recitent, & ſimul reijciant, quaſi ab adulatoribus prolata; de his tamen, quæ à te recenſentur, quantumuis ſint ampla & numeroſa, ne voculam quidem adijciant. De illis autem, quæ ex Innocentio recitas, meminerunt; ſed ita, vt aperte mentiri eum vociferentur.

Epiſtola Innocentij ad Africanos à Magdeburgenſium calumnia vindicatur.

Iren. Pulchre ſcilicet Sed cedo num quiſquam per omnem Eccleſiæ memoriam ante iſtos admirabiles Centuriones hoc Innocentij reſponſum vitio ei verterit?

Crit. Non memini.

Iren. Minime gentium. Nam & hic quoque illud Auguſtini locum habere debet, quod de eodem Innocentio alibi tradidit, & iam à me antea audiſti. *Quod potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Eccleſijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes, & Romana cum ceteris tenet perſeueranter Eccleſia?*

Cent. 5. c. 7 pag. 788.

Satis id vident iſti quoque boni viri, atque ideo malunt vtramq; Innocentij Epiſtolam videri potius adulterinam, & ſuppoſiticiam. Sed hic contra tantam iſtorum impudentiam Auguſtinum firmū habemus teſtem, vt prius pro Epiſtola Iulij Athanaſium. Nam tantum abeſt, vt has Innocentij Epiſtolas ille alicubi perullat, vt potius

tius

tius tanquam ſuorum librorum ornamentum, & Chriſtianæ fidei contra hærericos ſingulare præſidium libris ſuis adiecerit. Nec id ſolum; verum palam ita de illis alibi conteſtatus

Epiſt. 106. ad Paulinū.

ſit: *Ad omnia*, inquit, *ille nobis reſcripſit, quomodo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem*. Quod vt Auguſtinus de his Epiſtolis iudicat, ita certe, ſi hodie viueret, de illa etiam Innocentij ad Victritium Epiſtola iudicaret; quam iſti nobiles cenſores & Centuriones flagellant, & quaſi ſpuriam reijciunt, propter ineptas (vt ſomniant) ſcripturæ accōmodationes. Sic de his, quæ Innocentius, quæ Cœleſtinus, nec vnquam cogitarunt, atrociſſimum perfidię & falſi crimen illis iſti obijciunt; ijs interim, quæ vere & pie ſcripſerunt, fidem detrahentes. Sic & Cœleſtini Epiſtolam nobis auferunt & irrident, quam tamen eum ſcripſiſſe Vincentius Litinenſis triennio poſt aut circiter profitetur. Affirmo itaque contra egregios iſtos tuos Centuriones pie cum primis ſcripſiſſe Cœleſtinum, *deſinat inceſſere nouitas vetuſtatem*. Quibus verbis non tam Pelagianos, quam Magd. tuos inceſſere videtur. Affirmo eum ſcripſiſſe, *non debere diſcipulum eſſe ſuper magiſtrum: nec debere ſibi quenquam ad iniuriam doctorum, vendicare doctrinam*: iſtamque reprehenſionem in Magd. tuos potiſſimum cadere. Qui ad ſummam patrum & totius Eccleſiæ contumeliam, cum tacere debuiſſent, aut diſcere, magiſterium ad omnia Eccleſiæ decreta reſcindenda inſolenter arrogarunt; & patres omnes, ſanctiſſimoſque martyres, quotquot ſexcentis & amplius annis in Eccleſia eminuerunt, antequam Magdeburgum Chriſtum profiteretur; omnes denique illos, à quibus religione Chriſtiana primum imbuti ſunt, ſummo ſupercilio contemnunt, & quod execrabilius eſt, inter idololatras reijciunt. Audiant & Apologetici tui à Cœleſtino illam vocem: *deſinat vetuſtam inceſſere nouitas*. Et iam non nobis, ſed ſibi ipſis, illa ſua occinant; *Cur ad antiquarum Eccleſiarum ſimilitudinem non redimus*. Neque enim Catholicorum ſed ipſorum culpa fit, quod hodie illud à tot Epiſcopis & Catholicis patribus, nullo, vt ſcribunt, refragante pronunciatum eſt; ἔθη ἀρχαῖα κρατείτω, non audiatur.

Cœleſtini Epiſt quam Vincentius Lirinenſis agnoſcit, Magdeburgenſes fictitiam habari volunt.

Cent 5. c 7. pag. 786

Vincent Lirien contra profan. nouit.

In Epiſt. ad Epiſco. Gallia.

Apologetici in Anglia ſimulant ſe vetuſtatis ſtudioſos, cum eam maxime oppugnant.

Recenſui iam tibi primarum Synodorum authoritatem, & Iulij per Athanaſium, Innocentij per Auguſtinum, quæ ſit patrum, quæ ſit Eccleſię regula in Romano Pontifice in cauſis arduis conſulendo; quanta ſit eiuſdem amplitudo in Epiſcoporum ex omni orbe prouocationibus recipiendis. Quas recipi debere, non ſolum canon ille Sardicenſis (de quo diximus) ſed & receptas fuiſſe, controuerſia illa Cæciliani notiſſima omnibus oſtendit. Quem Auguſtinus Secundi Numidiæ Primatis & ſeptuaginta Epiſcoporum: qui eum damnauerant, iudicium merito vt ſuſpectum recuſaſſe ſcribit: cum eſſet paratus aliorum collegarum tranſmarinorum, præſertim Apoſtolicæ ſedis iudicium excipere, & inſtitutæ accuſationi reſpondere. Quare vt tandem hanc de Carthaginenſi Synodo diſputationem expediam; nihilo certius Magdeburgenſes & Apologetici adulteratorum Nicænorum canonum Sozimum & alios deferunt; quam olim eundem Sozimum Celeſtius accuſauit; quaſi credi oportere præcepiſſet, ſine vllo vitio peccati originalis hominem naſci. Quem contra Cæleſtium defendit Auguſtinus, nec quidquam huiuſmodi à Sozimo profectum aſſerit: Sozimi quoque ſi hodie viueret patrocinium contra iſtos arrepturus, & Magd. tuos interrogaturus, è quibus annalibus tam atrox diuinitus è medio ſublati Sozimi propter falſi crimen iudicium depromſerint, quem ipſe ſuis ſcriptis beatiſſimum appellaſſet.

Epiſt. 162.

Similis eſt Magdeburgenſium, & Apologeticorum in Sozimum de Nicænis canonibus corruptis accuſatio, ac fuit illa olim Cæleſti in eundem de negatione peccati originalis.

Commenta Magdeburgenſium de morte Sozimi.

Quibus ſi deſtituerentur, quod certum eſt, quo demum Angelo admonente ad tam arcana, & hominibus hactenus abſtruſa Dei iudicia penetrarint. Nec eum modo, & ſe purgaturus eſſet; ſed omnia iſtorum contra Catholicam fidem mendacia, quanta poſſet doctrinæ ingenijque vi labefactaturus, & iſtos tuos Apologeticos alioſque Caluini diſcipulos non multo meliore loco, quàm Pelagianos habituros. Qui iam viderint, quo modo ſe ab illo Africanorum anathemate expedire valeāt: *Quicunque* (inquiunt) *negant paruulos per baptiſmum Chriſti à perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam; anathema*. Iſti vero infantes, etiam ſi nunquam baptizentur, ad populum Dei pertinere, & ſalutem percipere ſempiternam affirmant. Imo iam clamaret Auguſtinus cum ſocijs, Africanorum quoque canones ab Apologeticis deprauatos. Qui ex ipſorum concilio contendunt, nihil præter canonis verba; *Item placuit, vt præter Scripturas canonicas, nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum Scripturarum. Liceat autem legi paſſiones Martyrum, cùm anniuerſarij eorum dies celebrantur*. Quę tamen in iſtorum Eccleſijs non leguntur. Imo nec inter canonicas ſcripturas referunt aliquot libros, quos nobis hi patres vt canonicos commendat. Illam autem appendicem de paſſionibus martyrum, Magd. quoq; pro ſua ſolita fide prætermittunt. Quos etiam ijdem patres de falſo deferrent, propter (*vniuerſalis*) vocem, quam de ſuo (vt dixi) Africanorum canoni adijciunt. Nihil hic dico, quàm ſacroſancta ſit iſtis Euangelicis, aliorum canonum, quos patres Africani ſancierunt, authoritas; quibus chriſmatis vſum amplectuntur; quibus puellarum virginitatem Deo illibatam conſeruandam conſecrant; quibus Sacerdotibus etiam prioris matrimonij vſu interdicunt; quibus nihil aliud in Miſſa offerendum ſtatuunt, quàm ipſe dominus tradidit; hoc eſt, panem & vinum aqua mixtum. Qui, cùm omnes Africanorum, tum totius veteris Eccleſiæ canones ſummo ſacrilegio reſcindant & conuellant; noui Euangelij ſui maieſtatem ſatis defenſam putant, ſi ſanctiſſimos Pontifices, propter Nicænos canones adulteratos, à quo crimine, vel cogitatione longiſſime abfuerunt, petulanti lingua & grauiſſimis conuincijs exagitent. Quorum omnium mendacia, vel ſolus Auguſtinus (ni fallor) abunde refellit. Quare nec vnum ex tot illius teſtimonijs cauti iſti homines, in Centurias iſtas referre voluerunt.

Africanorū anathema in Caluiniſtas negātes baptiſmi neceſſitatē. Epiſt ad Innocentium.

Africanorū canones deprati ab Apologeticis. Carthag. 3. cap 47.

Magdeburgenſes Africanorum canones corrūpunt.

Cent 4 c. 9. pag 869.

Canones Africanorum patrū à Magdeburgenſibus, & alijs Euangelicis cōculcātur.

Carthag. 2. ca. 2. 3 & 6.

Carthag. 3. cap. 24.

* * * *
* * *
* *
*

CAP.

Google

CAP. XIV.

Græcos Africanorum patrum canones corrupiſſe ex Auguſtino palam oſtenditur: & ſi vera hæc ita geſta ſint in ſexta Carthaginenſi Synodo, vt Magdeburgenſes aiunt, non tamen maioris momenti eam eſſe oportere quàm illam, quæ olim ſub Cypriano Carthagine habita fuit.

Crit. HÆc vt tibi ſic eſſe concedam; quid inde colligis?

Iren. Suſpitioſe itaque mihi iſta de ſexta Carthaginenſi Synodo ſcripta videntur, non ob eas modo cauſas quas recenſui; verum, alias quaſdam. Quæ enim apud noſtros Latinos in varias Synodos ſub Syricio, Anaſtaſio, Innocentio, Sozimo, Bonifacio, & Cæleſtino diſtrahuntur; ea apud Græcos in vnam conſtringuntur, cuius & protaſis ab iſta cum Romano concertatione ducitur; & cataſtrophe in eandem deſinit. Interſeruntur canones, qui nec eundem locum, & ordinem cum noſtris Latinis, nec apud Balſamonem cum exemplari Pariſienſi Græcorum canonum tenent. Verum enimuero quanta fide, iſta nobis Græci protulerint, vinco exemplo (nolo enim iam reliquas ſuſpicionum latebras peragrare) ſatis erit oſtendiſſe. Inter alia igitur ab Africanis patribus ita edicitur: *Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, vt Epiſcopi Presbyteri, Diaconi vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet vt in omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari deſeruiunt.* Ac turſus; *Præterea cum de quorundam Clericorum quamuis erga proprias vxores incontinentia referretur; placuit; Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos ſecundum propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere.* Quæ verba iſti Græcè reddidere, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, & Balſamon interpretatur, *tempore vicis ſuæ.* Quæ certè interpretatio nec ex verbis, nec ex mente patrum, nec ex Eccleſiaſtica illius temporis conſuetudine ſumi potuit: nec ex vllis vnquam veterum probatis monumentis conſtat, aut Africanam, aut reliquam Occidentis Eccleſiam per Iudaicas iſtas vices ſacra celebraſſe, & per illa media interualla liberis procreãdis operam dediſſe. Et Balſamon ipſe fatetur, vbi non ſunt huiuſmodi vices, ſed quotidie ſacris Sacerdotes operantur, ſubmotum eſſe omnem coniugij vſum. Conſtat vero Græcos recentiores per interualla temporum rebus diuinis vacaſſe. Quod cùm non itidem in Latina Eccleſia fiat, nec Balſamone iudice noſtri excuſantur, qui rebus matrimonij ſtudent. Verum vt quod agendum eſt, agam; & apertè oſtendam confictum, & adulteratum, aut peruerſa & malitioſa interpretatione deformatum eſſe per Græcos hunc Africanorum canonem, quamuis nihil iam dixerim de reliquis quarti & quinti poſt Chriſtum ſæculi patrum teſtimonijs, quæ abunde ſuppetunt; certe ſolus Auguſtinus (quem huic Synodo iſti interfuiſſe aſſerunt) ad omnes iſtas fraudes & adulterinum iſtud decretum detegendum atq; peruellendum ſuffecerit. Diligenter itaque aduerte, quid ille ſcribat: *Si licet & bonum eſt nubere, cur Sacerdotibus non licet vxores habere, id eſt, vt ordinatis iam non licet conuenire? Quis neſciat vnumquodq; ſuam legem habere? Eſt enim quod omnino generaliter omnibus non licet: eſt item quod alijs licet, & alijs non licet: & eſt quod aliquando licet, & aliquando non licet. Fornicari omnibus ſemper non licet, negotiari aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negotiari: facto iam non licet. Et Chriſtiano cum vxore ſua conuenire aliquando non licet. Propter dies enim Proceſſionis aliquando non licet conuenire; quia etiam à licitis abſtinendum eſt, vt facilius impetrari poſſit, quod poſtulatur;* vnde Apoſtolus; *ex conſenſu* (ait) *abſtinendum ad tempus vt vacetur orationi. Nam ſecundum legem in ieiunio cadi & iurgari non licet: poſtea licet: quia maior reuerentia debetur Dei cauſis. Nunquid omne quod ante ceteros licet, ante Imperatorem licet? Quanto magis in Dei cauſis? Ac per hoc Antiſtitem eius puriorem ceteris eſſe oportet; ipſius enim perſonam habere videtur: eſt enim Vicarius eius, vt quod ceteris licet, illi non liceat; quia neceſſe habeat quotidie Chriſti vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere.* Hæc & alia in hunc ſenſum Auguſtinus, & alibi: *Cum* (inquit) *à feminis vtique carnem habentibus tantam flagitant caſtitatem, vt quando ab vxoribus diutiſſimè peregrinantur, velint eas ab adulterino concubitu incontaminatas feruorem tranſire iuuentutis; & plurimæ pudiciſſimè tranſigunt, & maximè Syræ, quarum mariti negotiandi quæſtibus occupati, iuuenes adoleſcentulas deſerunt; vt vix aliquando ſenes ad aniculas reuertantur: eo ipſo euidentius conuincunt non eſſe impoſſibile, quod ſe non poſſe cauſantur. Vnde iſtos, qui virilem excellentiam non putant niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugijs hærendo pereant in æternum; ſolemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerunque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt: dicimus ergo eis; Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini? Nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium?* E quibus Auguſtini teſtimonijs quatuor aduerſus Euangelicos tuos inſigniter tibi animaduertenda propono.

Exemplum perfidiæ Græcorum in canonibus Africanis deprauandis.
Conc. 2. Carthag. c. 2.
Conc. 5. Carthag. c. 3.
Vide can. 13. ſexta Synod. & 4. caput Synod. Carthag. & Bal. ſam. ibid.
Balſamon.
Auguſt. de cœlibatu ſacerdotũ teſtimonia.
In lib. quæſt. vet. & nou. teſt. q. 127
1. Cor. 7.
Lib. 2. ad Pollentium de adult. coniug. cap. 20.
Ex priorib. Auguſt. teſtimonijs quatuor cõtra Euangelicos notãda

Primum quidem non licere marito, licet vxorem adulteram dimiſerit, ea viua matrimonium ſine adulterij nota repetere. 1. Euertitur deinde impudentiſſimum, & turpiſſimum Lutheri dogma, quo ſtatuit non poſſe nos 2. magis muliere, quam cibo carere, atque ideo cælibatus Eccleſiaſtici legem, vt impoſſibilem reijciendam. Proximum eſt illud ipſum, de 3. quo agitur, non licere initiato ſemel in Sacerdotem, priore coniugio vti. Poſtremo iſtud 4. adeo eſſe verum, vt quamuis inuitus (quod nonnunquam olim accidit) in clerum cooptaretur, eadem perpetuæ continentiæ lege aſtringeretur. Fictum eſt igitur à Græculis tuis, & ementitum iſtud Africanorum, quaſi de Iudaico quodam Sacerdotio decretum; cum Auguſtinus continenter abſtinendum Sacerdoti; cauſaſque ſimul doceat; nempe, quod neceſſe habeat quotidie orare pro populo, offerre, aut tingere. Habes igitur Africani

cani decreti ſincerum, & incorruptum interpretem Auguſtinum, non ſolum Africanæ, ſed totius Catholicæ illo ſæculo Eccleſiæ ſingulare ornamentum. Quem potius audire debes, quam commentitium iſtum Græcorũ canonem; qui non eſt editus (vt ego certè iudico) quo tempore reliqui, quos dicimus ſextæ Synodi, canones; ſed ab impuris hominibus longe poſt adiectus. Quo quidem, illi Africanorum decreto alienum planè ſenſum (vt ex Auguſtino intelligis) turpiter appoſuerunt; vtpote cui (etiamſi Auguſtinus ſententiam ſuam non interponeret) ipſa patrum verba repugnant. Quod facilè iudicabis, ſi antecedentia canonis verba, ijs quæ diximus, ad hunc modum attexas; *Aurelius Epiſcopus dixit: Cum in præterito concilio de continentiæ, & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitatis per conſecrationes annexi ſunt: Epiſcopos, inquam Presbyteros, & Diaconos: ita placuit, vt condecet, ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare; vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur qui altari deſeruiunt.* Non igitur iſta nobis à Carthaginenſibus, aut antiquis Græcorum patribus, ſed à mollibus, & eneruatis iſtis Græculis poſt multa retro ſæcula philoſophia manaſſe videtur: à quibus forſan conficta eſt omnis illa de corruptis canonibus Nicænis tragedia. Atqui ſi vere hæc ad hũc modũ acta ſint (quod ne adhuc credam, multa concurrunt) certè nihil plus ponderis habent, quam quæ in illa Africana Synodo ad tempora Cypriani martyris agitata ſunt. De qua ita Vincentius Lirinenſis ſcribit; *Poſtremo*, inquit, *Africani Concilij ſiue decreti, quæ vires? donante Deo, nullæ: ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* Quod & de hac Cartaginenſi Synodo quatenus ad hanc controuerſiam pertinet, pronunciare licebit. Eat iam Illyricus, ſi velit, & quantum velit elaboret, vt decretales illas Romanorum Pontificum Epiſtolas adulterinas probet; quod ſingularia quædam illi ſedi priuilegia deſerant; & cogitet ſecum, cum omnia ſurſum deorſum miſcuerit, nihil profeciſſe; niſi Auguſtini Epiſtolas, & Athanaſij Apologiam abolere ſe poſſe ſperet.

Græci ſenſũ canoni ſecundo Carthag. Conc. 2. affixerunt verbis canonis repugnantem.

Conc. Carthag. 2. can. 2

Vinc. Lirin. teſtimoniũ de Africana Synod. cui interfuit Cyprianus *Aduerſ. prophan. hæreſ. nouit.*

CAP. XV.

Impudentia Magdeburgenſium, & aliorum Euangelicorum qui aut dubitant, aut negant Petrum Apoſtolum fuiſſe Romæ, detegitur.

Crit. Illyricum videris mihi traducere, qui ſi iam adforet, non dubito, quin par pari eſſet relaturus.

Iren. Illyricus tuus, cùm in libris ſuis ad aliorum perniciem deliret, iniquo animo ferre non debet, ſi deliramenta eius coarguantur. Cuius inſcitiam aut perfidiam potius, & impietatem, vt iſta, quæ oſtendimus, ſatis; ita meo quidem iudicio, nihil magis prodit, quàm quod odio Romanæ Eccleſię, & Principatus Petro detrahendi cauſa lectorem, ſi non perſuaſum, ſuſpenſum certè relinquere conatur, & hærentem animo; an Petrus vnquam Romæ fuerit. Neque multum referre exiſtimat, quid in quamlibet partem credas: cùm haud ignoret non Egeſippum modo, Irenæũ, Origenem, Dionyſium Corinthium, Euſebium, Optatum, Damaſum, Hieronymum, Ambroſium, & alios multos patres, quorum hac ipſa de re teſtimonia recitat, & à quibus aperti mendacij conuincitur: ſed omnes propemodum ſcriptores tam Græcos, quàm Latinos, qui paulò vberius cauſas Eccleſiaſticas pertractarunt, Petrum, vt Romanum Epiſcopum agnoſcere; nec quenquam ex eis id inficiari. Neque enim vnquam vel leuiſſimam falſi ſuſpicionem hæc narratio habuit ante Velenium, Balæum, Ioannem Funcium, & Magdeburgenſes, alioſque tuos Euangelicos. At his paucis annis, multorum libri & conciones nihil confidentius iactant, quàm Petrum Romam nunquam vidiſſe. Quorum neſcio ridenda magis, an lacrymis deploranda ſit inſania. Certè ſi quis eorum Iulium Cæſarem, aut alios quoſdam celebres Principes Romæ nunquam imperaſſe in tanta omnium hiſtoriarum luce ſerio ſcriberet; Helleboro eum omnes purgandum clamarent,

Nulli vnquam Eccleſiaſtici ſcriptores negarunt, ſed plęriq; omnes agnouerunt Petrum Romanũ Epiſ.

lib. 3. c. 2.

li. 3. c. 1. & 3.

Tom. 3. in Geneſ.

In Eccleſ. hiſt Euſeb. lib. 2. ca. 25.

li. 3. Eccl. hiſt c. 2. & 25.

li. 2. contra Parmen.

In Pontif.

De viris illuſt. & ad Damaſ.

In orat. contra Auxentium.

Qui primi in dubium vocarunt vel negarunt Romanum Petri Epiſcop.

In diſp. Petrum non fuiſſe Romę.

In Cent. de ſcriptor. Britan.

In Chronolog Cent 1 lib 2. ca. 10. pa. 561

D. Io. Roffẽ. Mar. ſcripſit contra Veleoum: Petrũ fuiſſe Romę

Quæ certè hiſtoriarum lux præ tot Martyrum, tot Epiſcoporum, tot Sacerdotum, tot Imperatorum, tot denique omnium ordinum hominum ampliſſimis de Romano Petri Pontificatu teſtimonijs, tenebræ quodammodo videri poterit. Sed ea tamen omnia totius Catholicæ Eccleſiæ ab Apoſtolorum ætate ad noſtra vſque tempora conſenſus longe ſuperat. Verum enimuero, quandoquidem hanc Veleni inſaniam doctiſſimus Epiſcopus, & ſanctiſſimus noſtri temporis Martyr, & ſingulare Britanniæ noſtræ ornamentum Ioannes Roffenſis peculiari libello penitus confregit: nolo hic longius immorari, ſed ad eum te potius remitto. Sed hic operæpretium erit animaduertere quoſdam eſſe ex Euangelicæ iſtius ſectæ magiſtris tuis, qui, ne videantur omnem prorſus, vt ſuperiores illi, exuiſſe pudorem, Petrum fuiſſe Romæ propter veterum ſcriptorum conſenſum apertè negare non audent: ſed eum illic Epiſcopum præſertim tam diu, quàm fertur, fuiſſe: id quidem inficiari non verentur. Inter quos Principem quendam locum, & iure quidem ſuo obtinet Caluinus tuus. Cuius futiles in te tam manifeſta ineptias hoc loco recenſere, & confutare non eſt neceſſe, præſertim cùm ipſæ partim ſponte ſua ſine cuiuſquam impulſu corruant, partim à viris excellenti doctrina præditis iam pridem ſint diſſipatæ.

Linda. li. 4. Panopl. c. 82.

Herant. li. 6. Cathol. locor. ca. 12.

Caluini inconſtantia.

Lib 4. c. 6. ſect. 8.

Illud autem ſilentio hic præterire nõ poſſum, quod Caluini tui prodit leuitatem, & inconſtantiam. Is enim in famoſa illa ſua Chriſtianæ (ſi Deo placet) religionis inſtitutione ſcripſit, ſe propter conſentiens antiquitatis hac de re teſtimonium non pugnare,

quin

Digitized by Google

quin Petrus fuerit Romæ mortuus. In quo multum illi ſcilicet debet antiquitas quod homo alioqui pugnæ auidus, opinione ſcientiæ inflatus, veritatis opprimendæ ſtudio inſanus, tandem aliquando de faſtu & furore ſuo aliquid dignatus ſit remittere, & contra omnes antiquos Eccleſiæ ſcriptores non pugnare. Sed non ſic diu conquieuit, nec potuit ſe continere & diſſimulare naturam ſuam, quin ad ingenium rediret, & antiquum obtineret. Quare poſtea alibi in hæc verba erupit: *niſi Maria, & Terras momento tranſuolauerit Petrus procul ab Italia mortuum eſſe conſtat.* Vides igitur quàm mutabilis ſit veterator iſte, & inconſtans. Vides in quàm, non dico, diuerſas, ſed contrarias formas Proteus iſte ſe vertat. Quid proinde huic fidei in ceteris ſit tribuendum, qui tam puguantia loquitur in re perſpicua, tibi etiam atque etiam cogitandum relinquo. Neque vero hoc nouum, aut rarum eſt in Euangelicis tuis. Nam manifeſta negare, abſurda aſſerere, ſibi contradicere, & quiduis potius comminiſci, quàm veritati cedere, proprium ſemper fuit hominum, nihil aliud quàm ab alijs diſſentire affectantium.

In Epiſt. D. Petri.

Minus ergo mirum eſt, quod Caluinus, Magdeburgenſes, & alij huius notæ homines, dum in id ſolum incumbunt, ne quid cum Eccleſia Catholica, & Romana ſede ac fide habeant commune; ipſi & ab alijs omnibus, & inter ſe plærunque diſſideant. Quod cùm ita ſit, dolendum ſanè eſt, eos tam occæcatos eſſe, quamuis ſibi videantur omnium hominum perſpicaciſſimi, vt, in quo maximè ad ſuam ipſorum perniciem (niſi reſipuerint) offendant, hoc ipſum vel non videant, vel, quod teterius eſt, videre nolint. Cuius rei licet multa vndique, & eheu nimis multa occurrant documenta; nullum tamen fere illuſtrius eſt, opinor, & certius, quam id de quo nunc agitur. Quod cùm tam apertum ſit, vt nemo niſi planè impudens infitiari id velit; nolo diutius in re tam aperta operam ponere non neceſſariam. Id interim te ſcire volo, Satanam in Romano Petri Pontificatu euertendo adeo ſudare; quòd videat firmiſſimam fidei Catholicæ auctoritatem ab eius ſucceſſione peti; vt iam oſtendimus ex Auguſtino. Quo genere diſſerendi cùm alij multi, tum & Irenæus Apoſtolorum temporibus propinquus contra ſui ſæculi hæreticos vſus eſt.

lib. 3. cap. 3.

CAP. XVI.

Inſignis, & inaudita hactenus per omnem Eccleſiæ memoriam Magdeburgenſium contra Cornelium Romanum Pontificem & Martyrem, calumnia; & aliud Petri Martyris in Stephanum Romanum item Pontificem commentum exploditur.

Crit. ALlam tu mihi hodie hiſtoriarum iſtarum faciem, ſpeciemque reddidiſti, quàm Centuriæ noſtræ. Magnas igitur tibi cùm de ceteris, tum de Athanaſio, & Auguſtino gratias ago. Nunc vero de Africana Synodo vix ego tam magnifice ac ſolitus ſum ſentio, multaque certè de tota hac Romani Pontificis prærogatiua, magnificentius ſentirem, niſi huc me quaſi properantem Beatus Martyr Cyprianus alio vocaret. Cuius egregia veſtigia in Romani Pontificis tyrannide debilitanda, & confringenda ſexta illa Carthaginenſis Synodus ſequuta forſan eſt. Qui adeo Romanam iſtam maieſtatem non agnoſcit, vt in Cornelium, & Stephanum; in illum quidem, quod inexpiabili quodam flagitio cœnam Dominicam corrumpere: in vtrumque verò acerbiſſimè inuehatur, quod iſtam hodie tam tritam in rapiendis ad ſe Epiſcoporum longè diſſitorum appellationibus poteſtatem, contra ius & fas vſurpare conatus ſit. Quæ nos iam fuſius explicabimus. Et Cornelij quidem tam grande crimen, tum quod longè præponderare videtur, tum quod eius rei narrationem polliciti ſumus; primo ſi placeat loco ante oculos, quaſi in tabula ſubijciemus: deinde ad impotentem iſtorum ambitionem Cypriani tum claue aperiendam, tum claua contundendam ibimus.

Summa accuſationis in Corneliũ & Stephanũ Rom. Pont.

Iren. Totus ad auditionem nefarij illius criminis, quod Cornelio intentant, pendeo. Quare illud ante omnia, tum quæcunque libuerit ex Cypriano ad infirmandam, vt tu putas, Romanæ ſedis auctoritatem accommodata liberè expedito.

Crit. Accipe igitur illam contra Cornelium Magdeburgen. criminationem, ab ipſo Cypriano petitam. A quo Beato Martire cum contra Romanos veſtros Pontifices tam firmum, & certum habeamus teſtimonium: veſtri certe illam Magdeburgenſium querelam, tanto teſte nitentem, iniuſtiſsimam eſſe infitiari nunquam poterint. De Cornelio itaque Magdeburgen. noſtri nouam plane, & hactenus mihi incognitam hiſtoriam proferunt. Quorum tibi ad maiorem fidem verba recitabo. *Poteſt* inquiunt, *ex Cypriani lib. 2. Epiſtola 3. ad Cornelium aperte colligi eum tempore Cornelij, tum ante eum Romanos, aut etiam Italicos, & alios Epiſcopos ex nouella inſtitutione in adminiſtratione cenæ Dominicæ non ſequutos eſſe inſtitutionem Chriſti, ſed plebi in calice tantum aquam porrexiſſe, & non vinum ſeu ſanguinem Domini, ea forte ſuperſtitione, qua poſtea calicis vſus laicis præreptus eſt. Nam Cyprianus ea de re monet Cornelium, ſe diuinitus admonitum eſſe in adminiſtratione Cenæ nihil aliud fieri debere, quam quod Chriſtus in prima inſtitutione feciſſet, & id prolixe multis ſcripturæ locis propugnat, & hortatur eum, vt huiuſmodi abuſum ſcribendo ad collegas abroget, & promittit ſe quoque ea de re ad collegas literas facturum. Quod ſi iſtius nouellæ inſtitutionis authores fuerint Romani Epiſcopi, vt omnino videtur, indicium eſt myſterium iniquitatis in ea Eccleſia, vt in alijs rebus, ita & in Cena Dominicæ deprauatione mature laboraſſe cœpiſſe, ſed ſub inde ab alijs pijs impeditum eſſe, donec iuſto Dei iudicio, & conceſſu pœnam luant.* Hæc illi. Quam cenæ deprauationem bis præterea in tertia Centuria Cornelio aſcribunt.

Magdeburg de Cornelio commentũ. *Cent. 3. c. 6. & 7. pag. 145 152. 165.*

Quo vitio, & Stephanus eiuſdem temporis Pontifex laboraſſe videtur, quantum ex Petro Martyre colligo. Illam enim Cypriani ſententiam: *conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt*: qua conatur Petrus probare ſcripturam, non conſuetudinem ſequendam, à

Petri Mart. de Stephano mendacium *Petrus Mar. obiect. 13. contra Vnitat.*

Cypriano contra Aquarios detortam ſcribit. Conſtar certe conatum Cyprianum illis verbis Stephanum Romanum Pontificem oppugnare. Mattir vero, vt Aquarios, id eſt ſola aqua vtentes; ita & qui vinum aqua temperant, ſimiliter damnat; cum nec præceptum, nec exemplum aliquod Chriſti in ſcripturis vllum habeant: omnemque huiuſmodi traditionem contemnit, quantumuuis (vt vos dicitis à patribus agnitam, & longiſsima conſuetudine inueteratam. De quibus illud Melanchthoni noſtro tam celebre occinit: *ſine cauſa me colunt, mandata, & doctrinas hominum docentes*. Et ne nimium vel reliquis tuis (quod ſoles (doctoribus tribuas, Ambroſius quoque in eodem, quod dicitur, cum Cornelio luto hæſit;vt in margine commemoratæ ad Cornelium Epiſtolæ annotatur. Quis igitur valde dubitarit iſtos, qui Chriſti maieſtatem adeo violarint, & ſacroſanctam eius Cenam commenticijs atque execrandis ſuis cæremonijs ita fædarint; in alienam adeoque authoritatem, atque iuriſdictionem impotenter inuolaſse, eamque ad ſe callidis, & nefarijs machinationibus deriuaſse.

Ambroſius eiuſdem cũ Cornel. crimenia inſimulatur. *obiect. 13. 352. 378. & contra Vuint. Eſaig 29.*

Vide edit. Baſil.

Iren. Et iſta quoque tam nobilibus Centurij digna ſunt. Et nouam quidem hanc eſſe hiſtoriam, quippe quæ iam primum in mendaciorum iſta Magdeburgenſium officina nata ſit, vt non nego: ita vel propter eam ſolam tam impudentes homines ab omnibus pijs plane conſpuendos exiſtimo. Quod tam inſigne mendacium vetus iſtorum, & inſaturabile contra Romanam Sedem odium illis expreſſit. Primum enim, quis vnquam in animum induceret, vt credat tam pium, tam doctum Epiſcopum, tam ſanctum Martyrem, ac fuit Cornelius, Chriſti tam auguſtum inſtitutum tam turpiter contaminare; & quaſi ſupremas eius tabulas, tam nefarie conuellere vnquam voluiſſe? Et cum Chriſtus in nuptiali conuiuio generoſum vinum pro aqua ſubſtituerit, iſtum in tanto Chriſti conuiuio aquam pro vino ſubijcere voluiſſe? Aut quomodo iſta Cypriani narratio cum immenſis illis laudibus, quibus Cornelium ille in cælum effert, conſiſtere poſſe videatur? Mirum nihil huiuſmodi de aliquo deceſſore, vel ſucceſſore Cornelij, vel de ipſo Cornelio ante egregias iſtas Centurias vſpiam alibi proditum.

Cornel. à Magd. calũnia vindicatur.

Lib. 4. Ep. 2.

Cornelium Cyprianus, laudis extollit.

In 1. decret. Epiſtola.

Magdeburg prim. omniũ auctores accuſationis contra Cornelium. *Cent. 3. c. 6. & 7. p. 114 & 131.*

Nulla enim huiuſmodi contra Cornelium accuſatio (mitto iuſta) verum ante hoc tempus nefando quidem audita eſt. Alexander certe Romanus Pontifex, & Chriſti Martyr, cum hanc alicubi corruptelam irrepſiſſe vidiſſet; ante tempora Cypriani edixit; vt in ſacrificio Sacerdotes calicem aqua temperarent. Quod tamen præclari iſti Rectores partim negant, partim hoc omne miſcendi calicem inſtitutum ab eo primum manaſſe videri volunt. Cum tamen appareat illo ſæculo eam conſuetudinem in Eccleſia vſurpatiſſimam fuiſſe: Romæ quidem, & in Italia, vt teſtatur non modo Alexander, ſed & Iuſtinus Martyr, qui Sacerdotes Chriſti exemplo calicem diluiſſe docet: In Gallia, vt indicat Irenæus: Alexandriæ, & in reliquo Oriente, vt demonſtrat Clemens Alexandrinus. Atque eundem Apoſtolorum etiam temporibus, miſcendi calicis vſum frequentiſſimum fuiſſe Romæ, & in alijs Eccleſijs ab ipſius Chriſti exemplo deriuatum, Clemens ille alter, vir Apoſtolicus ſatis oſtendit. Id quod ſuo ſæculo obſeruaſſe in miſcendo calice, & Euangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis rationem tenuiſſe, omnes fere per orbem Epiſcopos Cyprianum fatetur, licet ab ea quidam humana, & nouella inſtitutione deceſſiſſent. Quod quidem Cypriani de Roma, quam *radicem, & matricem Catholicæ Eccleſiæ* appellat, *nec aliquam ad eam vnquam perfidiam acceſſiſſe* ſcribit, & ad cuius exemplum reliquas omnes Eccleſias Irenæus *propter principaliorem poteſtatem* reuocat; aut de Cornelio tam amplo Martyre ſenſiſſe certe temere iudicare non debemus.

Alexandri decretum de calice aqua temperando. *In Apol 2. lib. 4 c. 57. lib. 2. pedag. cap. 2.*

Conſuetudo antiqua Eccleſiæ in calice aqua miſcendo. *lib 8 conſtit. Apoſt. c. 17*

lib. 2. Epi. 3.

Ambroſius à calumnia defenditur. *lib. 4. epiſt. 8. lib. 3. cap. 3.*

Et miror ſane, ſi aut Ambroſius, aut quiſquam alius in Italia Epiſcopus ſola aqua in ſacrificio vſus ſit: cum præter Alexium martyrem (de quo diximus) Iulius Romanus Pontifex ad Ambroſij tempora cauerit, ne quiſquam calice vtatur in ſacrificio niſi aqua temperato. Quod Iulij decretum, præſertim cum pro ſe habeat Chriſti, totiuſque veteris Eccleſiæ exempla, improbe faciunt Apologetici tui prætergrediendo; & aliud eius decretum ad id, de quo ille nunquam ſenſit, trahendo: & Catholicis ad inuidiam obijciendo: propterea quod Sacerdotes panem diuidant, & in Calicem immergant: cum illud Iulij edictum eo ſpectet, ne Sacerdotes panem intinctum populo diſtribuant, nè ve ipſi intingant, & poſtea ſumant. Nec iſta quidem de aqua ſola oblata ſuſpitio vel leuiſſime Ambroſium attingit. Quo modo enim ille vel à ſuperioribus, vel à ſui ſæculi patribus, vel à ſeipſo, qui calicem miſcendum apertis verbis docet, tam leuiter, & ridicule recederet? Et nos interim à ſurreptitia neſcio cuius ad marginem libri affixa calumnia ſtolide pendebimus, & tantam tanto patri, tantam tanto Martyri impietatis notam tam impudenter irrogabimus? Sed ne te in tam ieiuna, & proiecta calumnia diutius ſuſpenſum teneam, iam ſacroſancta huius fabulæ myſteria aperiam.

c. cum omne etiam dest. 2. de conſec.

Apolog. Angliæ.

Amb lib. 4 de ſac. c. 4 lib 5 cap 1. Hier c. 14 in Mar. Auguſt. cap. 75 de dogma. Eccleſ.

Myſteria fabulæ Magdeburg. de Cornel. *Iacob. Chriſ. & Baſi. in Liturg. Theod. dial. 1 Carthag. Conc. 3. can. 24.*

Non eſt itaque Cypriani illa ad Cornelium, vt nugantur nobiles iſti Centuriones, ſed ad Cæcilium ſcripta Epiſtola: quem, & alibi ſæpe inter reliquos in Africa collegas nominat. Qui & Synodo illi de baptiſatis ab hæreticis iterum perfundendis cum Cypriano interfuit. Eam in Africa alicubi corruptelam fuiſſe ex eadem Epiſtola ſatis colligi poteſt. Quam ad Cæcilium, & non Cornelium ſcriptam, omnia (in quæ hactenus incidere potui) Cypriani exemplaria; omnes cum veteres tum recentes ſcriptores teſtantur. Neque aut Eraſmus, aut quiſquam (quod ſcio) aliud vnquam obſeruauit. Et, vt, quàm impudens ſit hoc commentum, magis intelligas, ne ipſi quidem noſtri Ariſtarchi vllum veterem aut nouum, bonum aut malum ſcriptorem nominant: quem in hac calumnia præeuntem ſequatur. Sed quorſum ego ad teſtes contra eos prouoco? Cum ſuis ipſi teſtimonijs centonum, & mendaciorum iſtorum architecti miſerè concidant; ſententiamque aduerſus ſe dicant; & totam hanc fabulam quo ſpectet, id eſt, ad Vatinianum quoddam in Romanos Pontifices odium, ad putidam, & conclamatam impudentiam, palà aperiant. Nam cum ter in tertia Centuria, hoc eſt, quoties

Epiſt Cypr. ad Cæcilium Magdeb. contra omnium exemplariũ fidem inuertunt ad Cornelium.

Magdeburg ſuo ipſorum teſtimonio conuincuntur manifeſtæ fraudis & perfidiæ in ijs, quæ contra Cornel. ex Cypr. torquent. *Cent. 3. c. 6 pag. 232.*

de

de iſta Cenæ depcauatioue qnetuntur, hane Epiſtolam ad Cornelium miſſam quaſi cenæ profanatæ, auctorem calumnientur; repente quaſi ſui obliti, aut beato potius Cornelio martyre, vt olim Sytos Eliſeo, noua quadam eos cæitate perfundente, in eodem ipſi capite, ſe & malignitatem ſuam produnt; eamque epiſtolam non ad Cornelium, ſed ad Cæcilium ſcriptam indicat.

Sic veritas quantumuis compreſſa, vel inuitis mendacij auctoribus erumpit, vt, vel me tacente, ipſi à ſe miſere conficiantur. Nec dubites quin quæ de poculo per Romanos Pontifices erepto vociferantur; eadem vanitate garriant. Quod alias forſan vberius explicabimus. Qua re ſi velis Eccleſiæ hiſtorias ſingulari, & exquiſita fide deinceps deſcriptas habes quibus hoc negotium mandare poteris. Habens enim egregiæ cuiuſdam eccleſiaſticarum hiſtoriarum ex ædificationis per Magdeburgen. tuos aliquot exempla.

Petri Martyris in Stephanum Rō. Pont. mendacium refellitur.

Venio nunc ad Martyrem tuum; qui certe non tam aperta fronte calumniatur; nec ſcio calumniandi libidine, an errore aliquo, in hoc contra Stephanum meudacium impegerit. Neque enim, vt ille fingit, eam ſententiam contra Aquarios, ſed contra Stephanum Romanum Pontificem, quod iteratum baptiſmum improbaret, Cyprianus profert. Nec ſcio quo conſilio Martyr duas ſententias, quarum altera contra Stephanum, altera contra Aquatios, in illa ad Cæcilium Epiſtola ſcripta eſt, quaſi ex vna contra Aquarios Cypriani epiſtola recitat; niſi & Stephanum quoque Aquarium iudicari voluerit. Illud certius ſcio, nihil eſse in toto Cypriano, quod magis Martyrem, & alios tuos Euangelicos labefactet, quam illæ epiſtolæ, ex quibus Martyr iſta contra Catholicos teſtimonia decerpit; quaſi à ſolis ſcripturis, & nulla Eccleſiæ conſuetudine toti pendere debeamus.

Cyprianus duo Euang. ſectæ fundamenta euertit in Epiſt. ad Cæcilium

Illa enim contra Aquarios epiſtola, duo quædam Martyris, & aliorum contra Catholicam doctrinam fundamenta euertit. Alterum, quo ſtatuunt nihil in ſacramentis, nihil in omni denique Eccleſia retinendum, de quo non aperte in ſcripturis caueatur. At Iuſtinus, Cyprianus, Irenæus aperte profitentur, ex Chriſti inſtituto calicem miſcendum, licet de ea re in Scripturis nihil appareat. Alterum eſt inuicta illa (vt putant (Zuiglianorum claua, & contra Euchariſtiam aſsertio, qua volunt propter anologiam ſignificationis naturas rerum integras in Euchariſtia manere: cum tamen conſtet naturam aquæ pœnitus mutuari, nec minus tamen quam prius ſignificare. Quod iſti in pane, & vino tranſmutatis nullo modo ferre poſſunt. Atqui quod ad illam contra Stephanum Epiſtolam pertinet, cum Cyprianus in ea, & alibi ſæpe contra Stephanum, & alios Romanos Pontifices illas tam vſitatas Martyri, & alijs Euangelicis voces identidem repetat; *conſuetudinem valere non debere, quo minus vincat veritas; nec conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum.* Hæc inquam, & alia ſimilia cum frequenter repetat cum ſuis Africanis, totieſque veritatem, & verbum Dei vincere debere inclamet; & nihilominus ſuccubuerit, totiuſque poſtea Eccleſiæ conſenſu error Africanorum ſit reiectus: Hæc inquam, cum tanto Martyri ita acciderint; ſperabit Pſeudomartyr poſſe ſe aut gregales ſuos, his ipſis vocibus à Cypriano emendicatis, Catholicæ Eccleſiæ, & Romani Pontificis authoritatem obruere? Et cum tantus vir cum tali Synodo cauſa ceciderit, diuinis (vt ipſe putabat) ſcripturis tam inſtructa, qui ſe Romano Pontifici oppoſuit; num iſti arbitrantur cauſam ſuam meliorem; cum infinitis partibus ſit deterior? Voluit (credo) Deus per beatum martyrem Cyprianum, & illius Synodum orbi oſtendere, ne ſe deinceps Epiſcopus, cuiuſcumque aut doctrinæ, aut ſanctimoniæ; ne vlla præterea quantumuis ampla prouincia plus ſibi in intelligendis ſcripturis arroget, quam reliqua cum Romano Pontifice Eccleſia; eumque demum ſcripturæ intellectum ratum forte; cui ille honorarium ſuum calculum adiecerit. Voluit certè, ne conſuetudines, quæ ex Apoſtolica traditione venerunt (quale Auguſtinus iſtam, quam Cyprianus improbauit, fuiſſe merito putauit: vt ſunt multæ aliæ, quæ per vniuerſam Eccleſiam ſeruantur, nullis tamen litteris comprehenſæ) quaſi aut contra ſcripturas, aut ſcripturis deſtitutæ, vel ab ampliſſimis, & ſanctiſſimis vnius prouinciæ Epiſcopis reſcindantur.

Epiſt. ad Pomponium & Quintinum.

obiect. 13 pag. 67.

Id fortè callidus iſte homo perſpiciens, noluit nominare Stephanum, tantæ plagæ accepte memor; ſed fingit eam, quam recitaui, ſententiam contra Stephanum, & alios Aquarios dictatam. Contra quos reliqua quidem, quæ adfert, ex Cypriano dicta ſunt; & inter alia illud, quod tu tantopere modo iactabas: *ſine cauſa me colunt, mandata, & doctrinas hominum docentes.* Quod totum non in uoſtros, ſed in ipſum Martyrem, & reliquos tuos Pſeudoeuangelicos recidit. Cum enim Petrus aſſerat patres ſine Chriſti aut exemplo, aut præcepto calicem aqua temperare; quid ad hæc Cyprianus? *Admonitos*, inquit, *nos ſcias vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur; neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit; vt calix qui in commemorationem Domini offertur, miſtus vino offeratur.* Rurſus; *Calicem*, inquit, *docuit Dominus exemplo magiſterii ſui, vini, & aquæ coniunctione miſceri.* Ac deinde: *Quod ſi & à Domino præcipitur, & ab Apoſtolo eius hoc idem confirmatur, & traditur; vt quotieſcumque biberimus in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit, & Dominus: inuenitur non obſeruari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus; & calicem pari ratione miſcentes à diuino Magiſterio non recedamus.* Ac poſtea; *Et viderit, frater cariſſime, ſi quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſeruauit, vel tenuit; quod nos facere Dominus exemplo, & magiſterio ſuo docuit: poteſt ſimplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi; nobis vero non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti, & inſtructi ſumus, vt calicem Dominicum vino miſtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Hæc Cyprianus. Ecce verò iam quibus titulis, & quam ſplendidis Martyrem, & Apologeticos, alioſque tuos Euangelicos, qui calicem non miſcent, honeſtet. Quos fures, & adulteros appellat, quoſque dicit *ſermones Domini abijcere, & diſciplinam Dominicam contemnere; nec terrena, ſed ſpiritalia furta, & adulteria committere, &*

Eſaię 29.

Teſtimoniū Cypr. cont. Petrū Mart. & Euangel. qui aſſerunt ſine Chriſti, aut exemplo aut præcepto calicem aqua temperari.

Obiect. 15. pag. 178 epiſ. 3. lib. 2.

Quibus titulis Cyprian. Euāg. ornet quod calicē non miſceant.

Digitized by Google

de veritate Euangelica Domini noſtri verba,& facta furari, corrumpere, & adulterare præcepta diuina. Et ne minus ſim, illud Martyris, & Melanchthonis tui, decantatam cantionem;

Matth. 15

ſine cauſa me colunt, mandata, & doctrinas hominum docentes; contra ipſos, & reliquos Euangelicos intonat. Et deinde: *reijcitis*, inquit, *mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis*. Atque hæc Cyprianus aduerſus eos, qui calicem aqua non temperant.

Atenim quid ille diceret, quid faceret, ſi hodie viueret contra veſtros, qui non tantum aquam è ſacrificio, ſed & ipſum Chriſti ſacrificium, altariáque ipſa abſtulere? Quantum, & quam execrandum illis ſacrilegium impingeret? Et iuuat hic aliam Magdeburgenſium fraudem conſiderare. Qui cum vererentur, ne ex hac Cypriani authoritate Euchariſtiæ oblationem agnoſceremus, cum aduerſus eos ſcribat, qui ſola aqua ſacrificabant, ita rem agitant; quaſi loqueretur non de aqua in ſacrificio adhibenda, ſed plebi porrigenda. At alias cum negare non poſſent, Cyprianum de ſacrificio loqui, ſententiam tamen illius malitioſa interpretatione ſic peruertunt: *lib. 2. Epiſtola tertia, cœnam oblationem, & ſacrificium vocat, ideo quod Chriſtus obtulerit, non quod nos offeramus*: cum Cyprianus his clariſſimis verbis vtatur. *Si Ieſus Chriſtus Dominus, & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo Patri ſeipſum primus obtulit; & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit; vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, quid id quod Chriſtus fecit imitatur: & ſacrificium verum, & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe*. Sed iſta nos ad aliud tempus, & locum accuratius diſcutienda relinquamus. Illud iam tandem à Magdeburgenſibus rogo, cum ipſi fateantur, Cyprianum multis ſcripturis prolixe probare calicem miſcendum; cur id hodie euangelici melius non obſeruent? vnde, cum iſta ex Cypriano proferant, non iam Cornelium ad quem nihil pertinent, ſed totam Euangelicorum ſcholam criminari videntur.

1. Cent. 3. c. 4 pag. 58.
Magdeberg. malitioſa verborum Cypr. de ſacrificio Euchariſtiæ interpretatio. *Cent. 3. c. 4. p. 83. & 59.*

CAP. XVII.

Referuntur Lutheri, Magdeburgenſium, & Apologeticorum corraſa ex Cypriano verba, & argumenta, quibus infirmare nituntur Romani Pontificis authoritatem.

Crit, ITA me Deus amet, euidentes ſunt iſtæ, & terræ contra cornelium, & Stephanum calumniæ. Noſtros iam video ſuis armis, quibus ſperabant ſe veſtra caſtra euerſuros, turpiter cecidiſſe: vt, niſi cetera ſolidiota ſint (quod puto) temere in hanc cauſam deſcendiſſe videar. Age igitur ne ex hoc tam fælici ſucceſſu nimium inſoleſcas; non ſic te abire ſinam; ſed nouas ex præſidijs Cypriani cohortes in prœlium deducam. Nam in Cornelij, Stephani atque Romanorum adeo hodie Pontificum immoderatam ambitionem & tyrannicam authoritatem Lutherus, Magdeburgen & Apologetici aciem Cypriani copijs inſtructam certatim erigunt.

Iren. An tu iam aliquod iuſtum aut validum ex Cypriano ſubſidium, ac Magdeburgen. tuis, qui ſcientes, & prudentes flagitioſe Cornelium tam innocentem, & ſanctum hominem, tantum Pontificem, tantum Martyrem, horrendis criminibus Cypriani nomine ei intentatis onerarint; aut reliquis tuis Euangelicis ſupereſſe arbitraris? Sed deſcende tandem in aciem, profer bellas iſtas, & orbi hactenus incognitas probationes.

Crit. Multiplices illæ quidem ſunt, & magni, vt mihi quidem videntur, momenti. Audi itaque primum non tam Cypriani, quã frequentiſſimæ Epiſcoporum in Africa Synodi ſententiam. Quæ, quantum ego video, parum aut nihil à ſextæ illius Carthaginenſis Synodo calculo, atque iudicio diſſidet. *Neque enim*, aiunt, *quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit; aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamquam iudicari ab alio non poſſit, cum nec ipſe poſſit alterum iudicare. Sed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus eſt, & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi*. Ex qua Cypriani auctoritate quaſi in re expeditiſſima Lutherus pronunciat omnes Epiſcopos æquales, & pares; neque eſſe vnum aliquem, qui reliquis omnibus tanquam Epiſcoporum Epiſcopus emineat. Nunc reliqua quæ Magdeburgenſes vt optimi diſcipuli ad optimi præceptoris ſui lectiſſimam ſententiam confirmãdam ex Cypriano collegere; quanto poterimus compendio perſtringamus.

Locus Cypr. ex quo Luther. omnes Epiſcopos æquales inter ſe, & pares eſſe contendit.
In ſententijs Epiſc. de hæreticis baptiſandis.

Magdeb. ex Cypr. verba, & argumenta contra Rom. Pont. authoritatem.
Cent. 3. ca. 7. pag. 171. Lib. 1. Ep. 3. & 4. Lib. 3. Ep 1. & 2.

Cyprianus itaque nec Cornelium, nec Lucium, nec Stephanum Romanos Pontifices Papæ, aut alijs glorioſis, aut ambitioſis titulis; ſed fratres, collegas, & Coepiſcopos appellat.
Imo Romani potius eum Papam ap- 1.
pellant. Et licet de fide ſua ſuperbe glorien-
tur; tamen proprio ore fatentur Cyprianum 2.
non ideo Romam ſcripſiſſe de lapſorum ra-
tione; quod agnoſceret eos iudices, ſed quod *Lib. 2. Ep. 7.*
cuperet eos conſiliorum ſuorum participes
inueniri, & approbatores. Et ſe cum Cypria- 3.
no nullo alio iure, quàm eadem cenſuræ, & *Li. 1. Epiſt. 3*
diſciplinæ conſenſione ſociatos eſſe. Roma- *& 4*
nos vero Epiſcopos Cyprianus ob varias cauſas ſeuere obiurgat: Cornelium quidem ob quinque Epiſcopos in Africa excommunicatos: Stephanum ob Baſilidem, & Martialem in Hiſpania Epiſcopatu motos; qui Romam conuolauerant, & Epiſcoporum contra ſe iudicium Romani Epiſcopi auctoritate reſcindere conabantur,

Et docet, vbi crimen admiſſum, ibi 4.
cauſam audiendam: nec minorem eſſe Africanorum Epiſcoporum, qui Epiſcopos commemoratos excommunicauerant, quam Rom. Pontificum authoritatem: proinde remittendos eſſe ad Africanorum Epiſcoporum cognitionem: nec reſtituendos in integrum Martialem, atque Baſilidem, quamtumuis pro illis deprecante Stephano; nec vllo modo, aut cuiuſquam gratiam diſciplinam

Eccle-

In Epiſt. ad Quintinum, & Pompeium

Eccleſiaſticam conuellendam. Cyprianus præ-
terea *haud obſcure perſtringit Stephanum, quod*
inſolenter, & arroganter, & contumaciter adeo
5. *prauam conſuetudinem defendat, vt etiam Mar-*
cionis baptiſmo, & Valentini, & Appellis, &
ceterorum blaſphemantium in Deum patrem con-
6. *tendat filios naſci; & ille in nomine Ieſu Chriſti*
dicat remiſſionem peccatorum dari, vbi blaſphe-
matur in patrem, & in Dominum Ieſum Chri-
ſtum. Et opponit ei exemplum Petri, quod Pau-
lo de circumciſione diſceptante, ſed non vindica-
rit; aut aliquid inſolenter, aut arroganter aſſum-
pſerit; nec dixerit ſe primatum tenere, & obtem-
perari à nouellis, & poſteris ſibi potius oportere:
quo non modo Stephano, ſed etiam Petro primatus
adimitur. Quemadmodum etiam facit tractatu
7. *tertio de ſimplicitate prælatorum, vbi inquit: hoc*
erant vtique ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus,
pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis:
ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia
vna monſtretur. Et poſtremo in vtraque Epiſtola
oſtendit, ſe cum ſuis collegis in Stephani ſenten-
tiam nullo modo concedere: ſed diuerſam, & ta-
men religioſam, & legitimam, & ſalutarem fidei,
& Eccleſiæ Catholicæ congruentem, & ſuorum
anteceſſorum ſequi ſententiam, & conſuetudinem.

Quid? quod non ſolum Africa, ſed vni-
uerſus ſe orbis Romanis hoc tempore Pontifi-
8. cibus oppoſuit; vt eius in aliorum Epiſcopo-
rum authoritate imminuenda inſolentiam re-
primeret. *Statutum eſt* enim *ab omnibus in vni-*
uerſo mundo Epiſcopis, Cyprianus teſtatur, *ne*
liceat ad Romanum Epiſcopum aut ad quemuis
alium appellare. Nec ſine cauſa ceteri Epiſ-
copi ad repellendas Romanorum Pontificum
immodicam ambitionem, atque iniurias,
tam ſalutare decretum ſanciuere. Hoc enim,
& ſuperiore ſæculo myſterium iniquitatis, de
quo Apocalypſis, magis ac magis cæpit ſe
exerere. Quemadmodum enim ſuperiore Vi-
ctor ſe Aſianis Eccleſijs à ſe diſſentientibus de
Paſchatis ritu, ita iam Stephanus excommu-
nicationem Heleno, & Firmiliano, & cunctis
per Ciliciam, & Cappadociam, atque Gala-
tiam, & vniuerſis conterminis gentibus mi-
natus eſt: propterea quod hæreticos rebapti-
zarent.

Cent. 3. c. 7. p. 176. l. 1. Ep. 4.

Cent. 3. c. 7. p. 268 Apoc. 17

Verum is conatus, non placuit Dionyſio
Alexandrino, & alijs pijs doctoribus, vt Eu-
ſebius indicat. Habes iam à noſtris Magde-
burgen. quid Cyprianus de Romani Pontifi-
cis authoritate iudicarit, varia, & certiſſima
documenta. *Sed diuerſam conſociationis formam*
Epiſtolæ decretales Romanorum Pontificum de-
ſcribunt, quod Eccleſia Romana ſit caput, & ma-
ter omnium aliarum iure diuino: &, quod nun-
quam errarit, nec errare poſſit; quod non liceat
alijs ab ea diſſentire; & quod ad eam ſit appellan-
dum: & quod iudicia Epiſcoporum maioreſque
Eccleſiæ cauſæ ab ea ſola, & non ab alia debeant
decidi: quemadmodum, & Zepherini prima, &
ſecunda, & Calixti prima, & ſecunda, & Fa-
biani prima, & Stephani, & Lucij, & Sixti ſe-
cundi prima, & Felicis prima, Epiſtolis quibus
tanquam domeſticis, & plane ſuſpectis, & frau-
de ſubornatis teſtibus fide habenda non eſt.
Hæc, & hiiſdem verbis fere Magdeburgenſes.
Eandem Cypriani authoritatem quod omnes
Apoſtoli fuerint Petro pares atque æquales;
& quod vnus ſit epiſcopatus, cuius in ſoli-
dum pars à ſingulis tenetur, tanquam firmiſ-
ſimam ad Romanorum iſtam monarchiam
concutiendam atque euertendam, Apologe-
tici quoque protulere. Et ex eodem Cypria-
no Papam grauiſſime admonent, *vt ſi velit ip-*
ſos ſecum in gratiam redire, ipſe prius cum Deo in
gratiam redeat. Hinc enim, aiunt, *ſchiſmata*,
vt inquit Cyprianus, *oriuntur; quia caput non*
quæritur, & ad fontem ſacrarum ſcripturarum
non reditur, & cæleſtis magiſtri præcepta non
ſeruantur. Non pax ea eſt, inquiunt, *ſed*
bellum; nec Eccleſiæ iungitur, qui ab Euangelio
ſeparatur: Chriſtum itaque ſolum ſecundum
euangelia, non Romanum Pontificem pro ca-
pite Eccleſiæ agnoſcendum. Quæ, & ſimiles
Cypriani ſententiæ, ita ſic primatum iſtum
oppugnant, vt nihil magis. Adeo certe alte
animo meo inſident, pectuſque meum totum
ita occupant; vt ægre ab Apologeticorum
tam limato atque Magdeburgenſ. tam polito
hac in re iudicio diuelli poſſe mihi videar.
Quod ſi Cyprianum quoque illis eripere poſ-
ſis, nullo deinceps apud me loco erit ſexta
iſta Carthaginenſis Synodus; nihilque pro-
prius futurum eſt; quam vt ego propediem,
totus in tuam ſententiam abeam. Quare id
à te poſtulo, vt mihi de Cypriano vberius ſa-
tisfacias.

Lib. 7. ca. 5. Decretal. Epiſtolarum fidem, & auctoritatem quibus verbis eleuare conentur Magdebur. *Cent. 3. c. 7. pag. 173.*

Apologia Angl. Eccl.

CAP. XVIII.

Loca Cypriani de Romanæ ſedis princi-
patu breuiter perſtringuntur, &
quædam Tertulliani eadem
de re adhibentur te-
ſtimonia.

Iren. VIdeo Lutherum, Magdeburgen-
ſes, Apologeticos quaſi leuis ar-
maturæ equites vexillum præelati imperato-
ris Cypriani, acie iam inclinata, ſubito at-
tollentes, neſcio quos tibi animos reddidiſſe:
vt quamuis plane euerſus, pugnam nec ſine
aliqua vincendi fiducia renoues; & vltro Cy-
priani velut ductu, & auſpicijs, in noſtra rur-
ſus caſtra irrumpas. Sed tui te commilitones
fefellerunt. Vt enim ſolent ſeditioſi atque
factioſi ciues, tumultu ſemel aduerſus rempu-
blicam per ipſos excitato, egregios aliquos
in republica viros, duces ſibi, cum eos non
habeant, fingere aut ſi forte apud ſe habeant
ſubita, & improuiſa impreſſione captos, in-
uitos atque reluctantes ſecum ad factionem
promouendam retinere: ita tibi plane per iſtos
accidiſſe videtur. Neque enim iſtius hodie
tam turbulentæ contra Eccleſiæ principem,
eiuſque vnitatem ſeditionis author, aut certe
fautor eſt Cyprianus: cuius omnes pæne la-
bores, & ſcripta in paranda, & conſeruanda
vnitate, dum viueret, ponebantur. Qui; mi-
ror, ſi vel à tot, & tantis, quos memoraui-
mus tum ex Africa, tum aliunde patribus;
vel à Tertulliano, quem magiſtrum appella-
re ſolebat, & ſine cuius lectione nullam diem
præterire paſſus eſt, in hac cauſa diſſentiret.
Ille enim *ſoli Petro claues commiſſas; & Eccle-*
ſiam ſuper ipſum extructam dicit. Et aduerſus
hæreticos Romanæ potiſſimum Eccleſiæ au-
thori-

Cyprianus author ſemper, & fautor vnitatis non diſſidet vel à Tertulliano magiſtro ſuo ab alijs patrib. in Rom. ſedis authoritate aſſerenda.

lib. de pudicitia. *Aduerſ. Marcionem, & Praxeam.* *Aduerſ. eund. Praxeam de præſcrip. Hæreſic.*

thoritate pugnat: traditque Romanum Epiſcopum, poſtquam Montani prophetias damnaſſet, Aſiæ, & Phrygiæ Eccleſijs pacem intuliſſe. Et alibi; *Si Italia* (inquit) *adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto ſtatuta eſt: felix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo perfuderunt.* Adeo vero Cyprianus nec à præceptoris, nec à reliquorum patrum ſenſu iudicioque hic diſſidet; vt in efferenda Romanæ ſedis dignitate, vix quiſquam aut copioſior, aut illuſtrior ſit.

lib. 1 Ep. 3 & lib. 4. ep. 9. & in ep. ad Quirinum ſiue Quintum & de vnitate eccleſ. & ſermon. de bono patientiæ. Cypri. teſtimonia de Rom. Sedis principatu. 2 ep. 8 lib. 4. 3 ep. 3 lib. 1 4 lib. 3. ep. 11 5 lib. 4. ep. 8. 6. lib. 4 ep. 2.

Cyprianus enim eſt, qui aſſerit Chriſtum, *ſuper Petrum Eccleſiam ſuam fundaſſe; & ſuper illum vnum ædificaſſe.* Cyprianus eſt, qui Romanam Eccleſiam *Catholicæ Eccleſiæ matricem, & radicem* appellat; Petri præterea *Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde ſacerdotalis vnitas exorta eſt.* Cyprianus adfirmat *vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum noſtrum, vnum Spiritum ſanctum, vnum in Catholica Eccleſia Epiſcopum eſſe debere.* Si Cypriano credimus; qui cum Cornelio Romano Pontifice *communicabat in Catholicæ Eccleſiæ vnitate pariter, & caritate* communicabat. Si Cypriano credimus; *à Chriſto vna Eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa eſt: item Epiſcopatus vnus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* Cyprianus eſt, qui aſſerit; *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper petram Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum ſacerdotium non poteſt.* Et alibi; *Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa; nemo aduerſus Sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo poſt Diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſſidio vnitas. Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſum foris hæreſim nouam conderet.*

7. lib. 1. ep. 8 8. lib. 1. ep. 3.

Ex contemtu ſum. Sacerdotis ortæ ſunt hæreſes, & nata ſchiſmata.

9. *lib. 3. epiſ.* 13 Ad Roman. perfidia acceſſum habere nequit. 10. *lib. 1. ep. 3.*

Cyprianus eſt, qui Stephanum Romanum Pontificem hortatur; vt miſſis ad Galliæ Epiſcopos litteris, Marciano Arelatenſi Epiſcopo hæreſiarcha exauctorato alius in locum eius ſufficeretur. Cyprianus denique eſt, qui *Romanos eos eſſe* aſſerit, *ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Atque iſta Cypriani teſtimonia, quamuis Petri, & Romanæ ſedis prærogatiuam aperte, valideque corroborent; neque quicquam ſit in toto Cypriano, quod his aduerſetur: ſi quid tamen prima fronte (vt fit) aduerſari videretur, rationis, & æquitatis eſſet, eam potius interpretationem amplecti, in qua omnia belle cum Catholica fide, & ipſo Cypriano congruerent; quàm illam quæ, & Catholicæ fidei aduerſaretur, & ipſum quoque Cyprianum implacabili ſecum diſſidio conflictantem pariter obrueret. Quod neceſſe eſt euenire, ſi iſtos præclaros Theologos ſequamur. In quorum argumentis, quantum ſit ponderis aut momenti, accuratius iam diſpiciamus.

CAP. XIX.

Reſpondetur ad ſuperiora Lutheri, atque Magdeburgenſium ex Cypriano teſtimonia, & argumenta contra Romani Pontificis primatum.

Crit. QVid tibi neſcio; mihi certe plus ponderis videntur habere, quam quod tu facile ſuſtinere poſſis. Sed virium tuarum periculum facito.

Magdeburg. de Cypr. mentiuntur.

Iren. Illud itaque in primis admiror, quid ſibi velint, aut quo ſpectent Magdeburg. quod vel de Cypriano mentiantur, quaſi Stephanum Romanum Pontificem tam odioſe laceraret; quod *inſolenter, & arroganter, & contumaciter prauam conſuetudinem defenderet* (quibus aduerſus eum verbis, quantum ego adhuc video, non vtitur) vel quod audeant illis Cypriani ſcriptis, quæ ſola inter reliqua eius opera Eccleſia ſemper damnauit, ad Rom. Pontificatus principatum labefactandum abuti, eorum authoritate niti, & tanta denique contentione iactare. Niſi forte quem admodum Apoſtolus eorum Lutherus, ita ipſi quoque Romaui ſedis odio, hæreticos baptiſmo iterum expiandos cum Cypriano exiſtiment: aut certe lectoribus (quod videtur) perſuaſum cupiant, tales fuiſſe Stephanum, & alios Romanos Epiſcopos: quales eos Cyprianus opinionis errore ſeductus minus verè depingit. Qua de re cum in criminatione Magdeburgenſium contra Cornelium retundenda iam nonnihil dixerimus; non eſt quod hic repetamus. Sed donemus Euangelicis tuis hanc illius ſcriptorum partem, in qua Lutherus, & Magdeburgen. ſingulare quoddam cauſæ ſuæ præſidium conſtituunt; nulla hæreſi, nullo errore fœdatam. Res adhuc omnis in tuto eſt. Neque Catholici, ſed Euangelici tui ex ea ipſi Cypriani authoritate, ſi totam, & integram recenſeas, proſternuntur. *Non eſt* (inquit) *de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominum elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret; vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit; vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis adminiſtrationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile conſenſit; documentum ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus; ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.* Quid de Petri prærogatiua apertius dici potuit, quam vt diceret Chriſtum eum *primum elegiſſe, & ſuper eum Eccleſiam ſuam ædificaſſe?* Quid eſt primum eligere, niſi ceteris præpoſuiſſe? Neque enim ad tempus vel ſuſceptæ fidei, vel inuitationis ad Apoſtolatum referri poteſt? cum Andreas frater prior in Chriſtum crediderit, & ad Apoſtolatum vterque ſimul vocatus fuerit. Hic ergo locus principatum Pe-

Magdeb. ijs Cypr. ſcriptis, quæ Eccl. non approbauit, ad tollendã Rom. Pont. authoritatem abutuntur.

Locus quem ex Cypr. mutilatum Euãgel. citant, non pro eis, ſed contra eos facit, ſi totus, & integer ſumatur.

Petrum primum Chriſtus elegit. *Cyprian. ad Quintum de Hæreticis baptizandis.*

Quo in ſenſu ſit accipiendum illud Cyprian. Petrum primũ Dominus elegit. *Ioan. 1. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5.*

Petri manifeſte aſtruit. Qui tamen in eo non conſiſtit, vt vel ille Pauli, vel Stephanus Cypriani, vel cæteri aliorum Epiſcopotum vera & legitima conſilia principatus huius inflari tumore reſpuerent.

Reſp. ad locum Cypr. quo Luther. probare ſibi viſus eſt omnes Epiſc. eſſe pares. In quibus cauſis verù ſit illud Cypr. & Carthag. Synod Epiſc. de Epiſcop. cognitionem habere non poſſe.

Lib. 2. de baptiſmo c. 2. li. 3. ca. 3. li. 6. ca. 7.

Li. 1. Epi 4. Ireneus Dionyſius Alexandr.

Quid vitio verteriot Rom Pont. Cypr. licet errarit, cur nunquã tamen pro hæretico ſit habitus.

Li 5. Epi. 1.

In ſententijs Carthag. Synod.

Sed neque illa altera Cypriani & Synodi illius ſententia, quam tantopere Lutherus amplectitur; quamuis fuiſſet in longe meliote cauſa dictata; hunc principatum quicquam imminuiſſet. Quæ enim tradit ea Synodus cum Cypriano; Epiſcopum de Epiſcopo cognitionem habere non poſſe, ſed Epiſcopi cauſam ad Chriſtum ſolum reijciendam, vt ab eo cognoſcatur: in his cauſis obtinet, quę adhuc totius Eccleſiæ iudicio non ſunt conſtitutæ, & definitæ, ſed dubiæ adhuc, & controuerſæ probabili in vtramque partem diſputatione vltro citroque agitantur. In quem ſenſum Auguſtinus, hæc Cypriani verba, & refert, & interpretatur: alioqui hæretici, & Apoſtatæ Epiſcopi libere in Eccleſiam graſſabuntur. Cuiuſmodi Cyprianum cum ſocijs exauctoraſſe, alioſque in eorum locum ſubſtituiſſe conſtat. Atque ob hanc cauſam, re adhuc tota Eccleſiæ indicio non plenè explicata: neque Irenæus in Paſchatis ritu; neque Dionyſius in hæreticis rebaptizandis errantes. per anathema ab Eccleſia diuelli Romanorum Pontificum cenſura, æquo animo paſſus eſt. Vnde perſpicuum eſt, eos non dediſſe vitio Romanis Pontificibus, quod iuriſdictionem, quam nullam haberent in remotas Eccleſias; ſed quod legitimam alioqui poteſtatem non ſatis conſiderate, nec ſatis ex æquo & bono exercerent. Atque hunc etiam tota illa Cypriani ſententia reſpicit: qui licet à Romanis & alijs Epiſcopis in re grauiſſima diſſentiret; non tamen vnitatem pacis, & mutuam communionem reſcidit. Quæ animi eius moderatio effecit, vt erraſſe ſemper potius, quàm hæreticus fuiſſe ſit iudicatus. Quare, & his verbis Africana Synodus vtitur: *Supereſt*, inquit, *vt de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus; neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes*. Quare, vt iſta hactenus nihil, ita non magis cætera, quæ ab iſtis pari fide atque iudicio coaceruantur, obfutura ſunt. Inter quæ illud quæſo quàm leue eſt, quod ex titulis, & Epiſcopotum inſcriptionibus, & ſimilibus argumenta nobis texunt.

Reſp. ad leuiuſcula illa quę ex titulis & inſcriptionibus Magd. corrogauerunt, argumenta.

Quaſi vero aut Papa, quatenus homo Chriſtianus, non ſit non ſolum Epiſcoporum, ſed Chriſtianorum omniũ frater; aut quaſi ex ipſa ſacerdotali ordinatione non ſint omnes Sacerdotes; aut in Epiſcopali non ſint omnes Epiſcopi deſignati; vt merito ſe inuicem collegas, & Coepiſcopos appellare poſſint.

Hieronym. Ad Damaſ. Ambroſius. 1. Tim 3. & Epiſt. 78.

Hieronymus Petri, & Damaſi Cathedram alijs omnibus præfert: Ægypti tamen Epiſcopos collegas eius vocat. Ambroſius Romanum Pontificem *totius Eccleſiæ Dei rectorem*: eundem tamen & fratrem appellat. Papæ vero nomen vt Cypriano tributum, non facit eum Petri ſucceſſorem: ita cùm Romano Pontifici aliud inditur, ſuam illi dignitatem haud detrahit. Quæ non in nominibus, ſed re ipſa conſideratur. Quanquam Papæ nomen alijs etiam olim Epiſcopis commune, ad ſingularem Romani Pontificis dignitatem demonſtrandam, Chriſtiani orbis vetuſtiſſimo vſu, ad eum fere ſolum poſtea tranſijt.

Oppoſitio Magdebur. Cent. 3 c 7. pag 178. Demolitio. Li. 1. Epi. 3.

At aiunt Magdeburgen. Romani ipſi non ſolum Cyprianum Papam appellant, verum id etiam vltro fatentur; Cyprianum eos pro iudicibus in fidei controuerſia non agnouiſſe, quantumuis ſe ſuperbè de fide ſua venditent. Sed quando tandem modum iſti aliquem ſuis vel mendacijs, vel fraudibus imponent? Quid enim illi de ſua fide dixerunt, quod non prius, non ſolum Cyprianus, ſed Paulus ipſe Apoſtolus dixerit: *Veſtra*, inquit, *fides in vniuerſo mundo annunciatur*.

Rom. 1.

Magdeburgen. potius arroganter faciunt, qui veræ fidei laudem, quã illis Paulus, Cyprianus, & alij poſtea ſempee patres omni Eccleſiæ memoria tribuerunt; inueterato illius ſedis & Catholicæ fidei, quæ ibi ſemper eminuit, & hodie eminet, odio, detrahere poſt mille quingentos annos inuidioſè conantur.

Fraudes Magdeb.

Fraudes vero iſtorum in eo hic verſantur; quod non Romanus Pontifex, ſed ſolus Clerus Romanus, ex morte, & Martyrio Fabiani, Paſtore deſtitutus, has litteras ad Cyprianum, de lapſis recipiendis, vel non recipiendis eum conſulens, conſcripſerit. Nemo enim adhuc in locũ Fabiani ſuffectus erat, vt apparet ex litteris Romani Cleri, & ipſius Cypriani, Quare non eſt mirum, ſi ſolius Cleri, qui Paſtore careret, iudicium ad tantam cauſam, & deliberationem definiendam ſufficere non crederet: ſed plenam cauſæ cognitionem ad nouum Paſtorem reijceret: cuius iudicium non ſolum Romanus Clerus, ſed & Cyprianus ſequuturus videretur.

Cypr. Rom. non Pont. ſed Cleri Pont. deſtituti iudicio minus ſi ſec. dum putarit Li. 3. Epi 8.

Ille quidem, dum ita ſcriberet; *Quanquam*, inquit, *differẽtia huius rei neceſſitas maior incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum, & temporum difficultates conſtitutus; qui omnia iſta moderetur; & eorum, qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate, & cum conſilio habere rationem*.

Li. 4. Epi. 8.

Cyprianus verò dum, quæ ipſe cum ſua Synodo Africana decerneret de lapſorum pænitentia, ad Romanum Pontificem comprobanda tranſmitteret, in hæc verba ſcribit; *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbitur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium, collegam noſtrum; qui & ipſe, cum plurimis Coepiſcopis habito conſilio, in eandem nobiſcum ſententiam, pari grauitate, & ſalubri moderatione conſenſit*.

Obiectio Magd. Reſponſio.

Sed non tulit æquo animo, aiunt, Cyprianus prouocationes Epiſcoporum ex Africa ad Romanum Pontificem interpoſitas: fateor. Atqui nec hodie multi pij viri, omnes appellationes, quæ Romam permiſcue deferuntur, probant. Non; quòd nullam eas audiendi poteſtatem habeat Romanus Pontifex; ſed quòd omnia ad ædificationem fieri debeant; debeatque ille ex æquo & bono, & ad totius Chriſtianæ reipublicæ ſummam vtilitatem, amplitudinem iuriſdictionis ſuæ moderari; neque ſine magna cauſa, reliquorum Epiſcoporum auctoritatem imminuere; neque Epiſcoporum iuſtas, ſed iniuſtas ſententias reſcindere.

Cuiuſmodi appellationes ad Ro. Pont. improbauerit Cyprianus, & cum eo Africani patres.

Certè quorum appellationes improbat Cyprianus, erant ab Epiſcoporum Synodo, poſt accuratam cauſæ cognitionem damnati. Qui grauiſſimis, & manifeſtis, propriaque confeſſione detectis idololatriæ, & alijs criminibus implicati fuerant: Vt iuſtiſſime ille, tam iniuſtam appellationem damnarit; poſtularitque cauſam in

Afri-

Africam, vbi crimen admiſſum erat, referri. Quod certè ſiuè ab Africanis tantum, vt videtur, ſiue *ab omnibus in vniuerſo mundo Epiſcopis*, vt iſti ad conciliandam Romano Pontifici inuidiam de ſuo (vt ſolent) adijciunt, conſtitutum fuerit; non ita multum intereſt: cùm non omnem Romanis Pontificibus in omnibus appellationibus recipiendis; ſed ex ea, de qua dixi, cauſa, facultatem adimat. Iniuſtam enim, non iuſtam appellationem reſcindit. Id quod ipſe ſatis his verbis indicare videtur: *Neque reſcindere ordinationem iure perfectum poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam*

Li.1.Ep 4.

noſtrum longe poſitum, & geſtæ rei & veritatis ignarum fefellit; vt ambiret reponi ſe iniuſtè in Epiſcopatum, de quo fuerat iuſte depoſitus. Hac eo pertinent, vt Baſilidis non tam abolita ſint, quàm cumulata delicta; vt ad ſuperiora peccata eius, etiam fallacia & circumuentionis crimina acceſſerint. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quàm hic execrandus, qui fraudolenter obrepſit. Vides hic non id à Cypriano dici, Stephanum nullam Epiſcoporum in Africa ordinationem, ſed iuſtè factam, interpoſita prouocatione, reſcindere non poſſe: quod facilè fatemur. Neque enim debuit dignitatis illius amplitudo ad iniuſtitiæ, ſed iuſtitiæ potius patrocinium valere. In hunc itaque aut ſimilem huic ſenſum, quid quid vel Africani, vel alij vnquàm Epiſcopi de ſubmouendis appellationibus ſanxerint, accipiendum videtur. Quanquam, vt dixi, vox illa (*omnibus nobis*) de Africanis ſolis accipienda eſt; de quibus prius in eadem Epiſtola: *Quod vtique de omnium noſtrorum conſilio placuit ſcribere, vt erroris, &c.* Quare iam integra Cypriani verba, vt tota res melius intelligatur, recenſebimus. *Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter, & iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum; & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque, & gubernet: oportet vtique eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola, & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam, vbi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint.* Quibus verbis non omnem appellationem ad Romanos Pontifices, ſed eam ſubmouere videtur, qua perditi, & deſperati homines ob grauiſſima, & manifeſta crimina à Synodo damnati (inter quos Priuatus nonaginta Epiſcoporum ſententia condemnatus eſt) Rom. Pontifices ad reſcindenda tot Epiſcoporum æquiſſima iudicia callidè circumuenire conati ſunt: hoc eſt ergo quod Africani conſtituerunt. Sed vbi interim præclari iſti legislatores nouum hunc ſuum totius mundi Epiſcoporum canonem, vel in Cypriano, vel quacunque vnquàm Synodo, aut patre inuenere? Qui certè noua iſta Magd. prudentia ſatis dignus; totius vero mundi, aut infima quauis Synodo, aut homine quouis, qui vel micam ſalis haberet, indignus eſt. Vt enim ab iſtis nomothetis contextus eſt, vt vides, non ſolum ad Romanum Pontificem, ſed omnem prorſus, poſt ſententiam ſemel latam, prouocationem tollit. Nulla enim æquitate, nulla moderatione nouum hoc Magdeburgenſium decretum tempe-

Canon iniquus contra appellationes in Mag. officina cuſus.

ratur. Abſolutè dicitur, *ab omnibus in vniuerſo mundo Epiſcopis ſtatutum, ne liceat ad Romanum Pontificem, vel quemuis alium appellare.* Quo nihil magis ridiculum, ineptum, iniuſtum dici aut fingi poteſt. Quid enim hoc eſſet aliud, quam iniquè oppreſſis omnem auxilij & remedij ſpem præcidere, & impotentem quandam tyrannidem in Eccleſiam importare? Tales ſcilicet nobis Magd. canones de ſuo edunt, qui iuſtiſſimos Catholicæ Eccleſiæ canones vbique exagitant. Tales iſti nobis integerrimi homines, ex Cypriano, de quibus ille ne per ſomnium quidem vnquam cogitauit, domi ſuæ canones architectantur; qui tam tumultuosè eo nomine cælum & terram miſcent; quod Romani Pontifices Nicænos canones (quod nunquam probabunt) ſcelerate corruperint. Qui, vt nullum talem apud Cyprianum canonem, ita nec illud, quod maximè cupiunt, apud eum reperiunt; non minorem videlicet eſſe Africanorum, quā Romanorum Pontificum auctoritatem. Quo modo enim id diceret, qui in eadem Epiſtola ſcripſiſſet, *Romam eſſe Petri cathedram atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt?* Sed ex quibus Cypriani verbis id conſequi putant, quod nimis confidenter aſſerunt Magdeburgenſes; ea ad ſchiſmaticos Epiſcopos potius referenda videntur, qui ſuam factionem, numero & auctoritate Catholicis, à quibus anathemate deuoti ſunt, ſuperiorē, atque ideo paucorum ſe conſpiratione iniuſtè premi quærebantur. Nam cùm dixiſſet; *niſi paucis, & perditis minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis iudicauerunt; & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam, iudicij ſui nuper grauitate damnarunt*: mox ſubijcit; *Si eorum, qui de illis priore anno iudicauerunt, numerus cum Presbyteris & Diaconis computetur; plures tum adfuerunt in iudicio, & cognitione, quàm ſunt ijdem iſti, qui cum Fortunato videntur nunc eſſe coniuncti.* De qua re, & ante in eadem Epiſtola dixerat, quo modo videlicet ſchiſmatici Fortunatum illum Pſeudoepiſcopum factū à viginti quinque ſuæ factionis Epiſcopis falſo iactarent. Quare & hæc addit: *Et tamen ad decipiendas aures ſimplicium, & abſentium, mendacio numerus inflatur: quaſi & ſi verus hic eſſet numerus, aut ab hæreticis Eccleſia, aut iniuſtis iuſtitia vincatur.* Cæterum vtcunque iſta de Epiſcoporum appellationibus ſe habeant; aut qualecunque ſit Cypriani de his iudicium (quod quidem, quantum ego adhuc cerno, non valde ab Eccleſiæ iudicio, vſque abhorret) certè ſi quid in eius ſententijs perplexius, durius, aut alienius cerni videatur, illius mihi quamuis certam ſententiam totius Eccleſiæ tam inueteratæ conſuetudini cedere; & reliqua candidè potius ex Eccleſiæ vſu atque auctoritate, quàm contra eam ſiniſtre, & malignè accipi debere iudico. Sed non eſt hæc appellationum cauſa, quæ omnes has turbas in Eccleſia hodie excitat. Quæ ab alia potius, in qua caput totius controuerſiæ ponitur, pendet.

Magd. canones ſuos cōmentitios Cypr. perfidè adſcribūt.

Magd perfidè verba Cypr. affingunt de Rom. & Africanorum Pontif. æqualitate, quæ nuſquā in eo reperiuntur.

Ep. 3: li. 1.

Cypriani verba cōtra ſchiſmaticos in Africa Epiſcop. Magd torquent ad minuenda Rom. Pont. amplitudinem.

Ad Catholicæ Eccleſ. normam ſingula in Cypriano expendenda.

CAP.

CAP. XX.

D. Petrum cæteris Apoſtolis, & vniuerſæ Eccleſiæ fuiſſe à Chriſto præpoſitum; & in ea præfectura Romanum Pontificem Petro ſuccedere ex Cypriano contra Apologeticos, & Magdeburgenſes oſtenditur: & ad idem probandum Anacleti, & Leonis primi teſtimonia proferuntur. Variæ item Magdeburgenſium fraudes in deprauando verborum Cypriani ſenſu deteguntur: & Monarchiæ Eccleſiæ Chriſti neceſſitas varijs modis probatur.

Aſſertio Catholicorum contra ſectam de primatu Petri, & Rom. ſedis ſuper vniuerſam Eccleſ. auctoritate.

Crit. QVidnam eſt illud aliud, in quo totius controuerſiæ cardo vertitur? *Iren.* Nempe hoc, quod & veſtri Euangelici acerrimè omnium inficiantur; & nos Catholici firmiter aſſerimus, & omnino contendimus; Chriſtum ſuæ vniuerſæ Eccleſiæ ſolum Petrum præfeciſſe: in cuius vicariam poteſtatem Romani Pontifices ſuccedunt. Vnam eſſe Chriſti Eccleſiam, quæ & inter ſe, & cum ſuo Paſtore potiſſimum in fide conſentiat, cum quo reliqua membra congruere debeant, omnis humana & diuina ratio poſtulat. Quare in rebus fidei controuerſis, & eius dogmatis ſanciendis, nihil eſt citra eius conſenſum, vel certè nihil omnino contra eius ſententiam conſtituendum. Cui doctrinæ, nihil eſt, vel in Cypriano, vel in cæteris patribus, quod repugnet. Quod te ſatis ex ijs, quæ narraui, perſpicere arbitror. De quo capite, quàm egregiè ſenſerit Cyprianus, abundè intelligis. Qui licet cæteros Apoſtolos Petro æquales, in eo tamen inferiores facit, quod vt reliquam Eccleſiam, ita & ipſos Chriſtus quaſi ſummo totius Eccleſiæ Paſtori ſubiecerit. Quod vnum nobis ad id quod volumus obtinendum ſatis eſt.

Crit. Et mihi quidem ſatis eſſet, ſi tam facilè probares, quàm id magna fiducia dicis. Et ſi enim vt quod res eſt candidè atque ingenue apud te explicem, multa tu mihi recenſueris, quibus ea quæ ex Cypriano Magdeburgen. oppoſuerant, commodè ſatis (quod hactenus nunquàm futurum credideram) refutaris; vt iam Cyprianus magis à te, quàm contra te ſtare videatur: hanc tamen omnem tuã interpretationem Magdeburgen. conuellere probabiliter videntur. Illud vero prorſus nec intelligo, nec credo Cyprianum eodem, quo Apoſtolos Petro pares conſtituit, loco; Petro quoque inferiores adfirmare. Quod mihi nec ille docere, nec dicere vlla ratione poſſe videtur: cùm ex diametro iſta inuicem aduerſari videantur. Has verò dubitationes ſi dextere ſemel amoliri poteris; nihil video quin Cyprianus totus tuus ſit; nihilque in ſexta illa Carthaginenſi Synodo, aut Nicænis canonibus, quos noſtri corruptos tam atrociter clamitant, ſupereſſe, vnde ſe multum deinceps venditent. En tibi igitur à Magdeburgen. illam quam commemorauimus, idque ex ipſorum verbis, Cypriani luculentam interpretationem. *Quod vero Cyprianus libro primo Epiſtola tertia, Romanam Eccleſiam Cathedram Petri, & Eccleſiam principalem appellat, vnde ſacerdotalis exorta ſit vnitas: eo ſenſu dicitur, quod Romana Eccleſia alias ſit hortata ad conſociationẽ mutuam; & quod in ea re præ cæteris laborarit; non quod iure aliquo diuino prima, & caput aliarum ſit conſtituta. Nam Epiſcoporum Africanorum non vult minorem eſſe auctoritatem, quam Romanorum: & communi Epiſcoporum ſtatuto*

Gloſſema Magd. corrumpens textum, & deprauans ſenſum Cypriani in ijs, quę ſcripſerat de primatu Petri, & Romanæ ſedis.

Cent. 3. c. 7. pag. 172.

cautum eſſe oſtendit, ne in vnius prouinciæ Eccle-
ſia excommunicati, circumcurſent ad alias: Nec 1.
illo Romana Eccleſiæ, ſeu Epiſcopo Romano pri- 2.
matum aliquem attribuit, quod ſcribit libro quar-
to, capite octauo; Nos ſingulis nauigantibus ne 3.
cum vllo ſcandalo nauigarent, rationem reddidiſ-
ſe ſcimus, & hortatos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ 4.
matricem, & radicem agnoſcerent, & tenerent.
Nam ſeipſum ibidem declarat, quod de Eccleſiæ
vnitate & caritate intelligi velit, inquit enim;
Ideo litteras communicatorias, & ordinationem
Cornelij approbantes ſerius ſcriptos eſſe; vt re me-
lius cognita, per omnes omninò in iſta prouincia
poſitos litteræ fierent, ſicut fiunt, vt vniuerſi col-
legæ noſtri, & communicationem tuam, id eſt, Ca-
tholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & caritatem
probarent firmiter, & tenerent. Nam conſocia-
tionem illam omnium Eccleſiarum, & Epiſcopo-
rum in conſerſione doctrinæ, & diſciplinæ Eccle-
ſiaſticæ, vocat vnitatem. Eius autem vnitatis
matricem, & radicem appellat mutuam commu-
nicationem, quæ fiebat per litteras communicato-
rias; quas ſtatim vno aliquo legitimè vocato, &
ordinato Epiſcopo in loco illuſtriori ſibi inuicem
mittere ſolebant, eius ordinationem probantes aut
improbantes: vt patet ex hac Epiſtola, & ex mul-
tis alijs: & præcipuè ex libro 4. Epiſtola 2. vbi
dicit; Cornelium Epiſcopum factum eſſe iudicio 5.
Dei, & Coepiſcoporum teſtimonio, quorum nume-
rus vniuerſus per totum mundum concordi vnani-
mitate conſenſerit. Si vero iſta aliorum Epiſco-
porum ad Cornelium aſſociatio, ei primatum attri-
buere videatur: tum eadem quoque ratione Cy-
priano primatum aſſereret: dicit enim in lib. 4.
Epiſtola 9. Eccleſias vniuerſas per totum mundum
ſecum vnitatis vinculo eſſe copulatas. Crebræ
ſunt voces apud Cyprianum, vnum Deum eſſe, &
vnum Chriſtum, & vnam Eccleſiam, & Cathe-
dram vnam, ſuper petram Domini voce fundatam, 6.
aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri
non poſſe, lib. 1. Epiſtola octaua. Et Maximus,
& Vrbanus, & Sidonius, in formula reuocatio-
nis dicunt, vnum Epiſcopum in Catholica Eccle-
ſia eſſe debere libro 3. Epiſtola 11. Et Cornelius
in Epiſtola ad Fabium dicit: Nouatum ignoraſſe
vnum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debe-
re, referente Euſebio libro ſexto cap. 43. Sed hæc,
& ſimilia in hanc ſententiam dicuntur: Omnes
Eccleſias conſentientes in vera doctrina pro vna
Eccleſia, & omnes Epiſcopos pro vno haberi, &
ab vno diſſentientes, ab omnibus diſſentire: nec poſ-
ſe in vna Eccleſia, vero & legitimo Epiſcopo ordi-
nato, eodem Epiſcopo adhuc ſuperſtite, alium or-
dinari: patet id ex Cypriani lib. 4. Epiſtola 2. cu-
ius verba adſcribimus. Cùm ſit à Chriſto vna Ec-
cleſia per totum mundum, in multa membra diui-
ſa, item Epiſcopatus vnus Epiſcoporum multorum
concordi numeroſitate diffuſus, ille (intelligit No-
uatianum, qui Romæ à ſchiſmaticis contra Corne-

lium Epiſcopus ordinatus erat) poſt Dei traditionem, poſt connexam & vbicunque coniunctam Eccleſiæ Catholicæ vnitatem, humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas Ciuitates nouas Apoſtolos ſuos mittat, vt quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat. Hæc Magd.

Cipriani locus quo Apologetici, & Magdeburgenſes potiſſimum nituntur per fruſta diſcrepto, primum integer recitatur, deinde ſolius cõtra eos explicatur.

De vnitate Eccleſia.

Iren Cypriani illam auctoritatem in qua ſuum Apologetici noſtrates & Magd. tui præſidium collocant, non acciſam & per fruſta diſcerptam, non mancam & mutilatam, vt illi; ſed plenam atque integram recenſebimus; eamque, vt tuæ voluntati plenius ſasfaciam, vtque ſuo (quod dicitur) gladio aduerſarios iugulem, aliquanto vberius explicabimus. Ad hunc itaque modum inter alia Cyprianus: *Videns* (inquit) *inimicus idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta excogitauit nouam fraudem; vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos. Hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in via veteris cæcitate; circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia hamines & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur; alijs neſcientibus tenebras rurſus infundit; vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent; & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atque fallente; qui ſecundum Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut angelum lucis: & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros iuſtitiæ; aſſerentes noctem pro die;*

Miniſtri à Diabolo ſubornati.

interitum pro ſalute; deſperationem ſub obtentu ſpei; perfidiam ſub prætextu fidei; Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti; vt, dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. Hoc eo fit, fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur; nec caput quæritur; nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.

Math. 16.

Eccleſia ſuper vnũ Petrum ædificata.

Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & ceteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur.

Primatus Petro datur.

Et mox; *Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus; vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fæcunditatis extenditur: quo modo ſolis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed arbor vna tenaci radice fundata. Et cum de fonte vno plurimi riui defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate; vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit; vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latius expandit; vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fæcunditatis ſucceſſibus copioſa.*

Epiſcopatus vnus.

Eccleſia vna.

Claues aliter promiſſæ & repræſentatæ Petro, quam ceteris Apoſt.

Math. 16. Marc. vlt. Ioan. 20. Math. 16. & Ioan. 21. Luc. 22.

Obſeruat hic Cyprianus ex Euangelio varias clauium tum promiſſiones, tum repræſentationes, alteras ad Petrum & reliquos Apoſtolos promiſcuè; alteras ad Petrum ſolum pertinentes. Communes illæ promiſſiones ſunt apud Matthæum, Marcum, Ioannem. Peculiares Petro factę apud Matthæũ & Ioannem. Quas ſi diligenter vel ex Cypriano, vel ex Euangelio conſideres; videbis conditionem Petri à reliquorum Apoſtolorum longe ſeiunctam, non ob ea ſolum Chriſti verba, quibus dixit: *Petre oraui pro te, ne fides tua deficiat, & tu conuerſus confirma fratres tuos*; & de didrachmate ſoluendo: *ſolue*, inquit, *pro me & te*; & ſimilia (quæ abſque dubio principatum quendam Petri demonſtrant): ſed ob ea potiſſimum, quæ hic Cyprianus magno compendio perſtringit. Plenior eſt enim Chriſti & promiſſio, & repræſentatio, quæ Petro facta eſt? promiſſio quidem; non tantum quod ſoli Petro dictum ſit: *Quæcunque ſolueris, aut ligaueris in cælis*(quæ vox ſingulari numero concepta eſt, cum ad omnes promiſcue Apoſtolos loqueretur, quod diligenter notauit Origenes) ſed quod ſoli Petro dictum ſit à Chriſto, ſe Eccleſiam ſuam ſuper eum ædificaturum, aduerſus quam portę inferorum nihil valerent. Quas portas antiqui patres hæreſes appellant. Iam Apoſtolis ligandi & ſoluendi poteſtas promiſſa eſt, Petro ſoli cœlorum, quæ latius patent, claues. Videamus iam, quibus verbis vel erga Apoſtolos, vel erga Petrum ſolum vſus ſit Chriſtus; cum hanc ſuam promiſſionem poſt reſurrectionem ad rem conferret. Petro quidem & reliquis Apoſtolis, miracula edendi, doctrinam Chriſtianam per totum orbem propagandi; remittendi & retinendi peccata, & ſacerdotij quoque ordinandi poteſtatem dedit. Atque hic quidem, vt Cyprianus ait, omnes Apoſtoli pares ſunt. Sed nulli niſi ſoli Petro aguos & oues paſcendi (quibus verbis totus Chriſti grex Petro creditus eſt, idque præſentibus ipſis Apoſtolis) poteſtatem dedit. Quæ vox non ſolum docendi, quod commune erat omnibus Apoſtolis munus, ſed regendi atque gubernandi auctoritatem complectitur. Vt quemadmodum Apoſtolis reliquos, ita ipſos Petro, tanquam primo ſecundum ſe Eccleſiæ præſidi, Chriſtus ſubiecerit. Niſi forte ipſos neque inter agnos, neque oues Chriſti (quæ voces totum gregem indicant) recenſeas.

Diſſimilis conditio Petri & aliorũ Apoſtolor.

Promiſſio Chriſti plenior facta Petro, quam alijs Apoſt.

Tractatu ſiue homil. 6 in Matthæum.

Portæ inferorum hæreſes.

Epiphanius in Ancorato.

Quæ ſint à Chriſto omnibus promiſcue Apoſtolis collata.

Quid ſoli Petro tributũ, cuius merito præſes fuerit & paſtor vniuerſi gregis Chriſti, & perinde Apoſtolor.

Et hoc eſt, quod alibi Cyprianus adfirmat, vt diximus; Petrum à Chriſto primum ele-

Vnitatis origo ab vno Petro incipiens Chriſti auct. inſtituta.

Digitized by Google

electum, & quod hic adijcit: *Vnitatis originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*. Et ne ſomnies Chriſtum eſſe illum vnum (quanquam ille angularis ſit lapis, & per ſe id habeat, quod Petrus ipſius beneficio) mox addit: *hoc erant vtique & ceteri Apoſtoli quod Petrus*. Quibus verbis ne videretur prærogatiuam omnem Petro denegare; hæc ibi ſtatim adiungit: *ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur*. Eſt itaque Chriſtus Summus Paſtor, & Summum Eccleſiæ ſuæ caput. Sed quemadmodum Chriſtus eſt, qui ſolus baptizat, ſolus remittit peccata, ſolus eſt ſacerdos, cuius virtute corpus ſuum in altari conſecratur & offertur: & ea tamen omnia per ſuos aſpectabiles miniſtros, non aſpectabili modo, operatur: ita licet ſolus hanc Eccleſiam apparente forma conſtantem, ipſe ab omni oculorum ſenſu remotus gubernet; per miniſtros tamen oculis ſubiectos eam gubernat. Quibus omnibus Petrum, Petrique ſucceſſores præfecit. Quam Petri prærogatiuam non euertit, quod reliqui Apoſtoli, eodem honoris & poteſtatis conſortio præditi erant: cum Apoſtolis cetera paribus, ſolus Petrus, vt totius Eccleſiæ caput, quod niſi vnum eſſe poteſt, præficeretur. Quod Cyprianus his ibi verbis aperte indicat: *ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur*. Quam Cypriani ſententiam alijs verbis extulit Anacletus Romanus Pontifex. Nam & *inter Apoſtolos*, inquit, *fuit diſcretio poteſtatis licet omnes eſſent Apoſtoli: Petro tamen à Domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe id ipſum voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, caput & principium teneret Apoſtolatus. Qui & eandem formam ſuis ſucceſſoribus, & reliqui Apoſtoli Epiſcopis, tenendam tradiderunt*.

Chriſtus ſummus paſtor, caputq. Eccleſ. & ſub Chriſto ex Chriſti inſtitutione Petrus.

Apoſtoli pari conſortio honoris & poteſtatis licet dicatur præditi; Petrus tamen Apoſtolorũ Princeps fuit.

Anacl. ep. 3. & diſt. 22. c. 2.

Ab Anacleto Cypriani ſententia alijs verbis expreſſa.

Sed quoniam noui iſti cenſores, has & huiuſmodi Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas, ſubornatas & ſuppoſititias clamitant; adhibeamus ſanctiſſimi & doctiſſimi illius Epiſcopi Leonis, quod eius eſſe, iſti negare non poſſunt, teſtimonium. *Huius*, inquit, *muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium, Apoſtolorum officium pertinere voluit; vt in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret; vt ab ipſo, quaſi à quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere*. Idem præterea; *De toto*, inquit, *mundo Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ partibus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores; omnes tamen proprie regat Petrus, quos & principaliter regit Chriſtus*. Et rurſus: *Primus eſt*, inquit, *in confeſſione Domini, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate*. Deinde paulò poſt addit: *propter quod dicitur beatiſſimo Petro; tibi dabo claues regni cælorum &c. Tranſiuit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit; ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur*.

Leonis primi teſtimonia de primatu Petri; quibus ſententia Cypriani explicatur.

Leo ep. 89. ad Viennenſes.

Petrus Apoſtolorum omniũ ſummus.

Sermone 3. in anniuerſario.

Petrus primus in dignitate Apoſtolatus.

Et ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem: *Quoniam ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſequutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui; vt curam, quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus, adiuuares*. Et poſtea: *Nec enim poterit vnitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis adſtrinxerit: quia ſicut in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem, alter alterius membra. Hæc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam Sacerdotum. Quibus cum ſit dignitas communis, non eſt tamen ordo generalis: quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio; vni tamen datum eſt, vt ceteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio: & magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent; ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia*: & rurſus: *quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret*. Hęc Leo luculentus Cypriani quaſi interpres. Cum quo nos capite & Eccleſiæ origine Cyprianus, vt coniunctos in fide & vnitate ſenſus teneamus ſolicite, tota hac pulcherrima de vnitate oratione, idque eleganti a rebus naturalibus, ſole, arbore, atque fonte ducta ſimilitudine hortatur. Neque iſta ſolum, ſed & reliqua omnia rerum terreſtrium, & cœleſtium exempla, ad vnam quandam in vniuerſis rebus originem, principatumque nos deducunt. In homine certe, quem μικρὸν κόσμον appellant, omnia corporis membra ad vnum capitis imperium reguntur.

Ep. 84. c. 1.

Inter Apoſtolos in ſimilitudine honoris, fuit diſcretio poteſtatis.

In vna Petri ſede vniuerſalis Eccleſia cura.

Omnia in rerum vniuerſitate nos admonent vnius principatus.

Et eam demum optime conſtitutam rempub. philoſophi definiunt, quæ ab vno principe adminiſtratur. Vnde & Homerus, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. Et eo demum tempore Chriſtus naſci dignatus eſt; quo, vnius ſolius imperio Romanus orbis gubernabatur. Si dimiſſis philoſophis veterum Iudæorum rempublicam à Deo inſtitutam conſideremus, quæ ſine controuerſia typus noſtræ fuit; vnus Pontifex ceteris omnibus Sacerdotibus præerat; cui non paruiſſe capitale fuit. Si inferiora iſta nihil nos moueant; quid dicemus ad primum illud, vt philoſophi appellant, mobile, quod ſuo curſu ſolem, lunam, ſtellaſque ſecum trahit? Id denique in rebus naturalibus veriſſimum eſſe conſtat, vt quo quidque ſuperius, & eminentius ſit, eo magis ad hanc vnitatem tendat; vt recte Cyprianus Epiſcopatum (quo in Eccleſia Chriſti nihil eſt maius, aut auguſtius) nunc eſſe in tota Eccleſia propter vnitatem Apoſtolicæ cathedræ adfirmarit. Sed altius adhuc erigamur. Inter tot Angelorum millia, ſinguli ſuos ordines, & ſinguli ordines ſuos principes habent. Atque ita tandem omnia, & cęleſtia, & terreſtria ad vnum in cœlis principem, & Deum reuocantur.

Corpus humanum.

Reſpub. quæ optima. *Ariſt. 7. ethic. & 12. metaph.*

Natiuitas Chriſti.

Deut. 17.

Iudæorum reſpub.

Corpora cæleſtia.

Ariſt. 8. phyſ.

Vnus eur in tota Eccleſ. Epiſcopat.

D. Thom. 3 par. ſumma. q. 188 art. 1.

Quid ergo? cum omnia in hac vniuerſitate rerum, ſiue in cœlo, ſiue in terra ad originem & caput quoddam redigantur; ſolam Chriſti Eccleſiam, quam ſuo ſanguine expiauit, & quam optimo & pulcherrimo ordine

conſtat eſſe diſpoſitam, tanti boni expertem, & ἀκέφαλον faciemus? Et cum ſingulæ familię ſuos dominos; ſingulæ reſpublicæ ſuos reges; ſingulæ diœceſes ſuos habeant Epiſcopos, tota Eccleſia ſuo in terris capite carebit? Vbi eſt ergo illud in Eccleſia vel philoſophis tam tritum: bonum commune & late patens, præſtantius & diuinius eſſe, quàm quod in arctum, anguſtumque concluditur? Solem, ſolem certe mundo potius, quàm hunc tam pulchrum & neceſſarium ordinem Eccleſiæ eripi patiemur; quo omnia gradatim & ordinatim ad Petri in terris cathedram, tum ad Chriſtum ipſum, & Deum denique patrem, tam in terris quàm in cœlis ſummum principem decurrunt. Quem vnitatis ordinem in Eccleſia expreſſiſſe videtur ſanctiſſimus Chriſti Martyr, Ignatius; dum ita ſcribit: *Principes obedite Cæſari; milites principibus; Diaconi Presbyteris ſacrorum præfectis: Presbyteri, Diaconi, & reliquus Clerus vna cum omni populo, & militibus, & principibus, & Cæſare, Epiſcopo; Epiſcopus Chriſto, ſicut Chriſtus Patri; & ita vnitas per omnia ſeruatur.* Abſit vero vt vel alios patres, vel Cyprianum certe, tanti & tam ſpecioſi boni perturbatorem faciamus.

Cum in vno quoque genere rerum ſit aliquid primum, & præcipuum; abſurdum eſt ſtatuere corpus Chriſti Eccleſiaſticum ακεφαλον.

Ordo vnitatis Eccleſiaſticæ.

Epiſt. ad Philadelphenſes

CAP. XXI.

Apologetici ſuis ipſorum armis, quæ ex Cypriano contra ſummi Pontificis authoritatem emendicarunt, proſternuntur. Vera Cypriani, Irenæi, & Optati ſententia de Petri, & Romanæ Sedis Principatu explicatur. Ad quam elucidandam ſcelerata Magdeburgenſium deteguntur impoſturæ; multioſæ & ineptæ conuelluntur interpretationes. Ambroſij, Hieronymi, Anorbij, Epiphanij, Victoris, Liberati teſtimonia, quædam de primatu Petri proferuntur. Conſtantini factum in iudicio Miltiadis contra Donatiſtas expenditur: & diſcrimen ciuilis, & Eccleſiaſtici principatus indicatur.

Crit. EGo tam graue crimen non auſim tanto Martyri intentare; nec Magdeburgenſes, aut Apologetici quidquam huiuſmodi diſertis verbis Cypriano objiciunt, licet ex eius ſententia doceant, omnes Apoſtolos Petro fuiſſe æquales. Quod quia ego Cyprianum vere ſentire puto; & tu ex eo conſequi vis Eccleſiaſticæ vnitatis perturbationẽ; libenter eſſem auditurus, qua ratione Cyprianus noxæ eximatur.

Apologetici, & Magd. abutuntur à Cypriani teſtimonio ad pertur bandum ordinẽ Eccleſiæ cõtra ipſius verba, & verborum ſenſum.

Iren. Eum Magdeburgenſes & Apologetici licet tacite, & obliquo ductu, reum tamen huius criminis fecerunt. A qua iſtorum comminatione Cyprianum longiſſime abeſſe, vel hic ſolus locus, vnde iſti ſe munire volunt, aperte oſtendit. Qui præter cætera, omnia ſchiſmata, omnes hæreſes hinc naſci demonſtrat, quod *ad veritatis originem, ad caput non reditur, & cæleſtis magiſtri præcepta non ſeruantur.* Quæ ſit illa veritatis origo, quod caput, quæ cæleſtis magiſtri doctrina; mox explicat; vt Chriſto videlicet credamus in ijs, quæ Petro promiſit; quod ſuper eum eſſet Eccleſiam ædificaturus, aduerſus quam inferorum portæ non præualerent; quodque ei oues ſuas paſcendas crediturus eſſet: vt denique credamus vnam Eccleſiam, quæ ab vno Paſtore Petro regitur; à quo Eccleſiæ ſuæ vnitatem Chriſtus incipere voluit. Quemadmodum enim ab initio Deus ad propagandam hominum ſocietatem, vnum non plures Adamos creauit (idque ad commendandam Eccleſiæ ſuæ, vt ait Auguſtinus, vnitatem) ita ad eandem vnitatem non modo ſignificandam per Petrum, ſed in eo, vt in capite, à reliquis membris ſeruandã; vnum toti Eccleſiæ, atque adeo ipſis Apoſtolis, alioqui paribus, vel ipſo Cypriano teſte, præpoſuit. Quare miror auſos Apologeticos, has Cypriani authoritates, à quibus prorſus euertuntur, pro ſe proferre; aut iubere Papam *redire in gratiam cum Deo, & Euangelio* quaſi ex hoc principatu, quem ex Euangelio ſibi vendicat, à Deo diffideat, cùm Cyprianus aperte fateatur eos à Deo & Eccleſia alienos, qui hoc caput non quærunt. Aut qua fronte pacem crepant; qui pacis ipſius fontem, Petri videlicet Cathedram, vnitatis originem obruunt. Aut quo modo tam ſtudioſe vnam illam ex diuerſis libris Cypriani ſententiam conſarcinarunt, vt ſeipſos elidant? Neque enim in Papam, ſed in ipſos appoſitiſſime, ea Cypriani vox congruit: *Non pax ea eſt, ſed bellum, non Eccleſiæ iungitur, qui ab Euangelio ſeparatur.* In ipſos enim & reliquos Euangelicos, qui exomologeſin iuſtamque pro peccatis pœnitentiam ſuſtulerunt, ea Cypriani ſententiam, non minus quàm aduerſus illius temporis ſchiſmaticos torquetur. *Contra Euangelij*, inquit, *vigorem, contra Domini ac Dei vocem temeritate quorundam laxatis incautis communicatio. Irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excluſa eſt; grauiſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt.* Et mox: *Ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidem verbis fallacibus vindicant. Non eſt pax illa, ſed bellum, nec Eccleſiæ iungitur, qui ab Euangelio ſeparatur.*

Quæ ſit veritatis origo, quod caput, quę cæleſtis magiſtri doctrina, apud Cyprianum.

Auguſtinus.

De ciui. Dei lib.12.c.17.

Prima enim pars ex lib. de vnitate Eccleſiæ: ſecuda ex orat. de lapſ.

Apologetici ſuis ex Cypriano teſtis confodiũtur.

Exomologeſis.

An non Lutheri, & Apologeticorum Eccleſiam graphice hic Cyprianus deſcribit? Niſi quod iſti illis ſchiſmaticis ſint eo deteriores; quod & ſacrificium quoque ſuſtulerint. Quare Cyprianum mihi videntur non ob aliud nominaſſe; quàm vt ſe ſuamque doctrinam orbi palam traducant. Si enim Cyprianum non deformatum & mutilatum, ſed integrum protuliſſent; ipſi ſe & ſuum hoc nouum Euangelium, quod per Cyprianum ſtatuere, & ſtabilire conati ſunt, ſtatim euertiſſent. Quanquam vel ex vna Cypriani ſententia ſe plane proſternunt; qua illa (vt dixi) docet, hinc potiſſimum ſchiſmata, & hæreſes excitari, quod ad *caput & originem Eccleſiæ non reditur.* Quam ſententiam Hieronymus alijs poſtea verbis ad hunc mo-

Hæreſes, & ſchiſmata vnde oriantur.

Eccleſiæ Apologeticorum in Anglia, & aliorum vbique Euangelicorum graphica ex Cypriano deſcriptio.

Apologetici, & alij hodie Euangelici deteriores ſchiſmaticis.

Origo ſchiſmatum, & hæreſeon vnde.

Cyprianus.

Hieronymus.

Contra Luciferianos medium.

Digitized by Google

modum reddidit: *Salus*, inquit, *Eccleſia in ſummi Sacerdotis dignitate pendet. Cui ſi non exſors quædam ab omnibus, & eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficiuntur ſchiſmata quot Sacerdotes.* Vnde cum iam Apologetici totius ſuæ miſeriæ, & mali, ſchiſmatum videlicet & hæreſeon, quæ tam late in Anglia hodie (cuius ſine gemitu & lacrimis meminiſſe non poſſum) dominantur, fontem vltro aperuerint; neceſſe habent, niſi pro deploratis apud Deum, & homines haberi velint; ad caput, quod primum ſub Henrico octauo iniuſte abiecerunt; & ad quod ſub regina poſtea ſanctiſſimę memoriæ Maria, ſumma Dei, & piorum omnium voluntate, ſummoque totius Angliæ bono; honorifica Romam vſque, teſtandæ obedientiæ cauſa, legatione miſſa rediere; quodque propter eum, quem ſibi opinionis errore finxerunt, principatum, non ſine leuitatis nota & perfidiæ infamia nuper rurſus excuſſere; per ſalubrem pænitentiam, vel ipſo Cypriano admonente, reuerti. Neque ſperent poſſe ſe diu, tam miſere emendicatis à Cypriano ſententiarum fruſtis, tamque peruerſe contra illius mentem detortis, orbi illudere. Simili quoque fraude, & Magdeburgen. hic lectores circumueniunt.

Schiſmata & hæreſes vnde in Anglia nata.

Illi enim licet de vnitate hac à Petro mentionem faciant, callide tamen id faciunt; quaſi illa vnitas non in Petro, vt capite conſiſtat; ſed monſtretur, & ſignificetur tantum. Atque ideo præcedentem illam clauſulam; *tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*; Euangelicorum more reſciderunt. Quos in eadem Cyprianus oratione ita depingit: *Corruptores*, inquit, *Euangelij atque interpretes falſi, extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partim memores, & partim ſubdole corrumpentes. Vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt; ita capituli vnius ſententiam ſcindunt.* Nec erit iam difficile reliquis Magdeburgen. calumnijs reſpondere. In quibus frigidiſſimum eſt illud illorum commentum; quo noua quadam à ſe, non à Cypriano, petita interpretatione; Romanam Eccleſiam Petri Cathedram, & principalem Eccleſiam, vnde Sacerdotalis vnitas orta eſt, dici volunt; quia ſingularem quandam illa præ cæteris operam, in pace Eccleſiæ reſarcienda, vnitateque tuenda poſuerit: Cum Cyprianus manifeſte dicat; Chriſtum *Eccleſiam ſuper Petrum fundaſſe*; &, *eum primum elegiſſe*; &, *ab eo vno, vnitatem Eccleſia ſua auctoritate diſpoſuiſſe.* Quanquam hæc Cypriani authoritas Magd. vel inuitis id expreſſit, quod alias negant: quippe qui Romanos Pontifices alias vt negligentes, & oſcitantes reprehendere ſolent.

Magdeburg in vulpina fraus in Cypriani verbis partim malitioſe interpretandis, partim perfide truncandis

Magdeburg ex Cypriani deſcriptio.

Magdeburgenſium peruerſa verborum Cypriani interpretatio ad imminuendam Rom. ſedis authoritatem.

Cent 3. c. 7. p. 172 & Cent 2. c. 10. pag. 216.

Quare eo illam ſenſu Cyprianus principalem Eccleſiam; quo eam Catholicæ Eccleſiæ radicem & matricem, quo caput, quo originem appellat: id eſt, non propter litteras illas communicatorias, ſed quia in ea Chriſtus Petrum, vnitatis originem, conſtituerit. Atque ideo, qui cum ea ſede communicabant, cum Catholica ſemper Eccleſia communicaſſe; & qui cum Catholica Eccleſia communicabant, cum ea ſemper communicaſſe dicebantur. Atque hac ratione, non ea quam fingunt Magd. *vnum altar, vnum Sacerdotium, vnus Epiſcopus, vna denique Eccleſia* dicitur. Non negamus vnitatem in doctrinæ quoque conſenſu, & illis communicatorijs litteris conſiſtere; ſed hactenus, quatenus omnia ad primam originem, quod neceſſe eſt, referantur. Alioqui ingens ille tot Epiſcoporum in Ariana fide olim conſenſus Eccleſiam Catholicam conſtituiſſet. Sed id nomen nunquam potuit obtinere; quia Romani Pontifices cum illis nunquam communicabant. Cum quibus qui rationes fidei coniunctas habebant Catholici; qui diſſociatas, ſchiſmatici & hæretici ſemper ſunt habiti. *Ad hanc enim Eccleſiam*, vt Irenæus ſcribit, *propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam; hoc eſt, eos, qui ſunt vndecunque fideles: in qua ſemper ab his qui ſunt vndique ſeruata, eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*: Vt vel hic quo ſenſu eam principalem Eccleſiam Cyprianus vocet, facile contra Magdeburgenſium ſomnia conſpiciatur. Quod cum illi viderent, miris eam ſententiã modis verſãt.

Cyprianus quo ſenſu dixerit, Romanam Eccleſiam eſſe Petri Cathedrã, & principalem Eccleſiam contra gloſſema Magdeburgenſium.

Catholici qui ſemper ſint habiti, qui hæretici & ſchiſmatici.

Irenæi de Romanæ ſedis primatu teſtimoniũ. *Lib. 3 c. 3.*

Primum enim neſcio quam dubitationẽ lectoribus, quaſi corrupta forent exemplaria, lubentes inijcerent: cum de conſenſu, in doctrina ab Apoſtolis tradita, loquutum eum aiunt. Quod fatemur; ſed ita, vt ideo doctrinam illam fuiſſe Apoſtolicam probet, quod eam Romana ſemper ſedes ſeruarit; & propterea ab alijs omnibus tenendam. Quare 1 cum ne hoc quidem illis effugium ſatis tutum videretur; pro præclara noui huius Centuriatus prærogatiua, totum hoc Irenæi dictum 2 inter peculiares, & incommodas illius ſententias, erroreſque conſtituunt. In quo tamen 3 tolerabiliores alijs quibuſdam euangelicis videntur; qui id ita ab Irenæo ſcriptum exiſtimant, quod Roma eſſet Romani Imperij ſedes, & domicilium. Quod perinde fere eſt, 4 ac ſi iuberet Irenæus, homines idolis ſeruire; quia monarchæ Imperij illa tum colerent. Nec minus certe ſcita eſt Angli illius interpretatio; qui ex eo Petro loco: *regem honorificate*; quemlibet in ſua republica, regem, Eccleſiæ quoque caput conſtituit. Cui Rhetori Nero, qui Romanis tum imperabat, multum debet. Nos vero ex Cypriano affirmamus, Chriſtum conſtituiſſe Petrum Eccleſiæ ſuæ caput; atque ideo ad Romanam eius ſedem, tanquam ad originem, & matricem cæteras Eccleſias concurrere debere. Quare illi ſe potiſſimum Cathedræ conſociari dicit Hieronymus. Et eius æqualis Ambroſius Damaſum totius *Eccleſiæ Dei rectorem*, vt diximus, appellat; & cum Catholicis eos Epiſcopis communicare dicit, qui cum Eccleſia Romana communicant. In quem ſenſum Cyprianus *communionem cum Cornelio, Catholicæ Eccleſiæ communionem appellat.* Quod ſi adhuc aliquid ſcrupuli ſubeſſe videatur, quam interpretationem Cypriani verba habere debeant; cum facile omnem eximet Optatus, vnus ex antiquiſſimis, doctiſſimis, & ſanctiſſimis Africæ Epiſcopis. Ex cuius ego te fontibus potius, quam ex Magd. lacunis, verum & germanum Cypriani ſenſum haurire cuperem. Qui contra Donatiſtas ſcribens; *Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam*, ait, *in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus; inde & Cephas appellatus eſt; in quo vno Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur; ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus.*

Magdeburgenſium, & Smidelini variæ artes in eludenda potius quam interpretanda Irenæi ſententia.

Cent. 2. c. 4. pag 64.

Cent 2. c. 4. pa. 55 & 64.

Andr. Smidelin. contra Hoſiũ indef. Prolegomeno. Breuty.

Angli cuiuſdam inepta interpretatio in illa verba Petri: Regem honorificate. *1. Pet. 2.*

Sampſon de primatu.

Hieronym. *Ad Damaſ.*

1. Tim. 3.

De obitu *Satyr* Ambroſius.

Optati de principatu Petri teſtimonia. *Lib. 2.*

Mox

Mox enumerat omnes Romanos Epiſcopos ad ſua tempora, & inter eos Liberium. Ex qua eius ſententia, & illud quod prius admonuimus, Liberium neutiquam fuiſſe Arianum: & illud potiſſimum, de qua igitur, intelligere licet; Cathedram Petri & eius ſucceſſorum, non exæquatam cum Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana ſede, vt iſti ex Nicænis canonibus falſo contendunt; ſed ſingularem fuiſſe, & vnicam. Et ante Optatum Arnobius, & ipſe Afer, *Petrum Epiſcoporum Epiſcopum* appellauit. Quibus ſane verbis, nihil aliud ſignificauit, quàm totius eum orbis Epiſcopum fuiſſe. Quam eius authoritatem Magd. eludere conantur; quòd Petrum, & non Romanos Epiſcopos ita nominet. Quaſi vero Petrus non fuerit Romanus Epiſcopus, aut quaſi eo defuncto, extincta fuerit ſimul tanta Romanæ ſedis poteſtas. Quod ſi quidquam dubij de Arnobij ſententia ſupereſſe; id certe omne Optatus luculenter explicat; dum non modo *Petrum Apoſtolorum omnium*, atque ita ceterorum Epiſcoporum *caput*, ſed & *ipſam Romanam Sedem, vnicam & ſingularem conſtituit*.

Arnobius. In Pſa. 130.

Cent. 4. c. 7. pag. 554.

Quod eius reſponſum, ad illas etiam Magdeburgenſium contra Epiphanij ſententiam calumnias conuellendas accommodamus, qua Petrum *primum Apoſtolorum* appellat. Quod Magdeburgenſes perſonale Petri beneficium eſſe, nec perſonam eius egredi volunt. Quaſi tota Eccleſia ſimul cum Petro interierit; aut hodie non habeat idem, quod habuit, Petro viuo, caput: aut quaſi Petro hunc Chriſtus propter ſe, & non propter Eccleſiam prærogatiuam dederit. Epiphanius certè *ſuper Petrum Eccleſiam fundatam*, ait, *aduerſus quam portæ inferorum*, id eſt, *hæreſes & hæreſiarchæ non præualerent*. Quam totam eius ſententiam iſti lectori callidè eripiunt: & contendunt nullam habuiſſe in Ægypto auctoritatem Romanum Pontificem; quod Alexandrinus Epiſcopus, totius Ægypti, & finitimarum regionum fuerit adminiſtrator. Quod leuiſſimum ſanè argumentum eſt; quo perinde probare poterunt Archiepiſcopum non eſſe Epiſcopis, aut ipſum Alexandrinum Patriarcham Epiſcopis ſuis non fuiſſe ſuperiorem: cum quilibet Epiſcopus totam ſuam diœceſim gubernet. Vt enim hoc non efficit, quin Epiſcopi Archiepiſcopo, & Patriarchæ; ita multo minus, quin ſummo omnium Patriarchæ, id eſt, Romano Pontifici ſubſit. Cuius poteſtas vt in omnem, quacunque patet, Eccleſiam diffunditur; ita aliarum Eccleſiarum legitimam authoritatem nihil imminuit: cùm ſe Romanus Epiſcopus non, niſi ex euidenti & vrgenti cauſa, interponat. Sed vt ad Optatum redeam: iſte ſanè Optati locus Magdeburgenſes tuos plurimum torquet: vt, quo modo ſe expediant, plane neſcire videantur. Confugiunt tamen eò, vt aſſerant, Optatum nihil de Romanorum Pontificum in alias Eccleſias auctoritate, ſed contra Donatiſtas de legitima ad miniſterium ordinatione, & conſenſu in vera doctrina agere; quibus Donatiſtę deſtituebantur.

Cent. 4. c. 7. pag. 558.

In ancherato, & 2. 1. 59. & 2. 2. 68.

Cent. 4. c. 7. pag. 556. Magdeburgenſium in Optati ſententiam ineptum gloſſema & ex eodem ridicula contra primatum collectiones Cent. 4. c. 8. pag. 586. 557. 585.

Appellare verò Siricium Romanorum Pontificem, ſocium ſuum, & omnes Epiſcopos, principes atque apices. Idem Optatus, & poſt eum Auguſtinus oſtendit, poſt iudicium Miltiadis Papæ, Synodum iuſſu Conſtantini Magni Arelatenſem, & ipſum deinde Conſtantinum de eorum cauſa cognouiſſe. Sed quid quæſo hic eſt, in quo ijdem Magdeburgenſes, & alij Euangelici non perinde euertuntur, atque ipſi Donatiſtæ? Quæ enim apud illos magis, quàm apud Donatiſtas legitima Sacerdotij ordinatio cernitur? Vbi eſt piorum in omni orbe, & Romani præſertim Epiſcopi cum illorum doctrina conſenſus? Quid itaque obijcit Donatiſtis Optatus, quod non æque in Euangelicos hodie quadret? Quo modo ſe excuſare poterunt, qui altare contra altare, & alteram Cathedram contra ſingularem Cathedram collocaſſe videntur? quanquam & ipſe etiam altaria demoliti ſunt. In euertenda verò ſingulari, & vnica illa Cathedra omnes ſuos labores ponunt. Adeo autem Magdeburgenſes Siricium ſocium ſuum eſſe nolunt; vt eum cum Auguſtino, Ambroſio, atque Hieronymo in Iouiniani ſui gratiam inter hæreticos reijcere, parum vereantur. Si itaque de legitima ordinatione, & doctrinæ ſolùm conſenſu agatur; quis non videt, non minus Magdeburgenſes, quam Donatiſtas percelli? Sed iam quam ridiculum, & quam ineptum eſt iſtud iſtorum commentum; nihil hic agi de reliqua Romani Pontificis in alios poteſtate. An qui caput fuit omnium Apoſtolorum, non fuit & reliquæ Eccleſiæ caput? An qui caput totius Eccleſiæ eſt, nullo in alias Eccleſias iure vtitur? Quorſum iam illæ voces ſpectant, quibus *ſingularem, & vnicam Cathedram Romæ* conſtituit? vnica certe eſt, quòd reliquæ omnes Eccleſiæ in eadem doctrinæ vnitate cum hac Eccleſia cohærere debeant. Singularis verò propter principatum, quem Chriſtus Petro, & ſucceſſoribus eius dedit: quem propterea *ſolum* Optatus *claues accepiſſe* dicit. Nec quidquam Siricij poteſtati detrahit, quod ſocium eum appellet Optatus. Fuit enim in doctrina, non dignitate ſocius. Quanquam vt & in dignitate ſocius dicatur, ſingularem eius dignitatem non tollit; neque æqualitatem conſtituit, vt iã ex Ambroſio & Hieronymo oſtendimus.

Quæ Optatus Donatiſtis obijcit de illegitima Sacerdotij ordinatione, & doctrinæ conſenſu, in Magdeburgenſes eunt conuenire.

Cent. 4. pag. 381 Siricius, Auguſtinus, & alij Eccleſiæ patres Magdeburgenſibus tantum non hæretici.

Romana Cathedra vnica, & ſingularis. Magdeburgenſium ineptæ ex Optato collectiones diſſipantur.

Lib. 1. contra Parmenian.

Alioqui ſi rem ipſam ſemper ex huiuſmodi titulis, & appellationibus ęſtimare velimus; erit iam non quilibet modo Epiſcopus, ſed & quiuis è populo Imperator, perinde atque Conſtantinus Magnus; propterea quòd ille ſuis litteris Epiſcopos & populum, conſeruos ſuos vocarit. Neque quidquam obſtat, quòd Optatus Epiſcopos principes, & apices appellet; ne vnus aliquis ſit, qui inter eos emineat, & omnibus præſit. Sed nec Conſtantini factum ſummam illam Romani Pontificis ita auctoritatem imminuit; vt quidquam inde ſolidi argumenti duci debeat. Qui ſe non fuiſſe Epiſcoporum iudicem, plane profeſſus eſt; vt iam demonſtrauimus: & quidquid ille fecit in hac Donatiſtarum cauſa, id eum importunis ipſorum clamoribus, tumultibus, quærelis, precibus victum; & ingenti quodam tollendi ſchiſmatis & peruicacię hæreticorum contundendæ ſtudio feciſſe conſtat. Quòd verò poſt cauſam à Miltiade, alijs ei adiunctis, cognitam, rurſus de eadem Arelatenſis Synodus cognouit; nihil illius dignitatem infringit; niſi prius conſtiterit id iuſtè factum fuiſſe: præſertim cum Auguſtinus ſcribat; Conſtantinum *Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum dediſſe, non quia iam neceſſe erat, ſed Donatiſtarum peruerſitatibus cedentem, omni modo*

Socrat. lib. 1. c. 7. & 9. & Tripar. hiſt. lib. 1. cap. 10.

Conſtantini factum in iudicio Miltiadis cõtra Donatiſtas expenditur.

Auguſtinus. Epiſt. 162.

do

Digitized by Google

do cupientem, tantam impudentiam cohibere. Deinde verò non video, quid hoc de Romani Pontificis iuriſdictione deroget, ſi ipſe paci Eccleſiaſticæ conſultum cupiens, aliquid de ſuo iure ad tempus remittat; nec repugnet, quo minus ad eam, quam ipſe de cauſa cognita tulit ſententiam, Synodi examen & iudicium accedat.

Quanquam nec hoc Conſtantini extraordinarium factum ad exemplum trahendum eſt; quemadmodum nec illud, quòd ipſe cauſæ cognitioni ſe interpoſuit. Quod Imperatorem propter eam, quam dixi, cauſam feciſſe, certum eſt. Neque enim poſſe eum, qui ſacris non ſit initiatus, Eccleſiaſticæ cauſę eſſe iudicem, patres palam conteſtantur; id quod iam recenſuimus. Nec id vel ipſe Conſtantinus ignorauit; cum indignabundus poſt ſententiam à Miltiade latam Donatiſtis reſcripſerit: *ò rabida furoris audacia!* & rurſus; *petitis à me in ſæculo iudicium, cum ego ipſe Chriſti iudicium exſpectem*; & veniam illius facti ſui ab Epiſcopis petendam cenſuerit. Præterea, quod ad hanc hiſtoriam iudicij inter Cæcilianum, & Donatum pertinet; illud imprimis animaduertendum cenſeo, non Cæcilianum Catholicum, licet in Synodo quadam Carthaginenſi inique damnatum, cum abſens eſset; ſed Donatiſtas hæreticos cauſam ad Conſtantinum retuliſse. Quod cum odioſe, & præter conſuetudinem Eccleſiæ feciſsent, in Cæcilianum, quo inuidiam ei conflarent, hoc factum tranſferre impudenter conati ſunt; vt ex libello illorum, quem Optatus recitat, Imperatori oblato conſtat.

Athanaſ. in Epiſt. ad ſolitar. vit. agen. Amb lib. 5. Epiſt. 32.

Optat. lib. 1. contra Parm. Aug. Epiſt. 162.

Donatiſtarum impudentia.

Imperator verò cauſam, nec fori ſui, nec iuriſdictionis agnoſcens, eam bis à ſe reiecit: primùm ad Miltiadem, & Epiſcopos Italiæ, quibus (quoniam Donatiſtæ id efflagitabant) aliquot Galliæ Antiſtites, & in ijs Marinus Arelatenſis, adiuncti ſunt: deinde ad Concilium frequens Epiſcoporum, vt de multis cauſis eccleſiaſticis iudicaret, Arelati coactum. Quibus cùm Donatiſtæ non acquieſcerent, licet poſterior cauſę cognitio importunitati eorum extra ordinem fuiſset conceſsa; Conſtantinus tandem quaſi inuitus cognitionem ſuſcepit, poſteà eius facti *veniam*, vt dixi, & teſtatur Auguſtinus, *à ſanctis Antiſtibus petiturus*. Hæc igitur hiſtoria, ſi omnes eius partes diligenter conſiderentur, nihil, vt vides, ſummum Pontificatum labefactat; licet præter Magdeburgenſes Caluinus tuus ea, tanquam præcipuo quodam ariete ad ſubuertendum æneum Pontificij apicis murum nitatur: ſed quàm in eo parum profecerit, & quanta perfidia in huius hiſtoriæ explicatione ſit verſatus; primò Franciſcus Turrianus, vir Græce & Latine doctiſſimus; deinde Franciſcus Balduinus iuris cognitione clarus; denique Franciſcus Horantius ſummus Theologus, diligenter & copioſe declarauit. Habes itaque ampliſſimum ex ipſa Africa Cypriani interpretem, quid ſibi velit; cum Romanam Eccleſiam *principalem*; cum *radicem*; cum *matricem*; cum *vnitatis originem* appellat; cum dicit *vnum Sacerdotium, vnum in Catholica Eccleſia Epiſcopatum*; cum aſſerit inde ſchiſmata & hæreſes oriri, quod vni Sacerdoti, tanquam Chriſto, ad tempus non pareatur; *vnam eſſe Cathedram Petri, quæ & prima; vnum Sacerdotium; vnum Epiſcopatum* propter vnitatem totius cum ſua origine: & huius epiſcopatus quemlibet Epiſcopum *in ſolidum partem tenere*.

Epiſt. 162.

Turrianus. *Lib. 3. dog. charaſt.*
Balduinus.
Horantius. *In Epi. Ioan. Lucanio, ſiue Caluino præfixa Optato. Lib. 6 locorū Catholi. cap. 14*

Neque enim, vt Hieronymus ait, vel Eugubinus vel Rhegienſis Epiſcopus, minus eſt Epiſcopus, quàm Romanus, *eiuſdem* omnes *Sacerdotij, eiuſdem meriti*: totus tamen hic Epiſcopatus vnus eſt, quamdiu cum ſuo capite & origine cohæret. Alioqui nulla eſt vnitas, ſed ea prorſus intercidit; vt ramus ab arbore fractus non germinat; & riuus à fonte præciſus areſcit. *Eccleſia*, inquit Cyprianus, *vna eſt, quæ vna intus eſſe & foris non poteſt. Nam ſi apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Quod ſi apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit; Nouatianus in Eccleſia non eſt*. Quam iſti ſententiam Cypriani, licet cum Irenæo, Optato, Auguſtino, & alij patribus communem, tanquam falſam reijciunt; propterea quod ipſi, & Apologetici, alijque Lutheri, & Zuinglij diſcipuli, radices & origines legitimę ſucceſſionis in Eccleſia ſua nullas oſtendere poſſint. Et Apologetici, manentibus veris paſtoribus in Eccleſia Dei ſuccedanea ordinatione præſidentibus, nemini (vt olim Nouatianus) ſuccedentes, à ſeipſis inceperunt. Nulla certe res euangelicos magis pungit lacinat; quam illa Catholicorum interrogatio, qua ab eis poſtulatur, vt Eccleſiarum ſuarum Apoſtolicam, & continuatam ſucceſſionem explicent. Cum enim vitio creati ſint vniuerſi, imo ipſi ſe adoptarint; de ſucceſſione ſua interrogati, nullo ſe modo expedire poſſunt: adeo vt in celeberrimo illo nuper Poſiaco conuentu, hic quaſi ore obſtructo plane obmutuerint. Sed nos explorare cognitam habemus, & expeditè proferimus; Catholicæ noſtræ Eccleſiæ originem & ad hæc tempora nunquam interturbatam ſucceſſionē agnoſcimus, & vnitatem in doctrinæ conſenſu; ſed eo conſenſu, qui cum radice & matrice hac coniunctus vnitatem Eccleſiæ Catholicæ efficit.

Hieronym. *Ad Euagr.*

Cyprianus. *Lib. 1. Epi. 6.*

Magdeburgenſes Apologetici, & alij hodie Euangelici nullas poſſunt oſtendere radices & origenes legitimæ ſucceſſionis in Eccleſijs ſuis.

Poſiacus cōuentus. *Beza.*

Atque eo ſenſu Romanam Eccleſiam Cyprianus *radicem & matricem* appellat; quantumuis iſti hic calide alio hæc verba deriuare conantur. In quibus ego ſane confutandis ſine cauſa tam multus ſum; cum ipſi, vt ego nihil eos impellam, turpiter per ſe concidant. Audi enim iam ipſos, contra ſe ſententiam his alibi verbis pronunciãtes: *Libro*, inquiunt, *quarto, Epiſtola octaua nominatim ait, idque ſine vllo fundamento ſacra Scripturæ Romanam Eccleſiam ab omnibus alijs pro matrice & radice Catholicæ Eccleſiæ agnoſcendam*. Quis feret iſtorum Theologorum tantam inconſtantiam? Alibi fatentur ſed falſo, Cyprianum hanc vnitatis matricem & radicem, mutuam communicationem per communicatorias litteras; alibi vero, quod res eſt, ipſam Romanam Eccleſiam appellare. Quod cum negare non poſſunt, ex noua iſta quaſi de cælo nuper authoritate delapſa, magno ſupercilio, ſine ſcripturæ fundamento, id ita à Cypriano dici negantur: cum diſerte ille adfirmet hanc vnitatis originem à Petro incipientem Chriſtum ſua authoritate conſtituiſſe; & ex ſcripturis ſacris probationes, quibus Petrum Eccleſiæ vniuerſæ præfectum docet, deſumat. Neque vt iſti inepte arguntantur; ideo Romanam ſedem primam dicimus, quia aliæ Eccleſiæ cum ea con-

Magdeburgenſium inconſtantia. *Cent 3. c. 4. pag. 85.*

Magdeburgenſium in Cyprianum calumnia diſſipatur.

conſociantur; ſed ideo alias ei cohærere, quia ipſa à Chriſto prima ſit conſtituta; ne alioqui ab ea diſſidentes, inter ſchiſmaticos reijcerentur: vt fruſtra hunc primatum in Cyprianum quoque deriuare conentur; quod vniuerſi per orbem Epiſcopi cum eo coniungerētur. Quod ideo ille dixit, quia ipſe cum Romana ſede conſociatus erat; cum qua & reliqui omnes Catholici per orbem Epiſcopi copulati fuerāt.

Cum Romana cur aliæ Eccleſiæ coniunctæ.

Explicatio verborum Cypriani.

Quam Cypriani coniunctionem non reſcidit illud illius cum Stephano diſſidium; quoniam, vt oſtendi, in communione ſemper Romanæ Eccleſiæ manſit; neque pacem cum ea abrupit, vt Nouatianus, & alij hæretici. Nec negamus Cyprianum ſentire, vnum debere eſſe in vna Eccleſia Epiſcopum; & proinde Cornelio ſemel legitime ordinato, Nouatianum fruſtra ſibi Romanum Epiſcopatum vindicare conatum. Sed ſciendum, repulſum ab Epiſcopatu Nouatianum, ſchiſma primum ab Eccleſia feciſſe, dum nollet cum Cornelio & ei cohærentibus communicare; & quia ſchiſma, vt rectè excitatum videatur, ſolet hæreſim parere, mox & hæreſim excitaſſe; quia docebat cum lapſis non communicandum; atque ideo ſe Cornelij & aliorum, qui lapſos reciperent, communionem ac ſocietatem refugere. Quatenus itaque ſeorſim communicabat, ſchiſmaticus; quatenus nouum illud dogma commentus eſt, hæreticus fuit. Vtraque vero, id eſt, tam ſchiſmata, quam hæreſis hinc naſci fatetur Cyprianus; quòd *vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti non cogitatur; quodque ei vniuerſa fraternitas non obtemperat: quod caput non quæritur; quod vt à Petro inciperet, Chriſtus ſua authoritate diſpoſuit*. Propter quam cum Petro vnitatem *vnus ſit Epiſcopatus, vna denique Eccleſia*. Vnde iam nihil Decretales Epiſtolæ (quas iſti tanto contemptu faſtidiunt) conſtituiſſe videntur; quod vel à reliquorum patrum, vel ab ipſius Cypriani ſententia ſit alienum. Et iam Magdeburgenſes, non illos modo, quos diximus eos reieciſſe, vt turpes aſſentatores: ſed & ipſa Africæ lumina (cuius patres in hac cauſa potiſſimum ſuſpicere videri volunt) vt Gnatonica Romani Pontificis mancipia repudient: Auguſtinum inquam Optatum, Tertulianum, atque adeo ipſum Cyprianum: Quæ nota non minus in eos cadit, quam in Victorem pium illum, & doctum in Africa paulo poſt Auguſtini tempora Epiſcopum, & confeſſorem. Quem iſti aſſentatorem faciunt, quod *Romanam Eccleſiam omnium aliarum caput*, & in rebus religionis controuerſæ conſtituendis, eius potiſſimum ſedis authoritatem ſpectandam ſcripſerat.

Nouatianus quatenus hæreticus, quatenus ſchiſmaticus.

Schiſmatū & hæreſeon origo.
Lib. 1. Epi. 3.

Decretales Epiſtolæ cō ſenſum cū doctrina patrum.

In Victorē Magdeburgenſium calumniæ
Cent 5. c. 7. pag. 774.

Ex Liberato inſigne de Rom. Pont. amplitudine teſtimonium.
In Breuiario cap 22.

Liberatum quoque, ſi velint, Carthaginenſem illum Diaconum inter ſordidos hos adulatores reponant, qui de Silucrio Pontifice verba Epiſcopi Pataræ ad Imperatorem referens, hoc diſcrimen inter reges, & Romanos Pontifices ponit, vt *multos eſſe dicat in hoc mundo reges, & non eſſe vnum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius à ſua ſede expulſus*: Quæ apud Liberatum ſententia vt eſt per ſe inſignis & illuſtris; ita multo illuſtrior redditur ſi quis originem ipſam Pontificalis authoritatis conſideret; quantoque diſcrimine illa à reliquis mundi magiſtratibus ſecernatur. Ciuilis enim omnis poteſtas à voluntate atq; conſenſus liberæ multitudinis, quæ communibus ſuffragijs quoſdam ſibi homines virtutis laude claros præfecit orta eſt: vt non ſit mirum ſi totius quoque multitudinis in ſuos principes ſuperſit aliqua authoritas. Quam illi certe ampliorem non habent quam quæ à multitudine delata eſt. Sed longe aliud eſt in Pontificia hac authoritate, quæ non à multitudinis primum conſenſu atque ſuffragijs, ſed à Chriſto ipſo inſtituta & diſpoſita eſt. Hactenus vero hodie homines interueniunt, ſeque interponunt, vt ſuis cum nobis ſuffragijs deſignent, qui tantam authoritatem diuinitus ordinatam exerceat. Ipſa vero huius amplitudinis origo à Chriſti ipſius ordinatione, cùm Petro diceret: *Paſce oues meas*; profluxit. Quæ ratio fecit, vt minor & anguſtior ſit Eccleſiæ, atque adeo œcumenici Concilij authoritas, quàm Pontificis: neque vlla ſit in Pontificem rite ordinatum Eccleſiæ poteſtas: neque poſſit errare Pontifex in rebus Eccleſiæ definiendis propter Chriſti promiſſum; quod portæ inferorum nihil valerent aduerſus Eccleſiam ſuper Petrum fundatam.

Origo diſſimilis Pontificiæ & ciuilis authoritatis,

Poteſtas ſūmi Pontificis diuinitus inſtituta.

Ioan. 20.

CAP. XXII.

Reſpondetur ad Magdeburgenſium, & Apologeticorum in Anglia calumnias, quas ex ficta Vldarici Epiſtola de miſerabili quadam infantum cæde, ad inuidiam cælibatus proferunt.

Crit. EIuſmodi tu mihi hodie non aliorum modo patrum, ſed & ipſorum Africanorum Liberati, Victoris, Auguſtini, Optati, Tertulliani, atque ipſius etiam Cypriani ſententias propoſuiſti, vt ſexta illa tam celebris apud noſtros Carthaginenſis Synodus; & noſtrorum omnis de corruptis Nicænis canonibus, tanta contentio parum me moueat: Verum enimuero Auguſtanus noſter Epiſcopus te ita implicatum, puto, habet, vt nunquam temet commode explicare valeas: Cuius tragica hiſtoria oſtendit, ex veſtro cælibatu incredibilem vitæ ac morum impuritatem, ac horrenda flagitia conſecuta. Dic igitur, quid de ea ſentias.

Iren. Nihil ego de ea ſentio, niſi vt dignum eſt.

Crit. Gaudeo certè, vel hic te aſſenſorem habere.

Iren. Mane vir bone, ne nimium properes; neque fruſtra inani gaudio te lactes.

Crit. Quid iſtuc eſt?

Iren. Ego certè de ea nihil, niſi quod dignum eſt, cenſeo; vt de reliquis etiam Apologeticorum tuorum de cælibatu teſtimonijs. Qualia ſi vel vnus aliquis fortè Catholicus, ex veſtrorum ſectariorum libris, tam falſò protuliſſet, omnium ſibilis explodendum eum cenſeretis. Nunc vero auctorum numerus, dignitatis eorum, ac doctrinæ, (quibus ſibi nimiū placent) opinio, nonne in illis hoc crimen immitum in modum exaggerant? Quam enim turpe, tot Argos, Chriſoſtomi, qui fatetur mo-

Apolog. Angli.
Chryſoſt. homil. 2. in Iob.

Digitized by Google

morem; quo mariti ab initio in Epiſcopos aſciſcebantur, ſuo iam tempore ſublatum: Sozomeni de Spiridione; Nazianzeni de patre ſuo teſtimonijs, quæ nuſquam extant (quæ ſi dixiſſent, & patribus, & Paulo, & ſibi ipſi aduerſatentur) ad Sacerdotum ſcortationes ſtabiliendas, ſine vllo pudore abuti? Quam flagitioſa illa vox; qua legem de cælibatu doctrinam Dæmoniorum appellant? Quid ſtultius, & impudentius, quàm Æneæ Pij, nec ætate adhuc ſatis, nec rerum Eccleſiaſticarum vſu confirmati dictum arripere? eundem ætate, & iudicio prouectum contemnere? Exciderant ei neſcio quæ, contra Eugenium Pontificem, quæ poſtea maturiore ætate atque conſilio reuocauit. Quanquam boni iſti viri, qui ante aliquot annos Baſiliæ eius opera impreſſere; & illius contra Eugenium ſcripta admirandis annotationibus, non dicam illuſtrarunt, ſed ex prauis deteriora reddiderunt; mito artificio ad marginem aſpergentes, quæ ex contextu nunquam colligentur, hanc eius, qua ſe apud Eugenium purgauit orationem, ſuo more ſupprimunt; & cum ad multos alios tum ad euidentem illius errorem conniuent (niſi forte non viderint) quo ille quandam Conſtantinopolitanam Synodum inter eas ponit; quas Gregorius primus, vt quatuor Euangelia, exoſculatur: quæ tamen habita eſt poſt mortem Gregorij ducentis quinquaginta, & amplius annis. At certè, quicquid dixit Pius; nec dixit, nec ſenſit, licere Sacerdoti matrimonium contrahere; ſed hoc tantum quaſi ad conſultationem Eccleſiæ poſuit; verū expediret coniugio implicitos in Clerum allegi. Quod ſi ex iuſta cauſa, atque Eccleſiæ auctoritate fieret; nemo, credo, pius improbaret: dummodo cum Sacerdotes inaugurati fuerint, iuxta Pauli conſilium ſint tanquam non habentes; & tantum curam eorum, vt ſororum, non vxorum gerant. Sed quis interim iſtis tuis Apologeticis aures occluſit, vt non itidem Pium alibi clamantem audiant: *Non errauit Eccleſia primitiua, quæ Sacerdotibus vxores ſubtrahit, imo, & noſtros Sacerdotes apud Deum mereri, quòd vxoribus careant.* Cur non & hic quoque illud illius locum habeat? *Quæ ſcripſimus olim iuuenes, contemnite, ò mortales, atque reſpuite: Sequimini, quæ nunc dicimus, & ſeni magis, quàm iuueni credite; nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem. Æneam reijcite, Pium ſuſcipite. Illud gentile nomen parentes indidere naſcenti, hoc Chriſtianum in Apoſtolatu ſuſcepimus.* Hæc, & alia id genus mihi Pius Apologeticorum tuorum auribus, ſed, vt apparet, ſurdis intonare videtur. Inter has igitur tam illuſtres, contra cælibatum Eccleſiæ, narrationes inſeritur, & relucet, vt Cynoſura quædam, Auguſtanus tuus. Nec poteſt non hic aliquid eximium latere, vt ſibi omnia belle reſpondeant. Sed ne inter ipſa orationis exordia errare, & vagati extra cauſam cogamur; id à te primum quæro: cuias fuerit iſte Epiſcopus. Nam non memini me aliquem huius nominis aut ſcriptorem, aut Epiſcopum aliquando legiſſe; qualem certe (quod mirum eſt) nec Geſnerus in tota Bibliotheca recenſet.

AeneæSiluij opera Baſileæ nuper parum integra fide edita.

AeneæSiluij manifeſtus error.

AeneæSiluij ſententia de coniugio Sacerdotum. *Lib. 1. Epiſt. 130.*

Pij 2. verba reuocantis ea, quæ minus conſiderate contra ſedē Apoſt. olim ſcripſerat. *Lib. 1. Epiſt. 495.*

Crit. Facile credo: neque enim, vt tu exiſtimas, hominis, ſed loci nomen vox illa denotat.

Iren. Atque hinc ne hilo quidem ſum certior, cùm multæ fuerint eius nominis ciuitates: nec ego ſanè cum Ioſepho, aut Daniele abdita præſagire poſſum.

Crit. Age, nolo te hic diutius ſuſpenſum tenere: de Auguſta illa loquor, quæ olim Vindelica, hodie Rhetica ciuitas eſt, toto orbe terrarum notiſſima; quæ etiam ab incolis Auſpurgum dicitur.

Iren. Iam intelligo Ciuitatem, nihil tamen in tanta Epiſcoporum copia ſum aſſequutus.

Auguſta, ſiue Auſpurgum.

Crit. Demiror tuam tarditatem: Diuum intelligo Vldaricum, qui & Vdalricus, Huldaricus, atque Vlricus à quibuſdam dicitur.

Iren. Ohe iam tandem incipio ſapere, & intelligere bellam iſtam Rhetoricam, & nouam Grammaticam. Ad quam vt ego iſtos percurioſius reuocare nolim; ita eos ad modeſtorum, & ſobriorum hominum officium, quàm maximè reuocare cuperem; vt, abiecta tandem iſta effrænata mentiendi licentia, non à vanitate, & ſomnijs, ſed à probatis & certis ſcriptoribus, probationum ſibi ſubſidia accerſant. Nam cùm multa à tuis præceptoribus vana hactenus acceperis, principem quendam locum Auguſtanus tuus merito obtinet: vt tam vana hiſtoria merito Auguſtanæ confeſſioni ante triginta annos contra fidem Catholicam editæ, ancillari debeat. Interim verò doleo amplius quàm verbis conſequi poſſum, tantam ignominiam ſanctiſſimi Epiſcopi manibus per iſtos homines inuſtam; qui nobilem hanc ciuitatem olim alia longe, quā noui iſti Auguſtani confeſſores, religione, alia viuendi ratione, alia Eccleſiæ diſciplina (vt nihil dicam de miris per eum ſignis editis) illuſtrauit. Atque vtinam tandem miſericors Deus Auguſtanos ciues, omnemque Germaniam veſtram, imo & Britanniam noſtram illuminare dignetur; vt Ægyptiacas iſtas tenebras, quibus hodie per iſtiuſmodi præſtigiatores toti offunduntur (de quibus tamen, quaſi de inſolita quadam Euangelij luce, ſe venditant) tandem excuterent. Quod aliquando futurum non diffido.

Euangelicorum cōmentum de ficta quadam D. Vldarici cōtra cælibatū Epiſt. cōuellitur & diſſipatur.

Crit. Papæ! quas tu mihi occinis tenebras? quam caliginem? An ea poſſe te putas huius hiſtoriæ obſcurare, & obruere veritatem? quam nobis ſumma fide Illyricus, Vueſthemerus, Baleus, & poſt omnes Magdeburgen. prodidere, qui ſi tibi ſatis graues teſtes non videntur; noſti nuper inter Orthodoxographa Baſileæ excuſam.

Auctoris vetum. *In Catalo. In locis communibus. De act. Rom. Pont. Cent. 6. c. 7. & 10. pag. 388 & 686.*

Iren. Scio: & quiſquis imprimendam curauit, ille ſane aut fallit, aut fallitur. Palmarium verò quiddam eſſe Illyrico tuo non grauate patiar; quodque egregium quendam locum in Centurijs habeat.

Crit. Certè quicquid iſtud eſt, ipſius Diui Vldarici epiſtola eſt, ad Nicolaum primum Romanum Pontificem ſcripta.

Iren. Neque ego id diffiteor, ſi vel mortui accipiunt, vel non nati, ſcribunt Epiſtolas. Quod veſtris forſan facilè, & credibile videbitur, qui, quos volunt, è cælo ad inferos deturbant; & quos volunt, inferis ereptos in cælo collocant.

Crit. Quid? mortuus ne fuit Nicolaus, antequàm S. Vldaricus Auguſtæ Epiſcopus crearetur?

 Iren.

Iren. Fuit ?

Crit. Nunquam ſanè putaram. Sed ſit ita; quid tum? An non potuit Vldaricus ante Epiſcopatum ſuum Nicolao hanc Epiſtolam ſcribere?

Iren. Non potuit: nam cum anno Chriſti 923. ſi credimus Nauclero, vel 924. vt placet Eghardo, Contracto, & Vrſpergenſi, Vldaricus fuerit Præſul ordinatus; & annos quinquaginta Eccleſiam ſuam gubernarit; nō video certè, qua ratione potuerit ad Nicolaū primum ſcribere, qui diē ſuum obierat quinquaginta ſex annos, priuſquam ille in ordinem Epiſcoporum eſſet adſcriptus: niſi fortè ad tuendum præceptorum tuorum commēta, fingere tibi volueris, tam diu vixiſſe Vldaricum, vt ante centeſimum ſextum ætatis ſuæ annum hanc tam grandem cenſoria quadam grauitate contra cælibatum Epiſtolam ad Nicolaum ſcripſerit. In quo me tibi aſſenſorem non habebis, neque præceptores tuos, ſi ipſi conſentire ſibi velint: quippe qui has litteras non Vlrico, tum adoleſcenti, ſed Epiſcopo tribuant; imo ipſe in Epiſtola ſe Epiſcopum vocat. Et rectè Munſterus ſcribit eum, vt ipſius verbis vtar, *Auguſtenſem Eccleſiam* 50. *perpetuis annis adminiſtraſſe tanto zelo, vt Romano Pontifici Sacerdotibus ſuæ diœceſis legitimas vxores adimere volenti, non ſtatim acquieuerit.* Quibus verbis ſignificare videtur, Vldaricum, cū Epiſcopus eſſet, apud Nicolaum Pontificem (quod fieri non potuiſſe docui) Sacerdotalis coniugij cauſam egiſſe: tum non præfractè eam defendiſſe, ſed Pontificis ſententiæ, licet non ſtatim, acquieuiſſe. Quod ſi ita res ſe habuerit, Vldaricus cælibatui Sacerdotum non erat perinde infeſtus: vt eum fuiſſe videri volunt Euangelici.

Lib. 3. Coſmograph.

Crit. Sed quid ſtatuis de iſta parte Epiſtolæ, quæ Gregorium primum attingit? An cenſes eum non reperiſſe Romæ ſexies mille capita infantum in piſcina, quos ipſi parentes horrendo ſcelere è medio ſuſtulerant, propter cælibatum, ad quos eos Gregorius coegerat? Cujus quidem poſtea edicti magna Gregorium pænitentia cepit, ob eamque cauſam illud poſtea reſcidit. Non conſternatis animo, non totus exhorreſcis ad hanc tragœdiam? Ego certè iſta vix ſine pallore ac tremore commemorare poſſum, pro tanta rei atrocitate.

Iren. Et ego me ſane vix à lacrymis temperare poſſum.

Crit. Rectè facis; cùm indoleſcas tanto ſceleri.

Iren. Non equidem eo dixi, me penè illacrymare, quòd iſti tragœdiæ, quam tui vigilantes ſomniant, quicquam ingemiſcam (neque enim ſatis adhuc mecum ſtatui, lacrymis an riſu magis iſta ſint digna) verum iſtorum impudenti vanitati ingemiſco. Extant enim Ioannis Rom. Pontificis de vita Diui Gregorij, & præterea Auguſtæ Diui Vldarici ſcripta, inter quæ ne veſtigium quidem aliquod huius mendacij.

Crit. Quod de ſcriptis Vldarici tam conſtanter affirmas, vnde quæſo habes? An ipſe vnquam Auguſtæ verſatus es, huius rei exquirendæ gratia?

Iren. Fateor me ibi nunquam fuiſſe. Ab alijs tradita non mihi comperta narro: ſed tamen, quibus hæc accepta refero, eiuſmodi ſunt, vt merito his fidem habere debeam; præſertim cùm ad hanc rem plenè cognoſcendam, opportunitate loci inuitati, adhibuerint tempus & diligentiam: ac proinde, non priuato aliquo colloquio, ſed libris publice contra Euangelicos tuos editis, rem ſic habere teſtati ſint. Quibus eo plus fidei tribuo, quod nemo tuæ factionis hactenus, quātum intelligo, eos hac in re mendacij arguere potuerit. Quod ſi, vt numerum, & nomina eorum edam, poſtulas: duo ſunt; alter Faber Auguſtanus, alter Fridericus Staphylus, quorum vtrunque non niſi honoris cauſa nomino. Poſterioris verò, quibus Illyricum tuum pungit, verba, quia hanc rem paucis expediunt, & dilucide explicant, non grauabor recitare. Auſculta igitur: *Hiſtoriam,* inquit, *refert Illyricus, cuius auctorem fecit S. Vlricum Epiſcopum Auguſtanum, de repertis neſcio vbinam ad monialium cœnobia infantum multis capitibus. Similem hiſtoriam à Luthero narratam audiui. In monumentis autem S. Vlrici ſcio non reperiri; cum in Cœnobio eo, in quo corpus eiuſdem S. Antiſtitis ſupereſt Auguſtæ, iſtius hiſtoriæ nulla ſyllaba extet vſquam, haud dubiè ſi alicubi, certè hoc in loco, vbi & vixit, & exceſſit vita; ceteraque illius omnia reperiuntur, & hoc reperiendum quoque. Nec cauſa probabilis vlla eſt, cur nobis fragmentum cuiuſdam Vlrici obtrudatur pro S. Vlrici Epiſcopi Auguſtani opere: ſed aut eſſe huius legitimè probet Illyricus, aut commenticium hominis ignoti, atque incerti figmentum fateatur eſſe: quando, vndè prodierit illa fabula, pro certo ſit compertum antea nemini; niſi hoc tempore res iſta audita. Abs te Illyrice, tuiſque ſimilibus inuentum quoddam eſſe, potius homines cordati crediderint; quemadmodum enucleate iſtius hiſtoriæ aniles nugas refutauit D. Faber Auguſtanus: dum ex collatione temporis oſtendit, nec D. Vlricum vixiſſe vllius ætatis Nicolai Pontificis, ſicut tu aſſeueraſti, nec vllum talem cœnobium, quod tu fingis, eſſe in rerum natura: ſed vel abs te confictam fabulam eſſe, vel ab alio nebulone quopiam. Verum licet Illyrico, in vſum Eccleſiaſtici operis ſui id genus hiſtorias comminiſci; cùm veritas deſit; vt veriſimilitudinem mentiatur conficta ſpecie veri: qua ſibi perſuadeat Lutherum eſſe tertium, ſe quartum Heliam: nobiſque liceat illud vicissim Ennij occinere: Quam ſimilis ſimia eſt turpiſſima beſtia vobis.* Hæc Staphylus. In quibus, præter alia hoc in primis animaduertendum cenſeo; neminem ex veteribus, huius Epiſtolæ mentionem vel leuiſſimam inijcere.

Reſponſ. ad confictas defenſ. quas inter Cath eſſe falſo criminatur Illyric.

Illyric. in Catalogo.

Crit. At certè Æneas ille Pius Romanus veſter Pontifex, in quadam ſua peregrinatione ſcribit; Diuum Vldaricum Romano Pontifici in hac cauſa ſe oppoſuiſſe.

Iren. Primum vero conſtat, Æneam non eſſe ſcriptorem veterem, ſed recentiorem: deinde cum is inter perpetuas peregrinationes, ac legationes quaſi conſenuerit; cur non oſtēdit nobis Illyricus, quænam fuerit iſta peregrinatio? cur non edit librum certum Pij, vbi hæc ſcripta reperiantur? Aut fallor, aut aliquid doli mali ſubeſt; & ideo locum nominare non audet. Veriſimile enim eſt Pium hanc Vldarici Epiſtolam, vel vt ſubdititiam, vel certè vt ineptam, falſam, & parum Catholicam reijcere. Sed vtcunque ſit, nihil mihi huiuſmodi adhuc in Pio legiſſe contigit; etiāſi

anxie

An Greg. legem tulerit de cælibatu, vel ſemel latam abrogauerit

anxie locum hunc conquiſierim. Illud vero ego à te lubens diſcerem, quam Gregorius de cœlibatu legem tulerit? eandemque poſtea ex pænitentia induxerit?

Crit. Miror ſanè noſtros homines, tantę lectionis, tam exquiſite doctos, tam perſpicaces, iſtud nobis non illuſtrare. Ego vero, vt nihil mihi arrogo præ tantis luminibus: quia tamen ſæpe etiam olitor, vt prouerbio dicitur, valde oportuna loquutus eſt; coniectura me id augurari poſſe puto. Etſi enim raro ad veſtos doctores diuerto; nuper tamen, ita, vt fit, incidi in Gregorium; in quo memini me legiſſe, eum, habito Romæ quinquaginta octo Epiſcoporum Concilio, anathema dictaſſe Presbyteris, ac Diaconis; qui ad matrimonium conuolarent, aut ſi quis Monacham, quæ Dei ancilla dicitur, in coniugem aſciſceret.

Matrimoniũ interdictum Presbyteris, & Diaconis. Lib. 2. Epiſt. Conc. Galcedon. Can. 16.

Iren. Sed hæc facile reijciuntur. Neque enim hoc primus ſtatuit Gregorius; ſed per omnem prius Græcam ac Latinam Eccleſiam vetitum fuit: neque Vldaricus huiuſmodi matrimonia probat. Et quando mihi probabis hoc anathema, aut Gregorium, aut ex ſuccesſoribus quenquam reſcidiſſe.

Crit. Video me aliquantum aberraſſe, ſed redeo in viam. Neſcio enim quo modo, quod volueram dicere, mihi exciderit. Hoc eſt ergo quod conſtanter affirmo, eum Hypodiaconos, qui prius liberi erant, & ſoluti ab hoc iugo ad cælibatum coegiſſe, dum lege lata caueret, ne quis in poſterum fieret Subdiaconus; niſi qui cælibem ſe vitam acturum promitteret. Hinc credo, totam hanc tragœdiam, ac miſerum infanticidium ſequutũ: vt non ſine cauſa, quod temere conſtituerit, conſultius renocarit.

Hypodiac. cælibatus indictus à Greg.

Iren. Magnam certe tibi præceptores tui gratiam debent, qui tam neceſſario tempore, ſuppetias illis tuleris. Edictum enim illud Gregorij, vt ne quis ad Hypodiaconorum numerum aſcriberetur, niſi caſtitatis perpetuæ ſponſionem faceret, agnoſco; quod eum poſtea infirmaſſe, ſi docueris; aliquem forte tibi aditum ad reliquã hiſtoriam aliquo modo probabilem faciendam, muniuiſſe videberis.

Nuptiæ Subdiaconis ante Greg. primi tempora interdictæ, nec poſtea vnquam permiſſæ.

Crit. Id certè non memini; nec auſim pronunciare.

Iren. Neque ſane tui præceptores vnquã id oſtenderint. Nam nec à Gregnrio, nec à Gregorio, nec à quoquam alio Romano Pontifice reuocatum, tam ipſius Gregorij ſcripta, quàm totius occidentalis Eccleſiæ vſus, ab eo vſque tempore perſpicue docent. Illud te ex Gregorio facile meminiſſe poſſe puto, Romæ quidem ante eius tempora receptum, ne in Subdiaconos cooptarentur, niſi qui continentiam profiterentur. Quod ante Gregorium centum quadraginta annis obſeruatum fuiſſe, ex Leone primo apparet: qui de his Hypodiaconis ita ſcripſit: *vt qui habent*, inquit, *ſint tanquam non habentes, & qui non habent, ſint ſingulares*. Quod cum in Sicilia non ſimiliter obtineret; vt ibi quoque obſeruaretur, edicto Gregorius ſanxit. Totius vero huius Gregorianæ pænitentiæ figmentum, videtur hinc natum, quod, cum ante illa tempora Hypodiaconi Siciliæ cælibatum non voluiſſent; ab Epiſcopis tamen ex conſtitutione

Leo. Lib. 1. Epi 42. Epi. 84. c. 4.

227. q 11. ca. Multorum.

Pelagij Pontificis, vel vxoribus abſtinere, vel miniſterijs Eccleſiæ temperare cogerentur; quod his verbis vetuit Gregorius: *Quod mihi durum atque incompetens*, inquit, *videtur, vt qui vſum continentiæ non inuenit, neque caſtitatem promiſit, compellatur à ſua vxore ſeparari, atque per hoc, quod abſit, in deterius cadat, vnde videtur mihi, vt à præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, vt nullum Subdiaconum facere præſumãt, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit*. Hæc Gregorius. Mirari interim merito poteris, quomodo ſoli Subdiaconi, aut, tam paucis, quibus Gregorius Pontifex fuit annis, tam ſalaces, vt tot millia procrearint; aut tam crudeles, vt tot millia infantum, tam horribili cæde ſuſtulerint; aut tam ambitioſi, vt potius quàm Subdiaconatu carere vellent, immani ſe paricidio obſtringerent, aut tam ſtolidi, vt ex Sicilia, miſera necatorum infantum corpora ad vnam Romanam piſcinam detulerint, aut omnes poſtea ſcriptores tam obliuioſi facti ſint, vt nemo rem tam atrocem litteris mãdaret. Quæ hodie etiam ſempiternis tenebris obruta iacuiſſet, niſi Nicolaus Romanus, aut iamdudum mortuus, aut à Diuo Vldarico nõdum nato, iſtam admirabilem Epiſtolam accepiſſet. Sed ficta huiuſmodi ſolent nobis Euangelici in Veneris ſuæ gratiam, præter & contra omnem fidem, interdum obtrudere miracula: cum, quæ à ſanctis patribus ſupra communis naturæ vires, ſingulari Dei beneficio, mirabiliter geſta ſint, impie contemnere & irridere ſoleant.

Gregor. Greg. Epi. 34 lib. 3. Epi. 42. li. 1.

Fabula de cæde infantum tam abſurda, vt ipſa ſibi fidem abroget.

Crit. Si hæc ita ſint, piget ac pudet me meæ inſcitiæ ac temerariæ credulitatis.

Iren. Sed iam, omiſſa eorum vanitate, accipe doctorum tuorum parem prudentiam, qui ſi iſta vera eſſent, plane conciderent. Seuere enim hæc Epiſtola interdicit, ne Sacerdos aut Monachus matrimonium ineat, quales Apoſtates appellat. Concedit vero pro ſua benignitate, vt vxores ante Sacerdotium acceptæ, ſimul cum Sacerdotio retineantur. Quod cum videret Baleus, quem ex eius libris fraterculum fuiſſe, & poſtea è clauſtro ad inceſtum proruiſſe intelligo, veritus credo, ne ipſum Vldaricum Apoſtaſiæ ſuæ teſtem haberet, hanc hiſtoriam ſatis habuit attingere, & proinde ſtatim ab ea, tanquam canis in Nilo bibens, fugit. Illyricus vero ac Vueſthemerus, quaſi noui Atlantes omne hoc impudentiæ onus ſuſtinent, perque vniuerſam hanc vanam atque impudentem hiſtoriam, quæ nõ ſolum impuram iſtam doctrinam, ſed & ipſum totius huius noui Euangelij fundamentum penitus euertit, longa oratione peragrãt. Nam ſi hanc Epiſtolam adeo ſuſpiciant, neceſſe eſt non ſolum fœda iſta Sacerdotum, & Monachorum adulteria, quibus matrimonij velamen, hac etiam Vldarici Epiſtola reclamante, obducunt, reſcindere: ſed & Romanum Pontificem, vt ſummæ ſedis Epiſcopum, vt omnium Epiſcoporum patrem, vt vniuerſalis Eccleſiæ caput, vt Apoſtolicum denique ſuſpicere & venerari. Sed potius quam eo redigi velint, ſcio, vltro proſilient, & aduerſus Vldaricum ſuum, quaſi egregium impoſtorem & inſignem Antichriſti patronum, acriter vociferaturi ſunt. Atque hæc quidem de Auguſtana fabula. Ego vero timeo, ne tui mihi ſi iſta reſciſcant, ſubiraſcantur, quòd reconditos

Vldarici Epiſt. & præcipua quædam Euang. placita ex diametro impugnant.

Baleus,

Illyric. Vueſthemerus.

ditos ipſorum faſtos, vt olim Cneus Flauius ſcriba, euulgarim.

Crit. Nolim te hic ſolicitum eſſe, noſti enim fidem ac taciturnitatem meam. Atqui cuiuſcunque ſit hiſtoria, hactenus certe probanda videtur, ne lege cælibatus initiandi teneantur; in quo videntur mihi veſtri Pontifices culpa non carere.

Iren. Nemo initiari cogitur: at ſi ſe ſacris ſponte addicere velit, vxorem prius conſentientem dimittere debet.

Crit. Id quidem ſatis iniquum videtur; & Decretis plane Nicænis ac ſanctiſſimo confeſſori Paphnutio aduerſari; de quibus noſtri glorioſe triumphant.

Iren. At edant illi canonem illum Nicænum; & præterea ſecum diſpiciant; an inter eos recenſeatur, quos Carthaginenſes probarunt.

Crit. Noſti vtriuſque noſtrum conſenſu hanc rationem fuiſſe dudum exploſam. Satis eſt in rebus à noſtris temporibus tam remotis, & tot aduerſariorum, vt dixiſti, inſidijs appetitis, alios probatos auctores, in quos iuſta ſuſpitio non cadat, proferre.

Iren. An vllos mihi vnquam proferent, per quos non grauiori ſtatim vulnere concident; quàm ſit, quod aduerſarijs infligunt? Omnes enim vno ore iam inauguratis Sacerdotio omnem matrimonij ſpem aperte adimunt: fruſtraque tui hodie nobis illam de præeunte matrimonio quæſtionem mouent; cum quicquid neceſſitas primis Eccleſiæ temporibus aliter extorſerit, hodie non fere recipiantur, niſi virgines, aut, demortua vnica vxore, deinceps ſe continentes. Iſtos vero quam frontem habere dixeris, qui, abiecto primum religioſo profeſſionis ſuæ habitu; deinde orthodoxa & Catholica fide, poſtquam ſe iſtis inceſtis coniunctionibus, quibus Monachi Monachas ſibi copulant, fœdarunt; tum deinde cenſoria quadam grauitate licere id quoque diſputant; putantes ipſos tueri ſe poſſe vmbra Paphnutij, qui cælebs per totam vitam fuit, & hanc eſſe antiquam Eccleſiæ regulam profitetur; ne, qui cælebs ad Clerum peruenit, vxorem ſibi adſciſcat.

Euangelici inceſtas ſuas nuptias fruſtra conantur defendere auctoritate Paphnutij.

Crit. Sit ita; ſed miror Romanum Pontificem, ac reliquos Occidentis Epiſcopos à Decretis Nicænis ex illa alia parte receſſiſſe.

Cælibatus Sacri ordinis in Eccl. Occidentali optime congruit cũ decretis Concilij Nicæni.

Iren. Neutiquam ſane receſſere, ſed ea accurate conſeruant: cùm eos, qui cælibes Clero admoti ſunt, ex ſententia patrum eorumdem, ita permanere cogunt.

Crit. At illis temporibus etiam matrimonio coniuncti allegebantur: nec tamen vxores abijcere ſunt coacti.

Iren. Quod neceſſitas temporum; in magna raritate idoneorum hominum expreſſit; non eſt iam ad conſequentiam producendum. Neque patres vllam Eccleſiæ neceſſitatem impoſuere, vt maritos aſſumeret. Quare, cum huiuſmodi non adſciſcat, & ab alijs continentiam exigat; neutram in partem quicquam committitur contra ſententiam Nicænorum Patrum. Quanquam neſcio quo modo, in dubium mihi venit fides huius de Paphnutio hiſtoriæ; ſunt enim quæ ſuſpicionem aliquam important, eam eſſe Arianorum, aut impudicorum hominum conuentum.

CAP. XXIII.

Oſtenditur ex Patribus, qui circa Nicæna Synodi tempora vixerunt, dubiam eſſe hiſtoriæ illius tam decantatæ apud Euangelicos de Paphnutio fidem: & quanta Magdeburgenſes perfidia in recitanda quadam Epiphanij ſententia, vocem (canones) *ſilentio inuoluerint.*

Critob. QVid te impellit, vt ita pronuncies?

Iren. Non pronuncio, mi Critobule; neque iſta vt certa, ſed quaſi in deliberatione, ac cogitatione pono. Multa vero mihi hanc ſuſpicionem afferunt: primum, quòd ipſa acta Nicæna, vnde certam totius huius rei notitiam colligeremus, nuſquam appareant: deinde, quòd tota hæc res à Socrate & Sozomeno pendeat. Quorum alter Nouatianus videtur; alter Theodorum Mopſueſtienſem, à quinta Synodo damnatum, magnis laudibus extulit, & in multis verum non ſcripſiſſe arguitur. Ego tamen nec Socrati, nec Sozomeno, in reliqua hiſtoria, fidem auctoritatemue, niſi quatenus maiora rationum momenta aliunde acceſſerint, detractam volo, hic igitur ſic ſtatuo; aut illis, aut alijs probatioribus ſcriptoribus fidem nos derogare oportere; præſertim Epiphanio, qui quantum tempore & auctoritate, tantum etiam veritate in hac cauſa videtur illis præponderare.

Hiſtoria de Paphnutio cur ſuſpicioſa.

Socrates & Sozomenus ſuſpecta in hiſtor. fidei. Niceph. lib. 6. c. 37. lib. 9. c. 13. Gregor. prim. lib. 6. ep. 31.

Crit. Videtur itaque tibi Socratis, narratio non cohærere cum Epiphanio?

Epiphanius aduerſatur narrationi Socratis de lege cælibatus.

Iren. Maxime. Socrates enim refert, quoſdam ex Nicænis Patribus, nouam quandam in Eccleſia legem introducere conatos (eiſque reſtitiſſe Paphnutium) ne Sacerdotes, quas ante duxerant, vxoribus vterentur. Epiphanius vero, id omnino ita ex Eccleſiæ canone fieri debere oſtendit. Is itaque perſpicue narrat, *Deo addictos* (cuiuſmodi in primis erant tum temporis Apoſtoli & reliqui Chriſti diſcipuli) ab vxoribus prius ductis poſtea abſtinuiſſe. Quod cum aliquandiu Nicolaus vnus ex primis Diaconis obſeruaſſet, & incontinentiæ tandem magnitudine victus ſuccubuiſſet; &, vt eius verbis vtar, *tanquam canis ad vomitum* redijſſet, ad deteriora prolapſus, id alijs quoque faciendum affirmauit; & longius impudentia prouectus, communionem quandam vxorum, & primam de Sacerdotum incontinentia hæreſim, orbi inuexit, Sed audiamus Epiphanium omnem hanc quæſtionem aliter, ac iſti volunt, & Socrates ſcribit, explicantem: *Re vera*, inquit, *non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio, poſt Chriſti aduentum*, eos, qui *à nuptijs, mortua ipſorum vxore, ſecundis nuptijs coniuncti ſunt, propter excellentem Sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certò ſancta Dei Eccleſia cum ſinceritate obſeruat. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem, vnius vxoris virum non ſuſcipit; ſed eum, qui ſe ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum; maxime, vbi ſinceri ſunt canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, omnino in quibuſdam locis, adhuc liberos gignere, & Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At* hoc

Lib. 1. tom. 2. hæreſ. 25. contra Nicolait.

Nicol. Diaconi impia dogmata.

Epiphanij teſtimoniũ de Eccleſiaſtica ſui temporis conſuetudine in cælibatu Clericorũ. Vnius vxoris vir.

Obijcitur.

Digitized by Google

Refutatur.

hoc non eſt iuxta canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum non inueniretur miniſterium. Nam, quod decentius eſt, id ſemper Eccleſia per Spiritum Sanctum bene diſpoſita videns, ſtatuit apparare; vt cultus diuini indiſtracti perficerentur, & ſpiritales neceſſitates cum omni beneuola conſcientia peragerentur. Hæc & alia in hunc ſenſum Epiphanius. Cum itaque ille ex canone Eccleſiæ Sacerdotes, poſt initiationem, à prioribus vxoribus abſtinere debere contendat; neceſſe eſt, hunc canonem, aut eſſe Nicænum, aut certe prioris Eccleſiæ; quorum vtrumque omnem fidem Socrati adimit: cum nemo prudens aut Nicænos Patres ſibi, aut prioris Eccleſiæ ſcitis, aduerſari voluiſſe, credere velit.

Magdeburgenſium manifeſta fraus & perfidia in verbis Epiphanij nō plene recitandis.

Conr.4 cap 4 pag.303.

Quare cum hac Epiphanij auctoritate valde ſe premi Illyricus, ac reliqui conuaſatores iſti, & nouarum hiſtoriarum architecti viderent: recitant quidem iſtam, idque ex Iani Cornarij interpretatione, Epiphanij auctoritatem; ſed dolo malo vocem illam (*canones*) exploſere: ne inde fateri cogerentur & agnoſcere, aut Nicæna, aut antiquiora Eccleſiæ decreta, etiam priores iſtorum Dalilas prorſus excuſſiſſe. Quare non videtur ſatis conſiſtere Socratis de Paphnutio narratio. A quo eam Sozomenus & ceteri, qui in ſequuti ſunt, accepiſſe videntur. Ruffinus certe, qui honorifice de eo ſcribit, quantiſque ſignis & miraculis enituerit, quantumque ſua præſentia Concilium Nicænum honeſtarit, oſtendit; nihil de hac hiſtoria meminit. Euſebius præterea, qui huic Synodo interfuit, & multa de ea ſcribit; de hac hiſtoria nihil omnino habet; imo penitùs ei contradicere videtur: *Oportet, dicit ſermo diuinus, Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe, veruntamen eos, qui ſacrati ſunt, itaque in Dei miniſterio, cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos à commertio vxoris decet.* Id ita eſſe Arelatenſis ſecunda Synodus, circa Nicænæ tempora habita, ſatis oſtendit. Quæ adfirmat, *neminem in coniugij vinculo poſitum ad Sacerdotium aſſumi poſſe, niſi conuerſione prius promiſſa*: & mox adijcit: *Si quis*, inquit, *de Clericis à gradu Diaconatus in ſalatio ſuo mulierem, præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam, ſecum vxorem habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur.* Ante quam Synodum, & etiam Nicænam, Patres in Concilio Elibertino in Hiſpania ita decreuerunt: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Hypodiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & nō generare filios. Quod quicūq; fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.*

Ruffinus. Lib.1 hiſt. Eccleſ. cap 4.

Euſebius.

De demonſt. Euang lib.1. cap 9.

Canon 2. Arelatenſis Synodus ſecunda. Canon 3.

Elibertinū Concilium. Canon.33.

Succedat iam Hieronymus; *Si Laicus*, inquit, *& quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali; Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt: Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio.* Et alibi; *Quod ſi indigne*, inquit, *accipiunt mariti, non mihi iraſcantur, ſed Scripturis ſanctis; imo Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, & vniuerſo choro Sacerdotali, & Leuitico; qui ſe nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali.* Quare ad Lucinium, recens Epiſcopum conſtitutum, ita ſcribit; *Habes tecum*, inquit, *prius carne, nunc Spiritu ſociam de coniuge germanam.* Idem rurſus; *Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut, ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* In quem ſenſum & Xyſtus Martyr ante Hieronymum ſcripſit. Ad hæc *Apoſtoli*, inquit Hieronymus, *vel virgines fuerunt, vel poſt nuptias continentes: Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut in æternum certe pudici.* Eadem ſcribit Ambroſius; *Veteribus*, inquit, *idcirco conceſſum eſt, Leuitis, aut Sacerdotibus, vxores ad vſum habere, quia multum temporis otio vacabant à miniſterio, aut Sacerdotio, multitudo enim erat Sacerdotum, & vnuſquiſque certo tempore ſeruiebat diuinis cæremonijs, &c. Nunc autem ſeptem Diaconos eſſe oportet, aliquantos Presbyteros, vt bini ſint per Eccleſias, & vnus in ciuitate Epiſcopus, ac per hoc omnes à conuentu feminæ abſtinere deberent: quia neceſſe eſt, eos quotidie præſto eſſe in Eccleſia, &c. Omni enim hebdomada offerendum eſt, etiamſi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada, &c. Si plebeis hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere ſe præcepit, vt vacent orationi; quanto magis Leuitis aut Sacerdotibus, quos die, noctuque pro plebe ſibi commiſſa oportet orare? mundiores ergo eſſe debent ceteris, quia actores Dei ſunt, &c.* Chryſoſtomus præterea ait; *Oportere Sacerdotem omni caſtitate eſſe armatum*; nec alios Epiſcopos ſuo ſæculo allegi ſolitos, quàm qui vxore carerent; vt iam oſtendimus, quod non ita multo poſt edicto cauit Iuſtinianus.

Hieronym. Contra Iouinian lib.1.

In Apologet. pro libris aduerſus Iouin.

Contra Vigilant.

Lib de caſtitate, vt teſtatur Franciſ. Turrian in lib.2. de dogmat. charact.

In Apologia ad Pandochium.

In epiſt.1. ad Timoth c.3.

Homil. 2. de patient. Iob. Nouell. Inſt 6 & 13. apud Holoand. & in vulg. collat tit 6. & coll.9 tit.15.

Quamuis verò mariti olim allegerentur in Clerum, & cum vxoribus vnis in ædibus verſarentur: non aliter tamen verſabantur, quàm cum matribus, filiabus, & ſororibus. Quod vel ex edicto Imperatorum Honorij, & Theodoſij apparet: quo, cum extraneas omnes feminas remouiſſent; *Concedimus tamen*, inquiunt, *facultatem eis, vt matres, filias, atque germanas intra domorum ſuarum ſepta contineant. In his enim nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui, caſtitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum, legitimum meruere coniugium. Neque enim Clericis incompetenter adiunctæ ſunt, quæ dignos ſacerdotio viros ſua conuerſatione fecerunt.* Quæ ideo ab illis Imperatoribus dicta ſunt; quia non aliter maritus ad Sacerdotium perducebatur, quàm ſi ex vxoris conſenſu, vt Hieronymus oſtendit, æternæ ſe pudicitiæ ex voto conſecraret, & vxorem in ſororem conuerteret. Id quod præter commemorata, Turonicum quoque Concilium præcipit, & ni fallor, ipſi quoque Nicæni canones: quibus cauetur, ne ipſi Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi mulieres ſecum retineat, præter matrem, ſororem, materteram, & ſimiles, quæ ſuſpitione non laborant. Quam cautionem etiam ad vxores Clericorum porrigi quidam putant: Et videtur Baſilius Nicænos canones in eam ſententiam interpretari, aduerſus Presbyterum quendam, qui vxorem ſecum retinebat: quam ab eo in monaſterium abduci voluit. Quod indicat non de quauis muliere, quæ ſimpliciter ſine aliquo crimine cum eo cohabitabat, ſed de vxore Baſilium ſenſiſſe: alioqui, cur in monaſterium ſine cauſa detruderetur? Quod in vxore, qua conſentiente, maritus in Clerum cooptatus erat, tolerabile fuit. Vtcunque ſit, præter commemoratos & alij quoque Patres abunde nobis ſuffragantur. E quibus Origenes ait: *Vereor dicere aliquid, quod ex ſermoni-*

Honorij & Theodoſij edictum.

L. eum qui Cod. de Epiſc. & Cleric.

Can 13. Can. 3.

Concilium Turonen. 2. Nicæni canones. Baſilius. Vide Nomocanon.

Digitized by Google

monibus Apoſtoli, Pauli datur intelligi; ne forte videar aliquos contriſtare. Nam ſi oratio iuſti, ſicut incenſum in conſpectu Dei; & eleuatio manuum eius, ſicut ſacrificium veſpertinum: dicit autem ijs qui in coniugio ſunt; Nolite fraudare inuicem, niſi ad tempus ex conſenſu, vt vacetis orationi; certum eſt impedire ſacrificium indeſinens eos, qui neceſſitatibus coniugalibus inſeruiunt. Vnde videtur, quod illius ſolius ſit, offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouet caſtitati.

Origenes. Homil. 23. in Numer.

Extant præter aliorum Romanorum Pontificum, Siritij, & eius poſt Anaſtaſium ſucceſſoris; Innocentij (de quo diximus) hac de re Decreta. *Si Paulus*, inquit, *Ad Corinthios ſcripſit; abſtinete vos ad tempus, &c & hoc vtiq; Laicis præcepit; multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & ſacrificãdi iuge officiũ eſt, ſemper debent ab huiuſmodi conſortio abſtinere.*

Siritij & Innocentij Decreta.

1. Cor. 7. In epiſt. ad Victricium.

Sed quid ad hæc Magdeburgenſes tui? Has & ſimiles Innocentij, ac aliorum Pontificum Epiſtolas, quaſi ſpurias, & parum germanas, temereque eis adſcriptas explodunt, cùm ob alia multa, quæ ipſi à ſe fingunt; tum quòd *plenæ ſint ineptis ſacræ Scripturæ accommodationibus*. Inter quas & hanc, quam ex Innocentio protulimus, & illam: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, irrident. Sed illi potius non cum Siricio & Innocentio, ſed cum Moſe expoſtulent, qui, vt Scripturæ tradunt, ob eandem cauſam populum ſanctificauit; & cum Dauide, qui ſuos ſanctos appellat: imo & cum Græcis ipſis, quos ſolos in hac impudicitiæ ſchola magiſtros ſequuntur; qui in Liturgijs ſuis; *Sancta ſanctorum*, ad hunc ſenſum interpretantur. Atque eadem auctoritate, qua Siricij & Innocentij Decreta, poterint Origenis, Euſebij, Synodi Arelatenſis, & Elibertinæ, Hieronymi, Ambroſij, Epiphanij, Auguſtini, & Africanorum, & aliorum Patrum teſtimonia, quæ recitauimus, reijcere; & impudenter clamare, ab eis neutiquam ſcripta.

Cent. 5. c. 7. pag 787.

Magdeburgenſium futiles calumniæ in Siritij & Innocentij Epiſtolas repelluntur.

Leuit 20. Exod. 19.

1. Reg. 21. Theod. Balſamo in c. 3. Carthagin. Concilij 3.

Quod quia; licet impudentiſſimi, non audent; ab hoc conſilio depulſi, alia rem aggrediuntur, & eo conuolant; vt cælibatus & continentiæ, quas afferunt, cauſas finxiſſe eos clamitent. Nam & ipſi hæc Euſebij, Hieronymi, & Ambroſij teſtimonia recenſent, ſed illo, vt diximus, præclaro effugio eludere ſe poſſe, ſtolide exiſtimant. Tum & aliud pari impudentia comminiſcuntur; quarto primum poſt Chriſtum ſæculo, *ſuperſtitione quadam hominum magis, & nouis opinionibus ex iniquitatis myſterio natis, quàm aut vero iudicio, aut neceſſitate irrepſiſſe in Eccleſiam, maxime vero Occidentalem, traditiones de conditionibus eorum, qui Eccleſiaſticis muneribus præeſſent; nimirum vt qui, vel nunquam coniuges fuiſſent, vel qui fuiſſent, vxoribus repudiatis, Sacerdotijs fungerentur.*

Cent. 4. c. 7. pag. 486. & 487

Magdeburgen. inſulſa in Patres calumnia.

Impudens Magd commentum. Cent 4. c. 7. pag 485.

Cent. 4. c 7 pag 486.

Et Paphnutium, licet acriter contendiſſet, vt coniugio prius initio libere vterentur, idque apud Nicænam Synodum obtinuiſſet; *in aliorum* tamen *gratiam permiſiſſe; vt, quicunque in Sacerdotum ordinem legerentur, ſi coniuges nondum eſſent, ne ducerent vxores; ſicut narrat*, inquiunt, *Sozomenus*. Imo Sozomenus non *in aliorum* id *gratiam* Paphnutium, quaſi conuiuentem indulſiſſe; ſed id ita faciendum vltro *ex veteri Eccleſiæ traditione* aſſeruiſſe ſcribit. Neque credibile certe eſt, ſi eius de maritis Sacerdotibus ſententiam Nicæna Synodus, vt iſti aiunt, probaſſet; voluiſſe non ſolum Latinos in Hiſpania, Gallia, Africa, & ipſos Romanos Epiſcopos in Italia; verum etiam Epiphanium, & reliquos in Græcia Patres, recenti & calenti adhuc tantæ Synodi memoria, eius ſe canonibus opponere.

Magdeb. de Sozomeno mẽdacium. Lib. 1. c. 23.

Cum itaque tota hæc hiſtoria à ſolo Socrate pendeat (Sozomenus enim eam ab eo mutuatur) nemo tam obtuſæ & craſſæ naris erit, præter Magdeb. tuos, qui Socratem Epiphanio, & Africanis (quos iſti ſolos in oculis tum habent, cum Romani Pontificis auctoritatem conuellere nituntur) ceteris Patribus ſit antepoſiturus. Et mira certe eſt hic metamorphoſis. Nam cum Socrates & Sozomenus alibi ſæpe apud eos male audiant, & vileſcant; vtpote quos totius ſuperſtitionis mancipia (Sozomenum maxime) faciunt: iam repente ita eoſdem efferunt, vt præ illis non modo Origenes, Euſebius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus; ſed & Innocentius Romanus Pontifex (cuius tamen ceteris omnibus teſtimonium propter eminentem loci auctoritatem maius, ſi Auguſtino credimus, pondus habere debet) pro hominibus ſuperſtitioſis, & nullius iudicij habendi ſint: quippe qui ſequantur nouas opiniones ex myſterio iniquitatis natas. Vides igitur tandem, aut nullam, aut fragilem certe atque infirmam eſſe hanc omnem de Paphnutio narrationem; & quæ, vel ipſo Sozomeno teſte, iſtos Veneris amaſios omnino iugulat: vtpote quà ſemel initiatis omnis matrimonij ſpes abrumpitur.

Socrates auctor hiſtoriæ de Paphnutio.

Sed ſit Paphnutij hiſtoria ex illa alia quoque parte, quæ Sacerdotes antea maritos reſpicit, vera: cur non potius illam commode, atque dextere, vt res, & æquitas poſtulat, interpretamur? Vt intelligatur non ibi agi de omnibus promiſcue maritis in Clerum allectis; quique ordinationis tempore continentiam profeſſi ſunt (nam de his lcuſiſſe Synodum abſurdiſſimum eſt iudicare) ſed de illis alijs, qui ante Synodum ſic Clero ſunt adiuncti, vt aut nulla Epiſcopi de ipſorum perpetuà in poſterum ex vxorum voluntate continentià præceſſerit ſtipulatio; aut illi eam, ſi quæ præceſſerit, ratam non habuerint; & nihilominus tamen, vel propter Epiſcoporum incuriam, vel Sacerdotum idoneorum primis illis temporibus raritatem, in Sacerdotium adſciti ſunt. Quos ab vſu coniugij inuitos noluit forte Synodus arceri, ea ratione, quam poſtea Gregorius primus ſe ſequutus eſt in Hypodiaconis illis, de quibus diximus.

Sententia Paphnutij commoda & idonea interpretatio.

Quod vt ita ſit; quid hoc facit contra receptum iam Eccleſiæ morem, quæ maritos ſuperſtite vxore, aut certe, niſi promiſſa cum vxoris conſenſu continentia, Sacerdotio non admouet? Id iam ſane certiſſimum eſt ex ijs, quæ diximus, totius Occidentis Sacerdotes (quos nos reſpicere maxime debemus, & non Orientem, vel propter eminentem Romanæ in eo Eccleſiæ authoritatem: vel quod in eo, & in Oriente, qui toties, tantiſque erroribus iactatus eſt, nati ſumus) à prioris coniugij vſu ſemper ſe continuiſſe: vt minus, quid in Oriente fecerint, laborare debeamus.

Cõſuetudo Occidentis potius, quã Orientis attendenda nobis in cælibatu Clericorum.

Quanquam ex ijs, quæ recitauimus, patrum teſtimonijs, in omni pæne Oriente id factitatum eſſe conſtat. Vbi, quod continentia iſta non ſit tam accurate ſeruata; contra primæ Eccleſiæ conſuetudinem, & contra Canones id factum Epiphanius, vnus ex illuſtribus Græcorum

Cælibatus olim vbiq; fere receptus in Oriente.

corum

Digitized by Google

Epiphanius Africani Patres.

eorum patribus, oſtendit. A quo non diſſentiunt Africani patres, qui tradunt, & Apoſtolos docuiſſe, & antiquitatem id ſeruaſſe.

Vtcunque ſit, fruſtra, & ridicule, & eum internecione impuri ſui Euangelij de Paphnutio doctores tui gloriantur; quem non habent patronum, ſed Nicolaum illum potius, de quo diximus, & Arianos, quos Paphnutius in dicta Synodo acerrime oppugnauit. Fuere enim Ariani potiſſimum, non Catholici, Nicolai huius egregij imitatores. Qui cum poſtea ad Catholicam fidem reuerterentur, vxores, quas ante Sacerdotium acceperant, abdicare cogebantur. Quare Illyricus, quantum velit, præclarum ſuum ducem Nicolaum (vereor enim, ne Paphnutius, ſi hodie viueret, valde ei iraſceretur) iactet, & magnis, vt ſolet, lateribus Sozimum, & alios falſi inſimulet; ſummamque ſuam, & ſuorum fidem in hac hiſtoria conſarcinanda prædicet, qui nobis tam ſincere Epiphanium ac alias hiſtorias recenſet: Vt iam miſereat me magis Vueſthemeri tui, ac Petri Martyris, quàm vt illis inuideam tam amplum & auguſtum teſtem. Qui hunc nobis Nicolaum, vt protomartyris Stephani præclarum collegam, vt egregium quendam ducem pro ſacris iſtis Sacerdotum hymenæis proponunt.

Quos patronos habeant Magdeb. in oppugnatione cælibatus.
Nicolaus.
Ariani.
Conc. Tol. 3. cap. 5.
Vueſthe. in locis communibus Petr. Mart. de votis.

CAP. XXIV.

Non eſſe contra verbum Dei, aut Apoſtolorum canones, vt Magdeburgenſes, Balſamon, & alij Græci aſſerunt, perpetuam ex conſenſu coniugum continentiam. Lepida item refertur hiſtoria, quo modo Balſamonis ambitionem eluſerit Imperator Iſaacius.

Crit. Nihil iam video, vnde multum hæſitarem, niſi quod Balſamon vir doctiſſimus, atque adeo ipſi canones in Trullo editi ſeuere prohibeant; ne Presbyter, aut Diaconus vxorem abijciat, & in eo non tam ſuo nitantur quam Apoſtolorum iudicio, imo ipſius Chriſti dicentis, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*: hac tamen cautione habita, vt dixi, ex Patribus Carthaginẽſibus, vt miniſterij tempore, quàm fieri poterit caſtiſſime verſentur.

Can. 13. Sexta Synodi generalis.
Can. Apoſt. 5 in Græca editione, in Latina 6. 2. Matt. 19. Marc. 10.

Iren. Credideram tibi iam prius abunde de canonibus in Trullo & ſexta Carthaginenſi Synodo ſatisfactum; vt non neceſſe haberemus eodem deuolui.

Crit. Non tam eorum iam vrgeo, quàm Chriſti, Apoſtolorum, ac Balſamonis auctoritatem. Nam Balſamon vehementer in Latinam Eccleſiam propter hanc cauſam inuehitur. Ex quo facile apparet, hunc vſum in Græcia ab ipſa ſexta Synodo ad vltima Conſtantinopolitani Imperij tempora perduraſſe.

Balſamon.

Iren. Perdurarit ſane ſi velis. Cur me ad Græciam, cui hodie (atque vtinam non propter iſtos & alios errores) Turcę dominantur, inque mediam Turciam ad puriorem fidem ex eius fontibus hauriendam relegas? Cur Græciam, quæ toties, & tam grauiter in fide lapſa eſt, homo Latinus adeo amplecteris? cui ego recte, quod Auguſtinus olim Iuliano Pelagiano, qui ab Occidentalium ſententia ad Orientales prouocabat, quodque iam ante recenſui, dixerim: *Quid, inquit, reſpondit Innocentius, quod non Apoſtolica ſedes perſeueranter tenuit?* Hæc quidem Auguſtinus de Innocentij contra Pelagium reſponſo. Innocentius vero ad Exuperium, ſanctum illum & celebrem Toloſanum Epiſcopum ſcripſerat; ne Sacerdotes aut Leuitæ vxoribus vterentur, & abolitas iam eſſe Iudaicas illas miniſterij vices. Quare non itidem & hic illud Auguſtini obtineat? Quid potuit ſancto Exuperio vir ille ſanctus reſpondere, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes, & Romana cum ceteris tenet perſeueranter Eccleſia? At noſtri hodie Orientem, & Græciam reſpiciunt, præ quibus Roma illis ſordeſcit. Audiant igitur, rurſus eundem: *Non eſt, inquit, Iuliane, cur prouoces ad Orientis Antiſtites, quia & ipſi vtique Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis terrarum fides iſta vna eſt; ſed te Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Eccleſia. Quid ei quæris inſerre, quod in ea non inueniſti, quando in eius membra veniſti?*

Ad Græciā & Orientem non tam reſpiciendum nobis eſt in cauſis religionis, quā ad Romam & Occidentem.
Auguſtin. *Lib. 1. contra Iulianum.*
Innocent.
Tom. 1. Conc.
Auguſtin. *Lib. 1 contra Iulian.*

Quod ſi iſti à Græcis, tanquàm delicijs ſuis aueli ſe ægre patiantur; cur magis ipſis noua, mollis, delicata, atque effeminata, quàm antiqua illa maſcula, & fortis Græcia, quæ neutiquàm huiuſmodi voluptatibus elanguit, placere debeat? Nam nemo prudens exiſtimabit Carthaginenſes Patres aliud ſenſiſſe, quàm ſanctum eodem tempore Innocentium, ac reliquam Romanam Eccleſiam. Sed illos (vt dixi) iſta Græcia artificioſe deprauauit. Nec eſt, quod ſcrupulum tibi canones Apoſtolorum moueant: inter quos extare, qui vetet, ne Presbyter vxorem abijciat, de quo Gręculi, & doctores tui mirifice exultant, non ignoro: quem tamen miror iſtos tantopere obtrudere, quibus reliqui nullius momenti ſunt. Cur enim illum non obſeruant; Ne quis poſt baptiſmum duplici coniugio implicatus ad Clerum aſciſcatur: & hunc, Ne, qui cælebs peruenit ad Clerum, vxorem ducat, niſi ſoli lectores & cantores: aut alium; Ne quadrageſimæ ieiunium quis violet? Quos vt Eccleſia Catholica non infringit; ita nec eundem, quem iſti tantopere amplectuntur. Neque enim abijcit vxorem, qui, ea conſentiente, iuri matrimonij renuntiat: Alioqui, ex præcepto Pauli ad tempus ab officio coniugum abſtinentes, vt orationi vacent, abijcere ſe inuicem dicentur. Neque de hoc vſu ſenſiſſe Apoſtolos iam antea ex Epiphanio manifeſte docuimus: licet eos huc inuitos noui noſtri Nicolaitæ trahere velint. Curam ergo vxoris, & liberorum inſtituendorum, ac alendorum dimittere propter Chriſtum prohibemur; cum ſit, teſte Paulo, infideli deterior, qui eam abijcit: Alioqui dicant mihi, cur edicto ſuo iubeant Epiſcopum priorem vxorem abdicare; eamque in monaſterium ingredi, procul ab Epiſcopi habitatione extructum.

Græcia antiqua & noua quam diſſimiles inter ſe.
Socr. lib. 5. c. 22.
Canones Apoſtolor.
Conc. 5. vel alias 6.
Can. 17.
Can. 16.
Canon. Apoſtolor de vxore Presbyt. nō abijcienda hodie non violatur.
Can. 68. vel alias 69.
Can. 48. Sexta Synodus generalis in Trullo.

Crit. Atqui non ſeparatur, niſi ex ſuo conſenſu, nec niſi ea cõſentiente, vt Balſamom tradit, maritus in Epiſcopum adſciſcitur. Quocirca non videtur aliqua ei iniuria irrogari.

Iren. Quare ergo queruntur Græculi de Romanis, apud quos aut mariti non ordinantur, aut deſinunt vxorum conſenſu eſſe mariti? Quamquam maritos ordinari Epiſcopos etiam ſuo tempore in Græcia deſitum oſtendit Chryſoſtomus, & poſtea canones ſequutus, huiuſ-

Hieronym. *Cont. Vigilãt. Hom 2 in loco. Nouell 6 & 123.*
Chryſoſt.

Iuſtinianus. huiuſmodi ordinari Iuſtinianus vetuit.

Crit. At communem iſtum conſenſum ad perpetuam caſtitatem, verbo Dei repugnare, arbitrantur Magdeburgenſes.

Cent. 5. c. 4. pag. 518.

Iren. Scio: ſed ſi ſapis, Auguſtino magis, quam illis, aut Græculis tuis aures accommodaueris, qui occinunt, illud Chriſti infirmari; *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Is itaque ita ſcribit: *Beatiora ſane coniugia iudicanda ſunt, quæ ſine filijs procreandis, ſiue etiam iſta terrena prole contenta, continentiam inter ſe pari conſenſu ſeruare potuerint: quod neque contra illud præceptum ſit, quo Dominus dimitti coniugem vetat. Non enim dimittit qui cum ea non carnaliter, ſed ſpiritaliter viuit; & illud ſeruatur, quod per Apoſtolum dicitur: Reliquum eſt, & qui habent vxores, quaſi non habentes ſint.* Hæc Auguſtinus. Iam alios patres de coniugium ex mutuo conſenſu continentia, & Gregorium in primis Romanorum audiamus. Docet ſane, inuito altero ex coniugibus, non licere alteri eam viuendi rationem profiteri, quæ ſit à coniugio aliena: ſed hæc mox adiungit; *Si vero vtriſque conuenit, continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare? Duobus enim modis ſancti viri etiam à licitis ſolent abſtinere: aliquando, vt merita ſibi apud omnipotentem Deum augeant; aliquando vero, vt anteactæ vitæ culpas detergant. Proinde cum boni coniuges; aut meritum augere deſiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere; vt ſe ad continentiam aſtringant, & meliorem vitam appetant, licet.* At Gregorium quamuis ſanctiſſimum hominem, & nihil hic, niſi quod cum veritate ſit omnino coniunctum, loquentem, Magdeburgenſes, pro inſito in Romanos Pontifices, & Monacos odio, non audiunt: imo hanc Gregorij ſententiam neſcio quo næuo deformatam clamitant.

Matth. 19.
Auguſtinus. *Lib. 1. de ſermon. Dom. in monte c. 25. Epi. 199 ad Ediciam.*

Gregorius. *Lib 9. Epiſt.* 39.

Cent. 6. c. 4 pag. 258.

Sed Paulinum credo, ſanctiſſimum, & doctiſſimum Nolæ Epiſcopum audient; qui huiuſmodi coniugum continentiam, miſſa ad Aprum Epiſtola, plurimum laudat. At illi neque raræ virtutes, & doctrina, neque rarior pietas, qua ex Senatore clariſſimo, ingentibus prædijs ad pauperum vſus dimiſſis, vt Chriſtum expedite ſequeretur, ad ſummam ſe pauperiem, vitæque auſteritatem demiſit; neque reliquæ laudes, quas Hieronymus, Auguſtinus, & reliqui aſſatim in eum congeruut, quicquam ei ſuffragantur, quin à Centurionibus noſtris vapulet. Quare & huius ſententiam, ſi ob nihil aliud, vel quia Monachus erat, reijciunt. Sed tibi cogitandum relinquo, vtrum plus fidei tribuendum ſit Gregorio, & Paulino, conſentientibus cum Auguſtino, & Hieronymo, alijſque Eccleſiæ Catholicæ patribus, quàm Centurionibus iſtis, nulla alia re magis quam hac ingenti mendaciorum ſtrue, & Lutheranæ fæcis propagatione, orbi Chriſtiano notis. Quibus iam in hac cauſa ſatis abunde reſponſum eſt, & eadem opera Græcis etiam tuis.

Paulinus. *Epiſt. 3. ad Aprum.*

Cent. 5. c. 4. pag. 519. & cap 10. pag. 1259.

Nam Balſamonem, licet virum certe doctum, minus moror, vel quia odio, magis quam veritate contra Romanam Eccleſiam pugnat; vel quia pro augenda ſua dignitate canones figere, ac refigere ſolitus ſit: qua tamen in re Iſaacius Angelus Græcus imperator egregie cornum deluſit hiantem.

Balſamoni quid tribuendum.

Crit. Nolo iam tibi amplius de Synodo Carthaginenſi, aut ſexta, moleſtus eſſe. De Balſamone tamen quo ſpectes, audire geſtio.

Iren. Dicam: fuit ad eius tempora Nicetas, vir ſanè eloquens, & doctus, atque hiſtoriarum ſcriptor. Is itaque tradit, Iſaacium cogitaſſe, Doſitheum quendam Hieroſolymitanum Epiſcopum ad ſedem Conſtantinopolitanam transferre. Sed videbat obſtare propoſito ſuo canonem quendam Eccleſiaſticum, qui tum apud Græcos vigebat. Quare Balſamonem hunc conuenit, aut potius callide circumuenit. Deplorat apud eum bonorum, & doctorum virorum penuriam: non ignorare tamen ſe, Balſamonem pro iuris diuini, ac humani conſultiſſimo haberi, & proinde ſe iam animo Conſtantinopolis ſedem ei deſpondiſſe: dolere verò, quòd cogitationes perficere non poſſet; propterea quòd Antiochena, quaſi altera coniuge præuentus eſſet. Quod impedimentum ſi pro prudentia ſua tolleret, rem omne ex animi ſententia confectum iri. Balſamon lætus recepit in ſe totius negotij huius curam.

Nicetas in Iſaacio Angelo part. 201.
Hiſtoria faceta quo modo Iſaacius Imp Iudificauerit Balſamonem, & artem illius alia arte illuſerit.

Vide quid ambitio, & lucri ſpes faciat.

Poſtridie habita frequenti Epiſcoporum Synodo, ita ſurſum ac deorſum hanc quæſtionem, & canones agitauit, vt omnes Epiſcopos ad ſuam ſententiam traheret. Mox renunciatur ex communi ſententia patrum, canones de transferendis Epiſcopis nihil obſtare, quo minus quis ab vno Epiſcopatu ad alium tranſeat. Rex voto potius, non Balſamonem, ſed Doſitheum traſferendum, & Conſtantinopolitanæ ſedis dignitate ornandum pronunciat. Nec multo certè meliore fide arbitror Balſamonem, & reliquos Græcos in tractandis his Africanorum patrum, & ſextæ Synodi Carthaginenſis canonibus eſſe verſatos. Ad quos Magdeburgenſes, tanquam ad tutiſſimam, & inexpugnabilem quandam defenſionis ſuæ arcem, confugiunt. Quam ita, ni fallimur, concuſſimus atque labefactauimus; vt nec Africani, aut Niceni patres, nec reliqua, quæ de Cornelio, Liberio, Ioanne 23. & illo alio Ioanne, ad Romanis Pontificis authoritatem infirmandam attuliſti, quicquam vel Magdeburgenſibus, vel Apologeticis proſint. Illas præterea Magdeburgenſium tuorum contra illuſtria Gregorij Neocæſarienſis, & Marcelli Apameenſis miracula, & Apologeticorum tuorum de conficta infantum cæde calumnias abunde iam diſſipauimus. Tu, ſi quid tibi præterea in hoc genere dicendum occurrat; in medium, quicquid id ſit, proferto.

Summa eorum, quæ in hoc primo dialogo diſputata ſunt.

Crit. Et ſi de his, quæ hodie in diſceptationem vocata ſunt, parum me felicem ſucceſſum habuiſſe video: ſpero tamen in reliquis meliorem. Ea enim mihi iam potiſſimum ſuperſunt, quibus Monachorum veſtrorum hiſtoriam maioribus viribus, melioreque, vt mihi quidem perſuadeo, fortuna expugnem. Cui fortè, & ex Caluino noſtro inſignem illam de Nectario hiſtoriam ſubijciam, qua priuata veſtra Confeſſio penitus aboletur. Sed quoniam vberior eſt iſtarum rerum narratio, quam vt paucis expediri poſſit; eam, ſi lubet, in craſtinam auroram differamus.

Iren. Placet: & tum nos, vt ſperamus, ſanctos Monacos, & priuatam quoque Confeſſionem à tuorum Euangelicorum calumnijs liberabimus.

FINIS.

Digitized by Google

ALBERTI PIGHII

C A M P E N S E M.

HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ,

LIBER TERTIVS.

Alberti Pighij ingenij doctrinæque monumenta, præteriti ſæculi paginæ exaratæ relinquerunt; Theologum eruditionis non mediocris, eius exponunt Codices; Belgam natione, Patria Campenſem hiſtoriæ. Scripſit Albertus inter cætera de Hierarchia Eccleſiaſtica librum, opus ſane laude dignum, aliquando acriori ſtylo inter textum, cuius fuit ſcopus, & ea quæ ad fidem Religionemque ſpectant Catholicam, & atque Eccleſiæ vnitatem firmare, & impios hæreticorum errores iugulare quibus Eccleſiaſticam Hierarchiam, ſacrum ordinem, munia ſingulorum, graduſque peruertere, atque deprauare conantur; hinc ipſius Præſidis vnitatem, Petrum eius Caput a Chriſto conſtitutum demonſtrat, Succeſſoreſque eius Romanos Pontifices adſtruit, authoritatemque Eccleſiaſticę Hierarchiæ Pręſidis, perdoctè ſtabiliendo complectitur. Controuerſias præterea inter Regnum, & Sacerdotium exagitatas denodando, detrudit, præcipuè impietatem Marſilij illius Patauini, hæreſum Lutheri Anteſignani ac propè Magiſtri. Conciliorum tandem Authoritatem, veritatem, formam, modumque, ſolide, & clarè explanando dilucidat. Ea propter, non paruam apud viros doctos ęxtimationem conſecutus, Alberti doctrina, & nomen à pluribus celebratur, quod præcipue inuenire eſt apud Iacobum Gualterium in Cronographia ad annum 1500. Iacobum à Santo Carolo in Bibliotheca Pontificia, & Genebrardum in Paulo III. ſub cuius viuebat Pontificatu Albertus, cuique ſuum dicauit Codicem; typis excuſſum Coloniæ 1551. ex quo III. IV. V. depromimus librum, ad rem noſtram conſcriptos hic apponendo.

C A P. I.

Eorum, quæ deinceps tractabuntur, ordo conſtituitur.

VNAM eſſe Catholicam Eccleſiam, omnibus in confeſſo eſt, & Niceno decantatum ſymbolo. Nec præterea aliud quam ordinis eſſe vinculum, quod in vnum conciliet tam immenſam multitudinem, etiam demonſtratum eſt. Sacrum inſuper ordinem illum Ecclaſiæ, adeo conſtitutum, in ſuos gradus partiti ſumus quo tandem perueniremus ad hierarchiam, hoc eſt, ſacrum illum principatum Eccleſiæ.

Epiſcopatum vnicum eſſe, primumque gradum ordinis Eccleſiaſtici.

Inuenimus autem duos gradus principantium, nempe presbyteralem, vt nunc loquimur, & Epiſcopalem. Quorum hic tametſi primus ſit, iſque vnus gradus, non ſinit tamen natura Chriſtianæ Eccleſiæ hac in re, vmbræ ſuæ veteri conformari exacte: ſed majorem diſtinctionem requirit veritas corporis, quam ſit in vmbra aut figura cernere. Veteris ſiquidem illius ſynagogæ paucitas, vt vnius tantum cognatique populi, vni tantum templo, vni altari, tabernaculoque deſeruiens, vnico Pontifice contenta erat. Quare illic in gradu Pontificali ſuperuacuum erat talium ordinem quærere. At veritati cedente vmbra veteri, cum iam non vno tantum in templo, vno altari, vno orbis angulo, ſed in omni loco, iuxta Malachiæ vaticinium, offertur Deo oblatio illa munda, cum ſuum quæque Ciuitas Pontificem, ſeu Epiſcopum, ſuos Presbyteros requireret, æque erat neceſſarium Epiſcoporum pene infinitam illam multitudinem in vnum contineri, & redigi, ne vnuſquiſque ad ſe rapiens Eccleſiam Chriſti, eius vnitatem ſcinderet.

Epiſcoporũ multitudinem neceſſario ordinatam eſſe debere.

Quæ enim requirebat neceſſitas, particularis vnius Eccleſiæ eum ordinem, vt vni vnus præſideret Epiſcopus, atque ad eum eius cura pertineret

præ-

præcipua, eadem, & multo maior, eam requirebat vnitatem Catholicæ Eccleſiæ, eum ordinem, vt ſibi mutuo præeſſent, & ſubeſſent tam multi Epiſcopi, atque omnibus vnus præſideret ac ſuperintenderet: alioqui quo non pacto vnoquoque ad ſe rapiente Chriſti Eccleſiam, tot derepente enata fuerint ſchiſmata, quot eſſent Paſtores, & Epiſcopi?

Itaqua ſi ſuperius rectè a nobis demonſtratum eſt, nullam omninò in vnum conciliari poſſe multitudinem abſque ordine ad vnum aliquod ἡγεμονικὸν ſi omnem humanam ſocietatem aliquo ordinis vinculo neceſſario contineri, & in vnitatem redigi per ſuperintendentem aliquam, qua dirigitur ac gubernatur, autoritatem: ſi inſuper hoc requirere rationem ſocietatis, vt maximæ, ita perfectiſſimæ, nempè Chriſtianæ Eccleſiæ, vt ordine perfectiſſimo, ac diligentiſſime conſtituto, per ſupremi vnius præſidentis imperium, in vnitatem redigatur arctiſſimam: idque ſiue hinc ad figuram atque vmbram eius veterem, ſiue illinc ad ipſum eius exemplar (quod imitatur, & ad quod effigiata eſt) hierarchiæ cœleſtis, ſiue ad finem, ſiue autorem eius reſpiciamus, omnipotentem illam Dei Patris ſapientiam Chriſtum (cuius vt debebant eſſe perfectiſſima opera, ita effuſiſſimum ſui in eandem amoris preзioſi ſui ſanguinis, & amariſſimæ mortis, documentum certiſſimum præbuit) dubitari omnino non poteſt, quin ita ab eodem conſtituta ſit Chriſto, & velut caſtrorum quædam acies ordinata ſicut eam ab initio perduraſſe videmus, ſacro illo Presbyterorum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, primatumque ordine, per loca opportuna Apoſtolico miniſterio diſtributo, & diſpoſito: per quos ad vnum caput, vnam Petri Cathedram, vnum ſummum Pontificem, totius Eccleſiæ cura ordinatiſſimè deferretur, & conflueret.

Ab initio Eccleſia vi guiſſe in eũ illum ſacrũ ordinem.

Hunc enim ordinem talem ab initio viguiſſe inEccleſia, omnes ab initioEccleſiaſtici ſcriptores teſtimoniũ perhibent. Id quodlibet vnius aut alterius verbis hic breuiter adſcribere, ne præter neceſſitatem ſim prolixior (nam exactius hęc deinceps demonſtranda ſunt) Occurrit autem inter ceteros beatiſſimus ille Leo in hæc verba ſcribens ad Anaſtaſium: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi ſumus vnum Corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Hæc connexio totius quidem corporis vnitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus tametſi ſacerdotij ſit dignitas communis, non eſt tamen ordo æqualis. Quoniam, & inter Beatiſſimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & neceſſaria diſpenſatione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis Prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperene ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret. Hæc ille Leo. Ex quibus intelligis eccleſiaſticam quam diximus hierarchiam, non ſolum ſuis illis temporibus, hoc eſt, ante annos mille centum, ſed ex ipſa Apoſtolorum inſtitutione ab initio viguiſſe in vniuerſa Chriſti Eccleſia. Quod ipſum ſi alio quoque teſte æque aut etiam magis idoneo audire volueris, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, Anacletum accipe, illum Beatiſſimi Petri diſcipulum, atque ab eodem ordinatum Presbyterum quique eo ſeculo, in ea Eccleſia dignus inuentus eſt, cui vniuerſalis Eccleſiæ committeretur gubernacula. Hunc, inquam, Anacletum audi, non præcedentium ſæculorum, aut longe ante ſe geſtam hiſtoriam, ſed cuius aut ipſe pars fuit, aut quæ a Beatiſſimo Petro andiuit, ſcribentem in hæc verba.

Anacleti de ordine Eccleſiarũ, qui fuit a principio.

Anacletus ſeruus Ieſu Chriſti, in Apoſtolica Sede a Domino conſtitutus, & à Sancto Petro Apoſtolorum Principe Presbyter ordinatus, omnibus Epiſcopis, & reliquis Chriſti fidelibus ſalutem. Deinde continuo poſt exordium epiſtolæ. De primatibus, inquit, chariſſimi ſuper quibus me quidam veſtrum conſuluerunt, & Apoſtolicæ autoritatis (qua licet indigni Domino diſpenſante fungimur) decretum poſtularunt, ſi eſſe deberent an ſecus, quantum hactenus de his a Beato Petro, & reliquis Apoſtolis, ac a Beato Clemente ſancto Prædeceſſore noſtro, & martyre nouimus ſtatutum, denegare vobis minime poſſumus, & Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus eſt: & ſicut Dominus illum conſtituit, a nullo debet perturbari. Scitis enim a Domino electos, & conſtitutos Apoſtolos, & poſtea per diuerſas Prouincias ad prædicandum diſperſos. Cum vero meſſis cœpiſſet creſcere videns Dominus paucos eſſe operarios, ad eorum adiumentum elegit ſeptuaginta Diſcipulos. Epiſcopi vero Domini, Apoſtolorum, Presbyteri quoque ſeptuaginta, diſcipulorum locum obtinent. Et paulo poſt: Amplius quam hos duos ordines Sacerdotum, nec Chriſtus nobis contulit, nec Apoſtoli docuerunt. Epiſcoporum vero ordo vnus eſt, licet ſint primates illi, qui primas Ciuitates tenent: qui & in quibuſdam locis Patriarchæ a nonnullis vocantur. Illi autem qui in Metropoli a Beato Petro ordinante Domino, & a Prædeceſſore noſtro prædicto ſancto Clemente, ſeu a nobis conſtituti ſunt, non omnes Patriarchæ aut primates eſſe poſſunt: ſed illarum vrbium, quæ priſcis temporibus primatum tenuere, Epiſcopi, primatum aut Patriarcharum: reliquæ vero Metropoles Archiepiſcoporum aut Metropolitanorum, non autem primatum aut Patriarcharum vtantur nominibus, &c. Aliæ autem primæ Ciuitates (quas vobis conſcriptas in quodam tomo mitrimus) a Sanctis Apoſtolis, & a Beato Clemente, ſiue etiam a nobis primates Prædicatores acceperunt. Hæc vero Sancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, non ab ipſis Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper Eccleſias vniuerſas, & totum Populi Chriſtiani gregem aſſequuta eſt. Sicut ipſe dixit Beato Apoſtolo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni Cœlorum: & quæcunque ligaueris ſuper terram,

Romanam ab ipſo Chriſto obtinuiſſe primatum.

Digitized by Google

ram, ligata erunt, & in Cœlis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, ſoluta erunt, & in Cœlis, &c. Prima ergo ſedes eſt cœleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quam Beatiſſimi Apoſtoli Petrus, & Paulus ſuo martyrio conſecrauerunt, &c. Secunda autem Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine, a Marco eius Diſcipulo, & Euangeliſta conſecrata eſt. Qui in Ægypto primus verbum veritatis directus a Petro prædicauit, & glorioſum ſuſcepit martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam eiuſdem Beati Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis. Quia illic priuſquam Romam veniret, habitauit, & Ignatium Epiſcopum conſtituit. Illic etiam primum Chriſtianorum nomen nouellæ gentis exortum eſt. Reliquas vero (vt prædiximus) primates ſedes prolixitatem vitantes epiſtolę,
Ca. apo. 35. in quodam tomo vobis conſcriptas direximus. Hoc ipſum namque, & Beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, vt Epiſcopi ſingularum ſcirent gentium, quis inter eos primus eſſet, quatenus ad eum potior eorum ſollicitudo pertineret. Nam, & inter Beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio poteſtatis. Et licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen conceſſum eſt a Domino, & hoc ipſum inter ſe ipſi voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas exiſteus, principium, & caput teneret Apoſtolatus. Hactenus ille Anacletus. Quem audis affirmantem, vt ab Apoſtolis, atque adeo Principe Apoſtolorum Petro, & Succeſſoribus eius, ſe & Clemente conſtituta ſit hierarchia inter reliquas Eccleſias, earumque antiſtites ſub vna Romana Eccleſia, eiuſque Pontifice. Vtque eadem ipſa Romana Eccleſia, eiuſque Pontifices, veluti Beatiſſimi Petri in ea Succeſſores, non ab hominibus, non ab Apoſtolis, ſed immediate ab ipſo Domino Saluatore noſtro, ſuper omnes omnino Eccleſias, & vniuerſum Chriſtiani populi Eregem, primatum obtinuerint, & eminentiam poteſtatis. Qui & in alia Epiſtola, quam ſcribit Catholicæ Chriſti Eccleſiæ: Si, inquit, difficiliores ortæ fuerint quæſtiones, aut Epiſcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores cauſæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſi appellatum fuerit, referantur. Quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſſione Saluatoris, vt maiores, & difficiles quæſtiones ſemper ad Sedem deferantur Apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam ſtruxit Eccleſiam, dicente Domino ad Beatum Principem Apoſtolorum Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Vides itaq; quo autore, & per quorum miniſterium ordinata, & conſtituta ſit Eccleſiaſtica hierarchia, ad quod caput vniuerſa referenda ſit. De quorum indubia fide certaq; veritate, tametſi nemo poſſit merito ambigere: omnium ſiquidem ab initio, & totius Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu, illi perhibente teſtimonium: nihilo minus propter Catholicæ Eccleſiæ, atque eius hierarchiæ hoſtes, & aduerſarios, quibus vilis eſt, & nullius ponderis autoritas traditionis Eccleſiaſticæ, ſcripturas autem ad ſuum ſenſum detorquent, & earum verum germanumq; ſenſum adulterant, preſſius, articulatius, diſtinctiuſque hæc nobis demonſtranda ſunt. Quandoquidem in his pendet caput, & cardo totius rei Eccleſiaſticæ.

In primis itaque luce clarius demonſtrabimus, Petrum conſtitutum à Chriſto Apoſtolici illius chori Principem, atque adeo vniuerſæ Eccleſiæ Paſtorem Summum, & præcipuum, aduerſariorum ſimul machinationes & argumenta diluentes in contrarium. Deinde, qui Petro ſucceſſerint in illo primatu Eccleſiaſtico, quandoquidem, & hoc nunc in dubium reuocant. Tertio loco, quam autoritatem conueniebat habere totius Eccleſiæ præſidem. Et quod eadem ipſi Petro, & Succeſſoribus eius ſingulari prærogatiua à Chriſto collata fuerit. Poſtremo, de Conciliorum autoritate diſputabimus, qualem quantamque habeant: & an ea ſubiecta ſit capiti hierarchiæ Eccleſiaſticæ, an vero contra. Quæ vbi modum finemque congruentem ſortita fuerint, haud longe à ſuo ſcopo ad præſens inſtituta aberrarit tractatio.

Capita argumentorum, quod hoc libro explicantur.

CAP. II.

Petrum conſtitutum à Chriſto, Apoſtolorum, atque adeo totius hierarchiæ Eccleſiaſticæ caput, Principem.

Tametſi ex his, quæ ſuperius demonſtrata ſunt, ſatis clare pateat veritas eius, quod hic demonſtrandum aſſumitur. Quandoquidem cum abſque diligentiſſimè conſtituta hierarchia Eccleſiaſtica, ordinataque per vnius præſidentis ſupereminentem autoritatem, nec ad momentum ſubſiſtere potuiſſet Eccleſia, & teſtes ſunt omnes ab initio ſcriptores ab ipſis omnino Apoſtolorum temporibus ita conſtitutam ab initio, nec aliud caput, alium ſuum præſidentem recognouiſſe, quàm Romanos Pontifices, velut Succeſſores Petri, nullum etiam nec ab ipſo initio ſe geſſiſſe pro eiuſmodi, nullum hæreticum aut ſchiſmaticum, quantumuis arrogantem, ſibi præſumpſiſſe autoritatem huiuſmodi. Vniuerſos autem ab initio Romanos Pontifices, quo ſupra nomine, magna confidentia exercuiſſe eandem ſuper vniuerſam Eccleſiam. Idque recognoſcente, & approbante eadem, quacunque patebat, Catholica Chriſti Eccleſia (quod partim teſtificantibus Anacleto, & Leone Sanctiſſimis Pontificibus paulo ante intellexiſti, & poſt luce clarius intelliges) cuius communem ſenſum, & conſenſum ea perpetua ſucceſſionis ſerie ad nos deductum, haud minorem ipſis Euangelicis litteris autoritatem habere, libro primo euidenter demonſtrauimus. Quis dubitabit illam Eccleſiaſtici primatus autoritatem à Chriſto commiſſam Petro, & Succeſſoribus eius, Romanis Pontificibus: niſi ſi quis forte dubitet eodem autore eſſe aut fuiſſe Eccleſiam? Nicolaus ille Sanctiſſimus Pontifex Beati Petri in Apoſtolica Cathedra Succeſſor, ad Michaelem Imperatorem aduerſus eiuſdem autoritatem ferocientem, ante annos circiter ſeptingentos, ſcripſit in hæc verba: Priuilegia iſtius ſedis perpetua ſunt, diuinitus radicata atq; plantata ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt: quæ ante imperium veſtrum fuerunt,

Digitized by Google

& permanent (Deo gratiæ) hactenus illibata, manebuntque poſt vos, & quouſque Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt immutilata. Iſta igitur priuilegia huic Sanctæ Eccleſiæ à Chriſto donata non ſunt, ſed celebrata ac venerata ſolummodo: pet quę non tam honor quàm onus nobis incumbit. Licet ipſum honorem non metitis noſtris, ſed ordinatione gratiæ Dei per Beatum Petrum, & in Beato Petro ſimul adepti, nos cogunt, noſque compellunt omnium habere ſollicitudinem Eccleſiarum Dei. Hæc ille Nicolaus Imperatori tunc ſe efferenti aduerſus huius Sanctæ Sedis autotitatem, confidentiſſime obiecit. Hæc eadem comprobata videlicet eirciter ſeptingentorum deinceps annorum continua ſucceſſione, aduerſus gigantes iſtos, qui Chriſto, eiuſque Vicario, Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi interniciale bellum inferre non ceſſant, & lacetare ſacroſanctam illam autoritatem, multo obijciemus confidentius: Ante vos fuerunt, etiam nunc peemanent, etſi vos rupetitis, peemanebuntque poſt vos huius Sanctæ Sedis illa ptiuilegia, nec quouſque prædicatum nomen Chriſtianum fuerit, eadem ceſſabunt immutilata ſubſiſtere.

Ex Euangelicis ſcripturis demõſtrari primatum Petri in Eccleſiaſtica hierarchia.

Sed quoniam ijdem illi ſacroſanctæ maieſtatis gigantei oppugnatotes Ecrleſiaſticam autotitatem nullius faciunt, nihil recipiunt, niſi demonſtratum ex Sacris Literis: quas tamen, & ipſas pro ſuo ſenſu, & arbitrio, probant, teprobant: & ſi quando ſuæ impietati aduerſari manifeſte videntur, ex albo ſubmouent, & exautorant, proſcindunt, lacerant, totquent, adulterant. Et impudenti ore, omnibus tetro Scriptoribus, & vniuerſæ ab initio Chriſti Eccleſiæ reclamantes, nullum in Euangelicis aut Apoſtolicis literis verbum inueniri contendunt, quod pro Petri, & Succeſſorum eius in Eccleſiaſtica hierarchia primatu faciat: quo cœcam eorundem impudentiam magis traducamus, ſi quo modo vt teſipiſcant, confundi poterunt, vtque medeamur infirmiotibus in fide, quibus illi de certis, & tot ſęculorum totius Eccleſiæ conſenſu fitmatis, vel ſcrupulum ingeſſerunt, vel etiam ſecum pertraxerunt in barathtum impietatis, & perfidiæ: ipſæ nobis Euangelicæ Apoſtolicæque litetæ hic excutiendæ ſunt, & videndum, num quid in eis deprehendi poſsit, quod pro Petri in Eccleſiaſtica hierarchia primatu faciat.

Mihi veto ita conſonanter omnia huic vni perhibere teſtimonium videntur, ita diligenter, & accurate, cum in carne cum carnalibus adhuc agetet Apoſtolis, eundem conſtituiſſe, & ſubinde repetiſſe, & inculcaſſe Chriſtum, vt nihil omnium maiori ſibi curæ fuiſſe videatur. Spero autem etiam te, quiſquis es lector, modo æquum nobis animum tantiſper accommodare volueris, idem nobiſcum iudicaturum.

Quod priuſquam demonſtrare aggrediamur, hoc te præmonere voluimus, pleraq; inter illos adhuc rudes, & carnales Apoſtolos dixiſſe, egiſſeque Chriſtum, quibus latentis aliquid Sacramenti ſignificare, & commendare eiſdem volebat: quorum tamen illi adeo nondum intelligebant myſteria, vt etiam in apertiſsimis eius ſermonibus vel ipſa luce meridiana clarioribus frequenter hallucinarentur, quemadmodum vniuerſa ferme atteſtatur hiſtoria Euangelica. Quare toties audiunt: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Nondum cognoſcitis, & intelligitis? Adhuc cœcatum habetis cor veſtrum? Oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? Sic, & Petro recuſanti ſibi lauari pedes dictum eſt: Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea. Hæc itaque vniuerſa, quamuis carnalibus adhuc nec intelligentibus, ideo tamen inculcabat præceptor optimus, vt eorum omnium recordarentur poſtea, induti ex alto virtute ſpiritus, qui eoſdem, & myſteria ſimul edocuit, omnemque rectæ intelligentiæ eorundem veritatem. Qua de re, cum proxima iam morte in cuſtodia ſermonum ſuorum doceret eſſe ſalutem, ne ex hoc turbarentur, quod eoſdem nec fideli mandaſſet memoriæ, nec ſanè intellexiſſent, ſubiunxit pius, & miſericors Dominus: Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis: ille me clarificabit, hoc eſt, præſtabit meorum, & dictorum, & actorum omnium intelligentiam veram.

Matt. 15. Marci 8. Ioan. 15.

Ioan. 14.

Itaque ſi dictorum actorumque Chriſti omnium rationem myſteriaq; diligenter perquiſieris, facile confido te inuenturum nobiſcum, quod pro Petri primatu in Eccleſiaſtica hierarchia faciat, imo vbi idem deſignari Petrum Eccleſiæ ſuæ caput, & Principem. Mihi ſanè videtur hoc ipſum feciſſe, cum nomen illi mutaret, ac de ſuo illud petræ ſaxique imponeret. Neque enim fruſtra, aut ſine magno myſterio mutatum alicui nomen in ſcripturis inuenimus. Sic Abrahæ confœderato iam ſibi magnifico illo glorioſoque fœdere. (Ego, inquit, ſum, & ponam pactum meum tecum, eriſque pater multarum gentium) nomen impoſuit, quod hoc ipſum ſignificaret. Nec, inquit, vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te: faciam te creſcere vehementiſsime. Ita & Sarai, Iſaac, Iacob, Salomoni, Ioanni quoque præcurſori cæteriſque ne ſim prolixior, non ſine grandi myſterio aut commutatum nomen, aut naſcituris impoſitum legimus. Quare neque hic ſuum defuiſſe myſterium confidendum eſt. Sed non vni, inquies, Petro inter Apoſtolos mutatum nomen à Chriſto: quin & Iacobo, & Ioanni filijs Zebedæi. Et impoſuit illis, inquit, nomina Boanerges. quod eſt filij tonitrui. Et his quoque fatemur nouum nomen impoſitum à Chriſto, aut potius commune quoddam cognomen additum verius, quod mutatum principale ac proprium. Nuſquam enim aliter quod prioribus illis ſuis appellantur nominibus, neque etiam huius cognominis vſquam fit mentio, niſi vbi hoc illis imponitur ſemel omnino apud Marcum. Nec tamen vel huius cognominis additio ſingulari carebat prætogatiua, & myſterio. Nam & hos duos vna cum Petro ad ſecretiſsima quæque admiſit, vnde excludebat reliquos, hos ſolos adduxit ſecum in montem, & regni ſui, ſuæque gloriæ prægustamentum quoddam eiſdem exhibuit, ſpeculatoreſque fecit illius magnificæ gloriæ. Vnde hanc cœlitus delapſam

Gen. 17.

Marci 3.

Matt. 17.

pſam

pſam vocem audierunt : Hic eſt filius meus dilectus , &c. Cum ingrederetur quoque archiſynagogi illius domum ſuſcitare mortuā

Marci 5. puellam , non permiſit vt quiſquam ſeſequeretur , inquit Euangeliſta , præter Petrum , Iacobum , & Ioannem . Ab illa etiam nouiſſima cœna eum exiuiſſet orare in prædium, cæteris quidem Diſcipulis dixit : Sedete hic, donec orem . Aſſumpto autem Petro, & duobus filijs Zebedæi , cæpit pauere , tœdere , contriſtari , & mœſtus eſſe , atque ait illis : Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem : vt quibus ſuæ gloriæ in carne mortali guſtum quendam præbuerat , ſuæ etiam infirmitatis præ alijs teſtes magis familiares haberet . Nec his dixit , vt cæteris . Sedete hic , donec orem , ſed ſuſtinete hic , & vigilate mecum . Ex quibus facile intelligis , nec Zebedæi filijs abſque ſpeciali aliqua prerogatiua magnoque myſterio fuiſſe illam additionem noui cognominis .

Sed ſicut diuerſa hæc ſunt , Petri, inquam , & Boanerges vocabula, ita ſua cuiq; myſteria quæ ipſis nominibus ſignificantur . Hos quidem tonitrui cognominauit filios, velut ad diuinorum ſecreta myſteriorum euolaturos altius . At nec res defuit cognomini . De Iacobo equidem qualis fuerit inter Apoſtolos , facile indicat illa Herodis in Eccleſiam recens natam mota perſequutio , quam incepit à Iacobo, tanquam ab eo qui eſſet ſingularis cuiuſdam prærogatiuæ , & dignitatis inter Apoſtolos , ab eo ad Petrum continue veniens totius Eccleſiæ principem . Ioanne vero quis euolauit ſublimius ? eum ad ipſum Dei Verbum , non tam audaci, vt inquit ille, quàm fœlici remeritare prorumperet , ac cœleſti reuelatione ſaturatus , illud procœmium cœlo veniens eructaret : In principio erat verbum , & verbum erat apud Deum , & Deus erat verbum,hoc erat in principio apud Deum. Nunquid non audis hic tonitrui filium ? At Si-

Myſterium nominis Cephæ aut Petri . monialia eſt ratio noui nominis , quod illi à ſeipſo deriuatum impoſuit , nempe Cephæ , hoc eſt , lapidis aut petræ . Petra enim erat Chriſtus,inquit Apoſtolus, ac proinde à Chriſto petra dictus eſt Petrus , vt hac ipſa ſui nominis communicatione , ſuas quoque vices geſturum ipſum in Eccleſia , atque eius pro ſe caput futurum ſignificaret, vnde vniuerſa Eccleſia dependeret, haud ſecus quàm à fundamento ædificium . Hoc enim illius ex multis ſibi conuenientibus electi ſingularis nominis myſterio clare ſignificauit , vt ſuper ipſum , velut ſuper ſaxum aliquod totius Eccleſiaſticæ ſtructuræ , conſtruenda foret ædificatio .

Ioan. 1. Quomodo de Ioſua prædicit Iacob ſuo filio Ioſeph ex ipſo egreſſurum illum paſtorem , & lapidem Iſrael . Itaque vt primum adduxiſſet illum eius frater Andreas ad Ieſum , vt qui prior ſecutus erat Dominum iamdudum Ioannis Diſcipulus , quem de illo dicentem audierat : Ecce agnus Dei , intuitus eum Ieſus dixit : Tu es Simon filius Iona , tu vocaberis Cephas , quod interpretatur Petrus aut lapis. Intuitus eſt eum, inquit ille Cyrillus,vt Deum decebat , qui corda & renes ſcrutatur , videtque qui nihil ignorat , ad quantam , & fidem & virtutem Diſcipulus peruenturus ſit , & antea quàm aliquid de eo quæſiuiſſet , tam ipſum , quàm patrem eius nomine appellat , & hac re Diſcipulum inſtruit illum , ſe eſſe qui cuncta etiam antequam fiant , nouit , nec Simon iam fore nomen ſibi , ſed Petrus prædicit,vocabulo ipſo commode ſignificans,quod in eo tanquam in petra lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam . Hæc ille

Cyrillus . Audis itaque huius nominis myſterium . Sed & Chryſoſtomus eundem locum In Ioan homilia 16.
exponens: Aduertendum autem, inquit, quod non omnia , quæ ventura erant ei , hoc primo congreſſu prædixit: non enim appellauit eum Petrum , non dixit ſuper eam petram ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam , ſed dixit:Tu vocaberis Cephas, adhuc in futurum hoc differens, maioris enim erat autoritatis,& poteſtatis nomen. Ea enim Chriſtus nunc continuit,humilius à principio loquitur.Cum verò diuinitatē ſuam monſtraret, maiora narrauit , inquiens: Ego dico tibi , tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam . Audis , & hic ex Chryſoſtomo maioris eſſe autoritatis ac poteſtatis nomen Cephæ aut Petri . Et nunquid vanus fuit aut nugator Chriſtus , vt non tribuerit hoc ipſum Petro , quod in promiſſo illi tam auſpicato nomine euenturum ſignificauit , nempe maiorem illam , vt Chryſoſtomus loquitur , & vicariam pro ſe autoritatem, & poteſtatem ? vtque ſuper ipſum tanquam ſuper petram , & ſolidiſſimum ſaxum non conſtruxerit Eccleſiam ſuam ? nunquid mendacem illum faciemus , qui dixit non præterituram generationem illam, donec omnia , quæ dixiſſet , implerentur .

Sed quoniam iuxta ſententiam præfatam Chryſoſtomi , in primo illo congreſſu nondum impoſuit illi hoc tam auguſtum , & magnificum nomen Petri , ſed tanquam in futurum reſpiciens dixit : Tu vocaberis Cephas , maiori adhuc merito illud ipſum reſeruans , tempeſtiuum videtur , vt ad ipſum accedamus locum vbi illi hoc impoſitum eſt de præſenti , plus forte lucis ibidem inuenturi , atque ab ipſo eius autore energiam quoque eius ac myſteria intellecturi planius . Habet itaque Matthæus in hunc modum : Cum veniſset Ieſus in Partes Cæſariæ Philippi, inter- Matt. 16.
rogauit Diſcipulos ſuos dicens : Quem me dicunt homines eſſe filium hominis ? Illi vero dicebant : Alij quidem Ioannem Baptiſtam , alij autem Heliam , alij vero Hieremiam , aut vnum ex Prophetis . Dicit illis Ieſus : Vos autem quem me eſſe dicitis ? Reſpondens autem Simon Petrus dixit : Tu es Chriſtus filius Dei viui , & reſpondens Ieſus dixit illi : Beatus es Simon Bar Iona , quia caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed pater meus, qui in Cælis eſt . Et ego dico tibi : quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā , & portæ inferi non præualebunt aduerſus eā : & tibi dabo claues Regni Cœlorum.Et quodcunque ligaueris ſuper terram , erit ligatum in Cœlis , & quodcunque ſolueris ſuper terram , erit ſolutum , & in Cœlis . Hactenus verba Euangeliſtæ . In quibus audis primum, quali merito ille Simon Ioannis tam auguſto Petri nomine donatus fuerit , quanta cum commendatione, quamque magnificis ipſum promiſſis eidem ſit impoſitum : vt vel ex eo quiuis facile intelligeret , non vulgare in eo contineri myſterium . Quod tametſi ipſa ratio nominis per ſe ſatis clare indicet , ne ta-

men in re tantopere neceſſaria, cuiquam eſſet ſeu dubitandi ſeu hallucinandi locus, idem ipſe nobis Chriſtus clariſſimè explicauit, dicens: Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Audis quid nomine illo Cephæ, hoc eſt, Petri aut lapidis illi impoſito, omnibus inculcare volebat Chriſtus, nempe ſuper ipſum, veloti ſolidum quoddam fundamentum ſuam ædificatam Eccleſiam, quæ haud ſecus ab eo depeoderet, quàm à ſuo fundamento ædificium. Vt futura, inquit ille

In Matt. hom. 55.

Chryſoſtomus, Eccleſia, tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius Paſtor, & caput piſcator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet. Et hæc omnia Chriſtus, quæ ſolius Dei ſunt, pollicetur ſe daturum Petro. Ita quoque & Pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem geotium pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum Chriſtus præpoſuit, &c. Tu vero (lectori ait) mecum ex iis omnibus quanta ſit Petri poteſtas, iotellige: Ego, ioquit, dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum. Hactenus ille. Audis itaque myſterium auguſtiſſimi nominis, audis piſcatorem hominem caput hic, & Paſtorem conſtitutum Eccleſiæ, audis vniuerſo orbi terrarum præpoſitum, totius denique eccleſiaſtici ædificij, velut fundamentum quoddam in ſe molem ſuſtioens, ac continens compaginis vnitatem.

CAP. III.

Orthodoxa ſanaque intelligentia dictorum Chriſti verborum ad Petrum aſſertio aduerſus deprauationem hæreticam.

Video hic veritatis hoſtes laborare plurimum, eidemque quantum poſſunt, manibus pedibuſque repugnare, & dicta Chriſti verba torquere, retorquere, ac ſurſum deorſumque miſcere, & confundere omnia, quo Petro diuinitus ſibi tributum honorem eripiant. Principio itaque hæc tam magnifica Chriſti verba ad Petrum: Beatus es Simon Bar Iona, & quæ ſequuntur cætera, nihil propria aut peculiariter ad Petrum pertinere contenduot: ſed vel ad omnes æque Apoſtolos, vt quos vniuerſos interrogauit, quid de ſe ſeotirent: pro quibus omnibus ſuo illo more, in perſooa ac veluti orgauum omnium reſpondiſſe vnum Petrum, quemadmodum, & diuo Hieronymo alicubi viſum eſt. Vel ad Eccleſiam ipſam, cuius ſunt illæ claues promiſſæ Petro, vt qui eius velut in figura videtur geſſiſſe perſooam, vt nonnuſquam Auguſtinus affirmat.

Deinde, nec per petram, ſuper quam ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam promiſit Chriſtus, vlla ratione Petrum volunt intelligi. Sed noonulli ipſam Petri confeſſionem aut fidem, quemadmodum Hilarius, & Auguſtinus cæterique nonnunquam loqui videntur. Alij vero, nec Petrum, nec fidem eius: ſed Chriſtum ipſum, idque eiuſdem Auguſtini autoritate, cui alicubi viſum eſt hunc locum etiam hoc pacto poſſe intelligi, perinde ac ſi dixiſſet: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſuper hanc petram, quam cognouiſti, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te. Cui ſententię adſtipulari volunt etiam illud Apoſtoli: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter 1. Cor. 3.
quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, qui & idem eſt caput Eccleſiæ ſuæ. Non poteſt autem duo fundamenta habere Eccleſia non magis, quàm bina capita, niſi monſtrum quoddam eam facere voluerimus. Et hæc atque eiuſmodi obganniunt aduerſarij.

Nos verò à planiſſima verborum Chriſti intelligentia nec latum digitum recedentes, ad vnum proprijſſimè Petrum hæc eiuſdem Chriſti verba: Beatus es Simon Bar Iona, & cætera quæ ſequuntur, pertinere contendimus, qui de ſua taotum ipſius fide interroganti Saluatori reſpondit id quod ſibi reuelauerat cœleſtis Pater: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Illum ipſum vere eſſe eam petram, ſuper quam fundata Chriſti Eccleſia, nullis inferorum poteſtatibus cedit. Eidem illi promiſſas dataſque claues Regni Cœlorum, & præpotentem illam etiam Cœlos penetrantem ligandi ſoluendique autoritatem. Et nequis hanc nobis veram orthodoxamque verborum Chriſti ſententiam vlla vi quocunque torquendo poſſit auertere, primum ex illis ipſis Chriſti verbis clariſſimam hanc eſſe quã protulimus, germanamque eorundem intelligentiam, oſtendere conabimur. Deinde eiſdem adhibebimus inflexibilem illam rectæ ſcripturarum intelligentiæ amuſſim, nempè communem orthodoxæ Eccleſiæ ſenſum: quē (vt primo libro demonſtratum eſt) in ſanctorum orthodoxorumque patrum (in quibus eundem illum Chriſti viguiſſe ſpiritum certum eſt, quem & illa columna, illud firmamentum veritatis Eccleſia inſtructorem nacta eſt) concordi ſententia clariſſimè licebit perſpicere.

Ad vnum propriè Petrum pertinuiſſe illa Chriſti verba: Beatus es Simon Bar Iona, &c.

Primum itaque haud ſane intelligo, quid hic dubitari poſſit, ſi quis ipſam Chriſti interrogationem paulo perpendat attentius, quin pro vno ſe illa reſponderit Petrus dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui, cum certum ſit, ſi quis eius, quod interrogabatur, naturam perpendat, ipſum pro nullo alio reſpondere potuiſſe. Nam interroganti ante de vulgi turbæque ſententia, poterant communiter reſpondere, vt alios alia loquentes audierant. Quare etiam communiter ac pluraliter tunc reſpooderunt dicentes: Alij quidem Ioannem Baptiſtam, alij verò Heliam, Hieremiam, aut ex illis antiquis Prophetis aliquem. At rurſus interrogati, quid ſentirent ipſi de Chriſto, hoc eſt, quiſque ſecum ac in corde ſuo, iam non erat amplius in commune reſpondendi locus, neque enim vna erat eorum omnium communiſque de Chriſto ſententia. Quæ etſi fuiſſet, nemo tamen fidei conſcientiæque alterius teſtis eſſe poterat, nemo videre de alio, quàm vno ſe reſpondere quid crederet. Hic iam tacentibus cæteris pro ſeipſo reſpoodit vnus Petrus: Tu es Chriſtus ille

Ex ipſis Chriſti verbis demonſtrare.

Filius

Digitized by Google

Filius Dei viuentis. Fortaſſis verum eſt quod ſcribit Hilarius apud reliquos nondum conſtitutam illam firmamque fuiſſe de Chriſto ſententiam, vt quæ communem fidem Iudæorum, etiam de ſuo illo quem expectabant Meſſia ſuperabat: ſupra quem non eſt incredibile illos adhuc nihil ſenſiſſe de Chriſto altius aut maguificentius. At Petro ſublimius aliquid reuelauerat cœleſtis pater: quemadmodum ipſa Chriſti verba clariſſimè atteſtantur. Vtcunqne tamen illud ſe habeat, hoc certo certius eſt, vnius Petri banc pro ſeipſo fuiſſe confeſſionem. Quo enim pacto alienæ fidei, eiuſque fidei quæ communem omnium de Meſſia fidem ſuperabat, potuiſſet perhibere teſtimonium, qui corda cogitationeſque aliorum intueri non poterat? quandoquidem latet fides in intimis cordium penetralibus. Niſi fortè inter ſe habuiſſe quis dicat deliberationem in commune de quæſtione propoſita: quam nullam præceſſiſſe, clare demonſtrat Euangelicæ lectionis ſeries. Siquidem continuo, vt de ſua ſunt interrogari ſententia, non reſpexit ad alios Petrus, non ad carnem, & ſanguinem: ſed moræ impatiens pro ſuo conſueto ac familiari in Chriſtum feruore continuo proſiliuit, & alios anteuertens nec ab eis, quid ſibi reſpondendum foret, expectans, in glorioſam illam confeſſionem prorupit, quam vni ſibi ſingulariter præ alijs reuelauerat cœleſtis Pater: Tu es Chriſtus ille, &c. Cuius tam glorioſæ confeſſionis merito, vnus quoque audiuit à Chriſto: Beatus es Simon fili Ioannis.

Non erat illi ſatis hic Simonem dicere, niſi, & patris proprij cognomen adijceret. Ergone fuit alius quiſquam Apoſtolorum Simon Ionæ filius? Quia caro, inquit, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus cœleſtis. Tibi, inquit, non vobis omnibus. Ex quibus verbis, vt ſatis clarè conſtat, eo tempore nullum cæterorum Apoſtolorum ad tantam fidei ſublimitatem perueniſſe: ita omnino certum eſt, nec tunc, nec longe poſtea fuiſſe vnam illam Apoſtolorum omnium de Chriſto ſententiam, quum illum Satanam ac proditorem Iudam inter illos fuiſſe, inficiari non poſsis. Qui ſi aut tunc, aut etiam poſtea, certo crediſſe eſſe illum Meſsiam, Dei viuentis filium, nunqnid Dominum gloriæ prodidiſset ad mortem? certè incredibile ipſum videtur Paulo Apoſtolo. Sed quid opus eſt hac coniectura, tametſi euidentiſsima, hoc colligere, cuius ipſe nobis Chriſtus luculen-

Ioan. 6.

tiſsimum perhibuit teſtimonium? Cum enim ſcandalizati eſſent etiam Diſcipulorum eius plerique ob ea, quæ dixerat de carne ſua manducanda, & bibendo ſanguine, ad eoſdem conuerſus: Sunt quidam, inquit, ex vobis, qui non credunt. Et quod inter hos non credentes, notauerit etiam Iudam, quamnis Apoſtolum, continuo explicat Euangeliſta dicens: Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſsent credentes in eum, & quis traditurus eſset eum. Vides ergo Iudam illum non crediſſe in Chriſtum. Quomodo igitur pro Apoſtolis omnibus bic reſpondiſset Petrus, id, quod certum eſt non omnes ſenſiſse de Chriſto?

Iam, & ſequentia expende verborum Chriſti, ex quibus nihilo minus eſt euidens hæc omnia pertinere ad vnum propriјſsimè Petrum. Nam poſtquam Beatum pronunciaſset, non Iudam Iſchariotis, non Iacobum aut Ioannem Zebedæi, ſed Simonem Ionæ filium, quem ad tam excellentem fidem illuminauerat cœleſtis Pater; ſubiungit: Et ego quoque dico tibi, quod tu es Petrus. Dixerat illi in primo illo congreſsu, cuius Andreas frater ſuus dux, & procurator fuerat: Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, hoc eſt, lapis. Nunquid idem dixit venienti ad ſe Andreæ, Iacobo, aut Ioanni Zebedæi filijs? Vocaberis, inquit, veluti prænuncians, nondum vocaris, aut es, Auguſtinus enim erat hoc nomen, quemadmodum ex Chryſoſtomo paulo ante audiuimus, maioriſque autoritatis ac dignitatis, quàm vt ſine inſigni merito eſset tribuendum. Nunc vero cum eius diuinitatem monſtrauit, & tacentibus cæteris, & vt par credere eſt, nondum credentibus, clarè, conſtanter, promptiſsimeque confeſsus eſt confeſsionem illam glorioſam eximio veluti premio remunerans, promiſsum implet, nunc dicit illi non vt prius, tu es Simon Ionæ filius, tu vocaberis Petrus, ſed tu es Petrus, aut lapis, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Perinde ac ſi diceret: Tametſi ego ſim natura illa inuiolabilis, & firma petra, cui eccleſiaſtica inædificata domus aduerſus ingruentem vim omnem, inconcuſsa, & ſtabilis permanet: ego ille lapis angularis, qui totius ædificij vnitatem contineo: ego quoque illud fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, & in quo omnis conſtructa ædificatio creſcit in templum ſanctum in Domino: ego habeam clauem illam Dauid, qui aperio & nemo claudit, claudo, & nemo aperit: tibi nihilo minus mecum participatione communia hæc erunt omnia, quæ mihi ſunt naturalia. Nam, & tu petra es, ſuper quam inædificata Eccleſia, nec infernalium poteſtatum vim pertimeſcet: tu lapis Eccleſiaſtici ædificij compaginis vnitatem continens: tu denique fundamentum etiam Eccleſiæ. Et tibi quoque dabo claues Regni Cælorum, atque eam autoritatem, vt quicquid hic ligaueris aut ſolueris in Eccleſia, hoc ipſum ratum firmumque habeatur in Cœlis. Hęc eſt verborum Chriſti ad Petrum, non contorta, non adulterata, non vi inducta, ſed plana, germana, natiuaque & ex ipſis verbis naſcens intelligentia, ſibi vndique conſona, & cui tam præcedentia, quàm ſubſequentia omnia perhibent teſtimonium.

Scripturas ab hęretico rum vi, & iniuria ſe prorſus vindicare non poſſe.

Sed quoniam nullus ſcripturæ locus ita planus eſt aut apertus, qui ab hæreticorum ſcripturas adulterantium, torquentium, & ad ſuum ſenſum deprauantium, vi & iniuria ſe prorſus vindicet. *Sunt enim illæ (vt nõ minus vere, quàm feſtine dixit quidam) velut naſus cereus, qui ſe horſum, illorſum, & in quam volueris partem, trahi, retrahi, fingique facile permittit, & tanquam plumbea quædam Lesbiæ ædificationis regula, quam non ſit difficile accommodare ad quiduis volueris. Suam illis amuſſim adhibere oportet, non plumbeam aliquam, & æque facile flexibilem: ſed firmam, & rigidam, ſed illam columnam,

*Non ex mepto Sac. Scriptura ſedex hæreticorum peruerſitate quemadmodum ſcripſit August. non aliunde natas hæreſes niſi dum Scriptura bona, intelligentur non bene.

illnd

illud fitmamentum veritatis, Catholicæ, inqnam, Eccleſiæ commnnem ſenſum, & ſententiam. Tnm demum certi ſecurique de genuina veraque earundem intelligentia, ſi illi per omnia conſonet, quæ vt canonicam ſcripturis autoritatem impartita eſt, ita veræ orthodoxæque earundem intelligentiæ Lvdius lapis eſt. Eam antem ex concordi ſanctorum orthodoxotnmque ab initio ad nos vſque pattum ſententia certo colligendam ſupra demonſtrauimus. Vbi enim congregautur illæ aquilæ, ibi Chriſtus & veritas: non autem in hæreticorum deſertis, antris, penettalibus, & latibulis.

Age itaque in concilium conuocemus illarum aquilarum, & ſanctiſſimorum Patrum noſtrorum venerabilem illum chorum, & pet ſingulos ipſotum de Chriſti verbis propoſiris ad Petrum ſciſcitemur ſententiam. Quæ ſi explicatæ Paulo ante à nobis concordare inuenta fuetit, de orthodoxa eius veritate ſecuti, hæreticum illum pronunciare, quiſquis eidem ſtudioſè aduerſatus fuerit, nihil dubitauimus.

Interrogemns antem in primis glorioſum illum Chriſti martyrem, & beatiſs. Petti ſucceſſotem & Diſcipulum Clemeutem, quam ipſe de prædictis Chriſti verbis intelligeutiam a ſuo illo præceptore didicerit, quam docuerit catholicam, cui præſidebat Eccleſiam. Hic in Epiſtola ptima ad Iacobum fratrem Domini, quam ante annos mille, & circitet ducentos, è Gtæco in Latinum vertit Ruffinus, tot inſignium authorum interpres, Otigenis, inquam, Xiſti philoſophi, Euſebij Cæſatienſis, Gtegorij Nazianzeni, Baſilij Magni, Pamphili martyris, Euagrij quoque, Theologicæ rei è Græcis, quod in confeſſo eſt, facile principium, ne quis (vt nunc certiſſima omnia in dubium reuocantur) de eius fide, & antiqnitate dubitet. In hac, inqnam, Fpiſtola in ipſo ſtarim initio affirmat, Simonem Petrum veræ fidei merito fundamentum definitum eſſe Eccleſiæ. Qua, inquit, de cauſa etiam Domini ore diuino cognominatus eſt Petrus, qui ſuit primitiæ electionis Domini Apoſtolorum primus, cui & primo Deus Pater Filium reuelauit, cui & Chriſtus competenter beatitudinem contulit. Hæc ille Clemens. A quo audis confirmari per omnia, quam ante ſtatuimus, de ptædictis Chriſti verbis ſententiam, vni Petro ſingularem illam Beatitudinem collatam à Chriſto, vni primo reuelatum à Deo Patre Filium, vnum glorioſæ illius confeſſionis merito honotatum illo Petro auguſtiſſimo cognomine, ac definitum eſſe fundamentum Eccleſiæ.

Anacleti teſtimonio Petrum caput Eccleſiæ & Pontificem primum dictis verbis conſtitutum a Chriſto.

Iam & huius ſucceſſorem æque in glorioſo martyrio, atque in Cathedra Apoſtolica Anacletum ptoximo loco interrogemus, etiam B. Petri Diſcipulum, & quem idem presbyterum ordinauerat, quam & ipſe de prædictis Chriſti verbis intelligentiam ab illo ſuo præceptore didicerie, quam docuerit catholicam, cui ptæſedit Eccleſiam. Scribit hie in epiſtola ad Epiſcopos pet Italiam paulo vltra medium: In nouo autem teſtamento poſt Chriſtum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primo Pontificatus in Eccleſia datus eſt, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus, & ſupet hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inſeri non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum. Rutſus in epiſtola ad vniuerſos toto orbe Chtiſti Sacerdotes, & Epiſcopos, affirmans, & inculcans Romanam Eccleſiam non ab Apoſtolis, ſed. ab ipſo Domino, Saluatore noſtro obtinuiſse primatum, & eminentiam poteſtatis ſuper alias Eccleſias vniuetſas, & totius Chriſtiani populi gregem, hoc ipſum dictis Chriſti ad Petrum comprobat: Sicut, inquit, ipſe beato Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſupet hanc ædificabo Eccleſiam meam. Vides itaque etiam ex huius ſententia, non ſolum ad vnum proprie Petrum, & Succeſſores eius Romanos Pontifices pertinuiſſe prædicta Chriſti vetba: ſed & Pontificem primum, Paſtoremque ſummum, & caput per ea conſtitutum Eccleſiæ.

Nunc Tertullianum etiam, & ipſum apoſtolicis tẽporibus proximum, audiamus quid ſentiat, aut potius, quam ipſe de Chtiſti Verbis ſententiam, velut communem, vulgatam, & omninm conſenſu celebratam ſubindicet: Latuit, inquit, aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, Claues Regni Cœlorum conſecutum, & ſoluendi, & ligandi in Cœlis, & in terris poteſtatem? Audis de qua petra ſit locutus Chriſtus, cum dixit Simoni: Tnes Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ipſe velut ſupponit communem atque omnibus notoriam Eccleſiæ ſententiam? Cui datæ claues Regni Cœlorum, & ſuper eminens illa ligandi ſoluendique poteſtas?

Sequenti hinc loco mirabilem illum Origenem rogemus ſuam proferre ſententiam, aut potius qnæ ſuo tempore communis fuerit catholicæ Eccleſiæ. Scribit hic in Matthæum de canone noui teſtamenti loquens in hæc verba: Petrns vero (ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam) duas tantummodo epiſtolas ſcribit: è quibus à nonnullis de ſecunda dubitatur. Rurſus in cap. 6. epiſtola ad Romanos Petto, inquit, cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetut, & ſuper ipſum tanquam ſupet tertam fundaretur Eccleſia, nullins confeſſio virtutis alterius, niſi charitatis exigitur. Iterum homilia 5. in Exodum, magno illi Eccleſiæ fundamento petræqne ſolidiſſimę, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam vide quid dieatur: Modicæ fidei quare dubitaſti? Audis, vt hic dicat ſuper Petrum fundaſſe Chtiſtum Eccleſiam ſuam? Non Hercle, tanquam aliquod controuerſum, dubium aut obſcurum, quod alios docendum exiſtimet: ſed tanquam ſuo illum vbique deſignas cantato omnibus recepto communi Eccleſiæ ſenſu elogio.

Hos continuo ſubſequitur glotioſus ille martyr & Pontifex Cyprianus. Quem audi idem paſſim ſignificantem, quod ille Origenes, nempe eam, quam ſupra adſtruximus, indubiam ſuo ſęculo fuiſſe totius Eccleſiæ de Petro ſententiam. Is lib. de ſimplicitate pręlatotum cauſam docens, cur ſe alioſque decipiant hæretici ſubuertentes fidei veritatem, & Corporis Chriſti vnitatem corrumpentes, rapientes videlicet de Eccleſia Chriſti homines, etiam eos, qui ſibi non videntur deſetere

re

Digitized by Google

re Chriſti Eccleſiam. Et cum, nec cum Chriſto, nec cum illius lege, nec euangelio reuera conſiſtant, exiſtimantes tamen ſe habere Chriſti Doctrinam veramque euangeliorum fidem, & apud ſe eſſe ſanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam. His, inquam, cur ſe alioſque inuoluant fallacijs explicans, docensqne hoc inde prouenire, quia nou reſpiciunt, non aſſurgunt ad Eccleſiaſticę vnitatis originem, nec caput quærunt, quod tamen clariſſime doceat doctriua cœleſtis euangelij cuique obuia. Eam hanc tandem profert: Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Vides quod ille, & ex quibus verbis euangelij oſtendat caput Eccleſiaſticæ Hierarchię, atque vnitatis eiuſdem originem? Qui hoc ipſum in epiſtola ad Iubaianum adhuc clarius explicae.

Petrus Caput Eccleſiæ, & Eccleſiaſticę vnitatis origo.

Manifeſtum eſt, inquit, vbi & per quos remiſſio peccatorum dari poſſit. Nam Dominus primum Petro, ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſteudit, poteſtatem iſtam dedit. Et infra in eadem: Chriſtus Eccleſiam ſuam, quæ vna eſt, fundauit ſuper vuum. Et in epiſtola ad Quintium: Nec Petrus, inquit, quem primum dominus elegit, & ſuper quam ædificauit Eccleſiam ſuam, cum Paulus de circuncisione poſtea diſceptaret, ſe vindicauit, ſin aliqnid inſolenter aut arroganter ſibi aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari tibi à nouellis ac poſteris potius oportere. Iterum ad Cornelium: Petrus ſuper qem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habet, & non credimus, & cognoſcimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui. Hactenus ille. Quam eandem ſententiam etiam pleriſque alijs locis inculcat & repetit. Ex his itaque clariſſime perſpicis etiam illius Cypriani ſenteutiam, noſtrę, quam ſupra adſtruximus, per omnia couſonam, videlicet Chriſtum elegiſſe ex omnibus Petrum, qui primus eſſet, & primatum obtineret in Eccleſia. Super illum fuudaſſe Eccleſiam ſuam. Illi dediſſe claues Regni Cœlorum, poteſtatemque illam magnificam ligandi, & ſoluendi. Quod ſi & ipſam his omnibus locutionis figuram, aut energiam attendas, facile intelligis, ita hæc dicta ab illis tanquam notiora atque omnibus confeſſa, & quæ habebat communis conſenſus Catholicæ Eccleſiæ.

Super Petrum fūdatam a Chriſto Eccleſiā

Sed iam reliquos adhuc andiamus, qui prædictos deinceps ſubſecuti ſunt, & eundem cum illis Chriſti ſpiritum habentes, idem etiā hac de re concorditer loquuntur, & ſentiunt Magnus ille Baſilius aduerſus Ennomium, de quibuſdam ſignis Petrum exprimentibus verba faciens: Per hanc, inquit, vocem intelligimus Ionæ filium, qui ſuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt. Qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe ædificationem ſuſcepit. Nunquid etiam hic non vides illam petram ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam, videlicet Ionæ filium, & Andreæ fratrem?

Petrum in ſuſcepiſſe ædificatione Eccleſiæ.

Huius contemporaneus Diuns Hilarius glorioſus Chriſti confeſſor ſuam nunc ſententiam proferat, aut potius catholicæ ſententiam Eccleſiæ. Hic in Matthæum ſcribens dicta Chriſti verba explicat hoc pacto: Editis itaque quæ diuerſæ de eo erant, hominum opinionibus, quid ipſi de ſe ſentiant quærit. Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui &c. Et dignum plane confeſſio Petri premium conſequuta eſt, quia Dei filium vidiſſet in homine. Beatus hic eſt, & vltra humanum modum oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat contuens, ſed Dei filium, Cœleſtis Patris reuelatione conſpiciens, dignuſque iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, digna ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues Regni æterni aditus traduntur. Cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in Cœlo: vt quæ in terris ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant, & in Cœlo.

Idem rurſus lib. 6. de Trinitate: O miſeræ, inquit, ſtultitiæ furor impius, non intelligens beatæ ſenectutis fideique martyrem, & martyrem Petrum, pro quo pater rogatus eſt, ne fides eius in tentatione deficeret, qui iterata à ſe dilectionis in Deum poſtulata profeſſione, teutari ſe tanquam ambiguum, & iucertum tertia interrogatione congemuit. Per id quoque à Domino poſt tertiam tentationis infirmitatem, paſce oues meas, ter meruit audire. Qui in cunctorum apoſtolorum ſilentio, Dei Filium reuelatione Patris intelligens, vltra humanæ infirmitatis modum, ſupereminentem beatæ fidei confeſſione locum promeruit. Hactenus ille. Audis hic vt cunctorum ſilentio vnus Petrus Dei filium reuelatione patris intellexerit? vt vnus dignus ſit habitus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret? vt beatæ huius fidei confeſſione, vltra humanæ infirmitatis modum, ſupereminentem in Eccleſia locum promeruerit? Audis denique myſterium auguſtiſſimi nominis ſibi impoſiti, quod ſuo effectu nequaquam deſtitutum eſt. Vtque in nuncupatione noui nominis factus fœlix Eccleſię fundamentum, dignaque illius ædificatione petra, & inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſoluens, vt eius arbitrio, tanquam cœli ianitori, claues aditus Regni Cœlorum committuntur. Vt eius terreſtre iudicium præiudicata ſit in Cœlis authoritas. Audis, inquam, quæ ſit dictorum Chriſti Verborum Orthodoxa, genuina, eaque planiſſima, & ſimpliciſſima intelligentia, & quæ, qualis, quantaque beato Petro his ipſis ſit contributa authoritas.

Iam & eius, qui hunc continuo ſubſequitur ſacri illius Ambroſij, audiamus ſententiam, an ſit conformis prædictorum omnium. In ſermone, quem habuit ad ſibi commiſſam

Eccle-

Petrus petra, ſuper quam fundata Eccleſia.

Eccleſiam, de natali Petri, & Pauli: Diximus, inquit, frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Rurſus ſermone 47. de fide Petri differens: Petrus denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur, quod primum in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat &c. Recte ergo meretur conſortium nominis, qui cõſortium meretur, & operis. Iterum de vocatione omnium gentium lib. 2. Vbi poſtquam de Petri pugna multa diſſeruit, ſcribit in hæc verba: Quis ambigat, quis ignoret hanc firmiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis ſumpſit, & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ſibi moriendi pro Chriſto daretur conſtantia? Audis quid ille frequenter dixerit in ſuis ad fidelem populum concionibus (cui non controuerſa, aut ambigua inculcantur, ſed quæ habet communis fides Eccleſiæ) ipſum Petrum videlicet illam petram nuncupatum a Domino, quæ totius Chriſtiani operis compaginem, molemque velut quoddam ſaxum immobile contineat, cum diceret eidem: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Cap. 9.

Diui nunc Hieronymi, qui illum continuo ſequitur, tempeſtiuum eſt etiam perſcrutari ſententiam. Eam clare explicat, ſcribens in Matthæum, & dicta Chriſti verba expendens, & ponderans: Ego, inquit, dico tibi, quid eſt quod ait, & ego dico tibi? quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus Filius Dei viui, & ego dico tibi, non ſermone craſſo, nec vllum opus habente, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt: quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt mundi lumen appellarentur, cæteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, ac ſecundum metaphoram petræ rectæ dicitur ci: Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te. Hæc ille Hieronymus. Cuius plurima eiuſdem ſententiæ teſtimonia poſt audies, cum ad obiectionem, quam ex eiuſdem authoritate nobis faciunt aduerſarij, reſpondebimus, ex quibus clare apparebit, ipſum conſtantiſſime ſenſiſſe nobiſcum. Interim vides, cuius erat illa glorioſa confeſſio, & ad quem pertineant dicta Chriſti verba, quibus eandem remunerat. Vides illam petram, ſuper quam ædificata eſt Chriſti Eccleſia.

**Exceſſit Author.*

* Auguſtinus tametſi fere non perſiſtat vbique in eadem ſententia, ſed tentat, timatur, ſubodoraturque omnia, & quicquid, vel probabile occurit alicubi amplectitur, alicubi placet, quod rurſus poſt diſplicet. Quemadmodum in his verbis Chriſti ad Petrum, modo Chriſtum vult eſſe illam petram, ſuper quam idem dixit ſe ædificaturum Eccleſiam Eccleſiam ſuam, modo Petrum, modo neque Chriſtum, neque Petrum, ſed fidem Petri. Tamen in omnibus ſuis ad fidelem populum concionibus, ab illa, quam hactenus adſtruximus, orthoxæ Eccleſiæ communi ſententia non recedit. Eamque nec tanquam ambiguam profert, ſed tanquam notoriam omnibus & confeſſam. In hęc enim verba loquitur in ſermone de Cathedra Petri, qui in eiuſdem ſolennitate communiter legitur in Eccleſiaſticis lectionibus: Inſtitutio ſolennitatis hodiernæ a ſenioribus noſtri Cathedræ nomen accipit, ideo quod primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus Cathedram ſuſcepiſſe referatur. Recte igitur Eccleſiæ natalem ſedis illius collunt, quam Apoſtolus pro Eccleſiarum ſalute ſuſcepit, dicente Domino. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petrum itaque Eccleſiæ fundamentum nominauit, & ideo digne hoc fundamentum Eccleſia colit, ſuper quod Eccleſiaſticæ ædificij altitudo cõſurgit. Vnde conuenienter pſalmus qui lectus eſt dicit. Exaltent eum in Eccleſia exaltari præcepit, quia dignum eſt, vt fundamentum hoc in Eccleſia honoretur, per quod Cœlum aſcenditur.

Rurſus in alio ſermone dicit in hæc verba. Primum ſignum mirabile B. Apoſtolus Petrus fecit, claudo pedum reſtituendo veſtigia. Audiſtis frequenter ipſum Petrum a Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, recte prius pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, pedes Chriſtiano curat, vt iam non trepidus quis nec imbecillis poſſit ſupra petram Eccleſiæ ſtare, ſed robuſtus, & fortis incedere. Hactenus ille. Vides itaque, & clariſſime ex his verbis perſpicis communem hunc fuiſſe totius Eccleſiæ de Petro ſenſum. Dicit eos frequenter audiſſe tanquam rem vulgatam, cõfeſſam & notoriam, ipſum Petrum a Domino nuncupatam petram, ſuper quam ædificaturus eſſet ſuam Eccleſiam. Eandem ferme ſententiam alio ſermone inculcat 16. de tempore. Et iterum ſermone 124.

Petro creditas claues Regni Cœlorum, & ſuper omnes iuriſdictionis authoritatem.

Credendæ, inquit, erant Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ, imo creditæ ſunt ei claues Regni Cœlorum, credenda quoque erat ei populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſuæ naturæ vicijs ac paſſionibus, culpis innoluta & peccatis. Denique ſic ad eum ſaluator dicit: Tibi, inquit, dedi claues Regni Cœlorum, deinde ſequitur, dicens: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis, videlicet in clauibus fidelis eſſet ianitor, & in ſententijs clementiſſimus diſpenſator. Erat enim reuera hic Petrus paulo durior, & ſeuerſus, ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui Principis Sacerdotum declarat auricula. Hic tam durus, tamque ſeuerus, ſi donum non peccandi fuiſſet adeptus à Domino, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed idcirco diuinæ prouidentiæ ſecretum ita temperauit, atque permiſit, vt primus ipſe laberetur ac rueret in peccatum, quo erga peccantes duriorem ſententiam proprij caſus intuitus temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga ſalutem hominum, quantum curæ fuit, quantumque ſollicitudinis impenditur, aduertite. Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccle-

ſiæ,

fiæ, & in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem. In ipſo confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobili fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo, qui dixerat, etiam ſi oportuerit memori tecum, non te negabo. Hæc ille Auguſtinus. Audis itaque quo hic pacto de Petro ſemper loquatur ad fidelem ſibi commiſſum populum? Quem dicat Eccleſiæ Caput, & verticem? quem ipſum immobile fundamentum fidei? cuinam creditas prædicet claues Regni Cœlorum? cui commiſſam populorum innumeram multitudinem? quem ianitorem Cœli? quem iudicem in terris.

Chryſoſtomi quoque ea de re, deque eiſdem Chriſti Verbis, quæ ſit ſententia, ſupra clariſſime intellexiſti. Adhortatur enim te homilia 55. in Matthæum, ſecum vt perpendas atque intelligas ex illis tam magnificis Chriſti Verbis ad Petrum, quanta eius ſit poteſtas. Ego, dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum. Hæc ille. Rurſus in homilia de diuite, & paupere, ipſum vocat Principem Apoſtolorum, ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, vere immobilem petram, vtque pro humano piſcatorio acceperit claues Regni Cœlorum.

Ita, & diui illius Cyrilli Alexandrini patriarchæ ſuperius audiuiſti ſententiam, qui libro II. Commentariorum in Ioannem, affirmat Chriſtum in noui nominis, Petri, inquam, impoſito vocabulo hoc ſignificaſſe, quod in eo tanquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſer ædificaturus Eccleſiam. Cui conſonant, & quæ Theſaurorum libro XII. & de Spiritu ſancto libro XIII. atque alijs etiam locis pleriſque habet.

Leonis ſententia,

His ſi placet, etiam ter ſanctum illum Leonem adiungere (quo elogio a frequentiſſima Chalcedonenſi ſynodo honoratus eſt,) & eius quoque explorare ſententiam, ea paſſim in ſcriptis eius, nec ambigua, nec obſcura occurrit. Siquidem in ſermone tertio de paſſione dominica, vniuerſum hunc euangeliſtæ locum Chriſti fidelibus hoc pacto elegantiſſime explicat: Vnus inquit, de toto mundo eligitur Petrus, quod, & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ partibus præponatur, vt quāuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus. Magnum, & mirabile huic viro dilectiſſimi, conſortium potentiæ ſuæ diuina tribuit dignatio, & ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per iſtum dedit, quicquid cæteris non negauie. Omnes deniq; Apoſtolos, quid de ſe opinentur homines, interrogat, & tamdiu reſpondentium communis eſt ſermo, quamdiu humanæ intelligentiæ explicatur ambiguitas. At vbi quid ſenſus habeat diſcipulorum, exigitur: primus eſt in domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignirate, & poteſtate. Qui cum dixiſſet: Tu es Chriſtus filius Dei viui, reſpondit ei Ieſus; Beatus es Simon Barlona, quia caro, & ſanguis non reuelanit tibi, ſed pater meus in cœlis eſt. Ideo beatus es, quia pater meus te docuit, nec terrena te opinio fefellit, ſed inſpiratio cœleſtis te inſtruxit, & non caro, & ſanguis, ſed ille tibi cuius ſum filius vnigenitus indicauit, & inquit: Ego dico tibi, hoc eſt, ſicut pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita, & ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuioiabilis petra, egó lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen, & tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidarius, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, tibi ſint mecum participatione communia, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Super hoc, inquit, ſexum, hanc ſoliditatem, & fortitudinem, æternum conſtruam templum, & Eccleſiæ meæ cœlo inſerenda ſublimitas, in huius firmitate conſurget. Hæc ille Leo.

Petrus omniū gentiū vocationi, & cunctis Eccleſię partibus prępoſitus.

Petrus, petra.

Audis quanta hic aduerſum te dicat teſtimonia; Vnum de toto mundo electum Petrum, qui vniuerſarum gentium vocationi, Apoſtolis omnibus, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponeretur, cui potentiæ ſuæ conſortium vna cum nomine tribuerit divina dignatio, quam, & in vniuerſum Eccleſiæ corpus per ipſum ordinatiſſime deriuauit. Audis fœlix fundamentum Eccleſiæ, firmamque illam petram, ſuper quam eius cœlo conſurgit inſerenda ſublimitas.

Idem in homilia illa, quæ ſabbato poſt Dominicam quadrageſimæ legitur in eccleſiaſticis lectionibus. Saluator, inquit, humani generis, Deus Chriſtus condens eam fidem, quæ impios ad iuſtitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc diſcipulos ſuos doctrinæ monitu, & operum miraculis imbuebat, ut idem & vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur, nam vnum horum ſine altero non proderat ad ſalutem, &c. Ad confirmandam ergo huius fidei ſalubritatem, interrogauerat diſcipulos ſuos dominus inter diuerſas aliorū opiniones, quid de ipſo crederent, quidue ſentirent. Vbi Petrus per reuelationem ſummi patris corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit oculis mentis filium Dei viui, & confeſſus eſt gloriam deitatis, &c. Tantumq; in hac fidei ſublimitate complacuit, vt beatitudinis fęlicitate dotatus, ſacram inuiolabilis petræ firmitatem acciperet, ſuper quam fundata Eccleſia portis inferni, & mortis legibus præualeret, nec in ſoluendis aut ligandis quorumcumque cauſis aliud ratum eſſet in cœlo, quam quod Petri deciſum eſſet arbitrio. Hæc idem ille Leo, qui eandem etiam ſententiam, ſermone II. de anniverſario ſuæ pontificiæ aſſumptionis, facundiſsimæ explicat. Eandem quoque in epiſtola ad beatum Flauianum, de vera verbi incarnatione aduerſus Euticetis bſaſphemiam, & alijs pleriſq; locis inculcat, & repetit.

Petri autoritas iudicaria.

In hoc tam celebri, & venerando conſeſſu magnum illum Gregorium præterire nephas mipi videtur, ne forte credant aduerſarij, ſtudio illum nos declinaſſe, quaſi pro ipſis faceret. Cuius ſententiæ teſtis eſt eius ad Eulogium epiſtola, in qua ſcribit in hæc verba: Quis, inquit, neſciae ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam? Qui firmitatem traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur. Cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni Cœlorum. Cui rurſus:

Gregorium ſententia,

Libro 6 epiſtola 37.

Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me? paſce oues meas. Itaque cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu, ſola Apoſtolorum Principis Sedes in autoritate conualuit. Rurſus in altera epiſtola: Cunctis, inquit, Euangelium ſcribẽtibus liquet, quod voce dominica, ſancto, & omnium Apoſtolorum principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos, ſicut triticum: & ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Hæc ille: Vides ergo etiam huius ſententia, vt nulli ſcienti Euangelium dubium eſſe poſſit, quin Petro omnium Apoſtolorum Principi, totius Eccleſiæ cura commiſſa ſit, vt ipſe Petrus, aut petra (idem enim vtroque nomine Græce ſignificatur) a domino dictus eſt, vt ſancta Eccleſia in eius petræ ſoliditate fundata.

Lib. 4. epiſtola 32.

Sed ne dum per ſingulos in celeberrimo hoc ſanctiſſimorum patrum conſeſſu pergo ſingulorum de prædictis Chriſti verbis ſigillarim ſententias quærere, nunquam finem ſit inuentura oratio, ſimul interrogemus plurimos, ſimulque, & coniunctim ſuam nobis depromant ſententiam. Et hic ſeſe opportuniſſime nobis offert illa Alexandrina ſynodus ex vniuerſis Ægyptiorum, Thebanorum, ac Libyorum Epiſcopis, cuius caput ſe effert ille magnus Athanaſius, qui ad Felicem Romanum Pontificem memorantes inter cætera ſtatuta Niceni Concilij, in quo a patribus conſonanter conſtitutum affirmant, vt ſi quiſquam Epiſcoporum, aut Metropolitanum, aut comprouinciales Iudices ſuſpectos habuerit, ſanctam Romanam appellet Sedem, cui ab ipſo domino poteſtas ligandi, & ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Ipſa enim, inquiunt, firmamentum a Deo fixum, & immobile percepit. Quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum lucidiſſimam dominus noſter Ieſus Chriſtus conſtituit. Ipſa enim eſt ſacer vertex, & cardo, in quo omnes vertuntur, ſuſtentantur, & releuantur, &c. Tu es (ſicut diuinum veraciter teſtatur eloquium) Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi, qui Eccleſiam ſuſtinere, & proprijs humeris portare debent, tibi ſunt confirmatæ, tibique claues regni cœlorum commiſit, atque ligare, & ſoluere poſtatiue, quæ in terra, & quæ in cœlis ſunt, promulgauit. Tu prophanarum hæreſium, & imperitorum atque omnium infeſtantium depoſitor, vt Princeps, & Doctor, caputq; omniũ orthodoxæ doctrinæ immaculatæ fidei exiſtis.

Petri, & ſedis eius autoritas, iudiciaria ſuper vniuerſam Eccleſiam.

Petrus Eccleſiæ fundamentum.

Hæc illi tam multi, tam ſancti Epiſcopi, cum ſuo illo glorioſiſſimo orthodoxæ fidei propugnatore Athanaſio, pro eiuſdem fidei aduerſus Arrianam perfidiam defenſione congregati in Alexandrina ſynodo: quibus nihil dubium eſt medium interfuiſſe Chriſtum, & nihil diſcrepaſſe illos a Catholicæ Eccleſiæ fide, ac ſententia. In quibus audis, quæ, quantaque dictis Chriſti verbis, non ſolum Petro, ſed & ſucceſſoribus eius omnibus ſit contributa autoritas, atque ad vniuerſos illos proprie pertinere dictorum Chriſti verborum effectum. Vnde ſcribentes Romano Pontifici, qui annis pluſquam trecentis ſucceſſit Petro, ipſum dicunt, & affirmant eſſe Petrum, conteſtante hoc diuino eloquio, & ſuper ipſum ſuſtineri Eccleſiam, & in eo velut in ſacro cardine, moueri, regi, & gubernari. Ligandi quoque ſoluendique poteſtatem ſpeciali ſuper alios priuilegio ipſi conceſſam a domino. Ipſum velut caput, principem, & doctorem orthodoxæ doctrinæ, immaculatęq; fidei eſſe depoſitorem prophanarum hæreſium, atque omnis erroris catholicam infeſtantis Eccleſiam.

Poſt quos tam multos, tantæque autoritatis patres, æque Græcos, ac Latinos, imo ex omni orbis loco ab initio naſcentis Eccleſiæ, ad ea vſque tempora, quando etiam aduerſarij conuicti ipſa rei euidentia coguntur confiteri, & conqueri nimiam hanc fuiſſe autoritatem Romanorum Pontificum, velut ſucceſſorum Petri, & in quam, vt ipſi dicunt, irruperint conniuentia, aut potius oſcitantia vniverſæ Eccleſiæ. Poſteriorum fruſtra exquireremus ſententiam, quæ vt eſt omnium vna, & indubitata: ita tantorum, quos citauimus, patrum obſcuraretur ſplendore, & autoritate. Quos omnes ſi Deus aliquis in vnum aliquod concilium reuocet, vt de propoſita, de qua agimus, controuerſia ſuam inter nos proferrent ſententiam (de vero, inquam, genuinoque intellectu verborum Chriſti ad Petrum, quem tu contra vim verborum inferre alium, violenterque intrudere conaris: audires autem concordem, atque adeo vnam omnium, quam iam audiſti ſuperius) nunquid poſt talium, tantorumque definitionem, quorum nemo fuit, in quo non erant euidentiſſima ſigna inhabitantis Chriſti ſpiritus cernere, adhuc dubitare auderes, adhuc hæſitare, num ea eſſet Chriſti, ſpirituſque ſententia, quam ita concorditer protuliſſent tot illi pleni Sancto Spiritu? Nunquid tibi non videretur arrogantiæ, & præſumptionis pluſquam diabolicæ, vt ſibi quis vni plus arrogaret in ſcripturarum intelligentia, quam fuiſſet in illis tam multis, tam doctis, tam ſanctis patribus, quorum omnis, & meditatio, & voluntas, diu, noctuque fuit in lege domini, quam non ſecus vitã ſanctiſſima, ac in tertis conuerſatione pæne angelica expreſſerunt?

Quantę ergo autoritatis iſtorum omnium habenda erit tam cocors ſententia, quam non communi inter ſe tractatu habito, ſed è remotiſſimis orbis partibus, aliquot etiam à ſe ſeculis diſtantes, tanta tamen concordia protulerunt? Hoc ipſo videlicet euidentiſſime demonſtrantes, totius quacunque patebat, catholicæ Eccleſiæ communem iſtam ſemper fuiſſe ſententiam: à qua tam multos, tam ſanctos, doctoſque patres, quos tanquam præcipua membra vniuerſa Chriſti colit, & veneratur Eccleſia, in tanta inter ſe concordia non diſcrepaſſe certum eſt. Cum enim Catholicæ Eccleſiæ ille orthodoxus, communiſque ſenſus ſit, quem fidelium mentibus inſerit ille ſacer ſpiritus, cuius vocem intima quadam eius perfuſione agnoſcit omnis, qui ex ſpiritu natus eſt, & à voce alienorum, hæreticorumque refugit: vnde quæſo clarius perſpicere illum poterimus, quam in talium, tantorumque

Ex prædictis concludere eandẽ Catholicæ Eccleſiæ per orbem ſententiam.

patrum

Digitized by Google

patrum, qui non qualiacumque membra Eccleſiæ, ſed eius columnæ quædam inſignes extiterunt, & primitias Chriſti ſpiritus acceperunt, tam conſona confeſſione ac ſententia?

Concluſio.

Tenemus igitur illam ſacram anchoram, illud fixum, inflexibileque robur, ac firmamentum veritatis, illum murum inexpugnabilem, nempe communem ſenſum catholicæ Eccleſię, qui pro nobis hanc profert ſententiam, videlicet quod Petrus a CHRITO conſtitutus ſit caput totius Eccleſiæ, cum & nominis ſui, & ſuæ poteſtatis illi conſortium, communionemque faceret, dicens eidem: Tu es Petrus, hoc eſt lapis, & ſuper hanc petram, id eſt, ſuper te, ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, videlicet, quæ ſuper te conſtructa erit. Ad Eccleſiam vero Chriſti non magis pertinere, quicunque ab hoc ſe diuiſerint capite, quam quod a ſuo fundamento diuellitur, ac diſſoluitur ædificium, quod mox dirui ac comminui certum eſt. Datas quoque eidem Eccleſiæ capiti clauem regni cœlorum, ſupereminentemq; illam, quæ totius præſidi neceſſaria erat ligandi, ſoluendique, & cæteram omnimodam poteſtatem, de qua poſt agemus accuratius. Ab hoc ergo veritatis firmamento quiſquis receſſerit, quiſquis huic orthodoxæ Eccleſiæ ſenſui refragatus fuerit, ad CHRISTI ouile non pertinere, ſed hæreticum eſſe non dubitamus: ſi is recte hæreticus ſupra definitus eſt, cui non placet communis ſenſus orthodoxæ Eccleſiæ ab illo CHRISTI ſpiritu influens, ſed ſingulare ac proprium aliquid eligit quod illi è diuerſo ſtatuat: ſua ipſius ſe damnans ſententia, nempe ſeiungens ſe ac ſeparans à Catholica Eccleſia, a qua ſe ſeparare damnati eſt. Proinde tanquam deploratum hunc, aut potius, tanquam peſtilentem, Apoſtolo hoc nos admonente deuitabimus.

CAP. IV.

Obiectionum quarundam aduerſus præaſſertam (de Chriſti verbis Petri primatum in Eccleſiaſtica Hierarchia ſtatuentibus) orthodoxam Catholicæ Eccleſiæ intelligentiam diſſolutio.

Præmunitio Chriſtiani lectoris aduerſus hæreticorum argutias.

VEtus hoc eſt hoſtis humani generis commentum, ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo incautos fallere, & ſub fuco eloquiorum cœleſtium ſubuertere veritatem fidei, & Eccleſiaſtici corporis vnitatem corrumpere, dum per ſuos illos Apoſtolos, hæreticos, & ſchiſmaticos Chriſtum demonſtrat in deſerto, in angulis domorum, ac penetralibus, quo abducat a vero illi Chriſti corpore, rapiens videlicet de Eccleſia homines, qui ſibi videntur non deſerere Eccleſiam. Sed nos aduerſus horum inſidias, Chriſti doctrina, præmonitioneque cauti ab illo corpore abduci nos non ſinemus, etiam ſi canonicas illi ſcripturas proferant, non recedemus a communi orthodoxæ Eccleſiæ ſenſu, etiam quicquid illi obganniant. Ne tamen fruſtra ſibi blandiantur de victoria, & ſcripturarum peritia ſe efferant, eorum obiectionibus paucis reſpondendum eſt. Ita enim illuſtrior erit veritatis victoria.

Primum itaque, quod contendunt prædicta Chriſti verba: Beatus es Simon Bar Iona, & quæ ſequuntur, ad vnum Petrum proprie non pertinere, ſed vel ad omnes Apoſtolos, quorum omnium nomine reſponderit, interroganti omnes Chriſto, dicens: Tu es Chriſtus, &c. Vel ad Eccleſiam vniuerſam, cuius nonnuſquam videtur Auguſtino tunc geſſiſſe figuram, ſatis, ni fallor, demonſtrauimus ſupra, tam ex planiſſimis Chriſti verbis, quam ex totius orthodoxæ Eccleſiæ communi ſenſu (quem in tantorum, quos audiſti, ſanctiſſimorum patrum tam concordi ſententia euidentiſſimum eſt perſpicere) verba illa Chriſti ad vnum propriſſime pertinere Petrum. Qui de nullius alterius, quam de ſua ipſius ſententia, ſibi cęlitus reuelata, reſpondit ipſum eſſe Chriſtum viuentis Dei filium, cæteris Apoſtolis de ipſo adhuc nihil ſapientibus altius, aut ſublimius, quam vulgo Iudeorum credebatur de ſuo, quem expectabant, Meſſia ſi tamen talis, tantaque de ipſo fides fuerat illorum omnibus: quod equidem haud ſane crediderim, quandoquidem, & proditorem illum Iudam vnum fuiſſe ex illis certum eſt. At ipſum eſſe viuentis dei filium, quem conſpiciebant mortalem hominem, humanam omnino excedebat intelligentiam. Quare vni Petro continuo reſpondit Dominus: Beatus es Simon Bar Iona, quoniam non caro, & ſanguis hoc reuelauit tibi, ſed pater meus cęleſtis. Tibi, inquit, non vobis. Beatus ergo tu Simon Ioannis fili.

Petri ſingularis, & pro vno ſe diuinitatis Chriſti cõfeſſio

Non conſequi autem manifeſtum eſt; Interrogauit omnes Chriſtus, quid de ſe ſentirent, & crederent, ergo reſpoderunt omnes, aut vnus pro omnibus Petrus. Poterant enim & tacuiſſe tanquam dubij quid reſponderent: tacuiſſe autem certum eſt ex euangelio, æque certum eſt Petrum pro nullo alio reſpondere potuiſſe quam vno ſe, quid quiſque de Chriſto in corde ſuo ſentiret, & crederet. Nec cuiquam mirum videri debet, quod non reſponderunt omnes quamuis interrogati, quando quod reſponderent, certum, conſtitutumque non habebant.

Sed, & frequenter interrogatos inuenies nihil reſpondiſſe, vt eum poſt transfigurationem deſcenderet Ieſus de monte: Veniens, inquit Marcus, ad Diſcipulos ſuos vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis, & confeſtim omnis populus videns Ieſum obſtupeſactus eſt, & expauerunt, & accurrentes (nimirum diſcipuli) ſalutabant eum, & interrogauit eos; Quid inter vos conquiritis: Habes hic interrogationem Chriſti, attamen nec Diſcipulorum quiſquam, quos certum eſt interrogatos fuiſſe, tanquam primos, ac præcipuos inter occurrentes, & ſalutantes (ſi tamen quiſquam cum illis occurrit ſalutator alius) nec ſcribarum aliquis, quos vidit conquirentes cum diſcipulis, vllum illi reſpondit verbum. Pudebat enim eos, ſuas illi indicare diſceptationes. Vnus autem quidam de turba reſpondens dixit: Magiſter attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum, & dixi diſcipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt. Rurſus quod paulo poſt eſt apud eundem: Venerunt, inquit, Capernaum, qui cum domi eſſent, interrogabat eos: Quid

Marci 9.

Digitized by Google

in via tractabatis? At illi tacebant, ſiquidem in via diſputauerant, quis eorum maior eſſet. Audis itaque qualis ſit illa argumentatio. Interrogauit omnes Chriſtus, quid de ſe ſentirent: ergo reſponderunt omnes, aut vnus Petrus pro omnibus.

Neque eſt, quod propterea ad omnes pertinuiſſe quis putet, id quod vnus reſponderat Petrus, quia pro ſuo illo quem inter omnes geſſit primatu, ipſe alicubi nomine omnium, & reſpondiſſe, & interrogaſſe legatur. Neque enim hoc illius fuit perpetuum, ſed frequenter, & interrogarunt, & reſponderunt, aut per ſe vnuſquiſque, aut pluraliter, & communiter omnes: quemadmodum, & hoc ipſo, quem tractamos, loco, quamdiu de vulgi ſententia interrogabantur, omnes reſponderunt dicentes: Alij Ioannem Baptiſtam, alij alium. Cum vero de ſua eos rogaret (vt Chryſoſtomi verbis dicam) præſiliuit Petrus, & alios præueniens, ait: Tu es Chriſtus, &c. Ita, & alibi bis decies eos feciſſe reperies. Ne ita os, & organum omnium exiſtimes fuiſſe Petrum, vt quicquid reſponderunt interrogati a Chriſto, id reſponderint voce vnius Petri: aut quicquid dixit, reſponditque Petrus, id fuerit continuo Apoſtolorum omnium. Quod etſi in alijs omnibus ita fuiſſet, in vna hac interrogatione ita fieri non poterat, qua cum interrogarentur de ſua quiſque quam in corde ſuo de Chriſto habebat, fide, ac ſententia, nemo pro alio, quam vno ſe reſpondere poterat.

Ob nullam figurā imaginatam in Petro euacuandam euangelicæ hiſtoriæ veritatem.

Qui vero Petrum hic figuram geſtaſſe voluut Eccleſiæ, non multum eis pugnabo. Non enim alienum eſt allegorijs, tropologijſque haud inepte excogitatis, in ſcripturis ludere, & in varios eaſdē ſenſus ducere, modo ipſam nobis hiſtoriæ veritatem non evacuent. Ita, & Abel ille a ſanctis patribus, Saluatoris noſtri figuram geſtaſſe dicitur, ſi quidem, & virgo, & Sacerdos, & Martyr fuiſſe videtur. Non tamen propterea negabimus Abel reuera fuiſſe illum protoplaſti filium, paſtorem ouium, interfectum a Cain fratre ſuo. Sina, & Sion figuræ ſunt apud Apoſtolum, & de Sara, & Agar ab eodem typice quædam dicuntur, figura etiam petra illa, quam percuſſit Moyſes, ex cuius latere fluxerunt aquæ in ſalutem, refectionemque populi. Bibebant, inquit, de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Nec minus, & in virga qua percuſſit, & in aqua quæ effluit, & in Moyſe, Aaroneque, qui addubitarunt, figura poteſt intelligi. Sed nunquid propterea ſacræ illi hiſtoriæ ſua ad literam non conſtabit veritas? Ita, & Iſaac holocauſtum, ſibi ipſi portans ligna, Iacob, qui lippientem Lyam, hoc eſt, cœcam Synagogam, & decoram Rachaelem iuniorem ex gentibus coniugio ſibi copulauit Eccleſiam, Ioſeph à fratribus venundatus in multorum, atque adeo humani generis ſalutem, Samſon meretricem ex gentibus deperiens, qui moriens, quam viuus maiorem multo ſtragem hoſtium edidit, geſſerunt Saluatoris noſtri typum haud obſcurum: nihilo tamen minus reuera geſta ſunt, in proprijs illorum perſonis, quæ de eiſdem narrat ſacra hiſtoria. Breuiter, vniuerſa illa veteris ſynagogæ hiſtoria vmbra quædam eſt, & figura futurorum bonorum, quæ ſub euangelica veritate eni fuerunt: Non tamen propterea illi negabimus ſuam veritatem hiſtoricam. Quare neque ſi quis, & in Petro hic qualemcumque figuram intelligat, propterea negabimus veritatem euangelicæ hiſtoriæ, non dicemus illi Simoni Ioannis filio non dictum à Chriſto: Beatus es Simon Bar Iona, tu es Petrus, & ſuper te petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni, cæteraque quæ ſequuntur. Quorum ad literam, hiſtoricamque veritatem, ſi quis qualicunque in Petro excogitata figura euacuare conatus fuerit, dicemus illi cum orthodoxo illo Hieronymo, vt eorum deliramenta conticeſcant, qui vmbras, & imagines in veritate quærentes, ipſam conantur euertere veritatem.

Quin potius, qui eccleſię figuram imaginantur in Petro, propter primatum quem idem geſſit in Eccleſia, eandem figuram intelligunt: quare orthodoxam (quam hic adſtruimus) veritatem dupliciter comprobare intelligendi ſunt. Non minus, inquam, ex ea quam fingunt figura, quam ex euangelicæ veritatis hiſtoria. Ita diuus Auguſtinus ſcribens in Pſalmum centeſimum octauum. Sicut, inquit, quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur, cuius noſcitur in figura geſſiſſe perſonam, propter primatum quem in diſcipulis habuit, ſicut eſt: Tibi dabo claues Regni Celorum, & ſi quę ſunt eiuſmodi. Hæc ille. Audis itaque cur in Petro hic intelligat figuram Eccleſiæ. Quamquam ego, quod Auguſtino videatur Petrum Eccleſiæ figuram hic geſſiſſe, & hæc Chriſti ad illum verba: Tibi dabo claues Regni, &c. magis illuſtrem intellectum habere relata ad Eccleſiam, quam ad perſonam Petri, eo pertinere crediderim, quod hunc quem in ipſo Petro inſtituit, monarchicum Eccleſiæ primatum, illas claues Regni Cęlorum illam magnificam poteſtatem alligandi, & ſoluendi, non vult reſpexiſſe vnam perſonam Petri, ſed permanſiſſe, ac permanere in Eccleſia, etiam poſt Petrum, & tranſijſſe ad eius ſucceſſores. Hac quippe ratione magis ad Eccleſiam pertinuiſſe hæc tam magnifica Chriſti dona, promiſſaque, quam ad vnam perſonam Petri certum eſt; ſed tamen non niſi mediante Petro, atque in Petro hæc accepit, habetque Eccleſia, a quo continua Epiſcoporum Catholicæ Eccleſiæ præſidentium ſucceſsione, in finem vſque propagabuntur. Non enim præteribit generatio hæc, continuaque in Cathedra Petri catholica Epiſcoporum ſucceſſio, donec omnia fiant. Illi ſi quidem vni, quemadmodum euidentiſsime demonſtrauimus, ſingulariter dixit Chriſtus: Ego dico tibi: Tu es Petrus. Ab illo fecit Eccleſiæ ſuæ exordium. Super te, aut ſuper hanc petram, inquit, ædificabo Eccleſiam meam.

De obiurgatione Petri à Chriſto, vt eam non euacuauerit effectū verborum Chriſti præcedentium.

Sed inſtant rurſus: Si, inquiunt, ad Petrum proprie pertinebat illa Chriſti commendatio, qua beatum eum pronunciauit, vt cui reuelauerat pater ipſum eſſe viuentis Dei filiū: quomodo ergo poſt audiuit, cum eundem a ſua paſsione auocare, & abſtrahere moliretur: Vade poſt me Satana, ſcandalum mihi es, non enim ſapis ea, quæ Dei ſunt? Quia enim hic eſt vituperatus tanquam Dei ignarus, demonſtratum volunt ſuperiorem illum Petrum, qui

Chriſti

Chriſti ore beatus pronunciatus eſt, tanquam cæleſti illuſtratus reuelatione, cui promiſſæ ſunt claues Regni Cęlorum, non fuiſſe illum Simonem Bar Iona (vt proprijs illorum verbis dicam) ſed Eccleſiam verbo dei genitam.

Sed hic oro te, vt ſis prudens lector, & cum Beato Hieronymo inquiras, & conſideres, ſi potes, quomodo poſt tantam beatitudinem: Beatus es Simon Bar Iona. Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cęlorum, & quodcunque ligaueris, aut ſolueris, &c. nunc audiat: Vade retro me Satana, ſcandalum mihi es. Nam & illi doctiſsimo Hieronymo hoc in primis admirabile, & dignum conſideratu videtur. Quod ſi nondum poſsis intelligere ſenſum domini aut conſiliorum, operumque eius rationem perſpicere, noli, inquit Apoſtolus altum ſapere: ſed time, ſed ſuſtine, noli inniti prudentię tuæ, ſed captiua interim intellectum, tuum in obſequium fidei, ſi forte dignabitur, & tibi dominus reuelare, noli interim ex tuo capite negare illud quod clariſſime affirmat veritas, quæ beatum pronunciauit, non mathematicum aliquem aut fictitium Petrmu, ſed Simonem Ioannis (ne errares) filium, cui dicit cœlitus à patre ſuo reuelatam diuinitatem ſuam, cui, & petræ nomen de ſe ipſo impoſuit, ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturum ſe promiſit, cui & claues regni cœleſtis elargitus eſt.

Quod ſi me interrogare pergas, quomodo ergo poſt tantam beatitudinem continuo audiuit, vade poſt me Satana, & poſt illam cœleſtis patris reuelationem dicatur non ſapere, quæ Dei ſunt: quid ſi non intelligerem diuinorum hæc operum admiranda myſteria, ſi neſcirem eorundem tibi rationem explicare, nunquid propter ea aduerſus Euangelium & Chriſtum negabo eundem illum Petrum, illum, inquam, Simonem Bar Iona, Chriſti ore pronunciatum beatum? nunquid factam illi cœlitus reuelationem? nunquid Petri nomen impoſitum? Hoc ſcio cum illo Origene,

Homil. 3 in Matth.

non ante Chriſti paſſionem perfectos fuiſse Apoſtolos, ſed erat omnium (vt habet Hilarius) trepida fides ad reſurrectionis vſque tempus, quam in Domino contuentes, expectationis ſuæ ſecuritate firmati ſunt. Hinc &

In Pſalm. 141.

illud a Chriſto dictum. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, intelligit non propter mortem ſuam dixiſse illum: ſed quia Apoſtolorum metus per humilitatem paſſionis exortus (adeo vt firma illa ſuperædificandæ Eccleſiæ petra trepidaret) poſt mortem, & reſurrectionem Domini deſineret. Idcirco vſque ad mortem triſtis eſt, poſtquam trepidantis fidei eſſent ſecuritate firmandi,

Chryſoſtomi ſententia de illa obiurgatione Petri.

Fortaſſis autem interrogationi tuæ ſatiſfaciet D. Chryſoſtomus, ita ſcribens in hunc locum Matthæi, homilia xv. Non intelligentibus, inquit, Diſcipulis paſſionem, reſurrectionemque Chriſti, timebant eum interrogare. Petrus autem iterum ex feruore ſolus audet ea de re quicquam dicere: neque id palam, ſed ſigillatim, ac ſeorſum ab alijs Diſcipulis: Propitius, inquit, tibi eſto, nec fiat tibi hoc. Quid nam hoc eſt, o Petre: tu qui reuelationem deſuper habuiſti, qui beatificationem conſecutus es, qui claues Regni Cœlorum traditæ, tam cito adeo grauiter lapſus cecidiſti? Et reſpondens ſibi in perſona Petri: Cur mirum tibi videtur, inquit, ſi in ea re id paſſus, de qua mihi nihil reuelatum eſt? Hinc certè clare videmus, non ex ſeipſo, ſed ex reuelatione, illa dixiſſe. Quia in his quæ reuelata non ſunt, turbatur, & centies audiendo non ſentit, quod dicitur: didicit certe, quia filius Dei eſt, quid autem myſterium Crucis, & reſurrectionis ſibi velit, nondum didicit. Erat, ait, occultus ab eis hic ſermo. Perſpicis quia iure mandauit, ne in publicum hæc efferentur. Vbi enim iſti turbantur, quibus hæc neceſſario committuntur, quid non facerent cæteri? Ipſe vt oſtenderet ſe ſpontè ſua ad paſſionem venire, increpauit Petrum, & Satanam appellauit. Audiant quicunque paſſionis Chriſti Crucem verecundantur. Nam ſi Apoſtolorum vertex etiam ante quam Crucis myſterium diſceret, Satanas vocatus eſt, quam veniam impetrabunt, qui vbique prædicatam Crucem Chriſti negare audent? Nam ſi qui ex Deo beatificatus fuerat Petrus, qui & ex reuelatione fuit veritatem confeſſus, ſic acriter increpatur, quo non ſupplicio cruciabuntur, qui crucis myſterium non ſuſcipiunt? Hæc ille Chryſoſtomus. Quem audis nihil dubitaſſe, quin Petrus Apoſtolorum vertex, paulo ante, quam tali hic conuitio exciperetur, beatus Chriſti ore pronunciatus fuerit, quin idem ille, cœlitus illuminatus a patre primum diuinitatem Chriſti, & cognouerit, & confeſſus fuerit, quin idem acceperit claues Regni Cœlorum. Audis denique quid pro Petro tuæ quæſtioni reſpondeat. Quod ſi venus tibi non ſufficiat Chryſoſtomus, etiam Hilarium audiamus quid ſentiat, & num ad eundem Petrum pertineat hæc tam grauis obiurgatio Chriſti, ad quem pertinuit paulo ante præmiſſa illa tam magnifica commendatio.

Scribit autem in illum verſiculum Pſalmi 131. (Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob) vniuerſum de Chriſto intelligens, in hæc verba: Sacramenti, inquit, mentio ad profeſſionem voluntatis aſſumitur, & neſcio an vnigenitus iurauerit, certe ita geſſit, & locutus eſt omnia, vt ſacramento religionis ſatisfacere videretur. Namque cum quædam de paſſione ſua locutus ad Diſcipulos fuiſſet, & Petrus tanquam indignum hoc Dei filio deteſtatus eſſet, Petrum, cui claues Regni Cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturus erat, aduerſus quam portę inferi nihil valerent, quæque in terris vel ſoluiſset vel ligaſset, ea in Cœlis vel ſoluta vel ligata perſiſterent. Hunc, inquam, tali conuitio deteſtantem Sacramentum paſſionis excepit: Vade poſt me Satana, ſcandalum mihi es. Tanta enim ei Religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primum Dei filij confeſſionem, Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio Cœli Iudicem, Satanæ conuitio nuncuparet, &c. Hactenus Hilarius, qui eandem ferme ſententiam repetit de Trinitate libro decimo. Idem fere eſt, & apud Auguſtinum legere libro ſecundo, aduerſus Parmeniani epiſtolam.

Origenes vero hanc Petri a Domino obiurgationem eleuat, & extenuat, nec tam grauem fuiſse vult, quam nobis forte videatur.

Origenis ſententia de eadem.

Siqui-

Siquidem conuerſus Ieſus ad Petrum dixit: Vade poſt me Satana. Beatus, inquit, is fuerit ad quem conuertitur Chriſtus, etiam ſi corripiendi cauſa conuertatur, ſicut hic conuerſus eſt ad Petrum, quemadmodum, & poſt eiuſdem triuam abnegationem. Et conuerſus, inquit, Dominus reſpexit Petrum, qui continuo reuerſus ad ſe, & recordatus verbi Ieſu, egreſsus foras fleuit amare. Deinde vult ſemper in bonam partem accipi, quoties dicitur a Domino: vade poſt me. Bonum eſt enim, quando quis poſt Dominum vadit: contrarium vero, quando quis teijcit ſermonem Domini poſt ſe, & vadit poſt concupiſcentias ſuas. Vnde & Helias III. Regnorum libro dicit ad populum: Vſquequo claudicatis vos vtriſque pedibus veſtris: Si Deus Dominus eſt, ite poſt eum: ſi autem Baal, ite poſt illum. Hæc itaque huiuſmodi Origenes.

Vides itaq; quemadmodum, & illis doctiſsimiſque patribus dignum in primis conſideratione atq; admiratione viſum eſt, quod Petrus poſt tam magnificam illam Chriſti commendationem, poſt cœleſtem illam adeo ſublimem reuelationem, poſt acceptum a Chriſto nominis, poteſtatiſque conſortium, continuo poſt audiat: Vade poſt me Satana, & Non percipis ea quæ Dei ſunt. Non tamen dubitant, quin idem ille hæc audierit Petrus: Ille, inquam, primus diuinitatis Chriſti Confeſſor, illud Eccleſię fundamentum, cœleſtiſque regni ianitor, & in terreno iudicio Cœli arbiter. Cum quibus neque etiam nos contra clariſsimam vocem Chriſti, nouum aliquem fingemus, imaginariumque Petrum, præter illum Simonem Bar Iona, qui Chriſtum confeſsus ſit, ſed admirandam potius myſteriorum diuinorum operum diſpenſationem humiliter inquiremus, & contemplabimur.

Quod vero Petrus ſit ea petra, ſuper quam ſuam Chriſtus fundauit Eccleſiam, tam ex ipſis Chriſti verbis, quam ex infallibili illa rectæ intelligentiæ ſcripturarum amuſsi, Catholicæ Eccleſiæ communi ſententia euidentiſsime demonſtrauimus. A qua nullæ nos abducent hæreticorum argutiæ.

Non tamen ob id imus inficias, etiam Chriſtum dici, eſſeque & fundamentum, & Caput Eccleſiæ, vtrumque de ipſo affirmante Apoſtolo. Fundamentum equidem, quod propria ſua virtute contineat ædificium, compaginemque membrorum Eccleſiæ, ipſamque firmam, ſtabilem, immobilemque in ſe efficiat. Caput vero, vnde vitalis ille influxus, ſpirituſque deriuatur in membra reliqua. Nec tamen propterea bina Eccleſiæ fundamenta facimus, bina capita, monſtroſamque (vt illi volunt) Eccleſiam, cum alia ratione, & ſub Chriſto Petrus ſit Caput Eccleſiæ, ſuper Chriſtum quoque fundatus ipſe, Eccleſiæ in ſe ædificationem recipit. Erat Chriſto redeundum ad patrem poſt peracta ſalutis noſtræ, redemptioniſque myſteria. At eius Eccleſia, quæ ex omnibus populis, nationibus, linguis, Apoſtolorum ſuorum congreganda erat miniſterio, requirebat neceſsario ſecum manens in terris caput congenium, quod gubernaret atque in vnum contineret molem, compaginemque tam vaſti illius immenſique corporis, ſine quo (quemadmodum ſupra demonſtrauimus) nulla prorſus futura erat Eccleſia.

Cur petrum magis, quā ſe Chriſtus pronunciauit fundamētum Eccleſiæ.

Quare magis Petrum, quam ſeipſum pronunciauit Chriſtus ſuæ fundamentum Eccleſiæ.

Collatio vmbræ Synagogæ veteris ad ſolidam ipſam noſtræ Eccleſiæ veritatem.

Sed nequid nouum hac in re aut ab hominibus commentum te audire exiſtimes, & non potius, quæ longe ante, quam fierent, ita vt facta cernuntur, futura prænunciata præfiguarataque fuerunt, vmbram ipſam paulisper nobiſcum contemplare ſynagogæ veteris, in qua noſtræ Eccleſiæ haud obſcuram aut confuſam, ſed expreſsam, diſtinctamque eſt videre Imaginem, adeo vt conferenti vmbram vniuerſam, ad ſuum corpus, parteſque partibus, haud ſit difficilè, & inuenire, & cernere, illius quam quæque partem figuret, adumbret, & exprimat noſtræ Eccleſiæ. Nam ſi Pharaonem illum, ſi captiuum Iudæorum populum, ſi duriſsimam illam ſeruitutem Ægyptiacam, ſi exitum ab Ægipto, ſi agnum, & phaſe, ſi mare rubrum, ſi iter per deſertum annorum 40. laborioſiſsimum ſanè, & tot calamitatibus, tot tentationibus, tot afflictionibus, tot pugnis plenum, ſi denique ipſam promisſionis terram conſiderauerimus, requiramuſque eorum ſingulorum ſolidam veritatem, quam exprimunt in corpore noſtræ Eccleſiæ, clariſsime quodque, quemadmodum in vmbra ac figura expreſsum eſt, ac diſtinctiſsimè cernitur. Quare, & Moyſen legiſlatorem illius populi, & Aaronem ſummum Sacerdotem, a quo in ea Synagoga cœpit Sacerdotium, quid exprimant, adumbrentque ſolidæ veritatis in noſtra Eccleſia, nunc conſiderandū eſt. Sed nec difficilè inuentu eſt, adeo diſtincte, exacteq; reddit hæc vmbra ſuam illā ſibi reſpondentem ſoliditatem, ſiquidē, & nobis legiſlator Chriſtus eſt, quod illis Moyſes.

Nobis quoque, quod illis Aaron, Summus Sacerdos Petrus, a quo Sacerdotalem ordinem in ſua Eccleſia Chriſtus, & inchoauit ac inſtituit. Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam. Fuit nihilo minus, & in veteri illa Synagoga Sacerdos Moyſes, quemadmodum teſtatur Propheta, dicens: Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius. Et quamuis Summus Sacerdos Aaron, non tamen ſub Aarone Moyſes, quin potius contra, cum tam illum Sacerdotem ſummum, quam filios eius inferioris ordinis Sacerdotes, ipſe conſecrauerit: ſuæ vero ordinationis non alium, quam Deum autorem habuerit. In omnibus quoque quæ ad Deum attinebant negocijs, ipſe prior erat, Deoque proximior ac velut inter Aaronem, & Deum mediator quidam, & internuncius. Sed & paſsim Scripturæ hunc illi præferunt, quemadmodum, & in alio loco apud eundem Prophetam: Deduxiſti inquit, populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. Summus ergo vterque Sacerdos, ſi ſumus Aaron, quamuis ſub Moyſe Aaron. Attamen non a Moyſe, ſed ab Aarone ducitur illius Sacerdotij principium, indeq; protigebatur continua ſerie, nec Sacerdotij Moyſi, ſed Aaronis Succeſsores ſequentes ex ordine facti ſunt. Ita & nobis Pontifex Chriſtus. Habentes enim, inquit Apoſtolus, Pontificem, magnum, qui penetrauit Cœlos, Ieſum Filium Dei, teneamus ſpei noſtræ confeſsionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſsit compari infirmitatibus noſtris. Sed, & nobis Pontifex Petrus, & Pontifex ſummus, quemadmodum ſupra demonſtra-

tum

tum eſt. Non tamen ſub eo, ſed ſupra eum Chriſtus, qui non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed ille, qui dixit ad eum: Filins meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum, & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Hic itaque a ſolo Deo patre Pontificatum, Sacerdotijque honorem adeptus, Petro pro ſe Vicarium Sacerdotij honorem contulit, quem in Eccleſia gererent, tam ipſe, quam qui ei legitima ordinatione ſuccederent. Quē non à ſe, ſed a Petro potius inchoauit, atq; ab illo eius originem deriuari voluit. Non enim dixit: Super me ædificabo Eccleſiam meam, ſed: Tu es Cephas, tu ſaxum, aut lapis, & ſuper hunc lapidem, ſuper te, ædificabo Eccleſiam meam. Vides ergo, & in noſtra Eccleſia Moyſen, vides Aaronem, vtrumqne Sacerdotem, vtrumque ſummum, ſed maximum illum qui a Deo patre ſuo clarificatus vt eſſet Pontifex, & Sacerdos in æternum, hunc pro ſe nobis conſtituit Vicarium, cum nomine ſuo etiam poteſtatis participem faciens, ipſe reuerſus ad patrem vt eſſet nobis apud eum, & aduocatus, & mediator. Itaq; iam, opinor, intelligis, in noua lege à Petro initium feciſſe Chriſtum Sacerdotalis dignitatis, quemadmodum in veteri ab Aarone Moyſes: quamuis & in illa ſupra Aaronem etiam Sacerdos Moyſes, & in hac noſtra quoque ſupra Petrum Sacerdos, Pontifexq; Chriſtns. Quod tamen nec illam veterem Synagogam, nec noſtram Eccleſiam bicephalem facit: ſed ſub Chriſto caput Petrus, imo Chriſti apud patrem exiſtentis vices inter nos gerit Petrus. Quemadmodum idem ipſe Chriſtus in nomine illi de ſeipſo impoſito, cæteriſque illis tam magnificis, quæ audiſti, verbis euidentiſſimè ſignificauit.

Chriſtianū ſacerdotiū inchoari a Petro, non a Chriſto.

CAP. V.

Ad obiectiones ex verbis Diui Hieronymi & Auguſtini, quæ prædictis repugnare videntur, reſpondere.

QVandoquidem non orthodoxum, ſed hereticum, ſupra contendimus, quiſquis prædictæ verborum Chriſti ad Petrum ſententiæ, quam æque ex Euangelicæ hiſtoriæ planiſſimo contextu, atque ex communi Catholicæ Eccleſiæ ſententia, clariſſimè demonſtrauimus, Diui nobis Hieronymus, & Auguſtinus ab hac nota, & iniuria vindicandi ſunt, & quos orthodoxos haud dubie ſanctiſſimoſque patres, in ſua caſtra pertrahere, & aduerſum nos ſtatuere molinntur hæretici, quod præaſſertæ veritati non ſolum non aduerſentur, ſed vna cum orthodoxa Eccleſia modis omnibus conſentiant, eandemque vbiq; aperta, clariſſimaque confeſſione confirment, & prædicent, iam nunc demonſtrandum eſt. Quanquam autem (quod fere moris eſt ſcripturarum tractatoribus, & his duobus præcipuè) nonnuſquam etiam diuerſam aliquam à communi, etſi non repugnantem in illis ſcripturarum verbis ſententiam inquirere viſi ſunt: hoc tamen tentandi magis, excutiendique omnia, quàm adſtruendi ſtudio eos feciſſe certum eſt. De quo hoc in primis te admonuiſſe conuenit, nihil eſſe aut mirum aut abſurdum, ſi ex illo profundo, fertiliſſimoque diuinarum ſcripturarum pelago, plures, eoſque non incongruentes expiſcati fuerimus ſenſus. Quandoquidem diuina ſcriptura (vt pulchre habet Origenes) non ſolum Sacramentorum debet continere ſententiam, verum etiam mores, geſtaque informare diſcentium. Ipſa enim per Salomonem diuina ſapientia ſeſe ipſam nobis dupliciter, tripliciterqne deſcripſiſſe affirmat, & Noe præcepit Dominus arcam bicam eratam ac tricameratam conſtitui. Hinc eſt (quod frequentiſſimè euenire videmus) vt eundem ſcripturæ locum idem ſacri tractatores, nunc aliter aliterque interprætentur; atque etiam allegorijs, tropologijs, anagogiciſque interpretationibus, vertant in aliam, aliamque faciem, & accommodent ad inſtructionem audientium. Manet tamen firma, & vnica illa germana primatiuaqne ſcripturarum intelligentia, quam primo in eis intendit ille ſacer ſpiritus. De qua ſi fortè ambigitur, ſi ipſa ſcripturarum verba per ſe obſcuriora dubitationem nonnullam inferant, ea eſſe indubie putanda eſt, quam communis tenet Eccleſiæ ſententia, & inquam orthodoxi, ſanctique patres magis conueniſſe deprehenduntur. In prædictis autem Chriſti apud Matthæum verbis, ex quibus Petrum caput, fundamentumque Eccleſiæ ſupra demonſtrauimus, adeo nulla eſt aut obſcuritas, aut ambiguitas, vt omnes, tam Græci, quàm Latini orthodoxi patres, maximo inter ſe conſenſu conueniſſe in eam ſententiam, quam dudum audiſti, inueniantur. A quibus non diſcordaſſe Hieronymum, & Auguſtinum, ſed vt ſpiritu, ita & ſenſu, quàm maximè conſenſiſſe, nunc euidens faciemus.

De Hieronymo autem adeo nulla eſt ambiguitas, vt nuſquam fere vel commemorarit diuerſam ſententiam. Vnde in hunc ipſum Matthæi locum ſcribens, audiſti ſupra quo pacto hæc Chriſti verba explicauerit: Ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quid, inquit, eſt quod ait. Ego dico tibi? Quia tu mihi dixiſti: Tn es Chriſtus Filius Dei viui: ego viciſſim dico tibi, ego, inquam, cuius dixiſſe, feciſſe eſt, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et ſicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen appellarentur: ita, & Simoni, qui credebat in Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, & ſecundum metaphoram petræ recte ei dicitur, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te. Hæc ille. Rurſus eodem loco, explicans illud quod continuo apud eundem Euangeliſtam ſequitur, vbi Petrus mox à tam ſublimi reuelatione patris, tam glorioſa confeſſione, tam magnificis acceptis donis promiſſiſque Satanæ conuitio excipitur: Multi putant, inquit, quod non Petrus correptus ſit, ſed aduerſatius ſpiritus, qui hæc dicere ſuggerebat Apoſtolum. Sed mihi hic error apoſtolicus, de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum diaboli videtur. Diabolo dicitur: Vade retro Satana, Petrus audit, vade retro me, hoc eſt, ſequere ſententiam meam, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Meæ

Perpetuo ſibi cæteriſque orthodoxis conſentiēs Hieronymus in intelligentia verborū Chriſti ad Petrum.

volun-

voluntatis eſt, & patris, cuius veni facere voluntatem, vt pro hominum ſalute motiar. Tu tuam tantum conſiderans voluntatem, non vis granum frumenti in eerram cadere, vt nultos fructus afferat. Subdit: Prudens lector inquirae, quomodo poſt tantam beatitudinem: Beatus es Simon Bar Iona. Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Et: Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Et: Quod ligaueris aue ſolueris ſuper terram, erit ligatum vel ſolutum in Cœlis, nunc audiat: Vade retro me Satana, ſcandalum mihi es. Hactenus Hieronymus. Idem in Ezechielem ſcribit in hæc verba: Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundamenta Eccleſiæ ſolidauit, tranſcendit in cœnaculum. Rurſus in Eſaiam capite ſecundo, de Eccleſia Catholica loquens: Hæc, inquit domus ædificata eſt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, qui & ipſi montes ſune, quaſi imitatores Chriſti. De hac domo, & Hieruſalem Pſalmiſta conclamat, dicens: Qui confidunt in Domino, ſicut mos Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem, Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. Vnde & ſuper vnum montium Dominus fundauit Eccleſiam, & loquitur ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Hactenus ille. Vides itaque hic ex Hieronymi ſententia, ad quem proprie pertineant illa Chriſti verba: Beatus eſt Simon Bar Iona, vides petram Eccleſiæ fundamentum, vides Cœleſtis Regni clauigerum, vides iudicem, cuius authoritas, ſententiaque etiam in Cœlis alligat.

Vides præterea vt clariſſime diſtinguat inter Chriſtum fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ſuper quem ædificata eſt Eccleſia, & inter vnum illorum montium, ſuper quem idem ipſe Chriſtus etiam ſuam fundauit Eccleſiam, cui dixie: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quod idem ad Montanum in epiſtola ad Marceliam etiam repetit. Habes itaque, & ſecum, & cum orthodoxis patribus omnibus communique ſenſu Eccleſiæ, vbique conſentientem illum vere orthodoxum Hieronymum. Apud quem haud temere te inuenturum crediderim, vbi hæc Chriſti verba ad Petrum aliter intelligat.

De Auguſtinus varius & inconſtãs in ſcripturarum expoſitione.

* *Modeſtius loquendũ de S. Eccleſia Doctore.*

* In Auguſtino maior fuit veritas, quæ huic in ſcripturarum expoſitione pene familiaris eſt. Nuſquam hæret, nuſquam figit pedem, ſed vbi explorat, vbique tentat, ſubodoraturque omnia: & quicquid vel probabile occurrit, alicubi amplectitur, quod continuo poſt diſplicet, & rurſus retractatur. Quemadmodum in his Chriſti Verbis ad Petrum plerumque conſentit communi orthodoxorum patrum, quam audiſti, ſententiæ, per petram ſuper quam Chriſtus dixit ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam, Petrum intelligens: alibi vero, non Petrum, ſed fidem eius: rurſus alibi, nec Petrum, nec eius fidem, ſed ipſum Chriſtum. Sed aliud eſt, aliquid adſtruere, & docere tanquam certum, & indubium: aliud vero, velut inueſtigando tanquam probabile referre. Hoc fit, cum in ocio apud nos ſcripturas excutiendo, quicquid meditantibus occurrit, chartis illinimus. Illud vero, quoties docemus nobis commiſſum Populum, cui non niſi explorata, certaque tradere certum eſt, eaque in primis, quæ habet communis traditio Eccleſiæ. Itaque ſi D. Auguſtini ad populum conciones excutias, nuſquam fere à communi, quam audiſti, orthodoxorum patrum, & Eccleſiæ ſententia latum dignum receſſiſſe inuenies: quemadmodum ſuperius ex aliquot eius ſermonibus luculentiſſime demonſtrauimus. Vnde in ſermone illo ſolennitatis Cathedræ Petri dicit Petrum Eccleſiæ fundamentum nominatum à Domino, & ſuper eum fundaſſe Chriſtum Eccleſiam ſuam: proinde merito Eccleſiam ſuum fundamentum colere, per quod Cœlos aſcendie. Rurſus in altero ſermone de ſanctis, dicit fidelem (cui loquitur) populum audiſſe frequenter, Petrum à Domino petram nuncupatum, ſuper quam fundauerit Eccleſiam ſuam, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Iterum in alio ſermone, dicit eum Eccleſiæ caput & verticem, immobile fidei fundamentum, cui creditæ erant claues Regni Cœlorum, cui commiſſa populorum innumera multitudo, qui acceptis clauibus fidelis factus eſt ianitor, in ſententijs clementiſſimus diſpenſator &c. Hæc itaque docentis Auguſtini ſunt, docentis, inquam, ſibi commiſſam Eccleſiam. Cui non temere quæuis vtcumque viſa & apparentia, ſed certa explorataque, & communi orthodoxæ Eccleſiæ ſenſui congruentia tradidiſſe, nihil dubium eſt.

Quem vt in alijs fortaſſis quis ſit, non ita facile eſt intelligere, ſic nec ſi quis ab eo diuerſum quid doceat, tam facile deprhenditur. Ac de capite Eccleſiæ vt Chriſtianos omnes, quantumuis ſimplices, certum eſt aliquem ſenſum haberet: ita haud difficulter deprehenditur, quod hac in re à cõmuni ſenſu orthodoxorum diſcrepat. Quanquam & ipſa vis, & enèrgia verborum Auguſtini in his ſermonibus clariſſime indicat, quis fuerit communis ſenſus orthodoxi populi, & Eccleſiæ: Frequenter, inquit, audiſtis in Eccleſia, ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſuper quem fundauerit Eccleſiam ſuam. Hæc igitur (vt diximus) docentis Auguſtini ſunt: ea vero, in quibus ab his diuerſam aliquam imaginatur ſententiam, ocioſe ſecum inquirentis, & tentantis omnia. In qua diſquiſitione nunc hoc, nunc illud arridebat: frequentiſſime tamen hoc ipſum commune ac Catholicum. Vnde in ſuis enarrationibus in pſalmos, frequentiſſime communem hanc ſententiam adſtruit, vt in pſalmum 30. in pſalmos quoq; 33. & 39. Item in epiſtolis ſuis frequenter.

Libro quoq; 2. Quæſt. ad Simplicianum. Rurſus aduerſus epiſtolam Donati, & alijs locis plerifque in Retractationibus autem huius ſuæ inconſtantiæ memor, poſtquam meminiſſet libri à ſe ſcripti aduerſus epiſtolam Donati, ſubiungit in hæc verba: In hoc libro dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij in matutinis laudibus, quibus de galli cantu loquens: Hoc ipſo, inquit, petra Eccleſiæ canente culpam

diluit.

diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſſime ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hauc petram ædificabo Eccleſiam meam: vt ſuper hanc intelligerentur quam confeſſus eſt Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei vini, ac ſi Petrus ab hac perra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper petram ædificatur, & accepit claues Regni Cœiorum. Non enim dictum eſt illi: Tu es petra, ſed tu es Petrus, petta autem erat Chriſtus, quam confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia profiterur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat lector. Hactenus ille. Vides Itaque Auguſtinum non aſſerendi, ſed inquirendi ſtudio diuerſam hanc à communi expoſitionem verborum Chriſti ad Petrum induxiſſe, lectori relinquens iudicium, vtra ſit probabilior. Quod nunquid dijudicare difficile eſt? quando in alteram conuenit omnium orthodoxorum patrum, & communis Eccleſiæ ſententia, cuius & ipſe, vt audiſti, Auguſtinus etiam in his ipſis verbis perhibet teſtimonium, vr quam fatetnr celebrari, & publicè decantari per Eccleſias, in verſibus beatiſſimi Ambroſij, quemadmodum ab eo tempore in hodiernũ vſque diem continuo decantata eſt. Altera vero nullum vnquam aſſertorẽ inuenit, nec ipſum (vt vides) Auguſtinum.

Deinde cum, & contorta euidenter appareat hæc expoſitio, atque adeo ipſis Verbis Chriſti manifeſte aduerſaria. Nam cum primum adduceretur Petrus per Andream fratrem ſuum ad Chriſtum, dixerat ei Ieſus: Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod (inquit euangeliſta) inrerpretatur πέτρος. Queni locum ita nobis reddit Eraſmus: Tu vocaberis Cephas, quod ſonat (ſi interpreteris) lapis, πέτρος enim lapidem aut ſaxum ſignificat, eſtque cum petra eiuſdem plane ſignificationis. Quomodo Iſaac & Iſaacus, tametſi alterum accipiat propriam viri terminarionem. Imo vocabulum Cephas non quemlibet lapidem, ſed ingentem aliquam petram, & velut ſcopulum aut rupem ſignificare, cui arx aut graue quoddam ædificium poſſit ſuperſtrui, clare ex Ioſephi hiſtoria intelligirur. Nam ſcopuloſus ille collis, vnde Hieruſalem ab obſidentibus Romanis poſſit conſpici, Cephas, inquit, dicebatur. Illud autem uomen Cephæ, quamuis in primo illo cougreſſu mox Simoni deſtinauerat Chriſtus, maiori tamen merito reſeruauit in futurum, vſque dum cœlitus illuminatus a patre, eius diuinitatem, & agnoſceret, & o nfiteretur. Tunc autem dixit illi, non in cllo congreſſu primo, tu es Simon filius Ionę, itu vocaberis Cephas, ſed tu es Cephas. Quod ille, quiſquis fuit, Matthæi inrerpres expreſſit vocabulo πέτρῳ, dicens: Ego dico tibi, quod tu es πέτρος, & ſuper hanc petram ædificabo &c.

Contorta expoſitio Auguſtini, qua per petram ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, Chriſtum non Petrum intelligit.

Qui ſi ſeruaſſet illud Hebraicum aut Syriacum Cephæ, quo haud dubie vſus eſt Chriſtus, quemadmodum clariſſime indicat Ioannes, ſcribens eum dixiſſe illi primum ad ſe venienti Tu vocaberis Cephas, quod idem Grecæ interpretarur πέτρος, nobis autem interpretatum ſonat ſaxum, aut lapidem. Si, inquam, proprium illud Cephæ, quo Chriſtus vſus eſt, ſeruaſſet vocabulum, quemadmodum quamuis Græce ſcribens, fecit Ioannes adiecta eius interpretatione, iam omnis prorſus anſa huius interpretationis ablata foret, nec fuiſſet vlla aberrandi occaſio. Quis enim ſi ita reddidiſſet interpres ille (quiſquis fuit) Matthæi, qui eius Euangelium ex Hebræo ſermone, in quo primo ſcriptum non ſolum Hieronymus, ſed etiam Origenes, eius quoque præceptor Clemens Alexandrinus proximus Apoſtolorum temporibus, Irenæus quoque ille, qui Polycarpum beatiſſimi Ioannis Euangeliſtæ audiuit Diſcipulum (quicquid nunc nugantur, & ſomniant quidam, qui nouitatum titillantur prurigine) velut vno ore teſtantur. Quis, inquam, dubitaret, de qua petra locutus eſt Chriſtus, ſi ille interpres Ioannem imitatus, hoc pacto reddidiſſet hunc locum: Ego dico tibi, quod tu es Cephas, quod interpretatum ſonat ſaxum aut petram. & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Nunc vero dum omnia reddere voluit Græce, & loco nominis Cephæ. Petri nomen adaptat Simoni (cuius ſignificationem veluti clarius exprimens, continuo id reddidit ac mutat per petræ vocabulum, dicens: Et ſuper hanc petram &c.)* data eſt Auguſtino huius quamuis parum congruæ expoſitionis occaſio, in qua pleraque ſunt, quæ merito reprehendi poſſe videntur. Dicit enim, non eſſe illi dictum à Chriſto: Tu es petra, ſed tu es Petrus.

** Cautius ferendum iudicium de expoſitione Doctoris Eccleſiæ.*

Ego vero neque vnum, neque alterum verbum à Chriſto dictum illi certo affirmare non dubitauerim: aut ſicur vnum, ita & alterum. Non enim Græce illi loquebatur Chriſtus, neque etiam Græce ſcripſit Matthæus: ſed quemadmodum clarè conſtat ex Ioanne, dictum eſt ei à Chriſto: Tu es Cephas, quod Græcis ſonat Petrum, nobis ſaxum aut lapidem. Quare in forma neutrum, in virtute vero æque vtrumque ei dictum eſt, cum ſit vtriuſque eadem plane ſignificatio, reddens vim, & energiam illius nominis Cephæ. Quare, & orthodoxi illi patres, quos ſupra induximus, non ſolum Petrum, ſed & pertam eum vocatum affirmant à Chriſto. Ita Tertullianus: Laruit aliquid Petrum ędificandæ Eccleſiæ petram dictum? Ita Origenes: Magno illi Eccleſiæ fundamenro, petræque ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, &c. Ita ille orthodoxus Hieronymns: Non ſolum, inquit, petræ Chriſtus, ſed & Apoſtolo Petro donauit, vt vocaretur petra. Quam ſenrentiam diuerſis locis bis decies inculcat. Ita quoque ſacer Ambroſius: Petrus pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut dicit Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Ita & alij vniuerſij. Sed quid opus eſt aliorum aduerſus Auguſtinum requirere teſtimonia, quem poſſumus de ſuo ipſius ore conuincere, qui in ſermone quem citanimus ſupra, in hæc verba loquitur ſibi commiſſæ Eccleſiæ: Audiſtis frequenrer ipſum Petrum, à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hane petram ædificabo Eccleſiam meam. Si audierunt frequentet in Eccleſia Chriſti fideles, quod tu ipſe teſtaris, ipſum Petrum, à Domino petram nuncupatum, cum ei diceret: Tu es Cephas aut Πέτρος, & ſuper hanc petram ædificabo

ficabo &c. Quid ergo negas dictum illi à Domino, tu es petra, ſed tantum: Tu es Petrus? Sed hæc aduerſus Auguſtini illam expoſitionem, qua per petram illam, ſuper quam Chriſtus dixit ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam, non Petrum, ſed ipſum Chriſtum voluit intelligi, ſatis fortaſſis ſuperque fuerit.

Illa vero altera eius expoſitio, qua per petram illam iam, neque Chriſtum, neque Petrum, ſed fidem Petri imaginatur intelligi, præter hoc quod euidentiſſime coarguitur ipſis Chriſti Verbis, qui non de fide, ſed de fideli Petro loquitur dicens: Beatus es Simon Bar Iona, tu es Cephas, & ſuper hanc petram ædificabo &c. Tibi dabo claues &c. etiam in ſe multo eſt abſurdiſſima, nec digna aduerſus quam agamus pluribus. Quis enim neſciat Eccleſiam ædificium quoddam, ex viuis rationabilibus conſtructum lapidibus, quod nimirum fundamentum requirit ſibi congeneum. Eſt autem fides toto genere diuerſa res ab illis, ex quibus conſtruitur hoc ædificium, nempe qualitas quædam neceſſaria quidem, non fundamento ſoli, ſed & omnibus eius ſtructuræ lapidibus, qua qui caret, ad hoc ædificium nequaquam pertinere certum eſt: at fudamentum vt ſit, fieri non poteſt. Nam cuius obſecro omnium hominum fidem fundamentum faciemus Eccleſiæ? Nunquid Petri? ille enim iam dudum credere deſijt, videns facie ad faciem. Cuiuslibètue igitur Chriſtiani? mirum ergo monſtroſumque faciemus ædificium, cuius omnis lapis totius ædificij fundamentum eſt, aut potius in quolibet lapide continetur fundamentum vniuerſum. Aut forte mathematicam aliquam, & per ſe ſine ſubiecto intellectam fidem fundamentum dicemus Eccleſiæ? hoc eſt, tantæ taliſque ſtructuræ, cuius in cœlum conſcendit ſublimitas, id quod nuſquam eſt gentium, ſed plane fictitium, & imaginarium. Quiſnam hæc ſi perpendat, minime cohærere hanc expoſitionem non intelligat? Et quanquam inueniantur, & alij ſancti patres nonnunquam ita locuti, vt dicant orthodoxam fidem eſſe fundamentum Eccleſiæ, non tamen ita loquentes reſpiciunt ad illa petram ſuperædificandæ Eccleſiæ, ſed hoc tantum ſignificare voluerunt, orthodoxam fidem eſſe plane neceſſariam omni membro Eccleſiæ, & hæreticos, eoſque qui rectæ fidei non ſunt, non pertinere ad Chriſti Eccleſiam, nec participes eſſe Eccleſiaſticæ illius authoritatis datæ Apoſtolorum Principi pro vniuerſa Eccleſia.

Quomodo ſane intelligi poſſit fidem eſſe fundamentum Eccleſiæ.

Stat ergo firma, & immobilis euangelica illa rupes, illa petra, quæ Simonem Ioannis ob Patris Cœleſtis ſublimem illam reuelationem, beatum pronunciauit. Stat Verbum Domini in æternum, quo eundem etiam Cepham, hoc eſt, ſaxum aut petram affirmauit, ſuper quam edificaturus erat Eccleſiam ſuam, Et vt illius beatiſſimi Leonis verbis concludamus: Manet in æternum diſpoſitio veritatis. Sicut enim permanet, quod in Chriſto Petrus credidit: ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum Regni Cœlorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum ſoluendorumque arbiter manſura etiam in cœlis ſubditorum ſuorum functione præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus. Hæc ille Leo.

CAP. VI.

Vniuerſam pene Euangelicam hiſtoriam primatui Petri in eccleſiaſtica hierarchia conſonanter perhibere teſtimonium.

QVantopere neceſſaria eſſet hierarchia Chriſtianæ Eccleſiæ, qua per vnius in eadem præſidentis ſupereminentem autoritatem contineretur in vnitate, & officio, & ſine qua nec ad momentum ſubſtitiſſet: quam tamen ille eius autor permanſuram cum ſole, & ante lunam in fines ſæculorum, & quouſque voluuntur tempora, inſtituerat, & deſtinauerat, ſatis ſuperque a nobis ſuperius demonſtratum eſt. Huic igitur tam neceſſario eius ordini pro ſuo in eadem ſingulari ſtudio, & amore prouiſurus Chriſtus, non ſatis habuit ſemel deſignaſſe eius caput, & principem, & ſupereminentem ſacroſanctamque eiuſdem conſtituiſſe autoritatem, per quam inferiores omnes ordines diſponeret, & in officio contineret. Quandoquidem præpotentium illorum verborum ad Petrum nondum plane myſterium intelligebant carnales adhuc Apoſtoli, qui aliud quoddam imaginabantur Regnum Chriſti, de Eccleſia eius nullum verbum ſane intelligentes. Quare, & infirmitati eorum occurrens, pius præceptor, atque eius, cuius iam caput inſtituerat, Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſingularem neceſſitatem nobis curamq; commendans, idem ſæpius tam factis quàm verbis, & inculcauit, & repetiuit: nunc illud ipſum à ſe conſtitutum caput ſingulari honore ſibi quodammodo adæquans, alijſque venerandum inſinuans: nunc reliquorum diſcipulorum ambitionem reprimens, eiſdemque ſignificans, quem vellet vice ſua præeſſe cæteris: nunc eidem præſentibus audientibus reliquis Apoſtolis, & Diſcipulis eorundem, & totius Eccleſiæ curam committens. Itaque in ea, quæ mox poſt deſignatum Eccleſiæ caput, & Principem Petrum, ſacroſanctamque illius conſtabilitam autoritatem, didrachmatis ſolutione apud eũdem Matthæum ſequitur, re ipſa comprobat, quod ſuis illis præpotentibus efficacibuſque verbis paulo ante adſtruxerat.

In didrachmatis ſolutione comprobari à Chriſto primatum Petri.

Siquidem cum iam Romanis ſubiecti pẽderent tributa Iudæi, quæ didrachmatis valore conſtituta erant in ſingula familiariũ capita, veniſſentq; publicani illi tributique exactores ad Petrum percunctari, num magiſter eius eſſet perſoluturus tributum, ipſe venientis ob id ad ſe Petri verba præueniens, cũ ſe prius liberum demonſtraſſet à tributo: Verum, inquit, ne ſcandalizemus eos, profectus ad mare, mitte hamum, & eum piſcem qui aſcenderit primus, tolle, & aperto ore illius, inuenies ſtaterem, acceptum illum da illis pro me, & te. Quid nam hoc eſt obſecro? quæ noua hæc Chriſti in ſoluendo tributo, quamuis in- Matt. 17.

debito

debito liberalitas? Exigunt publicani, non à Petro, nec pro Petro, ſed à ſolo Chriſto, tanquam Apoſtolici illins gregis patrefamilias, ac magiſtro didrachma ſolum. Neque enim dicebant, Petro, num tu? num ſocij tui? ſed, num magiſter veſter didrachma perſoluit? At Chriſto ſatis non erat pro ſe ſimplex didrachma (quantum videlicet exigebatur) perſoluiſſe. ſed inuenies, inquir, ſtarerem quod eſt didrachma duplum, quem acceptum da illis non pro me ſolo, ſed pro me, & te. Quo facto nunquid obſcurum eſt, quid ſignificarir? Neque enim, vel imaginari eſt aliud hic egiſſe Chriſtum, quam vt intelligerene Apoſtoli, non fruſtra ſe impoſuiſſe illi nomen de ſe ipſo, non vano aut craſſo ſermone illi dixiſſe: Tu es Petrus, & ſuper hanc perram, hoc eſt ſuper te ædificabo Eccleſiam meam &c. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, item: Quodcuuque ligaueris aut ſolueris ſuper terram, ligatum, ſolutumque erit in cœlis, vt quem viderent hic ſibi aſſociare, & adæquare quodanmodo in cura, & honore patriſſamilias eccleſiaſticæ domus, & plane ſignificare, non ſolum ſe, ſed & ipſum pro ſe Petrum totius illius congregationis magiſtrum, quem pro ſe conſtituerar cætrrorum caput, totius dominici gregis paſtotem, fundamentum ædificandæ Eccleſiæ, ſiquidem, & pro ipſo, ſicut pro ſe iuſſit perſolui didrachma, quod à ſolo magiſtro, ſolo exigebatnr congregationis capite. Et quamquam diuo Auguſtino libro quęſtionum veteris & noui teſtamenti quæſtione 75. videantur illi tributi exactores, non à ſolo domino, & magiſtro exegiſſe didrachma, ſed ab Apoſtolis ſingulis, cuius contrarium (vt oſtēdimus) indicat ipſe euangelicæ contextus hiſtoriæ, fuiſſerque tributum eiuſmodi graue nimis, & intoletabile, præſertim tennioribus, ſi cenſus eiuſmodi in ſingula conſtitutus fuiſſet humana capira.

Nec ſit veriſimile, ſi trexdecim didrachmata debuiſſent habere, publicani illi à Chriſto, vtpote pro ipſo, & duodecim eius Apoſtolis, quod aut ipſi cum duobus pro trexdecim conrenti eſſe voluiſſent, aut minus exoluere voluiſſet Chriſtus, cui nihilo plus negotij trexdecim erat quàm bina ſoluere, præſertim cum ne ſcandalizaret eos, quamuis alioqui à tributo eſſer liber, communi legi ſubdi voluie. Nihil tamen minus hoc facto apud eundem autoritatis dignitatiſque recognoſcitur in Petro. Scribit enim in hæc verba: Dicunt didrachmatis exactores ad Petrū Apoſtolum: Magiſter veſter num ſoluit didrachma? quo dicto, Magiſtrum, vt pro omnibus ſolueret Diſcipulis, conuenerunt. Saluator autem, cum pro ſe, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur, quia ſicut in Saluatore erant omnes magiſterij cauſa: ita, & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit caput eorum, vt paſtor eſſec dominici gregis. Nam cœteris dicit Diſcipulis, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Petro autem dicit: Ecce Satanas expoſtulauit, vt vos ventilet ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu tandem conuerſus confirma fratres tuos. Hæc Auguſtinus. Vides itaq; etiam apud hunc, cur ſtaterem iuſſerit pro ſe ſolui, & Petro, nempe quoniam ipſum conſtituerar Apoſtolorum caput, & dominici gregis paſtotem. Et ſicut in Chriſto omnes continentur magiſterij cauſa: ita, & poſt Chriſtum eadem cauſa in Petro omnes contineri.

Sed nec huius facti myſterium tunc prorſus latuie, quamuis rudes carnaleſque Apoſtolos, ſed ſubintelligebant ſibi præpoſitum Petrum, quem viderane à Chriſto ſibi in Eccleſiaſticæ illius domus magiſterio quodammodo adæquatum. Hinc, & illa inter ipſos continuo ſuborta eſt ambitioſa diſceptatio, quiſnam primas teneret in Regno Cœlorum. Quorum carnalem adhuc ambitionem, aduocato ad ſe puello compeſcens dominus, docuit eum quidem maximum fore in Regno Cęlorum, quiſquis ad paruuli illius exemplum in ſuis oculis hic eſſet minimus. Suæ tamen hic familiæ, ſuique gregis fore paſtorem, quem ante deſignauerat Petrum.

Quemadmodum rurſus, cum, & poſt illam myſticam peractam cœnam, iam iam tranſituro ex hoc mundo Chriſto in eandem iterum conrentionem recidiſſent, quiſnam eorum videretur eſſe maior (adeo eſt mortalibus inſita quædam ſuperbia, & ambirio) illos quidem primum ad modeſtiam ſuo reuocauit exemplo, docens, quàm non eſſet ipſis ambiendum, vt præeſſent, plurimum ſiquidem intereſſe inter huius mundi (quem adhuc imaginabantur) & Eccleſiaſticum illum, quem ipſe inſtituerar principatum, & cuius ſeſe formam exhibuerat, & exemplum, tum in alijs quàm plurimis, tum in lauandis (quod continuo fecerat) pedibus eorundem. Nam reges, inquit gentium dominantur eis, vos autem non ſic. Subindicans deinde, quam ipſe in Eccleſia ſua diſponebat hierarchiam, nihil obfuturam ſubditis, quo minus, ſi pares maioreſue meritis forent præpoſiris ſuis, eiſdem ipſis aut æquarentur, aut præferreneur etiam in Regno illo Cœlorum. In quo quiſque ſeu ſuperior, ſeu inferior gradum locumque obtineret, non ſecundum dignitarem quam hic geſſit, ſed ſecundum opera ſua, vtque hic geſſit impoſitam ſibi à Deo perſonam, qualiſcunq; denique ea ſit. Quo animæquiores redderet, repromittir tandem ipſis omnibus in illo regno vberrimam retributionem, quod ſecum hic permanſiſſent in tentationibus ſuis. Quem autem hic vellet vice ſua præeſſe iterum repetēdo ſignificans, ait Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ioan. 6.

Ve contendentibus de primatu Apoſtolis, Chriſtus indicarit Petro eum ſe commiſiſſe.

Vides hic quo pacto Apoſtolis tunc ambitioſulis, & de primatu (quem non intelligebant) more puerorum contendentibus, iterum clare ſignificauerit, quem inter ipſos vellet vice ſua præeſſe cæteris: eundem namque illum cui ante dixerat, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam. Nam vniuerſis eatenus loquens, ad ſolum hic Petrum ſermonem conuertit. Quem, quamuis ſingulariter proprio nomine compellet, non tamen dicit: ecce Satanas expetiuit te, ſed expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: vt quem totius gregis ſui conſtituerat paſtorem, admoneret, & ſollicitudinem gerere pro vniuerſis, illi vni denunciato communi, & omnibus imminente periculo, ad quem vnum totius Eccleſiæ cura pręcipue pertinebat. Itaque & ſubiunxit: Ego au-

tem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Vides hic, cui fratrum, & totius Eccleſiæ cura ſingulariter commendetur. Vides, vt hic noſter Moyſes, Aaronis quoque noſtri geſſerit negocia apud Deum, vtque illi viciſſim ſuas vices commiſerit ad populum. Ita enim Moyſi illi à Deo conſtitutum legimus: Ipſe pro te loquetur ad populum, & erit os, tu autem eris ei in his, quæ apud Deum pertinent.

Denunciat Chriſtus Petro expetitam a Satana vniuerſam ſuam Eccleſiam, vt eam cribraret ſicut triticum. Ego autem, inquit, rogaui pro te, nimirum cœleſtem patrem, ne deficiat fides tua. Ecce, vt eius apud Deum geſſerit negocium. Sed, & ſuas illi vices ad Eccleſiam nunquid obſcurum eſt ipſum commiſiſſe cum dixit: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos? Nunquid non illi mandatæ ſunt vices Chriſti, cuius nunquam defectura fides ſingulari priuilegio conſeruatur ad confirmandos fratres in fide? Nunquid ob aliud magis in hunc mundum venit Chriſtus, quàm vt credamus, & confiteamur, quoniam Dominus Ieſus ipſe eſt in gloria Dei Patris?

Quam diligenter aſcēſurus ad patrem Chriſtus vni Petro ſui gregis curam commiſerit. Ioan. 21.

Iam, & illud rurſus expende, quam diligenter poſt reſurrectionem ſuam, iam iam aſcenſurus ad patrem vni Petro totius gregis ſui curam iterum iterumque commiſerit, vtq; illum præſentibus Apoſtolis reliquis, declarauerit ſuarum ouium Paſtorem, Rectorem, & Principem.

Cum iuiſſet piſcatum Petrus, & cum eo nonnulli ex Apoſtolis, & Diſcipulis, & cognouiſſet ex Ioannis admonitione ſtantem in littore Chriſtum, alijs Paulatim nauigantibus ad terram, vnus ipſe non patitur moras: ſed tunica accinctus ſtatim ſe præcipitat in fluctus, ac natando feſtinat ad Dominum, pro cuius affectu, & amoris ardore nimis tarde incedebat nauicula. Cum autem prandiſſent vna, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine, tu ſcis quod amem te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? ait illi, etiam domine, tu ſcis quod amem te. Dicit ei: Rege oues meas, ita enim eſt Græce, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quod dixiſſet ſibi tertio amas me? dixitque ei: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quod amem te. Dicit ei Ieſus: Paſce oues meas. Hic nota diligenter verba, & ſigna myſteria. Conſtituerat ante, & cæteros Apoſtolos ſuos velut legatos in orbem vniuerſum, dicens eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni Creaturæ. Dederat, & illis poteſtatem, vt quorum dimitterent peccata, dimitterentur eis: & quorum retinerent, retinerentur. Ne quis itaque per hæc derogaſſe quicquam ei, quam diſpoſuerat, & cuius iamdudum caput toties deſignauerat, Eccleſiaſticæ hierarchiæ forte arbitraretur, aut Apoſtolorum omnium imaginaretur æqualitatem, iterum deſignat eum ad quem, tanquam eius legationis caput, & Principem vniuerſæ Eccleſiæ ſuæ curam præcipue referri vellet. In aliorum præſentia vnum ſingulariter appellans Petrum, non quidem illo pleno myſterij Petri nomine, ne quis in eo, & hic figuram vllam poſſet confingere: ſed illo ſuo proprio à parentibus indito, Simonis inquam, etiam patris adiecto cognomine, quo manifeſtus vnius perſonæ eius ſingularitatem exprimeret. Cuius vt preſcius horum temporum, præcipuam mihi curam ille ſacer ſpiritus habuiſſe videtur, quoties Euangeliſtæ tradunt aliquid ad Petri præeminentiam primatumque pertinens.

Neque hoc contentus, ſed ab alijs ipſum Apoſtolis vna præſentibus, etiam comparatione ſeiungit, atque illis, è diuerſo conſtituit dicens: Simon Ioannis, diligis me plus his? Perinde ac ſi diceret: Diligunt quidem, & iſti, ſed à te plus eſt quod exigo. Te ijs plus amare conuenit, quem præ ijs, & ſuper hos paſtorem ouilis mei conſtitui. Reſpondente autem quod amaret Petro, & ſui amoris non alium, quod omnia ſcientem Chriſtum teſtem citante, dicit ei: Paſce agnos meos, rege, paſceq; oues meas. Et ne ſuſpicari quis poſſet, ob trinam illius negationem irrita ſe feciſſe verba ſua, quibus ante ob glorioſam illam ſuæ deitatis confeſſionem, eundem pronunciauerat eſſe illam petram, ſuper quam fundaturus erat Eccleſiam ſuam, etiam tertio Eccleſiæ ſuæ curam illi commiſit. Itaque diuus Chryſoſtomus hunc locum explicans: Quid tandem eſt, inquit, quod omiſſis alijs duntaxat affatur Petrum? vt ei oſtenderet iam habendam fiduciam, tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum ei curam committit, neque negationis meminit nec exprobrat, tantum dicit: Si amas me, fratrum curam ſuſcipias: & quomodo in omnibus dilectionem oſtendiſti, & qua dilector nunc oſtende, & animam, quam pro me te poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade. Vides cur præſentibus alijs vni duntaxat Petro ouilis ſui curam tertio comiſerit, ne quis forte arbitraretur ob trinam domini ſui abnegationem excidiſſe illum à ſibi ante collato in Eccleſia principatu, quē promeruerat contraria illa glorioſa confeſſione. Vides quàm diligenter occurrit iſtorum impietati, & cauillationibus prophanis qui Eccleſiaſticam hierarchiam vna cum religione Chriſtiana euertere, & funditus extirpare omni ſtudio moliuntur.

Quid autem ſignificet illud ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, Theophilus ille in Ioannem ſcribens hoc pacto explicat: Poſtquam, inquit, finitum eſt illis prandium, Petro præpoſituram ouium orbis terrarum tradidit, (ita enim habet Græce προστασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων) nec alij ſed iſti ipſam dedit: primus quidem omnium electus, & os chori totius. Cui oſtendens poſtea quod oporteret confidere, tanquam negatione abolita, negationem non profert, nec exprobrat, dicit autem: quod ſi amas me, προΐστασο τῶν ἀδελφῶν, hoc eſt, præſis fratribus, & feruentem amorem, quem dicebas habere erga me, vt & mori mea cauſa velles amodo oſtende. Interrogat autem ipſum tertio, ſimul oſtendens quantam habeat curam credentium, & quod tantum diligat oues vt ſit hoc ſignum amoris erga ipſum, ouibus præeſſe. Hactenus ille. Cui vides quid viſum ſit ſignificare: Paſce agnos meos, rege, paſceque oues meas, hoc eſt, præeſto fratribus, vtque hic intellexerit præpoſituram ouium orbis terrarū vni Petro commiſſam à Chriſto,

Quam-

Digitized by Google

Quamuis autem Græcum illud verbum ποιμαίνω ambiguæ ſit ſignificationis, & ad id quod proprie dicimus paſcere, & ad regere gubernare, præeſſeque cum autoritate, & imperio: hic tamen in ſecunda ſignificatione accipi ab Euangeliſta, ex eo manifeſtum eſt, quod mutauerit verbum. Primum enim cum agnos ſuos ei paſcendos committeret, βόσκε verbo vſus eſt, quod proprie paſcere ſignificat: hoc ipſo ſignificans agnos ſuos nouellos tenerioresque mollius dulciuſque tractandos. At cum ouium illi curam ſecundo commiſit, mutauit verbum, & ποίμαινε inquit, quod non temere aut fruſtra feciſſe illum certũ eſt. Feciſſet autem fruſtra, niſi hic quid aliud, quam paſcere ſignificare voluiſſet, atque aliter quodammodo tractandas oues iam robuſtas, aliter vero tenellos agniculos. Paſcere igitur hos præcipit, illas vero, & regere ſeuerius, ſi quando hoc exigit Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, aliorumque, & exemplum, & confirmatio, etiam in virga ferrea. Alioqui & has ipſius mitius tractandas docens, niſi aliud ſuadeat, aut harum ipſarum, aut publica vtilitas, tertio earundem curam illi commendans ad paſcendi verbum reuertitur. Quam mutationem, certum eſt non carere ſuo myſterio.

Quod vero noſter interpres hanc Chriſti verborum non explicuit differentiam, neque illam eorundem energiam ita clarè reddidit, ex eo factum arbitror, quod etiam paſcendi verbum duplicem illam apud nos ſignificationem obtinuit: alteram quidem propriam, & per translationem alteram, adeo vt cum ad rationalem gregem transfertur, idem fere

Quid paſcere populos, & qui Paſtores. 2. Reg 5.

ſit paſcere, quod regere gubernareque cum autoritate, poteſtate, & imperio: quemadmodum Regum, Principum, Magiſtratuumque proprium eſt, quos ob id, & Paſtores ſubinde appellat ſcriptura. Vnde congregatus, inquit, omnis Iſrael ad Dauid in Hebron dixit: Ecce eos tuum, & caro tua ſumus. Heri quoque, & nudiuſtertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Iſrael. Tibi enim dixit Deus tuus, tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Princeps aut Dux ſuper eum. Audis hic quid ſit populum paſcere. Rurſus Ezechielis 34. Et ſuſcitabo, inquit, ſuper pecora mea Paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid, & ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in Paſtorem: ego autem ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid Princeps in medio eorum. Vides vt etiam hic idem ſit Princeps, & Paſtor. Loquitur autem de Chriſto, qui dixit: Ego ſum Paſtor bonus, & ad Patrem reuertens, ouilis ſui Petrum pro ſe Paſtorem ſubſtituit. De

Cap. 5.

quo etiam ita præcinuit Micheas: Et tu Bethlehem Effrata, paruulus es in milibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis, &c. & ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini. Quem locum ita expreſſit Mat-

Cap. 2.

thęus: Ex te mihi egreſſurus eſt Dux, qui reget populum meum Iſrael. Quod dixit Propheta, qui erit dominator, reddidit Euangeliſta, ὅστις ποιμανεῖ, quod noſter interpres vertit: Qui reget, quemadmodum, & alijs pleriſque locis fecit, vt Pſalmo 2. Et Reges eos in virga ferrea: & Pſal. 23. Dominus regit me, nihil mihi deerit: & pſal. 67. Ipſe reget nos in ſæcula: & 79. Qui Regis Iſrael intende, & alijs locis ſexcentis. In quibus Gręcus eodem vocabulo perpetuo vtitur, noſter autem variat, & nunc per regendi, nunc per paſcendi verbum idipſum indifferenter exprimit. Sicut, & fecit in priori Petri Epiſtola, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ. Vbi

Cap. 5.

dicit noſter: Paſcite quod in vobis eſt, gregem Chriſti. Rurſus, & Regem Paſtorem appellat ſcriptura, vt Eſaiæ 44. Qui dico Cyro Paſtor meus es. Huiuſmodi ergo Paſtor à Chriſto conſtitutus eſt Petrus ſuper ouile ſuum, hoc eſt, ſuper Catholicam Eccleſiam. Eiuſdem illius omnipotens filius, qui ante dixerat Dauid: Tu paſces populum meum Iſrael, nunc dixit Petro: Tu paſce oues meas, non vnius populi Iſrael, ſed ſimpliciter vniuerſas, & totius (vt Theophilus ille exprimit) Orbis Terrarum. Huc ille verus Dauid Princeps Paſtorque noſter iam iam reuerſurus ad Patrem ſuum inter nos conſtituit Vicarium, gregemque illi ſnum trina (vt audiſti) commendatione commiſit. Ne vel hac parte inanis eſſet illa eius veteris Synagogæ vmbræque par-

Aptiſſima correſpondentia figuræ & veritatis.

ticula, qua vetus ille Moyſes iam conſcenſurus in Montem, vt cum Deo loqueretur pro populo, Aaronem illum poſt ſe reliquit, cui ſuper gubernando populo ſuas vices committeret.

An non hæc omnia conquadrant exactiſſimè, veritas cum figura, ſequentia Chriſti verba cum præcedentibus, & ſecum vniuerſa vndique Euangelica hiſtoria? Conſcendit ille Moyſes in Montem Sinai, vt cum Deo tractaret negoeia populi. Conſcendit noſter Ieſus in ipſum Cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, atque vt eſſet aduocatus noſter apud Patrem. Eoque iam iam aſcenſurus, tam ſerio (vt audiſti) gregem ſuum noſtro Aaroni, noſtro Pontifici primo ſummoque commendauit Petro. Itaque vt hic concludamus, habes iam, vt caput fundamentumque ſit Eccleſię Chriſtus: caput etiam fundamentumque Petrus. Nec ea propter monſtroſa Eccleſiam eſſe forma, quin potius decentiſſima, & effigiata deliniataque erat illa Synagoga, & vmbra veteri. Eſt manetq; in æternum Sacerdos Chriſtus, iam Pontifex immortalis factus, Caput Eccleſiæ noſtræ, quare nec ſibi Succeſſorem vllum inſtituie. Sed quoniam neceſſe erat, vt vnde venerat reuerteretur, noſtrum pro nobis apud Patrem acturus negocium, ſuum pro ſe nobis reliquit Vicarium mortalem Petrum, qui inter mortales nos, ſuum Deique ageret negocium, & ab eo noſtræ militantis Eccleſiæ, ex viuis quidem tamen mortalibus conſtructæ lapidibus, Sacerdotium inchoauit, & per mortales homines, donec omnes immortalitatem induerimus, ſucceſſione continua ad finem vſque geri, propagari, conſeruarique voluit. Vides vt in his omnibus, nihil ſit inæquale, nihil contortum, ſed planiſſima, & ſibi vndique conſonans veritas, quam prædicat, & confitetur communis mater orthodoxa per Orbem Eccleſia.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

Rationes explicare, quibus Petrum in ordinem cogere nituntur hæretici, Apoſtolorumque omnium æqualitatem ſtatuere, & aduerſus eaſdem orthodoxam veritatem aſſerere.

QVemadmodum Catholicam orthodoxamque veritatem de Petri in Eccleſiaſtica hierarchia primatu, tam euidenti ſcripturarum teſtimonio, quàm orthodoxorum Patrum, atque adeo Catholicæ Eccleſiæ conſenſu, luce clarius demonſtrauimus: ita nunc hæreticorum aduerſus eandem machinæ, & explicandæ, & diſſoluendæ ſunt, quas ex ſcripturis partim Euangelicis, partim Actorum Apoſtolorum, partim vero ex Paulinis contexunt epiſtolis. Magna quidem ad ſpeciem, probabilitatis apparentia, & quibus malè affectis facilè perſuadeant id, quo vltro inclinat, & propendet impietas, ſimpliciotibus vero, & incautis ſaltem ſerupulos ingerunt.

Conantur itaque perſuadere, partes fuiſſe in Apoſtolica dignitate omnes Apoſtolos, æque omnes œcumenicos, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ curæ regiminique præpoſitos, parem denique autoritatem poteſtatemque ſortitos à Chriſto.

Ratio prima. quod omnium Apoſtolorum æque illimitata probari videtur autoritas.

SI quidem æque immediatè omnes à Chriſto Apoſtolicam illam autoritatem accepiſſe videntur. Omnes quoque æque videtur ille miſiſſe Legatos ſuos in Orbem vniuerſum ad Eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus congregandam, ædificandam, & gubernandam: hoc enim ſonat Apoſtoli vocabulum, nempè Nuncium, aut Legatum. Itaque dixit vniuerſis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Eunres in Mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Quare æque illimitatam ſortiti videntur omnes autoritatem ſuper vniuerſam Eccleſiam Chriſti: non autem quales nunc ſunt Epiſcoporum Diœceſes, certis limitibus circuuſcriptam, quemadmodum ex illius primo naſcentis Eccleſiæ, & Actorum Apoſtolicorum eſt videre hiſtoria. Quam enim laboribus trophæiſque Pauli in Eccleſia Chriſti metam præſcribemus? qui ab Hieroſolymis per Illiricum in circuitu ad Vrbem vſque Romam Euangelij ſui luce omnes illuſtrauit Eccleſias, etiam Hiſpanias meditans, & concipiens animo, quemadmodum idem ipſe in ſua ad Romanos teſtatur epiſtola. Sed, & omnium Eccleſiarum ſollicitudine ſe premi, etiam in alia atreſtatur epiſtola. Proinde haud rectè dictum videri, quod cæteri Epiſcopi Apoſtolis reliquis, Petro autem in autoritate ſucceſſerint Romani Pontifices: quum horum certis limitibus circumſcribantur Diœceſes, poteſtas, & autoritas, Apoſtolorum vero nullis circumſcripta limiribus, ſed in Eccleſiam vniuerſam. Siquidem in Mundum vniuerſum illos miſit Chriſtus prædicare Euangelium omni creaturæ.

Iam, & parem omnium autoritatem volunt, & nihil præ cæteris accepiſſe Petrum, tametſi vni ſpecialiter dictum ſit à Chriſto: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, & cæteraque ſequuntur. Siquidem promiſſionis tantum ea verba eſſe: quæ etſi vni facta ſit Petro, non tamen ſuo ſolius, ſed omnium, & totius Eccleſiæ nomine, quo vnitatis Sacramentum commendaretur; Quæ enim illic vni promittuntur Petro, omnia abſque vllo prorſus diſcrimine aliquanto poſt vna cum illo etiam reliquos accepiſſe Apoſtolos. Claues quidem Ioannis penul. Poſtquam dixiſſet eis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite, inquit, Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Illam vero ligandi ſoluendique antoritatem, paulo poſt promiſſionem illam factam Petro Matthæi decimo octauo, vbi dixit Apoſtolis vniuerſis: Amen amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuſuper terram, ligata, erunt & in Cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo. Nihil ergo aut poteſtatis, aut autoritatis præ cæteris Apoſtolis videnti acepiſſe Petrum.

Sed nec legimus, inquiunt, in Actis Apoſtolicis, vllam ſuperiorem autoritatem ſuper cæteros Apoſtolos exercuiſſe Petrum, quin contra potius, quemadmodum Actorum octauo: Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſeruur ad eos Petrum, & Ioannem. Conſtat autem quod maior non eſt, qui mittitur, mittente, ſed potius contra, iuxta verbum Chriſti: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, nec Apoſtolus eo, qui mittit illum.

In illo quoque Apoſtolorum concilio ſuper quæſtione legalium videtur Iacobus maiori quadam præ Petro autoritate vſus fuiſſe, in cuius, non Petri ſententiam concluſit concilium.

Præterea Paulus in nullo ſe ſubmittit Petro aut inferiorem facit, ſed parem ſe illi aſſerere videtur, ſcribens ad Galatas. Dicit namque, nec Petrum, nec cæteros qui Hieroſolymis erant Apoſtolos, ſibi quicquam contuliſſe: ſed contra, inquit, cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut, & Petro circumciſionis, qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter gentes, & cum cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras mihi dederunt, & Barnabæ ſocietatis, &c. Ex quibus verbis videtur, non ſolum non ſuperiorem Paulo fuiſſe Petrum, ſed tantum fuiſſe circuncisionis Apoſtolum, quemadmodum, & Paulus gentium. Rurſus, quum veniſſet, inquit, Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quoniam reprehenſibilis erat, & ſimulatione ſua cogens gentes iudaizare. Quod ipſum non videtur fuiſſe ſubditi erga ſuum ſuperiorem, ſed potius erga fratrem fratris aut ſocij officium. Hęc fere ſunt quæ iactantur ab aduerſarijs, quibus conantur Eccleſiaſticam hierarchiam perſuadere eſſe commentum hominum Petro ſibi datum diuinitus honorem principalemque illam autoritatem eripere, & æquare cæteris Apoſtolis.

Sed quoniam vt clarè hæc diluantur,

ſin-

Orthodoxæ veritatis de primatu Petri aſſertio.

ſingula quæque obiectionum capita, ſuo ordine prolixius diſtinctiuſque neceſſario pertractanda, diligenterque excutienda ſunt, ne vllus ex eis hæreae ambiguitatis ſcrupulus. Prius tamen quam id faciinus, meminiſſe te volo Chriſtiane lector eorum, quæ iam antea demonſtrauimus, ſimul, & ſalutaris illius Adamantij conſilij te commonefacere, quod ſuperius non ſemel a nobis inculcatum eſt. Quæ ſi memoria retinueris, ſcio nec tantillum te mouebunt vniuerſa, quæcumque aduerſus Catholicam orthodoxamque quam demonſtrauimus veritatem, quacumque apparentia quibuſcumque fucuta ſcripturis afferri poterunt. Demonſtrauimus enim fuiſſe omnino neceſſarium Chriſtianæ Eccleſiæ, vt hierarchia ſua contineretur per vnius in ea præſidentis ſupereminentem autoritatem, ſine quo nec ad momentum potuiſſet ſubſiſtere. Ita quoque deliniatam fuiſſe illa ſua vmbra veteri, ita requirere exemplar ad quod effigiata eſt hierarchiæ cœleſtis, ita materiam ex qua conſtructa, nempe infinitorum hominum toto orbe diffuſam multitudinem, ita finem, ita quoque eius autorem: quibus omnibus ipſa ſubſcriberet rei euidentia, quæ demonſtrat ita quoque eam fuiſſe ab initio, & vſque ad nos perduraſſe. Ipſa præterea ſibi vndique conſonans Euangelica hiſtoria, in qua (vt audiſti) Petrum Apoſtolorum omnium, & totius Eccleſiæ Caput, Paſtorem, & Principem deſignauit Chriſtus, ſuper ipſum totam, quanta quanta, erat, conſtructurum ſe promiſit Eccleſiam ſuam. Super hanc, inquit, petram ædificabo Eccleſiam meam: cuius pars, imo præcipua pars, & columnæ quædam fuere Apoſtoli. Ab eius iuriſdictione neminem prorſus oſtendit fuiſſe exemptũ. Quodcumque inquit, ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis. Ipſum in ſolutione didrachmatis, in magiſterio Eccleſiaſticæ domus ſibi quodammodo adæquaſſe Chriſtum. Ipſi vni contendentibus inter ſe de primatu Apoſtolis, totius Eccleſiæ, & fratrum Coapoſtolorum curam commiſſam. Vni præſentibus cæteris, & Apoſtolis, & Diſcipulis, ab aſcenſuro iam iam ad Patrem Chriſto etiam tertio dictum, paſce regeque oues meas. Inter quas nihil dubium eſt comprehenſos cæteros Apoſtolos. Inter quos vnius illius primatum miro ſtudio maximoque conſenſu, veluti horum temporum præſcij, omnes Euangeliſtæ mihi expreſſiſſe videntur. Qui omnes quoties Apoſtolorum duodecim, aut aliquot ex eis, inter quos ipſe inter eſſet Petrus mentionem faciunt, vno ore, & tanquam ex condicto, ſemper primo ipſum loco conſtituunt.

Quod ne caſu factum quiſquam cauillari poſſet, cur id omnes fecerint, Matthæus duodecim Apoſtolorũ nomina recenſens, in hunc
Cap. 10. modum clarius explicat: Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus. Vides cur primo inter Apoſtolos loco ab omnibus Euangeliſtis ſtatuatur Petrus, quia ipſe erat omnium Apoſtolorum primus. Quod ne ad vocationis ordinem referre poſſis, ipſe tibi occurrit Ioannes, qui Andream fratrem Petri affirmat fuiſſe vnum ex duobus illis Diſcipulis, qui audierant de Ieſu dicentem Ioannem: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & ob id ipſum eundem ſecuti fuerant. Inuenit autem hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam, adduxitque eum ad Ieſum, qui intuitus eum dixit: Tu es Simon Ionæ filius, tu vocaberis Cephas, &c. Prius itaque, inquit, ille, D. Ambroſius, ſequutus eſt Andreas Saluatorem quam Petrus: & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus. In ca. 12. ſecundæ ad Corinthi.

Et quanquam fuiſſet etiam vocatione primus inter Apoſtolos Petrus, qui primus erat dignitate, & autoritate: tamen ad vocationis ordinem certum eſt non reſpexiſſe Euangeliſtas, alioqui conuenirent etiam in reliquorum ordine, cum certus conſtitutuſque fuerit vocationis ordo, & inter cæteros. In quibus tamen omnibus variantibus per omnia. Siquidem Andream Simonis fratrem, quem ſecundum enumerat Matthæus, Marcus, & Lucas in Actis Apoſtolicis poſuerunt quarto loco, Iacobum autem Zebedæi, qui quintus eſt Matthæo, Marco ſecundus eſt, Lucæ autem tertius: & Ioannes eius frater, qui apud Matthæum quintus eſt, apud Lucam in Actis eſt ſecundus, apud Marcum tertius, quartus etiam apud Lucam in Euangelio. Ita & in reliquis videbis apud illos variari ordinem. Et quod poſſis mirari magis, vnum Lucam non ſolum diſſentire a cæteris in ordine reliquorum Apoſtolorum a Petro, imo & a ſeipſo, cum eos in Actis enumerat, & cum in Euangelio. Illic enim quartum Andream facit, hic autem cum Matthæo ſecundum. In Ioannis etiam ordine, nec cum vllo cæterorum Euangeliſtarum, neque ſecum ipſe conſentit. Nam ſecundum hunc numerat in Actis in Euangelio quartum, quem tertium Marcus, ſextum autem Matthæus facit. Similiter & in Bartholomæo, & in Thoma, & in Matthæo, nec ſecum, nec cum cæteris conſonat. Vnum autem Petrum omnes vbique, ſeu cum omnibus, ſeu cum aliquibus tantum nominatur, veluti ex condicto vno ore primo loco conſtituunt, tanquam caput, & ducem cæterorum: hoc nimirum clariſſimè ſignificantes, inter cæteros Apoſtolos, non fuiſſe a Chriſto in Apoſtolatu ordinem conſtitutum, & propterea non admodum retuliſſe, quo ordine recenſerentur.

At Petro, quem coryphæum, & verticem Apoſtolici chori non ignorauerunt, ſuum vbiq; locum, & honorẽ maximo conſenſu tribuerunt. Quem, & alia elocutionis figura nonnunquam efferunt, ſolũ ſubinde ſeorſum à cęteris Petrum ex omnibus nominantes, quãdo tamen de omnibus communiter loquuntur. Ita enim apud Lucam, cum illa ſanguiſſua a 12. annis quæ nulla medicorum opera curari poterat, ingeſſiſſet ſe inter turbas ad tangendam retro fimbriam veſtimenti Saluatoris, atque ita confeſtim ſanitati reſtituta fuiſſet. Percontante Ieſu quis eum tetigiſſet, & negantibus omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, &c. Rurſus apud eundem Acto. 2. Stans, inquit, Petrus cum vndecim, & Acto. 5. Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli dixerunt, &c. Quid igitur eſt, quod vnus ex omnibus nominatim exprimitur Petrus, non Iacobus, non Ioannes, & reliqui eidem collectim adiunguntur, ſi non ipſe fuit caput, & Princeps Apoſtolici chori? Qui mos admodum

dum familiaris eſt ſcripturæ, cum multitudinis alicuius mentionem facit, Principem eius, & caput exprimere nominatim, reliquam multitudinem ſecundum hanc locutionis formam illi adiungendo. Ita toties Moyſen, Ioſue, Dauid, Machabæos, atque alios etiam populi Principes, nominans, etiam hoc pacto illis multitudinem aſſociat.

His omnibus ſubſcribit Sanctorum omnium ab initio patrum, vt audiſti, communis concorſque ſententia, quæ Petrum confitetur caput fundamentumque Eccleſiæ, cui ſingulari priuilegio datæ ſint claues Regni Cœlorum, atque omnibus ſupereminens illa ligandi ſoluendique poteſtas. Hoc ipſum probat, & confitetur totius ab initio Catholicæ Eccleſiæ ſtatus, quæ primo Petrum, deinde Succeſſores eius Romanos Pontifices recognouit totius Eccleſiæ præſides, atque in eiſdem ſacroſanctam illam ſupereminentemque autoritatem vni Petro ſingulariter datam à Domino, venerata eſt: quemadmodum partim audiſti ſuperius Beatiſſimi Anacleti, Athanaſij, & vniuerſæ cum eo conuenientis Alexandrinæ Synodi, Leonis quoque, & Nicolai teſtimonio, & poſt vniuerſa totius primitiuæ Eccleſiæ comprobante hiſtoria, luce meridiana clarius intelliges.

Aduerſus quæ omnia cum audiemus nobis ingeri ſcrupulos, cum induci canonicas ſcripturas; vt nos ſeducant ab illo corpore Catholicæ Eccleſiæ, vt in ſuos angulos, & penetralia pertrahant, meminerimus ex præmonitione Chriſti tunc nobis dici: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. Meminerimus, & doctrinæ eiuſdem aduerſus tentationes ſuggeſtioneſque eiuſmodi. Sed nolite, inquit, credere, aliter videlicet, quam illud corpus, ad quod congregantur aquilæ, in quo vere Chriſtus eſt, nolite exire e ſeptis Catholicæ Eccleſiæ, & aduerſus noxias venenataſque ſuggeſtiones eiuſmodi ſepi aures tuas ſpinis, ne ſis pruriens auribus, quemadmodum illi de quibus Apoſtolus. Captiua te, intellectumque tuum in obſequium fidei, & ad omnem impietatis ſuggeſtionem, vnde aliter te extricare non poſſis, velut obturatis auribus clama cum illo, cuius libro primo meminimus (vti illi carbonarius.) Hoc ergo ſaluberrimum, & fidele illius Adamantij conſilium omnibus amplexandum firmiterque tenendum ſuadeo: iis præſertim qui continua iugique meditatione exercitationeque ſcripturarum non eo profecerunt vt poſſint earundem verum germanumque ſenſum vbique depromere. Quin & eruditiſſimis frequenter vſu venit, vt ad hoc veluti tutiſſimum aſylum ſacramque anchoram aduerſus antiqui illius callidique hoſtis ſuggeſtiones ſit neceſſe confugere, niſi velint agi præcipites in impietatis perditioniſque barathrum, vno hoc vmbone impenetrabili aduerſus ignea illius iacula ſe tueri. Ne tamen illi, vt faciunt, non ceſſent ſine fine, & modo nobis inſultare ſcripturis, quas, vt inquiunt, contra nec Angelus de Cœlo credendum ſit, ſimplicioribus autem ingerere ſcrupulos, per ſe vero male pietati affectis anſam præbere ſuæ perditionis, & arma ſubminiſtrare impietati ac iniuſtitiæ, ad diſſolutionem obiectionum iam veniendum eſt.

CAP. VIII.

Rationes diſſoluere, quibus perſuadere conantur fuiſſe partes omnes in Apoſtolica dignitate Apoſtolos, & æque œcumenicos, hoc eſt, Vniuerſalis Eccleſiæ curæ regiminique præpoſitos.

QVandoquidem ſcripturæ omnes diuinitus inſpiratæ dictatæ ſunt eodem illo veritatis ſpiritu, non poteſt eiſdem in eſſe contrarietas. Siquidem omne verum omni vero conſonat. Quæ ſi quando ad ſpeciem appareat, neceſſe tunc eſt ad inflexibilem illam rectæ intelligentiæ earundem amuſſim recurrere, ad illam columnam, illudque robur firmamentumque veritatis, nempe ad Catholicæ Eccleſiæ communem orthodoxamque ſententiam: vt qua teſtificante ſcripturis credimus, eidem teſtificanti credamus, quæ vera ſit earundem germanaque intelligentia. Id quod ad ſequentia omnia in vniuerſum dictum ſit. Quod itaque dicitur, Apoſtolos omnes æque immediatè ſuam illam Apoſtolicam autoritatem accepiſſe à Chriſto, eamque parem cum Petro. Illum ſiquidem omnes æque miſiſſe Legatos ſuos in Orbem vniuerſum ad Eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus congregandam, ædificandam, & gubernandam, fuiſſeque illorum omnium autoritatem, non certis Diœceſium limitibus circumſcriptam, ſed ſuper vniuerſam æque Eccleſiam, quemadmodum acta Pauli probare videntur.

Hic fatemur primum Apoſtolos omnes Apoſtolicam illam autoritatem æque immediatè accepiſſe a Chriſto, nec ſolum Apoſtolos, ſed & ſeptuaginta duos illos Diſcipulos, qui Presbyterorum nobis ordinem referunt, ſuam quoque autoritatem æque immediatè ab eodem accepiſſe Chriſto, eoſdem quoque miſſos in orbem euangelizare Euangelium regni vna cum Apoſtolis. Siquidem, & illos deſignatos ipſe adhuc in terris agens miſit binos, & binos ante faciem ſuam, dicens eiſdem: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Ite, ecce ego mitto vos, & cæt. eadem vniuerſa ad illos repetens, quæ paulo ante dixerat ad Apoſtolos, cum eos mitteret prædicare Regnum Dei, etiam illud ſubiungens in fine: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Dedit quoque, & illis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil, inquit, vobis nocebit. Sed & poſt reſurrectionem ſuam eiſdem illis vna cum Apoſtolis præſentibus dixit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Quæ cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Nam quod non ſolis Apoſtolis ea dicta fuerint a Chriſto, ſed etiam Diſcipulis vna præſentibus, manifeſte indicat Euangeliſta præmittens in hæc verba: Cum ergo ſero eſſet die illo vna ſabbatorum,

Quamuis Apoſtolis omnes miſſi ſint à Chriſto eius Legati in Orbem vniuerſum, ex eo tamen non conſequi, omnium autoritatem fuiſſe œcumenicam & æqualem.

& fo-

& fores eſſent elauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorum venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis, ſicut miſit me Patet, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum, & cæt. Vides non ſolis Apoſtolis, ſed & Diſcipulis vna congregatis hæc dicta fuiſſe. Vbi, inquit, congregati erant, non Apoſtoli, ſed Diſcipuli ob metum Iudæorum. Conſueuiſſe enim tunc non ſolos Apoſtolos ſeorſim ſegregari a Diſcipulis, ſed vna cum eis ob metum Iudæorum, manifeſtè indicat Lucas Actorum primo. Sed nec dubitari quicquam poteſt iſta non ſolis Apoſtolis, ſed etiam Diſcipulis dicta ſuiſſe, ad quos vna cum Apoſtolis indifferenter pertinuiſſe ſequentia Chriſti verba, quibus dedit eis poteſtatem dimittendi retinendique peccata hominibus, certum eſt. Omnibus enim Sacerdotibus (qui Illis ſeptuaginta Diſcipulis ſuccedunt) in ſua ordinatione dicitur ab Eccleſia: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinneritis, retenta ſunt.

Quare ſi ex hoc, quod omnes Apoſtoli æque immediate à Chriſto ſortitl ſunt apoſtolicam dignitatem, miſſique ab eodem in orbem vniuerſum ad Eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus congregandam, ac ædificandam, nec fuerit eorum authoritas cereis concluſa limitibus, aut diœceſibus, demonſtratum putas pari eos cum Petro poteſtate fuiſſe, hac ſane ratione non ſolos Apoſtolos, ſed & Diſcipulos illos ſeptuaginta duos eidem Petro æquauerimus, qui & ipſi ſacerdotalem, vt audiſti, authoritatem non à Petro, ſed immediate à Chriſto ſortiti ſunt. Miſſi quoque & ipſi euangelizare in orbem vniuerſum, quod munus ſibi commiſſum eorum plurimi haud ſegniter obierunt. Vnde ex prædicatione Philippi, non apoſtoli, ſed vnius ex diſcipulis, recepit Samaria verbum Dei: qui baptizauit quidem Samaritas, ſua prædicatione conuerſos, ſed ſupra ordinem ſuum nihil ſibi vſurpauit, vnde ad eoſdem Spiritus Sancti traditione confirmandos, quod Epiſcopale & primi ordinis Sacerdotum munus erat, venerunt Petrus, & Ioannes.

Similiter & in alijs locis per diſcipulos prædicabatur verbum Dei cum fiducia, & proſperabatur opus Domini in manibus eorum. Sed nunquid propterea non ſubijciemus diſcipulos illos, non ſolum Petro, ſed & cæteris Apoſtolis? Nunquid propterea non acceperunt etiam Apoſtoli authoritatem alios quoque ordinandi presbyteros, qui ſimilem æqualemque cum diciſpulis illis poteſtatem in Eccleſia obtinerent? Acceperunt itaque illi ſuam authoritatem immediate à Chriſto: attamen & à Petro, & etiam à cætaris Apoſtolis, niſi eos præuertiſſet Chriſtus, eandem accipere potuiſſent. Quod ſi tempora prudenter diſtinxeris, facile concordabis ſcripturas. Erat ſiquidem tunc meſſis plurima, operarij vero admodum pauci. Erat tunc tempus quomodocumque congregandi in horrea. In quod illi tunc à Chriſto electi operarij, operam ſtrenuiſſimam nanauerunt, vt cumque & vndecumque potuere. Attamen iam congregata in horrea diſponebat, ac ordinabat ille, quem hic reliquit Chriſtus ſuper vniuerſam familiam ſuam, & cui totius ouilis ſui curam ſpecialiter demandauerat, Petrus eiuſque in primatu Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſucceſſores.

Non erat opus vnius Petri, vniuerſum aggredi terrarum orbem, & in ouile ſibi commiſſum cogere, ſed multorum ad hoc opera erat neceſſaria. Quare ad hoc miſit non ſolum Apoſtolos, ſed & illos ſeptuaginta duos Diſcipulos, miſit & alios quos ad hoc munus etiam poſt aſcenſionem ſuam ſpeciali gratia, & illuminatione ſelegit, quemadmodum & Paulum & Barnabam Actorum decimo quinto, & alios pleroſque: nec certos eis limites ſuorum laborum præſcripſit, quin potius miſit in orbem vniuerſum, vndecumque poterant colligere & congregare. Qua quidem in re tametſi Apoſtolorum omnium æqualis quodammodo videri poſſit commiſſio, non tamen tam erat hæc authoritas vniuerſalem Eccleſiam gubernandi, quam congregandi in ouile Chriſti, cuius ſummus paſtor conſtitutus erat Petrus & ſucceſſores eius. Neque enim Babylonem quandam per illos ædificare volebat Chriſtus: quin potius ordinatiſſimam quandam ciuitatem, ſecundum exemplar, quod videret apud patrem, illamque ſupercœleſtem Hieruſalem hic in terris effingere, cuius eſſet, non ſecus, quam aciei caſtrorum ordinatiſſima graduum ordinumque diſtributio, per quos ad vnum caput ac præſidem ordinaretur tanta multitudo, atque vnius contineretur, ſuſtentaretur, gubernareturque authoritate & imperio.

Inter initia fidei, inquit Diuus Ambroſius, omnes docebant, omnes de clero baptizabant, quibuſcunque diebus & locis & temporibus fuiſſet occaſio. Neque Philippus tempus quæſiuit aut diem, quo Eunuchum baptizaret, neque ieiunium interpoſuit, adhuc præter ſeptem diacones nullus fuerat ordinatus: vt ergo creſceret & multiplicaretur Eccleſia, omnibus de clero inter initia conceſſum eſt & euangelizare & baptizare & ſcripturas in Eccleſia explanare. At vbi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, ex tunc ſunt conſtituta conuenticula, & rectores & officia in Eccleſia ſubordinata: vt nullus de clero qui ordinatus non eſſet, præſumere auderet officium, quod ſibi non eſſet creditum & conceſſum. Et ita cœpit alio ordine & prudentia gubernari Eccleſia. Quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res viliſſimaque videretur. Hinc eſt, vt nunc neque diaconi in populo prædicent, neque clerici, neque laici baptizent. Hactenus Ambroſius. Itaque qui prudenter diſtinguit tempora, facile hac parte concordabit ſcripturas, & intelliget illimitatam illam Apoſtolorum authoritatem magis fuiſſe ad congregandum omnes in ouile Chriſti commiſſum Petro, quam ad illud ipſum ouile gubernandum.

In commẽr. epiſtolæ ad Epheſios.

Quod ſi cæteros quoq; Apoſtolos etiam regiminis authoritatem vis habuiſſe ſuper Eccleſiam, quam congregaſſent Chriſto, vt hoc donemus, ex eo tamen conſequens non eſt, vt cuiuſquam eorum authoritas fuerit ſuper Eccleſiam vniuerſam, quando nemo vnus congregauit vniuerſam. Quin potius teſtantur hiſtoriæ, cum diuiderentur à ſe Apoſtoli in orbem vniuerſum, ſuam cuique deputatam prouinciam, quam vomere ſuæ prædicationis excoleret, & Apoſtolica authoritate gubernaret.

ret. Nulli auten. commiſſam totius orbis curam, quam vni Petto. Cuius authoritate vna cum ſenatu illo Apoſtolico conſtitutum tunc illorum ordinem ſacrum Eccleſiæ, qui ab eo tempore perdurat hactenus, ſedium quidem principalium in honorem vnius Petri eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis: deinde & reliquarum primatum ac metropolitanarum, prout locorum hoc deſiderabat opportunitas, & Eccleſiæ totius hoc expoſtulabat neceſſitas: vt totius quanta eſſet, per orbem Eccleſię cura ad vnam ſedem Petri ordinatiſſime referretur, atque eius in vniuerſam viciſſim deferretur authoritas tam immenſæ multitudinis corpus in vnū continens: omnino certum eſt, atteſtante hoc in primis ipſa rei euidentia, deinde illius ſanctiſſimi Anacleti Petri diſcipuli & in cathedra ſucceſſoris, quam ſupra citauimus, epiſtola, qua vniuerſos toto orbe Chriſti Sacerdotes & Epiſcopos de apoſtolica hac ordinatiouc inſtruit.

Iam vt etiam hoc donaremus, Apoſtolorum omnium illimitatam atque œcumenicam authoritatem fuiſſe in Eccleſiam vniuerſam, nec in illa diuiſione partitam certis limitibus: nihil tamen hoc ipſum derogaret authoritati Petri ſuper cæteros vniuerſos. Non magis, inquam, quam ſi nunc intelligeremus à Romanis Pontificibus mitti aliquos ſuos Legatos, ad Eccleſiaſticam diſciplinam toto orbe collapſam, vbique reformandam, & in priſtinum ſtatum reuocandam, idque quocumque accederent, cum poteſtate pleniſſima: non, inquam, magis quam Legatorum eiuſmodi authoritas derogaret authoritati Romani Pontificis. Nam quamis & iſti vterentur poteſtate illimitata & œcumenica, eaque plenaria: tamen ſub Romano Pontifice, & dependenter ab eodem. Et quemadmodum non inſignificanter dicerent ſcholaſtici, eſſent quidem hi, quamdiù duraret illa eorum Legatio, æquales Romano Ponrifici, quantum ad præſentem adminiſtrationem attinet: nequaquam tamen in ipſa fontali authoritatis plenitudine. Ita & de Apoſtolis ac Petro dicendum eſſet, vt daretur illorum omnium vniuerſalem fuiſſe authoritatem & œcumenicam.

Sed Chriſti, inquies, non Petri legati fuere Apoſtoli, ab ipſo Chriſto, non à Petro ſuam illam authorirateṃ poteſtatemq; acceperunt. Eſto acceperiut à Chriſto non à Petro, ſuam poteſtatem Apoſtoli. Ita & illi ſeptuaginta duo Diſcipuli, ſuam quoque poteſtatem æque immediate acceperunt à Chriſto, & ab eodem etiam miſſi ſunt in orbem vniuerſum prædicare euangelium omni creaturæ: nihil tamen dubium eſt illos ſubfuiſſe Apoſtolis, & in primis Petro, à quorum authoritate non minus eorum dependebat authoritas, quam ſi ab eiſdem & ordinati & miſſi fuiſſent, quorum ordinandorum pleniſſimam poteſtatem acceperant. Nam quamuis illos primos, tanquam Apoſtolos ſuos inſtruens, & imitationis exemplum præbens, per ſeipſum inſtituerit Chriſtus: attamen ordinatos inſtituit, vni capiti totius Eccleſiæ Paſtori ſubeſſe voluie, vni illi inniti & quaſi fundamento firmiter adhærere, ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam. Non enim diſſenſionis Chriſtus author fuit, ſed pacis, concordiæ, vnitatis, quæ in immenſa multitudine abſque ordine diligentiſſime conſtituto omnino ſeruari non potuit, nec voluit Babylonem quandam ædificare, ſed cœleſtem illam Hieruſalem iu terris effingere. Neque per hoc, quod illi immediatè à Chriſto ordinati fuerunt, quicquam acceperunt amplius præ iis, quos ordinarunt Apoſtoli. Ita quoque & de Apoſtolis, eorumque aurhoritate & Petro haud dubiè exiſtimandum eſt, æque authoritatem eorum plenariam & illimitatam (ſi tamen talem acceperunt) ad ædificarionem gubernarionemque vniuerſalis Eccleſiæ ſubfuiſſe Petro, ac ab eodem dependiſſe, penès quem erat Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudo, haud ſecus quam ſi eaudem ab ipſo accepiſſent Petro, à quo haud dubiè eam accipere potuiſſent, niſi accepiſſent à Chriſto. Quemadmodum (vt in exemplo rem clarius intelligas) ſi ipſe Romanus Pontifex, quod uunc fieri quotidie videmus, Epiſcopi alicuius in ſua Diœceſi ordinationem præueniens, alicui eius plebi inſtituat presbyterum, quem alioqui ordinaria authoritate iuſtituere debuiſſet Epiſcopus: ille nihilo minus æque ſubiectus eſt ſuo Epiſcopo, ac ſi ab eodem conſtitutus ordinatuſque fuiſſet, nec minus ſub ordinata eſt Epiſcopo eius authoritas: Ita & de ſeptuaginta duobus illis Diſcipulis ſub Apoſtolis, & de Apoſtolis ſub Petro pariformirer intelligendum eſt. Iu quibus ordinem illum ſubiectionis prælationiſque nihil prorſus variat, quod in eorundem ordinatione ordinariam ipſam authoritatem (quæ ſumma penès Petrum extitit) ſua ordinatione præuenerit Chriſtus.

Proinde veriſſimum eſt id quod ſcribit beatiſſimus Leo ad Epiſcopos per Viennenprouinciam conſtitutos: Diuinæ, inquit, cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis ſaluator inſtituit, vt veritas quæ antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam iu ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muueris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret: vt ab Ipſo veluti à quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, & exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim iu conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam, nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualere.

Leonis veriſſima ſententia.

Verum hanc petræ iſtius ſacrariſſimam firmitatem, Deo ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere. Cui cum præ cæteris ſoluendi & ligandi ſit tradita poteſtas, paſcendarum tamen ouium cura ſpecialius mandata eſt. Cui quiſquis principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo minuere poteſt dignitatem, ſed inflatus

flatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum ad inferna demergit. Hæc ille ter Sanctus Leo.

Per hæc itaque abunde mihi ſatisfactum videtur primæ illi aduerſariorum rationi, qua Apoſtolorum omnium æqualitatem ſtatuere conantur, ex eo quod omnes acceperint ſuam illam anthoritatem æque immediatè a Chriſto, & quod omnes miſſi fuerint in orbem vniuerſum cum poteſtate illimitata & œcumenica ſuper vniuerſam Eccleſiam.

CAP. IX.

Rationes diſſoluere, quibus Apoſtolorum & Petri parem inter ſe authoritatis plenitudinem ſtatuunt.

Bifariam intelligi, æquam, aut parem eſſe aliquorum authoritatē.

Bifariam intelligi poteſt æquam aut parem aliquorum authoritatem, vel quod æque late pateat, hoc eſt, æque multis præſit: vel vt ipſa in ſe conſideretur poteſtatis menſura ac plenitudo, quam ex proprijs eius actibus & effectibus eſt intelligere: vt ſi eadem prorſus omnia poſſit hæc & illa æque diuitem in ſe, plenamque poteſtatem, atque hac ratione parem, haud incongrue intellexerimus. Qua quidem in re poſſet ſtare æqualitas, vbi ſecundum priorem rationem eſſet longa imparitas, vt duorum Epiſcoporum, quorum vnius arcta eſt, alterius late patens diœceſis. Duorum item Legatorum à Latere Romani Pontificis, vnius quidem ad vnam aliquam, exiguamque Prouinciam, alterius ad plures, eaſque longè, lateque patentes: vbi tamen æque plena eſſet ipſa eorum in ſe facultas. Hanc differentiam ſuo more explicauerint ſcholaſtici, nobis loquendum eſt, vt intelligamur ab omnibus. Superiori autem capite rationes diſſoluimus, quibus perſuadere conantur, æque longe lateque patuiſſe authoritatem Apoſtolorum aliorum & Petri, æque nullam diœceſium coartatam limitibus, æque omnium œcumenicam. Quicquid enim ea in re conantur de Apoſtolis ſtatuere, neceſſe eſt eadem prorſus ratione, vt de ſeptuaginta Diſcipulis ſtatuant. Quorum tamen authoritatem, certum eſt & notorium, fuiſſe ſub authoritate Apoſtolica: ſicut hanc ſub authoritate illa ſupereminenti Capitis totius hierarchiæ Eccleſiaſticæ.

Ad ipſam hunc in ſe poteſtatis eorundem menſuram, plenitudinemque venientes, tametſi libro ſequenti eandem exactius explicabimus & demonſtrabimus: interim tamen hic rationes diſſoluendæ ſunt, quibus parem hac ratione Apoſtolorum omnium cum Petro authoritatem ſtatuunt: quandoquidem hoc etiam ante explicatam exacte eiuſmodi in ſe authoritatis menſuram fieri poterit.

Cum itaque dicitur, Petrum nihil præ cæteris accepiſſe Apoſtolis. Neque etiam claues regni cœlorum, neque illam iuriſdictionis ſoluendi, alligandique poteſtatem. Nam quantum ad claues attinet, non datas ſpecialiter vni Petro, quum ſuperædificandæ Eccleſiæ fundamentum pronunciaretur à Chriſto, ſed promiſſas tantum. Nam dabo, inquit, tibi claues, non do: quas poſtea dedit indiſcriminatim omnibus, Ioannis penultimo dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt. Similiter dicunt de poteſtate iuriſdictionis, quæ tametſi data videatur ante alios Petro, tamen continuo poſt data eſt etiam Apoſtolis omnibus, Matthæi decimo octauo, vbi omnibus loquens: Quæcunque inquit, alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c. Ad hæc dicimus, & primum de clauibus, quod earum nulla vnquam apud Euangeliſtas fit mentio, neque Ioannis penultimo, nec vſquam alibi, quam Matthæi decimo ſexto, vbi vni ſingulariter Petro promittuntur. Pertinuit fortaſſis & illa poteſtas dimittendi hominibus peccata etiam ad claues regni cœlorum, veluti pars quædam earundem, ſed ampliorem longe, magnificentioremque poteſtatem mihi importare videntur, aut potius ipſam totius eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudinem, quanta decebat illum, qui Chriſti in Eccleſia vices gereret vniuerſa ea comprehendens, quæcunque ad finem eccleſiaſticæ ſocietatis aſſequendum erant neceſſaria. Cuius menſuram libro ſequenti inueſtigabimus. Quam in metaphora clauium regni cœlorum expreſſit, eius veluti maieſtatem commendans, ſignificanſque etiam regni cœleſtis poteſtatem ipſum habiturum in terris. Quas claues, ſicut vni ſingulariter promiſit Petro, ita vni ſingulariter dedit.

Quid per claues regni intelligendum ſit.

Quod vero promiſſas tantum illi claues volunt non datas. Ego vero ſi promiſſæ hic ſunt non datæ, ab illo promiſſas ſcio, cuius nomen eſt fidelis & verax, imo qui eſt ipſa æterna veritas, cuius dixiſſe feciſſe eſt, ille dxit vni Petro: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quare audiſti ſupra in illius Athanaſij & Alexandrinæ Synodi tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum epiſtola, quid dicant ſucceſſori Petri: Tu, inquiunt, es ſicut veraciter diuinum teſtatur eloquium, Petrus, & ſuper tuum fundamentum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ: Tibi claues regni cœlorum commiſit, ac ligare & ſoluere poteſtatiue, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt, promulgauit, &c.

Quod ſi non tantum promiſſas, ſed etiam datas hic vni Petro claues illas contenderem, haberem non parui nominis ſuffragatores, per quos hanc tuerer ſententiam, à quibus haud ſcio an diſſentire tutum ſit. Illic enim corpus eſt, illic Chriſtus & veritas, vbi congregantur aquilæ. Et primo Tirtulliani hæc fuit certiſſima ſententia, qui libro de præſcrip. hæretic. de Petro ita interrogat: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cœlorum conſequutum, & ſoluendi ac ligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Loquitur autem de eo quod poſt audiuit à Chriſto: Quod ego facio tu neſcis modo, quo tempore iam ante fatetur accepiſſe illum claues regni cœlorum. Quare vna cum promiſſione etiam accepiſſe illum claues credidit, cum alibi vbi accepiſſet, nuſquam inueniatur. In eadem ſententia eſt Diuus Ambroſius, quod in Lucam ſcribens teſtatur, dicens: Reſurrectionis tempore præſto ſunt mulieres, & cum viri fugarentur, ſolæ tamen ab Angelo ne timeant admonentur. Petrum euocant, ſtudio priores, ſed poſteriores fiducia: denique ille ſine metu aduenit, & incunctanter, qui poſterior venerat, primus ingreditur, quaſi qui claues regni vt alijs aperiret, acceperat.

Ambroſij ſententia.

Vides & huius ſententia etiam ante paſ- CIII. ſionem & reſurrectionem Domini Petrum claues accepiſſe regni cœlorum, non autem poſt, cum diceretur omnibus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur, &c. Hoc idem affirmat libro de Iſaac & anima: Petro, inquit, dicenti quo vadis, reſpondit verbum Dei, non potes me ſequi modo, ſequeris autem poſtea. Claues ante commiſerat regni cœlorum, & ſequendo imparem iudicauit? Si claues iam dudũ illi commiſerat, certum eſt verborum illorum effectum (Tibi dabo claues, &c.) non fuiſſe dilatum in futurum, ſed ſimul præſentem ſecum habuiſſe effectum. Id quod adeo non dubitat etiam Diuus Auguſtinus, vt hoc verbum Chriſti apud Matthæum (Tibi dabo claues) ipſe nonnuſquam verterit verbo præteriti temporis, perinde ac ſi dixiſſet Chriſtus: Tibi dedi claues regni cœlorum. Ita enim habet ſermone 124. de tempore: Credendæ erant Petro claues Eccleſiæ, imo creditæ ſunt ei claues regni cęlorum, credenda quoque erat ei populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſuæ naturæ vitijs ac paſſionibus, culpis inuoluta & peccatis, denique ſic ad eum ait: Tibi dedi claues regni cęlorum, deinde ſequitur, dicens: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cęlis, videlicet, vt in clauibus fidelis ianitor, & in ſententijs eſſet clementiſſimus diſpenſator, &c.

Auguſtini conſors ſententia.

Vides hic affirmare Auguſtinum, imo docere ſibi commiſſam Eccleſiam, quod Chriſtus dixerit Petro: Tibi dedi claues regni cęlorum. Non quod ignorauerit legi apud Matthæum: Tibi dabo, ſed quoniam certum habebat illam promiſſionem Chriſti, quam Euangeliſta explicat verbo futuri temporis, non ſolum certum, ſed etiam ſecum præſentem ha- CXXIII. buiſſe effectum. Quare etiam libro ſecundo aduerſus Gaudentij epiſtolam ſcribit in hæc verba: Nunquid melior Raſias quam Apoſtolus Petrus? Qui vbi dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui, tam beatus à Domino pronunciatus eſt, vt claues regni cęlorum mereretur accipere. Nec tamen creditur imitandus, vbi mox eodem momento reprehenſus audiuit: vade poſt me, &c. Eandem ſententiam probat & ſequitur ſcribens in Ioannem Tractatu quinquageſimo.

Eodem prorſus modo intellexit hoc ipſum Sanctus Hilarius. Siquidem in Matthæum hæc ipſa Chriſti ad Petrum verba explicans, ſubiungit in hæc verba: O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues regni æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cœlis. Vides etiam huius ſententia traditas vna cum promiſſione claues à Chriſto. Et in pſalmum 52. Conſcius Dominus infirmitatis humanæ, cum Apoſtolis dixiſſet: Omnes vos ſcandalum patiemini in me nocte hac, & beato Petro ter, non ad denunciationem damnatæ negationis, ſed quia per timorem carnis demutabilis homo, id quod negaturus eſſet admonito, neganti quidem claues cęlorum non ademit. Supponit ergo iamdudum accepiſſe eundem claues, ita vt intelligatur præcedens clauium promiſſio, præſentem ſecum habuiſſe effectum. Rurſus in pſalm. 131.

Cum quædam, inquit, de paſſione ſua ad Diſcipulos locutus fuiſſet, & Petrus tanquam indignum hoc Dei filio deteſtatus eſſet, cui ſuperius claues Regni Cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, aduerſus quam portæ inferi nihil valerent, quæque in terris vel ſoluiſſet, vel ligaſſet, ea in Cœlis, vel ſoluta, vel ligata perſiſterent: hunc inquam, tali conuicio deteſtantem Sacramentum hoc paſſionis excepit: Vade poſt me Satana. Audis itaque quam conſtanter vbique ſentiat hic Hilarius, non promiſſionis tantum de futuro verba illa Chriſti fuiſſe ad Petrum: Tibi dabo claues, &c. ſed quæ præſentem habuerunt cum promiſſione effectum. Nam illo conuicio exceptum Petrum continuo poſt dicta illa ad ſe verba Chriſti teſtatur Matthæus, at iam ſuperius datas illi claues affirmat. Datæ ergo ſunt vna cum promiſſione. Eiuſdem omnino ſententiæ eſt Diuus ille Chryſoſtomus, quam & alibi plerumque & hunc ipſum Euangelij locum explicans clariſſime ſignificat, vbi continuo poſt illa magnifica Chriſti verba ad Petrum, cum de paſſione ſua quædam ſubiunxiſſet, moliretur que Petrus eum auertere a paſſionis ignominia, dicens: Propitius tibi eſto, nec fiat tibi hoc, ita interrogat: Quidnam hoc eſt ô Petre? Tu qui reuelationem deſuper habuiſti, qui beatificationem conſecutus es, cui claues Regni Cœlorum traditæ, tam cito, adeo grauiter lapſus, cecidiſti? Vides non promiſſas tantum, ſed & traditas fuiſſe claues Regni Cœlorum.

Chryſoſtomi conſons ſententia.

Ab his tantis Patribus diſſentire, haud ſcio an ſatis tutum ſit, præſertim cum ipſe teſtetur Chriſtus, congregationem aquilarum nobis certo indicare, vbi ſit corpus, vbi Chriſtus, & veritas. Nec quicquam nos debet aduerſus hæc mouere verbum futuri temporis apud Euangeliſtam, cum non ignoremus eſſe morem ſcripturæ admodum familiarem, & modum pro modo ponere, & tempus pro tempore. Ita enim quæcunq; Ezechielis 31. capite dicuntur de Rege Aſſyriorum futuro tempore, à 70. (quemadmodum etiam teſtatur Hieronymus) quaſi tranſacta memorantur. Sic & de Cruce, & paſſione Domini diu ante prædictum fuerat: Foderunt manus meas, & pedes meos. Et alibi: Quaſi ouis ad victimam ductus eſt. Et rurſus: Et liuore eius ſanati ſumus. Et iterum: Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt in mortem. Quid igitur mirum, ſi & hic pro tempore tempus, pro præſenti futurum poſuerit, velut ad vſum & exercitium iam tum daturum clauium reſpiciens, quemadmodum tot ſancti, orthodoxique patres intellexerunt, adeo vt Diuus Auguſtinus nihil dubitet, ſicut audiſti, non ſolum præſens, ſed etiam præteritum pro futuro hoc loco ponere, ac dicere, ſic dixiſſe Chriſtum ad Petrum: Tibi dedi claues Regni Cœlorum.

Soluuntur argumenta in contrarium.

Quod ſi tot orthodoxis, ſanctiſque Patribus omnino reclamare pergas, ſi congregationem illarum aquilarum, nos ducentium ad verum ſenſum Eccleſiaſtici corporis contemnere non erubeſcis, ſi attendere monſtrantibus

tibus

tibus Chriſtum in angulis, & penetralibus contra Chriſtum omnino decretum eſt, ita vt prorſus contendas promiſſas hic tamen claues Petro, non etiam datas, vt hoc tibi donaremus, certe quin dederit aliquando ille fidelis, & verax, quod tam ſerio, tam ſolenniter repromiſit, omnino negare non poteris: & ſi non ante, ſaltem tunc, cum poſt reſurrectionem ſuam iam iam rediturus ad Patrem, conſtituit illum ſuper vniuerſam familiam ſuam, ſuumque ouile illi tertio gubernandum commiſit, dediſſe eidem etiam iam dudum promiſſas illas claues regni, hoc eſt, poteſtatem pleniſſimam ac pro ſe vicariam, ſine qua regere Eccleſiam, & in finem ſuum dirigere conuenienter non poterat.

Non datas illas claues regni apoſtolis omnibus, Ioannis penult: Quorum remiſer. peccat. remit. eis, &c.

Quod inſuper dicitur, datas claues indiſcriminatim Apoſtolis omnibus, cum illis apud Ioannem diceret Chriſtus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Reſpondemus clauium illic nullam mentionem fieri. Illud enim dictum fuiſſe non ſolis Apoſtolis, ſed & Diſcipulis vna præſentibus, atque in eis Sacerdotibus omnibus, qui eandem poteſtatem remittendi peccata accipiunt. Quibus omnibus, ſi claues illæ regni cœlorum abſque diſcrimine committuntur, quorſum ergo ab orthodoxis Patribus omnibus, atque adeo vniuerſa Chriſti Eccleſia, Petrus dicitur ianitor cœli, & regni cœleſtis clauiger? Quorſum illa Alexãdrina Synodus cum mirabili ſuo glorioſiſſimo Chriſti Confeſſore Athanaſio ſcribunt Petri Succeſſori: Tu es, ſicut veraciter diuinum teſtatur eloquium, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ. Tibique claues regni cœlorum commiſit ac ligare, & ſoluere poteſtatiue, quæ in cęlis, & quæ in terris ſunt, promulgauit. Vides non vnicuilibet Sacerdoti, non cuilibet Epiſcopo, ſed Romano Pontifici Petri Succeſſori, commiſſas claues regni cœlorum. Idque tot ſanctiſſimorum, eruditiſſimorumque Pontificum, pro defenſione orthodoxę fidei ſynodice congregatorum teſtimonio. Nec tamen imus inficias, quin & cæteri Epiſcopi, & Presbyteri eaſdem claues quadantenus participent: tamen ordinate, & omnes ſub vno Eccleſiaſticæ hierarchiæ capite. Ita huius muneris Sacramentum Dominus ad omnium Apoſtolorum officium (vt beatiſſimi Leonis verbis dicam) pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo veluti a quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exorrem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.

De poteſtate vero illa iuriſdictionis alligandi, & ſoluendi, quam parem cum Petro volunt accepiſſe etiam reliquos Apoſtolos, Matth. 18. vbi dictum eſt omnibus: quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo. Quemadmodum paulo ante dictum erat Petro: quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Dico primũ, mihi ita videri, verba illa Chriſti Matth. 18. Quæcunque alligaueritis, &c. non pertinuiſſe propriè ad Apoſtolos, ſed ad Eccleſiam, cuius Petrus caput erat, & fundamentum. Quare quancunque illic autoritatem dederit, eam non poſſe referri ad Apoſtolos, qui non erant Eccleſia, ſed pars Eccleſiæ: præſertim, ſi eos non ſolum collectim, ſed etiam ſigillatim intelligas.

De ſecundo: quod ad quoſcunque pertineant verba illa Chriſti, ſeu ad Eccleſiam, ſeu ad Apoſtolos omnes, & ſingulos: non tamen illis datam eſſe tantam iuriſdictionis autoritatem, quantam ante dedit vni Petro: Quin potius ex eo ordine, quod prius, magnificentiuſque eam dedit vni Petro: deinde autem, ſeu Eccleſiæ, ſeu Apoſtolis, vtcunque volueris, omnibus, & ſingulis, euidentiſſime ſignificari, hanc illi ſubiectam eſſe oportere.

Quod autem illa verba Chriſti Matthæi 18. ad Apoſtolos non pertineant, maximè ſi eos ſigillatim intelligas, ſed ad Eccleſiam, quamuis illic ſolis Apoſtolis locutus videatur, euidenter mihi oſtendere videtur ipſa verborum Chriſti ſeries, ſi diligenter conferamus vniuerſa. Nam cum ordinem correptionis fraternæ illic nos docuiſſet (quam non ad ſolos Apoſtolos, aut eorum in Apoſtolica autoritate Succeſſores Epiſcopos, ſed ad omnes æque Chriſti fideles pertinere certum eſt) inſuper, & iuſſiſſet fratrem, ſi noſtra correptione non emendaretur, Eccleſiæ denunciare, quo nobis eiuſdem Eccleſiæ in ſuis iudicijs commendaret autoritatem, & nos doceret obedientiam, ſubiunxit: quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus, pro ratione ſubijciens: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque ſolueritis, ſoluta. In quibus verbis hoc animaduertendum eſt, quod quamdiu docuit, quemadmodum peccantem in nos fratrem corripere ac reducere debeamus, tanquam vnumquemlibet noſtrum ſingulariter appellans, dixit: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, &c. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, &c. Hactenus enim cuiuslibet noſtrum officium inſtruit, & æque hæc pertinent vniuerſa ad vnumquemlibet Chriſtianum.

Eccleſiaſticæ domui data ligandi ſoluendique poteſtas.

At cum Eccleſiaſtici nobis iudicij autoritatem commendat, denuncians ipſum in cœlo ratum fore, quo Eccleſiam iudicantem, alligantemque hoc eſt, congregationem, cœtumque Chriſti fidelium indicaret apertius, & non vnumquemlibet ligatorem, vnumquemlibet Apoſtolum, mutat numerum, nec iam amplius, vt prius ſingulariter loquitur, ſed dicit: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlo: & quæcunque ſolueritis, ſoluta. Quæ ſi quis ita vellet dicta communiter ad omnes, ad quos ille Chriſti ſermo dirigebatur, vt etiam ſingulos eorum per ſe ac ſigillatim accepiſſe contendat illam ligandi, ſoluendique poteſtatem, vnicuilibet noſtrum, & non ſolis Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus hanc poteſtatem attribuet, & vnuſquiſque alium ligabit & ſoluet. Siquidem ad omnes in vniuerſum Chriſti fideles, & ad vnumquemlibet noſtrum dirigitur vniuerſa illa præcedentium

Chri-

Chriſti verborum ſeries: Si peccauerit in te, &c. Si te non audierit, &c. Si Eccleſiam non audierit, &c. Quæ vero ſequuntur, nequaquam ad alios conuerſa oratione refert, quàm quibus eatenus locutus eſt, ſed eiſdem ipſis dicit: quæcunque alligaueritis, non vnuſquilibet veſtrum, ſed congregati in nomine meo & Eccleſiam conſtituentes, hoc eſt, quæcunque alligauerit Eccleſia, cuius iudicio præcepi vnumquemlibet veſtrum obedire, erunt ligata in cœlo: & quæcunque ſolueritis, ſoluta. Quod enim de Eccleſia & Chriſti fidelium congregatione hæc locutus ſit Chriſtus, præter ea quæ iam diximus euidenter id demonſtrantia, etiam clare indicant, & confirmant ea, quæ continuo ſubiungit: Iterum, inquit, dico vobis, ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Vides itaque hic Eccleſiæ, & congregationis Chriſti fidelium prærogatiuam, vides & autoritatem.

Vnde Diuus Hieronymus de eccleſiaſtica domo loquens: Accipit, inquit, & hæc domus poteſtatem alligandi, & ſoluendi: hanc domum, ſi quis corrigentem, corripientemque contempſerit, ſit tibi, inquit, tanquam ethnicus, & publicanus. Audis cui illic à Chriſto ligandi, ſoluendique poteſtas contributa ſit, non Andreæ, non Iacobo aut Ioanni, ſed eccleſiaſticæ domui. Quod ſi eccleſiaſtica domus hic ligandi, ſoluendique poteſtatem acceperit, qua ratione vnumquemlibet Apoſtolorum eam poteſtatem hic accepiſſe velint, haud ſane intelligo, cum Eccleſiam collectiuum nomen eſſe nec vni perſonæ conuenire, certum ſit. Hoc omnino certum eſt, atteſtante Euangeliſta, non ſolis Apoſtolis duodecim, ſed in vniuerſum Diſcipulis ſuis, quorum præter Apoſtolos, iam 72. mittebantur bini, & bini ante faciem eius, toto eo ſermone locutum fuiſſe Chriſtum. Quare qua ratione ad omnes, & ſingulos Apoſtolos pertinuiſſe vis illa verba Chriſti: quæcunque alligaueritis, &c. neceſſe eſt fatearis æque pertinuiſſe ad omnes, & ſingulos Diſcipulos, atque ita ad omnes æque Sacerdotes, & Preſbyteros, qui in ordine, & autoritate ſuccedunt 72. Diſcipulis.

Quanquam non eam inficias, Apoſtolos eorumque Succeſſores Epiſcopos, vt Eccleſiarum particularium capita (de quibus, non autem de vniuerſali Eccleſia hic proprie loqui Chriſtum, ſuo poſt loco demonſtrabimus) includendos eſſe in Eccleſia, vt hanc alligandi ſoluendique poteſtatem habeat ac poſſit exercere. Quibus ſecluſis, reliquam multitudinem alligare aut ſoluere poſſe haud ſanè crediderim. Eſt enim Chriſto Eccleſia non informis aut confuſa multitudo, ſed velut caſtrorum acies decentiſſime ordinata.

Itaque in primitiua Eccleſia, quemadmodum atteſtantur Dionyſius, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Baſilius, cæterique eius temporis Scriptores, imo vſque poſt Auguſtini tempora, denunciatio illa correpti fratris fiebat Eccleſiæ, non Epiſcopo ſeorſum ab Eccleſia, ſed vna cum præſente Eccleſia: quam corripientem contemnens, habebatur tanquam ethnicus, & publicanus. At ſucceſſu temporis *, vt omnis vigor Chriſtianæ eccleſiaſticæque diſciplinæ elanguit ac remiſſus eſt: ita & mos ille correptionis, denunciationiſque fraternæ vere euangelicus obſoleuit, & loco Eccleſiæ nunc ſolis ſeorſum Epiſcopis aut etiam Archidiaconibus, aut ſubſtitutis ab eis Officialibus fit denunciatio iſta,* haud ſcio an ſatis euangelica, apud quos etiam ex tacito conſenſu, aut conniuentia Eccleſiæ eſt nunc exercitium huius poteſtatis ſoluendi, ligandique datæ à Chriſto Eccleſiæ. Quam tamen haud temere inuenies vſquam ſibi vſurpaſſe Apoſtolos, niſi vbi ſe coniungunt cum Eccleſia.

Dubitare non debuit Author de recta denunciatio quippe his Eccleſia, dum fit Epiſc.

Quemadmodum fecit Paulus in excommunicatione Corinthij illius fornicatoris: quam ipſe, non ſua ſingulari, & velut Apoſtolica in eum autoritate ſolus protulit, ſed ſe coniunxit cum Corinthiorum Eccleſia. Quam primum redarguens, quod fornicatorem illum tuliſſent tamdiu, & non eieciſſent de medio ſui, hoc ipſo demonſtrans ad cuius id pertineret autoritatem, ita ſubiunxit: Nam ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam decreui tanquam præſens, vt is qui hoc patrauit, in nomine Domini Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, vna cum poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt tradatur Satanæ in interitum carnis, quo ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu.

Certe nullum ſcio verbum inuenies in vniuerſo euangelio, per quod vna aliqua ſingularis perſona, hanc ſibi ligandi, ſoluendique poteſtatem arrogare poſſit, quàm vnus Petrus, & qui illi in hac autoritate legitima ordinatione ſuccedunt: vni ſiquidem Petro dictum eſt: quodcunque ligaueris aut ſolueris ſuper terram, ligatum ſolutumque erit, & in cœlis. Deinde etiam dictum eſt congregationi eccleſiaſticæ, aut Eccleſijs, quarum iudicio nos obedire præcepit, hoc eſt, vnumquemlibet ſuæ: quæcunque alligaueritis, aut ſolueritis, ligata, ſolutaque erunt. Nulli vero reliquorum Apoſtolorum de hac poteſtate vllum dictum verbum reperies. Itaque & Petrus, ſicut ſingulariter poteſtatem illam ſingularem accepit à Chriſto, ita quoties ipſe tulit ſententiam, non (velut Paulum audiſtis) ſe coniungit, aut cum Eccleſia, aut cum Apoſtolis cæteris, quamuis præſentibus, ſed ſingulari quadam autoritate ſemper vſus eſt, ſemper velut ex ſua, & propria autoritate loquitur. Ita Ananiam fraudantem de precio agri venditi, ponentemque partem eius ad pedes Apoſtolorum, ipſe vnus non communicato cum alijs, quamuis præſentibus, Apoſtolis conſilio, primum conuicit mendacij, deinde, & horribili mortis ſententia vltus eſt, ita vt oriretur timor magnus ſuper vniuerſam Eccleſiam. Simili autoritate Simonem magum offerentem Apoſtolis pecuniam pro dono Sancti Spiritus, non ipſi Apoſtoli, ſed vnus ſingulariter Petrus condemnauit, dicens: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c.

Singularis poteſtas Petri & ſucceſſorum eius.

Quare in primitiuæ illius Eccleſiæ hiſtoria haud fere inuenies Epiſcoporum vllum, quamuis primarum ſedium, hanc ſibi authoritatem ſingulariter vſurpaſſe proferendi in aliquem anathematis ſententiam. In vno autem Romano Pontifice tanquam Petri ſucceſ-

ſore eiuſdem quoque authoritatem recognitam ab vniuerſis, quam & libere exercuiſſe inueniuntur in Eccleſiam vniuerſam. Idque approbante orbe vniuerſo. Itaque audiſti, quemadmodum ille Athanaſius vna cum vniuerſa illa tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum Alexandrina ſecum congregata Synodo ſcripſerint Romano Pontifici, velut ſucceſſori Petri & Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi: Tibi, inquiunt, claues regni celorum commiſit Chriſtus, & ligandi, ſoluendique & in terris & in celis poteſtatem. Et rurſus; Semper fuit veſtre Apoſtolicæ Sedis poteſtas, iniuſte damnatos vel excommunicatos, poteſtatiue authoritate ſua reſtituere, & eis ſua omnia reddere, illoſque qui omnes condemnauerunt aut excommunicauerunt, Apoſtolico punire priuilegio: ſicut etiam noſtris & anterioribus cognouimus actum temporibus. Hæc illi tot ſancti Epiſcopi ex Alexandrina & Oriente & vltra vaſta interiacentia maria ad Romanum Pontificem; ne qua tibi hic ſit adulationis ſeruilis ſuſpicio. Sed poſt luce clarius iſta faciemus ex totius primitiuæ Eccleſiæ toto orbe diffuſe hiſtoria.

Iam vt etiam hoc tibi donaremus non ad congregationem aut domum eccleſiaſticam, ſed ad omnes & ſingulos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Epiſcopos pertinuiſſe illa verba Chriſti Matthæi 18. Quæcunque alligaueritis, &c. tametſi contrarium ex illis ipſis verbis luculenter demonſtrauimus: vt, inquam, hoc donaremus tibi, parum tamen tuæ ſuffragatetur ſententiæ. Nam hoc nobis confitearis neceſſe eſt, prius atque etiam magnificentius datam vni Petro totius Eccleſiæ capiti ſupereminentem illam ligandi, ſoluendique authoritatem à Chriſto, quàm ſeu Eccleſiæ, ſeu Apoſtolis poſtea diceret: Quæcunque alligaueritis, &c. Illi vni poſt traditas claues regni celorum iam dictum erat: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in celis, cum poſt aliquanto diceretur eccleſiaſtice congregationi, ſeu, vt tu vis, Apoſtolis ſingulis: Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in celo. Illic plurium, atque adeo omnium celorum & in clauibus & in alligandi, ſoluendique poteſtate fit mentio, hic vnius celi tantum, idquè in vna alligandi, ſoluendique poteſtate.

Vniuerſaliorem Petro datã authoritatẽ ligandi, quàm congregatioui eccleſiaſticæ.

Quam verborum Chriſti differentiam non eſſe otioſam, certum eſt, nec ſuo carere myſterio: præſertim cum ab eodem Euangeliſta, eodem penè loco, vtraque referantur; ſed magnificentius aliquid ſignificare voluiſſe Chriſtum, cum diceret: Quodcunque ligatum à Petro, fore ligatum in celis omnibus, quàm cum poſtea diceret, de eccleſiaſtica domo & congregatione, ligata ab eadem, fore ligata in celo, tanquam vno ex multis, hoc ipſo vniuerſalem Petri authoritatem, in vniuerſum Chriſti ouile ſignificans, quod regnum celorum toties dicitur à Chriſto, vt cum regalibus nuptijs, cum ſagenæ miſſæ in mari, cum decem Virginibus ab eodem comparatur: particularem autem domus aut congregationis eccleſiaſticæ, in eos tantum qui ſibi ſubiecti ſunt, non autem qui ſubiecti ſunt congregationi alteri: vt Traiectenſis Eccleſiæ in Traiectenſes ſolummodo, non in Leodienſes etiam. Hanc verborum Chriſti primo ad Petrum, deinde ad congregationem eccleſiaſticam, cui iuſſit denunciare peccantem in nos fratrem, noſtra correptione non emẽdatam, differentiam non tulit, vt otioſam præterire, diligentiſſimus ille ſcripturarum excuſſor Origenes: ſubindicans quidem latere magni aliquid myſterij, tamen quid hoc ipſum ſit, non ſatis explicans.

Siquidem homilia 6. in Matthæum ſcribit in hæc verba; Sed quoniam, inquit, oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis qui ter arguerunt, ideo illi quidem ſic dicit: Et tibi dabo claues regni celorum, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in celis: & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in celis. Non ergo modica differentia eſt, quum Petro quidem datæ ſunt claues, non vnius celi, ſed multorum celorum: & quæcunque ille ligauerit ſuper terram, ſunt ligata non tantum in vno celo, ſed in omnibus celis. Ad eos autem qui multi ſunt ligatores & ſolutores, ſic dicit, vt ſoluant & alligent, non in celis, ſicut Petrus, ſed in vno celo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent & ſoluant in celis omnibus. Hactenus Origenes. Audis itaque etiam huius teſtimonio, illam ligandi, ſoluendique poteſtatem, ampliorem ante datam vni Perto, quàm poſt multis ligatoribus & ſolutoribus, hoc eſt, congregationi eccleſiaſticæ. Eamque ipſam ibi datam Petro, vbi docuit ſuper ipſum fundari vniuerſam Eccleſiam, vt intelligerent omnes, à baſi aut fundamento eccleſiaſticæ hierarchiæ, à capite & vertice hanc poteſtatem, ad ſingulorum membrorum vtilitatem & ædificationem profluere in corpus vniuerſum, quamdiu illi ſuo capiti indiſſolubili connexionis vinculo cohæreret, à quo quicquid ſeparatur, protinus ruina eſt, protinus mortuum ac iners truncus.

A Chriſto ergo data eſt hæc alligandi, ſoluendique autoritas, & capiti hierarchiæ eccleſiaſticæ, & domui ſeu congregationi eccleſiaſticæ: vel vt tu vis, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis: ſed ordine quodam, vt à capite ſecundum ordinatiſſimam rerum natura diſtributionem, omnem vim & energiam profluere intelligeremus. Longiſſime abeſt igitur, vel hac ligandi ſoluendique authoritate, vel vlla prorſus re alia, quæ ad præſidentis in eccleſiaſtica hierarchia authoritatem pertineret, reliquos Apoſtolos Petro adæquarit Chriſtus, cui omnes ſubeſſe præcepit.

CAP. X.

Rationes diſſoluere, quibus ex Actis Apoſtolicis contendunt non apparere maiorem ſuper cæteros Apoſtolos authoritatem exercuiſſe Petrum, ſed contra potius.

Acta, quare dicimus Apoſtolorum magis eſſe commentarium peregrinationis Lucæ cum Paulo, quã in vniuerſũ, aut actorum Apoſtolicorum, aut etiã vnius Pauli.

QVemadmodum Petro ſuam illam inter Apoſtolos ſingularem autoritatem vindicauimus aduerſus hæreticorum, ſchiſmaticorumque calumnias: ita quod eandem ipſe nec ignorauerit, nec immemor eius fuerit, quoties hoc ipſum res & cauſa poſtularunt, aduerſus eoſdem palàm nunc faciemus. Qui

con-

contendunt non reperiri in Actis Apoſtolicis, ipſum ſe vſpiam extuliſſe ſuper Apoſtolos reliquos, aut ſuperiorem vllam authoritatem exercuiſſe. Quin contra potius, miſſum vna cum Ioanne ab Apoſtolis in Samariam, cum euangelico teſtimonio minor ſit mittente, qui mittitur. In illo quoque Apoſtolorum concilio ſuper quæſtione legalium, videri maiorem quandam Iacobi enituiſſe authoritatem, quàm Petri. In eius ſiquidem, non Petri ſententiam concluſum fuiſſe ab illo Concilio.

His tamen priuſquam reſpondeamus, hoc in primis admonitum te volui lector, quod nolim quis Petri geſta ad eam paupertatem, anguſtiamque redigat, vt nihil illi concedat, quàm quæ in Actis perſcribuntur à Luca. Quæ ſi quis excuſſerit, expenderitque diligentius, clariſſime intelliget non tam Apoſtolicorum actorum, quam vnius Pauli, cuius erat comes indiuiduus, texere ſtuduiſſe hiſtoriam. Quam tametſi paulò altius repetit, ab ipſo videlicet naſcentis Eccleſiæ exordio: quod tamen vnius Pauli quam commentabatur hiſtoriæ occaſione, hoc ipſum fecerit, re ipſa teſtatus eſt in proſecutione hiſtoriæ. Siquidem poſtquam ad eius vſq; conuerſionem & vocationem ad munus apoſtolicum perduxit illius primo naſcentis Eccleſiæ hiſtoriam, eiuſdem vnius deinceps acta deſcribit, & perſequitur, nec vllius reliquorum Apoſtolorum omnium meminit, niſi ſemel omnino, vbi actorum Pauli hoc requirebat ratio, in illo videlicet Apoſtolorum & Presbyterorum concilio, quod eiuſdem occaſione celebratum fuerat, ſuper quæſtione legalium, obquam tumultuante Antiochena Eccleſia, inde Hieroſolymam deſtinati erant idem Paulus & Barnabas.

Præter quem locum nullum plane verbum inuenies de vllo Apoſtolorum, à principio capitis decimi tertij, vbi Paulus vocatus eſt ad munus Apoſtolicum, ad finem vſque, quam de vno Paulo, & comitibus eius. Itaque nec de mora Petri & cathedra eius apud Antiochiam vllum verbum. Nec de diuiſione Apoſtolorum, aut quando inter ſe partiti ſunt orbem terrarum, quo ſe quiſque contulerit, quas gentes conuertit ad Fidem Chriſti, quo martyrij triumpho glorificarit Chriſtum. Sed vnius, vt diximus, Pauli eſt commentus hiſtoriam. Quam tamen ipſam plurimum abeſt vt abſoluerit, adeo vt videri poſſit ſuæ tantum cum eodem peregrinationis ſcribere voluiſſe commentarios. Nam ibi continuo deſinit, & magis abrumpit, quam finit hiſtoriam, vbi ipſe vna cum Paulo Romam peruenit: quemadmodum Diuus Clemens nonnullam ſuæ peregrinationis partem cum Petro, à Cæſaria videlicet vſque Antiochiam, decem illis libris recognitionum commentatus eſt: illis ipſis clariſſime demonſtrans, quàm multis voluminibus opus fuiſſet ad vniuerſa vnius Petri geſta explicanda.

Ex quibus facile intelligis, quàm ſit friuolum argumentum: Non legitur apud Lucam in Actis, quod Petrus authoritatem ſuperiorem exercuerit ſuper cæteros Apoſtolos, non exercuit igitur.

Deinde, vt daremus Petrum in illo naſcentis Eccleſiæ primordio erga confratres ſuos ſe geſſiſſe ſubmiſſius, memorem doctrinæ præceptoris ſui: qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator: vt ſeipſum formam exhiberet præpoſitis omnibus, quemadmodum beatiſſimus Cyprianus de eo teſtatur ad Quintium: Nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit; & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum Paulus de circumciſione poſtea diſceptaret, ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperare ſibi à nouellis ac poſteris potius oportere. Nolim tamen hanc Petri modeſtiam & humilitatem conuerti in authoritatis eius iniuriam, cuius nihilo minus memor erat, quoties hoc requirebat Eccleſiæ vtilitas, aliorumque ædificatio. Teſtantur hoc ſatis (ni fallor) Ananias cum vxore Saphyra, in quos exiguæ pecuniæ fraudem, in aliorum exemplum horribili mortis ſententia vltus eſt.

Petri inter confratres modeſtiam non conuerti debere in authoritatis ſuæ iniuriã.

Poſtremo, tempora nobis diſtinguenda ſunt, vt ſcripturas concordemus. Non tam erat in illo principio naſcentis Eccleſiæ, tempus moderandi, ordinandique Eccleſiam, illa hierarchia, quam diſpoſuerat ſacer Spiritus, & cuius caput Petrum iamdudum conſtituerat Chriſtus, quàm congregandi Eccleſiam illa hierarchia ordinandam, & in quam Petri authoritati, eiuſque exercitio locus fieret. Quare & omnes tunc manibus, pedibuſque (quod dicitur) in hoc annixi ſunt vndecunque potuerunt, diſperſas palanteſque oues congregare in ouile Chriſti commiſſum Petro. In quas iam congregatas & introductas, locus erat exercitio authoritatis Petri.

Hæc quamuis ſufficerent ad illam obiectionem, qua dicitur non reperiri, quod ſe extulerit ſuper alios Apoſtolos Petrus, tanquam ſuperiorem ſuper eos authoritatem obtinens: nihilo minus, tam ex Euangeliſtis, quàm ex Luca in Actis, ſatis conſtare dicimus, quod tam ante paſſionem, quàm poſt Aſcenſionem Chriſti ad Patrem, ita ſe inter Apoſtolos geſſerit, tanquam principem & caput collegij Ita fere pro omnibus interroganti Chriſto reſpondet, & pro omnibus interrogat & loquitur, quod nemo reliquorum inuenitur ſibi vnquam vſurpaſſe. Itaq; apud Matthæum cum adoleſcentem illum perfectionis viam docuiſſet Chriſtus, vt diuenditis omnibus & diſtributis in pauperes ſe ſequeretur, ſubiunxiſſetquè aduerſus diuites illa paradoxa, vnus pro omnibus interrogat Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Apud Lucam quoque poſt enarratam à Chriſto parabolam de patreſamilias, ait ei Petrus: Ad nos dicit hanc parabolam, an ad omnes? Et apud Ioannem, cum ſcandalizati eſſent etiam Diſcipulorum Chriſti nonnulli, ex ipſius ſermonibus de ſua carne manducanda, & bibendo ſanguine, abijſſentque iam retro, nec amplius ipſum ſequerentur, dixiſſetque ad duodecim, num & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quod tu es Chriſtus filius Dei viui.

Vt ſemper ſe geſſerit Petrus inter Apoſtolos tanquam caput collegij apoſtolici.

Quid cauſæ igitur, quod magis pro omnibus, & reſpondet & interrogat Petrus, quàm Iacobus, aut Ioannes, aut cæterorum aliquis, niſi quia ille erat Caput Apoſtolici chori? Vnde B. Cyrillus dictum Ioannis locum explicans

cans

Digitized by Google

cans ſcribit in hæc verba: Reſpondet Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? &c. Per vnum qui præerat, reſpondent omnes, ſanctam profecto, ſanctiſque congruentem diſciplinam optime conſeruantes, & poſterioribus prudentiæ atque modeſtiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confuſe, nec proſilientes impudenter quaſi rapta vti oratione, ſed cedere his, qui & conſilio & ordine ſunt præpoſiti, &c. Opus erat diuinitus comprobatæ prudentiæ ſoli reſpõſionem committere illi, qui ordine maior erat. Vides itaque Petrum reſpondiſſe pro Apoſtolis omnibus, tanquam qui ordine omnibus præemineret, eſſetquè caput totius conſortij. Ita & Theophilus dictam Petri interrogationem explicans: Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Petrus, inquit, cui iam commiſſa Eccleſia fuerat, quaſi omnium curam gerens, inquirit an ad omnes Dominus parabolam protuliſſet. Sed non erat locus exercitio authoritatis Petri, quamdiù vna cum illis in carne verſaretur Chriſtus.

Siquidem præſente Principe, ceſſat Vicarij eius authoritas. At poſtquàm ab eis aſſumptus eſt Chriſtus, reuerſuſque ad Patrem commiſſa cura familiæ ſuæ Petro, non ignorauit authoritatem ſuam, neque illi defuit: id quod multo nobis eſſet euidentius, ſi res, actaque Apoſtolorum omnium, tam diligenter proſecutus eſſet Lucas, quàm vnius Pauli. Attamen etiam ex his quæ ab illo quaſi obiter memorantur de Petro, haud quaquam obſcurum eſt, illum ſe geſſiſſe velut caput inter Apo-

Vnus Petrus author eligẽdi Matthiam in locum Iudæ Acto. 1.

ſtolos. Itaque cum à Chriſti aſcenſione reuerſi Hieroſolymam Apoſtoli, manerent vna in cœnaculo, perſeuerantes vnanimiter in oratione, & expectantes promiſſum Spiritum cum Maria matre Ieſu, non alius quiſquam, ſed Petrus exurgens in medio Diſcipulorum, qui erant ſimul fere centum viginti, author fuit alium ſubſtituendi in locum proditoris Iudæ, dicens: Viri fratres, oportuit impleri ſcripturam hanc, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux ijs, qui comprehenderunt Ieſum, qui cooptatus erat in numerum noſtrum, & ſortitus ſortem miniſterij huius, &c.

Oportet ergo ex ijs viris, qui nobiſcum verſati ſunt toto tempore, quo Dominus Ieſus perpetuam vitæ conſuetudinem egit nobiſcum, exorſus à baptiſmo Ioannis, vſque ad diem quo receptus eſt à nobis, vnuſquiſpiam conſtituatur, qui ſit vna nobiſcum teſtis reſurrectionis eius &c. Audis hic Petri inter Apoſtolos authoritatem. Non propoſuit in commune deliberandum, num eſſet eligendus aliquis in locum Iudæ, nec reliquorum de hoc aut expectauit iudicium: ſed ſuam ipſe ſententiam, tanquam authoritatem habens, & totius familiæ curam gerens, ſtatim interpoſuit dicens: Oportet vt ex his viris &c.

Acto. 2.

Rurſus cum die Pentecoſtes repleti Diſcipuli Spiritu Sancto cœpiſſent loqui alijs linguis magnalia Dei, dicerenturque ab irridentibus muſto pleni, ſtans vnus ex omnibus Petrus, eleuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hieroſolymis vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt &c. Quibus auditis compuncti corde, dixerunt quidem ad Petrum, & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? vnus tamen Petrus pro ſua inter cæteros authoritate reſpondit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum &c. Et acceſſerunt illo die ex ſermone eius, animæ circiter tria millia. Deinde cum

Acto. 3.

aſcendiſſet cum Ioanne in templum ad horam precationis nonam, & claudus ille ab vtero matris in vtrumque intendens, rogaſſet ipſos eleemoſynam, reſpondit vnus Petrus: Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, & apprehenſa manu eius dextera erexit eum &c.

Hic animaduerte obſecro, num tibi videntur hæc verba maiorẽ quandam præ Ioanne, qui tamen, & ipſe erat inter primos Apoſtolos, authoritatem ac poteſtatem præ ſe ferentis? vterque eſt rogatus eleemoſynam, in vtrumque iuſſit aſpicere Petrus: attamen non dixit quaſi communiter pro vtroque argetum, & aurum non eſt nobis, quod autem habemus tibi damus. Sed tanquam principalem, & ſingularem quandam authoritatem præ ſe ferens ait: Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Itaque & ipſe vnus concurrentem ad eos, & ſtupefactum hoc prodigio populum facundiſſima

Acto. 4.

oratione alloquitur. Congregatis deinde principibus, ſenioribus & ſcribis, & ipſos in medio conſtituros interrogantibus, in qua virtute feciſſet illud, repletus tunc Spiritu Sancto Petrus ita illis reſpondit, vt mirarẽtur omnes, comperto quod homines eſſent idiotæ, & ſine literis.

Acto. 5.

Iterum, cum multitudinis credentium eſſet cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuũ eſſe dicebat, ſed eſſent illis omnia communia, vendentibus agros ac ædes, quotquot erant poſſeſſores, & diuenditorum precia ad pedes Apoſtolorum afferentibus diſtribuenda in commune, prout cuique opus erat, animam, & vxorem eius, fraudantes de precio agri diuenditi (ne tam ſanctum violaretur inſtitutum, exemplique pernicies inficeret etiam alios) primum fraudis, mendacijque coarguit coram omnibus, deinde terribili mortis ſententia percuſſit. Simili authoritate ſingulariter vſum in Simonem magum, ſupra indicauimus.

Tu igitur quiſquis es, authoritate, poteſtateque pares fuiſſe Apoſtolos omnes contendis, alium (ſi potes) mihi profer Apoſtolum, qui præſente Petro aut dixerit, aut fecerit aliquid, quod præferret ſingularem aliquam authoritatem ac poteſtatem eiuſmodi, qualem in dictis actiſque Petri omnibus in omnium Apoſtolorum præſentia nunc audiſti.

Act. 5. Etiam miraculorum prodigiorumque virtute omnes excelluiſſe Petrum.

Cuius ſi mira perpendas opera, videbis vt authoritate ac poteſtate, ita miraculorum, prodigiorumque virtute ſupereminentem omnibus, mirabilioremque fuiſſe, vndique comprobante Deo, & honorabilem reddente datum illi à ſe primatum. Nam quamuis per manus Apoſtolorum æderentur ſigna, & prodigia multa in populo, Petri tamen adeo ſublimis erat inter cæteros Apoſtolos Apoſtolica Maieſtas, vt in plateas exportarent infirmos ac ponerent in lectulis ac grabatis, vt

Digitized by Google

tranſeuntis eius vel vmbra obumbraret aliquem illorum, conueniebatque Hieroſolymam, & vicinarum ciuitatum multitudo, afferens ægros ac vexatos a ſpiritibus immundis, & ſanabantur omnes. Legimus quidem, & de Paulo, quod à corpore eius deferrentur ſudaria, & ſemicincta ſuper infirmos, & recederent ab eis morbi, & ſpiritus mali egrederentur. De Saluatore etiam noſtro, quod ſanguiflua illa tactu veſtimenti eius curata fuerit. At quod cuiuſquam vmbra ita paſſim curarit ægrotos omnes, nec de ipſo quidem Saluatore noſtro legimus, ſed de ſolo Petro, quem ita mirabiliter ſuper omnes alios exaltauit Deus. Sed hæc (vt diximus) multo illuſtriora, auguſtioraque viderentur, ſi acta ipſius Petri, in illa primitiua Eccleſia tam eſſent perſcripta à Luca, quam ſunt ipſius Pauli. Qui neque Petri, neque vllius reliquorum Apoſtolorum, niſi obiter meminit: vnius tantum Pauli, aut potius ſuæ cum eodem peregrinationis (vt ſuperius indicauimus) commentatus hiſtoriam.

Quod vero obijcitur, Petrum miſſum cum Ioanne ab Apoſtolis in Samariam, mihi adeo nihil derogare videtur authoritati Petri inter Apoſtolos, vt eandem etiam apertiſſime comprobet. Nam licet prædicante Philippo recepiſſet Samaria Verbum Dei, & per eundem multa ibidem ſigna æderentur: nondum tamen Spiritum Sanctum acceperant. Quod cum audiſſent Apoſtoli, qui erant *Hieroſolymis* miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, vt maiori quadam authoritate confirmarentur nouiter conuerſi ad fidem. Miſerunt autem, veluti ſi decerneret Senatus, fore ex repub. vt non Prætor, non Legatus, non Proconſul, ſed ipſe per ſe Conſul, Senatus, Princeps, adminiſtret difficilem, periculoſamque aliquam prouinciam aut bellum gerat. Quod nequaquam fuiſſe inſolens aut nouum, Romanæ docent hiſtoriæ. Nec tamen propterea non erat inter Senatores maior, imo ſuprema, conſularis poteſtas, & authoritas. Quod idem, ſi ex ſacra tibi malis comprobari hiſtoria, audi ergo quid ſcriptum ſit Ioſue 22. Cum reuerterentur filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe à filijs Iſrael de Sylo, vt intrarent Galaad terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant iuxta Imperium Domini, in manu Moyſi vltra Iordanem, cum veniſſent ad tumulos Iordanis in terram Chanaam, ædificauerunt iuxta Iordanem altare magnitudinis infinitæ. Quod cum audiſſent filij Iſrael, & ad eos certi nuncij detuliſſent, conuenerunt omnes in Sylo, vt aſcenderent, & dimicarent contra eos: & interim miſerunt ad illos in terram Galaad Phines filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo, ſingolos de ſingulis tribubus. Vides hic à populo, & multitudine filiorum Iſrael mitti Phinees, Sacerdotem magnum in lege, filium Eleazari, filij Aaron, maximum, & digniſſimum in populo, & cum eo decem principes de ſingulis tribubus. Nunquid propterea deſijt Phinees eſſe (quod de eo ſcribitur) dux eorum coram Domino, aut nunquid illi decem principes tribuum propter hoc principes non fuerunt, quod à tribubus miſſi ſunt?

Quare nec Petri authoritati quicquã derogat, quod hoc pacto miſſus fuerit cum Ioanne ab Apoſtolis: præſertim ſi etiam hoc cogites, quod vna manentes, & necdum à ſe diuiſi Apoſtoli, communi conſilio adminiſtrabant Eccleſiam, cuius tametſi eſſet caput Petrus, modeſtia tamen ac humilitate æquabat, atque adeo ſubmittebat ſe omnibus, niſi vbi opus erat meminiſſe authoritatis ſuæ. Illud vero, quod ex Ioanne adducitur: Non eſt ſeruus maior Domino, nec Apoſtolus eo qui mittit illum, facile intelligis non pertinere ad propoſitum. Non enim ita miſſus eſt ab Apoſtolis Petrus tanquam eorum Apoſtolus aut nuncius: ſed tanquam honoratiſſimus Apoſtolici Senatus, & Princeps Eccleſię.

Reſtat nunc paucis reſpondere de Iacobo, quem in illo Apoſtolorum concilio ſuper quæſtione legalium, volunt ſe extuliſſe ſuper Petrum, à quo tota abfuit diametro. Fuit quidem hic vir admirabilis, tantæ ſanctitatis ac opinionis in populo (quod de eo reſtatur Diuus Hieronymus) vt fimbriam veſtimenti eius cuperent certatim attingere. Attamen quiſnam hunc Hieroſolymorum conſtituerit Epiſcopum, ſi Chryſoſtomum interrogas, reſpondebit tibi à Petro totius orbis magiſtro illum conſtitutum fuiſſe, tantum abeſt, vt ipſo fuerit ſuperior. Ita enim ſcribit Homilia 87. in Ioannem: Si quis, inquit, à me percontraretur, quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit, reſponderem ego hunc totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe Petrum. Quod ipſum etiam atteſtatur beatus Anacletus martyr beatiſſimi Petri Diſcipulus, & in Cathedra ſucceſſor, in epiſtola ad Epiſcopos per Italiam, tametſi Petro hac in re etiam Iacobum, & Ioannem Zebedæi filios adiungat, vt tunc communi adhuc Apoſtolorum nondum à ſe diuiſorum conſilio gubernabatur Eccleſia. Confirmat quoque (vt poſt audies) Etherianus ille. Quibus facile crediturus es, ſi & alia Petri acta perpenderis, quæ quamuis ex plurimis paucula, & velut obiter perſtingat Lucas: ſatis tamen ex eis conſtat, ſe inter Apoſtolos greſſiſſe Petrum, tanquam ad quem præcipua totius Eccleſiæ cura pertineret: præſertim ſi illam Matthiæ electionem in ſortem Apoſtolatus in locum proditoris Iudæ conſideres attentius. Nam quamuis non per homines, ſed per ipſum Chriſtum primi illi eligendi fuerant in Apoſtolatus miniſterium, quos ſibi, & actæ vitæ, & reſurrectionis ſuæ teſtes habere voluiſſet, ea propter nec ſuffragijs ſit electus Matthias, ſed conſtitutis duobus, Domino tota eſt commiſſa electio, miſſis ſortibus. Attamen huius talis electionis, quantum ab humano opere pendebat, vnus (quemadmodum ſuperius audiſti) fuit author Petrus.

Iacobus cõſtitutus Epiſcopus Hieroſolymorũ a Petro.

Sed operæpretium eſt audire, vt Iacobum ſupra Petrum ſe extuliſſe videri velint. In illa ad Apoſtolorum ac presbyterorum, qui Hieroſolymis erant, iudicium relata quæſtione. Nam ex gentibus conuerſi ad Chriſtum legalibus onerandi eſſent oneribus, Petrus prior ſuam dixit ſententiam, eos in totum liberos pronuncians, Iacobus deinde confirmauit eandem, etiam prophetico teſtimonio. Sed vt Iudæi Chriſti fideles facilius coaleſcerent cum conuerſis ad Chriſtum ex gentibus, reſtringendam nonnihil libertatem illam cenſuit, & paucula quædam onera

illis

illis imponere. In cuius ſententiam itum eſt à concilio, & ſcripta ad gentes epiſtola.

Hic te interrogo: Cum in concilijs quę diſcutienda proponuntur, nunquid non eſt vſitatum, & commune, vt honoratior, & cuius inter omnes eſt maior authoritas, primus ſuam dicat ſententiam, & qui ſequuntur eandem aut approbent, aut mutent, aut addant aliquid, prout cuique viſum fuerit? Plus enim vident multi, quam vnicus: alioqui ſi authoritate tantum maiore definienda erant propoſita, quid opus erat concilio? Nunquid ergo illius continuo maior eſt inter omnes authoritas, cuius forte ſententia (quod frequenter nouiſſimo accidit) probabilior eſt viſa concilio? Petrus cum magna eſſet inter Apoſtolos, & Presbyteros diſceptatio, ſuper quæſtione propoſita, pro ſua inter omnes authoritate, prior dixit ſententiam, cui ſi quædam addenda viſa ſunt Iacobo approbante concilio, nunquid propterea Iacobi maior erat, quam Petri authoritas? Quod ſi inſuper vtriuſque perpendas ſententiam, inuenies illam Petri continuo poſt præualuiſſe in orbem vniuerſum. Illam vero Iacobi, quæ tunc placebat concilio, vix ad modicum perduraſſe, ſed mox fuiſſe abolitam, ita mirabiliter approbante vbique, & confirmante Deo Petri ſuper omnes authoritatem. Petrus ſiquidem Chriſti fideles conuerſos ex gentibus à legalibus oneribus liberos in totum pronunciauit, dicens in hæc
Act. 15. verba: Viri fratres, vos ſcitis quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meum audirent gentes verbum euangelij, & crederent: & qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit illis, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis, nihilque diſcreuit inter illos, & nos, quum fide purificauerit corda illorum.

Nunc ergo quid tentatis Deum, vt imponatur iugum ſuper ceruices Diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſed gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros, quemadmodum, & illi. Tacentibus autem cunctis ad hanc orationem Petri, & narrantibus Paulo, & Barnaba, quanta per ipſos feciſſet Deus inter gentes, Iacobus Hebræorum Epiſcopus, non ita liberos eſſe voluit conuerſos ex gentibus, ſed cenſuit ſcribendum ad eos, vt abſtinerent ab immolatis ſimulacris, ſuffocatis & ſanguine: quo facilius conglutinarentur Iudæis, qui inueterata ex lege conſuetudine ab his abhorrebant vehementer. In quam ſententiam placuit concilio ad conuerſos ex gentibus ſcribere. Tu itaque nunc vide ac adijudica, an Iacobi, & illius concilij, an vero vnius Petri per orbem obtinuerit ſententia. Nunquid enim à ſanguine, & ſuffocato deinceps abſtinuerunt Chriſti fideles, & non potius omnem creaturam Dei bonam exiſtimarunt, quæ cum gratiarum actione percipitur, tanquam iuxta Petri ſententiam liberi in vniuerſum ab oneribus legalibus? Quare non multo poſt illius concilij decretum Corinthijs ſuis ita ſcribit Paulus: Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini ſiquidem eſt terra, & plenitudo eius. Quod ſi quis vocat vos infidelium ad cęnam, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Porro conſcientiam dico, non tuam, ſed alterius. Cur enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Quod ſi ego cum gratia participo, cur ob id mihi maledicitur, pro quo gratias ago? Rurſus Tito ſuo: Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum. Iterum ad Romanos 14. Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil eſt commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe. Et ad Coloſſenſes: Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, hoc eſt, nemo vos veluti Iudæos in his diſcernat ab ijs, inter quos habitatis. Et hæc fere continuo poſt illius decretum Concilij docuit, & prædicauit Apoſtolis: vt intelligas, non Iacobi & illius concilij, ſed vnius Petri ſententiam, etiam tunc ſtatim obtinuiſſe per Eccleſiam. Ita re ipſa comprobauit, & confirmauit Dominus, quod non fruſtra pro fide vnius Petri rogauerit, pro confirmatione aliorum in fide.

CAP. XI.

Quæ ex Paulo obijciuntur, diſſoluere.

NVnc ad ea, quæ de Paulo obiecta ſunt; nonnihil dicendum eſt: Tria autem ſunt, quæ obijciuntur. Primum, quod in nullo conceſſerit Petro, cum ſcribat Galatis ſuis nihil ſibi contuliſſe nec Petrum, nec cæteros Apoſtolos, qui erant Hieroſolymis. Secundum, quod Petro reſtiterit in faciem. Tertium, quod illum Circuncisionis tantum, ſe vero gentium videatur facere Apoſtolum.

Ad primum itaque, quod dicitur Paulum in nullo conceſſiſſe Petro, hoc plane falſum eſt. Conceſſit Petro haud dubie plurimum, vt merito debuit adeo vt eius ſpectandi cupiditate Hieroſolymam aſcenderit, cuius idem ipſe teſtis eſt. Non equidem humanum aliquid in eo paſſus. Neque enim puto, inquit Hieronymus, Apoſtolicæ fuiſſe grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, humanum aliquid in Petro voluerit aſpicere, ſed his oculis aſpexit eum, quibus, & modo in epiſtolis ſuis videtur. Fuit autem non quidem diſcendi ſtudio, qui, & ipſe eundem habuerat Doctorem, & magiſtrum Sanctum Spiritum, ſed honoris deferendi gratia, adeo (inquit Theophylactus in dictam Pauli Epiſtolam) illum venerabatur, & coluit. De qua eius profectione in eandem epiſtolam ita ſcribit Sacer Ambroſius: Dignum fuit, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui, & delegauerat ſaluator curam Eccleſiarum: non vtique vt ab eo aliquid diſceret, qui iam ab eodem authore didicerat, à quo ipſe fuerat inſtructus Petrus, ſed propter affectum Apoſtolatus, & vt ſciret Petrus hanc illi datam licentiam Euangelium prædicandi, quam ipſe acceperat. Veniens ergo ad eum hoſpitio receptus eſt, & manſit apud eum diebus quindecim, tanquam vnanimis Apoſtolus. Hoc ideo manifeſtat, vt oſtendat ſe concordiam cum Apoſtolis habuiſſe,

Quod Paulus plurimũ conceſſerit Petro.

buiſſe, nec in aliquo ab eis diſſenſiſſe, ſicut de eo ſuſurrabāt pſeudoapoſtoli, vt eum apud gentium diffamarent Eccleſias, & ſua mala ſimplicioribus insererent, dicentes ea conuenire cum doctrina maiorum Apoſtolorum. Hactenus Ambroſius. Vides itaque quam ſit falſum, Paulum in nullo conceſſiſſe Petro, quem è tam longinquo viſitauit honoris deferendi gratia, tanquam primum inter Apoſtolos, cui delegauerat ſaluator curam Eccleſiarum omnium.

Quod vero ipſe dicit ſibi nihil contuliſſe Petrum aut reliquos, qui Hieroſolymis erant Apoſtolos, hoc voluit ſignificare, ſe quoque Chriſtum, non Petrum aut Apoſtolos habuiſſe ſui Apoſtolatus authorem, atque etiam Euangelij quod prædicabat Doctorē, quemadmodum, & cæteri Apoſtoli.

De reprehēſione Petri a Paulo.

Ad ſecundum autem, quod ſe dicit Antiochiæ reſtitiſſe Petro in faciem. Scio hic affirmari à Clemente illo Alexandrino Origenis præceptore, non fuiſſe illum Petrum Apoſtolorum Principem, cui Paulus ſe reſtitiſſe ſcribit in faciem, ſed ex 70. Diſcipulis aliquem. Cuius ita meminit Euſebius libro primo hiſtor. eccleſiaſtic. Clemens vero, inquit, in quarto diſpoſitionum libro Cephæ mentionem facit, de quo Paulus dixit: Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtitit, & dicit eum vnum eſſe ex 70. Diſcipulis cognomine Petri Apoſtoli. Hæc Euſebius. Fuit autem ille Clemens doctiſſimus diligentiſſimuſque noſtræ Religionis aſſertor, apoſtolicis temporibus proximus, ea fere ſcribens, quæ ab Apoſtolorum auditoribus ipſe acceperat. Siquidem Στρωματεῦ libro primo enumerans, quos apoſtolicæ prædicationis viros repererit, ad quos ſe contuliſſet diſcendi ſtudio, & apud Achaiam, & apud Syriam, & in Oriente, & apud Paleſtinam, ad vltimum autem, inquit, in Ægypto magiſterio vſus ſum viri virtutis, & ſcientiæ merito omnibus præferendi (Pantenum intelligit) Et illi quidem diuinæ doctrinæ veritatem, quæ ſibi ab ipſis ſtatim primis authoribus Petro, & Iacobo, & Ioanne, & Paulo ſanctis Apoſtolis tradita fuerat, tanquam patres filio commendarunt. Sed pauci patribus ſimiles filij, tamen Deo fauente per ipſos in nobis germinis apoſtolici planta ſunt ſemina. Hæc idem ipſe Clemens. Qui dignus habitus eſt in ea Eccleſia, cui ſecundo poſt apoſtolos loco apud Alexandiam eccleſiaſticæ ſcholæ committeretur magiſterium, vt doctoris eidem præeſſet officio poſt Antænum, cui primo poſt Apoſtolos id mandatum erat officij. Habuit autem, & Diſcipulum, & Cathedræ ſuæ ſucceſſorem illum vere admirandum Origenem. Quæ ideo hic libuit adſcribere, ne leue putes huius viri hac de re teſtimonium.

Hieronymi Chryſoſtomi, & Theophylacti ſententia, non fuiſſe feriā illam reprehenſionem.

Deinde, vt donemus fuiſſe illum Petrum Apoſtolum, Diui Hieronymi aduerſus Auguſtinum haud improbabilis ſententia eſt, ſimulatam fuiſſe illam reprehenſionem Pauli. Nam quemadmodum Petrus cæterique Apoſtoli, atque ipſe etiam Paulus, ob ſcandalum Iudæorum ſimulate ſeruarunt legalia, ita cum ex ea ſimulatione, quæ erat neceſſaria ad ſeruandos Iudæos à ſcandalo, ſcandalizarentur gentes, ei ſcandalo gentium Paulus ſimulata reprehenſione occurrit, non quidem præſentibus illis Iudæis, ſed gentibus ex Petri ſimulatione ſcandalizatis. Quo pacto vtrorumque ſcandalum exluſerunt, Iudæorum ſua ſimulatione Petrus, gentium Paulus illa ſimulationis ſimulata reprehenſione. Nam quod eodem concilio ipſe etiam Paulus coram Iudæis ſimulauit ſe ſeruare legalia, quamuis liberrimus alioqui euangelicæ libertatis vindex, & aſſertor, teſtatur Lucas Actorum 16. Peruenit, inquit, in Derben, & Lyſtram, & ecce Diſcipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus filius mulieris viduæ fidelis, patre gentili, cui bonum teſtimonium perhibebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus proficiſci ſecum, & aſſumens circuncidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis, ſciebant enim omnes, quod pater eius erat gentilis.

Vides hic Paulum videri voluiſſe Iudæis non ſolum ipſe ſeruare legem, ſed etiam gentes, quas conuertit ad Chriſtum, docere ac perſuadere Iudaiſmum. Quod autem ſimulate ob ſcandalum Iudæorum vitandum, & vt hoc pacto magis ſe illis inſinuaret, & non ſerio id fecerit, ſatis indicat Lucas, dicens eum hoc feciſſe propter Iudæos, qui erant in illis locis, atque idem ipſe luculentiſſimus teſtis eſt, qui toties clamat, toties inculcat: Si circuncidemini, Chriſtus vobis nihil proderit. Eadem ratione, eodemque conſilio totonderat ſibi caput in Cenchreis tanquam perſoluens votum, & rurſus Actorum 20 Cum veniſſet Hieroſolymam, ſalutatoque Iacobo, & fratribus, narraſſet illis, quæ per eius miniſterium feciſſet Deus in gentibus, reſponderunt illi dicentes: Vides frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis: audierunt autem de te, quod diſceſſionem doceas à Moyſe, eorum qui per gentes ſunt Iudæorum dicens, non debere eos circuncidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. quid ergo erit? Oportet vtique conuenire multitudinem, audient enim te ſuperueniſſe. Hoc ergo fac quod dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe: his aſſumptis ſanctifica tecum illis, & impende in illis, vt radant capita, & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt: ſed ambulas, & ipſe cuſtodiens legem &c. Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio, &c.

Vides hic ex quorū conſilio, & qua ratione ductus ipſe coram Iudæis ſeruarit legalia. Non equidē ſerio, ſed ſpecie tenus, & ſimulate: quo fidem faceret Iudæis falſam quidem, attamen pro eo tēpore ipſis vtilem, falſa eſſe quæ de ipſo audierant, quæ tamen non erant omnino falſa, quemadmodum eius epiſtolæ, maxime autem quæ ad Galatas, teſtantur: & quod ambularet etiam ipſe cuſtodiens legem quam tamen certum eſt eum non ſeruaſſe. Si itaque etiam Paulus ob ſcandalum Iudæorum declinandum toties inuenitur ſimulaſſe, non ſolum ſe obſeruare legem, ſed etiam gentes ad Iudaiſmum attrahere, vt in circuncisione gentilis Timothei, cum tamen reuera oppoſitum faceret è diametro, qua fronte ipſe hanc ſimula-

Digitized by Google

mulationem reprehendiſſet In Petro (vt diximus ex Diui Hieronymi ſententia) & hæc quoque ſimulata fuiſſet reprehenſio ad medendum ſcandalo gentium nato ex illa ſimulstione Petri. Quæ ſicut ad hoc valebat cum fieret, ita quoque eius commemoratio, perinde quaſi ſeria fuiſſet, non erat inutilis Galatis, quos nonnulli pſeudapoſtoli Iudaizare cogebant. Eadem eſt Chryſoſtomi ſententia, in dictam Pauli epiſtolam: Qui hoc ipſum quod dicit Paulus: In faciem illi reſtiti, ita legit Græce, κατὰ πρόσωπον, id eſt, iuxta faciem, perinde quaſi dixiſſet: in ſpeciem.

Erenim, inquit, ſi vere fuiſſet inter ipſos contentio, nequaquam præſentibus Diſcipulis ſe inuicem increpaſſent, &c. Nunc autem vtilis erat, palam in ſpeciem adhibira diſſenſio. Eidem ſententiæ etiam Thephylactus ſubſcribit in eandem Pauli epiſtolam. Poſtremo, quamuis etiam hoc daremus, quod tantopere volunt, nec nos omnino reprehendimus, Petrum illum Apoſtolorum Principem ſerio reprehenſum à Paulo, nihil tamen hoc eius derogaret authoritati. Neque enim inconueniens exiſtimamus ſuperiores ac præpoſitos noſtros ſi aut aberrent in fide, aut alios verbo vel facto aberrare faciant, admonere, & charitatiue corripere, aut etiam publice eis verbo reſiſtere, ſi hoc, cauſa fidei poſtulet: quemadmodum poſtulabat in propoſito, ſeu ſeriam, ſeu ſimulatam eam reprehenſionem voluerimus. Ad quod induci exemplum hoc Pauli, haud grauatim admittimus.

Ad tertium vero illud, quod ex Paulo objicitur, Petro commiſſas fuiſſe, non oues vniuerſas, ſed eas tantum quæ ex circuncisione. Siquidem circunciſionis ipſum Apoſtolum, Paulus vocat, ſe vero gentium.

Vniuerſas oues Chriſti commiſſas Petro.

Dicimus Petro vniuerſas Chriſti oues commiſſa, non ſolum, quæ ex Iudæis, ſed multo magis, quæ ex gentibus, quas iam aſcenſurus ad patrem tertio illi commendauit, dicens: Paſce agnos meos, rege paſceque oues meas. Nullas omnino excepit, ſed vniuerſas eius regimini commiſit, ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam vniuerſam. Cuius authoritati omnes ſubiecit, quoquot eſsent in terris, dicens: Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, vbi dicitur; quodcumque, ibi excipitur nihil. Quare beatus Chryſoſtomus tractans dicta verba Chriſti ad Petrum: Tu es Cephas, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et quodcumque ligaueris ſupee terram &c. Hæc, inquit, omnia quæ ſolius Dei ſunt, Chriſtus pollicetur ſe daturum Petro. Ita & pater ad Hieremiam dicebat, ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum præpoſuit Chriſtus. Idem in Ioannem dicit totius orbis curam Petro commiſſa à Chriſto.

Similiter ille ter ſanctus Leo ſermone tertio de paſſione Dominica (quod, & ſuperius audiuiſti) vnus, inquit, de toto mundo eligitur Petrus. qui & vniuerſum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis cunctiſque Eccleſiæ patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi ſint Sacerdotes, multique Paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus. Magnum, & mirabile huic viro dilectiſſimi conſortium potentiæ ſuæ diuina tribuit dignatio, vt ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per iſtum dedit, quicquid cæteris non negauit &c. Diuuſque Gregorius: Cunctis inquit, Euangelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ei ſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Quem Euangeliſtæ locum tractans, & explicans ille Teophilus: Cum, inquit, finitum eſſet illis prandium. Petro præpoſituram ouium orbis terrarum tradidit. Rurſus in illud, quod Petro percontanti de Ioanne continuo poſt reſpondit Chriſtus: Sic eum Volo manere, &c. Tu me ſequere: Te namque, inquit, nunc dimitto ad orbis Pontificatum, & in hoc me ſequere. Sed & ſanctiſſimi quoque Bernardi hic libet verba adſcribere. Cuius viri inter antiquos illos vere orthodoxos ſcriptores memoriam libenter inſero, quod in eo in nouiſſimis his temporibus plane Apoſtolicum ſpiritum renouaſſe Deus, & exuſcitaſse videtur, haud minora per manus eius operatus ſigna ac prodigia, quam dudum per illos Apoſtolos.

Hic libro ſecundo de conſideratione ad ſuum Eugenium, inter cætera ſcribit in hæc verba; Age, inquit, indagemus adhuc diligenter qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Qui es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus &c. nec modo ouium, ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor. Vade id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute, & indiſcrete totæ commiſsæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Et paulo poſt: Cui non planum eſt, omnes oues deſignaſse? nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Rurſus poſt alia pleraque: Inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſint plebes ſcientes Sacramentum, denique Iacobus, qui videbatur columna vna Eccleſia, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Tandem concludens ait: Alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem vocatus es poteſtatis, aliorum poteſtas arctatur certis limitibus, tua extenditur, & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam, & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſsum priuilegium tuū, tam in datis clauibus, quam in ouibus commendaris. Hactenus ille.

Non igitur circunciſionis tantum, ſed ouium vniuerſarum, nec ouium modo, ſed & Paſtorum, vnus omnium Paſtor conſtitutus eſt Petrus. Quem vniuerſo orbi terrarum, cunctarumque gentium vocationi omnibus denique Apoſtolis cunctiſque Eccleſiæ patribus, vt iam audiſti, præpoſuit Chriſtus. Cur vero circunciſionis Apoſtolus ipſe dictus ſit a Paulo, qui ſe gentium gloriatur Apoſtolum, haud difficulter intelliges, ſi perpendas, & quod de

Cur Petrus circunciſionis Apoſtolus dicatur a Paulo ſe glorianti Apoſtolum eſſe gentiū.

ſeipſo

Digitized by Google

ſeipſo teſtificatus eſt Saluator noſter dicens: Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Et quod Apoſtolis duodecim præcepit, cum eis daret poteſtatem ſpirituum immundorum, & vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, videlicet ne abirent in vias gentium, nec Samaritanorum ingrederentur Ciuitates: ſed ite, inquit, potius ad oues perditas domus Iſrael. Quas ſuum populum, & oues gregis ſui peculiariter ſæpe vocat Deus in ſcriptura. Quorum Chriſti mandatorum memores Apoſtoli, etiã diu poſt acceptum Spiritum Sanctum, exiſtimauerunt ſolis Iudæis miſſum fuiſſe verbum ſalutis, idemque tamdiu vſque dum viſo admonitus Petrus, primum omnium ſuſciperet Cornelium Centurionem gentilem, & incircumciſum hominem ad baptiſmum. Ad hoc igitur vſque temporis, tam Petrus, quam vniuerſi cum eo Apoſtoli, ſolis Iudæis euangelizabant verbum fidei. Vnde nihil mirum, ſi Petrus eatenus circunciſorum præcipue diceretur Apoſtolus ad quos ſolos miſſum ſe dixerat Chriſtus, miſſi etiam principio Apoſtoli, ita quidem vt diu eis non reuelaret Spiritus Sanctus etiam gentibus communicandum Euangelium in ſalutem. Cuius cum tempus iam adeſſet opportunum & placitum Deo, ſiquidem Iudæis iam ſatis diuulgato Euangelio, non Paulo, non Iacobo, non Ioanni, ſed Petro, totius nimirum Eccleſiæ ſummo Paſtori (quæ eatenus circunciſionis tantum fuerat) apparuit viſio de cœlo, qua poſitus in mentis exceſſu vidit apertum cęlũ, atque inde vas quoddam veluti linteum magnum quatuor initijs alligatum demitti in terram, in quo erant omnis generis quadrupedia terræ, beſtiæque & reptilia, & volatilia cœli, & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.

Quo viſo, vt poſt intellexit, admonebatur, etiam gentes incorporare Chriſto, gentium enim immundiciæ per quadrupedia terræ, beſtias, reptilia, volatiliaque ſignificabantur, quas Deus intra linteum Eccleſiæ recipere iam exiſtimans opportunum, Petro præcepit primum, vt eas mactaret Verbo Dei quouis gladio vtrinque incidente penetratiori: deinde vt manducaret, hoc eſt, cibi more in Eccleſiæ corpus traijceret, ſibique conglutinaret vt Eccleſiæ fundamento. Et ne quis eum teneret ſcrupulus, ita etiam tertio eſt admonitus: & continuo poſt viſionem venerunt à Cornelio quidam eius accreſcendi gratia, quatenus ipſum erudiret in ijs, quæ ſalutis ſuæ erant. Cum quibus proficiſci iuſſus à ſpiritu, vt acceſſiſſet ad Cornelium, eidem cum omni domo ſua annunciauit Regnum Dei, hunc in modum exorſus: Re ipſa comperio quod non ſit perſonarum reſpectus apud Deum, ſed in omni gente, qui timet ipſum, & operatur iuſtitiam, hic acceptus eſt illi. Sermonem, inquit, quem miſit Deus filijs Iſrael, annuncians pacem per Ieſum, ipſi noſtris, &c. huic omnes Prophetę teſtimonium ferunt, quod remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Et cum adhuc eo loquente excidiſſet Spiritus Sanctus ſuper omnes qui audiebant ſermonem, obſtupefactis miraculo his, qui ex circuncisione venerant cum Petro, iuſſit eos baptizari in nomine Domini. Per hunc itaque Petrum totius Eccleſiæ caput, & magiſtrum, didicerunt primo, & cæteri Apoſtoli, quod & gentibus conceſſerat Deus pœnitentiam ad vitam. Quare, & exorta poſtea diſceptatione non exigua, an gentes onerandi eſſent oneribus legalibus, in Apoſtolorum deſuper habito concilio, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meum audirent gentes verbum Euangelij, & crederent.

Audis quid hic dicat Petrus, Deum videlicet ab antiquis diebus elegiſſe, vt per os ipſius inter omnes Apoſtolos audirent gentes verbum Euangelij, & crederent, vt qui antea fuerat ſolius circunciſionis Paſtor, Apoſtolus, quippe quæ ſola in ouili Dominico eatenus continebatur, efficeretur etiam Paſtor gentium, quas cum placuiſſet Deo etiam in ouile ſuum adducere, & ad agnitionem veritatis venire, elegit hoc fieri miniſterio Petri, vt velut præuidens iſtorum calumnias, dominici gregis magis commendaret vnitatem, conteſtatumque faceret vnicum ouile ſub vnico Paſtore eſſe oportere. Quod vero Paulus ſe gentium, Petrum vero circumciſionis facit Apoſtolum, non eo pertinet, quaſi gentibus tantum ipſe euangelizauerit. Siquidem, & ipſe primum ſemper euangelizauit Iudæis per Synagogas, ſed cum pene vbique ab illis contradiceretur ſibi, dixit vna cum Barnaba: Vobis oportebat primũ loqui ſermonem Dei, ſed quoniam repuliſtis illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertitur ad gentes. Merito igitur ſe gentium gloriatur Apoſtolum, in quas præcipuus laboris eius fructus enituit.

De Iudæis gloriari non audet, à quibus pene vbique male acceptus eſt. At Petro, cui totius ouilis cura commiſſa eſt, æquus pene fructus fuit, & in Iudæis, & in gentibus. Sed quoniam Iudæis primum loqui oportuit Verbum Dei, primus quoque labor eius ad eos in ouile Chriſti ſibi commiſſum introducendos maximo cum fructu ac prouentu deſudauit, adeo vt vnico primoque eius ſermone, quem ipſo die pentecoſtes habuit, tria millia circiter animarum conuerterentur ad Chriſtum. Quare ea ratione in illo principio merito vocatus eſt à Paulo circunciſionis Apoſtolus. In qua tum fructus eius cernebatur maximus. Sed poſtea nihilo ſecius nec minori fructu laborauit in gentes, quam ante in circunciſionem fecerat. Cum enim (vt beatiſſimi Leonis verbis dicamus) Apoſtoli duodecim, accepta per Spiritum Sanctum, omniũ locutione linguarum imbuendum Euangelio mundum, diſtributum ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, & Beatiſſimus Petrus Princeps apoſtolici ordinis, iam populos qui ex circunciſione erant, erudierat, Antiochenam Eccleſiam, vbi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundauerat, & Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atque Bithyniam legibus euangelicæ prædicationis impleuerat, ad arcem Romani deſtinatur imperij: vt hic ſicut eſſet terrenus Imperator, & rector orbis, ita & ibidem præſideret hic Paſtor qui præſul eſſet, & caput Eccleſiæ totius. Qua de re in hæc etiam verba ſcribit ille Cæ-

In ſermone de Petro & Paulo.

Eccleſ. hiſtoriæ lib. 2.

ſarienſ,

ſatieñ. Euſebius, Simonis Magi ex Iuſtino & Irenæo enarrans biſtotiam, & quemadmodum maleficis ſuis artibus ita dementauerat Romanos, vt diuinos ſibi honotes impenderent.

Sed non in longum, inquit, petmanet fraude quæſita diuinitas. Continuo namque in ipſis Claudij tempotibus, clementiæ diuinæ ptouidentia, probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum fidei magnificentia, virturis metito primorem Principem Petrum ad Vrbem Romam, veluti aduerſus humani generis communem pernicicm repugnaturum deducit, ducem quendam & magiſtrum militiæ ſuæ ſcientem diuina prælia, & virtutum caſtra ductare. Idem in chronicis ſuis in Claudij Cæſaris annum ſecundum ſcribit his verbis: Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitut, vbi Euangelium prædicans viginti quinque annis eiuſdem vrbis perſeuerat Epiſcopus. Audis itaque Chriſtianorum omniũ, non Iudæorum Pontificem primum Petrum, qui Romanæ Vrbis, Otbis & gentium Dominæ, annis 25. epiſcopatum tenuit. Cuius curæ vt vniuetſa Chriſti Eccleſia commiſſa eſt, ita vt in vniuerſam ſe extendetit, adhuc volo ex Hugonis Etheriani verbis clarius intelligas, qui Emanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris temporibus ſuos Græcos à ſchiſmate ad mattis gremium reducere ſatagens, de Petro, & eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ſcribit in hæc verba; ex ipſa, inquit, rei euidentia liquido apparet, quod Petrum eiuſque Succeſſorem, Chriſtus, Principem, & caput, non modo Latinorum, Græcotum, Occidentis, & Seprentrionis vniuerſi: verum Armeniorum, Arabum, Iudæotum, Madianitarum, Amalechirarum, & totius Orienris & Metidiani climatis in perpetuum conſtituit. Ob quam rem occidui ſolis limites vniuerſi Petri ſucceſſorem vſque nunc ſibi Dominum recognoſcunt, & ſub illo præſule diriguntur. Quod omnem ab vteto, & gremio matris errantem facere opportunum eſt. Petrus enim Magnus Chriſti Apoſtolus, in omnibus fere Ciuitatibus, Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellades, Epyri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ ac ex tremltatatum Epiſcopos ordinauit: etenim Iacobus eius ſauore Hieroſolymorum thronum tenuit deinde Enodium Antiochię otdinauit: Tharſi Vrbanum, Epaphroditum Lyciæ, Figellum Epheſi, Smyrnæ Apellem, Philippis Olympam, Theſſalonicæ Iaſonem, Sylam Corinthi, Pattas Erodiana, Tauromenij Magnum, Alexandriæ Marcum. Amplius autem in Nicææ, Nicomediæ, & Thraciæ partibus, ſimilem apparatus eſt ordinem, te eadem ſactum iri ſuis ſucceſſotibus commendauit. Hactenus Etherianus ille.

Cuius pium ſtudium vtinam æmulari potius conatentur noſtrates homines quam addere ignem incendio, & labefactatam vna cum eccleſiaſticæ hierarchiæ vigore religionem Chriſtianam funditus euertere, prudentes facti illorum miſerando deplotandoque exemplo, quos iamdudum dedit Dominus in direptionem nationum barbatarum, & in conculcationem omnium beſtiarum agri, & abiecit a facie ſua, eo quod deſetuerunt eccleſiaſtici ædificij fundamentum, quod ſeparati ſunt à Cathedra Petri, ſicut quondam Iſrael à domo Dauid. Sed hæc ſatis ſuperq; ad dictam obiectionem fuerint. Nam quod totius ouilis Dominici Paſtor conſtitutus ſit Petrus, & qua ratione in illo principio, non incongrue dictus ſit à Paulo circumciſionis Apoſtolus, ex his ſatis perſpicuum arbitror.

CAP. XII.

Aduerſus illorum calumnias, qui Petri Cathedram, eiuſque in Eccleſiaſtico primatu Succeſſores nobis in dubium reuocant, Chatholicæ veritatis aſſertio.

MIrum eſt, quam nihil non permittat ſibi quorundam impudentia, qui excæcati odio pluſquam diabolico in hierarchiam Eccleſiæ, nullum non mouent lapidem, quo turbent, & confundant omnia, qui cum vident ſibi non ſuccedere de Petro, vt eum redigere poſſent in ordinem, ſaltem Cathedram eius, & qui ſibi ſucceſſerunt in eccleſiaſticæ hierarchiæ primatu, in dubium nobis reuocare conantur. De quo tamen ad hæc vſque ſæcula dubitauit nemo. Vt enim fuerit, inquiunt, Eccleſiæ Chriſti neceſſarium ſua hierarchia contineri, in qua vnius ſupereminenri ſummaque autoritate, inferiotes omnes in officio continerentur, ſitque ea data Petro à Chriſto, quid hæc tandem ad Romanam Eccleſiam, & eius Pontifices, de quibus nullum verbum dixit aut conſtituit Chriſtus? Quin potius videri ad Hieroſolymitanam Eccleſiam (ſi ad quam omnino) hoc pertinere priuilegium, quam præ Romana multo potioribus prærogatiuis à Saluatore noſtro decoratam conſpicimus: vt in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſalutem humani genetis operari dignatus eſt, in qua primum de crucis patibulo coruſcauit Euangelium, in qua idem ipſe Dux, Legiſlatot noſter, ſuam legem docuere etiam primum omnium omnes Apoſtoli, & primam illam ſanctiſſimamque Chriſto congregarunt Eccleſiam.

Rationes, quibus Cathedra Petri nobis reuocatur in dubium.

Videri ſiquidem ex his rationibus illi magis deberi Eccleſiaſticæ hierarchiæ primatum, quam Romanæ Eccleſiæ: preſertim quum de illa longe ante prædictum ſit per Prophetam: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Et hactenus quidem illos obijcientes audire tolerabile eſt, & reſpondere operæprecium. Siquidem rationem à nobis exigunt, cur potius Romanos, quam Hieroſolymitanos, aut Antiochenos Epiſcopos (quandoquidem Antiochiæ ſuam Petrus Cathedram primum tenuit (dicamus Succeſſores Petri, in eccleſiaſticæ hierarchiæ primatu, illaque principali eccleſiaſtici regiminis autoritate. Cum de Romana Eccleſia eiuſue priuilegio, nihil vnquam ſpecialiter ſtatutum videatur à Chriſto.

Sed illorum plane intollerabilis eſt cæcitas, & impudentia, qui tot retro ſeculis, toti ab

ti ab Initio vſque nunc Eccleſiæ, impudentiſſime reclamare non erubeſcunt, & pluſquam prodigioſa temeritate ac pertinacia affirmare, quod Petrus Romæ nunquam fuerit, quo Romanis Pontificibus Petri ſucceſſionem autoritatemque derogent, atque ita omnem eccleſiaſticam hierarchiam, omnem ſuperiorem autoritatem, tollant de medio, & ex ea, quam Chriſtus inſtar caſtrorum ordinatam inſtituit, Eccleſia nobis Babylonem ædificent. Itaque prioribus illis haud irrationabiliter quærentibus ante reſpondentes: dicimus: quod ſi ex ijs atque eiuſmodi rationibus, quas iiſdem commemorant, conſtaret in eccleſiaſtica hierarchia priuilegium, & autoritas, haud eſſet improbabilis eorum ſententia, nec inmerito Roma Hieroſolymæ cederet. Sed non ab his rebus parari prærogatiuam, & priuilegium loci aut Eccleſiarum, certum eſt: ſed Dei Verbo atque ordinatione, cuius indicia ſunt abyſſus multa.

Neque enim ignoras in illa lege veteri, quam miranda fecerit Deus, primum in Ægypto, cum inde educeret populum ſuum in manu forti, & brachio excelſo: deinde illis quadraginta annis in deſerto, qualia non fecit in terra promiſſionis, non Hieroſolymæ, ſed in Monte Sinai tradidiſſe legem, tanta cum maieſtate, in tot prodigijs, & ſignis, & illic conſtruxiſſe vetus illud tabernaculum, totamque eam faciem illius Synagogæ decentiſſime ſapientiſſimeque ordinaſſe. Attamen non in Ægypto, non in Arabiæ deſertis, non in Monte Sinai erat locus ille, cui Cathedræ illius Synagogæ (quam poſt audies) prerogatiuam conſtituerat Dominus: ſed vbicunque cum tabernaculo, & arca fœderis reſideret ſummus eorum Sacerdos, & Pontifex.

Vt comprobetur in Romana Eccleſia hæreditario quodã iure conſeruari Petri autoritas.

Cum itaque dicis Romanæ Eccleſiæ nullam mentionem factam à Chriſto, per quam ſe poſſit efferre ſuper omnes totius Orbis Eccleſias, & hunc ſibi vendicare primatum, tanquam ipſa ſit ea Cathedra Petri, in qua hæreditario quodam iure dicta Petri conſeruetur & perpetuetur autoritas: oblitus hic mihi videris eorum, quæ primo libro demonſtrauimus de autoritate traditionis eccleſiaſticæ, aut conſenſus eccleſiaſtici: quæ ſicut ſcripturarum omnium nobis autoritatem ſtatuit, ita quæ ſine ſcripto nobis commendat, ad nos perducta ab initio, non minoris apud nos ſunt ponderis, & fidei, quam ſi perſcripta eſſent ab Euangeliſtis omnibus.

Superius audiuiſti, & poſt luce clarius adhuc intelliges, eum fuiſſe totius ab initio Catholicæ Eccleſiæ ſenſum, eam ſententiam de Cathedra Petri, & eius Succeſſoribus in eccleſiaſticæ hierarchiæ primatu. Hoc enim omnes ab initio recognouerunt ſemper in Romana Eccleſia, & Pontificibus eius, quibus ea in re ab initio ad noſtram hanc vſque ætatem nulla vnquam controuerſia facta eſt.

Quod itaque dicis, Romanæ Eccleſiæ à Chriſto nullam factam mentionem, qui ſcis obſecro? Quia, inquis, non legitur apud Euangeliſtas, aut Lucam in Actis. Ipſius iam Euangelij parum hic meminiſſe videris, in quo teſtatur Euangeliſtarum præcipuus, plurima, & præcipua quæque fidei myſteria non docuiſſe Apoſtolos in carne cum eis manentem (quæ ſola perſequuntur Euangeliſtæ) ſed reſeruaſſe vnctioni ſpiritus: vt non dicam cum eodem Euangeliſta, nec omnia dicta actaque Chriſti in terris perſcripta ab eiſdem.

Qui igitur noſti hoc non fuiſſe vnum, vel ex præcipuis (vt ex quo totius Eccleſiæ pendet vigor, diſciplina, & vnitas) quæ Chriſtus docuit Apoſtolos vnctione ſpiritus? Præſertim cum ea de hoc fuerit totius ab initio Eccleſiæ concors ſententia. Scribit, vt audiſti, ille Anacletus Beatiſſimi Petri Diſcipulus, & tam in eius Cathedra, quam glorioſo martyrio ſucceſſor, Romanam Eccleſiam non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Chriſto Saluatore noſtro primatum obtinuiſſe, & eminentiam poteſtatis ſuper omnes Eccleſias vniuerſumque adeo gregem Chriſti. Ad eius Pontifices tanquam Succeſſores Petri pertinere illa vniuerſa, quæ eidem Petro dicta ſunt à Domino. Illa quoque Alexandrina Synodus tot Sanctorum Epiſcoporum cum ſuo Athanaſio, Romano Pontifici tanquam Petri Succeſſori ſcribens. Tu es, inquiunt, Petrus (poteſtate videlicet) tibi claues regni cęlorum commiſit, & ligandi ſoluendique in terris, & in cęlis poteſtatem obtinuiſti. Et tu negas Romanæ Eccleſię à Chriſto vllam factã eſſe mentionem?

Romanæ Eccleſiæ à Chriſto ſtabilitum primatus priuilegium.

Pręceptum erat illis in Synagoga veteri, vt difficile omne, & ambiguum iudicium referrent ad locum, quem inter eos elegiſſet Dominus, & facerent iuxta omnia, quæ inde annunciarentur, & quæ præciperet ille, quiſquis pro tempore illi loco præſideret. Qui autem, inquit, ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Referebat ergo, & illos magnopere ſcire, quis eſſet ille locus eiuſmodi inter eos prærogatiua priuilegioque ſublimatus, & cui talem reuerentiam, tanquam diſtrictam obedientiam debebant. Neque tamen etiam ibi in vniuerſa lege vſquam hic erat nominatim conſtitutus à legiſlatore, ſed is erat locus ille, in quo cum arca fęderis reſidebat ſummus Sacerdos, vbicunque tandem fuiſſet ille, qui nec Hieroſolymis fuit ab initio, ſed aliquot annorum centenarijs permanſit in Sylo.

Hoc tamen erat diligentiſſimè conſtitutum in lege, quiſnam ſummo Sacerdorio perfungi deberet, nempe Aaron, & qui de ſemine eius legitima illi ordinatione ſuccederent, Ita & in noſtra Eccleſia, non Romæ, ſed Petri à legiſlatore noſtro, diligentiſſima mentio facta legitur. Ipſe conſtitutus inter nos ſummus Sacerdos, & Pontifex. Quare, & locus ille, cui is præſidebat, eiuſque Cathedra inſignita eſt illo ſingularis ſupereminentiſque autoritatis priuilegio. Cum Petro, venit loco autoritas, vbicunque tandem is reſideret, non Petro à loco. Romanæ tamen Eccleſiæ (quam ſibi in totius orbis domina illæ totius orbis Magiſter, vt Beati Chriſoſtomi verbis dicam, ſedem elegit, & in qua ille Chriſtianorum Pontifex primus, vt loquitur Cæſarienſis Euſebius, poſtquam Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, viginti quinque annis prædicans Euangelium Chriſti, Epiſcopus perſeuerauit) in morte cum ſuo ſanguine confirmauit ac ſtabiliuit dignitatem illam, & Clementi Succeſſoribuſque in eadem ſuis, eandem autoritatem poteſtatemq; tradidit, quam

acce-

accepetat ipſe à Chriſto, cuius is ille ipſe Clemens haud vanus teſtis eſt, ad Iacobum fratrem Domini, ad quem ſcribens de Petri exceſſu, ſuæ etiam ipſius ordinationis his verbis meminit: Symon, inquit, Petrus vbi finem vitę ſuæ adeſſe ſeuſit, in corona fratrum poſitus, apprehenſa manu mea: Hunc, inquit, Epiſcopum vrbis conſtituo, &c. Ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi: vt de omnibus quæcunque decreuerit in terris, hoc decretum ſit in cœlis.

Itaque B. Iunocentius ad Alexandrum Antiochonum Epiſcopum, de priuilegio loquens Sedis Antiochenæ, ex antiqua patrum atque Apoſtolorum conſtitutione: Vnde, inquit, aduertimus, non tam propter ciuitatis magnificentiam hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apſtoli ſedes eſſe monſtratur, vbi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolorum propter ſe fieri celeberrimum meruit, quæque Vrbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſcepto apud ſe conſumatoque gauderet. Et B. Ambroſius dicens Romani Imperij latitudinem diuina prouidentia preparatam, vocandis in vnitatem Chriſti corporis nationibus, non tamen contentam fuiſſe Chriſtianam gratiam, eoſdem quos Roma limites habere affirmat, vt quæ iam tum multos populorum ſceptro Chriſti ſubdiderit, quos armis ſuis illa non domuit. Quæ tamen, inquit, per Apoſtolici Sacerdotij principatum amplior acta eſt arce religionis, quā ſolio terrenæ poteſtatis. Vides quomodo dicat ille, Romæ Apoſtolici Sacerdotij reſidere principatum, & per illum factum longe ampliorem arce religionis, quam vnquam fuerit ſolio Imperialis, aut terrenæ poteſtatis.

Cur vero Romæ quam Hieroſolymæ potius voluerit eſſe Chriſtus ſedem Cathedramque Petri, in qua velut hæreditario quodam iure ſucceſſione perpetua continuaretur illa Petri autoritas: quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Forte id factum eſt propterea non ſolum, quoniam in vltionem mortis Chriſti erat euertenda funditus, nec relinquendus in ea lapis ſuper lapidem: ſed etiam quo cæcam illam, & carnalem confunderet Iudæorum peruicaciam, expectantium Meſſiam ſuum regnaturum in Hieruſalem. In quo errore fuiſſe etiam ipſos Chriſti Apoſtolos, tam poſt, quam ante eius paſſionem, & reſurrectionem, indicat illa filiorum Zebedęi ambitio in regno eius ſedendi ad dexteram, & ad ſiniſtram. Verba quoque diſcipulorum euntium in Emaus ad Chriſtum, inſuper Apoſtolorum omnium interrogatio, qua iam aſcenſurum ad patrem percontabantur, num in eo tempore eſſet regnum reſtituturus Iſraeli?

Sed quid hic verbis pugnare opus eſt, cum res ipſa loquatur, & euidentiſſimum de ſe perhibeat teſtimonium? Certum eſt enim Hieroſolymitanam Sedem ex Apoſtolorum ordinatione, non ſolum inter principales nullum ab initio locum accepiſſe, ſed ſubiectam fuiſſe Metropolitano Paleſtinæ Prouincię Cęſarienſi Epiſcopo. Id quod decretum Niceni Concilij adhuc teſtatur, & clariſſime indicat. In quo dum ſanctiſs. illi Patres Hieroſolymitanam ſedem honorare vellent ob loci reuerentiam, antiquam tamen illam Apoſtolorum ordinationem inuertere, nefas exiſtimarunt, ſed ſtatuerunt in hunc modum: vt Epiſcopo Hieroſolymorum antiquitus tradita honoris prærogatiua ſeruetur, manente nihilominus, & metropolitani ipſius prouinciæ dignitate. Audis vt ab antiquo Hieroſolymitana Eccleſia ſubdita fuerit Paleſtinæ metropolitano Cæſarienſi Epiſcopo, qui tamen nec ipſe erat inter principalium ſedium antiſtites.

Quod ſi rem ipſam perpendas diligentius, clariſſimè intelliges omnes illas primas principaleſque ſedes, quas ex Apoſtolorum ordinatione primitiua agnouit Eccleſia, non niſi ex vnius Petri autoritate tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ principis, præ cæteris accepiſſe dignitatis prærogatiuam, & excellentiam: cæterorum Apoſtolorum, quamuis ex communi omnium ordinatione, nullam prorſus ea in re rationem habitam. Tres equidem ſedes principales, ac Patriarchales fuiſſe leguntur illa prima ætate naſcentis Eccleſiæ, ex ordinatione Apoſtolica. Romana prima, cuius ad mortem vſque Petrus perſeuerauerit Epiſcopus. Alexandrina ſecunda, cui idem ipſe de latere ſuo Marcum tranſmiſit Epiſcopum. Antiochena tertia, cui etiam ipſe aliquandiu præſederat, & primam in ea Cathedram ſuam tenuerat. In qua deinde, Romam profectus, Enodium pro ſe ſubſtituit Epiſcopum, atque eo ſublato, ſanctum Ignatium. Tu igitur mihi reſponde, quid cauſæ, quod poſt Romanam Eccleſiam, totius ſemper orbis conſenſu prælatam omnibus, vt cui ille totius Eccleſiæ Summus Pontifex præſidens Petrus, moriens ſuo ſanguine eam dignitatem ſtabiliuit, non Epheſus, in qua tot annis præſedit ille tonitrui filius, ille Diſcipulus, quem ſingulari amoris prærogatiua dilexit Dominus, Ioannes qui ſupra pectus eius in illa ſacra cena recubuit, non Hieroſolyma, cui præfuit ille mirabilis Iacobus frater Domini, & ipſe vnus ex columnis (vt Paulus loquitur) & Apoſtolorum præcipuis, non reliquarum vlla Ciuitatem quibus cæteri præfuere Apoſtoli: ſed Alexandria cum Marco, non Apoſtolo, ſed Petri Diſcipulo honorem ſecundum, & Antiochia cum Enodio, tum Ignatio, tertium locum inter omnes totius orbis acceperunt Eccleſias? Mihi ſanè nihil aliud hinc datur intelligere, quam hac ſua ordinatione diligentiſſimè voluiſſe in vnum Apoſtolos, omnem in poſterum de principatu in eccleſiaſtica hierarchia ambiguitatem, & contentionem tollere, dum ex vnius Petri autoritate viderent omnes, omnem eſſe in Eccleſijs omnibus dignitatis, & prærogatiuæ præeminentiam. Et hactenus non irrationabiliter quærentibus de Sede, & Cathedra Petri, cur eam Romanam Eccleſiam tota ab initio tenuit, & confeſſa eſt Chriſti Eccleſia, eiuſque Pontifices, tanquam Petri in autoritate, & primatu eccleſiaſtico ſucceſſores, rationem reddimus.

CAP. XIII.

Aduerſus eorum impudentiam, qui negant Petrum Romæ fuiſſe, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum aſſerere.

Stupenda impudentia hęreticorũ noſtri temporis.

NVnquam puto eo ſe prorupiſſe amentiæ vniuerſos in vnum omnibus retro ſęculis hæreticos, vt pro ſua ſtatuenda impietate quiſquam auſus fuerit uegare certiſſimam omnium ſæculorum, omnium ſcriptorum, omnium nationum, & gentium conſenſu celebratam, & comprobatam hiſtoriam, cuius in hodiernum vſque diem certa viſuntur veſtigia, extautque præclara venerandæ vetuſtatis, & quæ omnium totius orbis celeberrimo loco longe ante mille annos celebrata ſunt, certiſſima mooumenta. Quod nunc audeot quidam omnium mortalium impudentiſſimi, oegantes Petrum vnquam fuiſſe Romæ, quo Romanis Pontificibus (cum vident omnia alia noo ſuccedere) Petri illam ſucceſſionem autoritatemque derogent. Quod ſi obtineteut, omnem eccleſiaſticam hierarchiam, omnem ſuperiorem autoritatem e medio ſuſtuliſſe confidunt, & (quo tendit vniuerſus eorum conatus) omnem planè religionem e mentibus homioom.

Id qnod conſequi continuo neceſſe eſt, ſi ab Eccleſia ſuum tollas ordinem, ſuam illam ſuperemioentem vnius autoritatem, ſi faciamus licere cuique id ſentire ac dicere, quod ſibi viſum fuerit. In qua liceotia quid vſquam erit inter nos conſonum? & non potius tot de religione ſententiæ, quot capita? Vbi, quęſo, ſe ſiſtet homioom impudentia, poſtquam ſemel refractis modeſtiæ clauſtris, contempta autoritate Eccleſię quiſque præ alio comminiſci conatur abſurdius ac magis impium aliquid? Ita nunc videmus omoia illa peſtilentiſſimarum hæreſium portenta cateruatim, ac certatim proroere, reuocarique ab inferis, quio & noua, magiſque horrenda emergere quotidie. Imo hic vide, obſecro, quo tandem hoc malum euaſerit? vt illos nihil pudeat tanto conſenſui, tot ſæculorum totius orbis, tot ſcriptorum, tot hiſtoriarum indubitate per tot ſæcula fidei ſe obijcere, & contra ſtatuere, quicquid vel ebrijs, vel ſomniantibus apparuit.

O impudentiam cæcam, & impudentiſſimam cæcitatem, vt ſemel perfractis pietatis religioniſque legibus, in profundum præcipitata nullum amplius modum noſtri, ouſquam ſubſiſtere, ſed prolabi ſemper in peius, & io deterius? & hi ſunt illi noui ſcilicet Euangelij præcones, apod quos præ ſe deſipiuot ſanctiſſimique patres noſtri, orthodoxæ Eccleſię proceres, & columnæ, quibus errauerunt quotquot fuerunt, ſacroſancta illa œcumenica concilia, quæ vniuerſa Romanos Pontifices recognoſcunt, & venerantur vt Succeſſores Petri (quemadmodum ſuo loco vbi de concilijs pertractabimus poſt commodius audies) & poſt tot ſæcula, in ſe ſolos iam tandem perueniſſe Regnum Dei, & totas miſerationum Dei diuitias gloriantur. Hi ſunt, inquam, qui apud rudem indoctumque populum, leueſque mulierculas, plenis buccis vociferantur: Verbum Domioi, verbum Domini: Euangelium, Euangelium, cui e diametro aduerſantur homines vaniſſimi, & ignorantiſſimi, quos excæcauit ſuperbia. Quorum fructus proh nimis iam ſunt manifeſti. Non illi ſpiritales digni Deo, ſed carnales, ſed diabolici, nempe detractiooes, ſeditiones, blaſphemiæ, rapinæ, ſacrilegia, ſtupra, incendia, ſtrages hominum infirmorum, qui eorum opera ſuffocati ſunt io ſceleribus ſuis: ita prouidente ſuis infioita miſericordia Dei, & daote metuentibus ſe ſignum, quo fugere poſſiot, ſaluarique à facie arcus.

Sed forte, iuquies, neceſſaria ratione, aut euidenti ſcriptura, aduerſus cuius autoritatem nec Angelis quidem de cęlo, ſi aliter annunciarent, credi voluit Apoſtolus, tot retro actis ſæculis, & ſcriptoribus reclamare coacti ſunt, & diſſentire à tota, quæ hactenus fuit, Chriſti Eccleſia.

Ego vero nulli omnino hominum licere exiſtimo, ob quaſcunque euidentes (vt ſibi videretur) ſcripturas diſſentire à communi qui hactenus ab initio fuit, conſenſu Eccleſię, & proprium aliquid oouumque inducere. Hoc enim eſt in deſerto Chriſtum quærere aut in latibulis domorumque penetralibus: vbi eodem teſte fruſtra quæritur, ſed inuenitur in corpore Catholicæ Eccleſiæ, atque eius conſenſu, quem nobis indicat (vbi is alias parum pateret) illarum aquilarum conſenſus & coogregatio: vbi enim illæ congregantur, ibi corpus, ibi Chriſtus, & veritas.

Non licere ob vllam ſcripturarũ, aut rationũ euidentiam diſſentire à communi, quod ab initio fuit, conſenſu Eccleſię.

Nec de ſcripturis quicquam loquitur Apoſtolus, ſed de eccleſiaſtica traditione, quam ab Apoſtolis acceperam, velut per manus ſuccedentium ſibi patrum, & Epiſcoporum continua ſucceſſionis ſerie ad oos transmiſit illa primitiua Chriſti Eccleſia. Aduerſus hanc, oec ſibi, nec Apoſtolis, nec Angelis de cœlo, ſi aliter annunciarent, quicquam vult credi Apoſtolus. Non enim dixit: Si quis præter id quod nos, aut Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, cæterique Apoſtoli ſcripſimus, ſed: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, ex traditione nimirum noſtra, & Apoſtolica, præter id quod euangelizauimus vobis, viua videlicet traditione (uam eatenus nihil ſcripſiſſe legitur Galatis quos alloquitur) anathema ſit. Vides itaque, non loqui illum de ſcripturis Apoſtolorum aut Euangeliſtarum: ſed de viua ſua, & Apoſtolorum traditione: quam ſine ſcripto ad nos perlatam libro primo demonſtrauimus.

Et quæ tandem eſſet pluſquam diabolica hæc arrogantia, & ſuperbiſſima de ſe præſumptio, aliquem ſibi perſuadere, vnum ſe rectius intelligere ſcripturas, quam eas vniuerſa ab initio intellexit orthodoxa Eccleſia? quam inflexibilem columnam, roburque, & firmamentum veritatis prædicat Apoſtolus, & cum ea tot illæ ſecum congregatæ aquilæ, tot ſanctiſſ. doctiſſimique patres, quorum omne ſtudium, omnis meditatio, omnis voluntas diuque noctuque fuit in lege Domini, in quibus viguiſſe eundem illum Chriſti ſpiritum quo ſcripturæ dictatæ ſunt, idem ipſe Chriſtus certiſſimus teſtis eſt, qui per manus eorum innumeras virtutes, & miracula ædidit,

dit, teſtis quoque vita eorum plane euangelica, ſpiritalis in carne, & in terra cœleſtis conuerſatio. Sed ſupra frequenter audiſti, quiſnam ſit hæreticus, quem tanquam deploratum ac irremediabilem, imo tanquam certam contagio ſamque peſtem vitare iubet Apoſtolus, nempe quia communi Eccleſiæ ſententia propriam ac diuerſam, quam e regione ſtatuat, eligit.

Rationes, quibus perſuadent Petrum non fuiſſe Romæ.

Sed vt intelligas, quam nugacibus futilibuſque ratiunculis audeant hi vniuerſæ Eccleſiæ ſe opponere (ſcripſit enim quidam ex his Antichriſti Apoſtolis non exiguum hac de re libellum) hæc ſumma eſt nugaciſſimorum, quæ ineptiſſimè profundit, verborum, quamuis mortalium omnium longe ſapientiſſimus, doctiſſimuſque ſibi videatur. Non meminit, inquit, Lucas in Actis Apoſtolicis aduentus Petri in Vrbem Romam. Quin potius ex eodem conſtat illum interfuiſſe Hieroſolymis Apoſtolico illi concilio ſuper quæſtione legalium, quod vt minimum 17. aut 18. annis poſt aſcenſionem Chriſti celebratum eſt. Ante quod ſi vera eſſe debeant quę de eo ſcribuntur, iamdudum debuerat fuiſſe Romæ. Sed nec Paulus, aut ad Romanos, aut Romæ ſcribens Petri vllam mentionem facit. Præterea & inter ſcriptores, quo primum tempore eo peruenerit, haud ſatis conuenit: ſed hi in vnum alij in alterum Claudij annum eradunt hoc accidiſſe. At conſtat, inquit, diſcordiam in ſcriptoribus falſitatis eſſe argumentum, vt contra eſt veritatis concordia. Hæc, inquam, ſumma eſt ſcripturarum & rationum omnium, quibus fulti audent reclamare, tot ſęculis, tot ſcriptoribus, tanto totius orbis conſenſui, audeant dicere, viri ſcilicet modeſtiſſimi, & prudentiſſimi, mentitos Clementem, & Anacletum Petri Diſcipulos, & in Cathedra Succeſſores, quæ de ſuo nobis magiſtro prodiderunt.

Ignatium quoq; Policarpum, Dionyſium, Papiam Hieropoliten, etiam Petri, & Apoſtolorum Diſcipulos. Egeſippum inſuper, Dionyſium alterum, Irenæum. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, & quotquot illo ſæculo vixerunt, patres ſanctiſſimos & doctiſſimos; qui aut viderunt ipſi in humanis Apoſtolos, aut non ſupra vnius hominis ætatem ab eis abfuerunt. Mentitos etiam poſt illos, & Origenem, & Cyprianum, & Athanaſium. Euſebium quoque Cæſarienſem, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Leonem, Gregorium: breuiter vniuerſos, quicunque hac de re prodiderunt aliquid. Decepta præterea tot ſanctiſſimorum patrum œcumenica concilia, quæ (quod poſt clarius intelliges) Romanam Eccleſiam, Petri Cathedram in qua hæreditario quodam iure ſuprema illa eccleſiaſtici regiminis autoritas, & alligandi ſoluendique poteſtas perpetuo ſeruaretur, ſemper cognouerunt. Et ſi his credimus, à morte Petri in hunc vſque diem ignorauit orbis vniuerſus, vbi nam mortuus ſit ille Apoſtolorum omniũ Princeps; ſcilicet inter Apoſtolos adeo obſcurus, & ignobilis, & ignotiſſimo aliquo, neſcio quo, orbis angulo deliteſcens ac trucidatus, vt nec vitæ, nec mortis eis certum vllum ad nos peruenerit indicium; & adhuc miſere deciperemur omnes, niſi iſti pluſquam Argi ac Lyncei, propicijs tandem ſuperis nunc demum nobis ſuccurriſſent, clarius nimirum nunc intuentes tot retro actis ſęculis, & tam longe nos præcedentem hiſtoriam, quam qui aut præſentes, aut proximi eidem affuere. A quibus propediem expectamus, & nouam geneſeos huius mundi enarrationem. Quandoquidem æque credibile eſt, & illum Moyſen cęcutiuiſſe ob ſenectutem, neque tam acutè retro ac poſt ſe cernere potuiſſe, quam nunc iſti vident.

Quos ſi quis percontari pergat, vnde ergo hæc tam impudens in orbem introducta ſit fabula, aut quis eam ita perſuaſerit mortalibus omnibus, eadem modeſtia, & ſapientia reſpondent nobis confictam fuiſſe à Romanæ curiæ palponibus: qui Romanam Eccleſiam, mediante Petro, primatum accepiſſe ſuper omnes mundi Eccleſias videri volunt, repugnantibus (vt dicunt) omnibus ferme hiſtorijs ipſiuſmet Chriſti voce, Eccleſiæ quoque primitiuæ ritu, & exemplo. Quod tamen ita nihil mirum, nec incredibile videri volunt, quandoquidem in recenti adhuc memoria, vnde hic primaeus Romanæ Eccleſiæ cępit exordium: certum eſt tamen inueniri non paucos, qui eundem ab initio fuiſſe contendant, atque pro eo quaſi pro re ſeria, & magnopere ad noſtram religionem pertinente, non ſecus ac pro aris, & focis digladiantur.

Hæc ſunt Chriſtiane lector, hæc, inquam, ſunt argumenta, hæ ſcripturæ demonſtrationes, quibus hi nituntur aduerſus totius orbis conſenſum, tot ſæculorum fidem, tot ſanctiſſimorum patrum, & totius Eccleſiæ autoritatem. Aduerſus quam cum nulla ſcripturarum euidentia, ſed nec Angeli de cœlo nobis valere deberet autoritas, iſti impudentiſſima ſua ſomnia obijcere ac ſtatuere non verentur. Contra quos ſufficeret ſanè illud Euſebij Cæſarienſ. qui ante annos mille ducentos circiter, cum à Nerone Paulum capite in ipſa Vrbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnatum referat: Horum, inquit, teſtimonia extrinſecus quærere ſuperfluum puto, cum rem geſtam vſq; in hodiernum diem ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur. Veruntamen ſcribit de his etiam Gaius quidam ſcriptor antiquus, qui ſub Zepherino Epiſcopo Romano, aduerſus Proculum quendam Cataphrygam diſputans, hæc de Apoſtolorum commemorat locis; ego, inquit, habeo trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam. Siue enim via regali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, ſiue via Oſtienſi, inuenies trophæa defixa, quibus ab vtraque parte ſtatutis Romana communitur Eccleſia. Hactenus ille. Fuit autem prædictus Zepherinus ſub Seuero centum triginta tribus annis poſt Petri, & Pauli exceſſum, quo tempore quæ Apoſtolorum trophæa defixa cernebantur in Vaticano & via Oſtienſi, eadem eiſdem in locis in hodiernum diem perſeuerant.

Quanquam autem non merebantur hi, vt ſingulari cum eis congrederemur certamine, vt quorum toto hoc opere noſtro ſatis redarguitur cæcitas & impietas, præcipue autem ex his, quæ deinceps tractaturi ſumus: ex quibus vniuerſam ab initio Eccleſiam recognouiſſe Romanam Eccleſiam pro cathedra Petri,

eiuſque Pontifices pro Petri ſucceſſoribus, erit euidentiſſimum. Vt tamen breuiter intelliges lector, quam ſint hi, vt impietatem taceam, omnis etiam (qua ſe iactant) ſcripturæ, omnis antiquitatis, omnis veteris hiſtoriæ ignorantiſſimi, in quibus etiam communem ſenſum deſideres, ſola auditorum auribus prurientium (quorum affectibus ſe accommodant) leuitate & ignorantia abutentes: & quo ex hoc vno æſtimationem facias, qualia ſint reliqua eorum vniuerſa, quæ tamen magno applauſu excipiuntur à pleriſque, quibus deprauatus eſt animus, pauliſper hic immorabimur impudentiſſimam horum cæcitatem paulò clarius traducturi.

Quod vt fiat, in primis reuocandum eſt ob oculos, quale ſit quod nunc tandem reuocatur in dubium. Eſt autem, non quidem abditum aliquod noſtræ fidei myſterium, ſed quæ in conſpectu totius orbis eſt acta hiſtoria, taliſque hiſtoria, quæ non die vnico, non menſibus aliquot, ſed annis peracta eſt plurimis in celeberrimo totius orbis loco, inter perſonas toto orbe notiſſimas. In qua non video, quis fictioni aut mendacio locus eſſe potuerit. Hoc nunc quæritur, num Petrus Romæ fuerit? Num ibidem primus Epiſcopatum geſſerit? Num ſub Nerone martyrium fecerit, quemadmodum omnes vna ſcriptores, tam Græci, quàm Latini magno conſenſu affirmant, & vniuerſa confitetur Chriſti Eccleſia. Itaque ſi & locum & perſonas perpenderimus huius hiſtoriæ, nempe Petrum Apoſtolorum & totius Eccleſiæ principem, Romanorum, imo Chriſtianorum omnium Pontificem primum,

Neronem quoque non minus ſceleribus, quàm imperio notiſſimum. Romam inſuper orbis terrarum dominam, & tunc veluti commune omnium nationum hoſpitium: facile intelligit quiuis, quod non potuerit in vtramuis partem ea tunc latere hiſtoria, ſed neceſſe eſt toti orbi fuiſſe notiſſimam, & qualiſcunque tunc fuerit, magna celebritate perueniſſe ad poſteros. De qua cum idem tradant, & qui præſentes eam viderunt, & qui eo vixerunt ſeculo, & qui continuo ſubſecuti ſunt, ſitque de eadem omnium ſcriptorum, omnium nationum, & totius orbis conſenſus: an non prodigioſæ tibi videtur, cæcitatis dicam, an peruicaciæ, an amentiæ (neque enim dignum huic peſti vocabulum inuenio) tot tantorumque ſcriptorum fidem, qui ſuorum temporum, eamque talem & tali concordia prodiderunt hiſtoriam, tot ſeculorum, totius orbis conſenſu probatam, tot antiquiſſimis celeberrimiſque monumentis conteſtatam conuellere, & nunc demum poſt mille quingentos annos nouam confingere?

Ex omnium ſcriptorum, atque adeo totius orbis conſenſu.

Sed quoniam totius orbis conſenſum ſentimus quique aduerſus obſtinatos quàm demonſtramus facilius, quamquàm hac de re & hunc ex ijs, quæ deinceps tractaturi ſumus, euidentiſſimum faciemus: quod nunc magis in promptu eſt, veterum illorum ſcriptorum breuiter memorabimus, qui veritati huius hiſtoriæ luculentiſſimum teſtimonium perhibet; quamuis obiter & velut aliud agentes. Notior enim erat omnibus, quam vt de ea quiſquam ex inſtituto ſcriberet, niſi quibus eorum temporum propoſitum erat commentari hiſtoriam,

Clementem itaque iamdudum audiſti hac de re perhibentem teſtimonium, cuius ipſe pars fuerat, videlicet ſe iamiam morituro Petro vrbis Romæ conſtitutum Epiſcopum, ſuamque ipſi cathedram commendatam, & quam ipſe à Deo acceperat, ligandi ſoluendique poteſtatem traditam.

Anacletum etiam ſucceſſorem Clementis à beatiſſimo Petro ordinatum presbyterum audiſti non ſemel affirmantem, quo pacto Romana Eccleſia mediante Petro totius orbis primatum acceperit. Qui & paſſionis eiuſdem vna cum Paulo his verbis meminit: Adhibita eſt etiam ſocietas in eadem Vrbe Roma beatiſſimi Apoſtoli Pauli vaſis electionis, qui vno eodemque tempore glorioſa morte cum Petro ſub principe Nerone agonizans coronatus eſt, & ambo ſanctam Romanam Eccleſiam conſecrarunt, alijſque omnibus vrbibus in vniuerſo mundo, ſua præſentia atque venerando triumpho eam prætulerunt.

Euariſtus quoque, Alexander & Sixtus, ſanctiſſimi Pontifices, qui & ipſi Petrum in humanis videre potuerunt, eadem de illo & Romana cui præſederunt Eccleſia, ſuis ſcriptis & epiſtolis atteſtati ſunt: quemadmodum, quamuis in alia cauſa, poſt audies opportunius.

Polycarpi item Smyrnei Epiſcopi Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli, qui & ipſe vixit Petri temporibus, ſequenti libro in hiſtoria Pij Pontificis (ob cuius decretum ex Aſia Romam profectus eſt) prolixiorem narrationem faciemus. Papias etiam ille Hieropolites, qui & ipſe vixit vna cum Petro & Apoſtolis (Ioannis quippe & Apoſtolorum diſcipulus) affirmat priorem illam Petri epiſtolam ad aduenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, ſcriptam ex vrbe Roma: quam tropice Babylonem nominauit. Et hi omnes fuere teſtes oculati. Nam tali ſane in re ac hiſtoria, quotquot eo tempore vixerunt alicuius nominis in Eccleſia, etiam ſi Romæ non fuiſſent præſentes, eius tamen teſtes oculatos dicere non dubitauerim, quum tales latere fuerit impoſſibile, vbi reſideret ille tam mirabilis Petrus, totius Eccleſiæ Paſtor & Pontifex, & in quem reſpiciebant toto orbe Apoſtoli & Chriſtifideles vniuerſi.

Illius autem Papiæ hæc de re teſtimonium tam Clemens ille Alexandrinus, quàm Victor Antiochenus presbyteri, non minus religione, quàm eruditione inſignes ad nos pertulere: quorum iſte in Marcum ſcribens, ita vtriuſque meminit: Fuit, inquit, Romæ Marcus cum Petro, quemadmodum in priori eius epiſtola ſcribens ait: Salutat vos Eccleſia, quæ in Babylone eſt electa, & Marcus filius meus. Clemens item Alexandrinus presbyter ſexto Informationum libro hæc librum Marci Euangeliſtæ commendat, cui atteſtatur Hieropolites Epiſcopus nomine Papias, Romæ vero Petrus creauit eum Epiſcopum, & in Ægyptum tranſmiſit, vbi Eccleſiam Alexandriæ confirmauit. Hæc ille Victor. Cui per omnia conſentit D. Hieronymus in Marci vita ſcribens in hæc verba; Marcus diſcipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat rogatus Romæ à fratribus breue ſcripſit Euangelium: quod cum Petrus audiſſet, probauit & Eccleſiæ legendum ſua authoritate

Priorem Petri epiſt. ſcriptam Romæ, quam tropice Babylonem appellat

ædi-

ædidit, ſicut Clemens in ſexto diſpoſitionum libro ſcribit, & Papias Hieropolitanus Epiſcopus. Meminit huius Marci, & Petrus in epiſtola ſua prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans. Salutat vos quæ in Babylone electa eſt Eccleſia, & Marcus filius meus.

Aſſumpto itaque Euangelio quod ipſe confecerat, perrexit in Ægyptum & primus Alexandriæ, Chriſtum annuncians conſtituit Eccleſiam. Hactenus Hieronymus. Euſebius quoque ille Cæſarienſis libro ſecundo eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcribens, vt Petrus ipſis Claudij temporibus Romam venerit, & ſalutaris ibi prædicationis verbo, euangelij ſui clauibus, regni cœleſtis ianuam primus aperuerit, hac de re ſubiungit in hæc verba: Sermo autem, inquit, veritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuerſorum mentes placido illuſtrauit auditu, ita vt quotidie audientibus nulla ſatietas fieret. Vnde neque auditio eius ſola ſuffecit, ſed Marcum diſcipulum eius omnibus precibus exorant, vt quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam ſcripturæ traderet: & hæc fuit cauſa ſcribendi quod ſecundum Marcum Dei euangelij. Petrus vero vt per Spiritum Sanctum religioſo ſe ſpoliatũ furto comperit, delectatus eſt, fidem eorum per hæc deuotionemque conſiderans, factumque confirmauit, & in perpetuum legendam ſcripturam Eccleſijs tradidit. Clemens, inquit in ſexto diſpoſitionum libro hæc ita geſta deſcribit. Cui ſimile dat teſtimonium Hieropolites Epiſcopus nomine Papias, qui & hæc dicit, quod Petrus in prima epiſtola ſua, quam de vrbe Roma ſcripſit, meminerit Marci. In qua tropice Romam Babylonem nominauerit, cum dicit: Salutat vos ea quæ in Babylone eſt electa, &c.

Quale fuerit Clement. de Marco, & Petro teſtimonium.

Hæc ille Euſebius ad verbum. Qui iterum libro ſexto eiuſdem hiſtoriæ refert eundem illum Clementem de ordine euangeliorum ſcribere, à presbyteris & ſenioribus Apoſtolorum auditoribus ſe accepiſſe, quod priora fuiſſent euangelia, quæ de generationibus continent, id eſt Matthæi & Lucæ. Cauſam vero Euangelij ſecundum Marcum fuiſſe huiuſcemodi: Cum Petrus Romæ publicè prædicaſſet verbum Dei, & in ſpiritu expoſuiſſet euangelium, auditores rogaſſe Marcum, qui iam ſectator ipſius fuiſſet, conſcribere, quæ ſciebat prædicata ab Apoſtolo. Cumque id factum Petrus poſtmodum cognouiſſet, licet fieri non iuſſerat, attamen factum non prohibuiſſe. Hæc ille Clemens Alexandrinus presbyter, de Marco primo Alexandrinorum Epiſcopo, eo tempore cum viuerent pleique Marci auditores & diſcipuli, ſiquidem & ipſe (vt ſupra audiuiſti) teſtatur ſe præceptores habuiſſe auditores Apoſtolorum, Petri, Iacobi, Ioannis, & Pauli. Quæ ideo aliquanto ſtudioſius accumulauimus teſtimonia, quoniam ex illa priori epiſtola argumentum ſumunt, in Ægyptiaca Babylone Cayro eam ſcriptam fuiſſe, atque ex eadem, non ex vrbe Roma Marci mentionem facere, ridentes tropum quem intelligunt ac docent tot, taleſque ſcriptores, & quos latere non potuerit eius rei veritas. Cui etiam Irenæus Polycarpi auditor beatiſſimi Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli, æque clarum perhibet teſtimonium. Siquidem de ordine euangeliorum ſcribens libro tertio aduerſus hæreticos; Matthæus, inquit, Hebræis ipſorum lingua ſcripturam ædidit euangelij, cum Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & Eccleſiæ inibi fundamenta locarent: deinde & Marcus diſcipulus & interrogatio Petri, & ipſe quę à Petro nunciata erant, nobis tradidit. Poſtea Ioannes diſcipulus Domini, qui ſupra pectus eius recumbebat, & ipſe ædidit euangelium, Epheſi Aſiæ commorans. Et quidem obiter illa de Petro, Paulo, & Marco.

At pauló poſt idem rurſus non iam obiter, ſed velut ex inſtituto copioſiſſime idem proſequitur, enumerans omnem Epiſcoporum in Romana Eccleſia à beatiſſimo Petro ad Eleutherium ſui temporis Pontificem, ſucceſſionem. Idque eo (vt dixi) tempore, quo eo ignorari non potuerunt, nempe qui in principe orbis Romana Eccleſia euſque præfuerint Epiſcopi, quando poſt mortem Petri parum ſupra annos 100. durauerat. Quod ſi inſuper perpendas quorſum ille enumeret ſucceſſionem eiuſmodi, certiſſimo intelliges, quod eſſe non potuerit aut ficta aut dubia. Nam eam adducit, vt argumentum certum contra hæreticos conſeruatæ in Romana Eccleſia integritatis ac veritatis traditionis Apoſtolicæ; quę eiuſmodi continua ſucceſſione ad ea vſque tempora perduraſſet. Hac, inquit, ordinatione & ſucceſſione ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio in Eccleſia, & veritatis præconizatio peruenit vſque ad nos, & eſt pleniſſima hæc oſtenſio, vnam & eandem nunc viuificatricem fidem eſſe in Eccleſijs, quæ ab Apoſtolis fuit tradita, conſeruatamque in veritate. Hæc ille Irenæus.

Egeſippus præterea etiam Irenæo aliquanto vetuſtior (quem ſub Aniceto Romam veniſſe vna cum Polycarpo Ioannis diſcipulo, ex eodem de ſe referente teſtis eſt D. Hieronymus) lib. 3. Hieroſolymitani excidij, late deſcribit Apoſtolorum exceſſum, vtque dato à Nerone vt comprehenderentur præcepto, Petrus ſit rogatus à fratribus alio ſe conferre. Reſiſtebat, inquit ille, dicens nequaquam ſe facturum, vt metu mortis territus ceſſiſſe videretur: Bonum eſſe pro Chriſto pati, qui pro omnibus ſe morti obtuliſſet: non mortem illam, ſed immortalitatem futuram. Iamque indignum vt ipſe fugeret, qui multos doctrina ſua compuliſſet ſe hoſtiam pro Chriſto offerre. Deberi ſibi ſecundum Domini vocem, vt & ipſe in paſſione ſua Chriſto gloriam & honorem daret.

Hæc & alia Petrus obtexere: ſed plebs lachrymis quærens ne ſe relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium deſtitueret, obteſtari: victus fletibus Petrus ceſſit, promiſit ſe vrbem egreſſurum proxima nocte, ſalutatis fratribus, & celebrata oratione proficiſci ſolus cœpit. Vbi ad portam ventum eſt, videt ſibi Chriſtum occurrere, quem adorans, dixit: Domine quo venis? Dicit ei Chriſtus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de ſua id dictum paſſione, quod in eo Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur in ſuis, non vtique corporis dolore, ſed quadam miſericordi compaſſione, aut gloriæ celebritate, & conuerſus in vrbem redijt, captuſque à perſequutori-

Digitized by Google

ſoribus, crucique adiudicatus, popoſcit, vt inuerſis veſtigijs cruci affigeretur, quod indignus eſſet qui ſimili modo crucifigeretur, vt paſſus eſt Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebat fieri vt Chriſtus prædixerat, vel quia perſequutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipſe Paulus, alter cruce, alter gladio necatus eſt. Hæc Egeſippus de Petro ſcribit eo tempore, quo ſuper erant plurimi, qui & viuentem audierant, & morientem viderant.

Eodem fere tempore etiam Dionyſius ille Corinthiorum Epiſcopus, quem ſub Sotere clarum fuiſſe conſtat, ex vrbe Roma, ad quam velut ad communem matrem & magiſtram omnium qui vbique ſunt Chriſtifidelium, Eccleſiaſtica ipſum negotia pertraxerant, Eccleſiæ ſuæ ſcribens, huius de Petro hiſtoriæ tanquam omnibus notoriæ obiter meminit, & clariſſimum illis perhibuit veritatis teſtimonium. Cuius hæc verba Euſebius ille Cæſarienſis ſuæ hiſtoriæ inſeruit: Vos, inquit, à Petro, & Paulo commonitionem habentes, & Romanæ & Corinthiorum Eccleſiæ plantationem coniunxiſtis. Ambo enim aduentantes, & in noſtra Corinthiorum docuerunt Eccleſia, & per omnem Italiam, atque in hac vrbe ſimul docentes, etiam martyrio pariter vno, eodemque tempore coronati ſunt. Hæc ille Dionyſius.

Eadem quoque tempeſtate Tertullianus ille florens Carthaginenſis presbyter, omnium Eccleſiarum ſermone (quod Euſebius de eo teſtatur) celebratiſſimus, libro tertio de hæreticorum præſcript. ſcripſit in hæc verba: Percurre, inquit, Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, repræſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum, ſi non longe habes à Macedonia, habes Philippos, ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiam adieris, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt, ſtatuta fœlix Eccleſia. Vbi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Idem lib. 3. aduerſus Marcionem, dicit Petrum & Paulum reliquiſſe Romanis ſuo ſanguine obſignatum Euangelium, & hi omnes vnius circiter hominis ætatem ſcripſerunt à morte Petri. Quo tempore impoſſibile eſt non toti Eccleſiæ notiſſimam fuiſſe Petri hiſtoriam, pro eius ſingulari in Eccleſia authoritate & principatu.

Qualefuerit procedentiũ teſtimoniũ de Petro.

Hos continuo ſubſequuti ſunt eruditiſſimi illi, ſanctiſſimique Eccleſiæ proceres, Adamatius Origenes, & Cæcilius Cyprianus, quorum ille libro tertio explanationum Geneſis, Petrum poſt prædicatum euangelium in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, ad vltimum in vrbe Roma commoratum ſcribit, ibique crucifixum inuerſi veſtigijs, hoc ita fieri eo precante, ne Domino ſuo æqualis videretur.

At Cyprianus ille glorioſus Martyr & Pontifex, vbi non cognoſcit cathedram Petri? Vbi non prædicat, non inculcat ſingularem eius in Eccleſia authoritatem? Qui Romæ docet exortam ſacerdotalis dignitatis vnitatem, ob Petri & ſucceſſorum eius Romanæ Eccleſiæ Præſulum, in eccleſiaſtica hierarchia primatum, per quem eccleſiaſtici, ſacerdotaliſque ordinis vnitas, & conſeruatur, & ſubſiſtit. Quam ob rem dicit vnitatem eccleſiæ ab vnitate epiſcopatus Petri pendere, à quo exordium eccleſiæ poſt Chriſtum, tanquam ab vnitate quadam profectum affirmat. Similiter in epiſtola ad Cornelium Romanum Pontificem ſcribit ſe non prius quoſdam, qui negarunt Romani Pontificis primatum, intra Eccleſiam ſuam admiſiſſe, quàm ſuum illum errorem publice reuocantes, primatum eundem denuo ſolemniter fuiſſent confeſſi in hæc verba: Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ catholicæ Eccleſiæ, erectum à Deo omnipotenti, & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur. Circumuenti ſumus perfidiæ loquacitate factioſa amantes, videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico homine habuiſſe, ſyncera tamen mens noſtra ſemper in eccleſia fuit, nec ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum Sanctum, vnum Epiſcopum in catholica eccleſia eſſe debere.

Nota qualem confeſſionem exegerit Cyprianus ab his, qui detraxerant primatui Romani Pontificis.

Poſt hos tales & tantos, & qui tam propinqui apoſtolicis temporibus, in recentiſſima earum rerum memoria ſcripſerunt, nam horum nouiſſimus Cyprianus vix centum & quadraginta annis ſubſecutus eſt Petrum, quid adhuc poſteriorum meminiſſe attinet? Quid Athanaſij Alexandrini? Quid Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcoporum? Qui principalem illam Petri in Romanos Pontifices ſucceſſione deriuatam ſuper omnes eccleſias authoritatem non ſolum ſcripto confeſſi, ac venerati ſunt, ſed & facto aduerſus perſequutores ſuos eam toties implorarunt, atque ad eandem tanquam ad ſacram anchoram (quod poſt intelliges) in huius pelagi tempeſtatibus confugerunt?

Quid præterea Euſebium Pamphili, non Romanum, ſed Cæſarienſem Pontificem commemoraſſe opus eſt? Qui ſcribit Petrum omnium Apoſtolorum principem, & Chriſtianorum Pontificem primum veniſſe Romam ſecundo anno Claudij, vbi poſt geſtum ibidem Epiſcopatum annis 25. vna cum Paulo, glorioſo ſit coronatus martyrio. A cuius Pontificatu per ſucceſſionem epiſcoporum in Romana Eccleſia temporum ſuorum continuam hiſtoriam texuit. Quid denique Diui Aurelij Auguſtini, non Romani, ſed Afri, Hipponenſis Epiſcopi, poſt tantam præcedentium ſcriptorum multitudinem adhuc refert audire teſtimonium? Qui aduerſus Petilianum cathedram Apoſtolicam (vt hi nunc faciunt) blaſphemantem, ſcribit in hæc verba: Si omnes per totum orbem tales eſſent Epiſcopi, quales tu vaniſſime criminaris quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ cathedra, in qua Petrus ſedit, & in qua Anaſtaſius ſedet? vel Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet? Quibus nos in catholica vnitate connectimur, & à quibus nefario furore vos ſeparaſtis. Quare appellas cathedram peſtilentiæ, cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus pharisæorum (de quibus ait, dicunt enim & non faciunt) cathedræ in qua ſedebant, illam fecit iniuriam? Nonne illam cathedram Moyſi commendauit, & illos,

qui

qui non ſeruabant cathedræ honorem, redarguit? Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis cathedram Apoſtolorum, cui non communicatis. Hæc ille Auguſtinus. A quo vide quam hi diſſentiant tota diametro. Fatetur ille (aduerſus Manichæi epiſtolam ſcribens) in catholicę Eccleſiæ gremio ſe præcipue retentum ſucceſſione continua Epiſcoporum in ſede & cathedra Petri, cui, inquit, Dominus poſt reſurrectionem ſuam, paſcendas oues ſuas commendauit, ad ſui temporis epiſcopatum, quem Anaſtaſius geſſit. Quam eandem ſucceſſionem ille, vt audiſti, ſacer Irenæus magna cum fiducia obiectat hæreticis, pleniſſimam eam demonſtrationem affirmans, quod in Romana Eccleſia eadem conſeruata ſit fides, quæ tradita eſt ab Apoſtolorum principibus. At hi vniuerſam illam ſucceſſionem commentitiam affirmant. Neceſſe eſt ergo rei omnino friuolæ, imo falſiſſimæ, fidem, ſalutemque ſuam acceptam referre ſanctiſſimos illos, doctiſſimoſque patres, eaque vt irreuincibili argumento, orthodoxæ fidei aduerſus perfidos vti, aut hos eſſe falſiſſimos, perfidiſſimoſque.

Poſtremo, quid poſt iſtos omnes, in quos nulla prorſus cadit ſuſpicio, quod in gratiam Romanæ Eccleſiæ finxerint aliquid de Petro, quid, inquam, etiam noſtrorum, hoc eſt, Hilarij, Ambroſij, Hieronymi, Gregorij, Oroſij, Lactantij, Eutropij, & ſexcentorum aliorum oportet colligere teſtimonia? qui tamen omnes, ante mille, vndecies, duodecies, tredecieſue centenos annos, eadem de Petro atque eius Sede Romana Eccleſia prodiderunt? Et nunquid hi omnes à Romana curia conducti, tanquam venales quidam gnatones ac adulatores, certo mentiendi, decipiendique ſtudio hæc omnia (quo offerrent autoritatem Romanæ Eccleſiæ) de ſuo capite confinxerunt? quid ille orthodoxus Hieronymus, mendacij alioqui hoſtis, & perſecutor acerrimus, à tam impudenti (vt hi dicerent) mendacio eccleſiaſticorum ſcriptorum auſpicatur exordium? Simon, inquit, Petrus, filius Ioannis, prouinciæ Galileæ vico Bethſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apoſtolorum, poſt epiſcopatum Antiocheuæ Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circuncisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia,, Bithynia, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum annum Neronis, id eſt, quartum decimum, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & pedibus eleuatis in ſublime, aſſerens ſe indignum, qui ſic crucifigeretur vt Dominus ſuus.

Quid illum etiam faſcinauit ſanctum, doctiſſimumq; Ambroſium, vt nodos in ſcirpo quæreret, & in ea veluti toti orbi nota hiſtoria, latentium quorundam myſteriorum rationem, fideli ſibi commiſſo populo, hoc eſt (vt iſti dicerent) nugas in fabulis, his verbis explicaret? Non enim, inquit, ſine cauſa factum putamus, quod vna die, vno in loco, ſub eodem perſecutore paſſi ſunt (de Petro & Paulo loquitur) vna die, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alter deeſſet Romæ: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor pro virtute. Et quo tandem loco martyrium pertulerunt? In Vrbe Roma, quæ caput, & principatum nationum obtinet: ſcilicet vt vbi caput ſupetſtitionum erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morarentur. Hactenus ille.

Euidentiſſime demonſtratur ſtupida ignorantia dd de Petro, & Rom. Eccl.

Audis itaque, quis ſit iſtorum omnium conſenſus, quæ concordia. In quibus totius ab initio Eccleſiæ ſenſum, facile adeſt intelligere ac perſpicere. Aduerſus quos, quem, vnum, vel obſcurum tu nobis profers autorem, qui tradat Petrum non fuiſſe Romæ, non geſſiſſe ibi epiſcopatum, nec coronatum ſub Nerone martyrio? Dicis Lucam te afferre, qui multorum, imo omnium illorum inſtar ſit, atque adeo præponderet. Meliora verba, quæſo. Ego ſane (quod de euangelio dixit Auguſtinus, eidem ſe non crediturum, niſi eccleſiæ ipſum coegiſſet authoritas) nec Lucæ crederem, ſi diſſentiret à prædictis omnibus, atque adeo à catholica Eccleſia. Sed abſit, vt ab illis omnibus diſſentiat Lucas, aut illa à Luca. Qui tameſi non ſcribat Petrum fuiſſe Romæ, non tamen negat: non magis quàm ipſum etiam fuiſſe Antiochiæ, cuius æque non meminit, etſi Paulus eius apud Antiochiam manſionis perhibeat teſtimonium: quemadmodum vniuerſa Chriſti Eccleſia, quæ ante annos 1300. & eo amplius, ad præſentem vſque diem, ſolennitatem cathedræ eius primo ibidem collocatæ anniuerſariam celebrat.

Et de tam multis, talibus, tantiſque patribus quid dices? Nunquid certo mentiendi ſtudio illa prodidiſſe de Petro, quo efferrent aut ſtabilirent Romani pontificis tyrannidem? Indignum ſane hoc viris talibus. An nunquid hæc ſcripſiſſe deceptos etiam à Romanæ curiæ palponibus? Et quæ, obſecro, erat eo ſeculo Romana curia, cui tales, tantique ſeruierunt palpones, qui tam multis, tam ſanctis, tam eruditis patribus, toti denique orbi potuerunt imponere, quando Romanus pontificatus nihil erat niſi labor immenſus, & certum martyrium? Aut quis hic fictioni locus aut mendacio? nempe in ſucceſſione ex ordine Epiſcoporum, in principe ac nobiliſſima totius orbis Eccleſia: quam, ſi quid aliud, diligentiſſime ſemper annotare conſueuerunt ſui temporis quique & certa fide tranſmittere ad poſteros. Eo præſertim tempore, quod non ita longe aberat ab initio, & cum adhuc ſupereſſent plerique, qui & Petrum, & omnem illam ab eo ſucceſſionem Epiſcoporum, quam memorabant illi, & certiſſimæ autoritatis loco obijciebant hæreticis, videre potuiſſent? Quid Petro, Nerone que ſuo illo tempore notius? quid Roma celebrius? Quid igitur incredibilius, quàm vt ſtatim poſt vtriuſque mortem, & viuentibus adhuc plurimis, qui vtrumque viderant, in Principe orbis Roma, de orbis & Apoſtolorum Principibus, tam impudens ſit receptum mendacium, quod Nero Petrum Romæ Cruci affigi iuſſerit, quem nec viderat Nero, nec Roma? Iactat Alexandria Marcum Petri diſcipulum, ſuum primum Epiſcopum.

Antio-

Digitized by Google

Antiochia Enodium, & Ignatium ſibi datos à Petro ac pro ſe ſubſtitutos veneratur ac prædicat, & ab eis ſuorum Epiſcoporum initium numerat. Hieroſolyma Iacobum agnoſcit fratrem domini, & ipſum ſibi datum à Petro totius orbis magiſtro. Et vna Romana Eccleſia, ad quam ſemper ex toto orbe reſpexerunt Chriſti fideles omnes, tam repente obliuiſci potuit ſui capitis, & principij? Non potuit ſuos ab initio numerare Epiſcopos, quando ſupra vnius hominis ætatem vix durauerat? Et quid illa continua ſucceſſione Epiſcoporum à Petro in Romana Eccleſia Auguſtinus fatetur ſe retentum in gremio Catholicæ Eccleſiæ? quid eadem ille ſacer Irenæus conuincit hæreticos, ſi adeo incerta, ſi adeo fallax, imo mendaciſſime conficta fuerit? Breuiter, plane impoſſibile eſt, vt non fuerit toti Eccleſiæ notiſsima, ſeu mors, ſeu vita, ſeu ſedes, aut Cathedra Petri, pro ſingulari eius in Eccleſia dignitate, & primatu, vbicunque tandem is moratus fuerit, & qualiſcunque fuit ab initio, celebritate per vniuerſam Eccleſiam maxima transmiſſa ad poſteros. Quod ſi non Romæ, ſed Hieroſolymæ, aut in Ægyptiaca Babylone Cayro, vt hi nunc ſomniant, ad vltimum vitæ præſedit, & paſſus ſit Petrus, cur nulla alia Eccleſia in hanc vſque horam venerandos exhibuit ſacratiſsimos eius cineres? Cur principalem illam autoritatem, & eccleſiaſticæ Hierarchiæ primatum, quem à Chriſto datum Petro ſupra demonſtrauimus, nulla alia Eccleſia velut ex ſucceſsione Petri ſibi vſurpare tentauit? Aut nunquid poſt Petrum nulla fuit Hierarchia Eccleſiaſtica? Nullus ordo in Chriſti Eccleſia? nemo ad quem ouilis dominici cura pertineret præcipua? An vero non multo magis hæc erant neceſſaria, quando in totum latiſsime orbem terrarum ſe diffudit Chriſtiana religio, quàm in illo exiguo adhuc, puſilloque grege primo naſcentis Eccleſiæ? & nunquid vltra Petrum ſuæ Eccleſiæ non prouidit Chriſtus, ſed eam continuo poſt illum, Babylonem quandam eſſe voluit, abſque vnitate, abſque Hierarchia, abſque Paſtore, & capite? Audis horum hominum quam ſit cæca impietas, quos excæcatos odio pluſquam diabolico, neſcio an in Romanam Eccleſiam (quemadmodum præ ſe ferunt) an potius in Chriſtianam religionem (aduerſus quam internitiale bellum gerunt) non pudet quiduis comminiſci, quiduis dicere, & aſſerere, quantumuis repugnans, & ſecum, & rei euidentiæ, aduerſus tot ſæculorum totius orbis conſenſum, & indubitatam fidem, tantorum, taliumque ſcriptorum autoritatem.

CAP. XIV.

Prædictorum calumnias breuiter diluere.

QVamnis certo confiderem, tametſi nihil diceremus amplius, dictorum cauillis, ac ratiunculis neminem bene affectum attenturum, qui modo legiſſet, quæ præmiſimus, neque vllo ex eiſdem ſcrupulo affectum iri: tamen vt breuiter illas ipſas diluamus calumnias, ſic fere ratiocinantur: Non meminit, inquiunt, Lucas in Actis Apoſtolicis aduentus Petri in Vrbem Romam, & cæteri ſcriptores quid de eo prodiderunt, non conſentiunt de tempore. Solet autem falſitatis argumentum eſſe diſcordia, vt eſt concordia veritatis. Hactenus illi. Tu nunc audi, quo pacto ex eiſdem principijs demonſtrabimus propoſitum. Si autorum de re quacunque conſenſus & concors traditio, veritatis indubium argumentum eſt, quo pacto non erit vero verius, Petrum fuiſſe primum Romanorum pontificem, & à Nerone vna cum Paulo Romæ glorioſo coronatum martyrio? Hoc enim ſcriptores omnes vno tanquam ore affirmant, hoc tot ſæculorum totius orbis tam pertinax conſenſus: tot publica ac vetuſtiſsima probant monumenta.

Quod vero dicunt diſcordare ſcriptores de anno, quo primum Romam profectus eſt, dicam primum mihi nondum contigiſſe videre eam diſcordiam, preſertim inter autores illos vetuſtos ac præcipuos. Siquidem Euſebius Cæſarienſis, temporum & rerum eccleſiaſticarum ſcriptor diligentiſsimus, ſecundo anno Claudij, dicit ipſum Profectum Romam, aduerſus Simonem magum. Idem ad verbum affirmat Diuus Hieronymus. Quibus conſentit Oroſius, tametſi hunc cum illis velint pugnantem facere. Non enim certum aliquem annum iſte tradit, ſed circa initium imperij Claudij ſcribit ipſum aduentaſſe Romam. Quod ſi vniuerſum eius Imperium (quod 14. circiter annos durauit) partiare in principium, medium & finem, certum eſt circa principium Imperij eiuſdem accidiſſe, quæ acciderunt anno eius ſecundo. Et certo ſcio huius notæ ſcriptorum neminem inuenturos, qui hac de re prodiderit aliter. Tametſi poſteriorum nonnulli ſua ingeſſerint ſomnia, quemadmodum *illi* commemorant, de neſcio quo faſciculo temporum, cui reſpondere prorſus indignum ſit.

Nõ diſcor. dare ſcriptores vetuſtos de tempore, quo Petrus Romã profectus eſt.

Bedam etiam non ignoro (tametſi in ſupputandis temporibus ſingulariter elaborauerit) longe lateque diſſentire ab Euſebio, Hieronymo, Oroſio, imo à publica, recepta, veraque ratione temporum, per annales hiſtoriographoſque annis Imperatorum ſibi ſuccedentium digeſta. In quem errorem incidiſſe mihi videtur, dum ex noſtris, quæ abſque temporum digeſtione ſcripta ſunt, ſuo quaſi Marte eruere conatur tempora, & ad illa, quæ ſibi inueniſſe videtur, publicam, receptam, indubitatamque apud omnes temporum fidem, non tam accommodare, * quàm mutare & corrigere, ſeu potius deprauare. Siquidem ex incerto & dubio rectificare conatur id, quod eſt longe certius; cum contra potius oporteat. Itaque quoniam Petrum poſt illud apoſtolorum, & Presbyterorum concilium, de quo Lucas in Actis meminit, Romam profectum exiſtimat, multa comminiſcitur, vt habeat annos ab illo 25. quibus Romanis Epiſcopus præfuit, plurimaque connectit abſurda, & non cohærentia, in 25. caput Actorum ſcribens in hæc verba: Scimus, inquit, Petrum & Paulum Apoſtolos, anno poſt paſſionem Domini trigeſimo octauo, id eſt, vltimo anno Neronis,

* Dari lego? tur de Yan. Bede.

Actor.

paſ-

paſſos fuiſſe martyrium, & B. Petrum Romæ 25. annis epiſcopalem rexiſſe cathedram 25. autem, & quatuordecim, non triginta octo, ſed triginta nouem faciunt. Sequitur ergo vt B. Petrum eodem decimo quarto poſt Domini paſſionem anno, quo eum Hieroſolymis alloquitur Paulus, hoc eſt quarto anno Claudij Romam veniſſe credamus. Simulque niſi fallor, ex hac poſitione beatum Paulum Apoſtolum, eodem quo Dominus paſſus eſt, & reſurrexit anno, ad fidem veniſſe probatur. Hæc ille.

In quibus primum noua confingit Imperatorum tempora, aduerſus omnium hiſtoriographorum, & annalium publicam receptamque fidem. Nam à Chriſti morte, & aſcenſione, hoc eſt, decimo octauo anno Tiberij, ad quartum decimum Neronis, annos triginta octo computat. Cum certum ſit non integros triginta ſeptem interueniſſe. Siquidem Tiberius imperauit annis viginti tribus, aut vt alij volũt viginti duobus tantum. Caius annis quatuor non integris. Claudius annis tredecim, menſibus nouem. Quibus ſi addas Neronis quatuordecim, non habebis 37. annos integros poſt 18. Tiberij, at 35. tantum cum aliquot menſibus, ſi (vt pleríque tradunt, & dubitat Euſebius) 22. tantum annis imperauit Tiberius.

Deinde, quod vult celebratum fuiſſe illud Apoſtolorum concilium circa initium 14. anni ab aſcenſione Domini, ita vt ille annus connumerari, & adſcribi poſſet epiſcopatui Petri in vrbe Roma, quo conſtent anni eius 25. vſque ad Neronis vltimum. Item, quod Paulus eodem anno, quo Dominus reſurrexit, ad fidem conuerſus fuerit, neque cum Luca conſonant, neque cum Paulinis epiſtolis. Nam ſi perpenderis vniuerſa, quæ Lucas accidiſſe ſcribit ab aſcenſione Chriſti ad Pauli vſque conuerſionem, & 8. capitibus prolixe commemorat, vix credibile alicui videbitur, omnia illa in primum, vnicumque annum incidere potuiſſe, ordo enim & ſeries eorum omnium erat non pauci temporis. Iamque longe, lateque propagatum Euangelium, & per Samariam & per Damaſcum, aliaſque vicinas ciuitates, iam diu ante conſtituta Hieroſolymis forma vitæ communis inter Chriſti fideles, iam deinde electi illi ſeptem diaconi, quibus committebatur eccleſiaſticarum etiam rerum diſpenſatio, iam lapidatus Stephanus, & excitata illa perſequutio Eccleſiæ, quæ omnia non fuerunt exigui temporis: & ſi darentur incidiſſe in primum illum annum, illud omnino dubitari non poterit, conuerſionem Pauli, quæ dicta omnia ſubſecuta eſt, ſaltem non niſi in finem anni illius potuiſſe incidere: ſi tamen (quod vix eſt credibile) in primum illum annum includi potuerit.

De tempore celebrati Hieroſolymis concilij Apoſtolici.

At poſt annos 3. à ſua conuerſione, idem ſcribit ſe veniſſe Hieroſolymam videre Petrum, & deinde poſt annos 14. iterum aſcendiſſe Hieroſolymam, cauſa quæſtionis illius: Num ex gentibus conuerſi ad Chriſtum eſſent onerandi legalibus, ob quam celebratum eſt memoratum concilium. Habes ergo ipſo teſte Paulo, inter conuerſionem eius, & celebratum illud concilium annos vt minimum 17. ſi 3. illos cum 14. coniunxeris. Quod ſi hic rurſus ſubterfugias, dicaſque 3. illos priores annos, à conuerſione Pauli, poſt quos venit videre Petrum, includi oportere in illis 14. poſt quos dicit ſe ſecundo aſcendiſſe Hieroſolymam. Quamuis hic verba Apoſtoli apertiſſime tibi reclamare videantur, ſaltem negari omnino non poteſt, concilium illud celebratum fuiſse aliquanto poſt annos 14. ab eius conuerſione. Siquidem ſuis Galatis fidem facturus, quod non ab homine, neque ex aliorum Apoſtolorum traditione, ſed per reuelationem acceperat quod eis prędicauerat Euangelium, breuiter commemorat, vbi & quæ illi fuerat à ſua conuerſione cum cæteris Apoſtolis conuerſatio, ſcribens in hæc verba: Notum vobis facio fratres euangelium, quod à me euangelizatum eſt, quia non ſecundum hominem eſt, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

Audiſtis enim conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo, &c. Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum, in me. vt euangelizarem illum in gentibus: continuo non acquieui carni & ſanguini, neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos apoſtolos, ſed ab ijs in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum, deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, &c. Vides, vt hos tres annos computet, vel à tempore quo ex Arabia Damaſcum reuerſus ſit, aut ſaltem non longius, quod à ſua conuerſione. Subiungit: Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ, &c. Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, &c. Quanquam itaque hos annos quatuordecim computare videatur poſt primum illum ſuum cum Petro congreſſum dicens, deinde, id eſt, poſt ea, poſt præmiſſa videlicet, hoc eſt, poſt profectionem in Arabiam, & reditum in Damaſcum, primumque congreſſum cum Petro, peragratamque Syriam & Ciliciam. Hoc enim indicat vocabulum deinde, hoc eſt, poſt ea, quæ præmiſſa fuerant annis quatuordecim. Vtcunque tamen hæc torſeris, violenterque ad tuum ſenſum traxeris, hoc omnino certum eſt, non poſſe eorum initium altius repeti quàm ab eius conuerſione, vnde numerare cœpit, quibus in locis, & quando, quantumue cum Apoſtolis conuerſatus fuerit, fuerunt ergo vt minimum tranſacti anni quatuordecim à ſua conuerſione, priuſquam ſecundo aſcenderet Hieroſolymam: fuit autem Pauli conuerſio poſt aſcenſionem Domini vt minimum vnius anni tempore. Quam ſi in primo anno includi volueris (ſi modo aliquam præcedentis hiſtoriæ rationem habueris) ſaltem non niſi in fine illius anni accidere potuiſſe confitebere. Quare inter aſcenſionem Domini, & illud apoſtolorum concilium, etiam hac ſupputationis ratione vt minimum annos 25. interueniſſe certum eſt. Inter quæ Beda ſolum tredecim annos computat.

Nam in principio 14. concilium illud celebratum fuiſse credit, adeo vt eundem annum epiſcopatui Petri in Romana Eccleſia connumeret. Quem tamen poſt illud concilium,

cilium, primo illuc profectum affirmat. Præterea, ſi conſideremus quod poſt illud concilium Paulus adhuc conuenerit Petrum Antiochiæ, quemadmodum ipſe teſtatur in epiſtola ad Galatas, quod tamen non acci-diſse continuo poſt illud concilium certum eſt, à quo cum Paulo, & Barnaba miſſi ſunt in Antiochiam Iudas, & Sylas, non Petrus. Si inſuper horum locorum, nempe Hieroſolymæ, Antiochiæ & vrbis Romæ diſtantiam cogitauerimus, quæ immenſa eſt. Si denique quod Petrus in illo ſuo cum Paulo congreſſu, non tanquam ex itinere curſim, raptimue Antiochenam ſalutarit Eccleſiam, ſed multum in eadem temporis commoratus fuerit, ita vt illuc ad eum ex Hieroſolymis, à ducentis circiter miliaribus, Iacobus quoſdam mitteret, tanquam ad illum, ad quem pertineret cura totius Eccleſiæ. Id quod idem Paulus atteſtatur, ſiquidem illorum cauſa, fuit ea, quam reprehendebat Petri ſimulatio, ſcandalum præbens conuerſis ex gentibus. Si poſtremo etiam hoc perpendamus, quod & apud alias Eccleſias, per quas illinc Romam profecturus erat, pro commiſſa ſibi omnium Eccleſiarum cura, atque omnium erga ipſum ſingulari deuotione ac reuerentia, moram haud exiguam neceſſario facere debuerit.

Si, inquam, hæc contuleris vniuerſa, vix vnquam crediturus es Petrum, eodem illo, quo Hieroſolymis celebratum fuit illud apoſtolorum concilium anno, Romam peruenire potuiſſe. Tamen vtcunque contraxeris hæc tempora omnia, neceſſario fateberis, ſatis ſuperque habuiſſe negocij, ſi in fine eius anni eo peruenire potuit. Qua ratione ac ſupputatione, ab aſcenſione Domini ad Petri aduentum in vrbem Romam, ſi eo poſt illud concilium primo profectus fuerit, 26. vt minimum anni inuenientur. Quibus ſi viginti quinque adiungas, quibus illic rexit epiſcopalem cathedram, prouenient anni 41. quibus vixiſſet poſt aſcenſionem Domini: à qua tamen 37. annos illum non ſuperuixiſſe certo comperies, ſi à 18. anno Tiberij, ad 14. Neronis, Imperatorum tempora diligenter ſupputaueris. His itaque rationibus ductus, Bedam in tempore aduentus Petri ad vrbem Romam, ab Euſebio, Hieronymo, cæteriſque diſſentientem, aberraſſe à veritate nihil dubitauerim: ſed aduentaſſe ipſum ad vrbem, vt illi tradunt, anno Claudij ſecundo.

Diſcordiam ſcriptorum in tempora non infirmare fidem rei geſtæ, quæ inter omnes conuenit.

Vt itaque daremus, non conueniſse inter omnes Scriptores de tempore, & anno, quo Petrus Romam primo venerit: attamen inter omnes conuenit, quod Romam venerit, quodque ibidem poſt geſtum annis plurimis Epiſcopatum ſub Nerone glorioſo ſit conſummatus martyrio.

Ita, & inter Scriptores vniuerſos non conuenit de tempore, quo aut natus, aut crucifixus eſt Saluator noſter. Siquidem Tertullianus aduerſus Iudæos aſserit natum fuiſse anno Auguſti 61. paſſum autem anno quintodecimo Tiberij, qui Lucæ nobiſque Chriſto fuit tricesimus, Tertulliano autem triceſimus primus. Idem ſenſiſse Appollinarim Hieropolitanum Epiſcopum diuus Hieronymus in Danielem autor eſt. Quibus conſentit Lactantius, cuius libro quarto diuinarum inſtitutionum hæc verba ſunt: Sub Imperio Tiberij Cæſaris, eius anno quintodecimo duobus geminis conſulibus ante diem decimum Calendarum Aprilium Iudæi Chriſtum cruci affixerunt. Ignatius vero in Epiſtola ad Trallianos triginta annos agentem Chriſtum baptizatū ſcribit à Ioanne, & tribus annis prædicaſse Euangelium. At triceſimus eius annus erat quintus decimus Tiberij, teſte Luca. Chryſoſtomus verò homilia decima ſuper Matthęū, poſt triginta annos tradit veniſse ad baptiſmum, legem veterem ſoluturum. Beda in exordio anni trigeſimi baptizatum, ſupputat cum Luca, & Ignatio, at poſt baptiſmum ſuperuixiſse aliquanto plus annis quatuor ita ſcribens ad verbum in ſuis temporibus: Habet enim ni fallor, Eccleſiæ fides dominum in carne paulo plus annis triginta tribus ſuperuixiſse.

Auguſtinus cum Ignatio conſentit pee omnia, nempe baptizatum Chriſtum exordio anni trigeſimi; & anno deinceps tertio paſſum. At libro de doctrina Chriſtiana, affirmat pleroſque credidiſse quadraginta ſex annos vixiſse Chriſtum in terris, iuxta numerum annorum, quibus ædificatum erat templum, quod dominici corporis volunt geſsiſſe imaginem, atque ita paſſum anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto. Vides igitur inter quales, quantoſque ſcriptores, quàm parum conueniat in temporibus, non qualiſcunque hiſtoriæ, ſed eius ex qua pendet ſumma religionis, fideique noſtræ, nempe natiuitatis, baptiſmi, paſsioniſque redemptoris noſtri. Numquid propterea natum, baptizatum, crucifixum pro nobis Chriſtum dubitabimus? Et quis tandem extricabit pugnam, quæ eſt in ſupputatione temporum ſacræ veteris teſtamenti hiſtoriæ, inter ſe variante 70. Interpretes, & Hebraica (vt ipſi volunt) veritas, in aliquot annorum centenarijs? Nunquam tamen propterea in dubium, aut quæſtionem reuocata fuit fides ſacræ illius hiſtoriæ. Quandoquidem hoc omnes facile intelligunt temporum, quemadmodum, & numerorum omnium annotationem, lubricam eſse admodum, in qua ſit lapſus facilimus ſi quidem vno inuerſo, aut tranſpoſito apiculo, errorem ſtatim exoriri immenſum, & qui ex præcedentibus, ſubſequentibuſque non ita facile reſtituitur, quam ſi in re ipſa eſset multorum verſuum. Quare nihil mirum eſt de remotiſsimis nobis temporibus parum conuenire inter ſcriptores. Quos tamen cum minime pugnarent ab initio, pugnantes frequenter fecit librariorum incuria.

Lubricam temporum, & numerorum annotationem.

Quod objiciunt Lucam non meminiſſe aduentus, actorumque Petri in vrbe. Similiter neque Paulum in Epiſtolis ſuis, ſeu quas Romæ, ſeu quas Romanis ſcripſit vllam mentionem feciſse Petri: eiuſmodi argumenta ſunt, quæ exploderentur à pueris in ſcholis dialecticis. Scribit Paulus in Epiſtola ad Galatas, vt ſtatim poſt conuerſionem ſuam abierit in Arabiam atque inde ſit reuerſus Damaſcum, & quod deinde poſt triennium profectus ſit Hieroſolymam cauſa viſendi Petri, apud quem manſerit diebus 15. & quod rurſum illum conuenerit Antiochiæ, atque in faciem eidem reſtiterit. At horum

Expunguntur aduerſariorum calumniæ.

omnium

Google

omnium nullum eſt omnino verbum apud Lucam, tametſi Pauli acta ita proſequatur, vt eius ſolius cauſa magis, quam actorum reliquorum Apoſtolorum videatur texuiſse illam hiſtoriam. Vides ergo quale illud ſit: Lucas non meminit actorum Petri in Vrbe, ergo ibi non fuit. Multæ etiam cauſæ incidere potuerunt, cur Paulus ſcribens Romanis, aut è Roma, non meminerit Petri. Nam aberat tunc forte alio orbis loco, tanquam totius Eccleſiæ curam gerens, cum ad Romanos ſcriberet. Inde vero ſcribens, quod eius, quamuis fortaſsis vna præſentis, non meminerit in ſalutationibus familiaribus, honoris gratia forte factum eſt, Quandoquidem in eiuſmodi ſalutationibus familiaribus, familiarum tantum noſtrorum meminiſse ſolemus, non etiam præpoſitorum noſtrorum, aut principium. Quæcunque vero illi eius cauſa fuerit, ob capraeas perſuaſiunculas eiuſmodi, quæ nihil efficaciter concludant, omnium ſcriptorum Eccleſiaſticorum ab initio, omnium ſanctorum patrum auctoritatem, totius orbis conſenſum, vetuſtiſsima ac celeberrima acta rei monumenta impugnare, & conuellere, euidentis mihi inſaniæ videtur.

Ad illud vero, quod dicitur Petrus interfuiſse illi Apoſtolorum concilio celebrato Hieroſolymis, poſt quod non ſuperſunt anni vigeſimiquinti ad decimum quartum vſque Neronis, videtur ſanctæ memoriæ Reuerendiſſimo Domino Ioanni Roffenſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, qui non ita nuper pro ſynceritate orthodoxę fidei glorioſo conſummatus martyrio, prædictorum etiam calumnijs reſponderat vna cum Beda, celebratum fuiſse illud concilium principio anni 14. ab Aſcenſione Domini, poſt quod ad Neronis 14. adhuc 25. annos ſupereſse cõputat. Atque ita nihilo minus conſtare ſibi exiſtimat omnia, quamuis poſt illud Concilium ſe Petrus primum Romam contulerit. Sed nobis cur minime probetur illa Bedæ ſententia, paulo ante indicauimus, multa enim parum conſona, imo manifeſte falſa, & pugnantia in ſe complectitur.

Quare dicimus cum Cæſarienſi Euſebio, & diuo Hieronymo, Petrum veniſſe Romam anno II. Claudij, hoc eſt, poſt Chriſti Aſcenſionem 11. Concilium autem illud celebratum circa 9. annum Claudij, qui poſt Aſcenſionem Domini 18. extitit, quemadmodum ex Luca & Paulinis Epiſtolis ſupputat Hieronymus. Nam inter Aſcenſionem Domini, & Pauli conuerſionem, vt minimum annus vnus interfuit, poſtquam triennio aſcendit Hieroſolymā videre Petrum, & poſtea poſt annos 14. ſecundo illuc aſcendit ad illud Concilium. Nihil autem neque pugnans, neque abſurdum eſt, quod Petrus illi Concilio interfuerit, & nihilominus iam ante ſeptennium, hoc eſt, II. anno Claudij Romam venerat. Imo conſonum, tam Lucæ, quam prophanis hiſtorijs. Suetonius ſiquidem in Claudio autor eſt, Iudæos circa ea tempora, aut paulo ante, quam illud concilium celebratum diximus, principis edicto vrbe expulſos. Quod idem confirmat Lucas Acto 18. Poſt hæc, inquit. Paulus digreſſus Athenis, venit Corinthum, nactus quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius, eo, quod præcepiſſet Claudius, omnes Iudæos Roma decedere, &c. Quid igitur mirum eſt, aut quo non pacto veriſimilimum, & huic narrationi conſonum, etiam Petrum (qui iam annis 6. aut 7. præfuerat Romanæ Eccleſiæ) edicto principali obtemperantem (quandoquidem non religionis, aut Chriſtianę fidei, ſed gentis nationiſque peculiaris erat ea perſecutio, eiuſque adhuc vita Eccleſiæ eſſet omnino neceſſaria) vna cum cæteris Iudæis deceſſiſſe Roma demandata eius Eccleſiæ cura Lino, & Cleto presbyteris, quos in partem paſtoralis ſollicitudinis iamdudū aſſumpſerat, & reuerſum ad ſuos Hieroſolymam, videre quid profeciſſent in fide Chriſti? Quem alioqui exiſtimandum non eſt, ita perpetuis 25. annis deſediſſe Romæ, vt vrbis portas egreſſus nunquam fuerit ad alios quoque inſtruendos, & confirmandos in fide, qui non vnius Romæ, ſed totius Dominici ouilis paſtorem conſtitutum ſe meminerat à Chriſto: quemadmodum, & de ſuo Paulo, vt fere in perpetua peregrinatione vitam exegerit, teſtatur Lucas. Concludendum itaque nobis eſt, Romanam Eccleſiam, totius orbis conſenſu, & catholicæ ab initio Eccleſiæ confeſſione, ac recognitione eſſe indubitatam Cathedram Petri, & Romanos Pontifices Petri in primatu Eccleſia Sticæ Hierarchiæ, illaque regiminie Eccleſiaſtici principali autoritate ſucceſſores.

Suetonius.

Conclusio.

FINIS LIBRI TERTII.

ALBERTI PIGHIJ

HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ,

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Quam diſtrictam ſubditi obedientiam debeant in Eccleſiaſtica Hierarchia ſibi præpoſitis.

HActenus demonſtrauimus, vt ſacri ordinis vinculo, in vnum corpus connecti neceſſario debuerit Chriſti Eccleſia, ex infinita alioqui toto orbe diffuſa multitudine, omni gente, lingua, natione, & populo congregata, regiq; & gubernari ſua illa Hierarchia, aut ſacro principatu. Cuius caput Petrum deſignatum à Chriſto euidenter etiã demonſtrauimus. A quo vna cum cæteris Apoſtolis autore nihilo minus Chriſto, doctoque ſacro ſpiritu conſtituta ſit reliqua ſub ipſo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ facies, Epiſcopis, Archiepiſcopis, primatibuſque per loca opportuna ita diſpoſitis, vt ad vnum caput, vnam Petri Cathedram, eiuſque præſidem Catholicæ Eccleſiæ Pontificem totius quoque Eccleſiæ cura ordinatiſſime, decentiſſimeque referretur atque confluerer. Demonſtrauimus inſuper Romanam Eccleſiam eſse illam Cathedram Petri, in qua ille Eccleſiaſticæ Hierarchiæ primatus, illaque Eccleſiaſtici regiminis ſupereminens autoritas, & poteſtas alligandi atque ſoluendi ſuper Eccleſiam vniuerſam poſt Petrum perpetuo reſideret. Eiuſq; Pontifices, veluti Catholicæ etiam Eccleſiæ Epiſcopos, in eandem per omnia autoritatem, quaſi hæreditario quodam iure Petro ſuccedere. Simul clariſsime diluentes vniuerſas calumnias, quibus Hierarchiam Eccleſiaſticam impugnare conantur hæretici, atque adeo ex Chriſti Eccleſia per ſuum illum Architectum ad inſtar illius Ciuitatis Hieruſalem diligentiſsime conſtructa, decentiſsimeque ordinata, Babilonem quandam facere: & quod eſt neceſsario conſequens, omnem religionem tollere e mentibus hominum. Quæ tamen vniuerſa etiam ex ijs, quæ deinceps demonſtrabimus, euidentiſsime confirmabuntur.

Reſtat nunc tractare aliquanto exactius de ipſa poteſtate, & auctoritate Eccleſiaſtica, quæ, qualis, quantaque erat neceſſaria Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidi. Quod quum inuieniſſe videbimur reſpiciendum erit ad vmbram & figuram illam noſtræ Eccleſiæ, ſynagogam veterem. In qua ſi etiam hoc ipſum diligenter conſtitutum, ordinatumque à ſuo illo legislatore inuenerimus, & nobis confidendum erit, neque Chriſtum ea in re, ſuæ defuiſſe Eccleſiæ: ſed tanto hoc in ea conſtituiſſe diligentius, & accuratius, quanto idipſum huic, quam illi erat magis neceſſarium, quantoque ipſam ſolidam veritatem ſuam vmbram in omnibus par eſt excedere. Conandumque deinceps ex duobus illis, quæ ante conſtituimus, omnis noſtræ diſputationis certis principijs idem inueſtigare, aſſerere, demonſtrare atque euidens facere.

Quod tamen priuſquam aggrediamur, ante demonſtrandum erit, quam diſtrictã obedientiam debeamus, in Eccleſiaſtica Hierarchia nobis præpoſitis. Id quod hoc pacto fiet euidentius, ſi aliquanto ordientes altius, ad ipſas humanorum conuentum, & ſocietatem varias ſpecies in vniuerſum reſpexerimus. Vt enim abſque ordine nulla ſubſiſtit humana ſocietas, nec ordo ſine principio, & capite: Ita cuique ſocietati ſuus ordo, & cuique ordini ſuum principium erat neceſſarium: vt in domo priuata paterfamilias. In ciuitate conſules, Pretores, Magiſtratus ſummi, quocunque tandem nomine illi nominentur. In dominijs, Prouincijs, regnis, barones, comites, duces, reges, Imperatores. In voluntarijs hominum conuentibus, ſui patres, ſui abbates, & præpoſiti: Ita quoque, & in Catholica Chriſti Eccleſia Summus Pontifex, ſub quo per prouincias primates, Archiepiſcopi, deinde Epiſcopi per ſingulas diœceſes, & ſub eis ſingularum plebium presbyteri. Neq; enim niſi diligenti membrorum omnium connexione hoc tam immenſum corpus in vnum cohærere continerique potuit. Vt autem ſocietatum hæc ſunt diſtincta genera atque inter ſe differentia, ita alia in eis, aliaque præſidentium autoritas: tam cuique ſua, cui inferiores omnes, quiſque in ſuo ordine, obedire tenentur.

Quã diſtrictã obediẽtiam debeamus in Eccleſiaſtica Hierarchia nobis præpoſitis.

Hoc enim ipſa dictat recta ratio, atque adeo lex naturæ inſcripta humanis cordibus, hoc ipſum, confirmant diuinæ ſacræque literæ. Non ſunt audiendi quidam Satanæ Apoſtoli, ſed vitandi veluti humani generis certa peſtis, certum exitium, qui omnem humanam ſocietatem, omnem ordinem euertere conantur, & ſubditos committere aduerſus ſuperiores ſuos, eiſque pro obedientia debita rebellionem perſuadere, docentes humanorum præceptorum tranſgreſſores haud quaquam peccare coram Deo, ſed legales tantum (ſi quæ ſtatutæ ſunt) pœnas incurrere, quaſi nõ debeat obedientiam homo homini, ſed ſoli Deo. Qua doctrina non video quid eſse poſsit perniciosius, quid denique falſius, quum ipſa

(vt

(vt dixi) euidentiſſima naturæ lex, rectaque ratio dictet, in ſuo quemque ordine ſuperioribus ſuis obedientiam debere: eadem, inquam, quæ hos ordines inter homines conciliauit, & conſtituit. Hoc enim neceſſario habet omnis ordo, vt præſit, & vt ſubſit aliquid. Quum autem quemque in ſuo ordine, in quo a Deo conſtitutus eſt, impoſitam ſibi perſonam recte peragere oporteat, euidens eſt, ſuperioribus ſubditos obedientiam debere, ſine qua, & omnis ordo, & omnis humana diſſoluetur ſocietas, atque adeo nec humana ipſa vita ſubſiſtet.

Quid enim, ſi homo ex diuina lege non debet obedientiam homini, toties diuina clamat ſcriptura: Filij, obedite parentibus veſtris, & ſubiacete eis? Quid rurſus? Serui, obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Ieſu Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, non homini-
Ephe. 6. bus. Hæc Apoſtoli ipſius verba ſunt. In qui-
Coloſ. 3. bus audis, vt Dei voluntas ſit, & præceptum, ſeruos dominis obedire, vt ſeruire illos doceat Apoſtolus, non ad oculum, aut pœnæ tantum timore, ſed ex animo, quaſi Deo, non hominibus, qui hanc illis perſonam impoſuit Ita, & publicis poteſtatibus, magiſtratibuſq; tametſi ab infidelibus gererentur (quando in eo loco atque ordine conſtituti eſſemus à domino) obediendum vbique clamant, admo-
Rom. 13. nent, inculcantque Apoſtolicę literæ. Omnis anima, inquit Paulus, ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, &c. Ideoque, & neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Audis itaque non ſolum propter ciuilem in tranſgreſſores pœnam: ſed etiam propter conſcientiam, magiſtratibus, ac publicis poteſtatibus ſubditos nos eſſe oportere.

1. Petr. 2. Petrus autem vno verbo complexus vniuerſa: Subditi, inquit, eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Omni humanæ creaturæ inquit, cui videlicet nos ſubiecit, ſeu ipſa naſcendi ſors noſtra, ſeu rerum publicarum ſtatus, & conditio, ſeu ipſa noſtra voluntas, neque æque hic dominos ſuis ſeruis ſubeſſe præcepit, nec reges aut magiſtratus vnicuilibet e populo, ſed contra, quid intelligat, continue explicat. Siue regi, inquit, tanquam præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, &c. Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, ſed etiam diſcolis, &c. Similiter, & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis. Vides quo pacto in omni ordine obedientiam quiſque, & ſubiectionem debeat, non ſoli Deo, ſed, & omni humanæ creaturæ, cui nos ſubdidit, ſeu voluntas propria, vt viris ſuis mulieres, ſeu quæcunque noſtra, ſeu publica, ſeu priuata condicio. Publica nos magiſtratibus, priuata, ſeruos Dominis. Nunquid igitur non graphice deſcripſiſſe illos tibi videtur idem Petrus, qui velamen facientes malitiæ Chriſtianam libertatem, nullis ſuperiorũ præceptis nos adſtringi volunt, quando nos admonet, & fuiſſe pſeudopropheras in populo, & futuros etiam in nobis magiſtros mendaces, qui introducturi eſſent ſectas perditionis, ſeducturique plurimos. Sed nouit, inquit, Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij ſeruare cruciandos: magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immundiciæ ambulant, dominationemque contemnentes, nempe inter iniquos, quos Deus cruciandos ſeruat in diem iudicij. Qui vt gradibus quibuſdam iniqui ſunt, & vnus magis præ alio: ita inter hos principem iſtos locum habere Apoſtolus indicat: Magis, inquit, eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt. Duo hæc non ſine cauſa coniungit Apoſtolus, quandoquidem hæc fere omnibus cauſa eſt contemptus ſuperioris authoritatis, proprijs cupiditatibus indulgere, quibus non patiuntur ſibi fręna imponi a ſuis, quibus obedire tenentur, præpoſitis, & ſuperioribus, ſed ſibi ſternunt cubile, in quo molliter cubent in peccatis, & concupiſcentijs ſuis, Chriſtianam libertatem.

Quod ſi in humanis ſocietatibus, quas propter humaniorem conuictum, atque operæ mutuæ indigentiam, neceſſitudinemque ipſi inter ſe mortales contraxerunt, aut in quas nos quomodocumque coniecit, ſeu publica, ſeu priuata ſors noſtra, & conditio ſuã quemque ſtationem tam diligenter ſeruare, & recta nos doceat ratio, & naturæ ſimul lex, diuinęque ſcripturæ præcipiant: quid in Eccleſia Chriſtiana, eiuſque hierarchia nobis faciendum eſt, quam non ipſi inter ſe homines humani conuictus gratia, ſed fidei religioniſque inter nos conſeruandæ, imo æternæ vitæ, ſalutiſque animarum noſtrarum, ipſe Dei filius Chriſtus inſtituit? & qua obſecro cura? quo ſtudio? quo labore? ſuo videlicet precioſo ſanguine, acerbiſſima denique, & ignominioſiſſima morte, glorioſam ſibi Eccleſiam faciens: ſibi regnum in quo dominaretur, comparans. Chriſti enim hoc regnum eſt, non Romanorum, non Macedonum.

Ex comparatione demonſtratur, quam arctã obediẽtiam debeamus in Eccleſiaſtica hierarchia nobis prępoſitis.

Chriſtiana hæc eſt, Chriſti, inquam, ipſius hæc eſt Eccleſia, in quam redemptos nos ſuo ipſius ſanguine, e Pharaonis duriſſima ſeruitute; ex infinita miſericordia ſua conuocauit. In hac igitur Eccleſia Chriſtiana, in hac, inquam, Domo Dei viuentis, Quanto timore, tremoreque nobis conuerſandum eſt? Quanto ſtudio, quanta ſollicitudine ſuam quemque ſtationem, in qua conſtitutus eſt à Chriſto, obſeruare conueniet? Si ſeruos carnalibus dominis obedire cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto, doceat Apoſtolus: qualem tandem, quam humilem, quam ſollicitam obedientiam noſtris, quos in illo ſuo regno, in ſua Eccleſia Chriſtus præfecit, præpoſitis nos debebimus? Si prophanis magiſtratibus, publiciſque poteſtatibus etiam infidelibus, quas humanæ leges, ciuileſque reſpublicę quieti inter homines conuictus gratia conſtituerunt, ipſa lex Dei, & naturæ nobis diligenter ſubeſſe præcipit: quid ſacroſanctis magiſtratibus, quos æternæ ſalutis animarum noſtrarum cauſa, in ſua Eccleſia conſtituit ipſe Dei filius? Si parentibus

carna-

Digitized by Google

carnalibus tam diligenter debent ſubeſſe filij; quantopere nos Epiſcopis noſtris, quos patres nobis ipſe Chriſtus, author, vitæ noſtræ, & ſalutis, conſtituit? Si reges humanæque politiæ principes omni nos honore oportet proſequi, ipſum igitur Chriſtianæ Eccleſiæ Principem, Romanum Pontificem, quem ipſe pro ſe nobis Chriſtus Vicarium in hoc ſuo Regno conſtituit, quo non proſequemur honoris genere? Quæ tametſi non demonſtraremus aliter, nunquid vlli poſſent eſſe dubia? Audi tamen ipſum legiſlatorem noſtrum, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ authorem Chriſtum, quo pacto ad ſuum id contemptum pertinere arbitratur, cum ordines, magiſtratuſque in Eccleſia ab ipſo conſtitutos contemnimus. Ita enim loquitur ad Apoſtolos, atque eos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt Epiſcopos: quis vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.

Qui vos, inquit, ſpernit, me ſpernit. Vides ad cuius contemptum pertineat, cum mortalem hominem contemnimus Epiſcopum? Quid ergo, ſi Epiſcoporum omnium Principem? Scriptum eſt in lege Moyſis: Si quis ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Si ergo in vmbra illa noſtræ Eccleſiæ, Synagoga veteri tanta erat dignitas, tam ſacroſancta authoritas eius, qui præſidebat vmbratico illi tabernaculo, vt ſub horribili mortis pœna præceptum fuerit abſque vlla contradictione illi obedire per omnia: nunquid ex comparatione non facile intelligimus, quanta ſit dignitas Catholicæ Eccleſiæ Chriſti præſidis? quam diſtricta illi à nobis debeatur obedientia.

Scribit ad Magneſianos ille glorioſus Chriſti martyr, & Pontifex Ignatius: Dignum eſt, inquit, vos obedire Epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere: terribile enim eſt tali contradicere, non enim iſtum viſibilem quis ſpernit, ſed inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni. Hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionem. Dicit enim Dominus Samueli de contemptoribus eius: Non te ſpreuerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Nam, & Moyſes populo aduerſum ſe murmuranti dicit: Non aduerſum me murmuraſtis, ſed aduerſus Dominum Deum. Nec quiſquam inultus remanſit, qui ſe aduerſus potiores extulit. Siquidem & Dathan, & Abiron Moyſi reſiſtentes viui deſcenderunt ad inferos. Sed & Chore, & qui conſpirauerant cum eo aduerſus Aaron ducenti quinquaginta viri cœleſti igne conſumpti ſunt. Orizas quoque factus eſt leproſus, qui contra Sacerdotes Sacerdotium ſibi auſus eſt arrogare. Saul etiam ſacrificare præſumens, regali dignitate dehonoratus eſt, quod non expectauerit Principem Sacerdotum Samuel &c.

Hæc ille Ignatius, quem ipſe beatiſſimus Petrus poſt ſe Antiochenæ præfecit Eccleſiæ. Quis igitur non horreat Chriſtianus animus, quis ferat ter execrandi illius Lutheri, & ſuorum, pluſquam diabolicam maledicentiam, & impietatem, qui ipſum Chriſtianæ Eccleſiæ principem, & qui Chriſti in hoc eius regno præcipuum inter nos agit vicarium, atque adeo ipſum in eo Chriſtum in faciem cædunt, tot execrandis, intolerandiſque maledictis, probris, contumelijs inceſſunt, lacerant, vt non credam ipſum per ſe Satanam vnquam auſurum, quod pro ludo, & ioco agunt hæc eius mancipia? Si mortis reus erat, qui in illa vmbra noſtræ Eccleſiæ recuſabat obedire ſummi illius, vmbratici licet, Sacerdotis imperio, qui pro tempore miniſtrabat Domino, quo non ſupplicio, quot non mortibus dignos iudicabimus, qui ipſius Catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſummo Sacerdoti, ac Pontifici, contumaciſſime reſiſtunt, contumelioſiſſime reclamant, & ſubditorum aduerſus ipſum ſeditiones concitant?

Dathan, & Abiron, quod murmurarent aduerſus Moyſen, eiuſque præceptis obedire contemnerent, dicit ſcriptura blaſphemaſſe contra Dominum, quos, & in teſtimonium eius blaſphemiæ deglutiuit terra, viuoſque demiſit ad inferos. Quo igitur loco horum ſtatuemus blaſphemias? quod his dignum quiſquam excogitabit ſupplicium? Mirum ſane, vel ſolo hoc nomine, non ſtatim hos agnoſci à Chriſtianis omnibus, non intelligi, quis per hos loquatur ſpiritus, non ſtatim explodi atque abijci, tanquam certo infectum veneno, & toxico, quicquid ſub horum nomine circumfertur, aut prodit in publicum, vt quos conſtat Chriſtianæ Eccleſiæ eſſe hoſtes iuratiſſimos, atque omnium infenſiſſimos.

Sed moribus, inquiunt præſidentium, vitaque offendimur. Neque enim Chriſtum aut Petrum, ſed Annam potius, & Caipham referunt. Et tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, & Domino ſuo cadit. Tu autem ouis es (inquit ille ſanctiſſimus Cyprianus) noli diſcutere paſtorem, ne eius quoque criminis reus tenearis, noli te iudicem Dei conſtituere, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, & per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: qui vos audit, me audit: & qui me audit, audit eum qui miſit me. Vnde enim hæreſes, & ſchiſmata oborta ſunt, & oriuntur, niſi dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo Dei dignatione honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? Hæc ille glorioſus martyr, & Pontifex, a quo vide quantum tu diſſentias.

Si mali tibi videantur præpoſiti, tu forte peior es. Forte tua culpa mali ſunt, ſiquidem propter peccata populi regnare fecit hominem hypocritam, & Principes ſanctos contaminat. Ita cum addidiſſet furor Domini iraſci contra Iſraelem, commouit Dauid, vt numeraret Iudam, & Iſrael. Nos ergo ipſos iudicemus potius, accuſemus propria peccata, quibus iratus Dominus labi permittit paſtores noſtros, & adhærere facit linguam palato eorum, vt ſint muti neſcientes loqui, mandatque nubibus, pluant ſuper nos imbrem, quia nos ſumus domus exaſperans. Interim tamen ſcis, quid præceperit Chriſtus: Super Cathedram, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum

Iob. 34.

Eſaiæ 43.

Aeque malis præpoſitis obediendum.

opera

opera vero eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Audis hic, quid præcipiat nobis legiſlator noſter. Certe homines ſumus tam præpoſiti, quam ſubditi, ex hominibus Eccleſiam ſuam congregauit conſtituitque Chriſtus. Adhuc grauamur corpore mortis huius, & ſub hoc pondere ingemiſcimus, labimur, ſurgimus, manibus pedibuſque reptamus, etiam qui primitias inter nos ſpiritus acceperunt.

Et nunquid malo patri, ſi nihil male præcipiat, non debet obedire filius? nunquid non diſcolis etiam dominis ſerui? nunquid non Chriſtiani infidelibus etiam, ſi ita fors tulerit, magiſtratibus? nunquid ſancti erant omnes illius veteris tabernaculi Pontifices, quibus ſub mortis pœna obedire lex præcipit? Nunquid non erat inter illos Iudas ille proditor, quibus dixit Dominus: quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo aut ciuitate excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tollerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorræorum in die iudicij, quam illi ciuitati. Iam, & hoc quid tibi videtur, quod ipſe Apoſtolorum omnium, & totius Eccleſiæ Princeps Petrus, poſt ſuſceptum eccleſiaſticæ hierarchiæ primatum, poſt acceptas claues Regni Cœlorum, poteſtatemque illam terrificam ligandi ſoluendique, & in terris, & in cœlis, ter ſuum abnegarit Dominum? Num tibi ſine cauſa hoc permiſiſſe videtur Chriſtus? Mihi ſane ad eruditionem omnium noſtrorum ita factum videtur, vt diſceremus ferre compatique inuicem, & vt obſtruerentur iſtorum ora loquentium iniqua. Et cur non potius cum illo Origene, & ſentimus, & dicimus? Quid loquar, inquit, de parentibus, & filijs; Si Ieſus Dei Filius ſubijcitur Ioſeph, & Mariæ: ego non ſubijciar Epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? non ſubijciar presbytero, qui mihi Dei dignatione præpoſitus eſt? Videat ergo vnuſquiſque quod ſæpe melioribus præpoſitus eſt inferior, & non nunquam accidit, vt ille qui ſubiectus eſt, melior ſit eo, qui præpoſitus eſſe videtur. Quod cum intellexerit dignitate ſublimior, non eleuabitur ſuperbia ex eo, quod maior eſt, ſed ſciat ita ſibi meliorem eſſe ſubiectum, quemadmodum Ieſus ſubiectus eſt Ioſeph. Hæc ille Origenes. Et hactenus quidem, quam diſtrictam obedientiam debeamus præpoſitis noſtris in hierarchia eccleſiaſtica.

CAP. II.

Qualem quantamque authoritatem conueniebat habere Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidem, ex ipſa ratione eccleſiaſticæ ſocietatis inueſtigare.

QVam diſtrictam obedientiam debeamus his, qui in eccleſiaſtica nobis Hierarchia ſunt præpoſiti, ex eo fecimus euidentius, quod, & in alijs humanis ſocietatibus atque conuentibus, quos humani conuictus gratia excogitauit ratio, & neceſſitas, neceſſario vnus præeſſet alteri, atque vnus alteri obedientiam deberet. Idque clamante tam iure naturali inſcripto humanis cordibus, quam diuinis apoſtolicisque litteris. Etenim in omni humana ſocietate ſuus ordo neceſſarius, in omni ordine ſuum caput, cui reliqui (quiſque in ſuo ordine, & gradu) ſubeſſe obedireque tenerentur. Sed cum ſint varia humanarum ſocietatum genera, vt ſua cuique eſt forma propria, ſuus ordo, & proprium ſuum cuique ordini caput, ac principium: ita ſua in vnaquaque præſidenti erat neceſſaria authoritas, non eadem omnibus, ſed tamen cuique ſua: quæ ſimili ratione inter ſe differunt, qua ipſe inter ſe ſocietates. Alia eſt enim domus, alia ciuitatis, alia regni, alia exercitus militiæque, alia vero Eccleſiæ forma ac ſpecies. Domus partes ſumus, quatenus patres, matres, filijue familias, famuli, ancillæ, ſerui. Quos ea ratio in vnum conciliat, vt in vna domo, eiſdemque parietibus, & tectis inter ſe conuiuant commodius.

Ad quem finem quæcunque recta præſcribit dictaque ratio, ad patrisfamilias authoritatem pertinent. In quibus reliquos eiuſdem familiæ omnes, in ſuo quemque gradu, ac ordine illi obedire oportet, nempe ſi vxori præcipiat, quæ vxorem non dedeceant, ſi filijs, ſi famulis, ſi ſeruis, omnes dicto eius audientes eſſe conuenit, & naturali diuinaque lege, quemadmodum demonſtrauimus, adſtringuntur. Secus vero, ſi omnino iniqua præciperet, aut etiam ſi ſuæ authoritatis limites plane excederet. Iniqua præcipere intelligendus eſt, non ſolum cum ſuperioribus, quibus, & ipſe ſubeſt, poteſtatibus contraria præcipit, hoc eſt, Deo, Eccleſiæ, & quibus ſubijcitur ciuilibus magiſtratibus: ſed etiam ſi ordinis perſonarumque rationem non obſeruat: vt ſi vxori præcipiat quæ ſeruorum ſunt, ſi ſeruis, quæ aut non ferrent vires, aut ab humana abhorrent conditione. Omnino autem limites ſuæ authoritatis tranſgreditur, ſi quid iubeat, quod plane ſit præter rationem domeſticam. nec refert, malum id ſit, an non ſit, neque quod ab alia poteſtate, aut alio ſuperiori idem imperatum teneremur exequi, nec denique, quod etiam de ſe bonum ſit id, quod præcipitur. Vt ſi filio præcipiat pater vim huic aut illi inferre, armis congredi, ferire, cædere, quæ imperatore in acie præcipiente teneretur exequi, non debet iubente patre, & huiuſmodi. Rurſus, ſi vxori familiæque, aut ieiunia, aut eiuſmodi opera pœnitentiæ præſcribat præter ea, ad quæ lege Dei, aut Eccleſiæ adſtringuntur, quamuis de ſe bona ſint, præcipienti tamen patrisfamilias obedientiam non debent. Hæc enim ad Sacerdotes, & Epiſcopos pertinent.

Quãdo præſides in quacunque ſocietate intelligendus eſt iniqua præcipere.

Huiuſmodi itaq; qualia ſint, in ſingulis humanis ſocietatibus, & quid in vnoquoque ordine noſtris debeamus ſuperioribus, neque enim idem omnibus, ipſam formam ſpeciemque ſocietatis, in qua ſuperiores ſunt, æſtimanti ſecundum hoc exemplum, non eſt difficile diiudicare, quando rationis regulam non obliquat deprauatus affectus. Suam autem cuique formam ac ſpeciem ſocietati præſcribit finis, ob quem ipſa contracta eſt ſocietas. Qui quidem finis eſt, & regula, & ſcopus, in quem perpetuo reſpicere debet præſidentis au-

thori-

thoritas, adeo vt quicquid, non dico illum ſcopum non attigerit (id enim in omnibus eſt difficilimum, ne dicam, mortalibus impoſſibile) ſed quicquid manifeſte præter illum ſcopum eſt, multo magis ſi ab eo abducat etiam, manifeſtum eſt ad eam authoritatem non pertinere, nec eidem præcipiendi obedientiam in eo deberi.

Quod ſi hic percontari me pergas: quandoquidem in omni ſocietate humana, ſuperiori, qua gubernatur, authoritati in his, quæ ad finem ſuæ, cui præeſt, ſocietatis pertinent, iuſte riteque præcipienti ex lege diuina, & naturæ obedientiam debere omnes ſubditos iam nunc contendimus: an ergo omnis in his inobedientia, & præuaricatio mortale peccatum ſit? Quod videtur conſequi, præſertim cum eam non excuſat, aut ignorantia, aut ſubreptio: cum ſcienter volenterque mandata Dei, & naturæ transgredi mortale peccatum videatur. Quod ſi ſit inter tot tam varios ſuperiores, tot leges humanas, eccleſiaſticas, ciuiles, œconomicas, tot ſtatuta, tot præcepta, quæ nam eſſe poſſet ſalus hominis?

Tametſi hæc quæſtio (vt poſt intelliges) plus habeat in ſucceſſu, quod vt pertractatione exquiſita dignum eſt, ita eſt alterius, & loci, & negocij: breuiter tamen eidem reſpondentes dicimus, neque omnem, neque nullam inobedientiam, & præuaricationem eiuſmodi mortale peccatum eſſe. Quare, & methodo, qua hæc diſcernantur, opus nos habere. In primis hoc plane certum eſt, non omnem præuaricationem legis diuinæ, & naturalis eſſe mortale peccatum, etiam ſi nec ignorantia, nec ſubreptione excuſetur. Perhibet enim lex Dei, & naturæ in vniuerſum omne mendacium: tamen iocoſum, & multo magis officioſum, quo nemo læditur, imo quo & iuuatur aliquis, nemo inter dilecta mortalia connumerat. Similiter præſcribit nobis lex naturæ, & diuina, in cibo, & potu obſeruare medium, ac regulam temperantiæ, quæ in eo conſiſtit, vt tantum, & non vltra ſumatur, quantum exigit neceſſitas, aut vtilitas corporis: cuius tranſgreſſio, gula videlicet, etiam inter capitalia ſeptem connumeratur peccata. Attamen frequenter, ne dicam pene quotidie, tranſgredimur illam regulam ſatis notabili magnoque exceſſu, dum vel conſuetudini, vel ſocietati, vel amicis morem gerimus, nec quiſquam exceſſum eiuſmodi, niſi ſit plane immodicus, inter mortalia peccata ſtatuit. Eadem nobis lex naturæ ac diuina præſcribit, vt in omnibus, & factis, & dictis obſeruemus, vt ſuo modo, & in ſuum finem tendant omnia, eoque dirigatur vniuerſa hominis intentio, ne quid non ſolum indecore, ſed nec ocioſe aut fruſtra fiat a nobis. Quandoquidem, & de omni verbo ocioſo reddituros nos rationem affirmat Chriſtus in die iudicij. Abſit tamen, vt in his omnibus eſſet mortalis præuaricatio.

In eundem modum, nec omnis inobedientia, aut præuaricatio humanorum præceptorum, mortalis cenſenda eſt. Sed æque hic vt in præuaricatione mandatorum Dei, & naturæ diſtinctione opus eſt.

Deinde etiam hoc certum eſt, ſi non omnem inobedientiam, tamen omnem contemptum authoritatis ſuperioris, mortale peccatum eſſe. Id quod apertiſſimis verbis in vniuerſum nos docet Petrus, qui contemnentes dominationem aut ſuperiorem authoritatem ſtatuit inter illorum iniquorum præcipuos, quos Dominus cruciandos ſeruat in diem iudicij. Nouit, inquit, Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij ſeruare cruciandos, magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant dominationemque contemnunt.

Omnem cõtemptum authoritatis ſuperioris mortale peccatum eſſe.

Vt autem, quid contemptum intelligamus, intelligas, diſtinguit quidem Ariſtoteles tres eius ſpecies, detractionem deſpectum, contumeliam, deſpectum definiens, dum quis aliquem nihil pendit, exiſtimans ſe rei dignum illius. Detractionem, dum alterius voluntati quiſpiam impedimento eſt, vt ſibi, ſed ne illi. Contumeliam vero, damno atque dolore in hia afficere, in quibus turpe eſt patienti. Nos tamen ex vſu ſcripturarum, etiam contumaciter reſiſtere, & nolle obedire ſuperioris autoritati, mortalem, quem diximus, contemptum appellamus. Quod ipſum tamen fere videtur, ſaltem re ipſa deſpectus, & nihilpenſio authoritatis ſuperioris. Ita dicit ſcriptura: quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Ita & Paulus reſiſtentes poteſtati publicæ in ciuili politia, dicit ſibi damnationem acquirere. Ita Chriſtus ſe quoque ſperni teſtatur, cum quis ſpernit Dei ordinatione in Eccleſia ſibi præpoſitos. Et in vnaqualibet ſuperioritatis ſpecie, morte expiabatur contemptus hic in lege veteri: vt filius proteruus, & contumax, inobediens patris, & matris imperio, & qui coercitus obedire contempſerat, obrui lapidibus à populo ciuitatis iuſſus eſt. Similiter, ſi quis ex ſuperbia recuſabat obedire Sacerdotis imperio, qui tabernaculo præerat, aut loco quem elegerat Dominus, aut etiam Iudicis pro tempore, morti erat obnoxius. Et morietur, inquit, homo ille, & auferes malum de Iſrael. Reliquæ vero duæ contemptus ſpecies, quas deſcribit Ariſtoteles, ſubditorum erga ſuperiores ſuos, nuſquam memorantur à ſcriptura. Neque enim ad humanam. ſed diabolicam malitiam pertinent, qualis eſt Lutheri, ſuorumque.

In his vero, quæ non ex contemptu procedunt, traſgreſſionibus humanorum præceptorum, vt cum quis ſeu ex negligentia, ſeu ignauia, aut ſocordia, non implet ſuperiorum præcepta, & imperia, aut tranſgreditur etiam, vt morem gerat deſiderijs ſuis, & concupiſcentijs, methodo quadam, vt dixi, ac regula opus eſt, qua venialem inobedientiam à mortali valeamus diſcernere. Nam æque falſum eſt, & omnem, & nullam tranſgreſſionem eiuſmodi, mortalem dicere: quemadmodum etiam in tranſgreſſionibus diuinæ, & naturalis legis oſtendimus. Qua vero methodo hæc diſcerni poſſint in ſingulis, exactoque iudicio ponderari ſingulorum peccatorum grauitas, prolixioris hoc eſſet operæ, & alterius negocij, noſque ab inſtituto longius protraheret, alioquin in inueſtigationibus noſtris circa definitiones ac ſententias theologicas, hoc ipſum diligentius, & plenius explicauimus, quas ſi Deus, & vitam conceſſerit, &

otium,

ocium, aliquando pietatis ſtudioſis communicabimus.

Ex fine tamen auctoritatis in quam cōmittimus, veluti ex ſcopo, hæc æſtimanda ſuut omnia. Siquidem & fines harum autoritatum ordinate ſe habere certum cſt, nec eſſe vnius momenti & ponderis. Quare nec æque graue quod abducit ab vno, & quod abducit ab alio. Iam nec eſt æqualis receſſus præuaricationum omnium à ſuo ſcopo, ſed vna plus, alia minus recedit: quemadmodum quæ imperara ſunt, magis aut minus, aut non magnopere neceſſaria ſunt pro attingendo fine, ad quem ordinatur præcipientis autoritas. Ex quibus vir prudens poterit horum omnium coniectare atqne ponderare grauitatem, in rectæ rationis trutina & examine. Sed hæc vt exactius hic pertractentur à nobis, nō eſt inſtituti præſentis. Quo vt recurrat oratio, de ſocietate catholicæ Chriſti Eccleſiæ iā proprie inquirendū eſt, quæ ſit ea qua gubernatur autoritas. Quæ cum in quacunque humana ſocietate ex propria eius forma ac ſpecie, quam ſortitur cx ſuo ſine, præſcribatur atque ortum habeat, perpendere in primis oportet, & huius ſocietatis formā, & finem, ob quem in eandem conciliati ſumus.

Formam indicat ipſa ratio nominis, nempe Chriſti fidelium omnium, quatenus Chriſtiani ſunt, ſocietatem varijs presbyterorum, Epiſcoporum, Atchiepiſcoporum primatuumque otdinibus (vt in tam immenſo corpore omnino erat neceſſarium) ad vnum ſummum Poutificem, Eccleſiæ præſidem, deocutiſſime ordinatam. Finis eius eſt, quo legem fidemque Chriſti, quam edocti à Spiritu Sancto Apoſtoli, viua voce tradıderunt Eccleſijs, quemadmodum tradita eſt ab initio, incorruptam conſeruemus, vt non ſint in nobis ſchiſmata, ſed idem dicamus ſeutentiamuſque omnes, aſſequamurq; per hæc vna cœleſtem illam, ad quam per Chriſtum vocati ſumus, & cuius ipſe nos ſibi cohæredes effecit, hæreditatem.

Ergo apud eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem eorum omnium debuit eſse autoritas, quæ ad conſeruandam hanc eccleſiaſticam ſocietatem in ſna vnirate, ſuoque vigore, eandemque dirigendam efficaciter in illum ſuum finem erant neceſſaria. Neceſſarium antem ante omnia, vt omnes nos homines ſumus, & inter homines viuimus, ſubotiri ſubinde de eccleſiaſticis rebus ordinibuſque contentiones, idque non ſolum inter inferioris gradus Chriſtianos, ſed etiam inter Eccleſiarum præpoſitos, quemadmodum pene ab initio factum videmus. Quare ne diſſidentibus inter ſe Eccleſiarum præpoſitis, vnuſquiſque ad ſe rapiens Eccleſiam Chriſti, eius vnitatem ſcinderet, hoc erat in primis neceſſarium, vt eorum omnium ſumma poteſtas eſset penes vnum totius Eccleſiæ præſidem, ad quem tandem referretur omnis quæſtio, & controuerſia, quæcunque inter paſtores rectoreſque Eccleſiarum exotiri contingeret, cuius ſacroſanctam, irrefragabile atque vltimum apud omnes haberetur iudicium.

Autoritas iudiciaria Eccleſiæ.

Hanc autem indiciariam Eccleſiæ poteſtatem appellamus, cuius ſumma quidem, vt dixi, eſt penes eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem autoritas, atque inde ordine quodam tranſit etiam in reliquos ſub ipſo eccleſiaſticæ hierarchiæ præpoſitos. Cui ſubditi ſunt Chriſtiani omnes, quatenus Chriſtiani ſunt, & Eccleſiæ filij. Cauſæ vero quę ex natura ſua ad eandem peculiariter pertineut, ſunt quæcunque de ordinibus, gradibus, ſacramentis, obſeruationibus, alijſque rebus eccesiaſticis qnæſtiones, & controuerſiæ, quiequid denique inter quoſcunque Chriſtianos ortum habens ex aliquo quod ſpecialiter ad Eccleſiam, legem, fidemue Chriſtianam pertinet. Quam quidem autoritatem eſse in Eccleſia, & eius ſummam penes eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, haud foret aliter probari neceſse, quam ex eo quod eſt Eccleſia, quæ eſse conſtareqne non poſset, abſque autotitate huiuſmodi: quemadmodum & in alijs humanarum ſocietatum generibus, quas excogitauit conuictus humani ratio, ſeu regna ſunt, ſeu reſpublicæ, ciuitates, caſtella, domus, ſuus cuique ordo eſt neceſsarius, & in vno quoque ordine ſuū cāput, cui & ſua eſt authoritas neceſsaria, per quam ea conſtet moderetnrque ſocieras, eademqne ratio, quæ ſocietares illas inuenit, authoritatem quoque illam ſuo cuique aſseruit capiti.

Quæ cauſæ ad eadē pertineant.

Quas tametſi ipſi inter ſe conſtituerunt homines, docente nimirum eos natura, vſu & ratione, niſi ſic conciliatis in vnum vitam humanam non poſse ſubſiſtete: æque tamen dei ordinationi reſiſtere, grauiterque peccare, qui ſuis ſuperioribus (in ſuo quiſque ordine) reſiſtunt, non ceſsant clamare diuinæ apoſtolicæque literæ. Id quod nihilominus ante omnes diuinas ſcripturas, omnemque ſcriptam legem, verum extitit. Nequis hinc potius, quam ex ſua cuiuſque forma dependere auctoritatem, qua gubernetur, exiſtimet. Neque enim Paulus nouam vllam legem promulgauit, quum diceret: Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, &: Qui poteſtari reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ſibi damnationem acquirit. Sed antiquam ea in re legem naturæ, quæ fuit ab initio, obſcuratam fortaſſis peccatorum demerito in quorundam cotdibus ob oculos reuocat & inculcat. Itaqne & ante Paulum ſemper ſnbditi obedientiam debebant publicis magiſtratibus, filij parentibus, vxores maritis ſuis, famuli, & ancillæ dominis.

Iraque ſi ſit, & eſse debeat Chriſtiana Eccleſia, ea antem (quemadmodum demonſtrauimus) ſine prædicta auctoritate non ſubſiſtere, ſicut nec ſine ſua quæque aliæ, æque eſt hæc in Eccleſia, ſicut in domo patris familias, in ciuitate & regno ſua politica ciuiliſque authoritas neceſsaria. Pendet cnim hæc atque oritur ex ipſa Eccleſiæ forma, & eſsentia, quam ſortitur ex fine ob quem hæc cohæret ſocietas, vt & ſua quæque in ſocietatibus alij. Qui cum vnicuique auctoritati ſuam metam, ſuos præſcribit limites, age ex eodem pergamus cœpimus, inueſtigare vniuerſam eccleſiaſticæ auctoritatis ſubſtantiam.

Diximus eccleſiaſticæ auctoritatis finem eſſe, vt recte nos habcamus in his quæ ad Chriſtum, & Deum ſunt, hoc eſt, vt legem fidemque Chriſti, quam docti à Spiritu San-

ćto Apoſtoli viuæ vocis doſtrina Eccleſijs tradiderunt priucipio, incorruptam intemeratamque conſcruemus vſque in finem ſeculi, idem in ea dicentes ſentienteſque omnes, abſque ſectis inter nos, aut ſchiſmatibus: vtque tandem per hæc regni illius cœleſtis, ad quod vocati ſumus, à Chriſto hæreditatem conſequamur. Qui equidem finis, vt illam formam eccleſiaſticæ hierarchiæ conſtituit qua in vnũ contineretur tam immenſa multitudo, ſentiretq; vnius præſidentis auctoritatem & imperia; ita tantam præſidenti poteſtatem auctoritatemque attribuit, quanta illi erat ad dirigendam efficaciter Eccleſiam ad hunc ſuum finem conſequendum neceſſaria.

Erat autem in primis ad pacificam inter ſe Chriſtianorum conuerſationem tanta illi iuriſdictionis auctoritas neceſſaria, quantam demonſtrauimus, qua omnes inferiores gradus atque ordines, Chriſtianoſque vniuerſos contineret in officio, in vnitate, & concordia. Sed non videtnr hæc ſola ſufficere. Neque enim (vt diximus) ob id ſolum conſtituta eſt Chriſtianæ Eccleſiæ ſocietas, vt inuicem conuerſaremur pacifice, nec interturbarentur eccleſiaſtici ordines; ſed multo maxime, vt in lege, rellgione, fideque Chriſti idem dicamus, & ſentiamus omnes. Itaque etiam ſi ſcripto nobis commendaſſet legem ſuam Chriſtus, quemadmodum veteri ſynagogæ illam ſuam Moyſes, ſuboriri ſubinde ex ſcripturis de lege, fide, religioneque dubitationes quæſtiones, & controuerſias nihilo minus fuiſſet neceſſarium. Quare & eas (ſi modo inter nos futura erat fidei vnitas, & cõcordia) præſidentis auctoritate neceſſe erat terminari, definirique iudicio.

Nec eſt quod ad ſcripturarum iudicium quiſquam dicat referendas quæſtiones, & cõtronerſias eiuſmodi, Primum, quoniam ſcripturæ ſunt muti iudices: quare æque foret neceſſarium, vt quiſqnam ex ſcripturis huiuſmodi proferret iudicium, quod neceſſe eſſet omnibus abſque contradictione ſequi, etiam quicquid ſibi videretur de huiuſmodi iudicio. Deinde quum pars vtraque pro ſuo quem adſtruit ſenſu ſcripturarum adferat teſtimonia, & partis alterius ſcripturas expoſitione ſibi accommodet, & contorqueat, quis hos in ſuo ſenſu vtrinque pertinaces cõciliabit inuicem, ſi in his non ſubijciemur præſidentis iudicio? Quis tandem dubitationum, quæſtionum, & altercationum finis erit? A non continuo videres tot de ſcripturis, & tam diſcrepantes ſententias ac interpretationes, quot ſunt hominum, & quam diuerſa capita? Sunt enim (vt ſuperius demonſtrauimus) ſcripturæ, velut Lesbiæ cuiuſdam ædificationis plumbea regula, quæ flecti, duci, & in diuerſam etiam ſententiam trahi ſe facile patiuntur. Si quis veram illam rigidam inflexibilemque earundem amuſſim, nempe eccleſiaſticæ traditionis autoritatem, & ſenſum illis minime adhibeat. Quam ob cauſam ſanctis illis patribus, noſtræ religionis anteſignanis & ducibus, nequaquam viſum eſt, ad ſcripturas prouocationem concedi hæreticis, vt quas non ad illam ſuam amuſſim, ſed ad ſuum ipſorum ſenſum intelligunt, & accommodant, Quare quantumuis in ſcripturis quis exercitatus cum illis diſputatione congrediens (vt ante annos mille trecentos veriſſime tradidit ille Tertullianus) nihil proficiet, neque ipſis, neque auditoribus Chriſti fidelibus, ſed oberit potius. Quandoquidem ſeu defenderis tu aliquid, ſeu negaueris, ſcripturas veluti plumbeam quandam, vt dixi, regulam, ingenij verſutia, facile vertent, & accommodabunt quocunque voluerint. Quas ſi tu dicas torqueri ab eiſdem expoſitione incongrua, idem occlamabunt tibi, à ſe ſtare earum veritatem, per te adulterari eaſdem. In hunc modum, cum fine modo, & fine proceſſerit altercatio, etiam audientibus ingeritur ſcrupulus, qnid verum aut falſum habere debeant, atque ipſi tanto obſtinatiores diſcedunt, quanto viderint orthodoxos minus promouiſſe.

Cur ſanctis patribus haud viſum eſt ad ſcripturas prouocationem concedendam hæreticis.

Hæc, inquam, atque eiuſmudi ante tot ſæcula ille Tertullianus docuit, & veriſſime docuit. Cui vtinam plus attendiſſent plerique noſtrum, & minus in diſputationem ſcripturarum deſcendiſſent cum hæreticis, & meliore ſane loco ſe haberet Chriſtiana religio. Iam & illud omnino certum eſt, non eſſe cuiuſuis, nec facile veram inuenire ſcripturarum intelligentiam, ex quibus dum eas quique pro ſuo ſenſu intelligere conati ſunt, tot peſtilentiſſimas hæreſes ortum traxiſſe videmus. Sunt enim, inquit Petrus, de Paulinis epiſtolis loquens, in illis quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Et inter has tot difficultates, tot ambiguitates. tot altercantes, quo ſaltem confugient, quo ſe vertent ſimplices miſerique Chriſtiani, vt ſciant quid verum ſibique ſeqnendum in eo, in quo errare, damnari eſt?

Docuimus quidem libro primo, quo pacto quiſque apud ſe dequacunque propoſita quæſtione inuenire poterit orthodoxæ fidei veritatem indubiam. Sed hoc paci & vnitati catholicæ Eccleſiæ non ſufficit: quin & aduerſantium ſanæ fidei altercationes reprimi, impiam doctrinam, quæ velut cancer ſerpit, & obrepit incautis, & ſimplicioribus, compeſci coercerique erat neceſſarium. Quare præſidenti in eccleſiaſtica hierarchia neceſſaria erat, & ea auctoritas, vt altercationes eiuſmodi, & ad ipſius referri iudicium, & definitione terminari oporteat. Ita ſane (quemadmodum poſt audies) non ad ſcripturas, ſed ad ſacerdotes Leuitici generis, & ſummi inter eos præſidentis iudicium, in quæſtionibus, & altercationibus eiuſmodi etiam ſuos illos remiſit Moyſes. Vnde nec nobis minus erat neceſſarium ſubortas controuerſias, & dubitationes eiuſmodi præſidentis autoritate definiri, etiam ſi ſcripto ſuam nobis legem commendaſset Chriſtus, quemadmodum ſuam illam veterem Moyſes.

Moyſen in quæſtionibus eiuſmodi remiſiſſe ſuos non ad ſcripturas, ſed ad ſacerdotale, & præſidentis iudicium.

Quoniam autem non de humanis hic legibus agitur, quas poſset ciuilis ſocietatis princeps interpretatione ſua aut moderari, aut mutare etiam pro ratione locorum, & temporum: ſed de diuinis, de quibus nec apicem nec iota preterire oportet, & quas omnino ab hominibus immutari non licet, neque à præſide, erat, & hic plane neceſsarium ſpeciali aliquo priuilegio, quo dirigeretur à

Deo prẹſidentis illius auctoritas, nec aberrare ſineretur ab eius, quod dubitabatur, iudicij veritate: ne forte malum pro bono nobis ſtatuens, aut lucem tenebras, dux cæcus cæcis factus, eos vna ſecum pertraheret in foueam.

Et hæc quidem nobis cum veteri illa ſynagoga communia erant omnia, niſi quod horum omnium in Eccleſia Chriſti tanto maior erat neceſſitas, quanto eſt difficilius in tam diſpari multitudine, ex nullis non gentibus, nationibus, linguiſque congregata, atque in vniuerſum terrarum orbem diſperſa, ſeruari indiuiduam vnitatem, & in fide religioneque concordiam, quàm in illa ſynagoga veteri, in vno cognatoque populo, eiſdem ſemper, & moribus, & ritibus aſſuefacto. Quæ tamen cum omnia diligentiſſime prouiſa ordinataque à ſuo illo legislatore videbimus in vmbratico illo tabernaculo veteri, nihil merito dubitabimus à Chriſto tanto etiam diligentius ordinatiuſque prouiſa ſuæ Eccleſiæ. quanto vtique ipſam ſolidam veritatem par erat ſua vmbram omni perfectione excedere, quanto etiam hẹc præ illa veteri Deo charior, & pretioſior extit, vt cuius gratia non Moyſes aliquis, non Angelus de Cœlo, ſed ipſe miſſus venit Dei filius ſeruilem formam accipiens, & non hircorum, aut taurorum, ſed ſuo prætioſiſſimo ſanguine, & morte acerbiſſima eandem conſecrans, & ſanctificans: quanto denique vniuerſa hæc Eccleſiæ Chriſti, quàm ſynagogæ veteri, magis demonſtrauimus neceſſaria.

Erat præterea, & aliud quiddam noſtræ Eccleſiæ peculiariter neceſſarium, cuius nullus vſus fuerat in ſynagoga illa veteri: hinc exoriente inter illos, noſque hac diuerſitate, quod noſtra lex Euangelica, viuæ traditionis magis eſt quàm ſcripturæ, vt verus ſcripturæ, non traditionis. Siquidem illis, hoc eſt, vni cognatoque populo diligentiſſime perſcriptam legem ſuam tradidit Moyſes. Nobis vero, hoc eſt, orbi vniuerſo, atque omni, quæ ſub cœlo eſt nationi, legislator noſter Chriſtus legem ſuam viua tantum Apoſtolorum traditione, quos neque ſcripto, nec de omnibus viuo verbo, ſed multo magis Spiritus Sancti vntione eandem ipſe docuerat. Attamen hanc noſtram, multo magis perdurare intemeratam, incorruptam, Immutatamque ad finem vſque ſẹculi erat neceſſarium, quemadmodum tradita eſt ab initio: quàm veterem illam, & vmbraticam, non multo poſt euacuandam, ſuccedente eidem noſtræ legis luce, & veritate. Legem tamen diligenter perſcriptam, atque ita, vt dictum eſt, vni cognatoque populo traditam, perdurare in longum tempus, conſeruarique immutatam, non eſt adeo operoſum & difficile. At quæ viua tantum voce tradita eſt, nec tradita paucis, neque vni tantum cognatoque populo, ſed diſperſa in orbem vniuerſum, in omnes gentes, nationes, populos, tam diſſonis inſtitutis moribuſque viuentes, quàm linguis vtentes, eandem vbique in finem vſque ſẹculi conſeruari, vt idem prorſus in ea dicamus ſentiamuſque omnes, plane ſtupendum eſt, atque omnem omnino humanum captum ſuperat. Qua equidem in re ſingularem quandam miramque ſuæ legis præ alijs omnibus prærogatiuam, vim & energiam demonſtrare voluit Chriſtus.

Tamen vt conſeruari potuerit inter tot hæreticæ perſecutionis fluctus, turbines, & tempeſtates, quibus (quod poſt clarius intelliges) totus aliquando orbis pene à fundamentis concuſſus eſt, Sanataſque ille euentilauit Eccleſiam, ſicut qui cribrat triticum, nec imaginari eſt, niſi in vna aliqua eaque principali totius orbis ſede, in qua præcipue reſideret, & perpetuo continuaretur Eccleſiaſticæ hierarchiæ prima ſummaque auctoritas (quam Romanam Eccleſiam ſupra demonſtrauimus) ſingulari priuilegio conſeruaſſet eandem. In qua nunquam interrupta Epiſcoporum ſucceſſione ad finem vſque ſæculi propagaretur, ad quam in eiuſmodi fluctibus tempeſtatibuſque reſpiciẽtes orthodoxi à naufragio eripere ſe, ſaluarique poſſent, & in tutum velut portum recipere.

Hæc ſunt quæ noſtræ Eccleſiæ in præſide hierarchiæ ſuæ, atque eius cathedra, videbantur omnino neceſſaria, ita vt ſine his in finem ſuum congrue non poſſet dirigi. Quæ an prouiſa diligenter nobis omnia ſint à Chriſto, iam nunc inquirendum eſt.

CAP. III.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidi talem tãtamque iuriſdictionis auctoritatem competere, qua vniuerſam ſibi commiſſam Eccleſiam in officio continere poſſit. Inſuper & definiendi controuerſias omnes, quæ in fide, religione, legeque Chriſti emergunt. Cuius ſit vltimum iudicium, quod omnes ſine contradictione ſequi oporteat, ex vmbra ſynagogæ veteris demonſtrare.

SVperiori inquiſitione ex ipſa Eccleſiaſticæ ſocietatis forma, & ſpecie, atque eius fine inuenimus, præſidenti in Eccleſiaſtica hierarchia neceſſariam in primis talem tantãque iuriſdictionis auctoritatem, qua ordines eccleſiaſticos inferiores omnes vniuerſamque ſibi commiſſam Eccleſiam in officio continere poſſit, Eccleſiaſtici ſtatus perturbatores coercere, publice in legem Chriſti delinquentes corrigere, cæteraque exequi omnia, quæcunque ad finem ſuum cõſequendum ſunt aut neceſſaria, aut opportuna, & congrua. Deinde vt penes eundem ſumma eſſe debuerit ſubortas inter nos de fide, religione, legeque Chriſti quæſtiones, & controuerſias definiendi auctoritas. Cuius ſententiam non ſecus, quam Chriſti ipſius (cuius nobis vices refert) ſequi omnes tenerentur. Sine quo inter nos conſeruari prorſus non poſſet fidei vnitas, tam ad eccleſiaſticam vnitatem, quam ad finem eccleſiaſticæ congregationis conſequendum, vel in primis neceſſaria. Ex conſequenti autem circa eorundem præſidentium, ſententiam definitionemque, & iudicia ſingulare quoddam diuinæ aſſiſtentiæ priuilegium: ne

Repetitio proxime demonſtratorũ cum tranſitu ad ſequentia.

Digitized by Google

forte, ſi pro iuſto iniquum, pro luce tenebras nobis ſtatuerint, cæcique cæcis ducatum præbuerint, vna cum eis præcipitaremur in foueam.

Et quoniam hæc vniuerſa noſtræ Eccleſiæ cum ſua illa vmbra ſynagoga veteri, ad proportionem fuere communia, niſi quod tanto maior horum omnium apud nos erat neceſſitas, quanto difficilius eſt multitudinem adeo immenſam ex nullis non gentibus, nationibus, linguis, populis, in tam ſolidam vnitatem contineri, quam vnum cognatumque populum, qualis maxime fuit Hebræorum. Ad illam ipſam nunc vmbram primo reſpiciendum eſt. In qua, ſi hæc omnia diligenter prouiſa ordinataque à ſuo illo legiſlatore inuenerimus, nihil vtique dubitabimus, neque Chriſtum in re neceſſaria defuiſſe ſuæ ſponſæ chariſſimæ Eccleſiæ, etiam ſi nullum de hoc verbum legeretur apud Euangeliſtas: præſertim quando hæc omnia fuiſſe in Eccleſia, res ipſa teſtaretur ab initio.

Quod autem dicta omnia diligentiſſime prouiſa fuerint illi vmbræ, & ſynagogæ veteri, teſtatur ſcriptura Deuteronomij in hæc verba: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variare, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. Cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.

Hic audis in primis, in ſubortis dubijs, & controuerſijs, quæ per ſingularum ciuitatum iudices expediri non poterant, ad quos ſuos illos altercantes remiſerit Moyſes, Certe non ad ſcripturas, ſed ad ſacerdotes Leuitici generis, qui præſunt loco quem elegerit Dominus. Audis item quid promittat, nempe inuenturos ibi dubij iudicij, aut motæ controuerſiæ veritatem. Audis præterea, quàm diſtricte præcipiat illorum obedire iudicio, nec de eorum ſententia inquiri amplius. Et facies, inquit, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus. Sequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Audis poſtremo, vt contumacia aduerſus præſidentis ſacerdotis auctoritatem, expianda neceſſario fuerit mortis ſupplicio.

Sed video hic quid dicturi ſint veritatis hoſtes & aduerſarij, nempe ſuis ſe artibus à nobis peti. Non enim citari à nobis, vt ſunt, integra legis verba, ſed exceptis eis, quæ propoſito noſtro erant commoda, omiſſum id, quod fuit caput, & cardo, & vnde plane conuincimur, etiam iudicij præſidentium loco, quem elegerit Dominus, ſacerdotum, iudicem eſſe debere ſcripturam. Non enim ita dictum ſimpliciter, quemadmodum nos citauimus, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſed additam hanc velut reſtrictionem, & docuerint te iuxta legem eius. Ergo, inquiunt, niſi nos docuerint iuxta legem Domini, non tenebimur credere aut facere, quod docent aut præcipiunt. Quo pacto etiam illud legiſlatoris noſtri dictum in Euangelio intelligi volunt: Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite, hoc eſt, quæ dixerint aut docuerint ſecundum cathedram. Et quo tandem pacto, an ſecundum legem aut cathedram doceant, niſi ex lege ſcripturaque dijudicandum eſt? Quæ ſi ita ſe habeant, an non plane ridiculus videbitur, ſeu ille Moyſes, ſeu ſacer ſpiritus, & non prorſus luſiſſe operam, quid dubitantes non legis ſcripturarumque occaſione, remittit ad ſacerdotale, præſidentiſque iudicium? Nam ſi per me mihi conſtabat quid eſſet ſecundum legem, vnde dubium? quorſum ad præſidentium remittor iudicium? Si eorum rurſus ſententia, & iudicium, nobis ad examen iudiciumque reuocandum eſt, quid erat neceſſe eorum iudicium, & ſententiam exquirere, & non potius noſtro contentos ſtare iudicio, quibus adhuc de illorum iudicio, an ſecundum legem ſit, & ſcripturas, dijudicandum eſt? Quid eſt ergo, quod præcipit facere abſque diſcrimine, quodcunque illi dixerint? Quid eorum ſententiam prorſus atque indiſcuſſe ſequi, nec ad dexteram ab ea declinantes, nec ad ſiniſtram? hoc eſt, qualiſcunque tandem nobis viſa fuerit, nec ad dexteram quidem, hoc eſt, ad eam partem, quæ nobis forte æquior videretur.

Coarguitur falſitas lectionis vulgaris Deu. 17. Si difficile, &c.

Quid poſtremo, quod mortis ſupplicio mulctabat lex inobedientiam erga ſacerdotem præſidem, abſque vlla omnino exceptione, nullum relinquens inobedientiæ pallium, nullum ſubterfugium ſuperbis, & contemptoribus ſacroſanctæ auctoritatis, quaſi poſſent ſacerdotale, & præſidentium iudicium ſuo rurſus ſubmittere iudicio? Hæc, vt verum fatear, primo mihi ſcrupulum ingeſſerũt de hac clauſula (& docuerint te iuxta legem eius) vt quæ nec præcedentibus, nec ſequentibus vllo pacto cohærere videretur: ſed inconcinne intruſa, & aſſuta à neſcio quo, ſuſpectumque reddiderunt hoc loco noſtrum interpretem, quicunque tandem is fuerit, admonueruntque primum ad ſeptuaginta Interpretes, deinde etiam ad fontem ipſum, hoc eſt, Hebraicam veritatem recurrere, à quibus plurimum variat noſtra vulgaris æditio, cuiuſcunque tandem auctoris ſit. Quod vt intelligas, apud LXX. Interpretes ita hic locus redditus eſt Græce. Ἐὰν ἢ ἀδυνατήσῃ ῥῆμα ἀπὸ σοῦ ἐν κρίσει ἀναμέσον αἷμα αἵματος, καὶ ἀναμέσον κρίσις κρίσεως καὶ ἀναμέσον ἁφὴ ἁφῆς, καὶ ἀναμέσον ἀντιλογία ἀντιλογίας ῥήματα κρίσεως ἐν ταῖς πόλεσί σου, καὶ ἀναστὰς ἀναβήσῃ εἰς τὸν τόπον ὃν ἂν ἐκλέξηται κύριος ὁ θεός σου ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ, καὶ ἐλεύσῃ πρὸς τοὺς ἱερεῖς τοὺς λευίτας, καὶ πρὸς τὸν κριτὴν ὃς ἂν γένηται ἐν ταῖς ἐκείναις, καὶ ἐκζητήσαντες ἀπαγγελοῦσί σοι τὴν κρίσιν καὶ ποιήσεις κατὰ τὸ ῥῆμα ὃ ἂν ἀναγγείλωσί σοι ἐκ τοῦ τόπου ὃν ἂν ἐκλέξηται κύριος ὁ θεός σου καὶ φυλάξῃς σφόδρα ποιῆσαι κατὰ πάντα ὅσα ἂν νομοθετηθῇ σοι κατὰ

τὸν

τὸν νόμον καὶ κατὰ τὴν κρίσιν ἣν ἂν εἴπωσί σοι ποιήσεις, οὐκ ἐκκλινεῖς ἀπὸ τοῦ ῥήματος ὃ ἂν ἀναγγείλωσί σοι Δεξιὰ οὐδὲ ἀριστερά. Καὶ ὁ ἄνθρωπος ὃς ἂν ποιήσῃ ἐν ὑπερηφανίᾳ τοῦ μὴ ὑπακοῦσαι τοῦ ἱερέως τοῦ παρεστηκότος λειτουργεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, ἢ τοῦ κρίτου ὃς ἂν γίνηται ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἀποθανεῖται ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, καὶ ἐξαρεῖτε τὸ πονηρὸν ἐξ Ἰσραήλ, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας φοβηθήσεται καὶ οὐκ ἀσεβήσεται ἔτι. Quæ Latine ſic fere ad verbum exprimuntur.

Si autem impoſſibile fuerit verbum à te in iudicio, inter ſanguinem, & ſanguinem, & inter iudicium, & iudicium, & inter lepram, & lepram, & inter contradictionem, & contradictionem, verba iudicij in ciuitatibus: ſurges, & aſcendes in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius illic. Et venies ad ſacerdotes, Leuitas, & ad iudicem, qui fuerit in diebus illis, & exquirentes annunciabunt tibi ipſum iudiciũ. Et facies ſecundum verbum, quod annunciabunt tibi ex loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et cuſtodies valde, vt facias iuxta omnia, quæcunque ſancita fuerint tibi. Iuxta legem, quæ fuerit, ſecundum iudicium quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo quod annunciauerint tibi ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Et homo qui fecerit in ſuperbia, ne audiat ſacerdotem ſtantem ad miniſtrandum in nomine Domini Dei tui, aut iudicem qui fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & auferes malum ex Iſrael. Hactenus hic locus, iuxta ſeptuaginta Interpretes, pene ad verbum expreſſus eſt.

Hic vide quod diſtricté percipiat lex obedire iudicio ſacerdotali, & ſententię præſidentium cathedræ.

Hebraicam vero veritatem hoc loco ita nobis ad verbum dudum reddidit vetus ſodalis, & amicus, cum vna in Vrbe viueremus, Ioannes Stunica Hiſpanus, vir trium linguarum peritia inſignis, at Hebraicæ in primis linguæ periciſſimus.

Cum abſcondita fuerit à te res, deducta ad iudicium inter ſanguinem, & ſanguinem, inter cauſam, & cauſam, inter lepram, & lepram, verbaque contentionum in portis tuis: ſurges, & aſcendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus in eo, & venies ad ſacerdotes, Leuitas, & ad iudicem, qui fuerit in diebus illis, & requires, & annunciabunt tibi verbum iudicij. Et facies iuxta verbum, quod annunciabunt tibi, de loco quem elegerit Dominus, & cuſtodies, vt facias iuxta omne quod te docuerint. Iuxta legem quam docuerint, & iuxta iudicium, quod dicent tibi, facies. Non diſcedes à verbo, quod annunciauerint tibi, ad dexteram, aut ſiniſtram. Et vir qui fecerit in ſuperbia ne audiat ſacerdotem ſtantem, vt ſeruiat ibi Domino Deo tuo, aut iudicem, morietur vir ille, & auferes malum de Iſrael.

Hæc eſt eiuſmodi loci iuxta Hebraicam veritatem, ad verbum expreſſa ſententia, æditioni ſeptuaginta Interpretum per omnia conſona, niſi quod eſt aliquanto clarior, & apertior. Interpretatio vero Chaldaica Pentateuchi, iuxta translationem, quam imprimendam curauit Reuerendiſſimus quondam D. Franciſcus Cardinalis Toletanus, habet in hæc verba.

Si difficile tibi fuerit verbum iudicij inter ſanguinem, & ſanguinem, inter cauſam, & cauſam, inter plagam lepræ, & plagam lepræ, & fuerint verba iudicum diſcordantia in ciuitatibus tuis; conſurges & aſcendes in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad Sacerdotes, Leuitas, & iudicem qui fuerint in diebus illis, & quæres ab eis, & annunciabunt tibi verbum iudicij. Et facies ſecundum præceptum, & verbum quod nunciauerint tibi de loco quem elegerit Dominus. Et cuſtodies vt facias iuxta omnia quæ docuerint te. Iuxta præceptum legis quod docuerint, & ſecundum iudicium, quod dixerint tibi, facies. Non declinabis à verbo, quod indicauerint tibi, ad dexteram neque ad ſiniſtram. Vir autem qui maligne egerit, vt non obediat Sacerdotibus, qui ſtant ibi vt miniſtrent coram Domino Deo tuo, aut iudici, occidetur vir ille, & auferes facientem malum de Iſrael. Et omnis populus audient, & timebunt, & non agent impie deinceps.

Vides in his omnibus clariſſima legis verba, quę ſuperbis, inobedientibuſq; nullam excuſationem relinquunt. Quin diligenter occurrere videntur horum pernicioſo admodum errori, qui pulcherrimum illum tabernaculi ordinem inuertere moliuntur, & ſubditos armare aduerſus ſacroſanctos magiſtratus ſibi præpoſitos & conſtitutos à Domino: imo vero vnumquemlibet è populo conſtituere iudicem Dei, & Chriſti. Tanquam præuidens ſpiritus hæc nouiſſima tempora, in quibus doctrinam ſanam reiecturi eſſent homines, & ad ſua deſideria coaceruaturi ſibi magiſtros prurientes auribus. Et facies, inquit, iuxta verbum, quod annunciabunt de loco, quem elegerit Dominus, & cuſtodies valde, vt facias ſecundum omnia, quæ te docuerint.

Vides quantam à nobis in obedientia ſollicitudinem ac diligentiam requirat. Neque addit hic tuam illam reſtrictionem, tuum inobedientiæ ſubterfugium, vt ea tantum iubeat facere quæ nos docuerint iuxta legem Domini, ſed ſimpliciter valde obſeruare, vt faciamus ſecundum omnia quæ nos docuerint. Ibi enim diuiſa eſt ſententia, tam apud 70. quàm in Hebraica veritate. Statuit autem vbique duo hęc è regione, ea coniugens diuerſitatis copula, videlicet vt faciamus iuxta verbum, hoc eſt, præceptum aut iudicium, quod nunciauerint, & iuxta doctrinam, quã docuerint. Quorum primum ad ſupremam illam iudiciariam auctoritatem pertinet: ſecundum vero ad illam definiendi incidentia circa legem religionemque dubia. Nec contentus ſemel hæc dixiſſe, iterum verumque inculcat ac repetit: iuxta legem, inquit, quam docuerint, & iuxta iudicium, quod dicent tibi, facies. Quandoquidem de legis præceptis cæremonijſque eſt quæſtio, & ambiguitas, tunc iuxta legem quam docuerint facies, hoc eſt, quicquid illi legis eſſe docuerint. Cum vero ambiguum aut difficile eſt iudiciũ cuiuſcunque alterius negocij, quod intra portas tuas rite expediri non potuit, quodcunq; tunc ius aut iudicium dixerint, aut ſancierint facies, nihil tuo in his omnibus reſeruando iudicio, nihil tuæ ſententiæ. Nec enim declinabis, inquit, à verbo quod dixerint tibi,

Nota diligenter legis verba, vt ſimpliciter, ac diligenter obſequi iubeant & præcepto & definitioni ac doctrinæ præſidium.

ad

Digitized by Google

ad dexteram aut ſiniſtram. Vt autem iſtorum, ſeu iudicium, ſeu doctrinam perinde à nobis accipi voluerit, tanquam ſuum ipſius de loco illo per os eorum nobis loquentis, indicat horribilis pœna, quam in inobedientes conſtituit: & vir, inquit, qui fecerit in ſuperbia, ne audiat Sacerdotem ſtantem, vt ſeruiat ibi Donuino Deo tuo, ſeu vt habet noſtra translatio; qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.

Vides vir bone, non tuis te artibus petitum, non truncata à nobis, aut vi oblique detorta legis verba, ſed ſimplicem, ſyncetam germanamque citatam lectionem: eliminatũ autem expunctumque id, quod erat ſubdititium, & adulterinum, & à tibi ſimili aliquo neſcio quo, male infartum, anſam inobedienciæ, & contumaciæ præbens ſuperbis, & quod rapiunt impij ad ſuam aliorumque perditionem. Tu autem iam audiſti Chriſtiane lector, quemadmodum illi veteri ſynagogæ diligentiſſime prouiſum fuerit à Deo de vtraque iſta auctoritate, quam oſtendimus in eccleſiaſtica hierarchia neceſſariam. Vna ad quam referretur omne difficile negocium, cuius eſſet vltimum, ratum & ſacroſanctum apud omnes iudicium, Altera qua definiretur omnis de lege, aut ſcripturis orta quæſtio, altercatio, & contentio. Omnibus impoſita neceſſitate, abſque vlla contradictione aut exceptione, ſequendi Sacerdotis præſidentis, loco quem elegiſſet Dominus, doctrinam, ſententiam & imperium,

Diuinæ aſſiſtentiæ ſingulare priuilegium cathedræ, & eidem præſidentium in his, quod eorum ſunt officij.

Sed nunquid, inquiunt, etiam ſi legi Dei repugnantia docuerit, & præceperit? Hic reſpondet ille tibi, cuius verbo cœli firmati ſũt, & cui nemo dicere poteſt, quare ſic præcepiſti te diligenter cuſtodire debere, vt facias ſecundum omne quod te docuerint, neue declines aut diſcedas à verbo, quod annunciauerint tibi, ad dexteram aut ſiniſtram. Hæc enim ipſa ſunt legis verba, de quibus nec apicem, nec iota præterire oportet. Sed idem ille, qui hoc tam diſtrictè exigit, tuæ illi interrogationi occurrit. Siquidem ſecuros nos reddidit de veritate doctrinæ, & æquitate iudicij eorum, quæ ex illo loco docentur & ſanciuntur, qualeſcunque tandem eſſent ei præſidentes. Hæc eſt enim illa prærogatiua cathedræ, & loci, quem elegit Dominus, cui ſemper adeſt ſingulari priuilegio, atque ita dirigit ſententiam, & iudicium eidem præſidentium, & ſuum magis, quàm illorum hoc nobis habendum ſit, nec de eius veritate, & rectitudine quicquam hæſitandum. Et indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem, aut vt habent 70. Ipſum iudicium, videlicet quod quærebatur. Hæc ille dixit, cuius dixiſſe feciſſe eſt, & qui non poteſt nec falli, nec fallere. De cuius fide nunquid dubitamus? Qui ſi de veritate iudicij eorum nos ſecuros reddidit, quid adhuc diſcutimus? quid hæſitamus ſequi eorum ſententiam, quam ille tantopere, tam diſtrictè nos ſequi præcipit? Adhuc timemus, ne forte ſequendo errabimus? Certe ſi errauerimus, non dubitabo ego cum Auguſtino dicere: Tu Domine decepiſti me. Quod ſi vita te offendat præſidentium, habent illi iudicem ſuum. Tu vero audiſti quid te oporteat facere. Nec propter vitam illorum ſuæ fidei deerit ille fidelis, & verax, quin tibi iuxta ipſius verbum ſint indicaturi iudicij veritatem. Idque non ob merita ſua, ſed partim ob ſacerdotalis dignitatis prærogatiuam, partim ob cathedræ locique quem elegerit Dominus, priuilegium.

Supra explicauimus varia ſacerdoralia munia, ad quæ conſecrantur Sacerdotes, viſibili quidem conſecrationis ritu, & per hominum miniſterium, cui tamen diuina virtus inuiſibiliter adeſt, ordinatis ipſis virtutem, poteſtatemque tribuens efficaciter implendi, quæ eorum commiſſa ſunt officio, cui tali ordinatione conſecrationeque præficiuntur. Niſi inanem quandam inefficacium cæremoniarũ pompam, & ordinationis conſecrationiſque in ſacerdotium vanum inefficacemque ritum per Moyſen illum in vmbra veteri, & per Apoſtolos in Chriſti Eccleſia inſtitutum voluetis ab omnipotente illa ſapientia. Quæ etiam prophaniotibus miniſterijs quoſcunque ſpecialiter addixerat, & adſcripſerat, gratiam tribuit eiuſmodi miniſterio congruam. Itaq; etiam mechanicis illis artificibus, quos elegerat ad perficiendum conſummandumque opus tabernaculi, quod deſignauerat Moyſi, ſpiritu Dei impleuit, quo ſapientiam artemque eorundem perfecit, & ad mechanica illa opera auctiorem efficacioremque reddidit. *Exod. 31.* Ecce, inquit, vocaui ex nomine Beſeleel filium Huri, filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum, deditque ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan, & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi.

Audis ſpiritum Dei illos impleuiſſe ſapientia, intelligentia, & ſcientia, non ad gubernandum populum illum Domini, non ad docendam legem, & eius cæremonias, ſed ad excogitandum in opere mechanico, quæ fabrefieri poſſent ex auro, argento, reliquaque ad vſum tabernaculi, & ornatus eius neceſſaria materia. Rurſus, cum grauaretur Moyſes regimine tantæ cui præerat multitudinis, nec ſolus ferendo eſſet tam immenſo oneri, petijſſetque à Domino ſibi ea in re dari coadiutores ſocios. Congrega, inquit illi Dominus, mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſunt & magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & tu non ſolus graueris. *Num. 11* Vides, & hos electos à Moyſe coadiutores ad ciuile regimen, gubernationemque populi, accepiſſe etiam gratiam ſpiritus, non ad quiduis, ſed ad illud propriè officium implendum, ad quod ſpecialiter aſſumpti ſunt. Tradam, inquit, eis de ſpiritu tuo, vt ſuſtentent tecum onus populi. Et iterum, Ioſue cum committeretur ducatus populi, repletus eſt, inquit, ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. *Deu. vl.* Vides vnicuique membro myſtici noſtri corporis, à capite influi ſpecialem energiam, & efficaciam ad ſuam propriã

fun-

Digitized by Google

functionem, vnicuique diſtribui ſpecialem gratiam ſpiritus ad opus miniſterij, & officium cui deputatus eſt, Ita quoque deinceps à Sacerdotibus inuncti ſunt Reges ſacro oleo ſuper populum Domini. Nec vana fuit eiuſmodi vnctio, neque nugator Deus, qui eandem fieri præcepit, & inſtituit, ſed internam ſpiritus gratiam per eam contulit adiutricem ad regimen cui præficiebantur populi. Itaque mox vt à Samuele Saul inunctus eſſet in Regem, immutauit, inquit, ei Deus cor aliud. Similiter, cum idem vnxiſſet Dauid in Regem in medio fratrum ſuorum, directus eſt, inquit, ſpiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.

Quod ſi Deus, ad mechanica illa opera deputatos, præuenit ſpiritus gratia ad ea congrua, ſi electos ad prophanum populi principatum gerendum repleuit ſpiritu ſapientiæ, & fortitudinis per impoſitionem manuum ſacerdotalium, aut vnctionem ſacri olei, nunquid inanes reliquit Sacerdotes ſuos, quos tam diligenti ſanctæ conſecrationis ritu adſcripſit, & ſanctificauit ad munia ſacerdotalia? Nunquid vanum eſſe voluit illum tam diligenter à ſe inſtitutum ſanctificationis ritum, qui ſolam ſacerdotalium manuum impoſitionem tam efficacem eſſe conteſtatus eſt? Certè idem ipſe teſtis eſt fidelis & verax, minimè inefficacem eſſe, & fuiſſe ordinationem, & conſecrationem eiuſmodi, ſed contuliſſe ſemper internam ſpiritus gratiam ad efficaciter peragenda, quæcunque tanti ſunt miniſterij.

Sacerdotalis, officij, & muneris hæc eſſe ſupra oſtendimus, offerre hoſtias & orare pro populo, & peccatis eius. Eidem benedicere, & inuocare nomen Domini ſuper eum, præterea, & mundare tunc lepram corporis, nunc lepram animi. Atque in his omnibus ſimul, & ſacerdotalis dignitatis efficaciam demonſtrauimus. Itaque ad ſactificantis Sacerdotis orationem promiſit Deus propitium ſe futurum populo, & dimiſſurum peccatum eius. Si, inquit, peccauerit omnis turba filiorum Iſrael, (Leuſ. 4.) oblata pro peccato eius conſtituta hoſtia, rogante que pro eis Sacerdote propitius erit eis Dominus. Similiter, ſi vnuſquilibet è populo, ſeu princeps, ſeu alius peccauerit, oblata pro peccato eius hoſtia conſtituta; rogabit, inquit, pro eo Sacerdos & pro peccato eius, & dimittetur ei. Hæc Dei ipſius verba ſunt, qui æque non poteſt falli ac fallere. Ita quoque ſuam benedictionem ad ſacerdotalem benedictionem certo ſubſecuturam promiſit, dicens: Loquere Aaron, & filijs eius: Sic benedicetis filijs Iſrael, &c. Inuocabuntque nomen Domini ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Audis quid repromittat æterna veritas. Cui ſi non credimus, propter infidelitatem noſtram, non autem ob ſacerdotalis benedictionis inefficaciam, eius effectum non percipimus. Ille certe negare ſeipſum non poteſt. Anna ſterili in amaritudine animæ ſuæ orante Dominum, & Heli Sacerdotis eius haud alioqui laudati benedictionem humiliter expetente, ad benedictionem eiuſdem obtinuit quod petiuit, & concepit, peperitque Samuelem filium. Et (1 Reg. 1.) rurſus, cum illum obtuliſſet Domino, benedixit, inquit, Heli Helcanæ & vxoti eius, dixitque ei: Reddar tibi Dominus ſemen de muliete hac pro fœnore, quod commodaſti Domino: viſitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios & duas filias. Vides quàm diligenter exprimat ſcriptura, vt fidelibus non ſit vana benedictio, quamuis illaudati, & reprobati à Deo, Sacerdotis. Ita quoque nec inefficacem eſſe Sacerdotum noſtrorum autoritatem, ſuper mundanda lepra animæ, eadem teſtatur æterna veritas, quæ affirmat omnibus illis remiſſa peccata coram Deo, quæ remiſſa ſunt ſacerdotali miniſterio, remiſſum negans, quicquid ab illis remiſſum non eſt. Quorum, inquit, remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Et in his omnibus nunquid nos vitam Sacerdotis diſcutiemus, & non niſi à ſanctis & vitæ inculpatæ horum omnium expectabimus efficaciam? Nunquid inefficax erat baptiſma, vana hoſtia, & euchariſtia, inanis abſolutio & peccatorum remiſſio, Sacerdotis peccato obnoxij?

Sacerdotalis etiam officij eſſe præter ea, quæ commemorauimus, docere populum, quæcunque ad cultum Dei pertinent, ritus ceremoniarum, & legitima vniuerſa. teſtatur (Leui. 10.) Dominus ad Aaron: Vinum, inquit, & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, quia præceptum ſempiternum eſt in in generationes veſtras, & vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanū, inter pollutum, & mundum, doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea. Et rurſus in Denteron: Accedent, inquit, Sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt (Deut. 23.) miniſtrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum omne negocium pendet: & quicquid mundum eſt, vel immundum iudicetur. Et iterum per Ezechielem: Populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum & pollutum, inter mundum, & immundum oſtendent eis. Et cum fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt.

Audis in his omnibus ſacerdotalis muneris, & officij eſſe, docere populum quæ ad legem Dei, cæremonias, diuinumque cultum pertinent. Et in his ſolis, quæ grauiſſimi maximique omnium ſunt momenti, inefficax, & inanis eorum erit auctoritas? nihilo hic plus habebunt adiutricis gratiæ, quam prophanus quilibet à populo? Mechanici illi opifices, præfecti conſtructioni, & operibus vmbratici illius tabernaculi, ad ea rite perficienda, repleti ſunt ex gratia ſpiritus, ſapientia, intelligentia, & ſcientia: & Sacerdotibus, quibus commiſſum eſt munus docendi, quæ abſque vlla comparatione maioris momenti ſunt nēpe legem Dei, atque eius colendi ritum, & ſacras cæremonias, iudicandi quoque in his exortas quæſtiones, & controuerſias nulla præ alijs in his aderit prærogatiua ſpiritalis gratiæ, & directricis in his ſapientiæ? Duces, regeſque prophanos, quo ſufficere poſſent impoſito ipſis gubernandi populi officio, per ſacerdotalium manuum impoſitionem, ſacramue vnctionem, repleuit ſpiritu ſapientiæ, & fortitudinis: & Sacerdotes præfectos non ſolum populo, ſed etiam regibus, in ijs, quæ ad Deum ſunt, & naturale rationis lumen excedunt, deſtituit omni prorſus adiutrice ad

hæc

Digitized by Google

hæc,gratia? Certe, qui præcepit in his recurrere ad Sacerdotum iudicium, & ab eo non declinare, nec ad dexteram,nec ad ſiniſtram, idem ſecuros fecit de iudicij eorundem veritate, & indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem.

Habes ſponſorem fidelem, qui ſibi permittet imputari, ſi eius præcepto obtemperans, in ſubortis controuerſijs, & quæſtionibus erraueris,ſacerdotum ſecutus ſententiam, & iudicium. Hoc ſiquidem eſt illud pactum. quod per prophetam indignis Sacerdotibus exprobrat ſe pepigiſſe cum Leui, hoc eſt vniuerſo ſacerdotali ordine (nam Leui aliquot annorum centenarijs præceſſerat vniuerſum illud vetus Sacerdotium) quod illi, quantum in ipſis erat, faciebant irritum, Pactum meum fuit cum Leui dicit Dominus exercituum, pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis. Lex veritatis fuit in ore eius,& iniquitas non eſt inuenta in labijs eius, in pace,& æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate, labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent, ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Legem veritatis ſemper fuiſſe in ore Sacerdotum præſidentiū cathedræ, et ſi non ſemper in manibus.

Vides ex pacto Dei, legem veritatis fuiſſe in ore Sacerdotum Leuiticæ tribus,nec iniquitatem inuentam in labijs eius. Non dicit in manibus eius, ſed in labijs; Labia enim Sacerdotum cuſtodire ſcientiam, vnde, & legem requirendam ex ore eius, non autem ex operibus. Quod ipſum vide quo pacto clariſſime explicet Saluator noſter in Euangelio præcipiens, vt faciamus quæcunque nobis dicunt, qui in Cathedra Moyſis reſident,etiamſi ſint vitæ perditæ. Nam multa dicens in ſcribas, & phariſæos, & væ iterum, iterumque eis comminatus, ne tamen exiſtimaremus eorum demerita quicquam detrahere, aut priuilegio cathedræ, cui præſidebant, aut prærogatiuæ, auctoritatique ſacerdotaliſque officij, quod indigni tenebant, adiungit: Super Cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ,& phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Vides ex ore, & labijs, non ex operibus Sacerdotum diſcendam eſſe Dei legem. Vides nihil derogare, nec prerogatiuę cathedræ cui præſident,nec auctoritati Sacerdotalis officij, vitæ eorundem indignitatem: Æque illos tibi annunciare quæſiti iudicij veritatem, æque te ſequi oportere eorum ſententiam, & facere iuxta omnia, quæ dixerint aut docuerint. Omnia, inquit, quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite. Non ſuffecerat illi dixiſſe omnia, ſed addidit, quæcunque vt omnem ſemel exceptionem excluderet. Et quid cauſæ, cur magis iubeor ſeruare, & facere, quæ dicunt illi, quam quæ alij illis fortaſsis longe doctiores, & meliores? Quoniam ſuper cathedram ſedent. Hanc cauſam ſaluator noſter in Euangelio clariſſime explicat. Nam ſcribas, & phariſæos ſuis depictos ante coloribus, affirmat tamen ſuper Catheram Moyſis ſedere, & ſubiungit: Omnia ergo quæcunque vobis dixerint, ſeruate, & facite. Ideo ſeruate, non quia ſcribæ, & phariſæi, non quia tales, quales deſcripſerat: ſed quia ſupra cathedram ſedent.

Nota vt cathedræ priuilegiū ſtatuerit,nobiſque commendauerit Chriſtus.

Notabis autem in præmiſſis, & Eccleſiaſticæ hierarchię ordinem nobis diligenter cōmendari, & cathedræ, cui præſidet ſummus pro tempore Sacerdos, & Pontifex, ſingulare priuilegium adſtrui, & ſtabiliri clariſſime. Audiſti enim partinere ad ſacerdotalis dignitatis officium, etiam legem Dei docere populum, & quid ſit inter ſanctum, & prophanum, pollutum, & mundum: & cum fuerit ſuper his controuerſia, ſtabunt, inquit, in iudicijs meis, & iudicabunt. Qui etſi paſſim habitantes in ſuis vrbibus, diſtributis in vniuerſo Iſrael, non deſtituebantur quidem auctoritate ſui officij,non tamen ſubleuabantur illa prærogatiua cathedræ. Itaque etiam ad ipſos relatas quæſtiones, & iudicia, in ſuis quique ciuitatibus, definiebant quidem pro ſuo captu, & modulo: ſicubi tamen eorum diſcordabant ſententiæ, neceſſe tum erat recurrere ad ſupremum tribunal, & iudicium, & ad locum quem elegerat Dominus, tunc iubebatur referri quæſtio, ad Sacerdotes videlicet Leuitas, qui pro tempore in eo miniſtrabant Domino. De his autem dicitur: Et indicabunt tibi iudicij veritatem. Itaque hic demum animaduertis Cathedræ priuilegium, quo ſuſtentabantur pro tempore quamdiu in ordine vicis ſuæ in loco illo miniſtrabant domino.

Priorum tamen iudicium non fuit plane deſtitutum officium auxilio ſupernæ gratiæ: attamen, quia ſubalternum, non erat omnino firmum, & ſacroſanctum. At horum vltimorum, & prouocationem vlteriorem non admittebat, ſed omnimodam exigebat obedientiam, ita, & certæ veritatis teſtimonium accepit à Deo, ob ſingulare cathedræ priuilegium. Itaque dignum notatu eſt, quod dignum audiſti à Chriſto, ideo oportere nos eſſe audientes per omnia eorum doctrinę,ſententiæ, & iudicio, quia ſuper cathedram ſedent. Quamuis autem multorum, atque a Deo omnium Sacerdotum, qui pro tempore ibi miniſtrabant Domino, ad vltima eiuſmodi iudicia ahibebatur conſilium, tamen vnius in eo vigebat Summi Sacerdotis,& Pontificis auctoritas. Itaque iudicium illud, aut ſententia, ac definitio, nunc multorum, nunc vnius dicitur: multorum, ſi reſpicias ad ſacerdotale, quod adhibebatur Concilium: vnius, quantum ad auctoritatem, qua proferebatur præſidentis Cathedræ, aut Summi Sacerdotis, & Pontificis. Quare controuerſiam inter ſe habentibus, quæ inferiorum iudicum terminari nō potuit iudicio dicitur, vt aſcendant ad locum,quem elegerit dominus, vtque ibidem interrogent Sacerdotes Leuitas. Qui indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Explicans deinde cuius auctoritate ſubſiſtat hoc iudicium, reuertitur ad ſingularem vnitatem præſidis. Qui autem, inquit, ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio,qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Vides hic iam non plurimum Sacerdotum, ſed vnius, præſidis videlicet, mentionem fieri,cuius cenſeatur illa ſententia, & iudicium, & aduerſus quem inobedientia morte plectenda ſit. Non enim dicitur; Si quis ſuperbierit inobediens Sacerdotum Leuitarum imperio, ſed Sacerdotis ſtantis,vt ſeruiat ibi Domino Deo tuo, vt habet Hebraica veritas, ſimul, & æditio 70.

Digitized by Google

to 70. Intetpretum; ſtantis, inquam, ſuper alios, ac loco illi præſidentis. Sed hæc poſt ſuo loco explicabuntur vberius, & commodius.

Interim hic nunc clare demonſtrauimus, vt veteri illi ſynagogæ diligenter prouideric Deus, tam de authoritate iuriſdictionis, per quam terminaretut omne difficile, & ambiguum iudicicium, quàm de auctotitate definiendi omnem ex lege, & ſcriptutis exortam quæſtionem, & controuerſiam, cuius ſententiam, & iudicium abſque vlla exceptione aut diſcuſsione ſequi omnes neceſſatio oporteret. Vtramque autem reſidere in Cathedra cui præſideret ſummus Sacerdos, & Pontifex, loco videlicet, quem elegiſſet Dominus, atque adeo in ipſo Summo Sacerdote, & Pontifice. Nam aduerſus illum commiſſa inobedientia, mortis expiabatur ſupplicio. Quare nihil dubium eſt Eccleſiæ ſuæ de vtraque tanto etiã diligentius prouidiſſeChriſtum, quanto vtriuſque maiorem hic ſupra oſtendimus neceſſitatem, quam in ſynagoga veteri, quanto præterea, quàm vmbra, & figura potior eſt ſolida ipſa rei veritas, quanto denique noſtram Eccleſiam, præ illa ſynagoga veteri, pręcioſiorem, charioremque habuit.

C A P. I V.

Authoritatem omnem Eccleſiaſtica hierarchia præſidis, quam ex ipſa, primum ratione ſocietatis Eccleſiaſtica, deinde ex eius vmbra, & figura ſynagoga veteri competere ipſi demonſtrauimus, ipſius Chriſti verbis confirmare, & adſtruere.

Recollectio ſupra demõſtratorum, cum trãſitu ad ſequẽtia.

DVabus vijs, quæ quantaque autoritas Eccleſiaſticæ hierarchiæ præ ſibi competat, iam demonſtrauimus. Primum ex ipſa ratione ſocietatis Eccleſiaſticæ, vti alterius cuiuſq; ſocietatis humanæ, ſua præſidi propria, ex ipſa eius ſocietatis ratione ſtabilitur auctoritas, cõfirmata quidem, & elucidata ſacris literis, ſed quæ ante omnes literas, tam ſacras, quàm prophanas ex ipſa ſocietatis ratione, & eſſentia, ſuam firmitatem obtinuit. Deinde ex ipſa eius vmbra veteri, vnde ad ſolidam euangelicæ lucis veritatem efficax argumentum eſt, teſtaute hoc Paulo, & Apoſtolis, quos haud temere inuenies alijs argumentis, aut ſcriptutis comprobare noſtræ fidei dogmata, & myſteria. Itaque Paulus approbaturus diuini, Euangelicique iuris eſſe, vt qui Euangelium annunciant, poſſint de Euangelio, & viuete, atque ita ordinatum fuiſſe à Chriſto legislatore noſtro: Scriptum eſt enim, inquit, non alligabis os boui trituranti. Nunquid autem de duobus cura eſt Deo? an propter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos vtique ſcripta ſunt, quoniam debent in ſpe, qui arant, arare. Quod ipſum rurſus confirmat hoc argumento à ſimili, ab umbra videlicet ad ſuam ſoliditatem: Neſcitis, inquit, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ in ſacratio ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Domiuus ordinauie his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio, & viuete. Vide, dialecticam, & locos argumentationum Pauli quibus approbat inſtitutum quid, à Chriſto: quibus, & nec fere alijs, vtuntur Apoſtoli, & vniuerſi illi ſcriptores veteres, Non dicit: Ita apud Matthæum, Lucam, Marcum, aut Ioannem dixiſſe dominum, ſed ita conſtitutum fuiſſe in vmbra veteri: proinde extare eiuſdem ſoliditatem, in luce Euangelicæ veritatis, & Chriſtiana Eccleſia. Quæ ideo inculcaui, & admonui, ne quis parui momenti exiſtimet argumentum illud à ſimili ab vmbra illa veteri ad ſuam ſoliditatem, à figura ad ſibi è regione correſpondentem Euangelicæ veritatis claram lucem. Et cuinam obſecro, leue hoc argumentum videri poterit? De vtraque hac authoritate, tam iuriſdictionis, quàm definitionis diligenter prouiſum erat vmbræ, & ſynagogæ veteri. Et vtraque longe magis Eccleſiæ Chriſtianæ fuit neceſſaria. Ergo Chriſtus nec ſuæ defuit Eccleſiæ, ſed de vtraque prouidit ſufficienter; quod ipſum nunc clariſſimis Chriſti verbis comprobare conabimur, & adſtruere.

Itaque cum Petrum Chriſtus ſuæ caput, & fundamentum pronunciaret Eccleſiæ: aduerſus quam inferorum portę nunquam eſſent præualituræ, ne ipſi, vt eiuſmodi capiti, deeſſet efficax, & neceſſaria auctoritas, continuo ſubiungit: Et tibi dabo claues Regni Cœlorum. Potro claues illas Regni Cœlorum tunc, ſeu datas, ſeu promiſſas Petro, intelligunt omnes, vniuerſam ipſam Eccleſiaſticam poteſtatem, quæ vniuerſa illa comprehendat, quæcunque nobis fragilibus, & ſub peccato venundatis hominibus, vt efficaciter dirigeremur ad cœleſtem illam hæreditatem conſequendam (qui finis eſt, & ſocietatis hierarchiæ Eccleſiaſticæ) fuerant neceſſaria: ligandi, inquam, & ſoluendi, dimittendi, & retinendi peccata hominibus, cæteraque vniuerſa quæcunque ad conſeruandam Catholicã Chriſti Eccleſiam in vnitate religionis, & fidei, eandemque dirigendam In finem ſuum, quem diximus, fuerunt neceſſaria. Quæ qualia ſint, partim continuo pergit explicare Chriſtus partim alibi per opportunitatem explicat. Quare, & claues Regni Cœlorum appellat à fine, vt diximus, tam congregationis, quàm auctoritatis eccleſiaſticæ: ſimul, & auguſtam eius poteſtatem, magnificentiamque hac veluti elocutionis metaphora explicans: vt quæ in tertis exiſtens, etiam in regnum cœlorum vim ſuam exerat, eoque nos dirigat, promoueat, & introducat,

Has, inqnam, claues regni ipſius cœleſtis vni promiſit deditque Petro, nulli autem reliquorum Apoſtolorum, quamuis præſentibus vniuerſis, non etiam Eccleſiæ ædificatæ ſuper Petrum, ſed tibi, inquit, dabo claues regni Cœlorum. Eccleſiæ quidem ſuper ipſum tunc conſtruendæ, non vero conſtructæ, quod inferorum aduerſus ipſam portæ præualiturę non eſſent, promiſit. Illi tamen promiſſioni neqnaquam de clauibus addidit, quod ipſi eaſdem eſſee daturus: ſed tibi, inquit, Eccleſiæ capiti, & fundamento, aut baſi dabo claues Regni Cœlorum.

Claues regni cęlorum vni promiſſas dataſque Petro, non reliquis Apoſtolis, aut Eccleſiæ, ex ipſis verbis Chriſti.

Quamuis autem Diuo Auguſtino alicubi

videatur has claues magis pertinere ad Eccleſiam, quàm ad perſonam Petri. Id quo pacto ſane, recteque intelligi poſſit, ſupra indicauimus: non enim datas vni perſonæ Petri certum eſt, ſed etiam poſt Petrum perpetuo conſeruari in eius cathedra, & hæreditaria quadam ſucceſſione tranſire in eius ſucceſſores, non tamen illa habuit, aur habet Eccleſia, niſi mediante Petro, & in ſucceſſoribus eius Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidibus. Si enim Eccleſiæ eas immediate conferre voluiſſet Chriſtus, quorſum ergo cum continuo loqueretur de Eccleſia addidiſſetque magnificam illam promiſſionem ad eadem pertinentem: Et portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, non tamen continuauit de ea loqui, neque dixit: Et illi dabo claues, ſed reuerſus ad Petrum fundamentum Eccleſiæ: Et tibi inquit, dabo claues Regni Cęlorum? Quis hic non videat, non ipſi immediate Eccleſiæ, ſed eius capiti Petro, promiſſas, dataſque illas claues cęleſtis regni? Et quod hic verus ſit, germanuſque dictorum Chriſti verborum ſenſus, ex ipſo ſenſu, & conſenſu Catholicæ per orbem Eccleſiæ, ex ipſa videlicet certa, infallibilique rectæ intelligentiæ ſcripturarum amuſſi, paulo poſt intelliges.

Iam illam velut poteſtatem clauium particulatim explicare incipiens, iudiciariam in primis aut iuriſdictionis eius auctoritatẽ ſtatuit, ſubiungens continuo ad Petrum: Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis. Quibus verbis non video quid dici potuerit efficacius, auguſtius, aut magnificentius. In primis auctoritatem eius, & imperium nulla coarctauit certa diœceſi, nullis circunſcripſit limitibus, ſed quicquid ligaueris, inquit, ſuper terram, orbem videlicet terræ vniuerſum eius authoritati ſubijciens, & imperio. Deinde non reſtrictam ad vnum aliquid aut alterum ſed vniuerſalem illi omnium, quæ in Eccleſiaſtica domo diſpenſanda, conſtituenda, ordinandaque forent, auctoritatem attribuit dicens: Quodcunque ligaueris, ligatum erit. Qui dicit, quodcunque, nihil excipit omnium. Ligat autem nos Eccleſiaſticæ domui præſidens, non funibus, aut catenis, ſed vinculo obligationis & præcepti. Quod ille tanquam commodum, & vtile ad eccleſiaſticæ ſocietatis finem conſtituit, præcipit atque ordinat in Eccleſiaſtica domo, hoc ipſo obligamur omnes, qui eiuſdem ſumus ouilis Chriſti, & familiæ: quemadmodum ſua in domo priuata patrisfamilias præcepto, ligat omnes, qui ad eam domum, & familiam pertinent.

Si quid vero ante laudabiliter conſtitutum, temporum poſt occaſione aliud exigente, ſoluitur ab Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſide, hoc ipſum iam liberum factum eſt, cum prius obligaret. Et ne quis tanquam humanas tantum eiuſmodi obligationes parui pęderet, vt ex quibus nihil præter humanas offenſas, legaleſque aut canonicas (ſi quæ ſtatutæ eſſent) pœnas nobis metuendum foret, affirmat in Cœlo, hoc eſt, coram Deo ligatum, quicquid ligauerit Petrus coram Deo, eiuſdem nos obligari vinculis, & præceptis, eiſdem nos obedientiam debere. Nec eſt quod quiſquam imaginetur, aut de poteſtate excommunicandi, aut dimittendi hominibus peccata, eademque retinendi hic loquutum Chriſtum. Quandoquidem illa excommunicandi poteſtas non ex aliqua ſingularis Eccleſiæ autoritas, ſed conſequitur ex hac, quam hic adſtruimus, vniuerſali poteſtate clauium. Nam in excommunicatione nihil aliud facit Eccleſia, quam quod putrida membra ſua, hoc eſt, Eccleſiaſticæ authoritati contumacia, ordinem eiuſdem, & diſciplinam diſſoluentia, & quæ nolunt obedire monenti, præcipientique Eccleſiæ, a ſe abſcindit, ſimul interdicendo ſuis fidelibus, ne eiſdem communicent, quo confundantur, coganturque reuerti ad cor, & Eccleſiaſticæ ſe diſciplinæ humiliter ſubmittere. Quæ equidem includuntur vniuerſa in illa vniuerſali poteſtate clauium, hoc eſt, auctoritate eius, qui præſidet Eccleſiaſticæ domui. Qui ſicut pro Eccleſiaſticæ ſocietatis fine, interdicere illis poteſt, qui intus atque eiuſdem domus ſunt, ne communicent ijs, quos ipſe notauerit, tanquam domeſticæ tranquillitatis, & diſciplinæ perturbatores: ita poteſt, & alia vniuerſa, quæcunque ad eundem finem pertinent.

Quod ipſum clariſſime innuit Chriſtus Matthæi 18. vbi & Eccleſiæ ſimilem quandam authoritatem nobis commendat, modum docens, & ordinem præſcribens corripiendi in nos peccantis fratris, quem noſtra correptione non emendatum iubet denunciari Eccleſiæ: Si, inquit Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus: auctoritatẽ hoc ipſo nobis commendans pręcipientis Eccleſię, & ſuo pręcepto nos conſtringentis ad aliquid: Si, inquit, Eccleſiam non audierit, hoc eſt, præcipienti Eccleſiæ non obedierit. Sed quare nobis vt ethnicus, publicanuſque habendus eſt, ſi quis contumaciter eſt inobediens Eccleſiæ, ipſe tibi reſpondet Chriſtus: quia, inquit, quæcunque alligaueritis vos Eccleſiam conſtituentes, & repræſentantes, hoc eſt, quæcunque alligauerit Eccleſia ſuę præceptionis vniculo (neque enim alios funes habet, alia vincula, quibus fideles alliget) alligata erunt, & in cœlo. Quaſi diceret: Non ſolum hac in re Chriſtianus quilibet obedientiam debet Eccleſiæ, ſed in omni præcepto. Non enim ſolum quod hac in religat, ſed quęcunque alligat, coram Deo etiam ligata ſunt. Quæcunque, inquit, ſubintelligendum, ad eccleſiaſticæ ſocietatis finem conſequendum ordinata, & commoda. Nos tamen præcipienti Eccleſiæ ſimpliciter in omnibus obedire tenemur, & non de præceptis eius, an ad finem ſuum conducant, ſuperbiæ, & rebellionis inflati ſpiritu, temere iudicare. Quare, & a nobis obedientiam erga præcipientem Eccleſiam exigens, nihil prorſus excepit, ſed quæcunque, inquit, alligaueritis vos exiſtentes, Eccleſia, ligata erunt, & in cœlo. Quanquam vt ordinate ſe habeant, & hæc Eccleſiæ, & illa Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis anthoriras, partim à nobis ſupra indicatum eſt, & ſequenti libro adhuc explicabitur clarius.

Ad poteſtatem vero dimittendi peccata hominibus, quam & Apoſtolis, & Diſcipulis omnibus indifferenter poſt reſurrectionem ſuam contulit, non pertinere prædicta Chriſti verba ad Petrum, æque clarum eſt.

Petro

Differentia longa inter poteſtatem ligandi, & ſoluendi, & dimittendi peccata, & retinendi.

Petro vt baſi, & capiti Eccleſiaſticæ Hierarchiæ authoritatem neceſſariam contulit ad gubernandam ſibi commiſſam domum Eccleſiaſticam, affirmans toto orbe Chriſti fideles illius præceptis ligari etiam coram Deo, & in cœlis. Omnibus vero Apoſtolis, & Diſcipulis, hoc eſt, Sacerdotibus omnibus, poteſtatem illam dimittendi peccata, cuius quotidie inter omnes Chriſtianos, & vbique eſt, & vſus mutuus, & neceſſitas, poſtea indifferenter tribuit. Cuius ab illa Petri, vt eſt toto genere diuerſa ſubſtantia, ita diuerſa vtriuſq; opera, ipſius Chriſti verba clariſſime explicanr. Illius authoritatis Petri, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ capitis opus præcipuum eſt ligare, huius peccata remittere: illi quaſi priuatiue opponitur ſoluere: huic vero retinere, hoc eſt, non remittere. Vides vt hæc toto genere diuerſa ſint. Hanc authoritatem Sacerdotibus omnibus competere, certum eſt: illam datam vni Petro, teſtatur communis fides, & conſenſus Catholicæ, illa videlicet columna, illud robur, & firmamentum veritatis.

Quod vt poſt clariſſime intelliges, ita nunc breuiter tibi ad memoriam reuocabimus conſona confeſſione, & teſtimonio, tot Epiſcoporum Orthodoxorum totius Ægypti, Thebaidos, & Libyæ vna cum glorioſo illo Chriſti confeſſore, & Orthodoxo fidei aſſertore Athanaſio: quorum vt frequẽter meminimus fidem conſonam atque à Deo eandem, reſtatur omnium nomine ſcripta ad Felicem Romanum Pontificem epiſtola, in qua ſcribunt in hæc verba; A ſanctis, inquiunt, patribus in Nicena ſynodo congregatis definitum eſt conſonanter, vt ſi quis Epiſcoporum, aut metropolitanum, aut comprouinciales iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam appellet ſedem: cui ab ipſo dominio poteſtas ligandi, & ſoluendi, ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Hæc illi tam multi, tam ſancti patres: quorum confeſſione vides, non ad quoslibet Sacerdotes, ſed ad vnum Petrum eiuſque in Eccleſiaſtica Hierarchia ſucceſſores, pertinere illa verba Chriſti ad Petrum, vni illi Apoſtolorum omnium, & ſucceſſoribus eius, ſpeciali priuilegio conceſſam à Domino ſupereminentem illam ligandi, ſoluendique ſuper omnes anthoritatem. Et hactenus quidem illam regiminis eccleſiaſticę domus, iuriſdictioniſque principalem authoritatem, datam Petro, & ſucceſſoribus eius, eccleſiaſticæ domui præſidentibus. Et qualis, quantaque ea ſit, ipſis Chriſti verbis ſatis explicauimus.

Iam & eiuſdem authoritatis eſſe, ſubortas de fide, & religione controuerſias, quæſtioneſque dogmatice definire, & Cathedræ Petri ea in re ſingulare priuilegium, in eiſdem, quæ ſupra memorauimus, verbis haud obſcure innuit Chriſtus, & alibi adhuc clarius exprimit. Siquidem contendentibus inter ſe Apoſtolis, quis eorum eſſet maior, cum pleraque dixiſſet ad omnes, quibus carnalem adhuc ambitionem eorum exprimeret, dicit vni Simoni Petro: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Hic tu nota nobiſcum verba, & ſigna myſteria. Vni, vt audiſti, Simoni denunciat commune fratrum, & Eccleſiæ periculum, dicit enim: Ecce Satanas expetiuit, non te, ſed vos, vt ventilaret. Et quamuis omnes ſint expetiti à Satana, pro vno tamen Petro ſingulariter rogauit dicens: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Non dicit, rogaui pro vobis, vt non deficiat fides veſtra: ſed vnius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis, atque eius Cathedræ, ſingulare ea in re priuilegium ſtatuit. Subiungens itaque, cuius eſſet in ſubortis eiuſmodi dubitationum fluctibus, & hæreticæ perſecutionis tempeſtatibus ac procellis, confirmare fluctuantes fratres in fide: Et tu, inquit, aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Vides itaque, ad cuius authoritatem Chriſtus voluerit pertinere, dubia, controuerſiaſque, quæ inter nos de fide, lege, religioneque Chriſti, quomodolibet oriuntur, definiri, ad cuius iudicium in omni ambiguo, difficilique negocio, nobis recurrendum ſit: nempe eiuſdem illius, cui claues regni cœlorum credidit, cui commiſit Eccleſiæ ſuę gubernationem, & regimen, & ſuper eandem pleniſſimam authoritatem impartitus eſt. Vides denique quoduam vni Petro atque eius Cathedræ ſua Chriſtus oratione priuilegium impetrauerit: ne videlicet ad fratres confirmandos in fide deficeret eius fides. Quæ tamen Chriſti oratio haudquaquam pro illo ſtatu, & tempore ad Petrum pertinuiſſe videtur, ex quo continuo poſt ipſum ter abnegauerit: ſed magis ad ſequentem ſtatum Eccleſiæ, cum abiens à nobis Chriſtus in cœlum, illum ſuper vniuerſam familiam ſuam paſtorem conſtituit, quam eius curæ etiam tertio repetita diligenter commendatione commiſit. Quod ipſum eiſdem ipſis verbis ſatis innuit, dicens: Et tu aliquando conuerſus, innuens videlicet, cum prius defecturum in fide, ſed deinceps eius fidem, eius, inquam, & qui locum eius tenerent, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidum, non defecturam aliquando ad Eccleſiæ confirmationem: niſi vanam, inefficacemque illam Chriſti orationem eſſe voluerimus: quem tamen Paulus exauditum affirmat pro ſua reuerentia.

Obiectionis remotio.

Sed dices etiam pro alijs Apoſtolis rogaſſe Chriſtum, cuius orationis effectum haud dubie impletum cur non porrigimus etiam ad ſucceſſores eorundem, Epiſcopos reliquos, quemadmodum prædictæ de non defectura fide Petri, ad ipſius quoque ſucceſſores?

Facilis hic eſt, certaque reſponſio. Nam quæcunque dixit Chriſtus aut Petro, vt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principi, aut Apoſtolis, cæteriſque Diſcipulis, ad officij, gradus, & ordinis eorundem authoritatem pertinentia, æque ad ſucceſſores eorundem pertinent. Vt illud dictum Apoſtolis omnibus: qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Et rurſus, quod indifferenter dictum eſt Apoſtolis vna, & Diſcipulis illis 72. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt; & quæcunque Petro dicta ſunt, tanquam baſi, & capiti Eccleſiæ. Non enim illius puſilli gregis tantummodo curam certum eſt habuiſſe Chriſtũ: ſed multo magis ſuæ huius Eccleſiæ in orbem diſperſæ & propagatæ. Non voluit continuo poſt Apoſtolos derelinquere Eccleſiam ſuam,

Digitized by Google

ſine ordine, & hierarchia à ſe diſpoſita, tumultuantem velut Babylonem quandam: quę quanto magis creſceret, & latius diffunderetur, tanto magis opus habeat, ſuo ordine, & hierarchia in vnitate contineri, & in finem ſuum dirigi. Itaque & hoc vnum eſſe eorum, quæ ad caput eccleſiaſticæ hierarchiæ pertinent, videlicet vt eius inobliquabilis conſeruaretur fides, cuius ſententia in ſubortis de fide dubitationibus, alijs eſſe debebat certæ, rectæque fidei regula, tam ex ratione eccleſiaſticæ ſocietatis, quam ex eius vmbra, & figura Synagogæ veteris ſupra demonſtrauimus. Quod ipſum cum hic Chriſtus oratione ſua velut ſingulare priuilegium, vni inter Apoſtolos, quamuis vna præſentes Petro eccleſiaſticæ domus velut patrifamilias impetrauerit, nunquid dubitabimus ad ſucceſſores eius porrigere? Certe quod hic pro vno inter Apoſtolos Petro vt capite, & baſi eccleſiaſtici ædificij rogauerit Chriſtus, idem ipſe tibi teſtis eſt. Qui in omnium præſentia vni Simoni dixit: Ecce Satanas expetiuit ventilare vos, confratres nimirum indicans. Attamen non dicit ſe rogaſſe pro illis, ſed pro te, inquit, rogaui ne deficiat fides tua, vt tu illos confirmes. Vides hic ſingularem pro vno Petro orationem, vides illi tanquam omnium paſtori impetratum ſpeciali priuilegio, ne vnquam fides eius, aut deficeret, aut titubaret.

Confirmatio à teſtimonio Alexandrinæ Synodi ſub Athanaſio.

Itaque illa Alexandrina (vt audiſti) Synodus trecentis, & eo amplius annis poſt Petrum Romano Pontifici ſcribens, affirmat ipſi Cathedræ Petri, Romanæ Eccleſiæ hæreditario quodam, perpetuoque iure conſtabilita vniuerſa quæ ad eccleſiaſtici regiminis principalem authoritatem pertinent, & in primis ligandi illam, quam explicauimus, ſuper alios conceſſam ab ipſo Domino. Ipſam conſtitutam lucidiſſimam formam Chriſtianæ Religionis & Fidei. Ipſius Pontificem dicit, & confitetur eſſe Petrum, authoritate videlicet, officio, ita teſtante diuino eloquio: Tu es, inquit, ſicut veraciter diuinum teſtatur eloquium, Petrus, tibique claues regni cœlorum commiſit, & ligandi, ſoluendique ſuper alios poteſtatem. Item: Tu prophanarum hæreſium, & imperitorum atque infeſtantium omnium depoſitor, vt princeps, & caput omnium, doctorque orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei exiſtis. Et ad finem epiſtolæ: Vos ergo, qui in ſumma ſpecula gratia Dei poſiti eſtis oramus, vt minime deſpiciatis humilitatis noſtræ, & omnium Orientalium orthodoxorum Sacerdotum, & populorum afflictiones, & deprecationes cum lachrymis oblatas: ſed ſicut luminaria vniuerſo mundo verbum vitæ retinentes, introductas extinguite tenebras nefandiſſimorum inſidiatorum, temporibus noſtris procaciter germanitas: quatenus funditus extincta huiuſmodi caligine, lucifer nobis reſplendeat per vos, ſanctiſſime pater, & dogmatica definitio omnes lætificans, quam glorioſi Eccleſiæ ſancti patres, per propria pijſſime dogmata in æternæ vitæ firmam hęreditatem prędicaſſe noſcuntur &c.

Vides hic tantæ ſynodi, tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum, & Chriſti confeſſorum, ex ſecunda ipſa totius orbis Eccleſia è medio Oriente, & Meridie, immenſis terrarum mariumque ſpacijs diſtantium à Cathedra Petri, atque adeo Orientalium omnium orthodoxorum, tam Sacerdotum, quam populorum confeſſione (quam nihil dubium eſt fuiſſe, & eſſe catholicæ confeſſionem Eccleſiæ) quænam à Chriſto dicta ad Petrum, pertineant etiam ad ſucceſſores eius, Romanos Pontifices, & in eius Cathedra, Romana Eccleſia ſingulari priuilegio perpetuo conſeruentur, nempe claues regni cœlorum. Illa ſupereminens gubernandi eccleſiaſticam domum authoritas, omneſque toto orbe terrarum Chriſti fideles ligandi, & ſoluendi. Item in ſubortis hæreſium tempeſtatibus, & procellis, docere orthodoxam doctrinam, & immaculatam fidem. In qua ne errarent, Chriſtiani, oratione impetratum ipſis ſingulari priuilegio, vt verbum vitæ fideliter retineant, & conſeruent ad aliorum confirmationem in fide. Ad eoſdem etiam pertinere, condemnare hæreſes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus orthodoxam Chriſti fidem, & religionem, deijcere. Iam & illud perpende, quid Simoni dixerit Chriſtus cum magnificum illud Cephæ aut Petri illi nomen imponeret, & baſim caputque pronunciaret eccleſiaſtici ædificij: Ego, inquit, dico tibi, quod tu es Cephas, hoc eſt lapis aut petra, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Poteſt autem hoc relatiuum, eam, tam petram illam, eccleſiæ caput, & fundamentum, quam Eccleſiam ipſam deſuper ædificatam intelligi referre. Quanquam ſi ſermonis proprietatem ſpectes, ad petram, velut principale antecedens, vnde ſermo orditur, & propter quam ſuſceptus eſt potiſſimum, quod neceſſe habent reliqua ſubſequi, & non ad Eccleſiam, cuius obiter mentio intercidit, magis referendum intelliges. Alioqui potius, aduerſus hanc dicendum fuiſſet, quod hanc propinquius, eam remotius monſtret.

Vtcunque autem hoc ipſum intelligatur, ſiue quod promiſerit non præualituras infernales portas aduerſus petram illam ſuperædificandæ Eccleſiæ fundamentum, pro cuius fide ne deficeret, ſed integra, ſynceraque ſemper perduraret, ad aliorum confirmationem, vt iam audiſti, ſingulariter rogauit omnipotentem patrem: ſiue ad Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam intelligatur pertinere illa promiſſio, vtroque modo certum eſt, etiam ad petram illam Eccleſiæ fundamentum pertinere eandem. Nam ſi nunquam præualituræ ſint inferorum portæ aduerſus Eccleſiam, quæ Petro vt capiti adhæret, & connectitur, eidemque veluti fundamentũ innititur, certum eſt multo minus aduerſus fundamento illud, præualituras eaſdem. Siquidem fundamento euerſo, neceſſe eſt corruere, & ædificium: non autem è conuerſo, ſed poſſet ſubſiſtere fundamentum, etiam diruto ædificio. Quare ſi ſyncera, orthodoxaque ſemper permanebit fides Eccleſiæ, quæ Petro capiti indiſſolubili vnitate cohæret, ipſius quoque capitis fidem multo magis neceſſe eſt perdurare integram.

Cum autem non præualituras infernales portas aduerſus Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam specialiter promiſerit Chriſtus, quodnam illis impediret exitium, qui ab hoc ſe capite, & fundamento ſeparaſſent, haud obſcure ſignificauit, & innuit. Quare & ortho-

doxus

doxus ille Hieronymus ad Damaſum Romanum Pontificem ſcribens: Ego, inquit, nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et nunquid mentitus eſt vir ille ſanctiſſimus? An tibi præualuiſſe non videntur inferiorum portæ aduerſus omnes Eccleſias, quæ ab hoc fundamento ſe ſeparauerunt? Nunquid illud inundationis diluuium iam non abſorbuiſſe videmus ac merito dolemus, quoſcunque extra hanc arcam, extra nauiculam Petri inuenit? Vbi nunc ſunt illæ quondam ſuperbæ Orientis Eccleſiæ? Vbi illa Conſtantinopolitana Romanæ authoritatis æmula, & quæ collatum diuinitus Petro priuilegium, toties fruſtra in totius Orientis ambiuit perniciem? Vbi centum illæ, & quinquaginta tres Cathedrales Eccleſiæ, quę olim ſub vno Antiocheno fuiſſe commemorantur? vbi tot illæ Aſiæ, Syriæ, Cæſareæ, Paleſtinæ, tot Damaſci, tot Apamearum quondam florentiſſimæ Eccleſiæ? Vbi illa Alexandrina cum Ægypto vniuerſa, vtraque Arabia cum tot Thebaidis, Libyæque Eccleſijs? Vbi illa Carthaginenſis? Et in Africa, Numidia, Mauritania, vbi nunc tot Epiſcoporum Cathedrę, ex quibus Africanorum illorum, & Carthaginenſium Conciliorum authores, tam multi præſules in vnum conuenere? Et vt propius ad nos accedam, vbi nun illa Theſſalonicenſium, Corinthiorum, Athenarum, cum Gręcia vniuerſa? Nunquid non eſt demolitus eas aper de ſylua, & fera peſſima depaſta eſt? Cuius ſi cauſam diligenter, prudenterque perquiſieris, haud aliam inuenies, quam quod ſe diuiſerunt à fundamento Eccleſiaſtici ædificij. Solas autem, atque adeo illas omnes ex hoc diluuio ſupereſſe videmus, quas ſaluauit Nauicula Petri, & quæ Eccleſiaſtici ædificij fundamento firmiter inhæſerunt. In cæteras deſæuit eadem diuina vltio, quæ illas tribus decem, quod ſe ſeparauerant Iuda, & Beniamin. Et indignatus eſt, inquit, Dominus omni ſemini Iſrael, & demolitus eſt eos, & dedit in direptionem: donec abijceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſrael à domo Dauid.

Quod ſi non verbis tantum, ſed, & factis ſuis nos inſtruxerit Chriſtus, facile perſpicis nec illud carere myſterio, quod tam diligenter exprimunt Euangeliſtæ, videlicet quod turbas docturus, in vnius Petri non alterius Nauiculam aſcenderit, de qua loqueretur populo, hoc nimirum ſignificans, quod de Nauicula, Cathedraque Petri perpetuo nobis eſſet locuturus ad finem vſque ſeculi, qui ſe conſque nobiſcum eſſe, foreque promiſit. Hanc ſolam, inquit, ſacer ille Ambroſius, Eccleſiæ nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus, hæc ſemper in altum huius ſęculi, ita vt pereunte mundo omnes, quos ſuſcepit, ſeruet illæſos. Illi ſiquidem promiſſum eſt, quod portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam.

Sed nec illud myſterio vacuum eſt, quod vnus ex omnibus Apoſtolis Petrus ad Chriſti diuinitatem, & cognoſcendam, & prædicandam, cœleſtis patris reuelatione illuminatus eſt, cum ſuperædificandæ Eccleſiæ petra, & fundamentum conſtitueretur à Chriſto. Mihi certe etiam hoc ipſo clare ſignificaſſe videtur Eccleſiaſticæ Hierarchiæ capiti ac præſidi, quantum ad confeſſionem, doctrinamque ſyncerræ fidei attinet, ſingularius præ alijs adeſſe diuinam illuminationem, & linguam eius fieri mirabilis illius ſcribæ calamum, velociter ſcribentis: quantumuis moribus, vitaque permittantur cadere.

Cur Petrus cum Eccleſiæ fundamẽtum pronunciaretur à Chriſto, cęlitus illuminatus eſt ad diuinitatem Chriſti præ alijs confitendam.

Itaque vt hic tandem finiamus: Habes cui claues regni cœlorum Chriſtus commiſerit, cui crediderit regendam, gubernandamque ſuam Eccleſiam, quam illi authoritatem obligandi vniuerſos vinculis præceptionum ſuarum dederit, affirmans coram Deo illi nos obligari. Habes quoque ad cuius authoritatem pertineat definire ſubortas inter nos dubitationes, & controuerſias. Habes deuique tam Cathedræ Petri, quàm in eadem pręſidentium impetratum oratione Chriſti, eiuſque fideli promiſſione conſtabilitum, ſingulare priuilegium, ex dictis actiſque Chriſti non minus euidenter demonſtratum, quam ex ipſa eius vmbra & figura in Synagoga veteri, ex ipſa denique Eccleſiaſticæ ſocietatis ratione ante demonſtratum eſt. Quod etiam ipſum cum ſubſecuta (vt paulo poſt audies) comprobet rei ipſius euidentia, nec minus Catholicæ Eccleſiæ communis, conſonaque confeſſio, qui huic derogat, haud dubie ad arcam illam non pertinet, in qua ſola ſalus eſt à diluuio huius ſeculi, ab ea ſe iam ſeparauit Eccleſia, aduerſus quam non præualent inferorum portæ, iam auulſus à baſi ædificij Eccleſiaſtici, in ſe collapſus corruit, & per ſeipſum, ſuoque ipſius iudicio damnatus eſt.

CAP. V.

Quæ de authoritate Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, & ſingulari priuilegio eius cathedræ triplici iam medio demonſtrauimus, ex communi catholicæ Eccleſiæ fide & confeſſione, ipſaque atteſtante rerum fide, adhuc euidens facere.

AVthoritatem Eccleſiaſticę hierarchię pręſidis ex ipſa ratione eccleſiaſticæ ſocietatis inuentam, & tam ex vmbra & figura in ſynagoga veteri, quam clariſſima luce veritatis euangelicæ, ipſiſque Chriſti verbis, geſtiſque comprobatam, vna cum cathedræ tam Moſaicæ, quam apoſtolicæ ſingulari, ſed ſuo cuiuſque priuilegio, nunc ex ipſa etiam totius catholicæ Eccleſiæ communi fide confeſſioneque, ipſa quoque euidenti atteſtante rerum fide, demonſtrare conabimur. Tunc enim ſecuri, certique eſſe poſſumus, veram nos inueniſſe in ſcripturis, germanamque earum intelligentiam, ſi adhibita illis ſua illa amuſſi, & inobliquabili regula: communi, inquam, catholicæ Eccleſiæ ſenſu & ſententia, illi per omnia conſonet id, quod in ſcripturis recte intellexiſſe, inueniſſeque confidimus.

Et quanquam catholicæ per orbem Ec-

cleſiæ hac de te commnnem ſententiam, atteſtantemque cidem ipſam rei euidentiam ex vniuerſis, quæ hoc libro deinceps ttactabuntur, euidens erit cernere: hic tamen ex tenore profeſſionis orthodoxæ fidei ipſius catholicæ Eccleſiæ, ſub qua reuertens à ſchiſmate, ad gremium & communionem catholicæ Eccleſiæ, in extremo Oriente, Septentrione, & Meridie, ante annos 1000. tecepti ſunt. Ex ipſa quoque Alexandrinæ ſynodi ſynodali epiſtola hoc ſpecialiter demonſtrare conabimur. In illo Orientalium Eccleſiarum ſchiſmate, quod per Acatium Conſtantinopolitanum Epiſcopum excitatum eſt(cuius poſt audies longam tragœdiam, euidentius comprobantem, quod hic paucioribus demonſtrare conamur) cum illius ſucceſſor Ioannes, ſeu fidelis popnli votis (qui ægerrime ferebat ſe diuiſum à fundamento eccleſiaſtici ædificij, communioneque Sedis Apoſtolicæ) ſeu Iuſtini Imperatoris zelo fidei prouocatus, ad catholicæ eccleſiæ vnionem rcuerti cuperet, reuniriquc ſuo capiti, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, libellum profeſſionis, & fidei orthodoxæ, & catholicæ eccleſiæ propriæ ſuæ mauus ſubſcriptione roboratum, etiam dicto in ſeipſum anathemate, ſeu eum vnquam tranſgrederetur in poſterum, miſit ad B. Hormiſdam eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, quo mereretur ab eo in communionem recipi. Cuius tenor ad verbum inſertus legitur in eiuſdem Ioannis ad eundem beatiſs. Hormiſdam epiſtola, quam ad rei fidem hic adſcribere libuit.

Redditis, inqnit, mihi Veſtræ Sanctitatis literis, in Chriſto fraret chariſſime, nuper per Gratum clariſſimum comitem, nunc vero per Germanum, & Ioannem reuetendiſſimos epiſcopos, & Fœlicem, & Dioſchorum ſanctiſſimos diacones, & Blandum presbyterum, lætatus ſum de ſpeciali eharitatis Veſtræ Sanctitate, quod vnitatem eccleſiarum Dei ſecundum veterum Patrum requiris traditionem, & dilaceratores rationabilis gregis Chriſti, amore pulſare feſtinas. Certus igitur ſcito per omnia ſanctiſſime, quia ſecundum quod vobis ſcripſi tecum cum veritate conſentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, &c.

Omnibus actis à ſanctiſſimis quatuor Synodis, Nicena, Conſtantiuopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi de confirmatione fidei, inſtituta eſſe eccleſiæ aſſenrior, & nihil titubare de bene iudicatis patior, ſed & conantes in ipſis vſque ad vnum apicem placitorum turbare, lapſos eſſe à ſancta Dei generali & Apoſtolica Eccleſia ſcio. Et tuis verbis recte dictis euidenter vtens, per præſentia ſcripta hæc dico: Quia prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cnſtodire, & à Patrum traditione nullatenns deuiare. Et quia non poteſt Domini Ieſu prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſupet hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Atque hæc ipſa, quæ dicta ſunt rerum comprobantur effectibus. Quoniam in Apoſtolica Sede inuiolabilis ſemper fides catholica cuſtoditur. Hæc igitur fides eſt, à qua nec cadere cupientes, ſed Patrum ſequentes in omnibus conſtituta, anathematizamus omnes hæreſes, & præcipue Neſtorium hæreticum, qui quondam Conſtantinopolitanæ vrbis fuit epiſcopus, damnatum in Concilio Epheſino, à beato Cœleſtino Papa vrbis Romæ, & à venerabili Cyrillo epiſcopo Alexandtinæ ciuitatis, & vna cum illo anathematizamus, & Euticetem, & Dioſchorum Alexandrinæ ciuitatis epiſcopum, damnatum in ſancta Synoda Chalcedonenſi, quam venerantes ſequimur & amplectimur, quæ ſequens ſanctam Nicenam Synodum, Apoſtolicam fidem prædicauit. His coniungentes Timotheum parricidam, Hellurum cognominatnm, anatbematizamus, & huius diſcipulum, & ſequacem in omnibus Petrum Alexandrinum ſimiliter condemnantes.

Anathematizamus ſimiliter Acatium, quondam Conſtantinopolitanæ vrbis epiſcopum, complicem eorum & ſequaeem factum, necnon perſeuerantem in eorum communione, & participatione. Quorum enim quis communionem amplectitur, eorum etiam ſimilem adiudicationem in eodem natione conſeqnitur. Simili modo & Petrus Antiochenum condemnantes anathematizamus cum ſequacibus ſuis, & omnibus ſupradictis. Vnde probamus & amplectimur epiſtolas omnes beati Leonis Papæ vrbis Romæ, quas conſcripſit de recta fide. Quapropter, ſicut prædiximns, ſequentes in omnibus Sedem Apoſtolicam, prædicamus etiam omnia, quæ ab ipſa decreta ſunt. Et ptopterea ſpero in vna communione vobiſcum, quam Apoſtolica Sedes prædicat, me ſuturum, in qua eſt ſemper integra deuotio Chriſtianæ religionis, & perfecta ſoliditas. Promittens in ſequenti tempore ſequeſtratos à communione Eccleſiæ catholicæ, id eſt, in omnibus non conſentientts Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Quod ſi in aliquo à profeſſione hac mea deuiare tentauero, his, quos comdemnaui, etiam per condemnationem propriam, conſortem me eſſe profiteot. Huic vero profeſſioni ſubſcripſi manu mea, & direxi per ſcripta tibi Hormiſdæ ſancto & beatiſſimo fratri & Papę magnę Romę, per ſupradictos Germanum, & Ioannem venerabiles epiſcopos, Fœlicem, & Dioſchorum diacones, & Blandum presbyttrum.

Huic ſuę profeſſioni propria manu ſubſcripſit in hæc verba; Ioannes miſeticordia Dei Epiſcop. Conſtantinopolitanę eccleſiæ, nouellæ Romæ, huic meæ profeſſioni conſentiens omnibus ſupradictis ſubſcripſi ſanus in Domino. Dat. menſe Martio, die 28. Indictione xj. Conſulibus Domino Iuſtino Imperatore Auguſto, & Heradio IV. CC. Eiuſdem libelli profeſſionis, & fidei catholicæ Eccleſiæ tenorem, idem Hormiſda inſeruit ſuis literis ad Hiſpaniarum epiſcopos: vt ſi quis (ſuper quo conſuluerant) Orientalium clericorum à prædicto ſchiſmatc veniens, eccleſiaſticam ab eis communionem poſceret, ſecundum eius formam admitteretur, ſecundum quam & de Thraciæ, & Scythiæ, Illyricique partibus, ſimiliter & Syriæ, affirmat multos ſuiſſe receptos, gaudentes ad recta confluere, & deuia declinaſſe.

Vides itaque, quæ ſit & fuerit fides catholicæ per orbem eccleſiæ, videlicet vt ſalus noſtra præcipue conſiſtat in cuſtodia rectæ fidei, & traditionis paternæ, ſeu eccleſiaſticæ: vt infallibilis illa Chriſti ſententia, qua Simonem petram conſtituit, & fundamentum ſu- Nota confeſſionem Catholicæ Eccleſiæ.

per-

perædificandæ eccleſiæ, nnuquam deficiat in eius cathedra, eiuſdemque Præſidibus & Pontificibus, comprobante hoc ipſa rei euidentia, ſubſecutiſque effectibus, vt eius decretis, & præceptis omnes obedientiam debeant, vt in omnibus ſequi eiuſdem fidem, in qua eſt, & conſeruatur integra, inuiolabilis, perfectaque Chriſtianæ religionis & fidei ſoliditas, cuins eandem agnoſcunt & prędicant ducem & magiſtrum vt Apoſtolicę Sedi non conſentientes, ſequeſtrati ſunt à commuuione catholicæ Eccleſiæ. Simili fere tenore Carthaginenſis Eccleſia ſnb Boniſacio II. reconciliari meruit, quę ſub Boniſacio I. & B.Cœleſtino, aduerſus Romanam Eccleſiam ceruices ſuas erigere cœperat, authore Aurelio Carthaginenſi epiſcopo: cul graue videbatur, quod à tranſmarinis illis eccleſijs epiſcoporum iudicia ad huius ſedis examen referri oporteret.

Volebat etiam comprouincialium ea in re vltimum, ratumque abſque retractatione manere iudicium. Cnins occaſione, etiam in ſexto Carthaginenſi ſynodo, illa de Niceni concilij canonibus diſceptatio exorta eſt: præſertim ſuper eo, quo id expreſſe conſtitutum fuerat ab illis ſanctiſſimis Patribus, quam poſt latius explicaturi ſumus tragœdiam. Itaque cum etiam poſt illum Aurelium, nonnulli eius in Carthaginenſi eccleſia ſucceſſores, exempli quoque imitatores fierent, debitamque & conſuetam obedientiam detrectarent Romanis Pontificibus, prolaberenturque ob id in multos, varioſque errores, qui ſemper vna cum ſchiſmate veniunt, & diſſoluto eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore, in Africana illa Eccleſia, magna iam exorta eſſet omnium ordinum confuſio, tot tantiſque prædeceſſorum ſuorum, & totius illius eccleſiæ malis edoctus Eulalius Carthaginenſis epiſcopus, vna cum cæteris Africanæ eccleſiæ epiſcopis, ad gremium matris Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis obedientiam ſupplices recurrerunt, & communionem humiliter expetentes, eam obtiuuerunt à præſato Boniſacio, ſub huiuſmodi ſuę profeſſionis libello. Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & à Patrum conſtitutis nullatenus deuiare. Et quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſenrentia dicentis: Tu es Petrns, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam: & hæc quæ dicta ſunt, rerum comprobantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt catholica ſeruata religio. De qua ſpe & fide minime ſeparari cupientes, & Patrum ſequens conſtituta, anathematizamus omnes, qui contra ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt ceruices, ſequentes in omnibus apoſtolicam ſedem, & prædicantes eius omnia conſtituta: & per omnia ſpero, vt in vna communione vobiſcum, quam apoſtolica ſedes prædicat, eſſe merear. In qua eſt integra & vera Chriſtianæ religionis & perfecta ſoliditas.

Promittens ſequeſtratos à communione Eccleſiæ catholicæ, id eſt, non conſentientes ſedi apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Quod ſi in aliquo à profeſſione mea deuiare tentauero, his quos damnaui, complicem me eſſe mea ſententia profiteor. Hanc autem profeſſionem meam mea manu ſubſcripſi, & Boniſacio ſancto & venerabili Papæ vrbis Romæ direxi: damnans & anteceſſores, & ſucceſſores meos: & omnes, qui ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ eccleſiæ priuilegia caſſare nituntur. Hactenus libelli tenor.

Hæc autem ita geſta, euidenter comprobat eiuſdem Boniſacij ad Eulalium Alexandrinum epiſtola, qua Carthagiuenſis illi eccleſiæ reconciliationem ſignificat, cui prædicti libelli tenorem ad verbum inſeruit, quam ad veritatis fidem viſum eſt haud alienum adſcribere.

Bonif. Rom Pont. ad Eulalium Alexand. epiſt. hiſtor præd. teſtimoniū perhibens.

Bonifacius epiſcopus Eulalio epiſcopo ſalutem: Olim, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apoſtolorum principe fiduciam, vt habeamus authoritatem vniuerſali Eccleſię auxiliante Domino ſubuenire, & quicquid nociuum eſt, authoritate apoſtolica corrigere & emendare. Ad hoc etiam diuinæ diſpoſitionis prouiſio gradus, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuerſitate connexio & recte officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret, &c. Quia igitur vnumquodque ſalubriter tunc completur officium, cum fuerit vnus ad quem recurri poſſit præpoſitus, vota noſtra charitatem tuam latere noluimus, ne qui particeps fuit ſollicitudinis, gaudiorum fructus reddatur extorris. Et ideo Carthaginenſem eccleſiam ad communionem noſtram rediiſſe Domino propitiante, prǽſentibus ſignificamus alloquijs, & mandatorum, quæ legatis noſtris dedimus, ſeriem in omnibus fuiſſe completam. De qua parte vt ad dilectionem tuam plenius perfecte gaudium perueniret, libellum Eulalij fratris & conſacerdotis noſtri, Carthaginenſis epiſcopi, & Iuſtiniani clementiſſimi principis Orientis ſacrarum literarum exemplaria, pariter credidimus deſtinanda, indicantes nihilo minus per Orientis partes plurimos epiſcopos ſic feciſſe. Supereſt, vt à nobis competentibus precibus exorata diuinitas concedat, quatenus de aliarum quoque eccleſiarum redintegratione gratulemur.

Aurelius enim prædictæ Carthaginenſis olim epiſcopus cum collegis ſuis inſtigante diabolo, ſuperbire temporibus prædeceſſorum noſtrorum Boniſacij atque Cœleſtini contra Romanam Eccleſiam cœpit. Sed videns ſe modo peccatis Aurelij Eulalius à communione Romanæ eccleſiæ ſegregatum, humilians recognouit ſe, pacem & communionem Romanæ eccleſiæ petens. Et ſubſcribendo vna cum collegis ſuis damnauit omnes ſcripturas, quæ aduerſus Romanę eccleſię priuilegia quoquo ingenio factæ fuerunt. Exemplar autem precum & libelli eius hoc eſt: Prima ſalus, &c. quemadmodum à nobis adſcriptum eſt. Committit deinde eidem Eulalio Alexandrino ſuas vices in reliquis (ſi qui adhuc extra eſſent, & ad gremium catholicæ eccleſiæ humiliter recurrerent) reconciliandis & recipiendis, forma illi præſcripta quam obſeruare deberent, quædam illius prudentiæ plenarie committens, quædam etiam ſuo iudicio reſeruans

quæ

Digitized by Google

quæ volebat ad huins Sedis notitiam ſpecialiter teferri. Vides & hic rurſus catholicæ per orbem diffuſæ eccleſiæ orthodoxam fidem. In Sede Apoſtolica fidem catholicam extra maculam ſemper conſeruari, atque integram, veram, perfectamque Chriſtianæ religionis ſoliditatem. Vides anathema effici, nec ad corpus catholicæ eccleſiæ pertinere, quiſquis ſuperbiendo aduerſus Apoſtolicam Sedem atque eius quæ ſupra adſtruximus, ſingularia priuilegia ſuas ceruices erigit. Vides vt eandem omnes ſequi oporteat, & omnia eius decreta & præcepta obſeruare.

Et veriſſimum eſſe quod dixit ille Bonifacius, non aliter multitudinem in officio contineri poſſe, niſi ſit vnus ad quem recurratur præpoſitus. Eandem planè Catholicæ Eccleſiæ confeſſionem orthodoxæ fidei de prędictis omnibus eſt perſpicere in illa Alexandrinæ ſynodi orthodoxorum Epiſcoporum (cum Arianorum graui perſecutione premerentur) ad Felicem Romanum Pontificem ſupra citata ſubinde à nobis ſynodali epiſtola. Quæ quoniam prolixa eſt, totaque conformis in eandem, quam audiſti, ſententiam, ex ea ſequentia decerpſimus, vt ex quibus totius catholicæ, & orthodoxæ per orbem Eccleſiæ ſententiam poſſis euidenter intelligere. Eſt autem in hæc verba.

Domino beatiſſimo, & honorabili, ſancto patri Felici, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Vrbis Romæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Epiſcopi, in Sancta Alexandrina ſynodo, gratia Dei congregati. Deinde poſt pleraque. Quia apoſtolicis verba beatitudo viſceribus commota per tribulationem noſtram, nos omnes hortata eſt ad tuitionem Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ in vnum conuenire, & de noſtra oppreſſione, canonice, & vnanimiter tractare, ſatagentes ne aliqua de eis, quæ nobis creditæ ſunt, rationabilibus ouibus à beſtijs capiatur. Ideo pater beatiſſimè, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica ſancta ſede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere cognouimus, præfatam apoſtolicam, & ſummam ſedem, iuxta canonum decreta expetimus, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata acceperunt. Ad eam quoque quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur. Quomodo non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum: ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis cõmiſſos, quoniam non leuibus nos inimici noſtri implicauerunt, & quotidie magis implicare moliuntur afflictionibus, ferroque conſtringere minitantur, niſi eorum conſentiamus opinionibus: id quod nequaquam vobis inconſultis agere præſumimus, canonibus quippe iubentibus, de maioribus cauſis nos abſque Romano Pontifice nihil debere decernere. Ideoque ad propoſitum recurrentes, &c. veſtrę Apoſtolicæ Sedis imploramus auxilium, quia vt credimus, non deſpexit Deus pręces cum lachrymis ſibi oblatas ſeruorum ſuorum, ſed ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros apoſtolicos, videlicet præſules, in ſummitatis arce conſtituit Dominus, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit: vt nobis ſuccurratis, nos tuentes (cui omne Epiſcoporum iudicium eſt commiſſum) liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis.

Nam ſcimus in Nicena magna ſynodo 318. Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari. Licet hæc & alia quamplura neceſſaria ab hæreticis (qui nos quotidie infeſtant, & perdere nituntur, vt facilius nos capere poſſint) ſint ſynodica capitula incenſa, nobiſque ſublata. Qua de re, ac inuenta occaſione indifferenter, omni canonica & apoſtolica poſtpoſita autoritate, nos vi à proprijs, vobis inconſultis, illicitè expellunt ſedibus, oueſque nobis à Chriſto Domino, apoſtolica commiſſas gratia, inuadunt, gradibus priuant, & quod peſſimum eſt, & omnibus Chriſtianis legibus inimicum, perdere decertant.

Niceno concilio confirmatos antiquos canones, ne præter ſententiam Romani Pontificis, aut celebrentur concilia, aut damnentur Epiſcopi.

Vos ergo, vt ſemper veſtræ ſanctæ ſedi conſuetudo fuit, periclitantibus ſubuenite, oppreſſos roborate, taliaque prohibete, & leges imponite, vt apoſtolica doctrina, quæ in vobis eſt, cito ad victoriam iudicium perducere valeat noſtrum, noſque apoſtolorum ſuffragante Principe Petro ab imminentibus periculis liberare.

Deinde memorantes etiam ſtatuti Niceni concilij de ordine & modo obſeruando in accuſationibus Epiſcoporum: Similiter, inquiunt, & à ſupradictis patribus eſt definitum conſonanter, vt ſi quiſquam Epiſcoporum, aut metropolitanum, aut comprouinciales iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellet ſedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi & ſoluendi, ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Ipſa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipſam formam vniuerſorum titulorum luc idiſſimam Dominus Ieſus Chriſtus veſtram apoſtolicam conſtituit ſedem. Ipſa enim eſt ſacer vertex, & cardo, in quo omnes vertuntur, ſuſtentantur, & releuantur.

Deinde ipſum affirmantes (vt ſuperiori capite audiſti) Petrum autoritate, & officio, & baſim, caputque eccleſiaſtici ædificij, cui commiſſæ ſunt à Chriſto claues regni cœlorum, & illa ſuper eminens ligandi, ſoluendique poteſtas. Ad quem pertineat, & hæreſes damnare, & orthodoxam omnibus, ſanamque fidem docere, & præſcribere.

Appellationes ex toto orbe ad ſedem apoſtolicam.

Igitur, inquiunt, ne deſpicias pater tuorum patrum pietatem, bonamque intentionem: ſed ſicut illi patres, prædeceſſoreſque noſtros à multis liberauerunt oppreſſionibus, & anguſtijs: ita & nos liberare digneris.

Nam fuit ſemper veſtræ Apoſtolicæ Sedi poteſtas iniuſte damnatos, & vel excommunicatos, poteſtatiue auctoritate ſua reſtituere, & eis ſua omnia reddere, illoſque qui eos condemnauerunt, aut excommunicauerunt, apoſtolico punire priuilegio: ſicut etiam noſtris, & anterioribus cognouimus actum temporibus. Deinde poſt pauca in hæc erumpunt verba: O ſanctiſſime pater patrum, abſcindite blaſphemias, & iactantiam vaniloquorum, & inſidiantium infeſtationes, nos & fratres noſtros opprimentium, & perdere volentium, qui ad vos quaſi ad caput confugimus, vt veſtro fulti auxilio liberemur, & vo-

bis,

bis, nobiſque commiſſas Chriſti oues, à luporum ore, Domino adminiculante, antequam deglutiantur, eripiamus.

Neque enim fas eſt apoſtolicæ ſedi, ſupplicum ſcripto, aut ſine ſcripto, oblatas preces deſpicere: ſed vt condecet, & priuilegium veſtræ ſedis eſt, & nos & illi noſtri aduerſarij, regulariter conuocemur, & ante vos de noſtris obiectionibus cum omni probitate concertemus: ſicut prædeceſſores noſtri penes veſtros fecerunt anteceſſores, & ſicut canonica in prędicta ſancta ſynodo docent inſtituta.

Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid quamuis in remotis, & longe poſitis prouincijs ſuper Epiſcoporum quærelis, & accuſationibus ageretur, non prius accipiendum eſſet, quam ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet pronunciario prolata, quæ firmaret, &c. ne paſſim ab accuſatoribus columnæ conuellerentur Eccleſiæ.

Ecce enim Dei Eccleſia non leniter perturbatur, columnæque eius nimis infeſtantur, atque à prauis hominibus amoueri nituntur. Chriſtianorum vero voces, & gemitus Epiſcoporum, longe lateque reſonant, nouitates inſurgunt, calumniæ creſcunt, perſecutio graſſatur, perditio fit populorum. Veſtrum itaque eſt, nobis manum porrigere, quia vobis commiſſi ſumus: veſtrum eſt nos defendere & liberare, noſtrumque eſt à vobis auxilium expetere, veſtris parere iuſſionibus. Tandem concludentes epiſtolam, orant eum in ſumma Eccleſiæ ſpecula Dei gratia poſitum, non deſpicere, non ſolum ipſorum, ſed & Orientalium omnium orthodoxorum, tam populorum, quam Sacerdotum deprecationes oblatas cum lachrymis: ſed ſicut, inquiunt, luminaria vniuerſo mundo verbum vitæ retinentes, introductas extinguite tenebras nefandiſſimorum temporibus noſtris procaciter germinatas, quatenus funditus extincta huiuſmodi caligine, lucifer nobis reſplendeat per vos ſanctiſſimus pater, & dogmatica definitio omnes lætificans, quam glorioſi Eccleſiæ ſancti patres, in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicaſſe noſcuntur.

Incolumem te, & beneplacitum Deo ſanctiſſime pater patrum, orantem pro nobis Dominus cuſtodiat in æuum.

Quanti facienda ſit predicta cõfeſſio.

Hæc non Romanus, ſed Alexandrinus ſecundæ ſedis Pontifex: neque is qualiſcunque, ſed ſanctus ille vereque magnus, & glorioſus Chriſti confeſſor Athanaſius, cuius fides, tot perſecutionibus, tot exilijs, probata eſt: neque is vnus, ſed vniuerſi vna Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum orthodoxi Epiſcopi. In quibus nunquid dubitabimus viguiſſe illum Chriſti ſpiritum? tam ſanctis? tot perſecutionibus pro Chriſti nomine, eiuſque orthodoxæ fidei confeſſione, tanquã aurum in igne probatiſſimis, & in hoc vnum congregatis & conuenientibus; vt orthodoxam fidem aduerſus Arrianam tuerentur perfidiam, cum ipſe Chriſtus affirmet etiam duobus aut tribus in nomine ſuo congregatis ſe intereſſe medium? Nunquid hos iſta confinxiſſe adulationis ſtudio vlla ſuſpicio eſt? Nunquid vt Romanæ Eccleſiæ (cum re vèra non eſſet) authoritatem ſupra ſe efferrent, & ſtatuerent? Nunquid alia prædicaſſe, quàm ipſa erat rei veritas, quàm ipſa tenebat catholica, & orthodoxa per orbem Eccleſia?

Audis autem quàm non obſcure, quàm non dubie, ſed veluti omnibus notoriam, vniuerſoque orbi confeſſam ac recognitam, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, atque apoſtolicæ eius ſedis authoritatem, & quale ſupra adſtruximus, ſingulare priuilegium, quàm recurrant ſupplices ad Cathedram Petri, ad ſummam, & apoſtolicam ſedem, tanquam ad vbera matris Chriſtianitatis vniuerſę, tanquã ad ſacrum verticem, & caput hierarchiæ eccleſiaſticæ. Inde auxilium expetentes, vnde fatentur ſuos prædeceſſores, & ordinationes, & dogmata, & ſublenationes accepiſſe.

Audis hos confitentes ac prædicantes, quod canones eccleſiaſtici, omnes maiores eccleſiaſticas cauſas, huius ſedis diſcuſſioni reſeruauerint. Et propterea in ſummitatis arce conſtitutos à Domino Romanos Pontifices omnium illius eccleſiarum cura demandata, vt per præſidentis vnitatem, & autoritatem pax & vnitas Chriſtiana conſeruaretur in Eccleſia: ne qui opprimerentur iniuſte, ne Eccleſiarum Paſtores aduerſum ſeſe tumultuarentur, & tot fierent ſchiſmata, quot Sacerdotes: ne ille ſacer ordo confunderetur Eccleſiæ: fuiſſeque ſemper ab initio eam huic ſanctæ ſedi conſuetudinem, vt ſubueniret periclitantibus, releuaret oppreſſos, legeſque præſcriberet, per quas malorum cohiberetur improbitas, & triumpharet doctrina apoſtolica.

Audis inſuper Apoſtolicæ ſedis ſemper eam fuiſſe authoritatem, iniuſte damnatos, ſua autoritate poteſtatiue reſtituere, & iudices iniquos, apoſtolico punire priuilegio. Id quod teſtantur etiam anterioribus factum temporibus. Vt nunquam licuerit appellationem ſeu verbo, ſeu ſcripto, ad Apoſtolicam ſedem cuiquam contemnere, aut ei non reuerenter deferre. Vt eius iuris & priuilegij fuerit, quoſuis inter ſe concertantes è toto orbe terrarum, etiam vltra marinis partibus, etiam primatium ſedium antiſtites, coram ſe euocare, vtque ſic euocati quemadmodum tenebantur, ita etiam comparere conſueuerint, & ſuas inter ſe querelas coram eadem ſede canonicè proſequi, atque inde ſuum reportare iudiciũ. Sicut, inquiunt, prædeceſſores noſtri, penes veſtros fecerunt anteceſſores. Cuius veritatem adhuc poſt clarius intelliges.

Audis præterea, vt ante mille ducentos annos teſtati ſint illi tot tantique Pontifices, non tunc nuper & à recenti eorum memoria, ſed ab antiquis temporibus, antiquis regulis ſancitum fuiſſe in Eccleſia Chriſti: vt quicquid quamuis in remotis longiſque prouincijs, ſuper quorumlibet Epiſcoporum quærelis ageretur, non ante firmitatem, & robur obtineret, quàm ad huius ſedis eſſet relatum notitiam, etiam firmatum aut infirmatum authoritate, & iudicio, quod etiam in cœlis ratum haberi ipſe nobis Chriſtus atteſtatus eſt. Vt confundatur cæca Lutheri & ſuorum impudentia & impudentiſſima ignorantia (ſi tamen confundi, & erubeſcere poterunt) qui non ita nuper, atque adeo à noſtra memoria dicunt Romanam ſe extuliſſe Eccleſiam, & ſibi vendicaſſe primatum ſuper alias Eccleſias. Idque contra omnem antiquitatem vetuſtamque hiſtoriam, quam nec ſalutaſſe vnquam

mihi videntur à limine, contra primitiuæ Eccleſiæ ritum & exemplum, contra ipſam denique Chriſti vocem. Quorum hominum prodigioſa dicam impudentia, an ignorantia, in progreſſu adhuc erit illuſtrior.

Audis denique vt ab vno Romano Pontifice eiuſque cathedra, expectetur ab orbe toto dogmatica veræ fidei definitio, omnes lætificans, per quam extincta hæreticæ prauitatis caligine orbi lucifer reſplendeat. Vides ſacram anchoram, ad quam in quacunque aduerſarij machinatione exorta hæreticæ impietatis tempeſtate, ſancti patres omnes & toto orbe orthodoxi ſemper confugerunt: vt in qua extra maculam ſemper ſit conſeruata fides catholica, & integra, vera, perfectaque Chriſtianæ religionis ſoliditas.

CAP. VI.

Fidem, ſententiam ac definitionem Apoſtolicæ ſedis ſemper concordare cum orthodoxa fide, & ſententia Catholicæ Eccleſiæ. Proinde ipſam eſſe tertium indubiæ veritatis eorum, quæ certa nobis fide tenenda, credendaque ſunt, principium.

Eccleſiaſticæ traditionis authoritas, & in qua ea conſiſtat.

DEmonſtrauimus libro primo duo nos habere certa noſtræ fidei principia, & ex quibus certo demonſtrari poſſit, quid ad fidem noſtram religionemque pertineat, nempe canonicam ſcripturam & eccleſiaſticæ traditionis authoritatem, quam euidẽter ſit perſpicere, etiam ſine ſcripto, etiam abſque definitione ſynodica, inconſona videlicet fide atque obſeruatione totius ab initio Eccleſiæ, vt quam certum eſt deſcendiſſe ex viua traditione apoſtolica. Et quoniam ſcripturas, ſuo quilibet ſenſu intelligit, nec vſquam ita ſunt apertæ, vt ab hæreticorum vi fraudeque ſe prorſus vindicent, vt quouis flecti, trahi, detorqueriue, non ſe patiantur à callido verſutoque ingenio: in omni fluctuatione, dubitatione, exortaque nouitate hæretica ad Catholicæ Eccleſiæ communem ſenſum, velut ad ſacram anchoram, velut ad inflexibilem columnam, roburque & firmamentum veritatis, velut ad indubitatam orthodoxę veritatis regulam, & magiſtram rectæ intelligentiæ ſcripturarum omnium, quàm ad ipſas ſcripturas potius confugiendum docuimus.

Sed quoniam inter illos hæreticæ perſecutionis turbines, tempeſtates & procellas, quibus ab ipſis pene fundamentis vniuerſum fere terrarum orbem concuſſum aliquando, paulo poſt clariſſimè intelliges, non erat quorumlibet, nec in ſingulis facilè illum perſpicere atque intelligere. Itaque ne inter eiuſmodi turbas & fluctus incerti fluctuarentur Chriſti fideles, circunferrenturq; omni vento doctrinę, Eccleſiæ ſuæ prouidens miſericordiſſimus Dominus, ſpeculam quandam inter nos conſtituit, cathedram videlicet Apoſtolorum, & totius eccleſiaſticę hierarchię principis Petri, ad quam facilis cuique pateret recurſus, quam in omni dubitatione poſſet facile conſulere. In ea ſingulari priuilegio incorruptam ſemper ſeruans Apoſtolicam illam doctrinam & traditionem, quam viua voce ab initio ab ipſis accepit Apoſtolorum principibus, ipſamque catholicæ fidei & Chriſtianæ religionis integritatem ac ſoliditatem, continuaque orthodoxorum in ea Epiſcoporum ſucceſſione propagaret ad finem vſque ſeculi, ad quam inter fluctus & turbines eiuſmodi, velut ad certam orthodoxæ veritatis magiſtram, & regulam reſpicerent, quam ſequerentur, quicunque errare nollent Chriſtifideles. Et vnde omnium ad eandem relatarum quæſtionum certa omnibus veritas expectanda foret. Quod cum Moſaicæ illi cathedræ diligenter prouiſum fuiſſe à Domino, ſupra demonſtrauerimus, nunquid ſuæ Chriſtum eccleſiæ tanta in re defuiſſe credendum eſt? Præſertim quem audiſti rogaſſe ſingulariter pro fide Petri eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, ne vnquam deficeret ad confirmandos fratres in fide. De quo ſi inſuper certam ſemel acceperimus catholicæ per orbem eccleſiæ confeſſionem, & ſententiam, iam tertium nobis partum demonſtratumque erit indubiæ veritatis eorum, quæ certa fide tenenda credendaque nobis ſunt, principium, nempe fides, ſententia ac definitio ſedis Apoſtolicæ. Ita enim quamcumque huius fidem intelleximus, definitionem & ſententiam, eandem catholicæ eſſe eccleſiæ iam certi erimus.

Apoſt. Sed. authoritatẽ eſſe orthodoxæ fidei regulam, ex catho. Eccl. fide & confeſſione demonſtrare.

Quamquam autem catholicæ per orbem eccleſiæ, certam de hoc fidem, confeſſionem, & ſententiam, præcedenti capite euidenter demonſtrauerimus ex tenore profeſſionis orthodoxæ fidei, ſub qua toto Oriente, Meridie, & Septentrione, à ſchiſmate reuertentes meruerunt ad communionem apoſtolicæ ſedis, & catholicæ Chriſti Eccleſiæ recipi (quam eiuſdem catholicæ eccleſiæ fuiſſe fidem & confeſſionem nihil dubitandum eſt. Nam quos ſeparauerat fidei confeſſioneſque diuerſitas, eoſdem catholicæ eccleſię rurſus reconciliauit fidei confeſſioniſque vnitas) Quæ vt audiſti clariſſime affirmat infallibilem illam Chriſti ſententiam, qua Simonem, petram fundamentumque ſuperædificandæ eccleſiæ conſtituit, numquam deficere in eius cathedra & ſucceſſoribus, hoc ipſum comprobante rei euidentia, ſubſecutiſque effectibus, quod aduerſus illam cathedram portæ inferorum nunquam præualuerunt. Imo quod in eadem fides catholica extra maculam ſemper conſeruata ſit, & Chriſtianæ religionis integra, vera, perfectaque ſoliditas. Idem comprobat tot orthodoxorum & ſanctiſſimorum epiſcoporum in Alexandrinam ſynodum conuenientium ſynodalis epiſtola, qua omnes illi atteſtantur & confitentur, verbum vitæ in ea cathedra fideliter retineri ad aliorum confirmationem, atque ad extinguendas vbique exortas hæreticorum tenebras. Indeque à toto orbe expectari dogmaticam definitionem exortarum vbicunque controuerſiarum & dubitationum, quam omnes ſequi oporteat. Cui etiam vniuerſam (quam poſt explicabimus) primitiuæ eccleſiæ intelliges atteſtari hiſtoriam. Hic tamen aliquot ſanctorum Patrum, in quibus illum catholicæ eccleſiæ communem ſenſum facile erit intelligere ac perſpicere, addemus hoc ipſum confirmare, & adſtruere teſtimonijs.

Ire-

Irenæus ille beatiſſimus Polycarpi Ioannis diſcipuli anditor, aduerſus Valentinum cæteroſque ſui ſeculi hæreticos (vt primo libro explicauimus) oſtendens, quæ nam eſſet vera Apoſtolorum doctrina, affirmat eandem perſpici in eccleſijs vniuerſis, quæ (modo orthodoxæ ſint, & membra catholicę eccleſiæ) adhuc hoc ipſum obſeruant, quod ab initio traditum receperunt ab Apoſtolis. Aduerſus hæreticos tamen, vt inefficacem, aut vt infinitum per vniuerſas eccleſias diſcurſum fugiens, vnam ex omnibus, & pro omnibus profert maximam, vt dicit, antiquiſſimam, atque omnibus cognitam Romanam eccleſiam, atque eius fidem proferens, confundit vniuerſos, qui ſcripturis confundi non poſſunt, hæreticos.

Quoniam igitur, inquit, valde longum eſſet omnium hic eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, ac ab omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo fundaræ eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis & annunciatam omnibus fidem per ſucceſſiones epiſcoporum ad nos vſque peruenientem iudicantes confundimus omnes, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & ſententiam malam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vbique fideles, in qua ab his qui ſunt vndique conſeruata eſt ea quæ ab Apoſtolis traditio. A quibus enumerans deinceps ſucceſſionem in Romana eccleſia epiſcoporum vniuerſam, ad Eleutherium vſque, qui tunc præſidebat Sedi Apoſtolicæ: Hac, inquit, ordinatione epiſcoporum & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio in eccleſia & veritatis præconizatio peruenit vſque ad nos, & eſt pleniſſima hæc oſtenſio, demonſtrans vnam, & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſijs ab Apoſtolis eſt tradita, & vſque nunc conſeruata in veritate.

Audis quid dicat ille ſanctus Irenæus, vix vnius hominis ætate poſt Apoſtolorum tempora vniuerſam toto orbe eccleſiam, & eos qui ſunt vbique fideles, neceſſario conuenire debere ad Romanam eccleſiam, propter potentiorem eius principalitatem, hoc eſt, ob primatum quem obtinet, & etiam tunc (vt vides obtinuit inter eccleſias. Quem à recenti atque adeo noſtra memoria, iſti ſacroſanctæ maieſtatis, & authoritatis eccleſiaſticæ gigantei oppugnatores, dicunt eandem ſibi vſurpaſſe, & vt ſimiles habent labra lactucas, inueniunt quibus hoc perſuadeant.

Audis quid ille velut adamantinum murum confidentiſſime obijciat hæreticis, quo confundat eorum, qui confundi alioqui neſciunt, peruicaciam, nempe Romanæ eccleſię fidem: in eadem incorruptam conſeruari affirmans apoſtolicam ab initio doctrinam & traditionem: idem videlicet, quod in libello illo profeſſionis orthodoxæ & catholicæ fidei capite præcedenti, iterum iterumque audiuiſti.

Audis denique vt eadem perueniat ad nos, haud equidem ſcripto, ſed continua in eadem ſede ab Apoſtolis orthodoxorum epiſcoporum perennique ſucceſſione, quam in vna hac ſede ab ipſo Petro ad Paulum vſque tertium, qui eidem nunc cathedræ præſidet certum eſt non defeciſſe. Quam & ille pleniſſimæ probationis loco ſtatuit conſeruatæ integritatis, vnitatiſque fidei in eadem cathedra, ab Apoſtolis ad nos vſque. Cuius etiam Diuus Auguſtinus in ſe virtutem fatetur & efficaciam, per eandem ſe retentum affirmans in catholica eccleſia, ita ſcribens aduerſus Manichæi epiſtolam: In catholica eccleſia, atque eius gremio me iuſtiſſime tenet ab ipſa ſede beati Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum, tenet & ipſum catholicæ nomen, quod non Sed. Apoſt. cur cathol.
ſine cauſa inter tam multas hęreſes ſic iſta obtinuit. Vides itaque etiam Auguſtinum quid retinuerit in catholicæ eccleſiæ gremio. Vides inter tot vndique exortas hæreſes, vnam Petri ſedem catholicæ nomen ſemper cum fide retinuiſſe, nec fruſtra pro eo rogaſſe Chriſtum, ne deficeret fides eius ad alios confirmandos in fide. Quod vide quoties in facie totius orbis iactitent, & tanquam notoria perſpectaque omnibus rei euidentia comprobatum profetant ſanctiſſimi illi Pontifices.

Lucius ille glorioſus Martyr & Pontifex Lucij teſtimonium.
ante annos mille & circitit trecentos, ad conſulta Occidentalium per Gallias, & Hiſpanias epiſcoporum ex authoritate apoſtolicæ ſedis ſententiam, eamque viuam, non ſcriptam traditionem Apoſtolorum affirmans, ſubiungit in hæc verba: Hæc ſancta & apoſtolica mater omnium eccleſiarum Chriſti eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticorum nouicatibus depranata ſuccubuit: ſed vt in exordio normam fidei apoſtolicæ percepit, ab anthoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata ſine tenus manet, ſecundum ipſius Domini Saluatoris noſtri diuinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum principi in ſuis fatus eſt euangelijs: Petre, inquiens, ecce Satanas expetiuit, vt cribret vos, ſicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Hactenus ille.

Audis quid dicat glorioſus ille Chriſti Martyr & Pontifex, quo tempore, & quibus dicat, non in angulis domorum aut penetralibus, ſed in facie totius eccleſiæ, omnibus Galliarum Hiſpaniarumque Epiſcopis, & tanquam rem omnibus confeſſam & notoriam. Dicit autem idem, quod iam ex Irenæo, & paulò ante ex confeſſione orthodoxæ fidei catholicæ toties audiuiſti, nempe vnam hanc ſedem à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam aberrare, nunquam pollui hæreticorum prophanis nouitatibus: ſed normam fidei vt ab initio accepit ab Apoſtolis, ad finem vſque ſęculorum, conſeruare incorruptam.

Eadem prorſus ſcribit ille Fœlix eidem cathedræ præſidens ad Benignum epiſcopum, reſpondens literis eius, quibus Apoſtolicam Sedem ſuper quibuſdam quæſtionibus & dogmatibus fidei conſuluerat. Poſt cuius explicatam ſententiam dicit, quod ille Lucius, eam eſſe Apoſtolorum viuam traditionem. In cuius confirmationem ſubiungit dicta verba ante vſurpata à Lucio. Hæc enim, inquit,

ſancta & apoſtolica mater omnium eccleſiarum Chriſti Eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicę traditionis nunquam aberraſſe probatur. Et cætera, vt ex Lucio citata ſunt. Addit deinceps: Quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides eſt, &c. & qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare quoque eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea, licet impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio cupit pediſſequa exiſtere. Hæc ille Fœlix non longe poſt Lucium. Marcus præterea, eiuſdem Sedis & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, ad beatiſſimum Athanaſium, & vniuerſos Ægyptiorum Epiſcopos, reſpondens de quibus conſultus erat decretis Nicenæ ſynodi, quæ Arriani per vniuerſum Orientem authentica, curauerant aboleri incendio, affirmat in primis ſcriptorum ab ipſis veritatem diligenter ſe inueſtigaſſe ac didiciſſe à ſuis qui eidem etiam interfuiſſent concilio: Non, inquit, quaſi nos ſiniſtrum aliquid vestra ex parte arbitraremur: ſed quia nos, & vos, alioſque abſque vlla in poſterum titubatione, vnum ſentire optaremus, & ſancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino prouidente, & beato Petro opem ferente in futuro manebit, ſine vlla hæreticorum inſultatione, firma & immobilis omni tempore perſiſteret. Deinde poſt conſignatam eiſdem Apoſtolicæ Sedis authoritate fidem & veritatem capitulorum, aut decretorum Nicenorum, quæ ipſis per copiam aut tranſumptum mittebat, de eiuſdem ſedis authoritate & priuilegio ſubiungens; Hæc, inquit, ſancta & apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam, à tramite apoſtolicæ traditionis nunquam aberraſſe probatur. Et cætera omnia eiſdem verbis, vt à Lucio, & Fœlice ea ante dicta fuerunt.

Marci Pontificis.

Ante hunc Euſebius eiuſdem Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ ſanctiſſimus Pontifex, in epiſtola ad vniuerſos per Campaniam, & Tuſciam Epiſcopos, inter alia docens, vt diligenter obſeruent decreta Sedis Apoſtolicæ, ſubdit in hæc verba: Prima enim ſalus eſt rectæ fidei regulas cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deuiare. Nec poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prętermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et hęc quę dicta ſunt, rerum comprobantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt catholica ſeruata religio. Vides vt hac ipſa rei euidentia, quod videlicet in Sede Apoſtolica ſemper extra maculam ſeruetur Chriſtiana religio, comprobet, eius decretis obediendum eſſe, vt eius ſuper quam ſuo modo conſtructum ſit vniuerſum ædificium eccleſiaſticum.

Syn. Chalcedonen. teſtimonium.

Eandem catholicæ eccleſiæ de hac Apoſtolica Sede ſententiam in illius magnæ Chalcedonenſis ſynodi ſexcentorum triginta Epiſcoporum ad beatiſſimum Leonem ſynodali epiſtola, qua actis definitionibuſque ſuis Apoſtolicæ authoritatis robur impartiri poſtulabat, adeſt perſpicere. In qua inter cætera, gratulantes eidem ſedi tam doctum, tamquam ſanctum Pontificem: Non definimus, inquiũt Domino Deo noſtro gratias agere & pariter ſupplicare gratulantes, quod tantæ ſanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apoſtolicæ Sedi, vnde religionis noſtræ fons & origo manat, antiſtitem dederit. Audis quid illi ſexcenti triginta Patres, imo vero quid vniuerſa de Apoſtolica Sede ſentiat Chriſti eccleſia, nempe vt inde in Eccleſiam vniuerſam, velut perennis quidam fons & origo religionis noſtræ, ſinceriſſimos riuos deriuet. Atque idem vniuerſos de ea orthodoxos ſanctoſque Patres ſenſiſſe inuenies.

Hinc & ille orthodoxus doctiſſimuſque Hieronymus, in Oriente prope Antiochiam habitans, non confidens de his quas pertractabat fidei ſcripturarumque quæſtionibus, quiſnam certus eſſet catholicæ eccleſiæ ſenſus, inter tot tumultuantes Orientis Eccleſias, inuenire poſſe ac perſpicere, vltra tam vaſta terrarum mariumque ſpatia apud vnam Petri cathedram eundem requirendum cenſuit, in hæc verba ſcribens ad Damaſum Romanum Pontificem.

Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper contextam minutatim diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideo mihi cathedram Petri, apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, inde nunc animæ meæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque vero vaſtitas tanti elementi liquentis, & interiacens latitudo terrarum me à pretioſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibere. Vbicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio, apud vos ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas. Ibi ceſpite terra fœcundo dominici ſeminis puritatem centeno fructu refert, hic obruta ſulcis frumenta, in lolium, auenaſque degenerant. Nunc in Occidente ſol iuſtitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat; ſuper ſydera poſuit thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal terræ, vos vaſa aurea, & argentea, hic teſtacea vaſa, & lignea, virgam ferream, & æternum opperiuntur incendium. Quanquam autem me tua terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito, faceſſat inuidia Romani culminis, recedat ambitio. Cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor: Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Hæc ille Hieronym.

Qui rurſus ad eundem, poſt expoſitum à ſe ſymbolum fidei, ſubiungit in hæc verba; Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in catholica didicimus Eccleſia, quam, quæ ſemper tenuimus. In qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri ſedem, & fidem tenes. Si autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuo-

maleuolum, vel etiam non catholicum, ſed hæreticum comprobabit. Hæc iterum ille Hieronymus. Qui etiam aduerſus Ruffinum ſcribens huius ſedis fidem etiam Angelis de cœlo præfert, ſi aliter annunciarent. Nunquid igitur etiam in orthodoxo hoc Hieronymo non perſpicis quiſnam ſemper fuerit ac ſit catholicæ, & orthodoxæ Eccleſiæ ſenſus, & conſenſus? idem nempe, quem toties ex eotius Eccleſiæ confeſſione audiſti ſuperius, & poſt adhuc clarius intelliges. Vt ad illam tanquam orthodoxæ veritatis regulam ac magiſtram, ſuboriente aliquo hæretici flatus turbine ſit confugiendum. In qua ſola ſeruatur, inquit, incorrupta illa patrum hæreditas. Viua illa apoſtolica traditio, quam ab initio ab ipſis Apoſtolorum principibus accepit. Illa orthodoxa catholicæ Eccleſiæ fides, quam etiam Angelis de cœlo, ſi aliter annunciarent, præferre non dubitat. Vt ad illam neceſſe ſit omnem Eccleſiam conuenire, & eos qui ſunt vbique fideles, à qua quiſquis diuiſus fuerit, quiſquis extra eam agnum comederit, profanus eſt, inquit, extra arcam illam eſt, quæ ſola ſaluat: & peribit, inquit, ingruente diluuio. Quare & alibi etiam dicit: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Vitalem non noſco, Melitum reſpuo, Paulinum ignoro, vt qui ab huius ſedis communione ſe ſeparauerunt. Vides vt etiam non catholicum, ſed hæreticum pronunciare non dubitet, quiſquis huius ſedis damnat, impugnatue iudicium.

Epiſcoporum Terraconen. prouinciæ communi teſtimonio.

Eundem catholicæ Eccleſiæ orthodoxum ſenſum vide num proſpicias in illis Terraconenſis prouinciæ vniuerſis Epiſcopis, qui exortas inter ſe dubitationes ad Petri cathedram referentes, ante annos vndecies fere centenos in hæc verba ſcripſerunt ad B. Hilarium Romanum pontificem: Etiamſi, inquiunt nulla dictaret neceſſitas eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum nobis reuera fuerat illud priuilegium ſedis veſtræ, quo ſuſceptis regni clauibus, poſt reſurrectionem Saluatoris per totum orbem beatiſſimi Petri ſingularis prędicatio, vniuerſorum illuminationi proſpexit. Cuius ſucceſſoris principatus, ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde nos demum in vobis primitius adorantes, cui ſine quereſa ſeruitis, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam: inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed pontificali totum deliberatione. Hactenus illi, Mihi ſane idem fuiſſe, & in illis videtur, quem ante audiuiſti, de ſede Apoſtolica communis catholicæ Eccleſiæ ſenſus, vt agnouerint huius ſedis ſingulare priuilegium, vt non ignorauerint, vnde in occurrentibus dubijs deberent reſponſa petere, vnde Chriſtus ipſe, tanquam de nauicula Petri, nobis perpetuo reſpondeat. In primis enim fatentur eccleſiſticæ diſciplinæ hoc neceſſitatem requirere, vt quicquid toto orbe mouetur, vnde oritur aliquid turbationis, aut ſcandali in Eccleſia, ad Apoſtolicam ſedem hoc referendum ſit. Quæ, inquiunt, etiam ſi non vrgeret neceſſitas, tamen illius ſedis priuilegium omnibus merito expetendum eſſet, & conſulendum pro diſcutiendis dubitationum, ac nouitatum extortis tenebris, quo vniuerſorum Chriſtus illuminationi proſpexit. Deinde principatum Eccleſiæ agnoſcentes, & confitentes in ſucceſſoribus Petri, omnibus reuerendum atque amandum, ad fidem recurrunt eius cathedræ, vnde nihil errore, ſed pontificali totum deliberatione præcipitur.

Epiſcoporũ Numidię cõmuni teſtimonio.

Idem feciſſe, & ſenſiſſe vniuerſos Numidie Epiſcopos, teſtis eſt beatiſſimi Damaſi ad eoſdem epiſtola illa de corepiſcopis: Non probare, inquit, non poſſumus veſtram diligentiam circa inſtituta maiorum, qua cuncta quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad caput (vt ſemper fuit conſuetudo) deferre non deſinitis, vt inde capiatis reſponſa, vnde accepiſtis inſtitutionem, & normam recte viuendi. Vnde nec immemores vos canonum eſſe recordamur, qui & ipſum fieri præcipiunt. Non quaſi vobis ſcientiæ eccleſiaſticæ regulæ aliquid deſit, ſed vt autoritate ſedis Apoſtolicæ fulti in nullo ab eius deuities inſtitutis. Hæc ille Damaſus. In quibus audis, quid ante mille ducentos annos, requirebat antiqua, & ſemper ab initio obſeruata eccleſiaſtica conſuetudo, quid regulæ ant canones eccleſiaſticæ diſciplinæ, nempe vt ad caput referretur omnis vbique orta quæſtio, dubitatio, aut controuerſia.

Et quando ex vniuerſis, quæ tractabimus deinceps, non erit obſcurum intelligere catholicæ Eccleſiæ conſenſum de illo ſingulari priuilegio, quod hic adſtruimus cathedræ Petri. Vnum adhuc adiungere prędictis libuit ex Oriente teſtimonium, ſed quod multorum inſtar erit, & in quo non erit difficile totius etiam catholicæ Eccleſiæ conſenſum perſpicere, Iuſtiniani, inquam, glorioſiſſimi, & vere orthodoxi Imperatoris. Qui cum in Orientalibus partibus quidam Neſtorianam renouarent perfidiam, audi quàm religioſe, quanta cum reuerentia id tulerit ad cathedram Petri in hæc verba ſcribens ad Ioannem Romanum Pontificem per ſuos ad ipſum oratores Hiopatium, & Demetrium.

Victor Iuſtinianus, &c. Reddentes honorem debitum Apoſtolicæ ſedi, & veſtræ ſanctitati, quod in votis nobis fuit & eſt, & vt decet tanquam patrem honorantes veſtram beatitudinem, omnia quæ ad ſtatum Eccleſiarum pertinent, feſtinamus ad noticiam deferre veſtræ ſanctitatis. Quoniam magnum ſemper nobis fuit ſtudium authoritatem veſtrę Apoſtolicæ ſedis, & ſtatum ſanctarum Eccleſiarum Dei cuſtodiri, quem hactenus obtinet, & qui incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque ſacerdotes omnes Orientalis tractus, & ſubijcere, & vniri ſedi veſtræ ſanctis properauimus. In præſenti ergo, quoniam ita commodum eſt, tametſi manifeſta videantur, quæ nunc mouentur, & ſecundum Apoſtolicæ ſedis veſtræ doctrinam ab omnibus ſemper Sacerdotibus cuſtodita, & prædicata, neceſſarium tamen duximus ad notitiam veſtræ ſanctitatis peruenire. Neque patimur quicquid quod ad Eccleſiarũ ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum, & indubitatum ſit quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quia caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum, cui per omnia ſtudemus honorem, & authoritatem accreſcere. Subiungens deinde, quemadmodum a quibuſdã Monachis renouaretur olim damnata

nata

nata Neſtoriana perfidia: Rogamus ergo, inquit, veſtrum paternum affectum, vt veſtras ad uos deſtineris litteras, & ad ſanctiſſimum Epiſcopum huius almæ Vrbis veſtrum fratrem (quoniam, & ipſe per Hyppatium, & Demetrium ſcribit ad veſtram ſanctitatem feſtinans in omnibus ſequi Sedem Apoſtolicam beatitudinis veſtræ) quibus manifeſtum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur, ſuſcipit veſtre ſanctitaris, & eorum qui iudaicè auſi ſunt negare fidem rectam, condemnar perfidiam, plus enim ita, & circa nos omnium amor, & veſtræ ſedis creſcet authoritas, & quæ ad vos eſt, vnitas ſanctarum Eccleſiarum ſeruabitur, quando per vos didicerint omnes beatiſſimi Epiſcopi, eorum, quæ ad vos relata ſunt, ſynceram veſtræ ſanctitatis doctrinam, &c. Diuinitas te ſeruet per multos annos, ſancte, & religioſiſſime pater. Hactenus ille Iuſtinianus. Sed hæc paulo citra mille annos ſcripta ſunt, inclinante iam orbe ad ſchiſmata, & ſeditiones grauiſſimaq; ſcandala, Conſtantinopolitanorum præcipue Epiſcoporum ambitione excitata, qua ſe inter Orientis Eccleſias ſupra modum ſuum, efferre conati ſunt.

Labefacto quoque iam plurimum Eccleſiaſticæ hierarchiæ vigore. In qua, quo verſus illam primatiuam Eccleſiam aſcenderis altius, tanto ſemper Sedis Apoſtolicæ dignitatem authoritatemq; magis viguiſſe inuenies, quãto magis ipſa viguit Chriſtiana religio. Attamen illo ipſo ſęculo vides, vt vere orthodoxus Imperator ſtatum ſanctarum Eccleſiarum, qui eatenus inconcuſſe durauerat ab initio, conſeruari cupiens, & ſtudens, vniuerſos Orientalis tractus Sacerdotes, & Epiſcopos, qui per præcedentia (de quibus poſt audies) ſchiſmata excitata per Acatium Conſtantinopolitanum. & alios adhuc extra communionem remanſerant Catholicæ Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ. eidem ſedi ſubditos rurſus, & vnitos facere ſedulo curauerit. Vtque (quod diligenter notandum eſt) fateatur velut toti orbi euidens, & notorium, vnitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum conſiſtere in earum vnitate ad Romanum Pontificem. Ita enim, inquit, quæ ad vos eſt, vnitas ſanctarum Eccleſiarum ſeruabitur. Præterea, vt nihil ad ſtatum ſanctarum Eccleſiarum pertinens, quamuis maniſeſtum, & indubitatum videretur, moueri permiſerit, inconſulto Romano Pontifice omnium, vt dicit, Eccleſiarum capite. Vt doctrinam huius ſanctæ Sedis (de quo nunc præcipue agimus) tanqam magiſtræ rectæ fidei toto orbe tenuerint, crediderint, & confeſſi fuerint omnes orthodoxi Sacerdotes, & Epiſcopi. Vt non ſatis habuerint Conſtantinopolitanus, & Orientalium ſedium orthodoxi Epiſcopi quoſdã damnatæ olim in Epheſina Synodo Neſtorij impietati communicare ad hoc vt à communione excluderentur fidelium, niſi ſuis litteris eis ſignificaſſet Romanus Pontifex, ſe quoque tales à ſua communione alienos habere, ſecus autem ſentientes recipere, vt huic orthodoxi illius Hieronymi (quam ſupra audiſti) catholicæ ſententiæ: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt, animo fideliter acquieſcentes: ita magnopere metuentes, ne quos inconſulta temeritate damnarent, quos non damnaſſet Apoſtolicæ Sedis iudicium.

Apoſtolicæ Sedis, vt magiſtrę rectæ fidei, doctrinam ſecutos ſẽper orthodoxos omnes.

Vides poſtremo, vt non diſſimulanter habuerit prudentiſſimus alioqui victoriosiſſimuſque Imperator, ſibi quoque ſubditorum erga ſe animos, & amorem hinc aucupari. quod ſuo ſtudio Romani Pontificis litteris innoteſceret omnibus Apoſtolicæ Sedis, de quibus conſuluerat, ſententia.

Itaque vt hic tandem concludamus: Habes iam multifariam demonſtratum Cathedræ Petri, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis ſingulare priuilegium. Primum ex ipſa ratione ſocietatis Eccleſiaſticæ. quæ ſine hoc omnino ſubſiſtere non poterat, nec ad ſuum finem attingere. Deinde ex ipſa Eccleſiæ noſtræ vmbra, & figura in ſynagoga veteri, à qua ad correſpondentem ſibi Euangelicæ lucis ſoliditatem efficax eſſe argumentum oſtendimus.

Epilogus demonſtratorum hactenus.

Præterea ex ipſius ſcripturis Euangelicis, fidelibuſque Chriſti ipſius verbis. Poſtremo ex ipſa rectæ intelligentiæ ſcripturarũ amuſſi, certaque regulæ, videlicet catholicæ ipſius Eccleſiæ conſenſu apertaque confeſſione.

Habes inſuper illam Chriſti fidelem promiſſionem: Et portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, non minus pertinere ad caput fundamentumque Eccleſiæ, atque eis Cathedram, quàm ad Catholicam deſuper ædificatam Eccleſiam: ſicut non poteſt fundamento euerſo ſubſiſtere ædificium, hoc ipſum comprobante rei euidentia ſubſecutiſq; effectibus. Æque non poſſe illius fidem deficere. In qua perpetuo conſeruatur Apoſtolicæ traditionis fideique integritas atque integra patrum hæreditas, nulla vnquam infecta contagione prauitatis hereticæ nunquam maculanda.

Habes poſtremo demonſtratum conſtabilitumque tertium indubiæ veritatis eorum, quæ certa fide tenenda nobis credendaque ſunt, principium, nempe fidem, ſententiam, definitionemque Sedis Apoſtolicæ: quæ certa eſt orthodoxæ veritatis magiſtra, & regula, talemque ſemper ſe exhibuit in omni turbine tempeſtateque hæretica, qua ab ipſis fundamentis, & ſedibus, vna hac perſiſtente immobili, totus aliquando terrarum orbis concuſſus commotuſque eſt: quemadmodum poſt luce clarius demonſtrabimus. A cuius fide & ſententia æque non poteſt diſſentire catholica per orbem Eccleſia, quam non poteſt corpus vniuerſum à ſuo capite, à quo illi omnis ſenſus influit.

CAP. VII.

Hæreticorum aduerſus præaſſertam Catholicam, Orthodoxamque de priuilegio Cathedræ Petri veritatem, calumnias obiectioneſque diſſoluere.

VT orthodoxis omnibus reuerenda. & ſacroſancta, ita hæreticis ſchiſmaticiſq; grauis nimium, inuidioſaque fuit Apoſtolicæ ſedis authoritas: vt quæ ſola ſemper vigilauit, & viguit aduerſus eorum perfidiam, & impijs eorum conatibus obſtitit. Sed nunquam eo

teme-

temeritatis, & inſolentiæ eorum euaſit, ac prorupit improbitas, vt palam apertoque Marte ius impugnarint auhtoritate: quemadmodum quidam noſtro ſeculo. Aduerſus quos cum iam euidenter demonſtrauerimus illius Cathedræ Chriſti oratione impetratum illi ſingulare priuilegium comprobatum (vt toties audiſti) aperta Catholicæ Eccleſiæ confeſſione, communique conſenſu atque ipſa rei euidentia. Vtque aduerſus eandem portæ inferorum nunquam præualere poterunt, quid tandem habent, quod objiciant?

Sed inquiunt: Si nunquam præualituræ ſunt inferorum portæ nec aduerſus catholicam Eccleſiam ſuper Petrum ædificatam, nec aduerſus fundamentum caputque Eccleſiaſtici ædificij Petrum ipſiuſque ſucceſſores, & cathedram, quid ergo aduerſus ſucceſſorum eius plurimos, quos fuiſſe vita ſceleratiſſima conſtat, atque adeo aduerſus Romanam illam curiam, quam ſentinam malorum omnium videri volunt, in tantum præualuiſſe eaſdem videmus? Et hic omnes maledicentiæ ſuæ neruos intendit, & explicat ille angelicæ caſtitatis, & ſanctimoniæ Lutherus, & quicquid vitiorum, & impuritatis comminiſci poteſt (quæ ſane non pauca illi ad manum eſt) homo ex vitijs, & connitijs conſutus, polluto, blaſphemoque ore in apoſtolicam ſedem expuit.

At nos nullius palpamus vitia, ſed dicimus cum beatiſſimo Auguſtino, quia iuſtos oportet eſſe Dei miniſtros, & eccleſiaſticæ hierarchiæ præpoſitos, ſi iuſte miniſtrare voluerint. Si iuſti eſſe noluerint, habent ipſi iudicem ſuum, cuius iudicium, & manus non effugient, & potentes potenter tormenta patientur. Nos vero quid eo caſu facere oporteat, clariſſime docuit Chriſtus, dicens de ſceleratis hominibus, qui Cathedræ præſidebant: Super Cathedram, inquit, Moyſi ſederune ſcribæ, & phariſæi. Omnia ergo quæcunque vobis dixerint, ſeruate, & facite: ſed ſecundum opera eorum nolite facere. Omnia ergo, quia ſuper Cathedram ſedent, & quæcunque vobis dixerint, abſque vlla exceptione ſeruate diligenter, & facite, hoc eſt, obedite per omnia. Vides peccata præſidentium non derogare priuilegio Cathedræ: quemadmodum hoc ſupra euidenter demonſtrauimus.

Quare illorum reſpondentes calumniæ dicimus, illam Chriſti fidelem promiſſionem, qua inferorum portas promiſit non præualituras aduerſus Eccleſiã ſuper Petrum ædificatam, & ex conſequenti, multo minus aduerſus Petrum, vt caput fundamentumque Eccleſiæ, de fide intelligenda eſſe, vt quæ & in petra illa fundamentoque Eccleſiæ, & in Eccleſia ſuper eadem ædificata, integra ſemper ſynceraque permanſura ſit. Nam à peccato, quandiu in hac militia ſumus, nemo immunis, neque eccleſiaſtici fundamentum ædificij, aut caput hierarchiæ eccleſiaſticæ, neque ipſa Eccleſia, quam aliud non eſſe, quàm Chriſti fidelium congregationem quandam, ſupra demonſtrauimus. Inter quos, cum nemo ſit, non ſolum impeccabilis, ſed neque qui opus non habeat quotidie etiam pro ſuo ipſius peccato deprecari Deum (Si enim, inquit ille, dixerimus quoniam peccatum non habemus,

A peccato neminem hic eſſe immunem, nec Eccleſiam.

ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt) quomodo ergo abſque peccato etiam morrali noſtram hanc vendicabimus Eccleſiam? Niſi in damnatam iamdudum explosamque eorum ſententiam reincidere volueribus, qui omni mortali peccato contendunt nos extra Eccleſiam fieri, & ab eius vnitate ſeparari. Prninde nec Sacerdotes, nec Epiſcopos hoc eſſe, quod dicuntur aut habentur, nec vllam in Eccleſia poteſtatem authoritatemque exercere poſſe, ſi in mortalem aliquam culpam inciderunt, pluſquam cimerias tenebras inter nos inducentes, vt nec mutuo nos, nec Eccleſiæ miniſtros Prælatoſque noſtros, ſed nec ipſam Eccleſiam, vbi aut quæ ſit, poſſimus agnoſcere. Quorum cæcam impiamque aſſertionem lib. 2. euidenter confutauimus.

Itaque cum Eccleſiam intra ſe continere, non ſolum iam expurgato ab omni ſcoria peccati, qui hic plane nullus eſt, niſi mentiatur Apoſtolus, ſed etiam multo plurimos mortalibus peccatis illaqueatos, certum ſit, & malos permixtos bonis: quo pacto impleta erit illa Chriſti promiſſio, quod portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, ſi quolibet peccato ſuperari eam dixerimus à portis infernalibus? Quod ſi hic dicas, in Eccleſia ſemper eſſe mundos à peccato aliquos, in quibus illa ſaluetur verificeturque diuina promiſſio, ſecundum quod dicit diuinum reſponſum: Adhuc reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. Quo te obſecro pacto, & quos noſtri inter nos mundos, etiam à mortali peccato: præſertim ſi illorum dogma recipiamus, qui nos maxime impugnant, qui inter peccatum mortale, & veniale ex ſe nullam ſtatuunt differentiam? Nam ſcriptura quæ inducitur, vides à quo peccato dicat reſeruaiſſe ſibi ſepties mille viros, nempe infidelitatis, & idololatriæ: qui, inquit, non curuauerunt genua ſua ante Baal, à quo peccato etiam Eccleſiam ſuam perpetuo immunem fore pollicitus eſt Chriſtus eum aduerſus eandem promitteret non præualituras inferorum portas. Sed quod inter illa ſeptẽ millia nemo fuerit alteri alicui peccato obnoxius, non dixit diuinum reſponſum.

Vt autem daremus, ab omni labe mortalis peccati eſſe inter nos immunes aliquot, vbi quæſo hos requiremus, ſi quando ad Eccleſiam nobis referendum ſit aliquid, aut eccleſiaſtica ſacramenta petenda? vt agnoſcemus? Et nunquid hi, vnus, & alter, & (quod verendum eſt) admodum pauci? præſertim hoc tempore, quo refrixit charitas, & abundauit iniquitas, quo maxime impletum cernimus illud Prophetæ: Non eſt qui faciat bonum, non eſt ad vnum. Hi, inquam, vnus, & alter in diuerſis mundi angulis forſitan latitantes, nunquid ſoli ad Eccleſiam pertinebunt? Quod ſi non ſoli, quomodo ergo verum erit non præualere inferni portas aduerſus Eccleſiam, aduerſus cuius membra pene omnia, & præcipua ipſas præualuiſſe confiteris? Certum eſt enim illos vnum, & alterum, ſi qui tamen ſunt ab omni peccato immunes, non eſſe Catholicam Eccleſiam, ſed vix minimam eius particulam. At aduerſus Eccleſiam Catholicam ædificatam ſuper Petrum, non præualituras vnquam infernales portas promiſit Chriſtus.

De

Fidem, nec in capite Eccleſiaſticæ hierarchiæ, nec in Eccleſia Catholica vnquam deficere

De fide ergo intelligendum conſtat, quod ea, & in petra fundamento Eccleſiæ, & in Eccleſia ſuper eandem ædificata ſemper permanſura ſit integra, cum dixit Chriſtus: Et portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Pro qua audiſti etiam ſingulariter rogaſſe Chriſtum, vt pro aliorum confirmatione ea maneret integra in petra Eccleſiæ. Quam nec in veteri illa Synagoga defeciſſe ſignificat diuinum illud quod inductum eſt reſponſum, cum Helias ſe ſolum ſupereſſe ex Dei cultoribus quereretur, & adhuc queri animam ſuam. Siquidem non ſolum ſupereſſe illum, ſed adhuc ſeptem millia ex Dei cultoribus ſupereſſe.

Conſtat ſane etiam Petrum illum Eccleſiæ caput, & fundamentum, non ſolum poſt acceptam illam magnificam in Eccleſia authoritatem, poſt acceptas claues regni cœlorum, continuo poſt audiſſe à Chriſto: vade retro me Satana, ſcandalum mihi es, & grauiſſime deinceps peccaſſe, ter abnegando ſuum Dominum.

Imo ſi Luthero credimus, etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum mortaliter deliquiſſe, cum facto ſuo ſcandalizaret gentes, & iudaizare cogeret, ob id in faciem reprehenſus à Paulo. Quo minus de ſucceſſoribus eius mirandum eſt, ſi non fuerint omnes confirmati in gratia, ſi inueniantur fuiſſe homines peccarores. Sed ad fidem pertinet adamantina hæc, quæ promittitur, firmitas ac ſoliditas, aduerſus quam nec inferni portæ, nec vlla poteſtas præualitura eſt. Quare, & Petro ſua oratione impetrauit Chriſtus, non quidem nec peccaturus eſſet vnquam, ſed ne deficeret fides eius. Cuius equidem orationis effectum, non ad vnam eius ſingularem perſonam, ſed tanquam ad caput Eccleſiaſticæ hierarchiæ pertinere, & pertinuiſſe, ex aperta claraque confeſſione Catholicæ Eccleſiæ ſupra demonſtrauimus. Ipſa quoque comprobante rei euidentia, Romanam Eccleſiam à tramite apoſtolicę traditionis nunquam aberraſſe, nec hæreticorum nouitatibus deprauatam ſuccubuiſſe: ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit à ſuis authoribus, Apoſtolorum Chriſti principibus, illibatam ſemper conſeruaſſe. Quod ipſum libet adhuc ſancti illius Agathonis verbis, & vniuerſalis concilij eiſdem conſentientis teſtimonio hic iterum comprobare.

Cum totius pene Oriens infectus eſſet Monothelica hæreſi, omneſque ille principales ſedes, Alexandrina, Antiochena, & Conſtantinopolitana eam ob rem à communione Apoſtolicæ Sedis (quæ vt ſemper, ita tunc pene ſola, integritatem rectæ fidei tutata eſt, & cuſtodiuit) aliquandiu manſiſſent diuiſæ, Conſtantinus Religioſiſſimus Imperatot, quã primum reipublicæ ſuſcepiſſet gubernacula, grauiter admodum ferens ita diſcerpi inconſutilem Domini tunicam, omni ſtudio annixus eſt, vt vniuerſalis Synodus congregaretur.

Quare de re cum ſcripſiſſet ad Dominum Romanum Pontificem, vt ſua authoritate, & per ſuos dignaretut adeſſe expetito concilio, eoque priuſquam perferrentur iam exempto rebus humanis, Agatho ille factus ſucceſſor recepiſſet Religioſi Principis literas, nihil ille cunctatus ſuos legatos miſit ad præfatum concilium, vt eidem orthodoxæ fidei apoſtolicæ Sedis normam præſcriberent, quam ſequi amplectique omnes deberent. Per quos in epiſtola, quam ea de re ſcribit Conſtantino Imperatori præfato, & Heracleo, Tyberioque Auguſtis, poſt expoſitam eis apoſtolicæ ſedis, dæ quæſtione prepoſita fidem ac traditionem ſubiungit in hæc verba:

Hæc eſt apoſtolica atque euangelica traditio, quam tenet ſpiritalis veſtri fœliciſſimi imperij mater, apoſtolica Chriſti Eccleſia, hæc eſt mera confeſſio pietatis, hæc Chriſtianæ religionis vera immaculataq; profeſſio &c. quam cooperator priorum laborum veſtrorum beatus Petrus Apoſtolus tradidit, non vt ſub modio condatur, ſed vt tuba clarius in toto orbe prædicetur, quia eius confeſſio à patre de cœlis eſt reuelata, pro qua à Domino omnium beatus pronunciatus eſt.

Qui & ſpiritales oues Eccleſiæ ab ipſo redemptore omnium, trina commendatione paſcendas ſuſcepit. Cuius adnitente præſidio hæc apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. Cuius authoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſequutæ ſunt.

Omneſque venerabiles patres, apoſtolicam eius doctrinam amplexi. Quam & ſancti quidem doctores venerati atque ſecuti ſunt, hæretici autem falſis criminationum odijs inſecuti &c.

Hæc eſt enim vtræ fidei regula, quam & in proſperis, & aduerſis viuaciter tenuit, & defendit, hæc ſpiritalis mater tranquilliſſimi veſtri imperij, apoſtolica Chriſti Eccleſia, quę per omnipotentis Dei gratiam, à tramite apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticorum nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit, ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata ſine tenus permanet, ſecundum ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam Diſcipulorum ſuorum principi in ſacris euangelijs fatus eſt: Petre, inquiens, ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, ne deficiat fides tua. Et tu aliquod conuerſus confirma fratres tuos. Hæc ille Agatho. Qui iuxta illud Chriſti præceptum præceſſorum ſuorum ea in re imitatus exemplum, ea ſe ait ſcribere ad fratrum ſuorum in eam Synodum conuenientium confirmationem in orthodoxa, & Catholica Fide. Cuius ſi tibi tanquam in cauſa propria non videatur ſufficiens teſtimonium (quanquam ſi ſcribentis authoritatem attendas, ſi ſcripturæ energiam, ſi ad quos hæe ſcripſerit, facile intelliges, nihil in his noui commentum de ſuo capite, ſed toti orbi fuiſſe hæc, & confeſſa, & notoria. Nam ipſa rei euidentia eorum, quæ dicit, veritatem comprobat) audiſti tamen ſuperius etiam Catholicæ Eccleſiæ hac de re clariſſimam confeſſionem, tam in reconciliatione Conſtantinopolitanæ, quàm Carthaginenſis Eccleſiæ, prætera, & ex Synodali epiſtola Alexandrinæ Synodi.

Vide quorſum pertingat illa Chriſti oratio pro Petro, ne eius fides deficeret ad confirmandos fratres.

Quin & eandem audi ex cenſura illius ipſius ſextæ Synodi de præfata Agathonis epiſto-

Digitized by Google

epiſtola . Ita enim in actis eiuſdem legitur. Cum prælecta eſſet in concilio dicta Agathonis epiſtola, rogarenturque vuiuerſi ab Imperatore pijſſimo, num illi & ſuggeſtionibus eius toto animo conſentirent, primus Gregorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, abiecta contraria, quam ante defenderat, monothelica hereſi, profeſſus eſt, illi toto animo ſe aſſentiri amplectique Apoſtolicæ Sedis fidem, & ſententiam. Poſt quem, & cæteri Epiſcopi omnes ſurgentes in hæc & ſimilia verba, pro ſe quiſque profeſſi ſunt, & dixerunt: Suggeſtiones à patre noſtro Agathone, ſanctiſſimo Archiepiſcnpo principalis Sedis antiquæ Romæ, &c. tanquam à Spiritu Sancto dictatas per os ſancti, & beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri prædico, & digito ter beatiſſimi Agathonis ſcriptas ſuſcipio, & amplector, & ita credo, ita ſentio. Ab eis vero quos ab errore monothelico ad pęnitentiam receperunt, ſuæ fidei profeſſioniſque libellos exegerunt, quibus profeſſi ſunt, ſe ſimpliciter in omnibus conſentire dictæ epiſtolæ ſanctiſſimi ac beatiſſimi Papæ Agathonis, & permanere in cunctis, quæ in ea continentur.

Vide vt vniuerſale concilium confitetur Romanam Eccleſiam eſſe Cathedram Petri.

Rurſus in ſermone proſphonetico eiuſdem Synodi ad Conſtantinum Imperatorem, velut gratias agentes Deo, quod per Apoſtolicam Sedem ipſis refulſiſſet orthodoxa veritas: Summus, inquiunt, nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps. Illius enim imitatorem, & ſedis ſucceſſorem, habuimus fautorem, & diuini Sacramenta Myſterij illuſtrantem. Per literas confeſſionem tibi à Deo inſcriptam, illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & diem catholici dogmatis à veſpertinis partibus extulit, charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. Hæc verba Synodi ſunt. Ipſe quoque Imperator ex ſententia Synodi, in epiſtola ad Occidentis Epiſcopos, qui ſub Agathone conuenerant, gratulatoria de fœliciter eorum quoque opera peracta Synodo: Interfuiſtis namque, & vos, inquit, cum vniuerſali Principe Paſtorum, ſimul cum ipſo diuinitus loquentes, tam ſpiritu, quam litera. Suſcepimus enim non ſolum ex beatitudine eius, verum etiam à ſanctitudine veſtra directas nobis literas, quæ prolatæ, lectæ ſunt, & veritatis verum ſtylum declarauerunt, orthodoxamque fidem depinxerunt, &c. Idcirco omnes conſonanter, mente, & lingua concredimus, & ſimiliter confeſſi ſumus, & tanquam ipſius diuini Petri vocem, Agathonis relationem ſupermirati ſumus. Non enim diſcrepauit niſi vnus &c. Hactenus ille.

Audis itaque verbis dictæ vniuerſalis Synodi, Catholicæ Eccleſiæ, cenſuram de dicta Agathonis epiſtola, tanquam eum dictatam à Spiritu Sancto per os Principis Apoſtolorum Petri, eandem acceperunt omnes, & amplexi ſunt. Non ergo mentitus eſt, quæ in faciem totius Eccleſiæ de huius ſedis authoritate, & ſingulari priuilegio protulit, & inculcat, vt Apoſtolicam Euangelicamque traditionem, & Chriſtianæ religionis veram immaculatamque confeſsionem ſemper retinuerit, nec vnquam à via veritatis deflexerit in quemlibet prophanæ nouitatis errorem. Vtque eius authoritatem, velut magiſtram, & regulam orthodoxæ fidei, ſemper omnis catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales, ſynodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſint. Quin potius ex eiuſcem Eccleſiæ conſenſu confeſsioneque conſtat eſſe veriſsima. Non ergo ad vnam perſonam Petri pertinuit illud Chriſti oratione eidem impetratum priuilegium, ne deficeret fides eius ad fratrum confirmationem in ſide, quod perpetuo in eius cathedra adeſt perſpicere: ſed tanquam ad caput eccleſiaſticæ hierarchię etiam in ſucceſſoribus eius conſeruatum eſt. Quos etiam ſingulariter tuetur illa Chriſti promiſsio, qua promiſit Eccleſiæ, cuius baſis caputque eſſet Petrus, & eius Succeſſores, ne inferorum portæ vnquam præualerent aduerſus eam. Per inferorum autem portas oſtendimus infidelitatem, aut non rectam fidem deſignari. Vt enim fidei integritas eſt ianua aut porta, qua ingredimur ad viam perducentem ad Regnum Cœlorum: ita infidelitas, & peruerſa fides porta eſt, per quam ingredientes recta vadunt ad perditionem, & interitum.

CAP. VIII.

Non ſolum ad Cathedram Petri, ſed etiam ad ipſum, & ſucceſſores eius Romanos Pontifices pertinere illud Chriſti oratione eidem impetratum priuilegium, ne quando deficere poſſit eius fides ad fratrum confirmationem in fide.

NOn ſum neſcius in ipſo ſtatim limine, & noſtræ huius diſputationis ingreſſu exclamaturos quoſdam per ſe male affectos hierarchiæ Eccleſiaſticæ, adulari hic nos Romanis Pontificibus, & ex hominibus Deos facere, qui negamus eos fieri poſſe hæreticos: quod concedit ſchola Canoniſtarum vniuerſa ex cap. Si Papa, 40. diſtinctione, quod, & Theologi omnes, quicunque hac de re prodiderunt, & ſcripſerunt aliquid. Sed nolim ita quiſquã ſibi de nobis perſuadeat. Nihil etiam (ita mihi velim Chriſtum propitium in die iudicij) hic aut dixi aut dicturus ſum in cuiuſquam gratiam, quàm vnius veritatis. Quam ſi non aſſequor vbique certe ſtudium non defuit. Non tamen multum me mouet Canoniſtarum ille conſenſus, qui debili arundineoq; (vt poſt audies) fundamento innititur dicti cap. Si Papa. Sed hæc nobis ex certiſsimis illis, quæ ſupra ſtabiliuimus, principijs noſtræ fidei religioniſque eruenda ſunt, nempe, ſcriptura canonica eiuſque rectæ intelligentiæ certa inflexibilique amuſsi, catholicæ Eccleſię confeſsione conſenſu, & orthodoxa ſententia: & (quod paulo ante his addidimus) Apoſtolicę Sedis certa definitione, fide, & ſententia. Ex quibus quicquid nobis non ſtabilitur, ſeu à Canoniſtis, ſeu Theologis, non magni apud nos ponderis, aut momenti eſt. Attamen in hac cauſa vltimo illo, quamuis certo, vt à nobis demonſtratum eſt, non vtemur principio, ne velut in cauſa propria, minus ponderis efficacieque habeat. Ego tamen hac in re vt nolim aliquid ſtatuere

aut affirmare pertinacius, ita non poſſum, non libere etiam proferre quicquid ex illis ipſis noſtræ fidei religioniſque indubitatis principijs mihi euidenter conſequi videtur. Ceſſurus cuicunque, qui noſtris his rationibus diſſolutis certius euidentiuſque aliquid attulerit in contrarium.

Vt autem cuique pateat clarius, ſen vt ſequatur, ſi perſuaſerimus, ſeu vt improbet, ſi certius aliquid attulerit noſtra hac in re ſententia, repetenda quædam ſunt eorum, quæ ſuperius demonſtrauimus. Demonſtrauimus autem omnem fidei quæſtionem, & ſubortas circa eam inter nos dubitationes, & controuerſias, ad præſidentis in eccleſiaſtica hierarchia authoritatem referri neceſſario oportere, illiuſque definiti iudicio: quod omnes ſequi neceſſe eſſet, ſi modo in lege, religione, ſideque Chriſti idem dicere, & ſentire omnes debeamus, imo ſi vlla eſſe debuit Eccleſia. Quandoquidem ſine illo futuræ erant tot hæreſes, quot capita, quot denique Chriſtiani, Quare, & præſidentis fidem, ſingulari alioque munitam, conſeruatamque oportuit priuilegio, quæ in alijs omnibus orthodoxæ fidei eſſe debuit, & regula, & magiſtra. Alioqui, ſi & ipſe, ſicut vnuſquilibet noſtrum, errare permitteretur in fide, ad quem omnis inter nos fidei quæſtio referenda eſt, & cuius omnes ſequi oportet iudicium, & ſententiam, quid reſtaret, quod vt cæcis cæcus dux factus, nos vna omnes ſecum in foueam traheret? quo igitur pacto ſuæ Chriſtus recte, ſufficienterque prouideſſet Eccleſiæ? Sed vt hac in re diligentiſſime prouiſum erit etiam illi ſynagogæ veteri, figuræ atque adeo vmbræ noſtræ Eccleſiæ: ita Chriſtum non minorem habuiſſe curam ſuæ ſponſæ dilectiſſimæ, ſed, & in hoc, & in alijs omnibus eidem prouidiſſe ſufficienter, ſatis ſuperque etiam demonſtrauimus, Quare, non abs re pro vno rogauit Petro, ne deficeret fides eius, quo reliquos confirmaret in fide. Cuius orationis effectum, ad ipſum pertinuiſſe tanquam ad caput hierarchiæ eccleſiaſticæ, proinde etiam ad ſucceſſores eius, non vero tanquam ad vnam perſonam eius Simonem Ioannem filium, vt aperte indicat illa orationis Chriſti pro vno Petro inter omnes Apoſtolos, quamuis præſentes, ſingularitas: ita ex illa rectæ intelligentiæ ſcripturarum amuſſi communi catholicæ Eccleſiæ ſenſu luce clarius ſupra à nobis demonſtratum eſt,

Neque enim illius tantum puſilli gregis curam geſſit Chriſtus, ſed multo magis huius ſuæ in vniuerſum orbem propagandæ Eccleſiæ neceſſitati proſpexit. Hoc in primis certum eſt, quod, & ipſa comprobauit rei euidentia, & totius per orbem Catholicæ Eccleſiæ, quam toties audiſtis, confeſſio, & recognitio. quod vna Cathera Petri, ſpeciali conſeruata diuinæ protectionis priuilegio, nulla vnquam hæreticæ nouitatis contagione infecta fuerit ſed normam orthoxæ fidei, vt eam à principio accepit ab ipſis Apoſtolorũ principibus, illibatam, cuſtodierit ſemper, diuinę illi promiſsioni hoc referentes acceptum, qua Petro Chriſtus promiſit, ne deficeret fides eius ad confirmandos fratres in fide, adeo vt Orientales illæ Eccleſię recurrentes à ſchiſmate, ad gremium catholicæ Eccleſię (quod

Secunda ex ante demonſtrato & toti Eccleſiæ confeſſio Indefectibilis fidei priuilegio cathedræ Apoſtolicæ.

in Conſtantinopolitana, Carthaginenſi, & alijs pleriſque oſtendimus) non dubitauerint ad hanc ſe fidei profeſsionem, etiam anathemate in ſe dicto, perpetuo adſtringere: vt firmiter crederent, non poſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententiam, quæ Petrum petram ſuperædificandæ Eccleſiæ pronunciat, nec inferorum portas aduerſus eandem præualere poſſe, quæ illi adheret, vt capiti, & velut fundamento inſeparabiliter vnitur ædificium, quandoquidem eam conſtet rerum comprobari effectibus: Quoniam, inquiunt, in Apoſtolica Sede inuiolabilis ſemper fides catholica cuſtoditur. Quare ad illam, vt ſacri illius Irenæi verbis dicam, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vbique fideles, in qua inquit, ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.

Si autem cathedræ Petri hoc eſt certum, & ab vniuerſa Chriſti Eccleſia ab initio recognitum priuilegium, multo magis eſt ipſius Petri, vt Eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis. Nam pro Petro rogauit, non pro eius cathedra Romana Eccleſia. Cum Petro venit ſedi priuilegium, & non contra. Quod vero Petri eſt vt Eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, æque ad ſucceſſores eius omnes pertinere indubitatum eſt.

Nec minus efficaciter probare mihi videtur indefectibilem fidem Petri, & ſucceſſorum eius, Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidium, diuinum illud promiſſum, quo pollicetur Chriſtus non præualituras inferorum portas, hoc eſt, vt præcedenti capite demonſtrauimus, infidelitatem aut peruerſam fidem aduerſus Eccleſiam, quæ Petrum caput fundamentumque habeat. Nam ſi nec hæreſis, nec infidelitas præualebit aduerſus Eccleſiam, quæ Petro fundamento innititur, & cohæret vt capiti: quomodo hæc præualebunt aduerſus illud fundamentum, & caput Eccleſiæ? Si enim aduerſus fundamentum præualent, ſi hoc euertunt, quo pacto ſtabit ædificium? Quomodo ſubſiſtet illa catholicæ Eccleſiæ fides, & confeſſio, quæ diuino illi promiſſo rerum euidentiam, effectumque profitetur ſubſcribere? Quomodo in vna Apoſtolica ſede inuiolabilis ſemper conſeruata eſt orthodoxa fides, quam accepit ab Apoſtolis, ſi eius caput hæretica contagione ſubinde fuit obnoxium.

Scribit beatiſſimus Gregorius aduerſus Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui œcumenicum, & vniuerſalem ſe faciebat Patriarcham, ſtultiſſimam inſolentiam, ad Mauritium Imperatorem: Certe, inquit, multos Conſtantinopolitanę Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe nouimus ſacerdotes: & non ſolum hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos, hoc ipſum demonſtrans in Neſtorio, & Macedonio Conſtantinopolitanis Epiſcopis. Si igitur, inquit, illud nomen vniuerſalis Epiſcopi, in ea Eccleſia ſibi quiſquam arripit, vniuerſa Eccleſia, quod abſit, à ſuo ſtatu corruit, cum is qui appellatur vniuerſalis, cadit. Vides quid ille dicat doctor, & Pontifex ſanctiſſimus: Vniuerſam videlicet Eccleſiam in ſuo ſtatu corruere, ſi ille cui vniuerſæ cura, Epiſcopatuſque commiſſus eſt, in hæreſim cadat,

Demonſtratum eſt ſuperius, legiſlato-

rem

Digitized by Google

Quarta ex neceſſitate, conſeruādæ in finem legis euangelicæ.

tem noſtrum Chriſtum, non ſcripto, vt illum veterem Moyſen, ſed viua tantum Apoſtolorum traditione, legem ſuam ab initio commendaſſe Eccleſijs. Quam tamen immutatam, incorruptamque perdurare in finem erat omnino neceſſarium, id quod diligentiſſime perſcriptis legibus admodum eſt difficile. At viua tantum traditione commendatam, neque vni alicui, cognatoque populo, ſed totius orbis nationibus, tanta linguarum, morum, inſtitutionum diuerſitate viuentibus, inter tot hereticorum horrendas tempeſtates, quibus ab ipſis pene fundamentis vniuerſam ſæpe Eccleſiam commotam poſt intelliges, conſeruari eandem erat prorſus impoſſibile: niſi in vna aliqua totius orbis ſede (quam ſupra demonſtrauimus eſſe cathedram Petri Romanam Eccleſiam) ſingulari priuilegio conſeruata fuiſſet, ad quam in eiuſmodi fluctibus tempeſtatibuſque reſpicientes orthodoxi, ſe poſſent eripere à naufragio. Vt autem ea conſeruari potuerit, nec imaginari eſt, niſi eo, quo videmus, modo, perenni videlicet ſucceſſione orthodoxorum ſibi mutuo ſuccedentium Epiſcoporum, ab ipſis Apoſtolis ad finem vſque ſæculi, per quos velut per manus tradita Apoſtolica illa traditio perueniret ad poſteros. Quam equidem ſucceſſionem indeficientem, & in vna hac ſede ad præſentem vſque diem conſeruatam, à beatiſſimo Principe Apoſtolorum Petro ad ſua vſque tempora enumerans ille ſacer Irenæus: Hæc, inquit, ſucceſſio eſt pleniſſima oſtenſio vnam, & eandem viuificatricem fidem perdurare in Eccleſijs, quæ eſt ab Apoſtolis tradita, conſeruataque in veritate. In qua ſucceſſione ſi interueniſſent hæretici Epiſcopi, per quos hæretica contagione infecta fuiſſet illa Apoſtolica traditio, quo pacto eſſe poſſet oſtenſio pleniſſima (quemadmodum ille tanta cum fiducia profert aduerſus hæreticos) conſeruatæ per eam integritas fidei, & traditionis Apoſtolicæ? Nam ægrotum, & peſtilens caput, quam cito vniuerſum corpus inficiat, quis non intelligit?

Quinta ex ipſis verbis Chriſti, quibus affirmat ſe rogaſſe pro Petro, ne fides eius eius deficeret.

Iam & illud perpende, ad eundem pertinere effectum illius orationis Chriſti pro Petro de indefectibili eius fide, ad quem pertinet reliquos confirmare in fide. Sed hoc erat & eſt Petri, vt eccleſiaſticę hierarchiæ capitis, & ſucceſſorum eius: non cathedræ, ſed ſedentis in cathedra. Quare & idem præcepit Chriſtus, vt diligenter ſeruemus, & faciamus omnia, quæcunque nobis dixerint, qui ſedent ſuper cathedram. Non enim loquitur cathedra, ſed qui ſedent in cathedra. Hinc ſupra audiſti, ſanctiſſimi Pontifices vt ſui memores officij cunctos ſemper toto Orbe Chriſtianos fratres, quoties per hæreticos exagitata fides eſt, confirmauerint in fide. Ita ille glorioſus Chriſti martyr, & Pontifex Lucius, ad vniuerſos ſcribens Occidentis per Gallias, & Hiſpanias Epiſcopos, poſtquam eorundem conſultis reſpondit, hortatuſque eſt, vt fidem, ſententiamque Apoſtolicæ ſedis firmiter ſequantur, vt quæ per omnipotentis Dei gratiam, Apoſtolicæ traditionis ſemper conſeruauit integritatem, quæ nulla apud eandem vnquam infecta eſt nouitate contagionis hæreticę. Idque Chriſti oratione impetrato illi ſingulari priuilegio in Petro, ne fides eius deficeret, cui & præcepit confirmare fratres in fide, tanquam hoc ipſum ſibi, & omnibus eidem cathedræ præſidentibus dictum intelligens, ſubdit: Quod Apoſtolicos meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe, cunctis ſemper eſt cognitum. Quorum & puſillitas mea, licet impar, & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere.

Væ enim erit nobis, qui huius miniſterij onus ſuſceptum habemus, ſi veritatem fidei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quam Apoſtoli prædicauerunt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, ſi ſilentio veritatem oppreſſerimus. Hæc longe ante mille ducentos annos ille Lucius, in facie totius Eccleſiæ prædicans cunctis toto Orbe notorium ad Petrum, ſucceſſoreſque eius pertinere illud Chriſti præceptum de confirmandis fratribus in fide, vniuerſamque ſemper recognouiſſe Chriſti Eccleſiam, ad cathedræ Petri. & Eccleſiaſticæ hierarchiæ pręſidem officium, hoc ipſum pertinere. Ad eoſdem ergo neceſſe eſt præcipue pertineat illius orationis Chriſti pro indefectibili fide Petri effectus, vt quæ plane eſt neceſſaria ad alios confirmandos in fide.

Iam & hæc mihi ratio haud videtur inefficax ad demonſtrandum, quod caput Eccleſiaſticæ hierarchiæ eſſe non poſſit hæreticus. Siquidem ęque hæreticus, ac ſchiſmaticus, ſuo ipſius facto, aut per ſe ipſum diuiſus eſt à corpore catholicæ Eccleſiæ, quare nec communicare eiſdem, ſed eos deuitare, atque ab eis ſeparari nobis præcipiunt Apoſtolicæ literæ: Hæreticum, inquit, hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita. Et rurſus: Rogamus vos fratres, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum doctrinam, quam accepiſtis. Sed nullo caſu nobis licet nos ſeparare, ac diuidere à capite eccleſiaſtici corporis, a quo diuidi ſepararique eſt eſſe ſchiſmaticum. Nam Petrum Chriſtus Eccleſiæ caput pronuncians, petræ eidem cognomen impoſuit, additque ſuper eam petram ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam, aduerſus quam inferorum portæ non præualerent. Illis ipſis verbis clariſſime ſignificans, quicquid illi capiti indiſſolubili vnitatis vinculo non cohæreret, nec vniretur, ac veluti fundamento ſuo ædificium non inniteretur, ad Eccleſiam ſuam non magis pertinere, quam ædificium, ſi qua eius pars à ſuo fundamento auulſa iaceret, atque diuerſa ipſum iam præualuiſſe portas inferorum. Quare eſſe omnino non poteſt, vt ſit Papa hæreticus.

Tit. 5.
Theſſ. 5.

Confirmatur iſtud etiam ex eo, quod concordi ſanctorum Patrum ſententia, hæreticus, aut ſchiſmaticus nullam habeat authoritatem, aut poteſtatem eccleſiaſticam, tanquam diuiſus capite eccleſiaſtici corporis, à quo omnis eccleſiaſtica alligandi, ſoluendi, paſcendiſque gregem dominicum authoritas, in membra influit ad ædificationem totius corporis.

Ita glorioſus ille Chriſti martyr, & Pontifex Cyprianus dicit vniuerſos hæreticos nihil habere iuris, aut poteſtatis eccleſiaſticæ, & propterea Nouatianum, qui nec vnitatem ſpiritus, nec communionem pacis obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, & collegio ſeparat,

nec Epiſcopi poteſtatem habere poſſe, nec honorem. Ita quoque eruditiſſimus ille, & inſignis Chriſti Confeſſor Hilarius, orthodoxam fidem dicit Eccleſiæ fundamentum, eandem habere claues Regni cœleſtis, & poteſtatem, vt quicquid ligauerit aut ſoluerit, ligatum, ſolutumque ſit in cœlis. Hac ipſa locutionis figura ſignificans orthodoxam fidem in capite eccleſiaſtici corporis, cui commendatæ ſunt claues Regni cœleſtis, cui data ligandi ſoluendique illa ſupereminens poteſtas, eſſe plane neceſſariam, & ita neceſſariam, vt ſine hac prædicta non poſſint ſubſiſtere. Ita quoque ſanctiſſimus Ambroſius, dicens Dominum par ius, & ſoluendi eſſe voluiſſe, & ligandi, ſubditi: Certum eſt, quod Eccleſiæ vtrunque licet, hæreſis vtrunque non habet. Ita Diuus Auguſtinus in Sermo. de Paſto. tractans illud Canticorum: Paſce hœdos meos. Manenti, inquit, Petro dicitur: Paſce oues meas. Exeunti hæretico dicitur: Paſce hœdos tuos. Ex quibus omnibus clariſſime conſtat nihil authoritatis, aut poteſtatis eccleſiaſticæ ſuper Chriſti corpus myſticum pertinere ad hæreticos. Ergo contradictionem planiſſime implicares, Eccleſiaſticæ hierarchiæ caput eſſe hæreticum. Nam ſi hæreticus, iam nec ſolutudi, ligandique ius aut poteſtatem habebit, aut vllam authoritatem paſcendi Eccleſiam: contra, ſi caput Eccleſiæ, conſiſtit in ipſo totius illius poteſtatis, fontalis quædam, vt ſic dicam, plenitudo, per ipſum deriuata in alia membra Eccleſiæ, habebitque neceſſario ſupereminentem illam poteſtatem ligandi, & ſoluendi, vniuerſique paſtoralis officij ſuper vniuerſam Eccleſiam.

De Trini. lib. 6. In Paſto.

Aduerſus iſta nihil me mouet, quod quidam ex illo Romanorum Pontificum catalogo, hæreticos quoſdam nobis proferunt, & obijciunt. Quinimo, quoniam etiam illi ipſi, quos momica, ac plane maligna in omnes facta inquiſitione nobis vt hæreticos obijciunt, inueniunt fuiſſe vere orthodoxi, & ab omni nota hæreſis longiſſime abfuiſſe, certiſſimum inde mihi argumentum eſt, ipſam rei euidentiam ſubſcribere noſtræ ſententiæ: & ſicut ab initio à beatiſſimo Petro, ad Paulum vſque Tertium, his annis mille quingentis, nemo fuit hæreticus Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & Apoſtolicæ cathedræ præſidens, ipſos præſernante ſingulari illo Chriſti oratione ipſis impetrato priuilegio: ita iuxta æternæ veritatis indefectibile promiſſum, ad finem vſque nihil dubitandum eſt.

Qui ex Roman. Pontificibus ab indoctis notētur hæreſeos

Quos hæreſis notant ex vniuerſo illo Romanorum Pontificum catalogo, hi ferę ſunt: Marcellinus, Lyberius, Felix II. Anaſtaſius II. & Ioannes XXII. Quibus etiam Benedictum XI. annumerant quidam, ſed neſcio quo colore. Inter quos nolo prætetire Honorium I. Non, quod a quoquam eorum, qui nobis aduerſantur, inter hæreticos Pontifices connumeratum inuenerim, vt cui omnes etiam hiſtoriæ ſanctitatis, & orthodoxæ fidei teſtimonium luculentiſſimum perhibent: ſed quoniam hac nota inuri videtur à ſexta vniuerſali ſynodo Conſtantinopolitana tertia, vt eundem ab hac nota vendicem.

Marcellinum autem ideo hoc carbone notant, quod in horribili illa ſub Diocletiano, & Maximiniano mota perſecutione carnificum violentia ad impia pertractus ſacrificia ſuccubuit, crudeliſſimorumque tormentorum metu, & non ſimplici mortis genere victus, thura adoleuit, ariſque iniecit. Sed non erat hic hæreticus, fidem rectam non amiſerat, quamuis in confeſſione ſuæ fidei aduerſus intentata tormenta, & ſupplicia, ſatis conſtans, fortiſque non fuerit, & Chriſti per hoc ſcandalizauerit Eccleſiam. Quam tamen continuo ad cor reuerſus, ſuæ infirmitatis grauiſſime pœnitens, confeſſionis ſuæ vſque ad mortem ædificauit conſtantia, & effuſo pro fidei confeſſione ſanguine, confirmauit in fide, glorioſo conſummatus martyrio.

Lyberio etiam mendaciſſime impingunt quidam crimen hæreſis, cuius extant pro orthodoxa fide glorioſa certamina, extant perſecutiones, & exilia: quæ ob rectæ fidei defenſionem ab hæreticis Imperatoribus pertulit. Et quamuis credant nonnulli ex tribus verbis, quæ adſcribuntur. Hieronymo, ipſum victum exilij tædio, hæreticorum ſe polluiſſe communione, falſum eſſe hoc ipſum, & ſubditicium ab aliquo, neſcio quo, ſeu dolo, ſeu ignorantia infartum (quod in Chronicis illis, in quibus geſta non oratione continua explicantur, ſed ſingulis verbis è regione ſui cuiuſqua anni annotantur, eſt facilimum, nec ita orationis ſeries coarguit falſarium) eorundem temporum indubitatæ fidei demõſtrant hiſtoriæ: quę non ſolum actorum, geſtorumque ſubſtantiam, ſed & ipſa verba vtrinque dicta, & excepta à præſentibus, & audientibus, certa fide ad nos protulerunt. Quam hic adſcribemus ex Theodoreto illo Cyrenenſi Epiſcopo, Græco authore (quo maiorem fidem habeas de fide, & præconijs Romani Pontificis) & eorundem fere temporum ſcriptore, qui libro ſecundo hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ perſecutionis, quæ ab Arrianis toto orbe orthodoxis excitata eſt, mentionem faciens: Lubet, inquit, narrationi intertexere liberrimas voces laudatiſſimi Lyberij, & admirabilem ſermonem habitum cum Imperatore Conſtantino, quos illius temporis amantiſſimi Dei perſcripſere, qui acuere atque excitare ſtudium amatorum diuinarum rerum facile poſſunt. Subijciens deinde illum eius cum Conſtantio ſermonem, qui eidem conatus eſt perſuadere, vt ſubſcriberet in damnationem Athanaſij, orthodoxæ fidei propugnatoris, cum vincere non poſſet inuictum, damnat exilio, relegari præcipiens Beroeam Traciæ. Athleta quidem, inquit, veritatis victoriæ compos, in Thraciam (vt imperatum fuerat) venit. Poſt annos autem duos, cum Romæ eſſet Conſtantius, magiſtratuum, & primariorum ciuium coniuges obſecrant maritos, vt ſupplicent Conſtantio pro paſtore, quo reſtituatur Eccleſiæ ſuæ: ſeque niſi impetraſſent, deſertis ipſis, ad magnum illum paſtorem ituras minantur.

Lyberio etiã mendaciſſime impingi crimen hęreſis.

Qui reſponderunt, ſe formidare iracundiã Imperatoris, ſibique non magnam eſſe ſpem veniæ, quod viri eſſent: Vos autem, inquiunt, ſi ſupplicetis, illa non lædet, Et horum alterum conſequimini, vt aut admittat deprecationem veſtram, aut certe nullo malo affectas dimittet, Hac via demonſtrata, accedunt, inquit, laudabiles matronæ ad Imperatorem, pretioſiſſimis veſtibus ornatæ, quo magis Impera-

Digitized by Google

perator nobiles ratus, precibus, voluntatique ipſarum gereret morem. Erat autem deprecatio talis: Miſereri vellet tantæ ciuitatis ſpoliatæ paſtore ſuo, & expoſitæ luporum inſidijs. Sed Imperator reſpondit, non illam paſtore alio egere, quæ prudentem, bonumque haberet, fuerat equidem creatus poſt Lyberium vnus ex diaconis illius vir fidelis, Felix nomine, qui incorruptam quidem ſeruabat Niceæ expoſitam fidem, ſed violatoribus eius coniungi nõ verebatur. Nemo tamen omnium ciuium Romanorum in ædem orationis ingreſſus eſt, cum ipſe intus foret. Quod ipſum & matronæ tum regni ſignificarunt. Itaque flecti ſe paſſus, iuſſit optimum quidem Lyberium de exilio reuocari, ſed amborum eſſe communem Eccleſiæ adminiſtrationem. His lectis literis in circo, exclamant multitudo egregiam eſſe Imperatoris ſententiam, qui ſpectatoribus in duas partes diuiſis, & à colore cognominatis, his vnum, itemque alteris vnum, præficeret. Ita dicterijs inceſſentes Imperatoris literas, exclamant vna voce, nam voces, inquit, ipſas ponere viſum eſt, vnus Deus Chriſtus, vnus Epiſcopus. Poſt has amantiſſimas Chriſti plebis voces reuertitur admirabilis Lyberius, cui cedens Felix in aliam Vrbem ſe contulit. Hactenus Theodoretus ille.

Vides itaque Chriſtiane lector, quales hi hæreticos nobis Rom. Pontifices obijciant, hoc eſt, glorioſiſſimum Chriſti confeſſorem, & qui inuictus permanſit veritatis athleta, compos victoriæ. Quanquam vt daretur ſe polluiſſe hæreticorum communione, victum exilij tædio: ex hoc tamen conſequens non eſſet, fuiſſe hæreticum: ſicut nec Marcellinum qui eo tempore victus metu tormentorum, non fuit ſatis conſtans ac fortis Chriſti confeſſor: at hæreticum fuiſſe nunquam ſanè probabitur. Eſt enim hæreſis, non morum, non confeſſionis, ſed fidei vicium, quo quis ſingulare aliquid à communi Catholicæ Eccleſię fide ac ſententia elegit, ac proinde ſeipſum ab Eccleſia ſeparat, qua ſe rectius ſentire, credereque præſumit, & ob id hæreſis, hoc eſt, electio (quemadmodum ſuperius plenius demonſtrauimus) haud inſignificanter appellatur. Cui quod pertinaciam addunt nonnulli, tanquam ad eſſentiam eius, definitionemque pertinens, nihil quidem addunt extraneum, ſed tamen quod in finitione prædicta ſatis includitur. Electio ſiquidem nouitatis alicuius aut ſingularis opinionis à communi Eccleſiæ ſententia, certum ſtudium, ſcientiamque importat, & quod appoſitum teneat communi Eccleſiæ ſententia, & quod quærat, eligat aut ſequatur ſingulare aliquid ac proprium.

Quod qui facit, certum non eſt auditurum corripientem Eccleſiam, admonentemq; ab eius communi ſententia, & opinione non recedere, ſed dicturum id quod hæreticorum eſt proprium, ex ſcripturis inſtrui, conuincique ſe velle, quas præſumit ſe rectius intelligere, quàm communis Eccleſia. Itaque iam pertinaciam illam ſecum habet, qua adeo eccleſiæ ſententiæ ſe non ſubijcit, vt ſciens, eligenſque ei contradicat. De qua tum demum certi erimus, ſi poſt vnam, alteramue correptionem, vt inquit Apoſtolus, non diſputationem, in ſua perſiſtat ſententia. Qui vero in errorem aliquem incidit, diſcrepantem quidem ab orthodoxa catholicæ eccleſiæ ſententia, intra tamen arcam catholicæ eccleſiæ ſe continens, & fide generali eidem ſemper conſentiens, & ignorans ſe aberrare à communi eius fide & ſententia, de qua, quàm cito admonetur, quàm cito fit certior, continuo abiecto illo ſingulari aut proprio, communem eccleſiæ ſententiam ſequitur: is (quemadmodum de ſe dicit Diuus Auguſtinus) errare equidem poteſt, at hæreticus eſſe non poteſt. Sed hæc paulo longius nos protraxerunt ab inſtituto. Itaque in Marcellino, & Lyberio nec minima hæreſis nota deprehenditur.

Error in ſide fine crimine hæreſis.

Felicem II. in hoc albo qui adſcribunt, vocem propriam conuincuntur non intelligere, ſed odio in Romanam Eccleſiam congerere, quicquid forte inciderit, etiamſi ſeipſum protinus falſitatis coarguat. Conſtat enim Felicem I. ſub Probo Imperatore glorioſo conſummatum martyrio, circa annum Domini 285. Felix II. ſub Zenone præfuit Chriſti Eccleſiæ, circiter annum Domini 486. Is ille eſt, qui in Acatium Conſtantinopolitanum antiſtitem protulit condemnationis ſententiam. Cuius tragœdiam aliquanto poſt explicabimus. Inter hos nemo intercedit Romanus Pontifex eius nominis. Niſi fortè ab hæretico Imperatore Conſtantino ſubſtitutum illi, cum pro fide orthodoxa & catholica exularet, Lyberio, quis adſcribat Romanum Pontificum catalogo. Quod qui facit, ſuam ignorantiam prodit: cum certum ſit illum non fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Pontificem, ſed vino Lyberio, indubitato eius Pontifice, hoc ipſum conteſtante orthodoxo Romano populo, qui illius communionem, vt nothi & ſuperintruſi ab hæretico ſemper declinauit: quemadmodum paulo ante audiſti, referente Theodoreto.

Error aduerſariorum in nomine Felicis II.

Hic itaque ſi illi ſimilis fuiſſet à quo cathedræ Petri contra ius, fas & eccleſiaſticos canones intruſus fuerat, Imperatori Arriano & hæretico, nihil ſanc mirandum hoc fuiſſet, nec quicquam derogaret priuilegio, quod ſupra adſtruximus, apoſtolicę cathedræ atque eidem præſidentium. Sed Chriſto gratiæ, quod nec is ille ipſe hæreſeos à quoquam infamatus ſit, quanquam varient de illo hiſtoriæ, quod quidam (quemadmodum ex Theodoreto audiſti) tametſi integram fidem, ſicut Niceæ expoſita fuerat, inconcuſſe illum conſeruaſſe affirment, communicaſſe tamen aſſeruerunt hæreticis, alij negant hoc ipſum, imo tam conſtantem orthodoxæ fidei aſſertorem prædicant, vt aliquanto poſt reditum Lyberi. Et poſtquam Roma ceſſaret, affirment illum etiam martyrio coronatum ab hæreticis. In qua ſententia eſt Beatus Antoninus Florentinus Archiepiſcopus. Vides itaque impugnator priuilegij apoſtolicæ cathedræ, quales nobis hæreticos profeſſos Romanos Pontifices?

Anaſtaſium ſecundum Pontificem ſanctum, & orthodoxum infamat, Gratianus ille decretorum compilator (vt multa collegit & congeſſit ſine iudicio) qui ex neſcio qua conficta & mendaciſſima hiſtoria geſtorum Romanorum Pontificum hanc de illo fabulam adſcribit, & ſuæ illi compilationi inſeruit 19.

diſtin-

diſtinctione, c. Anaſtaſius, his verbis.

Anaſtaſius ſecundus natione Romanus, fuit temporibus Theodorici Regis. Eodem tempore ſe multi clerici à communione ipſius abegerunt, eo quod communicaſſet ſine Concilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum & Clericorum cunctæ Catholicæ Eccleſiæ, Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui cōmunicauerat Acatio. Et quia voluit occulte reuocare Acatium, quod non potuit, nutu diuino percuſſus eſt. Hactenus ille ex ſua illa hiſtoria. Cui gloſſa modum explicans, quo diuina vltione perierit (vt dignum eſſet patellæ cooperculum iuxta prouerbium) addit, effuſis inteſtinis dum aſſellaret. Ita enim de quodam hæretico, oblitus fortaſſis nominis, audiſſe ſe ſomniarat gloſſator ille, aut potius, nugator temerarius. Eadem inſulſit idem ille Gratianus prima quæſtione prima, c. Dictum eſt. Hunc itaque Anaſtaſium, idem affirmat fauore Imperatoris Anaſtaſij, quos Acatius ille Conſtantinopolitanus, poſt in ſe prolatam damnationis ſententiam, Sacerdotes vel Leuitas ordinauerat, acceptis officijs rite fungi poſſe, male decreuiſſe, ſubiecta parte eius decretalis epiſtolæ in c. ſecundum, eadem diſtinctione. Qua recitata ſubiungit in hæc verba: Quia ergo illicitè, & non canonicè, ſed contra Dei decreta, & prædeceſſorum ſuorum hic reſcripta dedit, vt probat Felix, & Gelaſius, qui Acatium ante excommunicauerunt, & Hormiſda, qui ab Anaſtaſio tertius, eundem Acatium poſtea damnauit; ideo ab Eccleſia Romana repudiatur, & à Deo percuſſus legitur. In eius fidem ſubijciens, quam paulo ante deſcripſimus hiſtoriã aut verius fabulam. Et hæc vnus ſcribens poſt alium, cæcus cæcum ducit in foueam. Qui tamen ſi vel paululum aperirent oculos, viderent luce clarius, quam impudens, & ſeipſum euertens medacium contineat hæc fabula.

Quid enim hoc probabilitatis habere poteſt, Anaſtaſium conatum reuocare Acatium, quamuis non potuerit: & ob id diuino percuſſum iudicio, cum certo conſtet rebus humanis iamdudum exemptum hunc, priuſquam ille ad Romanæ Eccleſiæ Pontificatum aſſumeretur? Quod ipſum etiam illa ipſa teſtatur eius decretalis Epiſtola, quam ſcribit ad Imperatorem Anaſtaſium, vnde hanc ipſam illi ſtruunt calumniam. Sed poſt mortem, inquis, eius voluit reuocare Acatium. Expectabam, vt diceres voluiſſe illum reuocare à Gratiano hiſtoria, ſed dicit, quod voluit occulte reuocare Acatium. Sed quod nec memoriæ eius ſuccurrere voluerit, aut eandem reuocare ad communionem catholicæ Eccleſiæ, eadem illa eius epiſtola etiam teſtis eſt. In qua orat principem, vt conſentiat nomen eius in perpetuum aboleri à catholica Chriſti Eccleſia, vt cui illud ipſum multis ex cauſis magno offendiculo, & ſcandalo fuerit, quemadmodum paulo poſt audies. Iam, & hoc quid, obſecro, probabilitatis habet, quod eſt in eadem fabula, magnam cleri partem ſe ſubtraxiſſe à communione Romani Pontificis, Eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, quod ſine concilio Epiſcoporum, Presbyterorum, & clericorum cunctæ Eccleſię Catholicę communicaſſet cuidam Photino cōmunicati Acatij? O grauem, & arduam cauſam, propter quam clericorum totius Eccleſiæ concilium conuocandum eſt. Quaſi ſine fine procederet excommunicationis contagio. Quaſi deniq; à communione capitis Eccleſiaſtici corporis ſeſe ſubtrahentes non forent ſchiſmatici. Quaſi poſtremo in eiuſdem capitis poteſtate non eſſet, eccleſiaſticam communionem reſtituere his, qui ob communionem cum excommunicatis eandem perdiderunt, niſi conuocato ad hoc clericorum totius orbis concilio. Quis has ferat, quis non rideat ineptias? Quis in Gratiano hac in re vel communem non deſideret ſenſum hominum? Sed hæc eſt ipſiſſima rei veritas.

Vera de Anaſtaſio hiſtoria.

Deceſſerat iam dudum excommunicatus ille ab Apoſtolica Sede Acatius. Cui, quod per neceſſitatem quandam præeminentiæ videlicet ciuitatis regiæ, & imperialis authoritatis, & gratiæ, communicauerat pars maxima Epiſcoporum Græcorum, & Orientalium, vniuerſuſque clerus, & populus Conſtantinopolitanus vna cum principibus, plurimos inuoluerat illa excōmunicationis eius ſententia. Nec tamen etiam poſt mortem Acatij obtineri potuit, aut in Conſtantinopolitana, aut in alijs per Orientem Eccleſijs, vt ſecundum Apoſtolicæ Sedis iudicium, & ſententiam, non commemoraretur eis nomen inter Catholicos, ſed auferretur è ſacris diptitijs. Vnde, & grauiſſimum ſchiſma excitatum eſt per Orientis Eccleſias, atque vniuerſus diſſolutus vigor diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Quæ cum duraſſent annis non paucis non ſine magna confuſione eccleſiaſtici ordinis, atque adeo vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ, Anaſtaſius II. mox vt pontificatu inauguratus fuerat, conuerſus toto animo ad reformandam pacem Eccleſiæ, ſcribit hanc (quam ille reprobatam dicit) ad Imperatorem Anaſtaſium epiſtolam, eundem orans, & obſecrans, vt eius opera, ac ſtudio hæc ſcandala, & ſchiſmata Eccleſiarum tollerentur è medio, & Apoſtolicæ Sedi ſua agnoſceretur neceſſaria toti Eccleſiæ authoritas, & debita præſtaretur obedientia. Ad quod velut facile medium proponit, vt auferatur è numero, & memoria Catholicorum nomen vnius Acatij, quem affirmat pro notorijs ſuis damnatum, & anathematizatum exceſſibus a ſede Apoſtolica. Cuius damnationem ne alij, qui neceſſitate quadam (vt diximus) illi communicauerant, & baptiſmi, aut ſacri ordinis ſacramenta ab eodem acceperant, vt perſuadebantur à quibuſdam pacis hoſtibus, ſibi detrimento forę crederent in perceptis ab illo ſacramentis, & ob id, vt eius damnationi ſubſcriberent, difficilius induci poſſent, impedirenturque per id fructus optatæ, & ſanctæ vnionis, pacis, & concordiæ, illud ipſum præueniens ſanctus, & ſapiens Pontifex: non quidem contra Dei decreta, ſuorum prædeceſſorum, & ſucceſſorum * quemadmodum ille non minus impie quàm incircunſpecte contra orthodoxũ Pontificem effutijt) ſed ſecundum orthodoxæ fidei regulam, & ſanctorum (quod poſt intelliges) prædeceſſorum ſuorum exemplum declarauit illius damnationem, nulli damno, aut præiudicio fore his, qui ab eo baptiſmi aut ſacri ordinis Sacramenta ſuſceperunt, redintegratis ac reunitis catholicæ Eccleſiæ.

* Non impius qui narrat, ſed falſum quod narratur.

Quæ

Digitized by Google

Quæ vt ita acta ac veriſſima intelligas, illam ipſam eius epiſtolam ſubijciemus ad Imperatorem Anaſtaſium ſcriptam in hæc verba.

Epiſtola Anaſtaſij Pontificis ad Anaſtaſium Imperatorem.

Glorioſiſſimo, ac clementiſſimo filio Anaſtaſio Auguſto Anaſtaſius Epiſcopus. Exordium Poutificatus mei primitus oblata populis pace pronuncio, confidentet pro fide catholica, humilis pietati veſtræ peccator occurro. In quo primum mihi dininum fauorem propinquaſſe confido, qnod nunc conſonantia in me auguſtiſſimi nominis tui, non dubium præſtat auxilium, vt ſicut præcelſum vocabulum pietatis tuæ per vniuerſas gentes toto orbe præfulget: ita per miniſterium humilitatis meæ, ſicnt ſemper eſt, ſedes Beatiſſimi Petri in vninerſa Eccleſia aſsignatum ſibi à Domino Deo teneae principatum, nec propter vnum mortuum diutius tunica illa ſalutaris deſuper contexta per totum, malæ ſortis patiatur incertum, quæ ſola in diſcuſſionem pro firmitate ſui venire non potuit, ſerenitate tua præcipue rempublicam gubernante, cui etiam in priuata vita tantum circa ſinceram religionem, ſtudium fuit, vt ſicut fama certiſsime celebrauit, nemo magis, vel inter præcipuos Sacerdotes, præfixas à ſanctis patribus regulas cuſtodiſſe dicatur. Quod ſanctum ſtudinm cum maieſtati imperij creuiſſe confidimus. Legatione itaque fungimur pro Chriſto. Ne igitur eos propter offenſionem, vel ſcandalum patiamini publice nominari, quorum merita, vel actus illum iudicem latere uon poſſunt, in cuius iam ſunt iudicio conſtituti. Neque illic ſe poteſt interſerere, ib corpore mortali adhuc temeraria præſumptio, vbi non ſolum confeſsio facit aperta merita ſingulorum, ſed etiam ſilentij ipſius non poteſt latere ſecretum. Namque, & prædeceſſor noſter Papa Felix, & etiam Acatius illic procul dubio ſunt, vbi vnuſquiſque ſub ranto iudice non poteſt perdere ſui meriti qualitatem, &c. Precamur itaque dilectionem veſtram, vt ſpecialiter nomen taceatur Acatij, vt quod multis ex cauſis ſcandalum atque offendiculum Eccleſiæ concitauit, &c. Quantos enim excuſſus, atque præſumptioues habuerit Acatius, ne clementiæ tuæ ſuggerere per ſingula fortaſsis videatur onetoſum, Creſconio, & Germano fratribus, & Coepiſcopis meis, quos miſimus ad ſerenitatem tuam, de cauſis ſingulis Acatij, qualis fuerit, inſtructionem plenſsimam dedimus, clementiæ veſtræ ſpecialius recenſendam, ſi hoc pietati tuę placuerit curioſius indigare, ne in aliquo ſuggeſtioni noſtræ veritas defuiſſe videatur, vt pro diuina ſapientia veſtra perſpicue videri poſſitis, non ſuperbia, vel elatione Sedis Apolicæ, talem in Acatium proceſsiſse ſententiam, ſed facinoribus certis, quantum nos illud indicium, quod ſolum falli non poteſt, eſtimamus zelo magis diuinitatis extortam, &c. Deinde occurrens illi, qnod plurimos retrahebat à ſubſcribendo in damnationem Acatij, ob neceſſatiam quam cum eo vino habuerunt, communionem, præſertim in ſuſceptis ab eodem Sacramentis Eccleſiaſticis.

Iam, inquit, ſecundum Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem ſacratiſſimum ſerenitatis tuæ pectus agnoſcat, quod nullum de his, qnos baptizauit Acatius, vel Sacerdotes, ſeu Leuitas, ſecundum canones ordinanit, vlla eos ex nomine Acatij portio læſionis attingat, quo forſitan per iniquum tradita ſacramenti gratia minus firma videatur. Nam, & baptiſmi, quod procul ſit ab Eccleſia, ſine quod ab adultero, vel à fure fuerit datum, ad percipientem, munus peruenit illibatum. Quia vox illa, quæ per columbam ſonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excluſit, qua declaratur, ac dicitur: Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu, & igne. Nam ſi viſibilis ſolis iſtius radij, cum per loca fœdiſſima tranſeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius, qui iſtum viſibilem, fecit, virtus, nulla miniſtri indignitate conſtringitur, &c. Ideo ergo, & hic, cuius nomen dicimus reticendum, male bona miniſtrando ſibi tantum nocuit. Nam inuiolabile ſacramentum, qnod per illum datum eſt alijs, perfectionem ſuæ virtutis obtinuit. Quod cum ita ſit, aliquorum tamen in tantum ſe extendit curioſa ſuſpicio, vt imaginentur, prolato à Papa Felice iudicio, poſtea inefficaciter in ſacramentis, quæ vſurpauit Acatius, egiſſe, ac proinde eos metuere, qni vel in conſecrationibus, vel in baptiſmate myſteria tradita ſuſcepernut, ne irrita beneficia diuina videantur. Sed meminerint in hac quoque parte tractatum præualere ſuperiorem. Quia non ſine vſurpatione nominis Sacerdotij adiudicatus hoc egit. In quo virtutem ſuam obtinentibus myſterijs, in hoc quoque rea ſibi tantum perſona nocuit.

Nam ad illum pertinuit, quod tuba Dauidica canitur: Veruntamen Deus conquaſſabit capita inimicorum ſuorum verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Nam ſuperbia ſemper ſibi, non alijs facit ruinam, &c. Vnde cum ſibi nomen Sacerdotis vindicauerit damnatus, in ipſius verticem ſuperbiæ tumor inflictus eſt, non autem populus diuinis myſterijs, quæ ab illo percepit excluſus, ſed anima ſola quæ peccauerit iuſto iudicio propriæ culpæ erat obnoxia, quod vtique numeroſa ſcripturarum teſtatur inſtructio. Vnde remotis hominum ſtudijs, ſiue verſutijs in hac adhuc præſenti fragilitate poſitorum, ſecundum preces noſtras, anniſu, & authoritate imperiali offerte Deo noſtro vnam Catholicam Eccleſiam, & Apoſtolicam. Quia hoc ſolum eſt, in quo non ſolum in terris, ſed etiã in cœlo triumphare ſine fine poſsitis. Hactenus illius epiſtola ad Imperatorem Anaſtaſiũ.

Supinus nimium Gratiani error de Anaſtaſio clariſſime traducitur.

Quæ ſane me cogit, neſcio quid, mirari de illo Gratiano. Nam non lectam eidem quis poſſet credere, vnde exceptum eſt illud cap. 2. prædicta diſt. 19., quod contra Dei, & prædeceſſorum ſuorum decreta calumniatur ſcripſiſſe Anaſtaſium. Et ſi legit, quo pacto non intellexerit impudentiſſimam eſſe fabulam, quam ex neſcio qua hiſtoria in derogationem nominis, & memoriæ ſancti, & orthodoxi Pontificis ſubnexuit. Scilicet, Anaſtaſium voluiſſe occulte reuocare Acateum, & propterea diuino percuſſum iudicio? O craſſam nimis impudentiam. Quaſi non conſtet luce meridiana clarius ex dicta eius epiſtola, quo nam pacto illum reuocare voluerit: Viuum certe non potuit, iamdudum enim obierat. Mortui autem vt nomen, & memoria aboleretur à Catholica Chriſti Eccleſia, ſategit omnibus viribus, tam literis, quam nuncijs

cijs

Digitized by Google

cijs oſtendens, & perſuadens defendenti memoriam eius Imperatori ob graues intolerandoſque exceſſus ſuos, & certa facinora iuſtiſſime damuatum à Sede Apoſtolica. Et hoc erat occulte reuocare velle Acatium?

Aduerſus epiſtolam Parmenſani

Iam (quod ille inſamat) eius decretum velut Dei decreto, & prædeceſſorum ſucceſſorumque eius in Sede Apoſtolica contrarium, quid obſecro continet non pium, orthodoxum, & catholicum? Quid, quod non toties inculcat D. Auguſtinus aduerſus Donatiſtas hæreticos? Nec enim ſacramentum aut baptiſmi, aut ordinis, nec etiam ius dandi ſacramentum, aut baptiſmi, aut ordinis, nec etiam ius dandi ſacramentum (vt eiuſdem verbis dicam) amittit ſchiſmaticus, aut hæreticus, vtrunque enim, inquit ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrunque homini datur, illud, cum baptizatur, iſtud, cum ordinatur. Ideo non licet à catholico vttnnque reiterari. Nam ſi ex ipſa parte ſchiſmaticorum venientes, etiam præpoſiti aut Epiſcopi, qui pro bono pacis correcto ſchiſmaticorum errore ſuſcepti ſunt, & ſi viſum eſt opus eſſe vt eadem officia gererenr quæ gerebant, non ſunt tamen rurſus ordinandi: ſed ſicut baptiſmus in eis, ita & ordinatio manſit inregra. Quia tantum in præſciſione fuerat vicium, quod vnitate pacis correctum eſt. Hæc docet & aſſerit ille Auguſtinus, non hæreticus, ſed orthodoxus, atque adeo orthodoxorum lumen, & inſignis doctor Eccleſiæ: hęc, inquam, ille docet pro aſſertione orthodoxæ veritatis aduerſus hæreticos.

Quod ſi ab hæreticis, & ſchiſmaticis accepta ſacramenta, etiam ab ipſis ſchiſmaticis, & hęreticis, ſuā efficaciam, & vtilitatem habeaur, correctoſolo diuiſionis vicio: nūquid aut infirma, aut irrita erunt eadē, quæ accepit fidelis, & orthodoxus populus, in vnione manens catholicæ Chriſti Eccleſiæ, à proprio ſuo Epiſcopo, nec hæretico, nec ſchiſmatico: ſed qui ob alios tantum exceſſus ſuos excommunicatus fuerat? Cuius etiam communionem deſerere non potuit: præſertim quamdiu non ſolum ille ipſe, ſed cum eo pars maxima totius orbis Epiſcoporum (quemadmodum ad Acatio factum demonſtrat illa eius, quam aliquanto poſt explicabimus, tragœdia) iniuſtam atque adeo irritam eius excommunicationem contenderent, & in eiuſdem communione perſiſterent? Certè vbi nunquam ſuit in orthodoxo populo diuiſionis vicium, nihil illi obeſſe potuit ſui Epiſcopi damnatio, nec eidem eſſe damno neceſſaria quædam eius cum illo communio: præſertim quamdiu probabiliter ignoraret ritè excommunicatum, & validè, ob Epiſcoporum pene totius orbis, quod videbunt, præiudicium. Nunquid ergo hæretica eſt hæc Anaſtaſij ſententia, & declaratio, quod Acatij damnatio nihil obſuerit fideli eius, orthodoxoque populo, nec irritam aut infirmam reddiderit ſacramentorum, quę ſecundum ſacerdotalis officij ſui debitum eidem miniſtrauit, gratiam?

Vt autem intelligas, non noſtrum ſolnm, ſed etiam Canoniſtarum (qui alioqui craſſiculi ſunt, nec nimis emunctæ naris) tam de Grariano ſuo, quam de Anaſtaſio iudicium, Gloſſa prima in dicto. c. Secundum, laborat in cenſura eiuſdem, ob Gratiani illud, quod ſupra audiſti, de eo præiudicinm. Nam dicit variam eſſe de illa decretali & eius authore Anaſtaſio ſententiam. Gratiani equidem, qualem audiuimus. Cui dicit contentire Melendum quendam, & omnes, qui dicunt veritatem ſacramentorum non eſſe apud hæreticos. Quæ ſane ſententia eſt hæretica, & reprobata à Catholica Chriſti Eccleſia, quæ nec in baptizatis, nec ordinatis ab hæreticis, aut ſchiſmaticis reuertentibus ad ſinceritatem fidei, & vnitatem Eccleſiæ, ſacramenta reiterat. Hugonis deinde cuiuſdam adfert ſententiam planè contrariam, & nobiſcum conſentientem per omnia: qui nec decretalem eam reprobatam, nec damnatum eius auctorem affirmat, cum illa nihil contineat non ſanctum, orthodoxum, & canonicum. Poſtremo, etiam tertiam quorundam adducit ſententiam, affirmantium ideo reprobatum illud. c. Secundum, cum authore ſuo, quia voluit, quod ordinari ab hæretico, ſine omni diſpenſatione, de iure ſua exercere poſſint officia. Qua in re vide, obſecro, temeritatem hominum, cum nihil horum omnium dicat Anaſtaſius, quæ hi in illum congerunt. Neque enim loquitur de ordinatis ab hæretico, ſed ab Acatio, qui à nemine vnquam hęreſeos alicuius inſimulatus eſt, ſed tantum excommunicatus ob exceſſus alios, & quia communicauerat hæreticis. Quod ipſum tamen idem ſemper negauit, negaruntque, qui iniuſtam eius damnationem contendebant, Oriētis Epiſcopi, quemadmodum diuerſæ Gelaſij teſtantur epiſtolæ, quibus eius damnationem iuſtam aſſerit, præſertim autem ea ad Dardaniæ Epiſcopos. Deinde, nihil dicit, nec de iure, nec de diſpenſatione, vt impudens hic nugator affirmat. (Quanquam quicquid dicit, merum ius ſit) ſed tantum pacis & eccleſiaſticæ vnitatis intuitu decreuit, aut potius declarauit, nihil obeſſe culpam & damnarionem Acatij, his qui in fide & vnitate Catholicę Eccleſię ſacramenta ab eo perceperunt, nec ſacramentorum illorum gratiam illius culpa aut damnatione euacuatam aut infirmatam.

Qua in re ſi hæreticus eſt Auaſtaſius, bis hæreticum fuiſſe beatiſſimum illum Leonem neceſſe eſt, qui eodem intuitu permiſit illum Anatholinm Conſtantinopolitanum Epiſcopum miniſtrare in ſuo gradu, & ordine, Quem tamen ter execrandus ille Dioſcorus, exturbato, & per vim ac ſcelus eiecto S. Flauiano Epiſcopo, atque adeo neci dedito, è ſuo veluti latere aut ſinu (nam eius Archidiaconus fuerat) Conſtantinopolitanæ intruſerat Eccleſiæ, & ordinarat Epiſcopum. Sed pacis (vt dixi) intuitu, in ſuo illum gradu, & ordine confirmauit Beatiſſimus Leo, ſatis habeus, quod ſecum amplexaretur veritatem orthodoxę fidei, & deteſtaretur Euticetis perfidiam, id quod plurimæ eiuſdem teſtantur epiſtolæ. Quin, & vniuerſam Chalcedonenſem ſynodum bis hæreticam fuiſſe neceſſe eſt: vt quæ ex præſcripto eiuſdem Leonis, neminem eorum, etiam qui Epiſcopi ordinati eſſent, ab impia illa hereticorum factione Dioſcorica, iacturam facere voluit ſuæ illius dignitatis, gradus aut ordinis: modo per veram pęnitentiam reuerſi ad vnitatem Catholicæ Eccleſiæ, amplexarentur ſynceritatem fidei,

dei,

Digitized by Google

dei, & execrarentur impietatem hæreticam.

Et hæc quidem de Anaſtaſio ſuffecerint ad vindicandum eius nomeu & memoriam à nota atrociſſimi criminis, hæreſeos inquam: quod nulli facile imponendum eſt, præſertim iamdudum in Chriſto quieſcentium, niſi quibus aperto Eccleſiæ præiudicio inuſtum conſtat. Quin & impudentem falſitatem coarguunt eius fabulæ, qua Gratianus illi ſancti, & orthodoxi Pontificis nomini, & memoriæ impiè detrahit: temeritatem quoque cenſuræ & iudicij eiuſdem de prædicta illius decretali epiſtola, quam planè conuincitur, aut non legiſſe, aut minimè intellexiſſe. Cuius ſententia, ſi ea fuit, quæ à Gloſſa illa eidem attribuitur, non vero illius Anaſtaſij, vt audiſti eſt plane hæretica.

Benedictum XI. (vt quos volunt, pro ſuo arbitrio hi hæreticos faciunt) etiam hac nota inuenio perſtrictum à nonnullis, qui aduerſantur illi indefectibilis fidei priuilegio; quod cathedram Apoſtolicam atque eius præſules tueri aſſerimus, ſed quo prætextu, aut colore, non inuenio. Quod dum quæro per omnes de illo ſcriptores, & hiſtorias, nec leuiſſimam apud vllam ſuſpiciunculam deprehendo tam atrocis in illum notæ, & infamiæ. Quin potius, omnes velut vno ore, eximiæ virtutis, doctrinæ, & ſanctè adminiſtrati Pontificatus menſibus illis nouem, quibus ſolis præfuit, teſtimonium perhibent, ex generali Ordinis Dominicani, primum in Cardinalem, deinde electus in Summum Pontificem. Et ne fortè (vt fit facilè) in numero incidiſſet error, per omnes eius nominis Pontifices percurrens, neminem tamen inuenio, in quem, vel minima nota eius criminis competat. Ita hi quaſi pro ludo habent infamare ſanctos, & orthodoxos Pontifices iam cum Chriſto regnantes, de omnium atrociſſimo crimine impietatis hæreticæ.

In eundem modum & quæ de Ioanne vigeſimoſecundo afferunt à nonnullis, merę nugæ ſunt, mera mendacia. Scripſerunt quidam noſtra tempeſtate vitas Pontificum Romanorum, ſed plurima pro ſuo ſcripſerunt affectu & libidine: quibus dum ſeruiunt, impudentiſſimè, ac mendaciſſimè debacchantur in famam innocentium, & ſanctorum Pontificum. Quod nuper quidam Ioannes Battus fecit in vita ſanctæ memoriæ Adriani Sexti Pontificis Maximi, in Theologicis his ſtudijs quondam præceptoris noſtri. In quem virum ſine controuerſia ſanctum, doctiſſimúque ille tam impia, tam neſanda, tam execranda mentitur impudentiſſimè, vt ipſum etiam cœlum commaculare poſſent, & inficere. Idem, tametſi magis diſſimulanter & tectè, feciſſe Platinam in Paulum ſecundum, certum eſt. De quo defuncto (quod illi ob ſua demerita merito aduerſus fuerat) vt ſe vlciſci poſſet commodius, omnium ad ſua tempora Pontificum hiſtoriam congerere aggreſſus eſt, quo ita maiori fide & à pluribus legerentur, quæ de Paulo mentiri voluit. Sic & Ludouici illius Bauari execrati à Ioanne vigeſimo ſecundo & Sede Apoſtolica, deinde etiam priuati imperio (cuius libro ſequenti explicaturi ſumus tragœdiam) ſtudium, & largito multos eo ſęculo venalia habentes ingenia, venales linguas, & calamos, impulit execranda multa comminiſci, & effutire aduerſus doctiſſimum, magnique animi Pontificem, & dignitatem eccleſiaſticam. Inter quos præcipui, & velut anteſignani quidam erant Marſilius ille Patauinus (quem libro ſequenti excutiemus exactius) & Occam pſeudomonachus, pſeudoque Theologus, illius Ludouici familiaris conuictor. Qui Ioannis illius vigeſimi ſecundi, definitiones quaſdam calumniabantur vt hæreticas, ipſi hæreticiſſimi, alia etiam eidem impingentes mendacia, velut impietatis ſeruiles, conductitijque milites, & qui in hoc, impio execrandoque Imperatori locauerunt ſuam operam. Quorum nudis, impijſque aſſertionibus, ſi quis, vel tantillum moueri poſſit aduerſus clariſſima, quæ induximus, priuilegij apoſtolicæ cathedræ, & eidem præſidentium argumenta & teſtimonia, is mihi non bene ad veritatem, pietatemque affectus videbitur: præſertim cū non facile adduci quis debeat, vt credat de his, quorum in pace requieſcit memoria, non tam atrox crimen prauitatis hæreticæ, niſi aperto Eccleſiæ iudicio de eodem notatus fuerit.

Qua de cauſa de vno Honorio maiorem nobis difficultatem ingerit ſynodalis (vt videtur) authoritas. Siquidem perſtrictum ea nota illum legimus in Actis 6. ſynodi (vt à nobis Latinè interpretata, & impreſſa leguntur) inter authòres monothelitica hæreſis, hoc eſt, vnius voluntatis, & operationis in Chriſto. Cuius in eiſdem actis inſeruntur duæ epiſtolæ ad Sergium Conſtantinopolitanum, eiuſdem hæreſis ſeminatorem, & primum aſſertorem, ex quibus eiuſmodi hæreſi conſenſiſſe videri volunt. Itaque in principio actionis decimætertiæ hæc legitur cenſura concilij, tam dę Honorio, quam dę eius epiſtola.

Sanctum concilium dixit, retractantes ſecundum promiſſa dogmaticas epiſtolas, quæ à Sergio quondam Patriarcha huius à Deo conſeruandæ regiæ vrbis ſcriptæ ſunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quam Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: Similiter autem epiſtolam ab Honorio reſcriptam ad eundem Sergium, haſque inuenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & definitionibus ſanctorum conciliorum, & cunctorum probabilium patrum, ſequi vero falſas doctrinas hæreticorum. eas omnino obijcimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum, & nomina à ſancta Dei Eccleſia proijci iudicauimus: Id eſt, Sergij quondam præſulis huius Vrbis regiæ, qui aggreſſus eſt de huiuſmodi impio dogmate conſcribere. Cyri Alexandrinę, Pyrrhi, Pauli, & eorum mentionem fecit Agatho ſanctiſſimus & ter beatiſſimus Papa antiquę Romę in ſua ad pijſſimum Imperatorem epiſtola, eoſque abijcit, vtpote contraria rectę fidei ſentientes, quos anathemati ſubmitti definiimus. Cum his vero ſimul proijci à ſancta Dei catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari præuidimus, & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romę, eo quod inuenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quod in omnibus eius mentem ſecutus ſit, & impia

Digitized by Google

dogmata confirmauit. Hactenus verba concilij, vt impreſſa circumferuntur.

Sed quoniam ex omnibus horum temporum ſcriptoribus, & certiſsimæ fidei hiſtorijs clariſsime conſtat, eundem illum Honorium fuiſſe primum huius hæreſis damnatorem, annis fere 60. ante celebratam ſextam ſynodum, ſatis clare deprehenditur hanc ſynodum paſſam in damnatione memoriæ, & epiſtolarum ſancti Honorij, quod in 14. actione eiuſdem concilij per legatos Apoſtolicæ ſedis conuictum eſt paſſam fuiſſe 5. ſynodum in actione eius 7, hoc eſt, per falſarios inſarta, quæ aliena erant à mente ſynodi.

Potuit equidem fieri, vt in eius initio intelligens (vixdum expugnata impia hæreſi Euticetis, & Dioſcori de vnitate naturæ in Chriſto, ſtabilitaque in eodem authoritate beatiſsimi Leonis, & Calcedonenſis concilij, veritate naturæ dupplicis) cœpiſſe repullulaſcere in Eccleſia noua diſſenſionum, & ſcandalorum ſemina, de vnitate voluntatis, aut operationis in Chriſto, ita reſcripſerit de hoc ſubdole conſulenti Sergio, quemadmodum habet tenor inſertæ actis dictæ ſynodi, ſecundæ illius epiſtolæ (nam prima mihi non germana, aut ſyncera videtur, tametſi nihil etiam erroris contineat (videlicet vt nouæ adinuentionis vnius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Eccleſiarum Dei præconio, nebuloſorum contentionum caligines rurſus non effundantur, aut conſpergantur, præcipiens propterea vt vnius vel geminæ operationis nouiter à contentionum ſtudioſis introductum vocabulum à prædicatione fidei eximetur. Nam qui, inquit, hæc dicunt, quid aliud, niſi iuxta vnius vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum, ita operationis vnius vel geminæ ſuſpicantur fuiſſe mediatorem Dei, & hominum Dominum Ieſum Chriſtum ſentire vel promere, quod ſatis ineptum eſt? Habet autem & circa finem eandem epiſtola ſic: Et hoc quidem, quantum ad inſtruendam notitiam ambigentium, ſanctiſsimæ fraternitati veſtræ per eandem inſinuandum præuidimus. Cæterum, quantum ad dogma Eccleſiaſticum pertinet, quæ tenere, vel prædicare debemus, propter ſimplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſuperius diximus, non vnam, aut duas operationes in mediatore Dei, & hominum definire, ſed vtraſque naturas in vno Chriſto, vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, & diuinum quidem, quæ Dei ſunt operantem, & humanam, quæ carnis ſunt exequentem, non diuiſe, nec confuſe, aut conuertibiliter, Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuerſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes, vnus atque idem humilis,& ſublimis, æqualis patri, & minor patre, ipſe ante tempora natus, in tempore eſt, per quem facta ſunt ſæcula, natus in ſæculo eſt, & qui legem dedit, factus ſub lege eſt, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, ipſe crucifixus, ipſe chirographum, quod erant contra nos, euacuans, in cruce, de poteſtatibus, & principibus triumphauit.

Sententia epiſtolæ Honorij ad Sergium.

Auferentes ergo, ſicut diximus, ſcandalum nouellæ adinuentionis, non oportet nos vnam vel duas operationes definientes prædicare,ſed pro vna (quam quidem dicunt) operatione, oportet nos vnum operatorem Chriſtum Dominum, in vtriſque naturis veridice confiteri, & pro duabus operationibus (ablato geminæ operationis vocabulo (ipſas potius duas naturas, id eſt, diuinitatis & carnis aſſumptæ, in vna perſona vnigeniti Dei Patris, inconfuſe, indiuiſe, atque inconuertibiliter prædicare propria operantes. Et hoc quidem beatiſſimæ fraternitati veſtræ inſinuandum præuidimus, quatenus vnius confeſſionis propoſitum, vnanimiti veſtræ ſanctitatis monſtraremus, vt profecto in vno ſpiritu anhelantes, pari fidei documento inſiſteremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro,& Sophronio antiſtitibus, ne nouæ vocis, ideſt, vnius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere, vel immorari videamur, ſed abraſa huiuſmodi nouæ vocis appellatione, vnum Chriſtum nobiſcum vtriſque naturis, diuina & humana prædicent operantem. Quanquam & hos,quos ad nos prædictus frater, & coepiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum prædicare innitatur. Quod inſtantiſsime promiſerunt dictum virum facturum, ſi etiam Cyrus frater, & coepiſcopus noſter ab vnius vocabulo diſceſſerit. Hactenus ille Honorius.

Vnus operator Chriſtus in duabus naturis. Vtranque naturam in vna perſona operari pro pria.

Videas itaque Chriſtiane lector, & clariſſime intelligis, ex illa ipſa Honorij epiſtola, quæ eſt in actis eiuſdem ſynodi, paſſam eandem ea parte, quæ legitur de damnatione memoriæ viri ſanctiſſimi,& vere orthodoxi,quod legati ſedis Apoſtolicæ in eadem conuincerunt paſſam quintam ſynodum, in actione eius ſeptima, hoc eſt, per falſarios,& mendaces Græculos, in odium, & detractionem Romanę Eccleſiæ (cui aduerſantes in direptionem dati ſunt) hæc inſarta alieniſsima à mente ſancti concilij. Quod enim ad hoc ipſum procliues Græci fuerint, non ſolum prædicta teſtatur quinta ſynodus, ſed etiam conqueritur beatiſſimus Leo ſuæ (qua ad B.Flauianum incarnationis Verbi myſterium explicauerat) idem accidiſſe epiſtolæ, vt in alia quadam ſua ad Paleſtinos teſtatur. Idem quoque teſtatur ille Nicolaus I. eius nominis Rom. Pontifex, ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum, ſcribens aduerſus inordinatam promotionem Photij, ſubito ex Palatino tonſurati, & ordinati in Epiſcopum, citans authoritatem VII. ſynodi, & epiſtolæ Adriani Pontificis, quæ in acta eiuſdem relata legitur: in qua, inquit, quantum idem Pontifex illam præſumptionem, qua ex laicis quidam ſubito tonſurantur,& in Epiſcoporum numerum proſiliunt, ſi diligenter inquiſieritis, profecto inuenietis. Si tamen non falſam Græcorum more, ſed ficuta ſede miſſa eſt Apoſtolica, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus perſeuerat.

Hæc ille ad Imperatorem Græcum. In quibus audis Græcorum morem. Quin & & idem ille ſuis literis hoc ipſum accidiſſe à Græcis in eadem conqueritur epiſtola. Et eam ob cauſam, quaſi illud ſibi præuiſum foret, omnium à ſe ſcriptorum, & miſſorum authentica exemplaria penes ſe retinuiſſe teſtatur, ad quæ prouocat. Nihil itaque mirum, etiam

hac

hac parte idem paſſa ſextæ ſynodi, quæ circumferuntur incertæ fidei, & authoris nuper emiſſa exemplaria. Qua enim rarione, quo colore damnari potuiſſet, illa, quam dicta epiſtola explicat, vere orthodoxa ſententia ac confeſſio, ſaluberrimum illud vitandarum diſſenſionum, & contentionum, ob noua quædam introducta vocabula, conſilium? quod quia ſeruatum non eſt, illa exigua (vt in ſpeciem apparebat) ſcintilla, & de duabus voculis pernicioſa contentio, 60. fere annis ſua paulatim incrementa, fomentaque ſuſcipiens excreuit in grauiſſimum, pernicioſiſſimumque incendium, vniuerſas pene inuoluens Orientis Eccleſias.

Maximas poſt controuerſias, & difficultates, vixdum obtinuerat orthodoxa veritas duarum naturarum in Chriſto, aduerſus Euticetis, & Diſcori blaſphemiam, & continuo reſuſcitatis contentionum ſeminibus, de vnitate, & dualitate operationum in Chriſto, præcepit vere orthodoxus, ſapientiſſimuſque Pontifex, auferri de medio nouarum vocum ſcandala, vnde contentiones, diſſidia, & hęreſes excitarentur, & præſcripta vere orthodoxa, planiſſimaque fidei confeſſione, qua nec hinc, nec inde impingerent nouitatum captatores, neque vnam, neque duas operationes: ſed duas potius operatrices naturas docuit confitendas in vno Chriſto, iuxta Chalcedonenſis definitionem concilij. Qualibet cum alterius quadam communione operante ſibi conuenientia, vt diuina quæ Dei ſunt, humana vero, quæ carnis aut hominis, non diuiſe, vt ille blaſphemat Neſtorius, non confuſe, & conuertibiliter vt Eutices, & Dioſcorus. Itaque velut inuento medio, quo vtrique parti ſatisfaceret, duarum operationum aſſertoribus præcepit, vt confiteantur duarum naturarum differentium integras veritates in vnitate ſuppoſiti, ſuas quæque habentes operationes proprias. Alteri vero parti, vt deuitato vnius operationis vocabulo, vnum operatorem Chriſtum confiteantur eorum, quæ vtriuſque naturæ ſunt. Ita vt vnus idemque Chriſtus, ſit humilis, & ſublimis, æqualis patri, & minor patre, ante tempora, & factus in tempore, per quem facta ſunt ſęcula, in ſęculo natus. Qui legem dedit, factus ſub lege, & ad mortem obediens, & in cruce de poteſtatibus tenebrarum triumphans.

Hac confeſſione numquid eſſe potuit magis orthodoxum, magis pium, ac ſanctum, & ad retinendam pacem, tollendaque nouitatum, contentionum, & ſcandalorum ſemina magis vtile? Certe ſi confeſſionem eiuſmodi damnaret, non ſolum vlla Synodus, ſed etiam Angelus de cœlo, non dubitarem vtrunque cum Apoſtolo anathema dicere, vna cum impia illa Epheſina Synodo ſecunda, quæ damnata (vt poſt clarius intelliges) orthodoxæ fidei veritate ſtatuit, & probanit impiam Euticetis blaſphemiam.

Heraclius a mothelitica hæreſi reſipiſcens, regulam orthodoxæ fidei ſuſcepit ab Honorio.

Sed cum poſt luce clarius intelligeret Sũmus Pontifex, quo tenderet illorum ſtudium, hoc eſt, Cyri, Sergij, & ſectatorum, primus eius perfidiæ damnator extitit, & Cyrum ac Phyrrhum Sergij ſucceſſorem anathemati ſubiecit. Quem nouiſſimum Heraclius Imperator, Apoſtolicæ ſententiæ executor factus, relegauit in Africam. Nam cum ab eodem, & ipſe monothelica infectus eſſet hęreſi, haud irreligioſus primum nec malus Imperator, & ob id in varias incidiſſet calamitates, & miſerias, ſentiens corripientem ſe Dei manum, hæretici erroris vltricem, & vindicem, ad cor reuerſus a beatiſſimo Honorio, orthodoxæ fidei regulam doctrināque ſuſcipiens, Pyrrhum relegauit tanti in ſe mali authorem. Quam tregœdiam poſt plenius explicabimus in hiſtoria ſextæ Synodi. Hæc de illo teſtantur Foroliuien. Pius Pontifex, Ioannes Nauclerus, Sabellicus, & cæteri.

Quin & illa beatiſſimi Agathonis epiſtola, quam dicta Synodus vt dicta tam à Spiritu ſancto per os Principis Apoſtolorum Petri amplexata eſt, & ſecuta in omnibus, velut orthodoxæ veritatis regulam, præfatum Horium ab omni hæreſis nota prorſus vindicat. Siquidem poſt perſtrictos in eadem authores præfatæ hæreſis monothelicitæ, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, demonſtratamque eorum inconſtantiam, & inter ſe contrarietatem: Quis, inquit, tantæ cęcitatis errores non abominetur? &c. Eximenda, proinde ac ſummis conaribus cum Dei præſidio liberanda eſt ſancta Dei Eccleſia de ralium Doctorum errorribus, vt euangelicam atque apoſtolicam orthodoxæ fidei rectitudinem ſeruet, quæ fundata eſt ſuper firmam petram huius B. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiæ, quæ eius gratia, & præſidio ab omni errore illibata permanet. Hæc ille Agatho. Quibus vides illum affirmare, è Cathedra Petri Apoſtolorum Principis, nullam vnquam prodijſſe hæreſim, quin potius euangelicę, atque apoſtolicę, orthodoxęque fidei rectitudinem, in eadem fuiſſe conſeruatam, quę diuina gratia, & ſingulari pręſidio, ab omni errore illibata permanet. Quod qua ille fronte in facie totius Chriſti Eccleſię, ſi Honorius ille ex eadem Cathedra illam ipſam, quam impugnabat, docuiſſet hæreſim? Qua etiam fronte Nicolaus ille primus Michaelis imperatoris Conſtantinop. retundens impiam arrogantiam, auſus fuiſſet iactare, in ea qua illi reſpondet epiſtola (quam, & totius Orientis & Meridiei orthodoxis dixerit epiſcopis) de apoſtolicę ſedis Pontificibus, quod illos nec tenuis vnquam rumor aſperſerit impię aut hereticę ſententię? Hoc enim, inquit, nec ſaltem tenuis rumor aſperſit aliquando, cum prana ſapientibus ſapere, quanto minus concertare? Quod qua fronte audes dicere Nicolae, ſi non ſolum Honorius ille apoſtolicę ſedis pręſul aſſertor fuit impietatis monothelicę, ſed etiam totalij, quot hi faciunt, heretici Romani Pontifices?

Cõcluditur non ſolum Cathedræ, ſed multo magis Petri & ſucceſſorum eius indefectibilis fidei priuilegium.

Quare, vt hic tandem concludamus, nobis conſtat, non ſolum Cathedræ, ſed multo magis Petri, & ſucceſſorum eius indefectibilis fidei priuilegium ad confirmandos fratres in fide. Quod ita tutatum eſt omnes Romanos Pontifices, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides, vt ab initio ad hunc vſque diem nemo ſit inuentus inter eos hæreticus, ſed nec inuenietur ad finem vſque ſęculi.

Non tamen hoc imus inficias, quin pręſidentes Cathedræ, in definitione relatarum ad ſe quæſtionum difficilium, & quæ magni alicuius ponderis ſunt, adhibere ſecum debeant

beanr ſacerdotale concilium: qnemadmodum ſuperius ex verbis Deuteronomij diligenter annotauimus, & comprobat ab initio obſeruatio eccleſiaſtica. Siquidem in cunctis ſemper difficultatibus, quæ magni alicuius momenti erant, ad Cathedram Petri relatis, inueniuntur præſidentes cathedræ ſecum congregaſſe ſacerdotale concilium. Nonquidem ex toto orbe, ſed eorum, qui etiam in eadem Cathedra miniſtrabant Domino, & nonunquam vicinorum quoque, aut etiam diſtantiorum Epiſcoporum, pro qualitate negotij. Sed non habet illud ſacerdotale concilium ex ſeipſo aut ex proprio priuilegio, inobliquabilem regulam orthodoxæ veritatis, & fidei, niſi ex priuilegio Petri eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, cui vni impetrauit Chriſtus, ne fides eius deficeret ad confirmandos fratres in fide. Cui etiam quamdiu (vt fundamẽto ædificium) vnitur, & innititur, fit particeps eius priuilegij capitis, & quicquid ab eiuſmodi concilio congregato vna cum ſuo capite definitur, ſancitur aut decernitur, hoc verum, iuſtum, & ſacroſanctum eſt. At ſine ſuo illo capite, qnantumuis maximum, & numeroſiſſimum, concilium eo priuilegio plane deſtituitur, quemandmodum clarius demonſtrabimus in ſeqnentibus.

Concilia quantumuis numeroſa, ſine authoritate capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ congregata deſtitui dicto priuilegio.

Itaq; tametſi multornm cõſilia adhibeantur ad definitionem eorũ, quæ referuntur ad Cathedrã Apoſtolicam, vnius tamen præſidentis authoritate, & priuilegio profertur indubiæ veritatis ſententia. Ita & in illa ſynagoga veteri, quemadmodum ſuperius demõſtrauimus, difficiliora, & magis ambigua iudicia, quæ referri præcipiebantur ad cathedrã illam Moſaicam, definiebantur concilio quidẽ Sacerdotum omnium, qui pro tempore miniſtrabant Domino in eo loco, quem ipſe elegerat, authoritate tamen vnius præſidis cathedræ. Itaque controuerſiam eiuſmodi inter ſe habentibus dicitur, vt aſcendant ad locum, quem elegerit Dominus. Ibique interrogent Sacerdotes Leuitas, qui indicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Cuius vero in eiuſmodi Concilio ſacroſanctam authoritatem reuereri, & prorſus ſeqni debeant, continuo ſubdirur: qui autem, inquit, ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Vides hic non iam plurium Sacerdotum mentionem fieri, ſed vuius præſidis, inquam, cuius illa cenſeatur ſententia, illud iudicium, & aduerſus quem inobedientia mortis expiabatur ſupplicio. Non enim dicitur: Si quis ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotum Imperio: ſed Sacerdotis ſtantis, vt ſeruiat ibi Domino Deo tuo. Ita enim habere Hebraicam veritatem ſimul, & 72. Interpretes, ſupra indicauimus, Stantis, inquam, ſuper alios, & loco illi præſidentis. Sed horum poſt erit adhuc vberior explicatio.

Oſtenditur inefficacia argumenti Canoniſtarum ex c. Si Papa.

Ad argumentum autem Cauoniſtarum ex c. Si Papa. 40. diſt. qnod omnibus illis contrariæ aſſertionis fundamentum eſt, accuratiore reſponſione nequaquam opus eſt. Non eſt enim dictum alicuius, cuius nos magnopere premat, aut prægrauet authoritas. Non equidem diuinæ ſcripturæ, non definitio aut ſynodalis, aut præſidentis hierarchię eccleſiaſticæ, non denique alicuius ex illis primæ claſſis ſcriptoribus eccleſiaſticis: ſed quod vix noto cuidam Bonifacio martyri adſcribit Gratianus: vere au falſe, neque id quidem ſatis exploratum eſt. Quod ipſum tamen nihil affirmat nobis contrarium, ſed dicit, quod Papæ ſalutis ſuæ fraternæque negligentis culpas hic redarguere præſumat mortalium nullus. Quia cunctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus, niſi fortè deprehendatur à fide deuius. Pro cuius perpetuo ſtatu, vniuerſitas fidelium tanto orat inſtantius, quanto ſuam ſalutem poſt Deum ex illius incolumitate animaduertit propenſius pendere. Vides conditionalem, quæ nihil ponit, nec affirmat Papam eſſe poſſe hæreticum: ſed ſi fortè eſſet, quod tunc hic indicandus foret: clariſſimè ſignificans non ſe credere quod ita eſſe poſſit, ſed ſi fortè eſſet.

CAP. IX.

Vt ab initio omnes ſe geſſerint Romani Pontifices pro Eccleſiaſtica hierarchia principibus, illamque principalem eccleſiaſtici regiminis authoritatem ſuper vniuerſam Eccleſiam re ipſa, & facto exercuerint, luculentiſſimè demonſtrare.

Breuis recollectio demonſtratorum hactenus cum trãſitu.

HActenns ex ipſa primnm forma ſocietatis eccleſiaſticę, deindè ex eius vmbra in ſynagoga veteri, præterea ex clariſſimis Chriſti verbis. Poſtremo ex ipſa rectæ ſcripturarum intelligentiæ infallibili amuſſi, videlicet Carholicæ Eccleſiæ conſenſu, & communi ſententia, clariſſimè demonſtrauimus, vt erat planè neceſſarium Chriſtianæ Eccleſiæ dirigi gubernarique ſub vno capite: ita illi conſtitutum à Chriſto Petrum caput, ſucceſſoreſque eius Rom. Pontifices, vtque eiſdem dederit in Petro vniuerſam illam authoritatem patrifamilias eccleſiaſticæ domus neceſſariam, nempe obligandi omnes, qui eiuſdem familiæ Chriſtianæ ſunt, ſuarum præceptionum vinculis, vnicuique ſuum præſcribendi officium, eiuſque rationem ab vnoquoque exigendi, & vt ligandi, ita & ligata diſſoluendi pro vſu & vtilitate Eccleſiæ, atque adeo ipſas claues regni cęlorum. Ad quorum etiam referri oporteat iudicium, definitionem, & ſenteutiam, quicquid in eadem domo eccleſiaſtica exortum fuerit quæſtionis ac cõtrouerſiæ inter eiuſdem domus familiam: quatenus eiuſmodi, hoc eſt, de fide, religione, alijſque eccleſiaſticis negocijs. Quibus eam ob cauſam etiam indefectibilis fidei priuilegium contulit, tanquam alijs præſcribendi, quam ſequi tenerentur fidei regulam, poteſtatem habenribus.

Nunc ex ipſa rei euidentia, conſecutiſquę effectibus, eadem ipſa comprobare vniuerſa, tempeſtiuum mihi videtur. Et in primis vt Romani Pontiſices à naſceutis Eccleſię primordio vniuerſi ita ſe geſſerint, tanquàm eccleſiaſticæ hierarehiæ Principes, magnaque cum libertate, maximoque totius orbis conſenſu, ſupereminentem illam eccleſiaſtici

regi-

regiminis authoritatem ac poteſtatem exercuerint ſuper omnes mundi Eccleſias. Vtque in omnibus grauioribuſque cauſis ex toto orbe ad eorundem recurrerint iudicium. Quanquam autem illius primitiuæ Eccleſiæ hiſtoria haud ſanè ſatis perſcripta diligenter fideliterque ad nos peruenerit (ea ſiquidem tempeſtate magis ſatagentibus quibuſque memoriæ digna agere, quàm aliorum geſta commentari, aut commendare memoriæ. Adhuc enim feruens illa Eccleſia à recenter fuſo Chriſti ſanguine, in aſſiduis preſſuris, & huius mundi aduerſitatibus ſuccreſcens, aduerſus huius mundi poteſtates, aduerſus Dominos tenebrarum, aduerſus ſpiritales nequitias in cęleſtibus, ſemper tum in procinctu, ſemper ſtabat in acie) attamen ex ſanctiſſimorum Pontificum, quæ eccleſiaſticorum occaſione negociorum ſcriptæ,& veluti eccleſiaſtici quidam canones in Eccleſia diligentiſſimè ſemper religioſiſſimeque conſeruatæ fuerunt, varijs decretalibus epiſtolis, aliorumque, qui paulo poſt ea tempora ſubſecuti ſunt, ſcriptorum luculentiſſimis teſtimonijs, haud erit difficilè æſtimare illius primitiuæ Eccleſiæ faciem, quantus in ea vigot eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ in eccleſiaſtiea hierarchia præſidentium, quàm reuerenda, quàm metuenda authoritas.

Anacleti tẽpore quæm fuerit Eccleſiaſt. hierarchię facies, quam ipſius & cathedræ Apoſt. toto orbe recognita authoritas.

Primum itaque illius ſancti Anacleti, beatiſſimi Petri diſcipnli, & in cathedra ſucceſſoris epiſtola ad vniuerſos toto otbe Chriſti Sacerdotes, ſatis indicat illius (quæ tunc proximè ab Apoſtolis conſtituta fuerat) hierarchiæ eccleſiaſticæ faciem, per quam ex toto orbe terrarum, eccleſiaſtica negocia, & totius Eccleſiæ cura ad vnam Petri ſedem ordinatiſſimè referebantur: ipſarum principalium ſedium ordinem, qui ab Apſtolis conſtitutus eſt, explicans. Inter quas omnes Romanam Eccleſiam non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro docet accepiſſe primatum, quemadmodum ſuperius audiuiſti. In qua tandem ſubiungit in hæc verba: Si, inquit, fratet aliquis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite eum in ſpititu lenitatis. Si quæ vero aliæ cauſæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad huius ſanctæ ſedis apicem, quaſi ad caput referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio. Quia ſic Dominum velle, ab eoque hc conſtitutum eſſe, antedictis teſtimonijs declaratur. Hæc enim Apoſtolica ſedes, cardo, & caput à Domino, & non ab alio eſt conſtituta. Et ſicut cardine oſtium tegitur: ſic huius ſanctæ ſedis authoritate omnes Eccleſiæ diſponente Domino reguntur. Hæc ille Anacletus illis ipſis Apoſtolorum temporibus. Ex quibus clariſſimè demonſtratur etiam ab initio conſtituta iam eccleſiaſticæ hierarchiæ forma, totius Eccleſiæ curam, omneſque toto orbe difficiliores eccleſiaſticas cauſas relatas fuiſſe ad apoſtolicam ſedem.

Hic nota, quid etiam ium exigebat eccleſiaſtica regula àb Africanis Epiſc.

Non minorem authoritatem præferunt, quæ ſcribit Euariſtus, illius Anacleti continuus ſucceſſot: ſimulque euidentiſſimum teſtimonium perhibent eiuſdem, quod ex Anacleto iam demonſtrauimus, videlicet vt ex toto otbe terrarum ad cathedram Petri relatum fuerit, quicquid vſquam in eccleſia oriretur difficultatis, quæſtionis ac controuerſie. Quod maxime indicat illa eius, qua vniuerſæ Africanæ regionis Epiſcoporum conſultationibus reſpondet epiſtola, in hæc verba: Conſulentibus vobis fratres chariſſimi, quid ſuper his, quæ in veſtris continebantur ſcriptis, viſum eſſet nobis, vel quid docibilis ratio perſuaderet, aut quid à beatis Apoſtolis nobis traditum aut cuſtoditum remaneret, optantes, vt retuliſtis, noſtris inſtrui documentis, dilectio veſtra eccleſiaſticam normam ſecuta, ad Sedem Apoſtolicam referre maluit quaſi ad caput, quid deberet de rebus dubijs cuſtodire, quàm vſurpatione temeraria, quæ ſibi viderentur, præſumere.

Rurſus, in altera eiuſdem ad Ægyptiorum Epiſcopos epiſtola poſtquam illos redarguit vt tranſgreſſores eccleſiaſticorum canonum, quod ſuis ſedibus quoſdam eieciſſent ex fratribus, & in eorundem locum ſuper ordinaſſent alios, præcipit, tanquam ſuper eos poteſtatem exercens, vt eiectis, quos prioribus ſuper ordinauerant, illos in priſtinas ſuas eccleſias reſtituant. Quod ſi, inquit, aduerſus eos aliquam querelam habneritis, poſt reſtitutionem de ea inquirendum erit, & huius ſanctę Sedis authoritate retminandum. Vides itaque etiam tunc huius Sedis authoritate terminari conſueuiſſe querelas, quæ in tranſmarinis regionibus inter Ægyptiorum oriebantur Epiſcopos. Vides normam eccleſiaſticam, quam ſecuti illi Africani Epiſcopi, referebant ſuas dubitationes ad beatiſſimi Petri cathedram, cui atteſtantes, vt ſupra audiſti, illi Terraconen. prouinciæ Epiſcopi. ad beatiſſimum Hilarium: Etiam ſi, inquiunt, nulla dictaret neceſſitas eccleſiaſticæ diſciplinæ, nobis expetendũ reuera fuerat illud priuilegium Sedis Veſtræ, &c. Inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Vides etiam hic confeſſam normam eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ neceſſitatem omnibus imponit ſua dubia ad Apoſtolicam Sedem teferendi. Vides confeſſum & notorium eiuſdem Sedis priuilegium.

Etiam trãſmarinas querelas huius Sedis authoritate terminari conſueuiſſe ab initio.

Eadem clatiſſime atteſtantur Alexandri illius primi, qui Euariſto ſucceſſit, diuerſæ decretales epiſtolæ. Inter quas, in ea quæ inſcripta eſt orthodoxis omnibus per diuerſas prouincias Domino famulantibus, legitur in hæc verba: Relatum eſt, inquit, ad huius ſanctæ Sedis apicem (cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum & omnium negotia eccleſiarum à Domino commiſſa ſunt, ipſo dicente Principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc pettam ædificabo eccleſiam meam, &c.) quod quidam æmuli Chriſti, ſacerdotes Dei ad iudices publicos accuſare pręſumant, &c. Audis quid hic dicat? Eadem certe quę ille Anacletus, videlicet ab ipſo Domino Apoſtolicæ Sedi atque eidem Præſidentibus commiſſas ſummarum cauſarum diſpoſitiones, grauioraque eccleſiarum omnium negotia. Quemadmodum in ſynagoga veteri pręſidentibus loco, quem illic elegerat Dominus, omne ambiguum & difficile iudicium.

Non minotem his fidem facit ille beatiſſimus Xyſtus Alexandri ſucceſſor, qui ſub Hadriano principe Sextus à Petro ad totius orbis Epiſcopos ſcribit in hęc verba: Xyſtus vniuerſalis Apoſtolicę Eccleſię Epiſcopus, omnibus Epiſco-

Appellationes, eccleſiaſticarũ cauſar. ex toto orbe ad Sedem Apoſt.

Epiſcopis ſalutem in Domino: Poſt pręmiſſa pleraque apoſtolicorum & eccleſiaſticorum dogmatum: Si quis vero, inquit, veſtrum pulſatus fuerit aliqua aduerſitate, licenter hanc ſanctam, & apoſtolicam appellet Sedem, & ad eam quaſi ad caput refugium habeat, ne innocens damnetur, aut Eccleſia ſua detrimentum patiatur, &c. Ab hac enim ſancta Sede à ſanctis Apoſtolis tueri, defendi & liberari Epiſcopi iuſſi ſunt. Vt ſicut eorum diſpoſitione, ordinante Domino, primitus ſunt conſtituti: ita huius ſanctæ Sedis, cuius diſpoſitioni eorum cauſas & iudicia ſeruauerunt, protectione futuris temporibus ſint ab omnibus perſequutionibus ſemper liberi. Vnde merito culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint, quàm huius Sedis placere cognouerint, &c. Deinde, tanquam principalem illam in eccleſiaſtica hierarchia authoritatem exercens, eccleſiaſticum quoddam decretum edicit, cuius ipſe tenor illam ipſam authoritatem ſonat. Eſt enim his verbis. Nos igitur tanquam omnium curam gerentes propter huius Sedis apicem decernimus, vt nemo Pontificum aliquem ſuis rebus ſpoliatum Epiſcopum, aut è ſua ſede expulſum, excommunicare aut iudicare præſumat, &c. Si quis autem aliter pręſumpſerit, ſciat cenſuram huius ſedis ſibi non defuturam. Hæc ille Xyſtus: qui, vt audis, non vnius Romanæ, ſed vniuerſalis Eccleſiæ, qualem ſe ſcribit, Epiſcopum ſe quoque geſſit. In quibus audis ex toto orbe appellationes eorum, qui à ſuis prouincialibus iudicibus prægrauari ſe putabant, ad huius Sedis authoritatem & iudicium. Audis tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ principem, promulgantem canonem eccleſiaſticum. Audis huius Sedis cenſuram comminantem decreti ſui tranſgreſſoribus. Et hæc atque alia pleraque, quæ non minorem præ ſe ferunt authoritatem, ante annos mille quadringentos, à ſanctiſſimis illis Pontificibus ſcripta ſunt. A quibus non ſunt abſimilia, quæ in Theleſphori glorioſi Martyris, & Igenij Pontificum in totum orbem directis decretalibus leguntur epiſtolis. Et nunquid hos omnes (vt Lutherus ille, & qui eiuſdem impietatis ſunt, impudentiſſime & ſacrilego ore blaſphemant) iſta ſibi tyrannice vſurpaſſe, & vbi ſe Petri ſucceſſores faciunt, mentitos dicemus ſtudio efferendæ Romanæ, cui præfuerunt, Eccleſiæ? Nunquid non ita potius, vt ſuam ſtationem, in qua conſtituti erant à Domino, tuerentur, & eccleſiaſticam hierarchiam diſciplinamque, in qua omnis eccleſiæ ſalutem, pacem ac vnitatem conſiſtere certum eſt, conſeruarent: quæ acceperant ab Apoſtolis, eorumque principibus, ea libere prædicaſſe, cum id requireret res, & negotium?

Epiſcopor. iudicia Ap. Sed. authoritati reſeruata ab initio.

Nunquid ab aliquibus his reclamatum inuenies, quoties iſta ſua (quam prædicabant) authoritate totius orbis Epiſcopos ſibi faciebant obnoxios: & non potius omnium confeſſione, totiuſque orbis conſenſu, hanc eorum authoritatem (quod clarius in progreſſu intelliges) fuiſſe confirmatam & recognitam? Mirum profecto, ſi illos nondum pudeat eccleſiaſticarum rerum ignorantiſſimos, qui ſe in arce omnis ſapientiæ locantes, diuinorum humanorumque omnium Ariſtarchos & cenſores faciunt, & nos docent, ſi velimus credere, huius ſanctæ Sedis authoritatem exortam nuperrime, & à recenti hominum memoria.

Sed & Pij eſt notiſſima hiſtoria, quemadmodum in orbem vniuerſum edixerit, de conſona Paſchalis ſolemnitatis obſeruatione, non quartadecima mẽſis primi ritu Hebraico (quemadmodum in Aſiaticis & Orientalibus Eccleſijs plurimis eatenus fecerant, Apoſtolorum quorundam in hoc prætendentes exemplum: qui vt in alijs multis, ita & hac in re condeſcenderant à principio fragilitati ſuæ gentis, Iudaicæque illi obſtinationi) ſed die Dominico proxime ſequente illam quartamdecimam, vt à beatiſſimo Petro legitime inſtituta ab initio acceperat & obſeruauerat Romana & totius Occidentis Eccleſia. Qua de re decretali in orbem vniuerſum epiſtola, affirmans etiam angelica quadam de hoc ſe admonitum reuelatione, per Hermem quendam virum ſanctum, doctorem fidei & ſcripturarum, ſubiungit hoc ſuum decretum: Vnde, inquit, & nos apoſtolica authoritate inſtituimus, omnes ita obſeruare debere, quia & nos ſic obſeruamus, nec debetis à capite quoquo modo diſſidere. Cauete autem diligenter omnes, ne quis vos decipiat per aliquam aſtrologiam, aut philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Chriſtum & traditionem rectam. In Chriſto enim habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ſitis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Qui & hanc ſanctam apoſtolicam Sedem, omnium Eccleſiarum caput eſſe præcepit, ipſo dicente principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam, &c. Hæc ille Pius.

Ex Pij hiſtoria & decreto eadem palam iacere.

Decretũ Pij quam vniuerſam Eccleſiã obligari voluit.

Quanquam autem ipſa hæc conſtituendi præcipiendique in vniuerſam eccleſiam Romani Pontificis libertas, quam nunc in Pio, & paulò ante in Xyſto audiuiſtis, ſatis luculenter demonſtret, non ſolum quam ipſi ſibi authoritatem præſumpſerint ſuper vniuerſam eccleſiam, ſed etiam totius de hoc eccleſiæ tacitam confeſſionem & recognitionem. Vt tamen clarius intelligatur, quàm non negligenter aut contemptim etiam à longiſſime diſtantibus Aſiæ, Orientiſque eccleſijs exceptum fuerit hoc Pij decretum, quæ vt prædictum eſt, eatenus conſueuerant quartadecima menſis primi cum Iudæis Paſcha celebrare, Dominicæ diei nulla ratione habita. Cuius ſuę obſeruationis, & beatiſſimum Ioannem Euangeliſtam, & nonnullos alios ex Apoſtolis prætendebant authores, quos ſimiliter celebrantes viderant, in hoc, vt diximus, ſuæ gentis fragilitati condeſcendẽtes ab initio. Quam ob cauſam & Petrus & Iacobus in circunciſorum præſentia inueniuntur legis obſeruaſſe cœremonias, atque adeo Paulus ipſe, alioqui ex profeſſo hoſtis Iudaicæ ſeruitutis, etiam penè ad ſcandalum ſuæ gentis in illo principio, vnde & in illum Hieroſolymis facta eſt totius populi ſeditio, & coniuratio, qui tamen pacifice tulit Iacobum & Petrum, quoties adeſſe contingeret, reliquoſque Apoſtolos.

Acto. 21.

Itaq; cum illæ per Aſiam Eccleſiæ ab eo quod eatenus obſeruauerant, haud temere recedendum putarent, præſertim cum Ioannis Euangeliſtæ & aliorum nonnullorum Apoſtolorum, recens in eo ſequerentur exemplum,

nec

nec tamen Romani Pontificis capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ, diuerſum ab eo præcipientis, authoritatem auderent contemnere, Polycarpum B. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, & ab eodem Smyrneum ordinatum Epiſcopum, tunc totius Aſiæ honoratiſſimum, Romam deſtinarunt, vt Romano Pontifici de ſe ſatisfacerent, & ſui illi obſeruationis per eundem rationem redderent & authores. Quem defuncto ſtatim Pio, ſub Aniceto eius ſucceſſore Romam veniſſe, ſanctus Irenæus eiuſdem Polycarpi auditor, Euſebius Cæſarienſis & Diuus Hieronymus teſtes ſunt. Cum quo ſuper hac quæſtione ita tranſegit, vt non vnuſquiſque ſuam ſententiam obſtinata contentione defenderet. Neq; enim Anicetus Polycarpo ſuadere poterat, vt non obſeruaret ea, quæ nouerat Ioannem diſcipulum Domini, vel cæteros Apoſtolos cum quibus ſemper fuerat, obſeruaſſe. Neque rurſus Anicetum Polycarpus perſuaſit ea deſerere, quæ ille dicebat maiorum à ſe more ſeruari. Cumque hæc inter ſe habuiſſent, tandem communicauerunt ſibi inuicem, ita vt concederet Anicetus Polycarpo, etiam ſacerdotali miniſterio, honoris duntaxat contemplatione, perfungi: & ita ab inuicem plena fide, pace integra, & firma charitate diſcedunt, vt omnes Eccleſiæ, ſiue quæ ita de Paſcha, ſiue quæ non ita obſeruarent, inter ſe tamen concordiam cuſtodirent. Hęc apud Euſebium ex Irenæi ad Victorem epiſtola. Siquidem non videbatur ſancto ſapientiſſimoque Pontifici eam ob rem, quæ vtcunque tolerari ad tempus & diſſimulari poterat, nouam tunc excitare tragœdiam, quando nec intus nec foris ſatis tutam pacem habebat eccleſia: & Marcionis ac Valentini, Montani quoque, Cataphrygum & Apellitarum tunc exorientes hæreſes, & quę in Eccleſiam debacchabatur, principum perſecutio, in qua etiam vterque ipſorum, hoc eſt, tam Polycarpus, quàm Anicetus aliquanto poſt glorioſo conſummati ſunt martyrio, maius grauiuſque negotium exhibebant Chriſtifidelibus.

B. Polycarpi ad Anicetum nomine Aſiaticorũ Epiſcoporũ ob illud Pij decretum legatio.

Lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 24

At illis ſopitis rurſus & quieſcentibus, Victor Romanus Pontifex & ipſe glorioſus Chriſti martyr prædeceſſoris ſui Pij decretum renouare ac ſtatuere cupiens, & conſonam Paſchalis obſeruationis vnitatem, per vniuerſam eccleſiam introducere, quo Aſiaticas illas Orientaleſque eccleſias, ab antiquo illo ſuo ritu Iudaico abduceret facilius, ſacerdotales conuentus per diuerſas Prouincias celebrari iuſſit, & ipſe primus Romæ celebrauit vicinorum Epiſcoporum concilium. Per Gallias autem celebrato eadem de re ſacerdotum concilio, Irenæus præfuit Lugdunenſis epiſcopus. Præterea & in Cæſarea Paleſtinæ plures & inſignes concilio interfuerunt eccleſiarum Antiſtites, cui Theophilus præfuit ipſius Cæſareæ epiſcopus. Ad eundem modum & in Ponti prouincia conuenerunt epiſcopi ſub Palmea, & in Achaia ſub Bacchylo Corinthiorum epiſcopo. Qui omnes ad mandatum Victoris, in ſuis quique prouincijs conuenientes, prorogatis ad ſe inuicem epiſtolis, conueniunt in Apoſtolicæ Sedis ſententiam, & eccleſiaſticum decretum, dudum per Pium promulgatum, ſed remiſſius exactum, confirmarunt: definientes ex apoſtolica & Chriſti inſtitutione, Paſcha celebrandum eſſe, non ritu veteri cum Iudæis, quartadecima menſis primi, ſed Dominica proxima, quando Chriſtus ſurrexit à mortuis: vt ſemper ab initio fidiſſima apoſtolicæ traditionis cuſtos, obſeruauerat Romana Eccleſia,

Victoris iuſſu per diuerſas prouincias celebrata concilia cõueniſſe in Apoſt. Sedis ſententiam.

At cum ſoli Aſianę regionis epiſcopi, qui etiam ad Victoris mandatum ſuper eadem quæſtione congregati fuerant ſub Polycrate Epheſino epiſcopo, ſuam tuerentur obſeruationem antiquam & Iudaicam, nec ab ea (vt quam ex diuina inſtitutione ortum habere credebant) quoquo pacto dimoueri ſe ſinerent, nec induci poſſent, vt ea in re conſentirent reliquæ eccleſiæ, Victor erga eoſdem ſeuerius diſtrictiuſque agens, nec Polycratis pro eis ſatiſfactionem ſuſcipiens (quam ſuæ hiſtoriæ Euſebius inſerit) totius Aſiæ & vicinarum prouinciarum ſibi non obſequentes eccleſias, priuat communione eccleſiaſtica. Id quod Irenæo, & alijs pleriſque non probabatur epiſcopis vt ob rem tantillam, & quæ ferri ad tempus diſſimularique facile poterat, pacem turbaret eccleſiæ. Qua de re etiam ſcriptis ad illum literis liberius cum eo expoſtulant, Pij prædeceſſoris ſui in eadem cauſa plenum prudentiæ prętendentes exemplum. Ipſe tamen in ſententia perſtitit, cui & vniuerſa Chriſti obediuit eccleſia, quę deinceps quartodecumanis (ita vocabantur illi qui Iudaico ritu perſeuerabant celebrare Paſcha) non communicauit, ſed habuit vt hęreticos. Ex quibus perdurantes reliquię ad tempus vſque Niceni, atque etiam Calcedonenſis Concilij coacti ſunt in eiſdem, quartodecumenorum, vt vocabant, errorem & hæreſim abiurare; vt in actis eorundem Conciliorum legitur. Et hęc ita geſta, euidenter oſtendunt Victoris, Polycratis, & Irenæi, ea ipſa de re ad ſe ſcriptæ epiſtolæ. Præterea Euſebius Cæſarienſis, Hieronymus & alij teſtimonium perhibent. Socrates quoque Græcus author in eccleſiaſtica ſua hiſtoria his verbis meminit: Plurimi circa Aſiam antiquitus quartodecimo die paſcha obſeruauere, non reſpicientes ſabbati diē, & ita facientes non ſegregabantur ab illis qui aliter celebrabant, donec Victor Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus excommunicationem quartodecumanis miſiſſet in Aſiam. Vides & huius teſtimonio, quod poſt excommunicationis ſententiam à Victore prolatam in quartodecumanos ab eorum communione abſtinuerint, qui celebrabant aliter, hoc eſt, catholica & orthodoxa Chriſti Eccleſia, quæ vniuerſa præter Aſiaticos illos concordabat in obſeruatione paſchali cum Romana Eccleſia.

Socrates.

Legitur in Trip hiſtor. lib 9. cap. 38

Hic vellem ſubſiſterent pauliſper, & pedem figerent, qui non ita nuper, & à recenti memoria hominum exortam dicunt Romanæ Eccleſiæ authoritatem ſuper alias, & nobiſcum perpenderent, quid ergo cauſæ fuerit, quòd etiam illo ſęculo, hoc eſt, vix 150. annis poſt Chriſtum tantum ſit auſus ille Victor vſurpare ſibi authoritatis ſuper alios omnes totius orbis Epiſcopos, tam fuerit imperioſus ac vehemens etiam in tam longe à ſe diſtantes vniuerſas Orientis Eccleſias, vt eas ab antiquo illo ſuo ritu, non tam ratione quam authoritate, & imperio, etiam inuitas moliretur abſtrahere? quid etiam? Si non ſunt reueritæ illæ tam longe ſitæ Eccleſiæ, in Victore tanquam ſucceſſore Petri, illam, quæ capi-

Vrgentur hic hoſtes authorit. Rom Eccl. & Roman. Pontif.

capiti eccleſiaſticæ hierarchiæ competit principalem eccleſiaſtici regiminis authotiratem, qua poſſet omnes obligare ſuarum præceptionum vinculis: cur quæſo ceſſerunt tam importunè, ram moleſte imperanti? Cur non contempſerunt illa fulmina cenſutarum, inaniter, & in non ſubditos (vt hi dicerent) iuriſdictioni ſuæ diſtricta? Cur ab illorum excommunicatorum cōmunione abſtinuit vniuerſa Chriſti Eccleſia, tametſi non probauerit excommunicari: vt quod præcipiti factum conſilio plurimi arguebant Epiſcopi? Quod ſi non fuiſſet hæc Romanorum Pontificum, totius orbis conſenſu, & confeſſione ſuper vniuerſam Eccleſiam authoritas, quid illo ſibi vſurpanti tantum Imperij, & iuriſdictionis in alienos ſeruos fuiſſet magis ridiculum? quid tam importuna, tam impotenti eius arrogantia intollerabilius? Quid illis Aſiaticis, tam longè à Roma diſtantius Eccleſijs abiectius, quod & nuper ex Aſia Romam miſiſſent illum Polycarpum, ob illud Pij (quod audiſti) decretum, & nunc iſtius Victoris cenſuris & excommunicationibus adigi ſe permitterent hoc deſerere, quod ex Apoſtolorum traditione obſeruauerant ab initio? Et quid de vniuerſa dices Eccleſia, quæ illos ob Victoris excommunicationem habuit pro excommunicatis, & deinde in eadem pertinacius perſiſtentes pro hæreticis? quo elogio exornati ſunt, & à Niceno, & à Chalcedonen. Concilijs.

Quod ſi inſuper & actorum, & ſcriptorum ab eodem Victore, de eccleſiaſticis cauſis, & negocijs ad diuerſos per orbem Epiſcopos vim, & energiam perpendas, clariſſimè intelliges, & quam ille perſonam geſſerit in Eccleſia, & quid in eo recognouerit orbis vniuerſus. Scribit ad Theophilum Alexandrinum, & vniuerſam eius Eccleſiam in hæc verba.

Victor Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus Theophilo Epiſcopo, & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus. Et poſt præmiſſa pleraque? Similiter & ea vos iudicare ad apoſtolicam delatū eſt ſedem, quæ præter noſtram vobis definire non licet authoritatem. Vnde ſtatutum liquet à tempore Apoſtolorum, & deinceps. Placuit, vt accuſatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua cauſa Epiſcopis, licenter apellet, & adeat Apoſtolicæ Sedis Pontificem, qui aut per ſe, aut per Vicarios ſuos eius retractari negocium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex cauſam illius tractat, nullus alius in eius locum ponatur aut ordinetur Epiſcopus. Quoniam, quanquam comprouincialibus Epiſcopis, accuſati cauſam Pontificis ſcrutari liceat, non tamen abſolutè definire inconſulto Romano Pontifice permiſſum eſt. Cum vni Beatiſſimo Petro non ab alio, quàm ab ipſo dictum ſit Domino: quæcunque alligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et alibi in inſtitutis legitur apoſtolicis: Si quis putauerit ſe à proprio metropolitano grauari, apud Patriarcham aut primatem diœceſios, aut penes vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ iudicetur ſedem. Quare nihil eſt aliud fratres talis veſtra præſumptio, niſi Apoſtolorum

Eccleſiaſticum decretum ab apoſtolorum tēporibus de deferendis appellationibus ad ſedem apoſtolicam r

ſucceſſorumque eorum terminos tranſgredi, eorumque decreta violare. Hæc ille Victor, quem audis non ſolum Romanæ, ſed & vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Audis authoritatem, & prærogatiuam Romanæ Eccleſiæ, non ſolum conſtitutam à Chriſto, ſed etiam comprobatam decretis apoſtolicis. Quibus expreſsè conſtitutum eſt, appellationes ex toto orbe terrarum ad eandem referri debere. Maiores cauſas, & præcipua quæque Eccleſiarum negocia illius terminari iudicio.

Eadem hæc pene ad verbum fidentiſſime prædicat Syxtus ille ſecundus glorioſiſſimus Chriſti Martyr, & Pontifex, atque iterum iterumque repetit. Primo in Epiſtola ad Gratum Epiſcopum: deinde epiſtola altera ad Epiſcopos per Hiſpaniam. Eadem quoque Felix primus ſanctiſſimus Pontifex in epiſtola ad Paternum Epiſcopum.

Nec his ſunt abſimilia, quæ ſcribit Marcellus glorioſus martyr & Pontifex ad vniuerſos per Antiochenam prouinciam conſtitutos Epiſcopos: Rogamus, inquit, vos fratres, vt non aliud doceatis, ac ſentiatis, quàm quod à Beato Petro Apoſtolo, & reliquis Apoſtolis ac patribus accepiſtis. Ab illo enim primum inſtructi eſtis, ideo non oportet vos primum derelinquere Patrem, & alienos ſequi. Ipſe enim eſt caput totius Eccleſiæ, cui Dominus ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Eius enim ſedes primum apud vos fuit, quæ poſtea iubente Domino Romam translata eſt, cui adminiculante gratia diuina præſidemus. Nec ab eius diſpoſitione deuiare oportet, ad quam cuncta maiora negocia eccleſiaſtica, diuina diſponente gratia, iuſſa ſunt referri, vt ab ea canonice diſponantur, &c. Ad quam omnes, quaſi ad caput, iuxta Apoſtolorum eorumq; ſucceſſorum ſanctiones, Epiſcopi, qui voluerint, aut quibus neceſſe fuerit confugere, eāq; appellare debent, &c. Quia Epiſcoporum iudicia, & ſummarum cauſarum negocia, cunctaque dubia Apoſtolicæ ſedis authoritate peragenda ſunt, & finienda. Et omnia prouincialia negocia, huius ſanctæ & apoſtolicæ ſedis ſunt retractanda iudicio, ſi huius Eccleſiæ Pontifex præceperit. Hæc ille glorioſus Chriſti martyr, & Pontifex. A quo ſi per omnes, vt ſibi ſucceſſerunt ex ordine ad Syluestrum vſque, ſub quo Nicenum celebratum eſt Concilium, percurrere libeat, diligenterque perpendere, & quibus, & qualia ſcripſerint, quid egerint, quo ſe geſſerint pacto, clariſſimè videbis, illos omnes, non vnius Romę aut Italiæ, ſed totius Dominici gregis geſſiſſe epiſcopatum, & illam ſupremam in eccleſiaſtica hierarchia authoritatem, in ipſius recognouiſſe ſemper orbem vniuerſum.

Omnia grauiora negocia eccleſiaſtica ab initio relata ad ſedem Petri.

Ex quibus, vt adhuc vnum audias Melchiadem, qui Sylueſtrum proxime præceſſit, ad Marinum, Benedictum, Leontium, & cæteros Hiſpaniarum Epiſcopos ſcribit in hęc verba: Epiſcopos nolite iudicare, nolite condemnare abſque huius ſedis authoritate: quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra iudicia, & vos condemnabini: hoc enim priuilegium huic ſanctæ ſedi à temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſeruate, quod illeſum manet vſque ad hodiernum diem, &c. quod beato Petro æternæ vitæ clauigero Dominus ſolummodo commiſit

Eadem à Melchiade.

miſit, quod prærogatiuum eius iuſte ſuccreſcat ſedi, futuris hæreditandum tenendumque temporibus. Quoniam & inter beatos Apoſtolos fuit quædam diſcretio poteſtatis. Et licet eunctorum par eſſet electio, beato tamen Petro conceſſum eſt, vt alijs præemineret, eorumque, quæ ad querelam venirent, cauſas & quæſtiones prudenter diſponeret. Id quod Dei ordinatione taliter cõſtitutum credimus, ne omnes poſterorum ſibi cuncta vendicarent, ſed ſemper maiores cauſæ (ſicut ſunt Epiſcoporum, & potiorum curæ negociorum) ad vnam B. Principis Apoſtolorum Petri ſedem confluerent, vt inde ſuſcipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque à ſuo diſcreparent capite. Si ergo viderit ſe quiſpiam veſtrum prægrauari, hanc ſedem appellet, huc recurrar, vt ſemper inſtituta fuit conſuetudo. Hæc ille Melchiades. In quibus audis eadem quæ toties ſuperius audiuiſti, nempe quale in beatiſſimo Petro hæc ſedes priuilegium acceperit, vtque illud ab Apoſtolorum vſque temporibus eatenus illęſum intemetarumque ſeruatũ fuerie.

Ex toto orbe appellationes ad ſedem apoſtolicam.

Et hos omnes ſanctos Pontifices, in quibus plurimi ſunt glorioſi etiam Chriſti martyres, nunquid iſta menticos dicemus, & pręcedentis ab initio temporis iuuiolatam conſuetudinem, & apoſtolieos quos commemotanr canones, confinxiſſe de ſuo capite, quo ſuam ſuper alios efferrent potentiam ſtabilirentque tyrannidem? & non potius, tanquam ſuper Eccleſię ſpeculam cõſtitutos à Domino, Chriſtiani gregis vigilantes egiſſe excubias, eccleſiaſticæque hierarchiæ vigorem, & vnitatem, in quod omnis Eccleſiæ ſalutem conſiſtere certum eſt, vt erat inſtituta ab Apoſtolis & Chriſto, conſeruaſſe diligenter? Qui quod non ſua quæſierint, ſed quæ Ieſu Chriſti, proprio ſanguine ſatis, arbitror, conteſtatum reliquerunt. Qui vt quam maximè fingere aliquid aut mentiri voluiſſent, quis quęſo hac in re fictioni, quis locus erat mendacio? Nunquid ignorare potuit orbis vniuerſus, quid aut tunc, aut temporibus ab initio Eccleſiæ præcedentibus, à quo non ita longè diſtabant, toto orbe obſeruatum fuerat? An grauiora illa eccleſiaſticarum rerum negotia, & Epiſcoporum iudicia referri conſueuerint ad huius ſedis iudicium? Nunquid adeo tunc fuerunt iguoti Apoſtolorum, quos hi proferebant, & inculcabant, canones, quibus ſolis tunc gubernabatur Eccleſia, continuo poſt ipſa Apoſtolorum tempora? Vt tamen pro tuo more, ac pro tua illa modeſtia, de his, & dicas, & fingas, quicquid volueris, inficiari non poteris, eius ſaltem, quod hic demonſtrandum ſuſcepimus, ſufficientiſſimum locupletiſſimumque ipſos perhibere teſtimonium, nempe facti proprij, quod ſolum nunc in demonſtrationem venit: vt videlicet tanquam Petri ſucceſſores, pro eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, omnes ab initio ſe geſſerint Romani Pontifices, & illam principalem eccleſiaſtici regiminis authoritatem ſuper Eccleſiam vniuerſam, facto exercuerint. Iure ne an iniuria, in ſuperioribus ſatis demonſtratum arbitror. Certe facti proprij haud ſcio vt alios requiras teſtes magis idoneos. Tametſi illis ipſis, vniuerſi, vt etiam audiſti, ſcriptores veritatis perhibeant teſtimonium.

CAP. X.

Quæ fuerit in illo flore iuuentutis Chriſtianæ Eccleſiæ, eius Hierarchiæ facies, quæ in ea Romanorum Pontificum authoritas: vtque ne ordinarentur quidem ex toto orbe, niſi horum authoritate confirmati Epiſcopi, ex Beatiſſimi Leonis Epiſtola demonſtrare.

QVanquam ex his, quæ induximus hactenus, ſatis conſtare crediderim Romanos Pontifices tanquam ſucceſſores Petri, ſe geſſiſſe ab initio pro Eccleſiaſticæ hierarchiæ Principibus, & pro talibus fuiſſe recognitos ab vniuerſa Chriſti Eccleſia: vt tamen & nos articulatius demonſtremus, & tu clarius intelligas Chriſtiane lector, quæ fuerit eo ſeculo eccleſiaſticæ hierarchiæ facies, qui vigor diſciplinæ, quæ Pontificiæ illius dignitatis maieſtas, & reuerentia, quam præſens toti orbi, imo quam intima, etiam longiſſime diſtantibus Eccleſijs, vnius Rom. Pontificis, tanquam in immenſo aliquo exercitu Imperatoris authoritas, adeo vt abſque eius ſcitu, & imperio nihil ageretur, quod alicuius momenti eſſet in eccleſiaſticis toto orbe negotijs, eius vero iuſſa abſque contradictione ſequerentur omnes. Operæpretium mihi videtur, illius ter Sancti Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſis epiſtolam de Attico veteris Epeiri Archiepiſcopo adſcribere, vt quæ & per ſe lectum digniſſima eſt, inſuper, & euidentiſſime demonſtrat illius tunc vere florentis Chriſtianæ Eccleſiæ faciem: quam vtinam noſtri ſeculi homines zelarent ac emularentur potius quam eccleſiaſticam (qualiſcunque adhuc reſtat) hierarchiam vna cum religione funditus molirentur euertere. Hoc tamen, eo quod prolixior eſt, eius prælibato argumento.

Conſueuerant ex more antiquo Theſſalonicenſis Epiſcopi eſſe Romanorum Pontificum per regiones Orientales Legati, ac Vicarij, quemadmodum poſt nonnunquam Conſtantinopolitanos, aliquando etiam Alexandrinos Epiſcopos fuiſſe demonſtrat Simplicij ad Acatium Conſtantinopolitanum, & Bonifatij ad Eulalium Alexandrinum, aliorumque ad alios diuerſæ epiſtolæ. Idque ne aut illis tam longe diſtantibus à Cathedra Petri Eccleſijs eiuſdem deeſſet ſeu cura ſeu authoritas: aut illæ è tam longinquo, ad hanc aſſiduo referre coactæ Eccleſiarum negotia, nimium grauarentur. Quam ob cauſam quanta eſſe ſolebat Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum ex toto Oriente pro eccleſiaſticis negotijs cõfluentium apud Theſſalonicã frequentia, canon 20. Sardicenſis concilij indicat, quo conſtituitur, ne epiſcopi, presbyteri, aut clerici illic diutius morarentur, quam eccleſiarum ſuarum, & cauſarum pro quibus eo conueniſſent, exigeret neceſſitas, ne ſine Paſtoribus, & rectoribus diutius remanerent plebs, & Eccleſiæ. Ita & Anaſtaſius, beatiſſimi Leonis in illis partibus vicarius, Atticum veteris Epeiri metropolitanum antiſtitem, coram ſe perſona-

Digitized by Google

liter euocauerat. Et cum per excuſationem infirmitatis, inſtantis hyemis difficultatiſque itinerum adeſſe differret, ille ad authoritatis ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ contemptum hoc pertinere exiſtimans, aut ſuo ea in re obſecutus affectui, implorata executione brachij ſecularis, per præfectum Illyrici eum ad ſe venire compulit, aut potius per vim fecit adduci. Quare per beatum Leonem intellecta, tam Atticum, quàm Anaſtaſium coram ſe euocauit. Nunc audi eiuſdem hac de re, ad ipſum Anaſtaſium epiſtolam.

Quanta fraternitati tuæ à beatiſsimo Petro Apoſtolo commiſſa ſunt, & qualia etiam noſtro fauore tibi ſint credita, ſi vera ratione perſpiceres, & iuſto examine ponderares, multum poſſemus de iniunctæ tibi ſolicitudinis deuotione gaudere. Quoniam ſicut prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis, ita etiam ero dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis adiuuares, & longinquis ab apoſtolica ſede prouincijs præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes. Quia de continenti opportunoque profectu promptum tibi eſſet, quid, vel in quibus rebus, aut tuo iudicio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares. Nam cum maiora negotia, & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio, nec neceſſitas fuit, in id, quod menſuram tuam excederet, deuiandi. Abundant enim apud te monumentorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omni actionum temperantia frequenter inſtruximus, vt commendatas tibi Eccleſias per exhortationem charitatis ad ſalubritatem prouocares. Quia etſi pleraque exiſtant inter deſides, & negligentes fratres, quæ oporteat maiora auſteritate curari: ſic tamen adhibenda eſt correctio, vt ſemper ſit ſalua dilectio.

Vnde & beatus Apoſtolus Paulus ad Eccleſiaſticum regimen Timotheum imbuens, dicit: Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores in omni caſtitate. Quæ moderatio ſi quibuſcunque inferioribus membris ex apoſtolica inſtitutione debetur, quanto magis fratribus, & epiſcopis ſine offenſione reddenda eſt? vt licet nonnunquam accidant, quę in ſacerdotalibus ſint reprehendenda perſonis, plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quam ſeueritas, plus exhortatio, quam commotio, plus charitas, quam poteſtas. Sed hi qui, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, facile ab hac lege diſcedunt, & dum dominari magis, quam conſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat ſuperbia, & quod prouiſum eſt ad concordiã, tendit ad noxam. Quod, vt neceſſe habeamus ita dicere, de non paruo animi dolore procedit. Meipſum enim quodammodo in culpa ſentio, cum te à traditis tibi regulis vel in modico deuiaſſe cognoſco: qui ſi tuæ æſtimationis parum diligens eras, meæ ſaltem famæ parcere debuiſti, ne quæ tuo tantum facta ſunt animo, noſtro viderentur geſta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas noſtras, omniaque ad tuos miſſa maiores apoſtolicæ ſedis præſulum ſcripta decurrat; & vel à me, vel à prædeceſſoribus meis inueniat ordinarũ, quod à te cognoui eſſe præſumptum.

Culpam legati in delegante quodammodo tendere.

Venit namque ad nos cum Epiſcopis prouinciæ ſuæ frater noſter Atticus veteris Epeiri Metropolitanus Antiſtes, & de indigniſſima adſtrictione quam pertulit, lachrymabili actione conqueſtus eſt coram aſtantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contra referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monſtrabant. Legebatur quoque in literis tuis, quas ijdem diaconi detulere, quod frater Atticus Theſſalonicam veniſſet, quodque conſenſum ſuum, etiam ſcripturæ profeſſione ſignaſſet, vt de illo non aliud à nobis intelligi poſſet, quam proprij, & ſpontaneæ deuotionis fuiſſe quod venerat, quodque charthulam de obedientiæ ſponſione conſcripſerat. In cuius tamen chartulæ mentione ſignum prodebatur iniuriæ. Non enim neceſſarium fuerat vt obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo iam voluntarij aduentus probabat officio. Vnde deplorationibus ſupra dictis hæc verba epiſtolæ tuę teſtimonium pertulere. Et per hoc quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud quod ſilentio fuerat adoptatum, adhibitam ſcilicet Illyrici præfecturam, & ſublimiſſimam inter mundanos apices poteſtatem, in exhibitionem inſontis antiſtitis incitatam, vt miſſa executione terribili, quæ omnia ſibi officia publica, ad effectum præceptionis adiungeret, à ſacris Eccleſię adytis nullo vel falſo inſimulatus crimine extraheretur Sacerdos, cui non ob moleſtiam ægritudinis inſtantis hyemis darentur induciæ, ſed iter aſperum, & periculis plenum per inuias cautes agere cogeret, &c.

Attici aduerſus Anaſtaſium legatum querela coram ſede apoſtolica.

Multum ſtupeo frater chariſſime, ſed & plurimum doleo, quod in eum, de quo nihil amplius iudicaueras, quàm quod vocatus adeſſe differret, & excuſationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, tam vehementer potueris commoueri: præſertim cum etſi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat, quid ad conſulta tua reſcriberem. Sed, vt video, bene de moribus meis æſtimaſti, & quàm ciuilia pro conſeruanda ſacerdotali concordia reſponſurus eſſem, veriſſime præuidiſti: & ideo motus tuus exequi ſine dilatione properaſti, ne cum moderationis noſtræ aliud diſponentis ſcripta ſuſcepiſſes, faciendi id quod factum eſt, licentiam non haberes. An forte aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & metropolitanum Epiſcopum noui apud te criminis pondus vrgebat? quod quidem alienum ab illo, etiam tu, nihil ei obijciendo, confirmas. Sed etiam ſi quid intolerandum geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura, vt nihil prius ipſe decerneres, quàm quod nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non plenitudinem poteſtatis. Vnde ſicut multum nos ea quæ à te pie ſunt curata, lætificant: ita nimium ea quæ perperam ſunt geſta, contriſtant, & neceſſe eſt poſt multarum experimenta cauſarum ſollicitus proſpici, & diligentius præcaueri, quatenus per ſpiritum charitatis, & pacis, omnis materia ſcandalorum de Eccleſijs Domini, quas tibi commendauimus, auferatur, præeminente quidem in illis Prouincijs Epiſcopatus tui

Ex his nota quod fuerit libera apoſtolicæ ſedis in euocandis coram ſe etiam perſonaliter totius orbis Epiſcopis authoritas.

ſaſti-

faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu.

Deinde de commiſſo eidem ſuæ legationis munere illum plenius inſtruens, & quas in ſingulis eccleſiaſticis, quæ ad Apoſtolicæ Sedis authoritatem referri oportebat, negocijs ſequi teneretur, regulas ac legas præſcribens.

Igitur, inquit, ſecundum ſanctorum patrum canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, metropolitanos ſingularum Prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra tuę fraternitatis cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præſtitutis, nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.

Quam formam in ordinandis Epiſcopis ſuo legato præſcripſerit. Queies ordinandi.

In Ciuitatibus, quarum rectores obierint, de ſubſtituendis Epiſcopis hæc forma ſeruetur, vt qui ordinandus eſt, etiam ſi bonæ vitæ habeat teſtimonium, non laicus ſit, non Neophytus, nec ſecundæ coniugis maritus, atqui vnam quidem habeat vel habuerit, ſed quam ſibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens eſt electio, vt hæc quæ in alijs Eccleſiæ membris non vocantur in culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cum extra clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi liberorum ſtudere ſit liberorum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, neç Subdiaconibus carnale connubium conceditur, vt qui habent, ſint tanquam non habentes, & quod non habent, permancāt ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus à capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſeruandum eſt: ne aut Leuitico miniſterio, aut preſbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate vxoria necdum frenaſſe detegitur?

In electione quæ ponderanda.

Cum ergo de ſummi ſacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtulauerit, ita vt ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diuiſerint, metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maiotibus, & ſtudijs iuuatur, & meritis: tantum vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne ciuitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, vt fiat minus religioſa, quod conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit. De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de cleri plebiſque conſenſu metropolitanus Epiſcopus ad tuam fraternitatem referat, quodque in prouincia bene placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet authoritas, quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ, aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu deſit cura paſtorum.

Metropolitano vero defuncto, cum in locum eius alius fuerit ſubrogandus, prouinciales Epiſcopi ad ciuitatem metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum, atque omnium ciuium voluntate diſcuſſa, ex presbyteris eiuſdem Eccleſiæ vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant ſacerdotes, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognouerint. Sicut enim iuſtas electiones nullis dilationibus vulumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.

Concilia Epiſcopalia ordinaria bis a quotãnis per ſingulas prouincias celebranda.

De concilijs autem epiſcopalibus non aliud iudicamus, quàm ſancti patres ſalubriter ordinarunt, vt ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines naſci aſſolent, iudicetur. Et ſi forte inter ipſos, qui præſunt, de maioribus, quod abſit, peccatis cauſa naſcatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate metropolitanus curabit inſtruere. Et ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, trãſferatur, &c.

In euocandis autem ad te Epiſcopis moderatiſsimum te eſſe volumus, ne per maioris diligentiæ ſpeciem fraternis videaris gloriari iniurijs. Vnde ſi cauſa aliqua maior extiterit, ob quam neceſſarium ſit fratrum aduocare conuentum, binos de ſingulis prouincijs Epiſcopos, quos metropolitani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire ſufficiat, ita vt in præſtituto tempore, non vltra quindecim dies, quo conuenerint, retardentur. Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendunque credideris, diuerſa eorum fuerit à tua voluntate ſententia, ad nos omnia ſub geſtorum teſtificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem, omnem affectum noſtrum curamque dirigimus, vt quod ad vnitatem concordiæ, & quod ad cuſtodiam pertinet diſciplinæ, nulla diſſenſione violetur, nulla deſidia negligatur.

Salubris exhortatio omnes ordines ſibi concilians.

Et te igitur frater chariſſime, & eo fratres noſtros. qui de tuis offenduntur exceſſibus, cum tamen non ſit ſimilis omnium materia querelarum, hortor & moneo, vt quæ pie ſunt ordinata ſalubriterque diſpoſita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius, ſicut Apoſtolus ait: Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem. Neque enim poterit vnitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis adſtrinxerit; quia ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra.

Corpus Eccleſiæ.

Hæc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam ſacerdotum, quibus cum dignitas ſit communis, non eſt tamen authoritas æqualis, quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quędam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret, de qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna diſpoſitione prouiſum, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſus quidam in vrbibus maioribus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite deſſideret.

Qui ergo quibuſdam ſcit ſe eſſe præpoſitum, non moleſte ferat ſibi aliquem eſſe prælatum, ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe dependat: & ſicut non vult grauis oneris

Digitized by Google

ſarcinam ferre, ita non audeat alij importabile pondus imponere. Diſcipuli enim ſumus humilis, & mitis magiſtri dicentis: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quod quomodo experiemur, niſi & illud in obſeruantiam veniat, quod idem Dominus ait: Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter: qui autem ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur? Hæc ille vere magnus Leo, anno circiter quadrageſimo ſupra quatrigenteſimũ, in illo flore iuuentutis Chriſtianæ Eccleſiæ. Quę nec me piguit aſcripſiſſe prolixius, nec te legiſſe pœnitebit Chriſtiane lector. Quandoquidem vna hac epiſtola, plane confundimus vniuerſos hos giganteos ſacroſanctæ maieſtatis, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ impugnatores. Qua vt vix aliud grauius: ita nec euidentius afferri potuit teſtimonium, ex quo clarius certiùſque poſſet intelligi, quæ fuerit eo ſæculo, nec eo ſæculo tantum, ſed & præcedentibus ipſum temporibus, Eccleſiaſticæ hierarchiæ facies. Sicut enim, inquit, prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis: ita & ego priorum ſecutus exemplum, tuæ dilectioni vices mei moderaminis delegaui.

Ex prædicta B. Leonis epiſtola vt clariſſime intelligant, quod fuerit facies hierarchię eccleſiaſticæ illo ſæculo.

Audiſti autem ex eadem, quàm decora, quàm ordinata, quàm decenter diſpoſita tunc fuerit illa domus eccleſiaſtica ſub cura vnius, veluti patris familias, Romani Pontificis. Cuius non minus tunc viguit in vniuerſum orbem authoritas, vnitatem eccleſiaſticam continens, & non ſecus quàm animus quidam immenſum aliquod corpus ex pluribus maximeque diſſimilibus membris compoſitum, ſuſtinens, vegetans & gubernans, quàm faciat in vna domo vnius patris familias. Vtque per diuerſos officiorum, dignitatum, ordinúmque gradus, ad vnam beati Petri ſedem totius Eccleſiæ cura tunc ordinatiſsime commodiſſiméque confluxerit. Omnéſque etiam longiſſime poſitæ Eccleſiæ, non minus moderationis eius veluti præſentis ſentirent habenas, non minus imperia religioſiſsime promptiſsiméque exequerentur, quod quæ vicinæ erant, & proximæ. Breuiter, vt ſine eius iuſsu, aut permiſsu, nihil quod alicuius momenti eſset, eccleſiaſticorum negotiorum ageretur in vniuerſa domo eccleſiaſtica, ſed maiores omnes cauſæ ad eius referrentur arbitrium.

Audiuiſti inſuper, quæ eius fuerit libertas in euocandis coram ſe etiam perſonaliter, ex toto orbe Epiſcopis, quàm illorum diſtricta obedientia, quod præſto fuerit etiam ſublimiſſima inter mundanos apices poteſtas, ad excutionem mandatorum huius ſedis legati, quæ omnia ſibi publica officia ad effectum præceptionis adiungeret, in exhibitionem inſontis alioquin Archiepiſcopi.

Audiuiſti pręterea, vt conſueuerint etiam tunc in extremo Oriente metropolitani obedientiam præſtare Romani Pontifici. ¡Vt nulli toto orbe, niſi huius ſedis authoritate ordinarentur Epiſcopi. Si quidem electionem electionum Epiſcopalium ex toto orbe, etiam à longiſſime diſtantibus Eccleſijs, confirmationes petebantur à Sede Apoſtolica. Id quod clariſſime indicant illa dictæ Epiſtolæ verba: De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de cleri plebiſque conſenſu, metropolitanus Epiſcopus ad tuam fraternitaté referat, quodque in prouincia bene placuit, ſcire te faciat: vt ordinationem rite celebrandam tua quoq; firmet authoritas, & rurſus: Sicut enim iuſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.

Itaque beatus Gregorius de Maximo præter authoritatem, & confirmationem Apoſtolicæ Sedis Salonitanæ Eccleſiæ ordinato Epiſcopo dubitans, ne forte id factum fuiſſet iuſſu Imperatoris Mauritij, qui, & alia pleraque egit impie, Conſtantinæ Auguſtæ ſcribit in hæc verba: Salonitanæ, inquit, ciuitatis Epiſcopus me, ac reſponſali meo neſciente ordinatus eſt. Et facta eſt res, quæ ſub nullis anterioribus principibus euenit. Vides quid ille dicat, nunquam ante factum, vt quiſquam ordinaretur Epiſcopus abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ.

Diligenter nota, ac pōdera hoc dictum Gregorij.

Et hæc eſt illa vnitas epiſcopatus Petri in Catholica Eccleſia, in qua glorioſus ille Chriſti Martyr, & Pontifex Cyprianus prædicat conſiſtere vnitatem Eccleſiæ. Cuius Epiſcopatus à ſingulis pars quædam tenetur in ſolidum. Cæteri enim in partem vocati ſunt ſolicitudinis, vnus Petrus, & qui illi ſuccedunt, in plenitudinem poteſtatis. A qua plenitudine quiſquis non participat, nihil ſibi epiſcopalis authoritatis poteſt vendicare.

Quæ vnitas Epiſcopatus Petri in catholica Eccleſia, in qua B. Cyprianus perdicat conſiſtere vnitatem Eccleſiæ.

Et ne quis putet, exegiſſe quidem illa Leonem, quæ audiuimus, ex vniuerſo videlicet orbe Epiſcopales electiones referri ad authoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſed tamen non obtinuiſſe, quæ exigebat vniuerſa: is ex ipſa phraſi epiſtolæ intelligat nihil illum ea in re exegiſſe noui, ſed quæ antiquitus decentiſſime ordinata, conſtitutaque fuerant, atque eatenus incōcuſſe obſeruata, pro conſeruando vigore Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Magis modum imponens ſuo vicario, & retrahens, ne abuteretur ſibi commiſſa authoritate, quam incitans, ac prouocans, ne eandem negligeret, Imo, non ſolum, quod ea tunc toto orbe conſuetudo fuerit, petendarum ab Apoſtolica Sede confirmationum, electionum Epiſcopalium, ſed etiam quod eaſdem confirmare non cōſueuerint: præſertim in ſedibus principalibus, declinante iam orbe ad ſchiſmata, & hæreſes, poſt ſemel accenſam Arrianam illam facem, priuſquam ſuæ fidei propria manu ſubſcriptas & roboratas miſiſſent literas. Idem Leo, & ſcripto, & re ipſa atteſtatur in Anatolio, & Beato Proterio Alexandrino Epiſcopis. Neque enim Anatolium in defuncti Beati Flauiani locum ſubrogatum Epiſcopum confirmare conſenſit, quamuis intercedente pro eodem Chriſtianiſſimo Imperatore Theodoſio, priuſquam de verbi incarnatione ea ſe credere & tenere profiteretur, quæ tam in ſua ad Beatum Flauianum, quam in Beati Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis continentur. Eamque profeſſionem abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni clero, & vniuerſa plebe declararet. Nec ſe communicaturum cum his, qui de verbi incarnatione aliter ſentirent, ſub ſuo etiam chirographo profiteretur, vt eiſdem Leonis ad Theodoſium Imperatorem clare teſtatur Epiſtola. Pro Proterio quoque, qui in locum Dioſcori Apoſtolica, & Chalcedo-

nenſis

nenſis Synodi authoritare deiecti, ordiuatus fuerat Alexandrinus Epiſcopus, Martianus Imperatot ſuis literis, & nuncijs apud eundẽ Leonem interceſſit, vt ab ipſo confirmaretur quod tum facere conſenſit, cum fidei, & confeſſionis eius teſtes, ptopria ipſius manu ſcriptas, & proprio ad hoc nuncio miſſas accepiſſet litteras. Quemadmodum ipſius indicat ad Martianum epiſtola, qua ea de re illi teſpondet in hæc verba?

Leo ad Martianum de cõfirmatione Proterij Alexandrini Epiſcopi.

Puritatem fidei Chriſtianæ, qua clementia veſtra præfulget, etiam his literis, quas frater & coepiſcopus meus Neſtorianus detulit. demonſtratis, iuſtiſſimum fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis antiſtiti impendentes fauorem, quo mihi per omnia eſſet acceptior. Nam cui veſtra pietas teſtimonium perbibere dignatur, indubitanter eſſet probãdus, etiam ſi taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoque ſermone cognoſcitur, & quam ſyncerus ſit catholici dogmatis prædicator, ipſius prnfeſſione clareſcit, vnde pleniſſimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector. Nam cum ſe amplecti epiſtolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum contra Euticerem impium miſi, toto corde profitetur, quid aliud, quam diſcipulum ſe Apoſtolorum oſtendit? Hæc ille Beatiſſimus Leo. Quem audis, vt vno verbo dicat, qualem ſe geſſerit totius eccleſiaſticæ domus, & familiæ patremfamilias, qualem illum recognouerit orbis vniuerſus: vt confundatur illorum cæca impudentia, qui non ira nuper, nec longe à noſtra memoria cœpiſſe primatũ Romanæ Eccleſiæ ſuper alias affirmare non erubeſcunt. Quorum deinceps adhuc euidentius traducetur ignorantia.

CAP. XI.

Quanti momenti fuerint eo ſæculo confirmationes Apoſtolicæ Sedis in electionibus, atque ordinationibus toto orbe Epiſcopalibus. Imo quanta in vniverſum eiuſdem Sedis authoritas, ex hiſtoria Iulij Romani Pontificis, & Antiochenæ Synodi demonſtrare.

Satis clare intellexiſti Chriſtiane lector, ex dicta Beatiſſimi Leonis ad Anaſtaſium epiſtola, qualis longe ante vndecies centenos annos fuerit in illa primitiua Eccleſia Eccleſiaſticæ hierarchiæ facies, qui vigor diſciplinæ, quæ Romanorum Pontificum, & Sedis Apoſtolicæ authoritas, quæ vniuerſam Chriſti Eccleſiam non ſecus quam vnam domum, aut familiam adminiſtrabat, & continebat in vnitate, & officio. Ad quod cum plane eſſet neceſſarium, vt omnes omnium Eccleſiarum prepoſiti ab vno ipſo dependerent, per quos ad vnum totius Eccleſiæ referebantur negocia, quo tota ſibi eſſet conſentiens, & conſona, tota ſentiret moderationem vnius capitis, vnius exequeretur iuſſa, & imperia: ita ex toto orbe referebantur electiones ad confirmationem capitis, Apoſtolicæ, inquam, ſedis præſulis, vt eadem clariſsime atteſtatur Epiſtola. Hoc enim plane requirebat ordo domus Eccleſiaſticæ, vt in eadem ſuus diſciplinæ vigor, & vnitatis conſeruari poſſet concordia.

Sed ne quis ad noſtræ, quæ nunc eſt, Eccleſiæ faciem reſpiciens, in qua nunc paſsim omnibus ſibi omnia vendicantibus Epiſcopis, confuſus eſt omnis ordo hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ſolutus vigor, ſublata dignitas, ad hæc impiorum principum irreligioſa tyrannide commixta ſacra prophanaque omnia, & oppreſſa omnis maieſtas eccleſiaſtica, Ad hanc, inquam, noſtræ Eccleſiæ faciem, ne quis forte reſpiciens ſibi perſuadeat, etiam tunc, non ſecus, quam nunc, confirmationes illas electionem epiſcopalium petitas quidem ab authoritate Sedis Apoſtolicæ, ſed pro ritu quodam ſolemni, & more ægre extorto, alioqui non magni momenti, aut ponderis, vt quæ, aut nunquam denegari ſolebant, quibuſlibet electionibus, aut ſine quibus, electi æque præeſſent, & haberentur pro Epiſcopis, euidentiſsimis nunc hiſtorijs demonſtrabimus, tales tantique momenti eo ſæculo fuiſſe habitas, vt ſine illis notorium, & toti orbi confeſſum fuerit, ordinationes eiuſmodi viribus non ſubſiſtere, nec ſine illis pro Epiſcopis habitos ab orthodoxo populo.

Niſi confirmatos autoritate Sedis Apoſtolica eiũ tunc nõ fuiſſe agnitos pro Epiſcopis ab orthodoxo populo.

Et in primis id clariſsime eſt perſpicere ex hiſtoria Iulij Romani Pontificis, & Antiochenæ Synodi. In qua ſub Euſebio illo Nicomedienſi Epiſcopo (qui Arrianæ illius factionis ſigniferum ſe præſtitit) 90. ſecum conſentientes conuenerunt Epiſcopi. Qui de multorum per Orientem Epiſcoporum per ſuorum complicum ſubordinationem delatis ad ſe criminibus ſydonice (vt prætendebant) & canonice cognoſcentes, & eoſdem pro ſuis (vt videri volebant) demeritis, & enormibus exceſsibus deponentes, in eorundem locum ſuperordinauerant alios in Alexandrina, Conſtantinopolitana, & alijs per Orientem Eccleſijs. Qua de re idem Euſebius cum Theogonio, Theodoro, & reliquis ſecum congregatis Epiſcopis, ſcribunt ad Iulium, tunc Romanum Pontificem, illi ſupplicantes, vt acta à ſe rata habere, & ſynodalia ſe autoritate ordinatos in Alexandrina, Conſtantinopolitana, & alijs pleriſque Eccleſijs, in locum damnatorum à ſe pro grauibus quibuſdam (vt prætendebant) criminibus, in Epiſcopali honore confirmare dignaretur. Quod nunquid putas ſupplices rogaſſent illi tot Epiſcopi, præſertim tales, hoc eſt, qui Chriſti conturbabant, & peſſundabant Eccleſiam, & hierarchiam eius omnibus modis confundere moliebantur, qui heretici Imperatoris tumentes viribus & præſidio omnes non ſuæ factionis Epiſcopos grauiſſime perſequebantur, & & velut è ſuperiori loco magnis efficiebant cladibus, & iniurijs, qui inſuper, & ſynodalem præ ſe ferebant authoritatem? nunquid, inquam, hi à Romano Pontifice Iulio, cuius vnius grauis nimium ipſis erat authoritas, vt quæ ſola impijs eorum conatibus obſiſtebat, factæ à ſe ordinationis in illis Eccleſijs Orientalibus petiuiſſent confirmationem niſi totius orbis ad hoc coacti conſenſu? niſi toti orbi confeſſum fuiſſet, & notorium, abſque

Roma-

Romani Pontificis confirmatione factas illas ordinationes viribus non ſubſiſteret niſi abſq; ea orthodoxus populus pro ſuis illos non agnouiſſet Epiſcopis? Quid hac de re ex medio Oriente, vltra tam vaſta terrarum, mariumque ſpacia vni Romano Pontifici moleſti fuere, ſi ad eum vnius Romanæ (vt ignorantiſsimi illi impudentiſsime affirmant) cura pertinebat Eccleſiæ? ſi quæ gerebãtur in Orientalibus illis Eccleſijs, ipſius nihilo plus intererat, quam Mediolanenſis, Rauennatis, aut alterius cuiſque Epiſcopi? Et quid tandem conſecutum eſt? Renuit confirmare factas ab illis ordinationes Iulius, ſed coram ſe euocauit, quorum vtriuſque agebatur negocium. Et quum examinatis ſingulorum accuſationibus, & defenſionibus, compeiſſet innocentes iniuſteque damnatos ab illa Antiochena Synodo, ſingulis reddidit ſuas Eccleſias. Ad cuius vnius iudicium continuo reiectis, quos ſuperordinauerat tot Epiſcoporum Synodus, Alexandrini ſuum receperunt Athanaſium, Conſtantinopolitani Paulum, & cæteræ Eccleſiæ ſuos quæque Epiſcopos.

Recuſauit Iulius confirmare ordinationes Antiochenæ ſynodi. Vnius Iulij, non ſynodi (cui tamen autoritas, & fautor imperialis affuit) iudicium, & authoritatẽ ſequutum orbem vniuerſum.

Et hæc ita geſta ante annos M. & circiter 200. continuo poſt celebratũ Nicænũ Concilium euidenter confirmant, tam præfati Iulij, quàm illius Antiocheni Concilij, huius tragædiæ occaſione, ſcriptæ ad ſe inuicem epiſtolæ. Socrates quoque, & Zoxomenus rerum Eccleſiaſticarum eius temporis ſcriptores diligentiſſimi, & hi Græci (ne quid in Romanæ Eccleſiæ fauorem confinxiſſe eos calumniari poſſis) prædictæ hiſtoriæ luculentiſſimum teſtimonium perhibent.

Scripſit autem ille Iulius primum ſimpliciter aduerſus eam ſynodum, etiam ante ullam actorum in eadem notitiam, plenam authoritatis epiſtolam, quam ſequenti libro audies importunius, hoc vnum in eis coarguens, quod aduerſus authoritatem Eccleſiaſticorum canonum, abſque huius Sedis authoritate tentaſſent celebrare concilium, & Epiſcoporum ſibi vſurpauerint iudicia: In irritũ reuocans, quicquid ſub ſynodi prætextu, aut egiſſent hactenus, aut acturi eſſent in poſterũ etiam huius Sedis cenſuram illis minitans, niſi ab eiuſmodi præſumptione deſiſterent. Cui reſponderunt quidem ſatis arroganter, & contumaciter, in primis grauiter expoſtulantes, quod ipſorum concilia diſſolueret, & damnatos ab is pro grauibus (vt dicebant) criminibus Epiſcopos, inaudita cauſa reſtitueret. Quod ſi facere pergeret, ab eius ſe ſub tracturos obedientia minitabantur. Rogant tamen, æquum potius ſe iudicem præbeat, ſe enim ex ſuis ad ipſum fratribus mittere, cum omnium à ſe actorum inſtructione pleniſſima, per quos eadem ſuæ ſanctitati innoteſcere curarent. Scripſerunt autem in hæc verba: Domino beatiſſimo, & honorabili patri Iulio, Apoſtolidæ Sedis venerabili Epiſcopo, Euſebius, Theogonius, Theodorus, & Berinthus vna cum reliquis fratribus, & coepiſcopis noſtris in Antiochena Synodo congregatis.

Licet circa omnes Romanam Eccleſiam ſciamus eſſe munificam, & Apoſtolicam curam habere, & ſemper matrem exiſtere pietatis, quanquam ab Oriente ad eam prædicatores pietatis aduenìſſent: tamen optaremus, vos nobiſcum concordare, & quos à communione ſuſpendimus, à vobis quoq; eſſe ſuſpenſos, quos in ordine confirmauius Epiſcoporum, à vobis eſſe confirmandos, nec non ſecundo loco habendos, cum ex his partibus ad vos vſq; dogmatizantes Apoſtoli peruenerint, & cætera. Neque enim crimine carere poteſt, qui alterius excommunicatum abſque eius licentia, à quo communione priuatus eſt, in communionem ſuſceperit, & cætera. Nec ſolum in his nobis contumeliam irrogatis, ſed etiam in eo quod concilia noſtra diſſoluitis, neque ea rata ſinitis eſſe. Sunt nanque à nobis atque adeo à totius Orientis Epiſcopis damnati, Athanaſius Alexandrinus, Paulus Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Aſclepius Gazæ, Lucianuſque Adriapolites, pro certis criminibus, quibus aduerſarij ſunt apud nos inſcripti, quæ per præſentes huius epiſtolæ latores, omnia veſtræ innoteſcere non omittimus ſanctitati Quibus agnitis, ſi noſtris placitis magis, quam eorum machinationibus aſſentiri, & ordinatos Epiſcopos in damnatorum locum firmare elicitis, pacem vobiſcum & communionem habere volumus. Si vero aliter egeritis, & eius amplius quàm nobis aſſentiri iudicaueritis, contraria celebrabimus, & vobiſcum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis, veſtriſque fauere volumus, ſed per nos quicquid melius elegerimus, agere conabimur. Commemorantes deinde, quam multa, & grauia ipſi ab illis paſſi eſſent: Si inquiunt, his conſentire eligitis, tunc liquet, quod nos perdere vultis, & non ſicut pater Filios fouere. Inſuper congerẽtes in eos innumera, & horrenda crimina, homicidij, ſacrilegij, ſtupri, perfidiæ, proditionis, & quæ nonnulquorum teſtes citant totius Orientis Sacerdotes, Populos, Abbates, & Monachos.

Minantur detractionẽ obedientiæ.

Paternam authoritatẽ etiam inuiti agnoſcũt in Ro. Pontifice.

Neque hæc, inquiunt, quæ prædicta ſunt, ſolummodo Athanaſio, & ſequacibus eius irrogamus: ſed etiam quod contra regulam egerit, quam nos decreueramus, &c. Neminem videlicet à pauciore numero reſtitui debere, quam depoſitum fuiſſe conſtaret. Deinde mendacia adhuc ſuper mendacia impudentiſſime ingerentes: Hæc, inquiunt, atque alia innumerabilia ſunt ab eo, ſuiſque ſequacibus impudenter perpetrata. Quos excommunicatos communioni (vt audiuimus) contra regulam in contumeliam omnium Orientalium ſociaſtis. Præfato itaque debitæ ſalutationis officio propter Beati Petri honorem impenſo poſtulamus, vt deinceps hinc venientes ad veſtras aures non tam facile admittatis, &c. Subſcripſere autem in hunc modum: Orantem pro nobis Apoſtolatum veſtrũ, Dominus æuo cuſtodiat longiore, amen. Hæc illi ex toto oriente tam multi Epiſcopi. Imo hæc illud concilium malignantium, qui capto primum omnium Imperatore, & ſubacto ſua perfidia, totius Imperij viribus toto orbe perſequebantur orthodoxos, Ex quibus tanto efficacius colligitur veritatis teſtimonium, quanto magis conſtat eoſdem ad veritatem euertendam omnibus modis coniuraſſe. Attamen, velint nolint, tam ſua, quam totius orbis conſcientia, communique omnium populorum conſenſu coacti fatentur Romanam Eccleſiam, maternam curam gerere totius Eccleſiæ, Romanos Pontifices agnoſcunt vel inuiti,

Petri authoritatem, & honorẽ vel inuiti in Ro. Pontifice ſunt reueriti.

Nota etiam hæreticorũ confeſſionẽ de Romana Eccleſia.

Digitized by Google

uiti, tanquam patres, & ſuperiores ſuos eiſdem obedientiam ſe debere, cum eiſdem congregari ipſos oportere, tametſi hæretico inflati ſpiritu diſceſſionem minitentur, niſi ipſis coudeſcendat: & nihilo minus inter eiuſmodi, hinc minas, inde in diuerſum trahentem, tam ſuam ipſorum conſcientiam, quam communem totius orbis conſenſum, acta ſua cum plenaria, vt dicunt, omnium inſtructione referunt ad Apoſtolicæ ſedis iudicium. Et quid tandem factum eſt? Iulius Romanus Pontifex iudicis ſuſcepta perſona, & damnatores, & damnatos coram ſe adeſſe præcepit, & examinatis vtrinque accuſationum defenſionumque meritis, in hæc verba illi reſcripſit.

Etiam hæreticorum illud conciliū tandem acta ſua retuliſſe ad Apoſtolicæ ſedis iudicium.

Iulius ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, Euſebio, Theogonio, Theodoro, Berintbo, & cæteris Orientalibus Epiſcopis: Decuerat vos aduerſus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam limate, & non ironice loqui. Quoniam, & ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus eam decenter alloquutus, ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, &c. Habet enim poteſtarem ſingulari priuilegio conceſſam, aperire, & claudere ianuam regni cœleſtis, &c. Itaque ſi ei detrahere, quæ domini ore ſacrata, & deſuper exaltata eſt, non timuiſtis, nec mirum, ſi fratribus irrogare iniuriam minime ceſſatis, vt iam ſilentio uon teguntur, quæ in veſtro concilio turbulenter, arque cum tempeſtate decreta ſunt, apparet enim qnod tumultuoſa iudiſciplinatione ſit veritas oppreſſa, &c. Sed erit opus diuinæ prouidentiæ, quatenus e contrario aperta deprehenſa poſſit enarrari, & quicquid illic conuenientes, ſine qualibet gratia, odio, aut inimicitiarum cauſa geſſiſtis, funditus repelli. Quapropter cum omni feſtiuatione vos omnes ad huius ſanctæ ſedis reuerentiam volui concurrere, quatenus geſtorum apud nos integritatem per vos ipſos poſſetis intelligere. Nam nec dubitare vos credo, Athanaſium ſacræ legis doctorem, non ſolum à nobis, ſed etiam à Nicena ſynodo veræ fidei cultorem eſſe comprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili ſene, qui Arij proſtrauerat plaſphemias, poſt quinque menſes Niceni Concilij, Alexandrinorum Eccleſiæ ſuſcepir præſulatum. Aduerſus quem, eiuſque ſectatores, multa mendacia contexentes, & nudas calumnias, quaſi veras accuſationes componentes, nobis multorum malorum cauſam, & caput eſſe perhibuiſtis, & non ſolum apud Ægyptum, ſed etiam apud Paleſtinam, Phœnicen, vicinaſq; gentes, ſcriptis veſtris illum perturbatorem eſſe ſignificaſtis.

Qua de re eccleſiaſticam regulam ſequentes, vos Romæ regulariter ad iudicium die ſtatuta, uon ſub anguſto temporis ſpacio, vt excuſatio locum non inueniret, literis, & apocryſarijs noſtris euocauimus, illique vocatione ſuſcepta, ad diem præſtitutum venire. Sed vos, ne veſtris mendacijs caperemini, veſtraque calumnia enudaretur, venire diſtuliſtis. Nec his machinationibus ſolummodo contēti eſtis, ſed etiam videntes oues paſtoribus deſolatas, lupos pro paſtoribus ſuper eas poſuiſtis. Decuerat ergo vt ad regularem veniretis conuocationem, qualiter he his, & alijs veſtris præſumptionibus veram redderitis rationem, &c. Cur Synodum ad ſtatum Eccleſiarum, & fratrum in Antiochiam ſubuertendum, & Niceni magni Concilij deſtructionem feciſtis, aut quur nobis inconſultis Epiſcopos in eam conuocaſtis, ad quam nec Maximus Hieroſolymitanus venit, nec noſtra interfuit legatio. Canonibus quippe in Nicena Synodo iubentibus, non debere prærer ſententiam Romani Pontificis vllo modo concilia celebrari, nec damnari Epiſcopos? Aut cur in prędictorum loco fratrum alios adulteros poſuiſtis, antequam penes nos, aut apocryſarios noſtros, eorum cauſa canonice eſſet examinata, finemque percepiſſet rectum? Iſti enim, qui ad memoratam regulariter conuenere vocationem, videntes vos ab eadem ſe ſubtrahere, multa aduerſus vos lachrymabilia, & doloribus plena referunt, accuſantes vos, & dicentes multa ſe imporrabilia à vobis eſſe paſſos, &c. Super quibus, & Ægyptiorum Epiſcopi literis nobis, & miſſis proteſtantibus ſuis, falſa eſſe quæ contra Athanaſium, ſuoſque ſectatores machinatur cuncta Arrianorum conſpiratio, &c. Vobis iraque venire refugientibus, & ad concilium noſtrū toties conuocatis adeſſe noleutibus: illis autem in ſua reclamatione, & iuſta ratione perſiſteutibus, veſtraque cognoſcentes crimina, & illorum iuſtam examinantes rationem, omneſque illos concordare Niceno concilio comperientes, & noſtris apoſtolicis iuſsionibus obtemperantes, viſum eſt nobis, & vniuerſo concilio, vt nos diuinis præceptis, & apoſtolicis monitis informati (qui pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilare debemus affectu) quicquid reprehenſioni vſquam inuenitur obnoxium, celeri ſolicitudine ab arrogantiæ imperitia, aut à præſumptionis vſurpatione reuocemus.

Canon Niceni concilij: Non licere præter ſententiam Rom. Pont. celebrari concilia, nec damnari Epiſc.

Quare tanquam omnium curam gerentes propter ſedis noſtræ dignitatem, ſuſcepimus eos in communionem, ſinguliſque authoritate huius ſanctæ ſedis cum ſuis rebus proprias reddidimus eccleſias. Quoniam huic ſanctæ ſedi propter prauorum hominum inſidias, ipſo Domino inſtituente, & Sanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus per ſingula concilia roborantibus, hoc ſemper licuit, licebitque Domino auxiliante in perpetuum. Quapropter increpando, vobis ſcribo, quia non recte tractatis viros inculpatos, & à nobis minime examinatos, de ſuis eccleſijs communione priuatos pellentes, & eccleſiaſticę diſciplinæ iniuriam irrogantes, conſtitutumque Niceni concilij minime ſeruantes, talia indiſciplinate agere non formidaſtis: Idcirco quoniam dudum venire vocati renuiſtis, modo ad xv. Calendas Nouembris: vos iterum regulariter literis miſſiſque euocamus, vt coram vobis oſtendamus nos iuſtam in eos protuliſſe ſententiam, & de cætero tali non eſſe paſſuros, &c. Miror autem vos tam audaces eſſe, & tam impudenter egiſſe, vt terminos, & iura Beati Petri Apoſtolorum Principis inuaderetis. Sui enim iuris erat, vt abſque eis ſanctæ ſedis authoritate nullus deberet, aut concilia celebrare, aut Epiſcopos ad Synodum conuocare, vel damnare, proprijs ſedibus pellere, aut alios in lo-

Abſoluit damnatos à concilio, & ſingulis reſtituit proprias Eccleſias, quibus ſpoliati fuerant.

Apoſtolicæ ſedis authoritas.

Iura Beati Petri.

Citati Romam.

eum

Digitized by Google

cum eorum ordinare. Quæ omnia vos temerare non timuiſtis. Quid ergo eſt aliud talis præſumptio, quàm Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum decreta tranſgredi? Poſt commemoratas deinceps canones eccleſiaſticos, & Niceni concilij plurimos, quorum omnium illos tranſgreſſores arguit, In illo ſuo concilio aduerſus fratres, & coepiſcopos innoxios.

Ideo, inquit, ſummopere mihi (cui vice Apoſtolorum Principis, vniuerſalis Eccleſiæ cura commiſſa eſt) prouidendum eſt auxiliante ipſo ſummo Apoſtolo, ne deinceps talia fiant. Quoniam ideo ſanctæ huic ſedi præfata priuilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam de congregandis concilijs, & iudicijs, ac deſtitutionibus Epiſcoporum, quàm, & de grauioribus omnibus eccleſiaſticis negotijs, vt ab ea omnes oppreſſi auxilium, & iniuſte damnati reſtitutionem ſumant, & ne talia ab improbis præſumantur abſque vltione, nec exerceantur abſque damnatione. Itaque quoniam non recte egiſtis, quod prædictos fratres calumniati eſtis, dicente Domino: Non facies calumniam proximo tuo, &c. nec recte egiſtis, quod nobis inconſultis concilium celebraſtis, eoſque ad concilium vocaſtis, & damnare præſumpſiſtis, canonibus quippe iubentibus (vt præmiſſum eſt) nihil ex his abſque huius ſanctæ ſedis authoritate fieri debere. Neque recte egiſtis, quod à nobis ad concilium vocati venire diſtuliſtis, quod contra rationem reddere, vt veſtra erga eos aut probaretur recta ſententia, aut improbaretur iniuſta, non veniſtis, nec rationabilem mandaſtis cauſam, vt quid hæc renuiſtis &c. Manifeſtum eſt vos reos exiſtere, & illos innocentes manere, & vos recte excommunicatos, illoſque iuſte liberatos. Hæc ille Iulius.

In quibus clariſſime intelligis, non ſolum confirmationem eius, quam ſupra memorauimus, hiſtoriæ, ſed & authoritatem, & ſingulare Cathedræ Petri priuilegium, non ſolum verbo adſtruunt, ſed etiam re ipſa, & opere euidentiſſime comprobant; Vni commiſſam curam totius Chriſti familiæ, & domus eccleſiaſticæ, vni omnibus in eadem ſua officia præſcribere, ab omnibus eorum rationes exigere. Epiſcoporum, omniumque grauiorum eccleſiaſticorum negotiorum iudicia ac determinationem vnius reſeruari definitioni, & arbitrio. Sine eius authoritate celebrati non licere epiſcopales conuentus, & concilia, niſi ordinaria. Quæ alioqui conſpirationes magis forent quam concilia, de quibus proximo libro agemus prolixius, & accuratius.

Iulij pro Athanaſio, & reliquis, & contra authores illius Synodalis iudicij, vniuerſam Eccleſiam ſequutam iudicium.

Nec eſt, quod forte exiſtimes, verbotenus hæc geſta à Iulio. Siquidem eius iudicium de Athanaſio, cæteriſque illis, quos aduerſus totius Orientis iudicium reſtituit Epiſcopis, abſque vlla hæſitatione aut contradictione amplexa eſt, & ſequuta vniuerſa orthodoxa Eccleſia, eiſdem receptis in ſedes priſtinas, & eiectis, quos Orientales illi in locum eorundem ſuperordinauerant. Illos inſuper authores dicti concilij, & iniuſtæ damnationis fratrum, ab eodem excommunicatos, vniuerſa Chriſti orthodoxa Eccleſia, & tunc, & deinceps pro excommunicatis habuit.

Et quamuis Nicomedienſis ille Euſebius, illius Arrianæ (quæ tunc orbem, & præcipue Orientem vniuerſum concutiebat) ſignifer factionis, & caput memorati concilij, quæ de Athanaſio decreuerit Iulius, vt habet ille Socrates, non occurrit agnoſcere, hoc ipſum non propterea factum idem affirmat, quaſi authoritatem, & iudicium eius adhuc pergeret contemnere, ſed quia continuo poſt celebratum illud concilium, ante finem iudicij Romani Pontificis, morte præuentus fuerat. Itaque, & Conſtantinopolitani, & Alexandrini, & reliquæ per Orientem Eccleſiæ, iuxta Iulij ſententiam continuo receperunt ſuos quæque epiſcopos. Qua de re Socrates ille his verbis perhibet teſtimonium.

Hiſt. Trid. lib 3. ca 12. Hic vide illos ipſos hæreticos vel coactos totius orbis conſenſu, ſe iudiciaque ſubmiſiſſe iudicio Roman. Pontificis.

Euſebius autem legationem miſit ad Iulium Romanæ vrbis Epiſcopum rogans vt contra Athanaſium iudex eſſet. Sed quæ de Athanaſio decreuerat Iulius, Euſebius non occurrit, vt cognoſceret: Quia dum paucum tempus vixiſſet poſt concilium, vita priuatus eſt. Quapropter Conſtantinopolitæ Paulum rurſus in Eccleſiam introduxerunt, &c. Sed, & Vrſatius, & Valens hæretici poſtea libellum pœnitentiæ Iulio offerentes, & conſentientes ὁμουσίῳ verbo, communicare meruerunt. Hactenus Socrates.

Dannati authores illegitimæ Synodi pœnitentiæ libellos offerunt Rom. Pontificis.

G. XV. Rom. Pontifex omniũ Paſtor, & Iudex.

Sozomenus vero eidem hiſtoriæ his verbis perhibet teſtimonium: Igitur Athanaſius, inquit, relinquens Alexandriam, Romam profectus eſt. Contigit autem eodem tempore etiam Paulum Conſtãtinopolitanum Pontificem illuc vna concurrere, & Marcellum Ancyræ, Aſclepamque Gazæ, qui dum Arrianis eſſet aduerſus, calumniam paſſus ab his, quaſi ſubuertiſſet altare, damnatus eſt. Pro quo Gazeorum Eccleſia Quinciano committitur. Lucianus autem Hadrianopolites Epiſcopus, ob aliam accuſationem ab Eccleſia ſua priuatus, degebat in Vrbe Roma. Cognoſcens ergo Romanus Epiſcopus crimina ſingulorum, & omnes Niceno concilio concordare comperiens, eos in communionem ſuſcepit, tanquam omnium curam gerens, propter ſedis propriæ dignitatem, ſinguliſque reddidit ſuas Eccleſias, & Orientalibus ſcripſit Epiſcopis, eos culpans, quod non recte tractaſſent viros inculpabiles, de ſuis Eccleſijs eos expellentes, & quod conſtitutiones Niceni concilij minime obſeruarent. Quorum paucos ad certam diem ſibimet adeſſe præcepit, vt coram eis oſtenderet, iuſtum ſe ſuper illis protuliſſe decretum. Et deinceps non ſe paſſurum interminatus eſt, niſi ab huiuſmodi turbis, & nouitate ceſſarent. Et ille quidem hæc ſcripſit. Athanaſius autem, & Paulus epiſtolas Iulij Orientalibus Epiſcopis miſerunt, & ſinguli eorum ſuas ſedes adepti ſunt. Hæc ille Sozomenus, etiam Græcus author.

Athanaſius, & Paulus ad literas Iulij ſuas receperunt Eccleſias.

Hæc perpẽdant hoſtes authoritatis Sed. Apoſt.

Hæc ſi legerent ac diligenter perpenderent illi, quos non pudet affirmare, nuper & à recenti pene memoria cœpiſſe primatum Romæ Eccleſiæ ſuper alias, puderet credo illos craſſiſſimæ ſuæ ignorantiæ, & impudentiſſime imprudentiæ. Nam geſta ſunt hæc ante annos mille ducentos, aut eo circiter. In quibus clariſſime intellexiſti, magis recognitam fuiſſe eo tempore authoritatem Romanorum Pontificium in Alexandria, Conſtantinopoli. vniuerſa denique toto orbe Eccleſia, quam nunc in vno hoc, qui reſtat, orbis angulo,

gulo, Germania, Gallia, Hiſpania. Ab eius authoritate dependiſſe ſtatum vniuerſæ domus & familiæ eccleſiaſticæ, Epiſcoporum vt confirmationes, ita & depoſitiones, & iudicia. Vtque inferorum portæ, vt impiorum, & malignantium concilia, vt totius pene Orientis conſpiratio, aduerſus eius authoritatem præualere non potuerit.

CAP. XII.

Idem demonſtrare ex Agapeti Romani Pontificis, & Anthemij aliiſque certiſſimæ fidei hiſtorijs.

TAmetſi vniuerſa illa primitiuæ Eccleſiæ hiſtoria, perpetuum, conſtantiſſimumque teſtimonium perhibeat authoritati Sedis Apoſtolicæ, & Romanorum Pontificum, velut eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidium ſuper vniuerſam Eccleſiam: tamen in conflictibus & controuerſijs eccleſiaſticis ea ſemper magis enituit, quemadmodum nunc de Iulio intellexiſti, & Antiocheno illo concilio. Itaque etiam Agapeti, & Anthemij opportunum videtur hic explicare tragœdiam: ſiquidem, & eius exitus euidentiſſime demonſtrabit, quod eo ſæculo toto orbe Chriſtiano ab vnius Romani Pontificis iudicio ſuſpenſus fuerit orthodoxus populus, vtque illos ſolos etiam in extremo Orienti pro Epiſcopis recognouerit, quos huius ſedis probauerat, & firmauerat authoritas. Cum Anthemius ille Trapezuntinus ante Epiſcopus, fauore Iuſtiniani Imperatoris, & Theodoræ Auguſtæ, deſerta ante Eccleſia ſua, contra eccleſiaſticos canones irrepſiſſet in Conſtantinopolitanam Eccleſiam tunc vacantem per mortem Beati Epiphanij, eoque illicito ſuo ambitu, inſuper quoniam communicabat Seuero Antiocheno Epiſcopo, & Zoaro monacho, Euticianæ nuper damnatæ perfidiæ ſectatoribus, haud leuiter perturbaret ſtatum Orientalis Eccleſiæ, confugerunt totius pene Orientis orthodoxi, Epiſcopi, presbyteri, & clerici ad caput hierarchiæ eccleſiaſticæ, Agapeto Romano Pontifici ſupplices literas dirigentes, vt ſui memor officij illud ſcandalum tolleret ab Eccleſia, & apoſtolicæ ſeueritatis gladium diſtringeret in euerſores eccleſiaſticorum canonum, ſcriptas in hæc verba:

Epiſcoporũ & cleri Orientis literæ ſupplices ad Agapetum Rom. Pont. contra Anthemium, Seuerum, & Petrum.

Domino per omnia ſanctiſſimo, & beatiſſimo patri patrum, Archiepiſcopo Romanorum, & Patriarchæ Agapeto, Epiſcopi Orientalis diœceſis, & hi qui ſunt ſub ſanctis locis Chriſti Dei noſtri, nec non ambaſiatores, & cæteri clerici in hac regia vrbe congregati. Ex quo Chriſtus Deus noſter, pro debitis Beato Petro præmijs, propter ipſum in omni tempore, cum vera fiducia, ſua inuiſibili virtute diuulgatam confeſſionem ſupra venerabile caput veſtrum requieſcere fecit, cũ ſedem apoſtolicam vobis, pater beatiſſime, commiſit, & firmauit ſuper firmam petram pedes veſtros, & direxit greſſus veſtros, implens os noſtrum cantico nouo, hymno Deo noſtro, ſecundum Pſalmodicum eloquium: clarificati à ſpiritali ſplendore veſtro, per quem, tanquam lucerna reſplendens ſuper candelabro ſancto, caliginem eorum, qui in tenebris ſedent, & cæcos illuminaſti, & oculos mentis eorum aperuiſti &c. Cumque nunc ſit tempus acceptabile, clamamus: adiuua nos &c. & ſtude longe expellere illum pollutum, & abdicatum Seuerum, qui anathematibus ſcriptis ab apoſtolica ſede veſtra, & à tantis Pontificibus, & in cœlo ab angelis electis iam condemnatus eſt. Qui ſecundum euangelicam, & diuinam vocem, cum iniquo, & facinoroſo alio Petro ſuo diſcipulo, appellationem propriam vſque nunc mentiri non erubuit &c. tollite à nobis cito malos, offerte conſuetum ſacrificium hoc, Deo, & Saluatori, pro conſeruanda nobis bona defenſione in futuro tremendo iudicio, liberate nos ab omni timore, & hæretica fluctuatione, eccleſiaſticum ſtatum conſeruate &c. Iuſtiſſimo Imperatori noſtro, pias ac iuſtas ſententias contra ipſos prius ab apoſtolica ſede veſtra prolatas, rurſus exponendo per illas impia ſcripta igni tradere, iuxta imitationem eorum, qui zelant poſſidere Manichæa, & illa impia Neſtorij, & Euticetis inſenſati, & Dioſcori patris, & protectoris eorum. Sic enim euacuabitur omnis expectatio his, qui fruſtra ſperant in eos. Rogamus etiam ſanctum, & perfectum finem imponere diuinæ veſtræ ſententiæ contra Anthemium, paternis veſtris ſanctionibus contrauenientem, vt omne de medio extinguatur ſcandalum à paruulis ad Dominum credentibus, & optatam vocem audietis ab omnibus nobis. Cuſtodiat Dominus ſedem veſtram tanquam dies ſæculi, qui Petri imitator, & ſucceſſor exiſtens, nos à tribulatione ſaluaſtis, atque eos, qui nos odiunt, confudiſtis.

Hæc notent ac diligenter pŏderẽt: Quænam illi totius Orientis Epiſcopi contẽdant ab vno Rom. Pont.

Hæc illi totius Orientis orthodoxi Sacerdotes, & Clerici. Quos vides non ignorare, cui totius cura ſit commiſſa Eccleſiæ, ad cuius authoritatem pertineat, de eadem ſcandala tollere, efferentes ſe aduerſus ſanctorum canonum authoritatem, ſua authoritate deijcere, hæreticos exterminare. Qui etiam aduerſus Anthemium eidem Agapeto ſpecialem miſerunt accuſationis libellum, qui & in acta quintæ vniuerſalis Synodi relatus legitur. In quo ipſum adiurant, vt ſequens eorum exemplum, qui ante ſe claruerunt in ſede apoſtolica, faceret, & ipſe contra inualeſcentes aduerſus authoritatem ſanctorum canonum, quod Beatus Celeſtinus fecit aduerſus Neſtorium, nempe vt illi aſſignaret ac perfigeret tempus, intra quod niſi apoſtolicæ ſedi, ac ſuę beatitudini libellum ſanę fidei ſuę porrigeret, & ab hæretico morbo ſe liberaret, cætteraque iuſſa ipſius omnia perageret, definiret ipſum alienum eſſe ab omni pontificali dignitate, & efficacia, & ſortem accepiſſe cum eis, quibus communicabat, hæreticis.

Agapetus Rom. Pont. Seuerum Antiochenũ Epiſc. vna cum Zoaro monacho anathemati ſubiectos abiecit de Eccleſia, & Anthemium de Conſtantinopolitana ſede depoſuit.

Ad quorum ſupplicationes ſanctus Pontifex commiſſę ſibi vniuerſalis Eccleſię, & ouilis Chriſti curæ non defuit, ſed Seuerum illum Antiochenum Epiſcopum, qui Euticianam hæreſim palam, & notorie aſſerebat vna cum Zoaro monacho, anathematis mucrone confoſſos abiecit ab Eccleſia. Anthemium autem de Conſtantinopolitana ſede, in quam illicito ambitu aduerſus canones irrepſerat, depoſuit. Inſuper, & terminum illi præfixit pur-

gationis canonicæ, intra quem niſi coram ſe comparens, omni ſe expurgaſſet ſuſpicione, qua laborabat, prauitatis hæreticæ, non ſolum ab omni pontificali dignitate, ſed etiam à Chriſtiano nomine habendus foret alienus, ſortemque accepturus cum his, quibus communicauerat, hæreticis. Hæc in hunc modum geſta fuiſſe, libro ſexto huius, exactis quintæ Synodi clariſſime intelliges.

Poſt hæc, cum idem Pontifex Conſtantinopolim profectus componendæ pacis gratia inter Theodatum Gothorum regem, & Iuſtinianum Cæſarem, nullo non honoris genere ab eodem exciperetur, impetraſſetque ex ſententia, quæ volebat omnia, viciſſimque inſtaret Imperator (qui Anthemio fouebat plurimum, vt quem ad Conſtantinopolitanam ſedem euexerat) & importunis minis, ac pene violentis precibus ſollicitaret, & perurgeret ſanctum Pontificem, vt illum à ſe damnatum in communionem rurſus reciperet, & in Conſtantinopolitana confirmaret Eccleſia, etiam minis interiectis, ni obtemperaret, tandem Agapetus ille vim imperialis ſolicitationis amplius non ferens, & liberiore vtens conſtantia: Ego, inquit, ad Iuſtinianum Chriſtianiſſimum Imperatorem me venire putaui, ſed Diocletianum inuenio. Qua reſponſi libertate, & tanti Pontificis authoritate permotus Imperator, Anthemium vna cum ſuis erroribus execratus, & pontificiæ damnationis executor factus, relegauit. In cuius locum Venerabilem Menam ſanctus Pontifex conſecrauit Epiſcopum, qua de re ad Petrum Hieroſolymitanum Epiſcopum, & qui ſecum congregati fuerant, ſcribit idem in hæc verba: Dilecto fratri Petro Agapetus:

Agapeti ad Petrũ Hieroſolymitanũ epiſcopum epiſtola teſtis prædictæ hiſtoriæ.

Voluiſſemus quidem fratres dilecti propter coniunctionem noſtræ charitatis, omnes Domini Sacerdotes, iuxta Apoſtolicam traditionem irreprehenſibiles eſſe, & neminem, aut per gratiam, aut per metum ab eccleſiaſticis canonibus declinare. Sed quoniam multa multoties ſubſequuntur, quæ pœnitudinem parere poſſunt, & Dei miſericordia delicta peccatorum vincit, idcirco differtur pœna, vt reformatio, locum inuenire poſſit, monere neceſſarium iudicauimus præuaricatores, vt præcepta, de cætero impræuaricata cuſtodiantur. Oportebat autem, & veſtram charitatem, memorem paternarum traditionum, neminẽ permittere prohibita facere: ſed ſi quis audax appareret, tota virtute reſiſtere. Quum itaq; peruenimus ad comitatum ſereniſſimi Imperatoris filij noſtri, inuenimus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Sedem, contra omnem canonum honeſtatem ab Anthemio Trapezandarum Epiſcopo inconuenienter vſurpatam. Cuius animam non ſolum ſecundum iſtam partem, ſed quod maius eſt, in confeſsione veræ fidei à perditione reducere deſiderauimus. Sed Euticetis errori inſiſtens, ad viam veritatis redire contempſit. Vnde cum iſtius infide pœnitentiam iſto modo fruſtra expectaremus, neque ſacro, neque catholico nomine digum eſſe ſententiauimus, donec omnia à patribus tradita, per quæ veræ religionis fides, & diſciplina cuſtoditur, ſecundum congruentem ſatisfactionem ſuſceperit, &c. Conſtantinopolitanæ vero ſedis iniuriam, Apoſtolica autoritate, & adiutorio piiſſimi Imperatoris emendauimus.

Admodum quidem mirati ſumus, quod iſtud opus aperte contrarium decretis patrũ, veſtra fraternitas non ſolum ad notitiam noſtram adducere neglexit, ſed etiam reprehenſibili conſenſu confirmauit. Sed regratiamur Deo (cuius ſpiritu mala ad melius, vt plurimum vertuntur) vt paruæ trangreſsiones ad vtilitatem, & occaſionem magni fierent gaudij. Hoc autem pro excitanda veſtræ conſpiritualitatis lætitia ſignifico, quod Menam fratrem, & coepiſcopum noſtrum virum multis laudum modis ornatum prędicta Conſtantinopolitana Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum, &c. Cuius, & hoc dignitati accedere credimus, quod à temporibus Beati Petri Apoſtoli, nullum alium vnquam Orientalis Eccleſia ſuſcepit epiſcopum manibus noſtræ ſedis ordinatum, &c. Hæc beati Agapeti epiſtola in actis etiam quintæ ſynodi relata legitur. In quibus nunquid non audis Eccleſiaſticæ hierarchiæ principem, & vindicem, exactoremque eccleſiaſticorum canonum, quique authoritate ſua deiecit omnem altitudinem aduerſus eoſdem ſe efferentem?

Sed cum Theodora Augſta iam dudum capta artibus, & impietate illius damnatĩ Anthemij, ordinatum in eius locum venerabilem Menam perſequeretur implacabili odio, mortuo Agapeto quid non egit, & ſcriptis, & nuncijs apud eius ſucceſſorem Siluerium, vt illo pulſo à Conſtantinopolitana Sede reuocaretur Anthemius? Cui cum ille reſpondiſſet, nunquàm ſe reuocaturum hominem hæreticũ, iamdudum condemnatum eius impietatis, accenſa illa furore fœmineo, & agitata illo ſpiritu, qui hæreſes, & ſchiſmata ſeminat, contra ſanctum Pontificem, iuſsit Beliſario, vt ſubordinata quacunque aduerſus illum calumnia, quoquo prætextu, quoquo relegaretur in exilium. Itaque ſubmiſsis falſis teſtibus, qui dicerent ſibi conſtare, coniuraſſe illum cum Gothis aduerſus Imperatorem, illiſque proditurum vrbem deportatus eſt in Pontianas inſulas: quamuis non dubitaret Beliſarius, nec ignoraret ſubornatam eſſe calumniam. Quæ illi multarum calamitatum, in quæ poſt incidit diuino iudicio, cauſa fuiſſe creditur.

Siluerius deportatus in exilium.

Sed cum neque ſic voti compos illa fieret, Sanctiſsimo Pontifice fortiter ferente exilium, eo mortuo modis omnibus ſtudebat, vt in eius locum eligeretur Vigilius, etiam vi apud clerum, & Pop. Rom. interpoſita, qui ſub Siluerio apocryſariũ agens Romanæ Eccleſiæ apud Cæſarem Conſtantinopoli promiſerat Auguſtæ, ſi eius ſtudio, & opera deſignaretur ſucceſſor Siluerio, ſe illam voti compotem facturum. Cum hoc iam promoto ad culmen Sedis Apoſtolicæ agit, velut ex pacto, vt abiecto Mena, in Sedem Conſtantinopolitanam reſtituat Anthemium. Sed iam factus Romanus Pontifex, quamuis malis artibus: tamen illius Cathedræ non eſt deſtitutus priuilegio, ſed ſanioris ſententiæ effectus, reſcripſiſſe Auguſtæ, dolere ſe, ſi quid male, & inſipienter illi addixiſſet. Nunc vero Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium quamuis indignum agens, committere ſe non poſſe, vt hominem hæreticum per ſuos prædeceſſores damnatum reſtituat, ſed malle ſe omnia potius perpeti. Qua de cauſa aliquanto poſt aduocatum ad ſe Conſtantinopolim, & omni honoris gene-

te à Iuſtiniano exceptum (qui illi honoris cauſa cum magno comitatu extra vrbem factus eſt obuiam) cum rurſus, & præcibus, & minis ſatigaret, vt præſtaree promiſſum, & Anrhemium reſtitueret, conſtantiſſime recuſantem, affectum, ante multis iniurijs, tandem deportari fecit vna cum clero ſuo, qui Roma ſecum venerat, in Proconiſſum, Gipſumque Inſulas, vbi permanſit vſque ad Theodoræ obitum, poſtmodum reſtitutus ad preces Romani Cleri, & Narſetis. Nec vnquam iniuriarum, aut exilij tædio deflecti ſe paſſus eſt ad impia Auguſtæ vota ac deſideria. Vt clariſſime intelligas, hanc Apoſtolicæ Sedis petram perſtitiſſe ſemper Immobilem, ad confirmandos toto orbe Chriſtianos fratres, omnemque altitudinem ſeſe extollentem aduerſus Deum, aduerſus orthodoxam fidem, aduerſus ſanctorum patrum atque Apoſtolicos canones deijciendam.

Inflexibilis iudiciorum apoſtolicæ ſedis æquitas.

Sed quo tandem, à quo tantopere efflagitabat illa Auguſta reduci Anthemium? nunquid non Conſtantinopolim? nunquid ab alio quam à Romano Pontifice? Cur quæſo non poterant ipſi ſua illa Imperiali poteſtate, In Impeliaris reſidentiæ vrbem abſque Romani conſenſu Pontificis reducere Anthemium, & Menam expellere, cui aduerſabantur tantopere, niſi ad vnius authoritaté Romani Pontificis iudicio? Et nunquid aduerſus illius ſedis authoritatem aliquando reductus eſt Anthemius, expulſo Mena, quem in illius locum ordinauerat Romanus Pontifex? Nec dum pudebit impudentiſſimos illos dicere, Romanorum Pontificum tyrannide non Ita nuper natam huius ſedis authoritatem, & primatū ſuper alias Eccleſias? Quem fuiſſe ab initio, ab ipſo Deo inſtitutum, non hominibus: tantoque ſemper viguiſſe magis, quanto plus viguit Chriſtiana religio, iam toties, tot hiſtoriarum, tot taliumque ſcriptorum, qui in illa florente adhuc, & vere Chriſtiana floruerunt Eccleſia irrefragabili teſtimonio demonſtrauimus. In qua audiſti, & adhuc audies, quoties vnus Romanus Pontifex, & quanta cum libertate, in omnium aliarum ſedium principalium antiſtites, Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum, cæteroſq; ſuæ authoritatis poteſtatem exercuit. Vtque aut præuaricantes à regula orthodoxæ fidei Romanę Eccleſiæ (in qua intemeratam ſemper permanere eandem, conſeruarique Apoſtolicā illam traditionem, ſynceram, & integram, ſupra euidens fecimus) aut contra canonum authoritatem ſe efferentes, ſua illa principali authoritate, aut reſipiſcere coegerit, aut deploratos abiecerit è ſedibus illis ſuis, omniq; Chriſtiana Eccleſia, in deiectorum locum ſubſtitutis alijs. Et hæc, non vi vlla, aut tyrannide, ſed verbo ſolo, at tam potenti, tantæque authoritatis, vt præualuerit aduerſus ſæua violentiſſimorum tyrannorum arma, aduerſus ſuperbiſſimorum, ac potentiſſimorum Imperatorum imperia, etiam in ipſa Imperialis reſidentiæ ſede Conſtantinopoli: breuiter, aduerſus quam inferorum portæ præualere non potuerunt.

Hæc notent & diligenter ponderent, vt confundantur hoſtes authoritatis ſedis apoſtolicæ.

Efficaciæ authoritatis Ro. Pontificis in Chriſtiana Eccleſia.

Dioſcorus Alexandrinus antiſtes, vna cum tot ſecum congregatis Epiſcopis in ſecunda illa Epheſina Synodo teſtes ſunt, quanta aduerſus ipſos, & quam efficax viguerit vnius Romani Pontificis Beati Leonis authoritas, quæ ſola orthodoxam veritatem aduerſus impium, quamuis generale Concilium turata eſt, & impietatis authorem Dioſcorum abiecit, non ſolum à ſede Alexandrina, ſed ab vniuerſa Chriſti Eccleſia. Cuius libro proximo magis explicatam audies tragœdiam.

Teſtis Dioſcorus Alexandrinus, & vniuerſa Epheſina II Synodus.

Aduerſus Anatholium Beati illius Flauiani in Conſtantinopolitana Eccleſia ſucceſſorem, cum non recte incederet ad veritatem Euangelij, idem Leo, quàm libera authoritate vſus fuerit: (Ne, inquit, ad negligentiam rectoris referatur, ſi quiſquam in Eccleſia Catholica ea prædicare præſumeret, quæ hæreticorum ſenſibus conuenirent) vt coegerit ad ſuum præſcriptum ordinare Conſtantinopolitanam Eccleſiam. Inſuper & pęnitere de illicito ambitu primatus ſuę ſedis poſt Romanam Eccleſiam, quo tentauerat & in aſſenſum inclinauerat Chalcedonenſem ſynodum, ex einſdem epiſtolis libro proximo clarius intelliges. Quem etiam, ita eius exigentibus, aliorumque ædificatione & exemplo, à ſua & Catholicæ Eccleſiæ communione ſeparauit ad tempus, vſq; ad ſatisfactionem congruam. Qua intercedente etiam ac ſpondente pro eodem Martiano Imperatore reconciliari obtinuit, ea tamen adiecta lege, vt retractatis ordinationibus quas de Andrea, & Euphrate in ſua Eccleſia fecerat, eandem vniuerſam ad præſcriptam ſibi regulam ordinaret. Teſtis eſt epiſtola eius 45. ad præfatum Anatholium.

Teſtis quodque Anatholius Conſtantinopolitanus Epiſc.

Aduerſum Beatum Ioannem cognomento Chryſoſtomum, B. Paulinum & Euagrium, conſpirauit Orientalium Epiſcoporum pars maxima, qui in vnum ſynodice conuenientes, eoſdem damnationis perculere ſententia, quam tanquam probatam contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ, inſuper & iniquam vnius B. Innocentij retractauit authoritas, & authores iniquæ ſententiæ, eccleſiaſticæ cenſuræ excommunicationique ſubiecit. Inter quos Alexander Antiochenus Patriarcha, per condignam ſatisfactionem, miſſa ſolenni legatione ex medio Oriente ad Innocentium reconciliari meruit. Pro Attico autem Conſtantinopolitano, ante dignam ad einſdem Innocentij arbitrium ſatisfactionem, à Maximiano Apoſtolicæ Sedis in Oriente Legato fruſtra interceſſum eſt.

De Alexandro autem, & Antiochena Eccleſia, in hæc verba ſcribit ad Bonifacium Presbyterum. Eccleſia Antiochena, quam prius quàm ad Vrbem perueniret Romam, B. Apoſtolus Petrus ſua præſentia illuſtrauit, velut Germana Eccleſiæ Romanæ, diu ſe ab eadem alienam eſſe paſſa non eſt. Nam miſſis Legatis ita pacem poſtulauit & meruit, vt Euagrianos ſuis ordinibus ac locis intemerata ordinatione quam acceperant à memorato ſuſciperet, & Ioannis ſanctæ memoriæ, vel Clericos, vel laicos, in vnum colligeret atq; congregaret. Permittens ipſius Epiſcopus, frater meus Alexander, vt ſi quis forte à nobis, vel aliunde poſterioris ordinationis ad eos venerit, ſe ſine controuerſia recepturum, ac nomen Epiſcopi memorati, inter quieſcentes Epiſcopos recitaturum. Cui rei nos noueris tradidiſſe manus, frater chariſſimè, & eos in noſtra viſcera recepiſſe. Ne diu mem-

bra quæ requiſierant ſanitatem, ab vnitate corporis haberentur aliena, &c.

De Attico autem Conſtantinopolitano idem reſpondet Maximiano, ſe mirari, quod pro eius communione interceſſerit. Communio enim, inquit, ſuſpenſa reſtituitur demonſtranti cauſas, quibus id acciderat, iam eſſe deterſas, & profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos Atticus, miſſis aliquibus ſuorum, vel dicere voluit, vel demonſtrare completum: quemadmodum Antiochenæ Eccleſiæ frater, & Coepiſcopus noſter Alexander, digna legatione proſecutus eſt, & probauit, &c. vniuerſa quæ apud Antiochiam fieri debuerint, fuiſſe completa. Quorum amplexati pacem, vtique fidem fecimus, & magno tramite eandem, quam præſtolaris, oſtendimus: ſi modo, quæ diſcuſſa ſunt, & complera ab alijs, etiam ipſi pro ſuo loco feciſſe, vel compleuiſſe aliquando monſtrauerint, communionemque, vt iſti, legatione ſolenniter deſtiuata, ſibi rogauerint redhiberi. Expectamus ergo & profeſſionem memorati, de completis omnibus conditionibus, quas diuerſis temporibus ediximus, & petitionem communionis, vt rectè & petenti, & probanti ſe eandem mereri, reddamus frater chariſſimè, &c. Hæc Innocentius. Qui etiam ad Atticum Beroæ Epiſcopum reconciliari petentem, præſcribit conditiones, quibus impletis, recipi incommunionem poſſit.

Vides ignorantiſſimè, & impudentiſſimè, quàm nuper Romana Eccleſia abſque vlla controuerſia primatum obtinuerit ſuper ſuper omnes totius orbis Eccleſias? Nam hæc ante annos vndecies centenos geſta ſunt.

CAP. XIII.

Ex Acatij Conſtantinopolitani Antiſtitis ſub Simplicio Romano Pontifice excitata tragædia idem euidentiſſimè demonſtrare.

Oſtenditur ipſa rei euidentia, neceſſitas authoritatis, & ſingularis prærogatiua ſedis apoſtolicæ atque eius præſidis.

QVod ſupta ex ipſa primum ratione ſocietatis eccleſiaſticæ demonſtratum eſt eſſe neceſſarium, quod confirmatum ex vmbra & figura tabernaculi veteris, quod inſuper diligentiſſimè ordinatum ac inſtitutum demonſtrauimus à Chriſto, videlicet vt ſub vno præſide, & monarcha gubernaretur vniuerſa Chriſti Eccleſia, in qua tanta illi eſſet authoritas, qua ordines omnes inferiores, eccleſiamque vniuerſam, in vnitate & officio continere, & in finem ſuum dirigere poſſet, ipſa nunc rei euidentia comprobare incepimus. Quo enim pacto inter illos turbines, & procellas, ſub quibus omnes aliquando omnium ſedium antiſtites hæretica peruaſit contagio, tota penè ab imis vſque fundamentis quaſſata, concuſſaque ab hæreticis orthodoxa ſubſiſtere potuiſſet Eccleſia, niſi fundata fuiſſet ſuper illam petram, ſingulari Dei beneficio immobilem, quæ terrarum orbe reluctante (vt illius Chryſoſtomi verbis dicam) adamantis naturam infirmitate ſuperaret? Quæ Apoſtolicæ illius traditionis (quam ſucceſſione tantum epiſcoporum continua, non autem ſcripto nos accepiſſe ſupra demonſtratum eſt) peruenire ad nos potuiſſet ſynceritas, alias Eccleſias vniuerſas toties occupantibus hæreticis Epiſcopis? Qui ordo, quæ facies, quis vigor eccleſiaſticæ hierarchiæ, inter illos Epiſcoporum toto orbe, ſine modo aduerſus ſeſe tumultuantium conflictus? inter illas improborum ambitiones, omnibus ſibi paſſim vendicantibus omnia, niſi vna hęc ſedes Apoſtolica conſeruata fuiſſent ſingulari illo, quod ſupra adſtruximus, priuilegio? Cuius, vt ſemper permanſit fides integra ad confirmandos toto orbe Chriſtifideles in fide: ita viguit authoritas ad omnem altitudinem ſeſe extollentem aduerſus orthodoxam fidem, aduerſus apoſtolicos, eccleſiaſticoſque canones deijciendam. Quæ quàm fuerit vehemens, & efficax in orbem vniuerſum, nonaginta illi totius pene Orientis Epiſcopi, quos aduerſus Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, cæteroſque quos audiſti ſuperius orthodoxos Epiſcopos conſpirantes coercuit vnus Iulius. Nec minus Dioſcorus Alexandrinus antiſtes, vna cum tot ſecum congregatis in II. illa Epheſina vniuerſali ſynodo Epiſcopis, quos non rectè incedentes ad veritatem euangelij vnius Leonis compeſcuit authoritas, Anatolius quoque Conſtantinopolitanus, Anthemius Trapezuntinus Conſtantinopolitanæ ſedis vſurpator, Petrus Antiochenus (quos ſedibus illis deturbauit Agapetus) Atticus præterea, & Alexander, earundem ſedium antiſtites, quos humiliauit, & reſipiſcere coegit Innocentius, alijque quàm plurimi, quos poſt audies, documento ſunt, & euidenti teſtimonio.

Simplicij Romani Pontificis haud eſt ignota hiſtoria, vt in Timotheum Alexandrinum ſectatorem Dioſcori, qui trucidato per hæreticos B. Proterio, quem in eiuſdem Dioſcori locum ordinauerat Chalcedonen. Synodus, & confirmauerat Beatiſſimi Leonis authoritas, Alexandrinam inuaſerat Eccleſiam & Petrum eius Diaconum, anathematis protulerit ſententiam. Inſtantibus altero Timotheo, qui ab orthodoxis canonicè electus erat ſucceſſor Proterio, & Acatio Conſtantinopolitano, cui vices ſuas per Orientem commiſerat. Quibus damnatis, & per Leonem Imperatorem Apoſtolicæ ſedis ſententiæ executorem relegatis, cum poſt mortuo eodem, & Baſiliſco inuadente Imperium, per occaſionem turbatæ reipublicæ, illi reuerſi ab exilio Alexandrinam rurſus inuaſiſſent Eccleſiam, expulſo inde Timotheo orthodoxo, & legitimo Epiſcopo, haud longè poſt ſublatus eſt Timotheus ille inuaſor hæreticus, & Petrus eius Diaconus, & impietatis ſocius inuadit Eccleſiam, At Zenone mox recuperante legitimum Imperium, & ordinata repub. deturbato illo Petro è ſede, quam contra ius & fas occupauerat, in eandem reſtitutus eſt Timotheus ille orthodoxus, & legitimus Epiſcopus. Huic hiſtoriæ teſtimonium perhibet præfati Acatij Conſtantinopolitani ad Simplicium epiſtola quam ſcribit in hæc verba:

Leo Imperator velut ſententiæ apoſtolicæ ſedis exequutor, relegat damnatos.

Sollicitudinem omnium Eccleſiarum circumferentes, nos indeſinenter hortamini, quamuis ſponte vigilantes & præcurrentes.

ſed

ſed vos diuino zelo ſollicitos demonſtratis, ſtarum Alexandrinæ Eccleſiæ certius requirentes, vt pro paternis canooibus ſuſcipiatis laborem, pijſſimo ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper cſt approbatum. Sed Chriſtus Deus noſter, qui diligentibus ſe in bonum cooperatur, noſtris cogitationibus inſidens, & vnam nobis in his mentem, & eandem gloriam eſſe cognoſcens, omnem victoriam ipſe perfecit, conſortes nos cum tranquilliſſimo Principe faciens. Et Timotheum quidem deceſſoreoı ſpirantem procellas, & eccleſiasticam tranquillitatem (ſicut apparuit) cooturbantem, vitæ ſubtraxit humanæ, dicens ei: Tace & obmuteſce. Petrum quoque, qui ab Alexandria more ſimilis procellæ ſurrexerat, diſſipauit, atque in æternam fugam Sancto Spiritu flante conuertit vnum ex his, qui olim damnati fuerant, &c. Qui Petrus, noctis exiſtens filius, & operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium ſuum congruas peragendum inueniens, media nocte, adhuc iacente cadauere illius, qui paternos canones ſubuerterat, inſepulto, ſubripuit in ſedem, & epiſcopalem cathedram temerarius vaſtator inuaſit vno & ſolo præſente & eo, qui conſors illius inſiſtebat inſaniæ, qui nuſquam penitus poſtea compatuit. Timotheus autem, qui Dauidicæ manſuetudinis exemplo ſubditur, & vſque in finem patiens, poteſtati propriæ reſtitutus à Chriſto, propriæ ſedis honore lætatur, &c. Hæc ille Acatius præfatæ hiſtoriæ euidens teſtimonium perhibens. Quę etiam magis confirmabitur ex ſequentibus vniuerſis.

Sed cum idem Acatius delegata ſibi in illis regionibus authoritate ſedis apoſtolicæ aliquanto poſt abuti inciperet ad ſuam ſtabiliendam tyrannidem, multorum magnorumque deinceps motuum, derturbationumque anthor fuit in Eccleſia.

Siquidem mortuo deinde illo Timotheo Alexandrino Epiſcopo ſucceſſore Beati Proterij, cum orthodoxus populus in eius locum Ioannem elegiſſet Epiſcopum, contra quantum potuit, reſtitit Acatius, qui Zenonem ſuis artibus iam ſibi deuinxerat, & illum nuper damnatum apoſtolicæ ſedis authoritate Petrum, iamdudum reuocari curauerat ab exilio, quem Imperiali fauore omnibus modis reducere ſtudebat in Alexandrinam, qnam nuper inuaſerat, Eccleſiam, credulo nimis Imperatori perſuadens, oon rectè nuper damnatum à ſęde apoſtolica.

Imperator Zeno ſconfirmationẽ Ioanois electi Alexandrini apud Simplicium fruſtra impedire conatus eſt.

Itaqne cum pro confirmatione à ſede apoſtolica obtinenda mitteret Ioannes electus ab otthodoxo populo, ſuæ eiectionis ſynodicam ad Simplicium, ſimul ſuperuenit Vrbanus Subadiuua, ſacra principis ad Simplicium deferens, vt ab Epiſcopi illius ſe confirmatione ſuſpenderet.

Sed quia etiam de reſtituendo Petro in eiſdem literis facta eſt mentio, nihil cunctatus Pontiſex, canonicam Ioannis Epiſcopi electiooem ſine mora confirmauit, nec ob imperialem gratiam quicquam de ſuo faſtigio deflexit authoritas Pontificia. Vnde offenſus quidem eſt Imperator, incentore illo Acatio: attamen imperiali illa indignatione nihil obſtante, Ioannes ille electus & confirmatus à ſede apoſtolica, Alexandrinam obtinuit Eccleſiam, & in eadem multis annis pręſedit.

Mortuo deinde Simplicio, Felix ſecundus, eius in apoſtolica ſede ſucceſſor, etiam in Acatium damnationis protulit ſententiam quod damnato illi apoſtolica authoritate Petro, cuius idem ipſe procurator fuerat, abſque eiuſdem ſedis communicauerat iudicio.

Sed cum Zeno Imperator apud Felicem pro eodem inſtantiſſimè ioterccederet, fidem ei faciens, illum pœnitere, & in eius futurum arbirrio, victus Imperatoris precibus Meſſenum & Viralem eo tranſmiſit Epiſcopos vt cognita illius congrua ſarisfactione & pœnitentia, eccleſiaſticæ eum communioni reſtituerent, & damnatum olim Petrum prorſus abijcerent & expellerent ab Eccleſia. Qui profecti, & Heracleam ingreſsi, nihil egere ex Pontificis ſeurentia: ſed partim adducti metu, partim corrupti muneribus, damnatis excommunicatiſque à ſede apoſtolica communicarunt. Quaptopter etiam aduerſus hos merito indignatus, ipſos quoque vt præuaricatores & ſimoniacos de eccleſiaſtico gradu deiecit, & ſuſpeodit à communione fidelium.

Corrupti legati damnatis communicant. Damnati etiam legati, vt præuaricatores, & ſimoniaci.

Horum ita geſtorum, ſi hiſtoriæ non ſatis credis, fidem indubiam facit, eiuſdem Felicis ad Acatium epiſtola, damnationis eius ſententiam continens, in hæc verba.

Felix Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ catholicæ Vrbis Romæ Acatio.

Multarum tranſgreſſionum repetirls obnoxius, & in venerabilis Concilij Niceni contumelia ſæpe verſatus alienarum tibi prouinciarum iura temerariè vendicaſti, hæreticos, & peruerſores, & ab hæreticis ordinatos, quos ipſe damnaueras, atque ab apoſtolica ſede petiſti damoari, non modo communioni tuæ recipiendos putaſti, verum etiam alijs Eccleſijs (quod nec de catholicis fieri poterat) præſidere feciſti, atque etiam honoribus, quos non merebantur, auxiſti. Teſtantur hoc Ioannes, quem a Catholicis Apameæ non receptum, pulſumque de Antiochia, Tyrijs præfeciſti, & Humerins, tune de diaconio eiectus, atque Chriſtiani nomiuis appellatiooe priuatns, a te etiam in presbyterij prouectus officium. Et quaſi hæc minora tibi viderentur, in ipſam doctriuæ Apoſtollicæ veriteratem auſus tuos, & ſuperbiam tetédiſti, vt Petrus (quem damnatum à ſanctæ memoriæ daceſſore meo ipſe retuleras, ſicut teſtantur annexa) Beati Euangeliſtæ ſedem, te iubente rurſus inuaderet, & fugatis orthoxis Epiſcopis, & clericis ſui procul dubio ſimiles ordinaret: pulſoque eo qui fuerat regulariter conſtirutus, captiuam teneret Eccleſiam. Cuius tibi adeo grata perſona eſt, & acceprum miniſterium, vt Epiſcopos, & Clericos plurimos orthodoxos, tunc Conſtantinopolim venientes detegaris affixiſſe, & apocriſario eius fauere, atque anathematizantem eundem Petrum Calcedoneñ. decreta Concilij, & violantem ſanctæ memorię Timothei ſepulturam, ſicut ad nos certiores quoque nuncij pertulerunt, per Meſſenum, & Viralem crederes excuſandum: nec eum laudare deſineres, & multis efferre præconijs, ita vt damnationem ipſius quam ante retuletas, veram non fuiſſe iactares.

Digitized by Google

ſtares. Tantum autem perſeueras in hominis damnatione peruerſi, vt quondam Epiſcopos, nunc vero honore, & communione priuatos Vitalem atque Meſſenum, quos ad eius expulſionem ſpecialiter miſeramus ſublatos, cuſtodiæ paſſus fueris mancipari, atque ad proceſſionem, quæ tibi cum hæreticis habebatur exinde productos, ſicut eorum profeſſionibus patefactum eſt, ad hæreticorum tuamque communionem (contempta quæ vel gentium iure ſeruari debet, legatione) pertraheres, præmijſque corrumperes, & in læſionem Beati Petri Apoſtoli, à cuius Sedi profecti fuerant, non ſolum inefficaces redire faceres, ſed etiam impugnatores omnium quæ fuerant mandata monſtrares; in quorum deceptione tuam nequitiam prodidiſti. Et libello fratris, & coepiſcopi mei Ioannis (qui te grauiſſimis obiectionibus impetiuit) apud Apoſtolicam Sedē ſecundum canones reſpondere diffidens obiecta firmaſti, &c. Eos quoque literis recum communicare teſtatus, quos conſtat eſſe hæreticos. Quid enim ſunt aliud qui poſt obitum ſanctæ memoriæ Timothei ad Alexandrinam Eccleſiam ſub Petro redeunt, niſi quod Petrus ab vniuerſa Eccleſia, atque à te fuerat iudicatus? Habe ergo cum his quos libenter amplecteris portionem, & ſententia præſenti, quam per tuæ tibi direximus eccleſiæ defenſorem, Sacerdotali honore, & communione catholica, nec nō etiam à fideliū numero ſegregatus, ſublatū tibi nomen, & munus miniſterij ſacerdotalis agnoſce, ſpiritus ſancti iudicio, & Apoſtolica per nos authoritate damnatus, nec iam anathematis vinculis eruendus. Hæc ille Felix.

Vis intenta legatis ſedis Apoſtolicæ.

Nota etiam eo ſæculo Eccleſiarū principaliū Orientis defenſores de ſuiſſe morati apud ſedē Apoſtolicā.

Audiuiſti hæc, rerum Eccleſiaſticarum omnium ignorantiſſime, qui non erubeſcis dicere, non ita nuper, atque adeo à recenti hominum memoria, Romanam Sedem ſuper alias ſe extuliſſe Eccleſias, cui repugnet primitiuæ Eccleſiæ exemplum, omniſque antiqua hiſtoria? Iam enim quoties audiſti ritum, & formam Eccleſiaſticæ hierarchiæ in illa primitiua Eccleſia? Quales hiſtorias? non hercle confictas à Romanæ curiæ palponibus, vt tu impudentiſſime loqueris, ſed certiſſimæ fidei, etiam eorum ipſorum inter quos, aut à quibus geſtæ ſunt, comprobatas teſtimonio, & epiſtolis. Neque ſcriptas nuper, aut noſtro ſeculo, vt de illis duret memoria hominum, ſed ante mille vndecies, duodecies, centenos annos: euidentiſſime demonſtrantes, liberiorem fuiſſe eo ſeculo, efficacioremque authoritatem Romanorum Pontificum in totius orbis etiam longiſſime poſitas Eccleſias: in ipſas ſedes principales, Alexandrinam, Antiochenam, & Conſtantipolitanam, earumq; antiſtites, quam nunc in vnum hunc noſtræ Chriſtianitatis angulum, imo, quam in vnam domeſticam Italiam: labeſcente nimirum vna cum religione, & fide, Pontificiæ Maieſtatis, eccleſiaſticæque diſciplinæ vigore. Imo labaſcente religione ob vigorem eccleſiaſticæ hierarchiæ diſſolutum. Neque enim aliunde hæreſes, & ſchiſmata, & quicquid nunc malorum inundaſſe in Eccleſiam videmus, ortum habuerunt, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus ad tempus in Eccleſia Sacerdos, iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſecundum myſteria diuina ob temperaret fraternitas vniuerſa, vt beatiſſimi Cypriani veriſſimis verbis vtar. At vtinam hoc noſtro ſeculo vigeret in Eccleſia Chriſti, eiuſque hierarchia ritus ille, exemplumque primitiuæ Eccleſiæ, & noſtris his lucubrationibus locus non fuiſset. Sed nunc tanto ſeipſa inferior eſt Romani Pontificis dignitas eccleſiaſticaque authoritas, quanto nunc minor eſt, & ſeipſa deterior Eccleſia. Sed vt reuertamur vnde ſumus digreſſi, inchoatamque proſequamur tragædiam, cuius exitus luculentiſſime demonſtrabit, & quanta fuerit ab initio, & quam vniuerſæ Eccleſiæ neceſſaria, huius ſedis authoritas.

Cum iam ille Acatius à Felice Romano Pontifice, vna cum illo Petro Alexandrino parem in ſe accepiſſet damnationis ſententiam, proceſſit illorum pertinax conſpiratio, & peiora grauioraque ſemper moliti, Imperatorem etiam Anaſtaſium, qui ſucceſſit Zenoni ſuis ſibi artibus deuinxerunt, & in ſuam pertraxere perfidiam. Cuius fulti ſubleuatique authoritate, & gratia, coacto aliquot Epiſcoporum ſecum conſentientium Concilio, Apoſtolicæ Sedis in ſe ſententiam retractari procurauerunt. Petrum autem prædictum, tanquam non recte pridem damnatum reſtituendum, reducendumque in Alexandrinam Eccleſiam, deturbato inde Ioanne præfato orthodoxo, & legitimo Epiſcopo. Kalendionem etiam Antiochenum Epiſcopum, quod Apoſtolicæ Sedis authoritatem ſecutus, eis communicare nolebat, è ſua eiecerunt Eccleſia, ſubſtituto in eius locum, altero quodam Petro hæretico, & alia præterea flagitia, & ſacrilegia patrarunt innumera, aduerſus orthodoxos per vniuerſas Orientis Eccleſias, omnes illas principales Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, & Conſtantinopolitanam, ſua peruadentes occupanteſque impietate, ac tyrannide.

Aduerſus hos Gelaſius Sanctus, & Doctiſſimus Pontifex illius Felicis ſucceſſor conſtanter agens, & illos perfidos Apoſtolicæ ſedis authoritate cōfidentiſſime perſecutus eſt, & orthodoxorum ſe aſylum, & perfugium præbuit, præfatum Ioannem Alexandrinum Epiſcopum, & alios pleroſque ab illis diuexatos, & ſuis ſpoliatos Eccleſijs, benigne liberaliterque excipiens fouens, ac protegens, nec minis cedens, aut Imperatorum, aut Græcorum omnium, qui à Romanæ Eccleſiæ ſubtracturos ſe minitabantur obedientia. Et ſunt, qui ſcribant ab eodem excommunicatum etiam Imperatorem Anaſtaſium, quod impijs illis apoſtolicæque ſedis iudicio damnatis communicaret, & fauorem auxiliumque impenderet. Sed his contradicit eiuſdem ipſius Gelaſij ad Fauſtum magiſtrum, apud Conſtantinopolim fungentem legationis officio, Epiſtola. Ex qua conſtat, ita quidem delatum tunc fuiſſe Imperatori à damnamnatis alijs, tamen perſonæ eius habitam fuiſſe reuerentiam. Attamen ſuo ſe facto damnaturum, ſi damnatis illis communicare pergeret. Scribit autem in hæc verba:

Gelaſius Rom. Pont. Felicis ſucceſſor aduerſus prædictos conſtanter tuetur authoritatē Sedis Apoſtolicæ.

Ego quoque, inquit, mente percepi Græcos in ſua obſtinatione manſuros, ne cui velut inſperatum videri poſſit, quod eſt ante præcognitum, &c. Quid ſibi vult autem quod dixe-

dixerit Imperator, à nobis ſe in religione damnatum? Cum ſuper bac parte, & prædeceſſor meus, non ſolum minime nomen eius attigerit, ſed inſuper, quando principatum adeptus regiæ poteſtatis exercuit, in eius ſe reſcripſit imperij promotione gaudere, & ego nulla ipſius vnquam ſcripta percipieus, honorificis noſtris cum literis ſalutare curauerim. Prædeceſſores mei ſacerdotes, qui præuaricatoribus ſe communicaſſe, propria voce confeſſi ſunt, à communione eos apoſtolica ſubmouerunt. Si autem illi placet ſe miſcere damnatis, nobis non poteſt imputari, ſi cum eis vellit abſcedere. Imo tanto magis à nobis non poteſt dici damnatus, ſed potius ad gratiam ſincere communioni admiſſus, &c.

Deinde iniquam refellens Græcorum poſtulationem, qua abſolui ſeltem petebant Acatium in excõmunicatione huius ſedis mortuum: Legatur, inquir ex quo eſt religio Chriſtiana, vel certe detur exemplum in Eccleſia Dei à quibuslibet Pontificibus, aut ab ipſis Apoſtolis, ab ipſo denique Saluatore, veniam non ſe corrigentibus fuiſſe conceſſam. Auditum autem ſub cœlo nec legitur, nec dicitur quod iſtorum voce depromituri: Date nobis veniam, vt tamen nos in errore duremus. Oſtendant, qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua ſcriptura, quòve documento, ſiue à maioribus noſtris, ſiue ab ipſis Apoſtolis, quos potiores merito fuiſſe non dubium eſt, ſeu ab ipſo Domino Saluatore, qui iudicaturus creditur viuos, & mortuos, ſiue factum eſſe vnquam, ſeu mandatum vt fieret, oſtenditur. Mortuos ſuſcitaſſe non legimus. Et qui boc certa faciendi ſolus habuit poteſtatem, Beato Petro principaliter mandat Apoſtolo: Que ligaueris ſuper terram, ligata erunt & in cœlo, & quæ ſolueris ſuper terram, ſoluta erunt, in cœlo. Super terram, inquit, nam in hac ligatione defunctum, nũquam dicit abſolui. Quod ergo nunquam factum eſt, vel cogitatione percipere formidamus, ſcientes in diuino indicio non poſſe penitus excuſari. Si autem (quod nunc prætendunt) à Romana Eccleſia ſe diuiſuri ſunt (quod iamdudũ feciſſe mouſtrantur) minus miror, ſi ignorautiam ſuam ipſe nõ perſpicit qui dicit Acatium ab vno non potuiſſe damnari. Ita ne perſpicit, ſecundum formam Chalcedonenſis Synodi damnatum Acatium, &c.

Summum in Eccleſia tribunal, quod de omnibus iudicans nullius quam Dei iudicio ſubdit.

... Nobis opponunt canones, dum neſciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod primæ ſedi ſana rectaque iubenti parere refugiunt. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius ſedis examen voluere deferri, ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere ſanciuerunt, ac per hoc illam de tota Eccleſia iudicare, ipſam vero ad nullius conuenire iudicium: nec de eius iudicio vnquam iudicare præceperunt, ſed ſententiam ab illa conſtitutam non oportere diſſolui, cuius potius decreta omnibus ſequenda mandarunt. In hac ipſa cauſa Timotheus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, alter Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, non ſolum vnus, ſed plures nomen Sacerdotij preferentes ſola Sedis Apoſtolicæ ſunt authoritate deiecti. Cuius rei teſtis docetur etiam ipſe Acatius, qui præceptionis huius extitit executor. Quod vtique ſicut Apoſtolicam Sedem iuxta formam Sydonicam feciſſe manifeſtum eſt, ſic neminem reſultare potuiſſe certiſſimum. Hoc igitur modo recidens in conſortium damnatorum, damnatus eſt Acatius, qui eorum damnationem priuſquam præuaricator exiſteret, fuerat executus. Nobis auſi ſunt facere canonum mentionem, contra quos ſemper illicitis ambitionibus veniſſe monſtrantur? Qua in Synodo vel ſecundum cuius ſynodi formam Alexandrinum Ioannem de Eccleſia cui ordinatus fuerat, expulerunt, &c.

Quod ſi dicunt, Imperator hoc fecit, quibus canonibus, quibus regulis hoc actum eſt? Cur huic tam prauo facto conſenſit Acatius? cum authoritas dicat diuina, non ſolum qui faciunt praua reos eſſe, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Quibus canonibus, quibusve regulis Kalendion excluſus eſt, vel primi vrbium diuerſarum Catholici Sacerdotes? Qua traditione maiorum Apoſtolicam Sedem in iudicium vocant? An ſecundæ Sedis Antiſtites, & tertiæ, cæterique bene ſibi conſcij Sacerdotes depelli debuerunt: & qui religionis extitit inimicus depelli non debuit? Videriut ergo ſi alios canones, quibus ineptias ſuas exequantur, cæterum iſti qui ſacri, qui eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur, ſolam Sedem Apoſtolicam ad iudicium vocari non ſinunt, & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ (quæ vtique ſecundum canones inter ſedes nullum nomen accepit) Epiſcopus in communionem recidens perfidorũ non debuit ſubmoueri, &c. Sed religioſi ſcilicet viri, atque perfecti ſecundum canones conceſſam Apoſtolicæ Sedi poteſtatem conantur eripere, & ſibimet eam contra canones vſurpare contendunt. O canonum magiſtros atque cuſtodes, &c. Hæc ille Gelaſius. Qui & in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, iuſtiſſimam oſtendens Apoſtolicæ Sedis in Acatium damnationis ſententiam, & de Sacerdotali Pontificiaq; dignitate exordiens, cui debeant etiam ipſi Reges, & Imperatores ſe humiliter ſubmittere.

Sacri canones ſolam Sedem Apoſtolicam ad iudicium vocari non ſinunt.

Etſi, inquit, cunctis generaliter Sacerdotibus, recte diuina tractantibus, fidelium conuenit corda ſubmitti: quanto potius ſedis illius præſuli conſenſus eſt adhibendus quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequens Eccleſiæ generalis iugiter pietas celebrauit? vbi pietas tua euidenter aduertit nunquam, quolibet humano conſilio, ſuper eleuare ſe quemquam poſſe illius priuilegio, quem Chriſti vox prætulit vniuerſis. Cuius Eccleſia veneranda, ſemper confeſſa eſt, & obſeruat deuota primatum. Impeti vero poſſunt humanis præſumptionibus quæ diuino ſunt iudicio conſtituta. Vinci autem quorumlibet poteſtate non poſſunt, &c. Hæc in epiſtola ad Anaſtaſiũ.

Impeti poſſe conſtituta diuino iudicio, ſed vinci non poſſe.

Ad Dardaniæ vero Epiſcopos eadem de cauſa nempe de iuſta Apoſtolicæ ſedis in Acatium damnationis ſententia iniuſtoque & irrationabili Orientalium eccleſiarum ſchiſmate ſcribit in verba poſt præmiſſa nonnulla:

Retulit dilectio veſtra iactare aduerſarios, ideo Acatium non putare iure damnatum, quod non ſpeciali Synodo videatur fuiſſe deiectus, præcipue Pontificem Regiæ ciuitatis, &c.

Remo-

Digitized by Google

Remouēs autem hanc illorum cauillationem, multis primum demonſtrat exemplis, in vnaquaq; hæreſi omnes complices, ſectatores, & cōmunicatores damnatæ ſemel prauitatis pari ſorte cenſeri, & ipſa principali damnationis obſtringi ſententia, eiuſq; exequendi precipuā curam pertinere authoritatem, & officium Sedis Apoſtolicæ. Quæ, inquit, vnamquanque ſynodum ſua authoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit, pro ſuo videlicet principatu, quem Beatus Petrus Domini voce perceptum tota Chriſti Eccleſia conſentiente, & retinuit ſemper, & retinet, &c. Ideo autem iuſte damnatum Acatium, quod proprijs literis confeſſus fuerat ſe Petri illius Alexandrini, quem experita ſedis apoſtolicæ authoritate executor ipſe quoque damnauerat, ſe communione permixtum. Damnati ſiquidem erroris communicator effectus præſcriptæ etiam damnationis particeps extitit. Quoniā error qui ſemel cum ſuo authore damnatus eſt, in participe quolibet prauæ communionis, effectum & execrationem ſui geſtat & pœnam. Quo tenore Timotheus etiam, atque ipſe Alexandrinus Petrus, qui ſecundam certe ſedem tenuiſſe videbantur, non repetita ſynodo, ſed authoritate tantummodo ſedis apoſtolicæ, ipſo quoque Acatio poſtulante vel exequente, probantur eſſe damnati, &c.

Vnāquamq; ſynodum cō firmari authoritate ſedis apoſtolicæ.

Nec planè, inquit, tacemus, quod cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam non quorumlibet ſententia Pontificum, ligata à ſede Beati Petri ius habeat reſoluendi, vpote quę de omni Eccleſia ius habeat iudicandi, nec de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mūdi parte canones appellare voluerunt. Ab illa autem nemo appellare permiſſus eſt, &c Sed nec illa præterimus, quod apoſtolica ſedes, ſicut frequenter dictum eſt, more maiorum ſine vlla ſynodo præcedente, ſoluendi quos ſynodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Id quod clariſſimis comprobat euidentiſſimiſque exemplis.

Ligata a ſede apoſtolica non poſſe reſolui ſententia quorumlibet Pontifi cum.

Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium ſynodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum ſedes apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſerat, abſoluit. Nihil minus ſanctæ memorię Ioannem Conſtantinopolitanum, ſynodus etiam catholicorum præſulum damnauerat; quem ſimili modo ſedes apoſtolica ſola, quia non conſenſit, abſoluit. Itemque ſanctum Flauianum Pontificem Græcorum congregatione damnatum, pari tenore ſola apoſtolica ſedes abſoluit, atque eum potius, qui illius damnationis author fuerat, Dioſcorum ſecundæ ſedis præſulem ſua authoritate damnauit, & impiam ſynodum non conſentiendo ſola ſubmouit, ac veritatem curata, vt Chalcedonenſis ſynodus fieret, ſola decreuit, & hoc nimirum pro ſuo illo principatu, quem Beatus Petrus Domini voce perceptum; & tenuit ſemper, & tenebit. Sicut ergo ſola ius habuit abſoluendi eos, quos ſynodica decreta perculerant, ſic etiam ſine ſynodo in eadem cauſa, multos etiam metropolitanos damnaſſe cognoſcitur, &c.

Ridiculum vero eſt, quod prærogatiuam volunt Acatio comparari ex eo, quod Epiſcopus fuerit Ciuitatis Regiæ. Nunquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non conſtitit Imperator? Nunquid harum vrbium Sacerdotes, vltra menſuram ſibi antiquitus deputatam, quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? Certè ſi de dignitate agitur ciuitatum, ſecundæ ſedis, & tertiæ maior eſt dignitas Sacerdotum, quàm eius Ciuitatis, quæ non ſolum inter ſedes principales minimè numeratur, ſed nec inter metropolitanorum iura cenſetur. Nam quod dicitis, Regiæ Ciuitatis Epiſcopum, alia eſt poteſtas regni ſęcularis, alia eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua Ciuitas prærogatiuam præſentis regni non minuit: ſic imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat, &c.

Hæc ſcripſit ille Gelaſius longe ante annos mille, toti orbi rationem reddens, & iuſtiſſimæ damnationis Acatij, complicumque eius, & iniuſtiſſimi ſchiſmatis Orientalium ſedium: quæ ſi perpenderis diligenter, ſi rem ipſam de qua, ſi eos ad quos, & aduerſum quos iſta ſcripſerit, ſi ipſam ſcribendi energiam, libertatem, confidentiam, non ſolum certiſſimam fidem facient eius quam memorauimus hiſtoriæ, ſed Romanorum Pontificum authoritatem, quanta ſuper vniuerſam Eccleſiam eo ſęculo fuerit, euidentiſſime comprobabunt. Nec minus apud te momenti & autoritatis habebunt, quod ſcripta ſunt à Romano Pontifice, cum re ipſa verbis ſuis fidem faciant, euidentiſſimis exemplis & hiſtorijs demonſtrans, cunctam hoc per orbem recognouiſſe Eccleſiam, ligata à ſede Beati Petri, non quorumlibet aliorum Pontificum ſententia ſolui. Illam autem ſoluere etiam à quorumlibet Epiſcoporum ſynodis ligatos, & ligare male abſolutos. Ad illam iuſſiſſe canones appellationes totius Eccleſiæ deferri, ab eius vero iudicio nunquam appellari, vt quod eſt ſacroſanctum, & vltimum, firmum ratumque etiam in cœlis. Illam de tota Eccleſia iudicare, nullius vero quàm Dei ſubiacere iudicio, à quo ſpeciali priuilegio ac prærogatiua conſeruatur, dirigitur, & gubernatur, ita vt ab ea quærentes, ſemper accipiant iudicij veritatem. Quæ vniuerſa, non ſolum vera (quemadmodum ſupra à nobis clariſſimè demonſtratum eſt) ſed etiam adeo notoria eo ſęculo fuiſſe conſtat, vt ad ea comprobanda haud alios teſtes requirat, quàm eos ipſos contra quos ſcribit, eorundem conſcientiam, & totius orbis conſenſum confeſſionemque appellans.

Ex his nota quod fuerit eo ſæculo totius orbis recognitio de authoritate ſedis apoſt.

Quod ipſum etiam clariſſime comprobabit exitus huius quam nunc tractamus tragœdiæ, quem ſi ſpectaueris, videbis vnius Romani Pontificis autoritati, victum conſcientia ſua Orientem, atque adeo orbem ceſſiſſe vniuerſum, atque illi ſua colla ſupplices rurſus ſubdidiſſe, à quo recognouerunt inique ſe ſubtraxiſſe.

Cum itaque in demortui illius, quem ſępe diximus, Acatij locum, Ioannes electus eſſet Epiſcopus, & fruſtra ſæpe laboraſſet apud ſucceſſores Gelaſij, & nouiſſime apud Hormiſdam Romanum Pontificem pro confirmatione ſua obtinenda, hic & literis, & nuncijs paterne illum admonuit, vt anathematizaret

Proſequutio hiſtoriæ

præ-

Digitized by Google

prædeceſſorem ſuum Acatium, vna eum impijs eius actis, & exceſſibus, alioquin illum nec confirmaturus, nec habiturus inter catholicos aut orthodoxos Epiſcopos, Qua in re, aut noluit, aut non eſt auſus parere Ioannes, quamdiu viueret impius ille Imperator Anaſtaſius, hæretico furore ab hæreticis illis ac ſchiſmaticis Orientis imbutus Epiſcopis. Què non ita multo poſt ictum fulmine, manifeſto Dei iudicio pœnas dediſſe publice creditum eſt, tum propter hæreticam qua infectus erat impietatem, tum vel maxime quoniam legatos miſſos ab Hormiſda Pontifice, Enodium Ticinen. Epiſcopum, Fortunatum Catinen. Venantium Vrbis Romæ Presbyterum, & Vitalem Diaconum, non ſolum aduerſus omnem religionem, ſed etiam aduerſus ius gentium nefandiſſime violauerat, & magnis iniurijs contumelijſque affecerat.

Anaſtaſius fulmine ictus perijt.

At mortuo Anaſtaſio, eum Iuſtinns fidei orthodoxæ Zelator, reipublicæ ſuſcepiſſet gubernacula, quo tam impium prædeceſſoris ſui facinus expiaret à republica & imperio, miſſa continuo ad Hormiſdam legatione honorifica, apoſtolicæ ſedis communionem, reuerenter humiliterque expetijt, & debitam ei detulit reuerentiam, & obedientiam. De pace quoque Eccleſiarum, & in primis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Ioanniſq; eius Epiſcopi reconciliatione & confirmatione egit diligentiſſime.

Ad quem cum idem Pontifex viciſſim miſiſſet legatos ſuos Germanum Capuanum Epiſcopum, Ioannem & Blandum vrbis Romæ presbyteros, Fœlicem & Dioſcorum diaconos, præſcripta eius forma qua Conſtantinopolitanam Eccleſiam vna cum Ioanne, ſi reconciliari mererentur, in communionem reciperent, & Ioannem in eadem eccleſia confirmarent. Eoſdem illos, nullo non adhibito honoris genere, & publicæ lætitiæ inſigni, effuſi obuiam honoris gratia, tam illuſtrium virorum, quam monachorum & populi maxima multitudine (qui omnes diutini ſchiſmatis, quod Epiſcoporum ſuorum culpa excitatum fuerat, pertæſi magno reconciliationis deſiderio tenebantur) honorificentiſſime excepit Imperator, congratulante clero vniuerſo, vna cum Ioanne epiſcopo, qui mandata Sedis Apoſtolicæ & legatorum eius omnia, humiliter reuerenterque accepit, & fideliter adimpleuit, profeſſionemque fidei catholicæ & orthodoxæ eccleſiæ, etiam propriæ manus ſubſcriptione confeſſus eſt, etiam dicto in ſe anathemate, ſi ab eadem vnquam recederet aut deuiaret in poſterum, ſub qua in gratiam communionemque recipi, & in ſede Conſtantinopolitana confirmari meruit. Cuius rei fides ex actis quintæ vniuerſalis Synodi Conſtantinopolitanæ ſecundæ, nec minus ex Iuſtini Imperatoris, nec non Ioannis præfati ad Hormiſdam epiſtolis, huius quoque epiſtolis diuerſis, vt ad Ioannem epiſcopum Mileuitanum, ad epiſcopos Hiſpaniæ, ad Epiphanium, ad epiſcopos Beticæ prouinciæ, conſtat clariſſime.

Conſtantinopol Epiſ. & Eccleſ. reconciliatio.

Scripſit autem Iuſtinus ad Hormiſdam in hæc verba: Sacratiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo almæ vrbis Romæ & Patriarchæ, Iuſtinus Imperator. Scias nobis pater religioſiſſime, quod diu ſummis ſtudijs quærebatur pateſactum, etiam antequam aduenirent qui à vobis deſtinati ſunt, quod Ioannes vir beatiſs. antiſtes nouæ Romæ noſter, vna cum clero vobis conſentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis diuiſi diſcordijs. Scias libellum ab eo ſubſcriptum, quem offerendum iudicaueras ſanctiſſimorum Patrum concilio congruentem, quo omnes concurrunt, alacri opera ſuſcipientes vota tam noſtra quam Conſtantinopolitanæ ſedis, quos veritatis coruſcus fulgor illuminat. Omnes accelerant libentiſſime quos delectat via dilucida, vt ſequantur ſcita Patrum ſanctiſſima, leges probatiſſimas, & conſilijs quorundam firmatis qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis, qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, vt vnitatem indiuiduæ Trinitatis ipſi quoque in vnitate colant mentium. Negatum eſt inter diuina myſteria memoriam in poſterum fieri præuaricatoris Acatij, quondam regiæ huius vrbis Epiſcopi, nec non & aliorum ſacerdotum, qui vel primi contra ſtatuta venerunt apoſtolica, vel ſucceſſores erroris facti ſunt, & nulla vſque ad vltimum diem ſunt pœnitentia correcti. Et quoniam omnes noſtræ religionis admonendi ſunt, vt exemplum ſequantur ciuitatis regiæ, deſtinanda vbique principalia præcepta ediximus, &c. Oret igitur veſtræ religionis ſanctitas, vt quod peruigili ſtudio pro concordia eccleſiarum catholicæ fidei procuratur, diuini muneris opitulatio, iugi perpetuitate ſeruare annuat. Datum, &c.

Tenor autem confeſſionis & libelli, de quo in dictis Iuſtini literis fit mentio, qui fuerit iamdudum ex eiuſdem Ioannis ad Hormiſdam epiſtola, quam ſupra capite quinto inſeruimus, intellexiſti: quem etiam idem Hormiſda epiſtolæ ſuæ ad Hiſpaniarum epiſcopos inſeruit, quibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reconciliationem ſignificat, ſimul & formam præſcribit ſecundum quam, vt plurimi Epiſcoporum Illyrici, Thraciæ, Scythiæ, inſuper & Syrię partium reconciliationis gratiam, Apoſtolicæque Sedis communionem impetrauerant, liceret & ipſis eiuſdem Sedis authoritate ad communionem recipere, ſi qui Orientalium à pręfato damnabili ſchiſmate reuertentes eandem ab eis ſupplices peterent.

Habebat autem illa (vt ſupra audiſti) profeſſio, eſſe omnibus neceſſarium ad ſalutem, vt regulam rectę fidei cuſtodire, ita à Patrum traditione nullatenus deuiare. Agnoſcere præterea infallibilem illam Chriſti ſententiam, qua Simonem Ioannis, Cepham conſtituit, hoc eſt, petram, fundamentumque ſuperædificandæ eccleſiæ, aduerſus quam portæ inferi non præualerent, nunquam deficere in eius cathedra & ſucceſſoribus, comprobante hoc rerum euidentia & effectibus. Inuiolabilem ſiquidem fidem catholicam in eadem ſingulari priuilegio ſemper cuſtodiri, & perfectā Chriſtianæ religionis ac fidei integramque ſoliditatem. Proinde vt eandem, veluti ducem & magiſtram orthodoxæ fidei omnes ſequi, ita præceptis decretiſque eius, eidemque præſidentium Pontificum, velut eccleſiaſticæ domus patrumfamilias, omnes qui ad Chriſti ouile & familiam pertinent, obedientiam debere. Cui qui non communicant, non ſubſunt, non vniuntur & cohærent, vt mem-

Ad Eccleſiã catholicam non pertinere, quod nõ ſubſunt ac obediunt eius Paſtori & præſidi.

bra capiti & fundamento ædificium, ad catholicam eccleſiam nõ pertinere, ſed ab eius communione ſequeſtrari. Hæc conſona fidei catholicæ Eccleſiæ, & ſanctiſſimorum Patrum continebat illa profeſſio, ſub qua Ioannes ille epiſcopus, vna cum Conſtantinopolitana Eccleſia, ſuo capiti reconciliari meruit, & catholicæ Eccleſiæ reincorporari.

Vides itaq; ex his omnibus, vt nunquam mergatur nauicula illa Petri, quantumuis agiretur procellis, quantumuis fluctibus obrui videatur: vt portæ inferorum aduerſus illam nunquam præualere potuerint: vt ſemper triumphet eius iudicium, quantumuis omnes mundi poteſtates reluctentur, vt ſemper præualeat eius authoritas. Quæ vt vere affirmat ille Gelaſius, vnamquanque ſynodum confirmat & continua moderatione cuſtodit. Quoties etiam Eccleſiarum principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, aduerſus Chriſtum eius, & aduerſus ſanctiſs. conciliorum orthodoxæ fidei definitionem, authoritatemq; deſtruendam? Aduerſus illud omninm, vt primum, ita ſacratiſſimum Nicenum, nunquid primo Tyrium, deinde Antiochenum, poſtremo Ariminenſe celebertima epiſcoporum concilia celebrata non fuere? Et hæc vniuerſa nunquid vnius Sedis Apoſtolicæ non deiecit authoritas, & Niceni concilij authoritatem aſſeruit? Et nunc vides aduerſus Chalcedonen: ſynodi definitionem vt totus conſpirauerit Oriens, ſed huius Sedis authoritate, eius ſteterit authoritas.

Finis memoratæ hiſtoriæ.

Sed vt reuertamur ad inchoatam tragœdiam, atque ei finem aliquando imponamus. Cum pleræque Orientis Eccleſiæ vt auferrentur ex dipticijs ſacris ſuorum antiſtitum defunctorum nomina, quorum venerabantur memoriam, qui tamen excommunicatorum Acatij, & reliquorum communione neceſſitate quadam polluti fuerant, nulla ratione adduci poſſent, & ob id earundem reconciliatio, & eccleſiarum impediretur vnitas, religioſiſſimus Imperator eccleſiaſticam vnitatem zelãs, miſſis rurſus ad Apoſtolicam Sedem oratoribus ſuis, hanc pro illis veniam deprecatus eſt, petens remitti ſeueritati aliquid, & mollius clementiuſque agi cum illis, ne paruo diſcrimine imperfecta remanerent pacis deſideria, ſed remiſſis conceſſiſque exiguis, maiora, grauioraque corrigerentur. Veniam itaque nominum, inquit, poſtulamus, non Acatij, non vtriuſque Petri, non Dioſcori vel Timothei, quorum vocabula datæ ad nos Sanctitatis Veſtræ literæ continebant, ſed quos in alijs celebrauit ciuitatibus populorum reuerentia, & hoc exceptis vrbibus, vbi Veſtræ Beatitudinis libellus in plenum admiſſus eſt. Niſi hanc quoque partem beneuolentia Veſtra ſtatuerit mitius corrigendam, &c. Et hoc quidem non dnbitaueris ita nobls gratioſum futurum, vt pacifico ſtatim reſponſo lætior mundus reddatur.

Vide quid petat religioſiſs. Imperator à Ro. Pont.

Retineat etiam S. V. quod dudum ſcripſimus, ex Oriente ſupplicationes nobis eſſe deſtinatas, voluntatem eorum & fidei profeſſionem continentes, &c. Hanc itaque chartulam ſecundum noſtra promiſſa, per Ioannẽ Reuerendiſſimum Epiſcopum dirigendam vobis in præſenti merito credidimus, vt à veſtra ſede etiam tenor eius admiſſus, ad colligendas proficiat, & adunandas vbique venerabiles Eccleſias, & Hieroſolymitanam præcipuè, cui tantum omnes fauorem impendunt, quaſi matri Chriſtiani nominis, vt nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere. Conſenſum itaque proprium Tuæ S. epiſtolari quoque pagina conuenit declarare, vt cognito atque patefacto quod tenor eiuſdem chartulæ à vobis quoque probetur, & tenaciter cuſtodiatur, lætior mundus exiſtat, &c. Hæc ille Iuſtinus Religioſiſs. Imperator.

Mittendę autem illius chartulę aut libelli profeſſionis fidei, ab vniuerſo Clero Antiocheno, vtriuſque Syriæ, & Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, cauſam dedit eiuſdem Hormiſdæ ad Epiphanium Conſtantinopolitanum antiſtitem, præfati Ioannis ſucceſſorem, vere orthoxum, & ſanctum Epiſcopum, cui & apoſtolicæ ſedis per Orientem vices authoritatemque commiſerat, epiſtola. In qua de eorundem & præſertim Hieroſolymorum reconcillatione agens: Hoc quoque inquit, æſtimauimus ſalutis eorum cauſa competenter addendum, vt ſi communionis apoſtolicæ ſe dederint vnitati, profeſſionem ſuam ſcripto indicent, quam Legatis noſtris apud Conſtantinopolin poſitis offerant, aut per ſuos ad nos dirigant, aut fraternitati veſtræ tradant, eodem tamen, vt diximus, tenore conſcriptam, quæ ad nos modis omnibus ſub noſtra ordinatione deferatur. De Theſſalonicen. quoque quorum ad nos legati per clementiſs. & fideliſs. Principis filij noſtri ordinationem venerunt, ne quid omiſiſſe credantnr, noſſe vos volumus ſecundum hoc quod Domino noſtro Ieſu Chriſto inſpirante placuerit, omnem cauſam noſtra diſpoſitione tractanda, & ſicut oportet impleri ordinandam, &c. Hæc ille Hormiſda ad Epiphanium.

Concluſio ex prædicta hiſtoria.

Ex his omnibus, quæ ante annos mille & ſcripta, & geſta ſunt, clariſſime intelliges Chriſtiane lector, non ſolum quanta fuerit, quàm à toto orbe recognita, illa primitiua Eccleſia, ſed etiam, quàm neceſſaria huius ſedis authoritas: vtque ſine ea nihil in Eccleſia permanſiſſet ſyncerum, nihil integrum. Per eam vero eccleſiaſticę hierarchiæ diſciplinæque vigor, orthodoxæque fidei integritas, ac ſynceritas ſemper perſtiterint. Quam rigide, quàm diſtricte pro eccleſiaſtica diſciplina, & ſynceritate catholicæ fidei conſeruanda, exacta eo ſæculo ab apoſtolica ſede, apoſtolica illa ſententia: Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita, adeo, vt quia eiuſmodi aut verbo aut ſcripto communicauerat Acatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, apoſtolicæ ſedis in ſe damnationem excepit, & excommunicationis innodatus eſt vinculo. Cui quotquot communicauerunt quaſi per neceſſitatem imperialis etiam authoritatis, tanquam in eandem incidentes ſententiam, vides quanto labore, quàm diligenti ſatisfactione vt reconciliari potuerint, impetrare debuerunt. At nunc vbi ille eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor? vbi ea canonum reuerentia, quando diuina, humana, ſacra, prophana, commixta ſunt omnia: vbi nunc illi ſyncere orthodoxi? quis nunc hæreticorum communione ſe pollui exiſtimat?

Eccleſiaſticę diſciplinæ quam nunc diſſolutus vigor.

Quis nunc curioſe deuitat Lutheranos, Sacramentarios, Anabaptiſtas, & id genus

por-

portenta, ſæuiores vtique & magis noxias peſtes, quàm olim omnes Arrij, Macedonij, Apollinares, Neſtorij, Dioſcori, Euticetes, atque id genus eiuſmodi? Ab hæretico epiſtolam ſuſcepiſſe, tunc erat communicare hęreſi, & nunc quis hoc vitio ducit? Eraſmus ille Roterodamus, qui ſe inſigniter pium, & orthodoxum videri & ab omnibus haberi voluit, adeo non diffitetur ſe ſcripto communicaſſe Luthero, vt in nouiſſima editione epiſtolarum ſuarum, quam fecit anno ab hinc ſexto, epiſtolam ad ſe Lutheri amantiſſimam & ſuam illius reſponſiuam, aperta fronte, & ingenue inſeruerit, qua & illum fratrem ſuum appellat in Chriſto chariſſimum, & ſibi gratiſſimam eius teſtatur fuiſſe epiſtolam, probat eius ſtudium, currenti calcar addit, aduerſantes illi, matæologos, furioſos & lymphaticos facit. Optimos autem quoſque deſcriptis eius optimè ſentire prædicat. Et ad Oecolampadium, alteram peſtem, ſcribit Lutheri libros amici cuiuſdam ſui opera & ſtudio diligenti, in Britannia ſeruatos ab incendio. Has inquam epiſtolas Eraſmum nihil puduit, poſt apertam, & omnibus notoriam apoſtolicæ ſedis in illis damnationis ſententiam, omnium orthodoxorum comprobatam calculis, denuo inter ſuas edere vt legerentur a præſentibus & poſteris.

Eraſmus Rote. aperte communicans hęreticis damnatiſq. à ſede apoſtolica.

Aut igitur neceſſe eſt horum ſit nimis impudens impietas, aut illius primitiuæ, & vere orthodoxæ Eccleſiæ, non ſolum ſuperuacua, ſed etiam ſtulta fuerit in vitandis hæreticis, irrationabiliſque diſtrictio ac diligentia, & iniuſta in communicantes eiſdem cenſura eccleſiaſtica. Viſa eſt Orientalium pleriſque Epiſcopis nimis ſeuera atque adeo iniqua apoſtolicæ ſedis in Acatium damnationis ſententia. Non quòd hæreticorum cōmunione pollutum vindicare vellent à cenſura eccleſiaſtica, ſed quod negabant eum cōmunicaſſe hæreticis, cum tamen ob eam præcipuè cauſam damnatus videretur. Qui tametſi Alexandrino Petro ſe communicaſſe ipſe confeſſus fuerat, illum tamen pernegabant hæreticum. A Petri autem Antiocheni communione, quod apertè eſſet Euticianæ hæreſis aſſertor, conſtanter ad mortem vſque ipſum abſtinuiſſe. Quibus reſpondens B. Gelaſius, & damnationis in illum apoſtolicæ ſedis iuſtiſſimam rationem reddens Catholicæ Eccleſiæ, in epiſtola ad Dardaniæ Epiſcopos, dicit negari non poſſe, quin ſaltem ille Alexandrinus Petrus, Antiocheno ſemper communicauerit, ita vt eius ſaltem medio, & commercio etiam Acatius hæreticorum communione pollutus fuerit. Docet igitur, inquit, Petrum Alexandrinum ab Antiocheni vnquam communione deſciuiſſe, & non vſque ad vltimum diem, quo in hac luce verſatus eſt, indiuiduum vtriuſque fuiſſe conſortium. An dicturi eſtis etiam Antiochenum Petrum fuiſſe correctum? Cur iſti ad finem non communicaſſe gloriabatur Acatius?

Sed quid profuit, quod per ſeipſum communicare non voluit, cum eidem per Alexandrinum Petrum ſine vlla communicabat inuidia? Si tanti erat communicaſſe communicanti ſolum hæretico vnius Euticianæ hæreſis aſſertori, etiam vt totus concurreretur orbis, ne hoc inultum ferretur in Conſtantinopolitano Epiſcopo, quid erit tam aperte communicaſſe Luthero, non vnius, ſed penè omnium hęreſium, ac impietatum velut barathro cuidam ac abyſſo? Quid Oecolampadio, cuius tot recepit, tot etiam reſcripſit eidem amicas literas, etiam poſt notam eius toti orbi execrandam impietatem, & blaſphemiam? Si hoc eſt ſyncere orthodoxum agere, quid ita deſipuerunt illi ſanctiſs. Patres noſtri vt in eo ſæculo, & in aurea illa ad noſtram collata eccleſia, potius cœlum terræ miſcendum crederent, & offendendum Imperatorem & vniuerſum Imperium, quàm exceſſum eiuſmodi (qui tamen ad hæc nihil eſt) ferretur inultum in aliorum terrorem, & exemplum? Non tamen hæc ſcribo Eraſmi cauſa, cui iam nihil hęc noſtra prodeſſe poterunt, vt qui iamdudum apud iuſtiſſimum, & diſtrictum iudicem ſuorum hic commiſſorum rationem reddidit. Non vllo odio, ita mihi opto Chriſtum in ſuo de me iudicio propitium fieri: ſed tua cauſa Chriſtiane lector, ne quis impingat in hoc ſcandalum, quod ſublatum de medio fruſtra cupio, & quia video, & clariſſimè intelligo, illum neglectum, atque adeo contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ (quæ ſeruata conſeruabat pacem, vnitatem, & concordiam in eccleſiaſtica domo) inuexiſſe eam, quam nunc pro dolor videmus, horrendam rerum omnium confuſionem, reduxiſſe ab inferis omnem olim iugulatam extinctamque impietatem, nec aliud vllum aduerſus hæc ſupereſſe remedium, quàm vt hierarchiæ eccleſiaſticæ ſuus ordo, ſuus vigor, ſua reſtituatur dignitas, & maieſtas. Quæ, & vnica, & efficaciſſima erit horum malorum omnium medela, & curatio.

CAP. XIV.

Vt vna hæc ſedes toti ſemper orbi orthodoxæ fidei, & vindicem ſe exhibuerit & magiſtram, exemplis, & certiſſima fidei hiſtorijs demonſtrare.

SAtis opinior intellexiſti, & in ſequentibus adhuc clarius intelliges, non ſolum, quàm Chriſti Eccleſiæ neceſſarium fuerit regi, gubernari, ac in finem ſuum dirigi, cura & authoritate vnius eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis: qui velut in vna domo paterfamilias quidam, ſua ſingulis officia præſcriberet, & à ſingulis eorundem rationem exigeret, ſed etiam illud Petri, & cathedræ eius indeficibilis fidei priuilegium, ſine quo inter tot hęreticorum machinationes, perſecutiones, tempeſtates, toto aliquando orbe concuſſo & velut à ſuis ſedibus commoto, nulla pax, nulla fidei aut vnitas, aut ſynceritas futura erat in eccleſia: In quibus omnibus vt vna hæc apoſtolica ſedes vniuerſæ ſæmper eccleſiæ orthodoxæ fidei, & regulam ſe præſtiterit & vindicem, ſuæque authoritatis gladium in hæreticorum impiorumque damnationem vi magna diſtrinxerit, partim iam intellexiſti inter illas

Orientalium Epiſcoporum ſeditiones, illos conflictus, in illa aduerſus Nicenam orthodoxamque fidem totius penè Orientis, tam pertinaci coniuratione, & adhuc audies clarius in progreſſu. Cuius rei vt etiam hic nonnulla tibi exempla ſubijciamus.

Damaſus Sabellium Eunomium & Macedonium cum ſectatoribus anathemati ſubdit.

Damaſus ille, qua apoſtolicæ authoritatis vehementia Sabellianos, Eunomianos, Macedonianoſque perſecutus ſit, vtque illos cum impijs ſuis adinuentionibus ſubiecerit perpetui anathematis vinculo, teſtatur eiuſdem ad Paulinum Theſſalonincen. Epiſcopum ſuum, & apoſtolicæ ſedis per Orientem vicarium, epiſtola, qua illi præcepit vt ſuam in eos cenſuram, ac ſententiam publicari curaret per Orientis Eccleſias, & inuiolabiliter obſeruari. Cuius authoritatem, & tanquam de nauicula Petri loquentis Chriſti ſententiam, vniuerſa Chriſti Eccleſia, Gratiano, & Theodoſio quinto Conſ. in Conſtantinopolitana prima ſynodo, per omnia ſecuta eſt, & eoſdem illos ab orthodoxa fide, & Catholica Eccleſia alienos pronunciauit.

Idem Apollinarem Epiſcopum Laodiceę de Chriſti humanitate noua dogmata prædicantem, vna cum Timotheo eius diſcipulo apoſtolicæ ſeueritatis gladio proſtrauit, quem ſibi eccleſiæque Chriſti, quam illi ſua hæreſi inficiebant, ſupplices implorarunt totius Orientis Epiſcopi. Id quod eiuſdem ad ipſos ſatis indicat epiſtola, quam Theodoretus ille Cyrenen: Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum ſui temporis ſcriptor diligentiſſimus libro quinto hiſtoriæ ſuæ inſeruit in hæc verba.

Damaſi epiſtola ad Orientis Epiſcopos de damnatione prædictorũ.

Quod debitam reuerentiam apoſtolicæ ſedi veſtra habet charitas, vobis filij chariſſimi præſtatis ipſi plurimum. Etſi enim in ſancta maximè Eccleſia vbi ſanctus apoſtolus ſedens docuit, nobis gubernaculi, aut claui, quem tenendum accepimus, officium incumbat, tamen inferiores nos tanto honore fatemur. Scitote igitur prophanum illum Timotheum Diſcipulum Apollinaris hæretici vna cum impio dogmate iamdudum à nobis exauthoratum. Neque nos credere reliquias doctrinæ illius de cętero vſpiam valituras eſſe. Sin ille ſerpens antiquus, ſemel atque iterum ictus, ſuo quidem malo reuixerit, qui eiectus ex eccleſia quoſdam infideles lethiferis venenis ſeducere conari non ceſſat: vos tamen iſtam tanquam peſtilentiam refugite, memores fidei apoſtolicæ illius potiſſimum, quæ in Nicea à patribus ſcripto expoſita eſt, & firmo in gradu fortiter manete, neue patiamini audiri à laicis aut clericis veſtris poſthac vaniloquia, & exoletas quæſtiones, cum iam ſemel formam protulerimus, vt qui ſe Chriſtianum fateatur ſeruet ea, quæ ab Apoſtolis ſunt tradita, quum dicat ſanctus Apoſtolus: Si quis vobis annunciauerit aliud quàm accepiſtis, anathema ſit, & cætera. Sed quid rurſus à me queri Timothei exauthorationem opus eſt? cum hic iudicio ſedis apoſtolicæ præſente, & Petro Epiſcopo Alexandrinæ vrbis, vna cum ſuo Magiſtro Apollinari exauthoratus fuerit, ſubiturus debita in die iudicij tormenta & ſupplicia. Quod ſi aliquos ille leuiores adducit in ſententiam ſuam, retinetque ſpem quampiam, vera in Chriſtum ſpe vna cum confeſſione mutata, quicunque certè cum eo repugnare volet eccleſiaſtico canoni, cum eo quoque interibit. Deus vos incolumes cuſtodiat filij chariſſimi. Hæc ille Damaſus. Ex quibus clariſſime intelligis ad cuius iudicium, & authoritatem totus eo ſæculo orbis, etiam in Oriente extremo recognouerit pertinere definitionem quæſtionum, & ambiguitatum paſſim emergentium circa religionem & fidem, ad quem exauthorare munijs & officijs in eccleſiaſtica domo, atque adeo nomine Chriſtiano vniuerſo, ad cuius fidem velut orthodoxæ fidei regulam reſpexerint orthodoxi omnes. Quod clarius adhuc adeſt perſpicere ex eo, quod idem ille Theodoretus ſcribit in ipſo libri quinti hiſtoriæ ſuæ initio. Cùm enim impiorum Imperatorum nonnullorum, & Epiſcoporum eiuſdem conſentientium culpa, vniuerſa illa Orientalis eccleſia fœdiſſima omnium ordinum confuſione, aliquandiu perturbata permanſiſſet, & orthodoxis Epiſcopis magna parte deturbatis aut relegatis ab hæreticis paſſim occuparentur eccleſiæ, Gratianus vero orthodoxus, & ſapientiſſimus Imperator, mox vt Imperio inauguratus fuerat, zelans orthodoxæ fidei ſynceritatem per Orientem reſtituere, legem promulgauit, vt quicunque Rom. Pontifici Damaſo communione, & fide non ſociarentur, tenere non poſſent eccleſias, ſed ab eis expellerentur, miſſo ad eius executionem per vniuerſas Orientis eccleſias ex primoribus ſuis ducibus Sapore. Non fuit viſum Chriſtianiſſimo, & ſapientiſſimo Imperatori & zelatori orthodoxæ fidei, de fide ſingulorum diſputatione inquirendum, num eſſet orthodoxa, & ſincera, ſed ſingulorum fidem ad fidem vnius Damaſi, hoc eſt, Romanæ Eccleſiæ, veluti ad lydium quendam lapidem, & certam amuſſim orthodoxæ fidei ſimpliciter explorandam putabat, à qua quicquid diſcreparet, certum habebat eſſe erroneum, quicquid eidem quadraret, orthodoxum & catholicum.

Fides ſedis apoſtolicæ regula orthodoxæ fidei.

Quanta authoritatis vehementia in Iouinianum & complices virginitatis, abſtinentię, & ieiuniorum impugnatores inſurrexerit Siricius Damaſi illius ſucceſſor, eoſdem vna cum execrando ſuo dogmate anathematis proſternens ſententia, à toto orbe excepta, qua decuit reuerentia, indicat Africanorum Epiſcoporum, qui in Thelenſi ſynodo conuenerant, ad eundem epiſtola ſynodalis in hæc verba:

Siricius Iouinianum damnauit, & complices.

Recognouimus per literas S. T. boni paſtoris excubias, qui diligenter commiſſum tibi gregem ſerues, & pia ſollicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus quem oues Domini audiant & ſequantur: & ideo quia noſtri ouiculas Chriſti, lupos facilè deprehendis, & occurris quaſi prouidus paſtor, ne iſti morſibus perfidiæ ſuæ, ac ferali vlulatu dominicum gregem diſpergant, &c. Et poſt multa ita claudunt epiſtolam: Iouinianum itaque, Auſentium Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Ianuarium & Ingenium, quos Sanctitas Tua damnauit, ſcias apud nos quoque ſecundum tuum iudicium damnatos haberi.

Quod eo ſęculo tanta fuerit, tam veneranda toto orbe Romanorum Pontificum authoritas, vt quæ illi pro diuerſis fidei eccleſiaſticiſque negotijs, ſuis epiſtolis (quæ decretorum ſemper authoritatem obtinuerunt per vniuer-

Quanta fuerit eo ſeculo authoritas ipſarum à Rom. Pont. directarũ ad diuerſos, teſtant tot ſanctiſſimi Epiſcopi in Africano concilio.

uerſam Chriſti Eccleſiam) ad diuerſos ſcriberent, haud ſecus acciperentur ab omnibus, quàm ſi de nauicula & cathedra Petri ea ipſa dictaſſet Chriſtus, teſtimonio ſunt in Africano concilio aduerſus Pelagianam hæreſim conuenientes tot ſanctiſſimi Epiſcopi, qui aduerſus eandem tanquam præripuum quoddam argumeutum deſumpſerunt, ex beati Zozimi runc viuentis, quamuis in aliam cauſam, ad torius orbis Epiſcopos ſcripta epiſtola. In qua hęc eius verba (Nos autem inſtinctu Dei, omnia enim in ſuum authorem referenda ſunr vnde naſcuntur, ad fratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam omnia retulimus) attente religioſeque obſeruarunt, quemadmodum teſtarur eorundem ſynodalis ad eundem Zozimum epiſtola, qua inter cætera ſcribunt in hæc verba:

Illud vero quod in literis quas ad vniuerſas prouincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens (Nos tamen inſtinctu Dei, &c.) ſic accepimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium, humani extollunt arbitrij libertatem, diſtricto gladio veritatis velut curſim tranſiens ampurares. Quid enim tam libero feciſtis arbitrio, quàm qnod vniuerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſtis? & tamen inſtinctu Dei ſactum eſſe fideliter ſapienterq; vidiſtis, veraciter fidenterque vt dixiſtis. Ideo vtique quia à Domino præparatur voluntas, & vt boni aliquid agant, ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, vr nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & bonis quibuſque voluntatis humanæ motibus, magis illius valere nun dubitemus auxilium. Hæc illi in Thelenſi ſynodo congregari Epiſcopi.

Beatus Cœleſtinus in epiſtola ad Venereum cęteroſque Galliarum Epiſcopos, aduerſus eoſdem illos Pelagianos, gratiæ Dei inimicos, affirmat plurimos tunc fuiſſe toto orbe orthodoxos Epiſcopos anathematizantes quidem Pelagium & Cœleſtium, ſecundum Apoſtolicæ Sedis in eos iudicium: vehementer tamen improbantes eorum ſtudium, qui aduerſus errores eorundem multis voluminibus diſputauerunr, re ipſa experti id, quod ſupra adſtruximus, aduerſus hæreticos non inutilem ſolum, verum & perniicioſam eſſe de ſcripturis conflictarionem. Quin potius abſq; vlla diſputarione ſimpliciter omnes ſequi oportere, quæ ſacratiſſima beati Perri Apoſtolorum principis ſedes contra inimicos gratiæ Dei ſanciuit, & docuit per ſuorum præſulum miniſterium. Propter quod & idem Cœleſtinus, quæ à ſuis prædeceſſoribus bearo Innocentio, Zozimo, & alijs aduerſus eandem hæreſim dicta fuere, digeſſit per capita. Diuus Auguſtinus epiſtola ad Optatum, quæ eſt 157. Pelagium & Cęleſtinm affirmat à duobus venerabilibus Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis, niſi correcti egerint pœnitentiam, toto orbe Chriſtiano damnatos eſſe. Ex quo clare conſtat ad cuius authoritatem illi pertinere recognouerint, damnare hæreticos in toto orbe Chriſtiano.

Vt damnatus fuerit à B. Cœleſtino Neſtorius.

Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum (qui impiè bipartiebat Chriſtum, duas ex eo perſonas faciens) idem Cęleſtinus Apoſtolicæ authoriratis mucrone confodit. Cui cum terminum aſſignaſſet (vt habet totius penè Orientis aduerſus Anthemium beato Agapeto porrectus accuſationis libellus) intra quem ſibi ſanæ fidei, qualem exigebat, libellum deberet porrigere, ſeque omni hæreſeos ſuſpicione liberare, & cætera Apoſtolicæ Sedis iuſſa peragere, præuaricatorem nec mandatis ſuis obſequentem, anathematis maledictioni ſubiectum eiecit è domo eccleſiaſtica, vniuerſaque Chriſti Eccleſia. Quæ eiuſdem Ponrificis authoritate congregata in Epheſina Synodo, eius tanquam Chriſti ipſius de cathedra Petri loquentis ſententiam reuerendiſſime excepit, eũdem Neſtorium anathematizans cum ſuo impio dogmate. Non erat (inquit ille Proſper Reginen. Epiſcopus hiſtoriæ eorundem temporum ſcriptor) noua cum iſtis acie dimicandum, nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia inennda certamina. Tunc iſtorum agmina fracta ſunt, tunc in ſuperbiæ ſocijs & principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nepharij dogmatis capita apoſtolico mucrone percuſſit, quando Pelagium ad proferendum in ſe ſuoſq; ſententiam, Paleſtinorum Epiſcoporum Synodo coarctauit, quando Africanorum conciliorum decretis beatæ memoriæ Zozimus ſententiæ ſuæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio beati Petri dextras omnium armauit antiſtitum, quando ſanctæ memoriæ Bonifacius Papa, pijſſimorum Imperatorum catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non ſolum apoſtolicis, verum etiam regijs vtebatur edictis, &c. Cœleſtinus quoque Cœleſtium totius Italiæ finibus extrudi iuſſit, adeo & prædeceſſorum ſuorum ſtatura, & ſynodalia decreta inuiolabiliter obſeruanda cenſebat, vt quod ſemel meruerar abſcindi, non permitteret retractari. Nec vero ſegniori cura ab eodem morbo Britannias liberauit, ſiquidem inimicos quoſdam gratiæ Dei ſolum originis ſuæ occupantes, etiam ab illo ſecreto Oceani excluſit, & ordinato Gothis Epiſcopo cum Romanam inſulam ſtuder facere catholicam, etiam barbaram fecit Chriſtianam. Per hunc virum etiam Orientales Eccleſię gemina peſte purgatę ſunt, quando beato Cyrillo Alexandrino antiſtiti, glorioſiſſimo fidei defenſori apoſtolico auxiliatus eſt gladio. Hæc ille Proſper aduerſus librum Caſſiani, qui protectio Dei inſcribitur.

Epheſina Synod. ſequuta auth. Celeſt. Proſp. Reginẽſis Epiſc. aduerſus librom Caſſiani, qui protectio Dei inſcribitur.

Euticetis delirante inſania (vt verbis vtar proſphonetici ſermonis ſextæ vniuerſalis ſynodi ad Conſtantinum Imperatorem) ipſiuſq; Saluatoris humaniratem penirus abnegante, ſancti illius Leonis tuba, tanquam Leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, Archimandritam beſtiam perterruit, & à monachico grege proiecit, eiuſque impiam opinionem reprobauit, & euaneſcere fecit concitatam turbam. Cuius authoritatem & ſententiam Martianus Imperator, & Anatolius Conſtantinopolitanus antiſtes, cum omni Chalcedonen. à Chriſto congregata collectione amplexi ſunt atque manu, & lingua conſenſerunt, & conſonam Euticetis, & Dioſcori intelligentiam euacuarunt.

Authoritas B. Leonis aduerſus Euticetis perfidiam.

Idem Leo, vt tam Epheſinæ ſecundæ, quam Chalcedonen. ſynodis agendorum omnium normam præſcripſerit, vtque præuaricantem eius mandata ac ſententiam Epheſinam

Quantã authoritatem idem exercuerit in Epheſinã ij.

nam

& Chalcedonen. vniuerſales ſynodos.

nam illam ſua authoritate deiecerit, & Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham præuaricationis authorem anathematis maledictione proſtrauerit, poſt prolixius audies.

Aduerſus illum Timotheum, & Petrum Alexandrinos & Petrum alterum Antiochenum, Acarium quoque Conſtantinopolitanum Epiſcopos, ſupra andiuiſti quæ viguerit huius ſedis authoritas, & qua in ipſos vehementia inſurrexerint Simplicius, Felix & Gelaſius. Petrus ille Antiochenus in triſagio, hoc eſt, cherubico illo hymno (Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis) quem euidenti miraculo reuelatum in Litanijs decantat Eccleſia, addiderat poſt (immortalis) qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis, idque ex hæretico impioque quem conceperat ſenſu, circa Incarnationis Verbi myſterium, nunc Trinitatem ipſam, nunc Diuinitatem, nunc immortalem ſpiritum prodigioſa & impia nimis inconſtantia, dicens aſſumpſiſſe carnem in ſui vnitatem, & pro nobis paſſionis contumeliam & mortem. Cuius equidem hymni quemadmodum in eccleſiaſticis orationibus receptus ſit, ortumque habuerit, haud eſt ignora hiſtoria.

Siquidem ſub Beato Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo cum Vrbs Regia grauiſſimo, & terribili concuteretur terræ motu, & dictus S. Epiſcopus, vna cum populo fugiens miſerandum ſpectaculum, ſeu potius præſens exitium, & collabentium ſuper ſe ædificiorum ruinas, ſeceſſiſſent in agrum & flentes ac Litanias decantantes, diuinam implorarent miſericordiam, infans quidam ex illo cœtu, ſpectante vniuerſo populo vna cum Epiſcopo, repente in aera ſublatus eſt è conſpectu omnium, qui iterum demiſſus poſt horam, nunciauit quæ andierit in æthere, dicens de cœlo quaſi de multitudine pſallentium, huiuſmodi hymnum intonuiſſe ſuis auribus ſibique præceptum, vt Epiſcopo nunciaret hæc. Et ſic vt eſt in Beati Cinciani Accluſianarum Epiſcopi ad dictum Petrum commonitoria epiſtola) per tres horas in tribunali ſtans ſecus pedes Epiſcopi, hæc enarrauit coram omnibus. Itaque intelligens ſanctus Epiſcopus quid ſibi eo præceptum eſſet miraculo, atque in Litanijs cherubicum illum imitatus hymnum, vna cum populo diuinam miſericordiã impetrauit, ſtetitq; ſubito terræ motus. Huius hiſtoriæ non ſolum dictus Cincinus, ſed etiam Felix Romanus Pontifex, & præterea Acatius Conſtantinopolitanus, Aſclepiades quoque Tralliarum, & Iuſtinus Sycelliæ Epiſcopi in litteris ſuis ad eundem Petrum commonitorijs magno conſenſu meminere.

Itaque cum dictus Antiochenus Epiſcopus ſua illa, qua infectus erat, impietate hæretica corrupiſſet hymnum illum cherubicũ, magnaque ea ex re per Orientem ſuſcitaſſet ſcandala, nec prædictorum aliorumq; quam plurimorum admonitione aut correptione reſipiceret, tandem Felix protulit in illum damnationis ſententiam, & ab Antiochena ſede depoſuit, vt teſtatur hæc eius in eundem damnationis epiſtola: quoniam, inquit, importabilibus verbis impie garrulaſti, & non iudicaſti cedere ſanctis patribus, qui ornarunt ſedem beatæ memoriæ multum triumphantis martyris Ignatij, cuius tu indignus exiſtens neſcio quomodo inſiluiſti inchoare nouitatem in catholica Eccleſia tuis prophanis, & impijs dogmatibus, &c. & non ſtatuiſti cedere veritati, & literis noſtris ad te ſcriptis: nunc incæpi ſententiare aduerſus te, imo ille qui eſt vertex omnium paſtoralium ſedium, in ſanctis laudibus florens Apoſtolorum Princeps Petrus, cuius tu nomen tenes, non ſententiam, & fidem, &c. Dicemus ergo tibi, quoniã dilexiſti iniquitatem magis loqui quam iuſtitiam, dilexiſti ſuper omnia præcipitationis linguam doloſam, propter hoc Deus deſtruet te in finem depoſitum à nobis, non ſolum ab Antiochena Eccleſia, ſed ab omni honore ſacerdotali, & firma ſit hæc tua depoſitio à me & ab his, qui mecum vna apoſtolicum thronum regunt. Nota vigorẽ ſententiæ.

Percurrens deinde impias eius aſſertiones: quis ergo, inquit, non deſteret ſic dicentes de intemerato triſagio? &c. Quos & alienos putauimus ab orthodoxa fide, & à catholica Eccleſia, atque à communione ducis noſtri, & glorioſi prædeceſſoris Petri, qui claues regni cælorum à Saluatore noſtro recepit. Cuius qui participes eſſe volunt, ducuntur & doctrina ipſius, qui Chriſtum credidit propter nos crucifixum, &c. Scientes, quia non Trinitatem crucifixam accepe rimus ab Apoſtolis non Patrem, non Spiritum Sanctum, niſi in carne Filium Dei vnigenitum ſolum. Hæc ille. Vt autem clariſſime intelligas, quanti momenti fuerit, quam reuerenda, quam metuenda, totique orbi formidabilis Romani Pontificis authoritas, etiam eo ſæculo iam ad ſchiſmata ſeditioneſque decliuante, hoc tecum perpende, quanti illud fuerit, quod omnes pene illi Orientis Epiſcopi, dictum Petrum ſuis literis admonentes reſipiſcere, vnam apoſtolicæ ſedis in ipſum cenſuram, damnationemque minitantur, ni faciat.

Iuſtinus Sycelliæ Epiſcopus Nota comminationem.

Ita Iuſtinus Sycelliæ Epiſcopus ad eum ſcribens in epiſtola, quæ incipit: Oportet militem armari contra bellum. Poſt impugnatas eius prauas, impiaſque aſſertiones: Ceſſa igitur, inquit ab huiuſmodi tua impia præcipitatione, non addas ſcandalo, & non ſis cauſa perditionis magis ſimplicium hominum, ne præſidens noſter Felix ſecundum canones ſententiam dicat contra te. Nec tunc iuuabit tibi dicere: Ego vtiliter hoc appoſui: Crucifixum in triſagio confiteri, & cætera. Ita quoque Cincianus Acclaſianus Epiſcopus ad eundem: Multiphariam, inquit, multiſque modis chariſſime à veritate deuiaſti, & cætera. Etenim expoſitio tua grauem fert contra ſanctos Patres & Apoſtolos nouitatem Catholicæ Eccleſiæ, nec tamen abieciſti eam, multis Epiſcopis præmonentibus te, maxime autem Sanctiſſimo Archiepiſcopo noſtro Felice, & cætera. Poſt varia deinde inducta contra eum de ſcripturis teſtimonia, & hiſtoriam illam, quam ſupra expoſuimus, Beati Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi, de reuelatione triſagij, ſeu hymni illius cherubici, vtque eundem in Litanijs decantante populo ceſſauerit ruina, & terræ motus Vrbis Regiæ: Sic ergo, inquit, & tu litanias fac, & pauſabit ira, quæ contra te proferenda eſt: ſin autem, veniet ſuper te depoſitio à Papa noſtro Felice. Cuſtodiet autem Deus mundum à ſcandalis, & cætera. Nota & huius comminationem.

Vi-

Vides itaque quanti toto orbe, etiam extremo Oriente etiam ad ſchiſmata, ſeditioneſque iam declinante illa Orientali Eccleſia, facta ſit vnius Romani Pontificis authoritas: vt illi in remotiſſimo Orientis poſiti Epiſcopi, illum & recognouerint & confeſſi fuerint ſuum præſidentem, ſuum Archiepiſcopum, & Papam, Petri in eccleſiaſticæ hierarchiæ primatu ſucceſſorem, eius vnius cenſuram reformidauerint. Nec eſt quod forte de fide dictatum epiſtolarum poſſis dubitare. Sunt enim relatæ in acta quintæ vniuerſalis Synodi Conſtantinopolitanæ ſecundæ, ſub Vigilio Romano Pontifice & Mena Conſtantinopolitano, quem beatus Agapetus (vt ſuperius audiſti) in locum à ſede damnati Anthemij ſuis ordinauerat manibus.

Hinc nota quam orthodoxis venerabilior & hoſtibus orthodoxæ fidei formidabilior fuerit vnius Romani Pont. quàm omnium conciliorũ authoritas.

Certe quam toti orbi, orthodoxiſque venerabilior omnibus, quàm etiam orthodoxe fidei hoſtibus formidabilior fuerit vnius Romani Pontificis, quàm conciliorum omnium & totius in eis conuenientis Eccleſiæ authoritas, in Leontio Antiocheno antiſtite euidenter nobis oſtendit Theodoretus ille Cyrenenſis Epiſcopus. Is enim cum Arrianus eſſet & errorem ſuum celare niteretur, videns diuiſos ſacerdotes & populum, & alios dicentes: Gloria Patri & Filio, alios vero: Gloria Patri per Filium, & Spiritui Sancto, ipſe ſub ſilentio dicebat orationem, nec aliud audiebant adſtantes, niſi cum diceret, in ſecula ſeculorum. Et ſi quidem, inquit ille, hoc non maligne feciſſet, diceretur pro concordia populi hoc ipſum feciſſe. Sed quia, & contra milites veritatis acuebatur, & non niſi hæreticos prouehebat, oſtendebat ſe celare peſtem, modo amore populi, modo formidine preſſus Imperatoris, quam filium diſſimilem patri prohibuerat dici. Ea ſiquidem tempeſtate Etius magiſter Eunomij, qui Arrij blaſphemiam ſuis impijs opinionibus auxerat, in Diaconatus ordine ab ipſo ſubleuatus miniſtrabat. Sed Flauianus & Diodorus, monaſticam quidem amplectentes vitam, clare autem pro eccleſiaſticis dogmatibus laborantes, Epiſcopi Antiocheni Leontij redarguerunt quas contra pietatem ſtruebat inſidias, dicentes: quia elegiſti virum ſtudijs malignis imbutum, qui impietatis cauſa culmen ſuſcepiſſet potentiæ, atque ad Eccleſiæ cladem Diaconatus haberet honorem.

Hic vides, quam formidabilis fuerit Antiocheno Epiſc. Rom Pont. authoritas.

Minitabantur autem illi, Romani Pontificis & Apoſtolicæ Sedis cenſuram. Se enim adituros Heſperias, Occidentaleſque partes, atque ea quę callide inſidioſeque aduerſus veritatem ab eo gerebantur, eidem Apoſtolicæ Sedi detecturos. Hoc metuens Leontius ab officio ſuſpendit Etium. Hæc ille Theodoretus. Ex quibus intelligis, quam formidabilis fuerit illi Arriano Leontio, Antiocheno Patriarchæ vnius Romani Pontificis authoritas, qui tamen nec pili faciebat authoritatem Niceni, quod impugnabat, concilij, quantum huius Sedis cenſuram metuerit: Quemadmodum etiam vnius Iulij Romani Pontificis authoritati ceſſerunt tot Orientalium ſedium eiuſdem factionis Epiſcopi, qui in Antiochena Synodo ſub Euſebio Nicomedienſi congregati fuere. Apud quos tamen adeo nihil valebat illius ſacroſancti Niceni concilij, & tantorum in eo Patrum conuenientium authoritas, vt ad deſtruendum dogma Nicenę fidei præcipue conueniſſent.

De Cœleſtio conſtat, vt nulla ſynodali authoritate, nullis doctiſſimorum Patrum aduerſus eum ſcribentium rationibus, diſputationibus quę ſuperari valuerit: ſed ſola vnius Romani Pontificis authoritate, non audens (quod de eo Diuus Auguſtinus libro ſecundo aduerſus eundem & Pelagium teſtatur) beati Innocentij Pontificis literis reſiſtere: ſed promittens omnia, quæ ſedes iſta damnaret, ſe etiam damnaturum. Nam & rationes & ſcripturas eludebat facile. At huius ſedis authoritatem, toto orbe recognitam, nec illudere potuit nec contemnere. Verum & hæc in progreſſu adhuc erunt illuſtriora.

Concluſio.

Nunc ſatis mihi videor hactenus demonſtraſſe, non ſolum Eccleſiaſticam hierarchiam planè fuiſſe neceſſariam, ſi modo eſſe deberet Eccleſia, non ſolum inſtitutam à Chriſto, & in ea Petrum obtinuiſſe primatum, Romanoſque Pontifices in eodem ſucceſſiſſe Petro: ſed etiam, quod eundem magna cum libertate exercuerint ab initio ſuper Eccleſiam vniuerſam, à cuius authoritate nemo exemptus eſt, niſi qui ad Chriſti ouile non pertinet. Proinde veram, ſanctam, orthodoxamque nihil dubitamus illius Florentini concilij, quod ſub Eugenio Quarto celebratum eſt, definitionem, quæ eſt hoc verborum tenore:

Definitio Florentini conc. orthodoxa.

Definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem, ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Vicarium Ieſu Chriſti, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem & doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro, paſcendi, regendi & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum & in geſtis œcumenicorum conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.

Cui definitioni, tam Græci, quàm Armeni, poſt longam quindecim menſium concertationem, authoritatum, ſcripturarumque pondere, catholicæ Eccleſiæ conſenſu, & rei ipſius euidentia conuicti, reprobato ſchiſmatico errore, in quo eatenus detinebantur, Romanæ Eccleſiæ ſe iterum humiliter ſubmittentes, in hæc verba ſubſcripſerunt:

Nos igitur oratores nomine noſtro, noſtrique reuerendi Patriarchæ, & omnium Armeniorum, hoc ſaluberrimum ſynodale decretum, cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quicquid tenet ſancta Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni deuotione & obedientia acceptamus, ſuſcipimus & amplectimur. Illos quoque doctores & ſanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, reuerenter ſuſcipimus. Quaſcunque vero perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat ac damnat, nos pro reprobatis & damnatis habemus, profitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo ſupra ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & iuſſionibus fideliter obtemperare.

FINIS LIBRI QVARTI.

ALBERTI

ALBERTI PIGHIJ
HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER QVINTVS
De controuerſijs inter Regnum & Sacerdotium.

CAP. I.

Marſilij Patauini de Eccleſiaſtica authoritate ſententiam explicare.

SVperioribus libris Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cauſam ſimpliciter peregimus, nihil immiſcentes controuerſiarum, quæ inter ſæcularem & eccleſiaſticam authoritatem prophanis quorundam atque impijs exagitatæ ſunt diſputationibus. Quas cum diſſimulare diſſuaderent, & tempora, & ſuſceptum argumentum ab initio, vnum ex omnibus delegimus Marſilium Patauinum, quo nemo diligentius, vehementus, aut etiam copioſius cauſam ſecularis poteſtatis aduerſus eccleſiaſticam egiſſe legitur. Quam planè ſubuertere & in nihilum redigere omni ſtudio conatus eſt. Scripſit is ante annos ducentos ad Ludouicum Bauatum, temporibus Ioannis XXII. à quo ille excommunicationis vinculo innodatus fuerat, ex contumace hæreticum facere ſatagens, velut apologiam quandam aduerſus authoritatem Pontificiam, cui defenſoris pacis titulum fecit, cum eandem (quod poſt intelliges) omni ſtudio eliminet ab Eccleſia. Fuit homo Ariſtotelicus magis, quàm Chriſtianus, atque ex illius magis, quam Chriſti inſtitutis, nouam eccleſiaſticæ hierarchiæ formam conatus effingere: quamuis ſacras literas, & ſanctorum Patrum ſententias, ſed ſuo more intellectas, ſine fine & modo congerat, veritatique confidentiſſimè obijciat: vbique ſeipſum victorem pronuncians, ſed ante victoriam. Tam amarus, tam virulentus in Romanos Pontifices, vt merito dubitares, niſi tempora diſiungerent, hic ne à Luthero, an Lutherus ab iſto, ſuam didicerit rethoricam: nam vterque alterum in hac parte conatur vincere. Eius libri ab initio Lutherani tumultus, ab eiſdem alicunde eruit è blattis & tineis (à quibus teri magis conueniebat, quàm manibus Chriſtifidelium) elegantiſſimis typis excuſi, ſunt æditi in publicum: ne nulla non peſtis nunc reuiuiſceret, aut quia deeſſet perſequutioni Eccleſiæ.

Marſil. Patauin. quo tempore qua cauſa & qualiter ſcripſerit aduerſus authorit. Eccl.

Aduerſus quem ſi illum liceret ſequi, multo minus nobis fuiſſet laboris & negocij. Sed quo minus hoc licuerit, primo prolixitas fecit. Nam illius apologia cum in librum magnum exeat, noſtra hæc antipologia in volumen immenſum exiret neceſſario, & lectorem enecaret prolixitatis tædio: preſertim cum vniuerſa eius ſententia, atque omnium rationum quas affert efficacia, infinito breuius, & ſimul multo luculentius exprimi potuerit. Deinde, quia nec ab initio ingenuè & ſimpliciter proponit id quod conatur demonſtrare, ſed planè diſſimulat, ſenſim ad hoc veniens, & alias quaſdam ſentētiolas ſubdole adſtruens ratiunculis quibuſdam dialecticis & Ariſtotelicis. Quæ prima fronte nihil in ſe continere videntur, quod magnopere animaduertendum ſit, quapropter nec lectorem alio properantem detinent, aut ad ſui diſcuſſionem exactiorem inuitant. At cùm ad cauſam ventum eſt, eiſdem ſententiolis velut ante certo demonſtratis, tanquam primis & indubitatis principijs vtitur. Sic fallit lectorem incautum, fouet impium. Poſtremo quia ſæpè eadem repetit, & nihil minus curat, quàm vt accuratè atque ordine, quod vult, exprimat & proſequatur, ſed vbique falſa atque impia obſcuris inuoluit, adeo vt mihi penè plus laboris & negotij fuerit, ex tanta confuſione & prolixitate, vniuerſam eius ſententiam, & rationum quas adducit pondus & efficaciam, contrahere in luculentum compendium, quàm demonſtrare earundem falſitatem & inefficaciam.

Cur eius ſcripta non licuerit ad verbū ſubijcere.

Partitus eſt autem vniuerſam ſuam diſputationem in tres partes, quas dictiones appellat. In prima præambulis illis immoratur ſententiolis (vt ſibi videtur) Ariſtotelicis, interim diſſimulans quorſum eas adſtruat. In ſecunda cauſam ipſam principalem exequitur. Tertia eſt velut index priorum, colligens velut illatiue ex ſuperioribus, quadraginta duas ſententias, quarum penè nulla non eſt impia & hæretica.

Partitio vniuerſæ diſputationis Marſilij.

Breuiter, hæc ſumma eſt eorum, quæ ille conatur adſtruere: Ex lege Chriſti nulli Epiſcopo, nec Romano, nec alteri, competere vllam ſuperioritatem, aut iuriſdictionis authoritatem ſtatuendi, præcipiendi, aut quemuis ad quiduis obligandi: non ſolum ſuper laicos, ſed nec ſuper vnum aliquem ex ſacerdotibus aut clericis, nedum ſupremam omnium. Quin potius vltro oblatam ab eo, ad quem hoc pertineret, authoritatem huiuſmodi ne acceptare poſſint, aut debeant, interdictum eiſdem à Chriſto & Apoſtolis. Sed quod ea competat ſolis ſecularibus principibus. Idque ex delegatione aut commiſſione eius, cui præſunt, multitudinis, apud quam ſolam originaliter & cauſatiue (vt verbis eiuſdem loquar) vult eſſe authoritatem eiuſmodi. Neque

Summa ſententiæ, quam ille velut baſim totius cauſæ conſtituit.

que

Digitized by Google

que vllum Sacerdotum aut Epiſcoporum, nec Romanum quidem, ſeu in realibus, ſeu in perſonalibus, ab eorum coactiua authoritate exemptum: quin potius omnes æque ſubiectos vt laicos, ex euangelicis, apoſtolicis & ſanctorum Patrum ſententijs euidenter ſe demonſtraſſe prædicat. Sacerdotalem enim authoritatem à Chriſto vnam, æqualemque inſtitutam omnibus, velut ad ſacramenta tantum miniſtranda, & doctrinam euangelicam prædicandam Chriſtiſidelibus. Diſtinctionem vero & ordinem, quem nunc inter miniſtros Eccleſiæ cernimus, & vnius principatum atque authoritatem ſuper alios, partim rationabiliter introductum vult ab hominibus, partim etiam fraudulenter vſurpatum: preſertim primatum ſuper alios, Romani Pontificis. Nec pertinere ad Sacerdotes, Epiſcopos, aut Romanum Pontificem, ſed ad ſeculares principes, ex authoritate & commiſſione fidelis multitudinis, ordinare atque inſtituere ſacerdotes in prælaturis, dignitatibus & officijs eccleſiaſticis: apud quos æque deſtituendi pro arbittio, vt inſtituendi eoſdem, vult eſſe poteſtatem. Breuiter, Sacerdotes & Epiſcopos, nudos eſſe ſacrorum miniſtros, ſeculari poteſtati in omnibus æque ſubiectos vt laicos.

Hæc ſumma eſt ſeutentiæ, quam velut baſim & fundamentum totius cauſe conſtituit. Vnde in diuerſas, graueſque aduerſus Eccleſiam & eccleſiaſticos erumpit querimonias, inuectiuas & blaſphemias, quemadmodum poſt audies.

Qua demonſtratione illam ſuā ſententiam adſtruat; Maior.

Eam autem huiuſmodi ferè demonſtratione conatur aſſerere. In primis ponit nulli conuenire aut competere vllam iuriſdictionis præceptiuam aut coactiuam authoritatem ſuper alios, niſi ex commiſſione legiſlatoris diuini aut humani. Legiſlatorem diuinum, Moyſen aut Chriſtum: humanum vero, vniuerſitatem multitudinis, ſuper quam eſſet authoritas eiuſmodi, intelligens. Sub quo ſubſumit, ſub lege euangelica ex commiſſione legiſlatoris noſtri Chriſti, non competere vlli hominum Superioritatem, aut authoritatem præceptiuam, & coactiuam ſuper alios, quin potius eandem interdictam à Chriſto ſuis Apoſtolis, Diſcipulis, & eorum ſucceſſoribus. Ex quibus vtique, ſi vera ſint, nulli nunc vllam ſuper alium competere iuriſdictionis, & ſuperioritatis authoritatem, quam ex commiſſione legislatoris humani, hoc eſt, ciuilis aut fidelis multitudinis, neceſſario conſequitur. At authoritatem eam, quæ pendet ex commiſſione legislatoris humani, aut ciuilis multitudinis, vult eſſe penes ciuiles principes. Quare ſecundum Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam, eiſdem ſubijcit, & obedire oportere, dicit abſque vlla diſtinctione, æque Sacerdotes, Epiſcopos, Pontifices, ac Laicos.

Minor.

Vt maiorē probet.

Vis demonſtrationis maioris, aut primo loco aſſumptæ propoſitionis, in hoc conſiſtit, quod aut diuinitus, aut humanitus, neceſſario competat oportet vni hominum ſuper alium ſuperioritas, aut iuriſdictionis authoritas euſmodi, cum natiuitatis, quantum ex ſe eſt, conditio, omnes pares, aut æquales faciat. Eam autem diuinitus competere poſſe vni hominum ſuper alium indubitatum eſt, qualem ipſe confitetur competijſſe Moyſi, Dauidi, & alijs, ſuper Iſraeliticum populum. Humanitus vero, eam nulli vult poſſe competere, niſi ex delegatione vniuerſitatis multitudinis ciuilis, apud quam ſolam, in primis contendit eſſe authoritatem ferendi leges obligatorias, deinde committendi alicui authoritatem principandi, & imperandi ſuper ſe, & omnes eius reipublicæ aut communitatis partes ordinandi. Primum, videlicet apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe authoritatem ferendi leges humanas obligatorias, conantur probare capite duodecimo dictionis ſuæ primæ his rationibus (quas ideo cogor adſcribere, quoniam ad eaſdem frequenter remittit, tanquam ad euidentes demonſtrationes, cum vix probalitatem vllam dialecticam habeant.)

Rationes, quibus probare nititur apud ſolam vniuerſitatē multitudinis eſſe authoritatem ferendi leges humanas obligatorias.

Prima: Quoniam illius tantummodo eſt legum humanarum lationis authoritas prima ſimpliciter, à quo ſolo optime leges poſſunt prouenire. Hoc autem eſt ciuium vniuerſitas, aut eius pars maior ſeu valentior, quæ totam vniuerſitatem merito repræſentat. Ad vniuerſitatem ergo ciuium, aut eius maiorem partem tantummodo pertinet leges ferendæ authoritas. Primam propoſitionem ſupponit notam ex terminis. Secundam adſtruere conatur quibuſdam ratiunculis mutuatis ab Ariſtotele, ſed male accommodatis ad propoſitum. Eſt enim euidenter falſa, vt poſt demonſtrabimus. Quare nec vitandæ prolixitatis cauſa illas libuit adſcribere.

Secunda ratio: Illius tantummodo eſt legis ferendæ authoritas, per quem latæ melius aut ſimpliciter obſeruantur. Hoc autem, inquit, eſt tantummodo ciuium vniuerſitas. Ipſius igitur eſt legis færendæ authoritas. Primam aut maiorem propoſitionem etiam ſupponit velut notam per ſe. Minorem ſimiliter probare nititur quibuſdam ratiunculis, quas indignum eſt adſcribere. Nam poſt clariſſime videbitur earundem ineſſicacia.

Tertia: Illud agibile, in cuius debita inſtitutione conſiſtit pars maxima communis ſufficientiæ ciuium in hac vita, & in cuius praua inſtitutione commune detrimentum imminet, per vniuerſitatem tantummodo ciuium debet inſtitui. Hoc autem eſt lex. Ergo ad vniuerſitatem ciuium ſequitur pertinere eius inſtitutionem. Maiorem propoſitionem etiam ſupponit vt notam per ſe, aut eiſdem valde propinquam. Similiter, & ſecundæ eſt ſatis notoria veritaa.

Poſtremo, velut prædictarum rationum omnium vim in vnum colligens, ſic tanquam per diuiſionem argumentatur: Aut legis ferendæ authoritas ad vniuerſitatem ciuium pertinet, aut ad vnum ſolum, aut vero ad paucos optimates. Non ad vnicum. Poſſet enim vel ob ignorantiam, vel malitiam, vel ob vtrunque prauas leges ferre, magis ad proprium, quam ad commune reſpiciens. Ob eandem rationem nec ad pauciores optimates vult pertinere. Reſtat ergo pertinere ad vniuerſitatem ciuium.

Ex eiſdem his rationibus aut prorſus ſimilibus, mutato videlicet termino legis in terminum principantis, 15. capite eiuſdem ſuæ dictionis primæ ſupponit ſatis demonſtratum, apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe authoritatem committendi alicui principatum, aut iuriſdictionis ſuper alios

exercendæ authoritatem, item, & principem corripiendi, & deponendi, ſi ita mereatur.

Secundam vero aut minorem principalis demonſtrationis propoſitionem, qua prædictam illam ſuam ſententiam, velut totius cauſæ fundamentum ac baſim conatur adſtruere, videlicet: Ex Chriſti inſtitutione, & authoritate, nulli in Eccleſia competere vllam ſuperioritatem, aut iuriſdictionis præceptiuam, coactiuamve authoritatem. Quin potius eandem ſuo exemplo, & doctrina interdixiſſe ſuis Apoſtolis, & Diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus Sacerdotibus, & Epiſcopis, primo multis ſcripturarum, & ſanctorum patrum ſententijs demonſtrare conatur, quarto, & quinto ſecundæ dictionis ſuę capitibus. Deinde, & in ſequentibus rationibus, & apparentijs plurimis idem ipſum confirmat, velut poſt audies. Hoc vero loco ſubijciemus ex ordine eas rationes, quas ex euangelicis, & Apoſtolicis ſcripturis affert præmemoratis capitibus, vt quibus confidit, & nititur præcipuè, & ad quas poſtea deficientibus ſibi alijs ſolidis rationibus prouocat perpetuo.

In primis itaque demonſtrare conatur, Chriſtum non veniſſe in mundum dominari hominibus, nec ipſos iudicare, intelligendo per iudicium, ipſius principantis ſententiam, qui vt eidem obediatur, vim præceptiuam, & coactiuam obtinet. Neque etiam principari temporaliter, ſed magis ſubijci principibus huius ſæculi. Quinimo, quod ſeipſum, ſuoſque Apoſtolos, & Diſcipulos, ipſorumque ſucceſſores Epiſcopos, & Sacerdotes, eiuſmodi principatu excluſerit, non ſolum ſuo exemplo, ſed etiam conſilio, & præcepto, & quod hoc ipſum comprobauerint & docuerint Apoſtoli,

Ex Chriſti exemplo multiplici.

Quod autem Chriſtus ab officio principatus, ſeu contentioſæ iuriſdictionis, regiminis in hoc ſæculo, ſeu coactiui iudicij cuiuslibet ſe, ſuoſque diſcipulos excludere voluerit, ex eo vult apparere, quod Chriſtus coram Pontio Pilato Romani principis in Iudæa vicario confeſſus eſt regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, hoc eſt, non ſe veniſſe regnare dominio temporali, quomodo regnat mundi principes. Quia, inquit, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri vtique mei decertarent, vt non traderer Iudæis, id quod fieri non vides. De quo etiam ſanctorum adducit ſententias. Nam Auguſtinus cauſam explicans cur Chriſtus interroganti Pilato, num rex ipſe eſſet Iudæorum, ad hoc non reſponderit continuo, ſed prius viciſſim interrogarit, à ſemetipſo hoc diceret? an, inquit, alij tibi hoc dixerunt de me? deinde vero reſpondenti ad hoc Pilato: Nunquid ego Iudæus ſum? gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid feciſti, ſi regem te non feciſti? tum demum reſponderit Chriſtus, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Quaſi diceret, inquit Auguſtinus: Audite, & Iudæi, & gentes: Non impedio dominationem veſtram in hoc mundo, quid vultis amplius? venite credendo ad regnum quod non eſt de hoc mundo. Quid enim eſt regnum eius, niſi credentes in eum? Sic & in eundem locum Chryſoſtomus: Non priuat, inquit, mundum ſua prouidentia, & prælatione, ſed oſtendit regnum ſuum non eſſe humanum. Sic, & Theopompum quemdam citat dicentem: Ex temetipſo, inquit, hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Quaſi diceret: Si ex temetipſo hoc loqueris, pande ſigna rebellionis meæ. At ſi ab alijs percepiſti, inquiſitionem fac ordinariam. Vides, inquit iſte Marſilius, non dixiſſe Chriſtum, huius cauſæ inquiſitionem ordinariam ad ipſum non pertinere: quod tamen debuiſſet dicere, ſecundum aduerſariorum ſententiam, ſecundum quam illi ſubiectus non erat. Imo, ex verbis Pilati dicit annotare Auguſtinum, quod iure, & merito puniendus fuiſſet Chriſtus, ſi ſe regem feciſſet. Siquidem à gente, & Pontificibus ſuis ſibi traditum dicens, interrogat: Quid feciſti? Satis, inquit Auguſtinus, oſtendit illud obiectum pro crimine. Quaſi diceret: Si regem te negas, quid ergo feciſti, vt tradereris mihi? tanquam non eſſet mirum, ſi puniendus iudici traderetur, qui ſe regem diceret.

Confirmat hoc ipſum, facto & exemplo Chriſti apud Ioannem: Qui inquit, cum cognouiſſet vt venturi eſſent Iudæi, qui eum raperent, & regem facerent, aufugit ſolus in montem. Quo facto, inquit Chryſoſtomus, nos erudiuit mundanas dignitates contemnere. C. VI.

Rurſus interpellanti de turba cuidam, vt fratri ſuo diceret ſecum hæreditatem diuidere, reſpondit Chriſtus: O homo, quis me conſtituit iudicem aut diuiſorum ſuper vos? quaſi diceret: Non ad hoc veni, aut miſſus ſum, vt ciuiles lites iudicio dirimam, quod ad ſæculi principatus pertinet. Bene, inquit Ambroſius, terrena declinat, qui propter diuina deſcenderat, nec iudex dignatur eſſe litium, & arbiter facultatum, viuorum habens, mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.

Deinde pergit oſtendere, non ſolum Chriſtum ipſum recuſaſſe principatum huius ſæculi, & coactiuam ſuper alios iuriſdictionis authoritatem, & in hoc ſe Diſcipulis quoque ſuis exhibuiſſe formam, & exemplum: verum etiam docuiſſe tam opere, quam ſermone, vniuerſos æque Sacerdotes vt Laicos, ſubeſſe debere realiter, & perſonaliter coactiuo iudicio principium ſecularium. Et primum hoc probat in realibus, quandoquidem interrogantibus Iudæis, num liceret cenſum dare Cæſari, reſpondit Chriſtus: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari & quæ ſunt Dei, Deo. Vbi Chryſoſtomus: Tu autem cum audietis, redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, illa ſcito eum dicere ſolum, quæ in nullo pietati præiudicant. Quia ſi aliquod tale fuerit, non adhuc Cæſaris eſt, ſed diaboli tributum. Ex quibus Chryſoſtomi verbis vult conſtare, in omnibus Cæſari ſubeſſe nos opportere, modo pietati non repugnent.

Similiter Beatus Ambroſius in epiſtola de tradendis baſilicis: Soluimus quæ ſunt Cæſari; & quæ ſunt Dei Deo. Tributum Cæſaris eſt? non negatur. Idem confirmat ex eo, quod publicanis, qui vectigalibus, & tributis exigendis præerant, iuſſerit Chriſtus pro ſe, & Petro tributum perſolui ab ipſo Petro. Quod ſi putaſſet Chriſtus inconueniens, futuros ſibi ſucceſſores in ſacerdotali officio tributa ſoluere, ac ipſorum temporalia fore principibus ſæculi, potuiſſet ipſe hoc malum exem-

plum

Digitized by Google

plum in ſeipſo non cdere, vt omnipotens, & æterni Patris infinira Sapientia. Sed voluit, inquit hoc nos exemplo docere, ne detrectaret diſcipulus, quod vidiſſet magiſtrum facere. Itaque Beatus Ambroſius in memorata epiſtola: Tributum petir Imperator? ſcilicet non negatur, agri Eccleſiæ ſoluunr tributum. Quod inſuper eriam in perſona ſua Chriſtus ſubfuerit coactiuæ poteſtati principum huins ſæculi, quæ, quo ad eam partem, vocatur merum Imperium, ex eo vult conſtare, quod ſe capi permiſerit, & duci ad Pilati prætorium, & per ipſum demum, vt Iudicem, iudicari, & condemnari extremo ſupplicio. Quod nequaquam permiſiſſet, ſi inconueniens iudicaſſet ſuos Sacerdotes ſubijci principibus ſæculi, & per ipſos indicari.

Itaque Pilato admiranti, quod ſibi non reſponderet Chriſtus, vt qui poteſtatem haberet ipſum, & crucifigere, & dimittere, tandem reſpondit: Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. In quibus verbis notat Chriſtum non negaſſe Pilato poteſtatem ipſum iudicandi, & iudicium in ipſum exequendi, nec dixiſſe, hoc ipſum facere de facto cum iure non poſſet, ſed addidit, banc poteſtatem ipſum habere deſuper. Diſcamus ergo, inquit Auguſtinus, quod dixir, quod, & per Apoſtolum docuir: Quia non eſt poteſtas, niſi à Deo. Et D. Bernardus in epiſtola quadam ad Archiepiſcopum Senonenſem: Cum, inquit Romani præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur cœlitus ordinatam. Quod ſi ſupra Chriſtum, quanto magis, inquit, ſuper Apoſtolos, eorumque ſuceeſſores Epiſcopos, & presbyteros?

Hoc ipſum confirmat verbo Apoſtoli ad Galatas: At vbi, inquit, veni plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factnm ex muliere: factum ſub lege. Si factus ſub lege, ergo, inquis, & ſub iudice, cuius erat iudicare, & præcipere ſecundum legem, qui tamen non erat Epiſcopus aut Sacerdos.

Ex Chriſti doctrina.

Ruſus vult Chriſtum negaſſe ſuis ſuperioritatem aur authoritatem coactiuam, tam ſuper ſe inuicem, quam ſuper alios, vbi contendentibus de principatu dixir Apoſtolis: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, ſtet ſicur iunior: & qui præceſſor, ſicur miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbie? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus, ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Non igitur, inqnit, Chiſtus Rex regum, & Dominus dominantium Apoſtolis ſuis dedit iuriſdictionis authoritatem coactiuam ſuper ſeculares principes aut quoſuis alios.

Hoc ipſum confirmat B. Bernardi ad Eugenium ſententia: quod habuit, inquit, Apoſtolus, hoc dedit: ſolicitudinem, vt dixi, ſuper Eccleſias, nunquid dominarionem? audi ipſum: Non dominanres in clero, ſed forma facti gregis. Er ne dictum ſola humilitate putes, ne eriam veritate, vox Domini in euangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdici dominatum. Ergo tu vſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut apoſtolicus duminatum, plane ab vtroque prohiberis, ſi vtrumque ſimul habere voles, perdes vtrunque: Alioqui non te illorum nnmero putes exceptum: Ipſi regnauernnt, & non per me: principes extiterunt, & non cognoui eos.

Eandem ſententiam confirmat deinceps, & verbis, & ſententijs apoſtolicis: Nemo, inquit Apoſtolus, militans Deo, implicat ſe negorijs ſecularibus. Negotiorum autem omnium ſeculariſſimum, eſt principatus habens coactiuam authoritatem, quia ſecularia negotia, & ciuiles actus ordinat, & regulat. Quare maxime fugiendus eſt illi, qui debet Deo militare.

Idem eiuſdem Apoſtoli verbis confirmare videtur, cum dixit: Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibilis qui ſunt in Eccleſia, conſtituite ad iudicandum. Contẽptibiles vero intelligir iuxta Ambroſij, & Auguſtini ſententiam, aliquos ſapientes in ſecularibus videlicet, qui tamen ſunt minoris meriti & gradus in Eccleſia: perinde ac ſi dixiſſet, ve vt vacantes ſibi laici hoc impendant oneris & ſeruitij. Vt, inquir Beatus Gregorius, hi terrenas cauſas examinẽt, qui exteriorum rerum, id eſt, actuum ſecnlarium ſcienriam perceperunt. Qui autem ſpiritualibus donis dirati ſunt, terrenis non debent negotijs implicari, vt dum non coguntur inferiora bona diſpicere, valeant bonis ſuperioribus deſeruire.

Ex doctrina apoſtolica.

Eandem vult eſſe Diui Bernardi ad Eugenium ſenrentiam: Ergo, inquit, in criminibus, non in poſſeſſionibus, eſt poteſtas veſtra. Propter illa ſiquidem non propter has, accepiſtis claues regni cœlorum, præuaricatores vtique excluſuri, non poſſeſſores: Vt ſciatis, ait, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata. Quænam tibi maior videtur, & dignitas & poreſtas, dimittendi peccata, an prædia dinidendi? Sed non eſt comparatio. Habent hæc infima & terrena iudices ſuos reges & principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem veſtram mittitis in meſſem alienam? Ex quibus infert iuxta Bernardi ſententiam, Epiſcopum ſibi vſurpantem iuriſdictionem coactiuam ſuper contentioſis inter homines actibus, alienum officium indebite inuadere.

Præterea ex verbis Apoſtoli ad Romanos decimotertio clarè demonſtratum putat, omnes cuinſcunque gradus aut ordinis in Eccleſia Dei ſubiectos eſſe oportere principibus ſecularibus, atque eorum authoritati coactiuæ. Sic enim habenr verba Apoſtoli: Omnis anima poteſtaribus ſublimioribus ſubdita ſir. Non eſt eriam poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque quæ reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtir. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori, boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bene fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat. Dei eriam miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoque

Digitized by Google

neceſſitati ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: ideo etiam & tributa præſtatis. Miniſtri etiam Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Hæc verba Apoſtoli (vt quæ multum putat ſuæ intentioni ſeruire, & aduerſari Epiſcoporum, maxime autem Romanorum, authoritati ſupra principes) ille vehementer vrget & ponderat, adhibitis ſanctorum Patrum ſententijs. Siquidem ex illis certiſſimo & irreſragabiliter demonſtratum putat, omnes homines cuiuſcunque tandem ſtatus aut conditionis exiſtant, tam realiter, quam perſonaliter ſubeſſe debere iuriſdictioni principum ſæculi, eiſque obedire in omnibus, quæ non contrariantur legi ſalutis æternæ.

Et in primis, quod omnem animam dicit, omnem hominem intelligit, neminem excipiendo, nec Epiſcopum nec Presbyterum. Magis tamen animæ, quam hominis nomine illic exprimere voluiſſe hominem, vt doceret, etiam animo ſubditos illis nos eſſe oportere, & voluntarie præcipientibus obſequi. Quod ipſum etiam clare explicat dicens, vt illis ſubdantur, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Per ſublimiores autem poteſtates, ſeculares principes tantum vult intellexiſſe, quibus coactiua commiſſa eſt iuriſdictio, quorum etiam eſt per armatam potentiam defendere patriam, quod ſacerdotibus non conuenit, dicente Ambroſio: Dolere potero, flere potero, gemere potero, aduerſus arma, milites, Gothoſque lachrymæ meæ, arma mea ſunt, talia etiam munimenta ſunt ſacerdotis: aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. De illis vero dicit Apoſtolus: Non enim ſine cauſa gladium portat. His ergo, quamuis infidelibus & diſcolis reſiſtentes, quicunque tandem illi fuerint, etiamſi Epiſcopi & presbyteri, ſibi, inquit, damnationem acquirunt. Miniſtri enim Dei ſunt, non Petri, vt dicit, non Pauli, aut noſtri. Petro vero aut Romano Pontifici præcipienti ſecundum legem euangelicam, tametſi deberi velit reuerentiam & obedientiam, ad ſuorum tamen præceptorum obſeruationem, neminem vult arctare poſſe, aut inobedientiam punire vlla pœna, reali aut perſonali, vt quam illis poteſtatem interdictam à Chriſto ex prædictis vult euidenter conſtare.

Præterea adducit etiam illud Apoſtoli ad Timotheum: Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus. Vides, inquit, inter poſitos in ſublimitate nuſquam connumerari ſacerdotes aut epiſcopos. Sed ideo Apoſtolus orare, inquit Auguſtinus, pro regibus admonuit, & pro omnibus ſublimibus, eodem ſpiritum afflatus quo & Hieremias, quo ſcripſit Iudæis captiuis in Babylone, vt orarent pro vita regis Nabuchodonoſor, filiorumque eius, & pro pace ciuitatis. Quia in pace illorum, inquit, erit pax veſtra. Hoc autem figurate ſignificat Eccleſiam in omnibus Sanctis eius, quia ſunt ciues cæleſtris Hieruſalem, ſeruituram ſub regibus huius ſæculi.

Rurſus Tito Apoſtolus: Admone illos ſubditos eſſe principibus & poteſtatibus. Non dixit, inquit, Apoſtolus: Admone ſeculares tantum. Nec rurſus: Admone ſubditos eſſe nobis & principibus, ſciens nec ſibi, nec ſacerdotibus ſubiectionem deberi.

Ita quoque Petrus: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi, tanquam præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum: quia ſic voluntas Dei eſt. Cum igitur malefactores poſſint eſſe & ſacerdotes, ſequitur etiam illos ſubeſſe vindictæ & punitioni principum.

Exemplo & facto Pauli.

Hoc ipſum præterea etiam Pauli vult confirmari exemplo, qui refugiens iudicium ſacerdotum, Cæſarem appellauit. Ad tribunal, inquit, Cœſaris ſto, vbi me oportet iudicari. Quibus verbis clariſſime confeſſus eſt, inquit, coactiuæ iuriſdictioni Cœſaris ſe fuiſſe ſubiectum.

Ex his ſufficienter demonſtratum putat, vt Epiſcopis nullam conuenire lege diuina in hoc ſęculo coactiuam in quemuis poteſtatem, ſed interdictam potius, ita ipſos in hac ſubiectos eſſe principibus ſæculi. Nec vllum Epiſcopum, ſeu Romanum, ſeu alium, habere etiam in miniſtros Eccleſiæ ſacerdotes aut presbyteros, vllam coactiuam iuriſdictionem, niſi eadem per humanum legiſlatorem conceſſa fuerit. In cuius poteſtate ſemper dicit eſſe eandem ab ipſis reuocare: præſertim ex rationabili cauſa, cuius plenam determinationem ad eundem legiſlatorem, præſertim in communitatibus fidelium pertinere velut eſſe indubitatum & notorium. Quas eius rationes ideo prolixius aliquanto adſcripſimus, tametſi maiore longe, quàm ille & compendio & luculentia, audeo etiam dicere maiori probabilitate & apparentia: ne quiſquam hoſtis authoritatis eccleſiaſticæ calumniari poſſit nos diſſimulaſſe aut declinaſſe earum pondus, vim & efficaciam. Quas ſi perſequeremur per ſingula quæque verba, vt ab eodem perſcriptæ ſunt, vnus hic liber in immenſum volumen creſceret, nec inſtituti noſtri ab initio rationem hic retineremus. Nihil tamen dubito etiam illius ſtudioſis in harum rationum explicatione (quas ille alicubi magis innuit, quàm poſſit exprimere) factum pluſquam ſatis.

CAP. II.

Aduerſus impietatem prædictam, catholicam veritatem aſſerere, & demonſtrationis principalis, cui nititur, inefficaciam demonſtrare.

Notanda Gerſonis ſententia de duplici peſte vitanda in hac inquiſitione.

IOannes ille Gerſonus, Pariſienſis Theologus, vir in primis & eruditus & pius: nec tamen Pontificiæ authoritati (quod libro ſequenti intelliges) quantum par eſt, tribuens, libro ſeu tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate, conſideratione 12. duplicem hac in re peſtem deſignat: vtranque magno ſtudio vitandam illi, qui veritatem aſſequi voluerit, alteram

appel-

appellans detractionem liuidam, alteram adulationem ſubdolam, vtrinque in extremo conſiſtentes, in quarum medio conſiſtat veritatis ſinceritas: Inuida detractio, inquit, eccleſiaſticam poteſtatem prorſus deprimit, & ſęculari ſubijcit. Adulatio contra extollit ſine modo & menſura, penè ad ſimilitudinem altiſſimi. Tolle, inquit, tolle temporalitatis ius omne & dominium ab eccleſiaſticis, clamat detractio, quia ſic Chriſtus inſtituit dicens: Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Neque etiam capaces eſſe iuriſdictionis ſęcularis. Nemo enim militans Deo implicat ſe negotijs ſęcularibus, victu & amictu contentos eſſe oportere, reliquum eſſe pauperum. Ex aduerſo conſurgit adulatio blandiens, & in hunc modum ſuſurrans: O quanta eſt eccleſiaſticæ poteſtatis ſublimitas! Nam ſicut Chriſto collata eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: ita Chriſtum omnem poteſtatem ſuam dediſſe ſucceſſoribus ſuis.

Vnde nec Conſtantinum quicquam dediſſe Syluestro, quod ante non eſſet ſuum, ſed reddidiſſe iniuſte detentum. Porro ſicut non eſt poteſtas niſi à Deo: ſic nec aliquam poteſtatem ſeu imperialem ſeu regalem haberi poſſe, niſi à Dei vicario, in cuius fœmore ſcriptum eſt: Rex regum, dominus dominantium. Ipſum eſſe monarcham ſupremum, nedum in ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus, à quo alij reges & principes ſuam damnationem accipiant, atque eius medio à Deo. Inter has peſtes vtrinque conſtitutas in extremitatibus, media ac regia via incedens moderatrix diſcretio, ſuum vnicuique tribuit, ſecundum quam, inquit ille, dicimus eccleſiaſticos etiam capaces eſſe & bonorum & honorum temporalium, multa illis ex debito competere, poſſe in diuitijs aliter quàm Apoſtolos viuere, atque etiam temporalium iuriſdictionem, modo eis legitime competat, pro temporis exigentia exercere. Nec minus exaduerſo ſtultas adulationes & falſas inſanias deuitabimus, vt ſuos eccleſiaſticæ poteſtati noſcamus terminos, intra quos ſe noſcat coercere, ſic vt meminerit poteſtatem ſęcularem etiam apud infideles ſua iura habere propria, ſuas dignitates & dominia.

Aduerſus prædictam Marſilij ſententiam orthodoxæ veritatis aſſertio.

Hæc ille Gerſonus, non indigna quorum quis in hac cauſa pertractada perpetuo meminerit, ne hinc in Scyllam, inde in Charybdim impingens, veritatis naufragium faciat. Quæ ideo etiam hic adſcribere placuit, vt intelliges lector Chriſtiane, peſti ne peſtilentiſſimæ, an vero ſanæ, ſyncerææque veritati, dictam Marſilij ſententiam connumerare debeas.

Quod vt clarius certiuſque intelligas, memineris velim eorum, quæ ſuperioribus libris clariſſime à nobis demonſtrata ſunt. Et in primis, nullam poſſe in vnum multitudinem contineri: niſi colligatur vinculo ordinis ad vnum, & per vnum aliquod principans, quod ſuum cuique præſcribat, ac moderetur officiū, ab vnoquoque eius poſſit rationem exigere, exceſſus punire, corrigere, & ad æqualitatem, ac ſymmetriam quandam reducere.

Hæc enim non ſolum Chriſtiana, ſed etiam ethnicorum philoſophorum, atque adeo Ariſtotelis, quandoquidem cum Ariſtotelico agimus, eſt certiſſima ſententia, & quam is ille ipſe Marſilius 17. cap. ſuæ dictionis primę, multis rationibus non male adſtruit. Quam cum veram experiamur, etiam in exigua qualiber multitudine, etiam vnius Ciuitatis, viciniæ, domus, quid erit in infinita multitudine totius Chriſtianæ Eccleſiæ, ex nullis non gentibus, nationibus, & populis diffuſis in orbem terrarum vniuerſus, etiam qui alioquin nullo colligantur ciuili vinculo? Quod inſuper conſideraueris, vt plane ſit neceſſarium conſeruari vnitatem illius catholicæ Chriſti eccleſiæ, à ſui initio ad finem vſque ſæculi, tanto maiorem in ea neceſſitatem intelliges diligentiſſime conſtituti ordinis, & in ſummam vnitatem reducti, qualem etiam diuinitus in eadem conſtitutum demonſtrauimus In hac ergo indiuidua vnitate eccleſiaſtici vnius corporis, vt neceſſe eſt membra eius omnia communicare inuicem in his, quæ ad fidem religionemque Chriſti, & finem ſalutis æternæ, & cœleſtis patriæ aſſequendæ pertinent, quo vniuerſa Chriſtiani hominis opera pertinent: Ita neceſſe eſt omnia moderari vnius velut capitis habenis, & imperio, quod ſingula membra in hac cõmunione contineat, ſingulis ſua præſcribat officia, eorundẽ poſſit rationẽ exigere, exceſſus corrigere, turbas ſedare, & pacẽ tranquillitatemque conſeruare in domo eccleſiaſtica; vt non ſit, inquit ille ſchiſma in corpore. Æque enim, imo multo magis conſtat hoc eſſe neceſſarium pro conſeruanda indiuidua vnitate Eccleſiaſtici corporis, quam ciuilis principatus vnitas, pro conſeruanda vnitate particularis alicuius communitatis, ciuitatis, aut regni.

Alioqui nulla eſſet membrorũ conſpiratio in communem, & totius corporis ſalutem, nulla mutuæ vtilitatis communicatio, ſed quodque ſuo ferretur impetu, tantum incommodum proprium, & impedirent ſe mutuo, vt lata in diuerſa, & frequenter in contraria. Eccleſiaſtici autem corporis membra ſunt, non ſoli Epiſcopi, presbyteri, reliquique ſpecialiter mancipati diuino cultui, ſed etiam reliquus populus quos laicos dicimus. Imperatores, Reges, Principes, regna, imperia, ciuiles communitates, & res publicæ etiam, vt eiuſmodi. Neque enim ex ſolis presbyteris, monachis, & continentibus, conſtitui poterat catholica Chriſti eccleſia, ſed neceſſario requirebat etiam ciuilem multitudinem per ſanctum immaculatumque coniugium propagandam, & continuandam ad fines ſæculi, quæ etiam requirebat neceſſario ſuos ciuiles magiſtratus, reges, & principes. Quare hi omnes, vt pars, & membra ſunt Chriſtianæ Eccleſię, neceſſario etiam ſubſunt eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, qui ſui imperij habenis moderetur eoſdem in ſuam mutuo, & totius corporis vtilitatem conſpirantes teneat, omnes contineat in officio, præuaricantes corrigat, & ſi ita exigat totius neceſſitas, adminiſtratione quoque, & officio amoueat, & in locum eorum conſtituat alios, aut conſtituendos præcipiat per eos, ad quos hoc ipſum de iure, aut conſuetudine pertinet. Hæc enim neceſſario ad partem principantem pertinere in vnaqualibet communitate hominum, ſi inter ipſos ſubſiſtere debeat vnitas, & communio, euidens demonſtrat ratio, comprobata expe-

Eccleſiaſtici corporis membra Eccleſia etiam laicos, etiã Imperatores Reges, & Principes.

Eoſdem ergo ſubeſſe imperio eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, &c. Officia præſidis aut partis principãtis.

Digitized by Google

experimento omnium ab initio ſocietatum ciuilium, atque etiam is (aduerſus quem aginius) Marſilius XV. primæ ſuæ dictionis, philoſophicis rationibus veriſſime comprobat. Id quod libenter ab eodem acceptauimus

Nihil eſt hic, quo quis ſubterſugiat: Si vt Reges, aut Imperatores Chriſtiani, & ſuper Chriſtianum populum, ſunt præcipua quædam, & inſignia membra Chriſtianæ Eccleſię, neceſſe eſt, vt tanquam eiuſmodi ſubſint authoritati, & iuriſdictioni partis principantis in communitate eccleſiaſtica, vt cum Ariſtotelico loquar Ariſtotelice. Vtque hæc poſsit ab illis officiorum ſuorum rationem exigere, & commiſſos in eis exceſſus corrigere, velut hoc ipſum exigit Chriſtiani populi, & Eccleſiæ vtilitas.

Cauilli remotio.

Quod ſi dixetis antiquiorem eſſe ciuilem authoritatem, Imperatorum, Regum, & Principum, quam ſit Chriſtianæ Eccleſiæ, illam etiam apud ethicos ſuam dignitatem habere, ſua iura propria: & propterea, vt eiuſmodi, non ſubeſſe illos, nec eorum authoritatem, iuriſdictioni atque authoritati eius, cui totius eccleſiaſtici corporis commiſſum eſt regimen. Hic tecum non admodum pugnabo. Non etiam dicimus, Imperatores, Reges, Principes, ſed nec vnumquemuis è populo ſimpliciter, & vt eiuſmodi, ſubeſſe autoritati, & iuriſdictioni Eccleſiaſticæ: ſed vt Chriſtianos, & Chriſtiani populi, Imperatores, Reges, aut Principes, hoc eſt, vt membra eccleſiaſtici corporis. Quid etiam mihi, inquit ille, de his, qui foris ſunt indicare? Illi etiam ſolius Dei in hoc ſunt ſubiecti iudicio. Sed nos, qui Chriſtiani, vtque magiſtratum aliquem gerentes inter Chriſtianos, membra ſumus vnius Eccleſiaſtici corporis, eius rectori, & capiti, vt eiuſmodi, neceſſario ſubiecti ſumus propter Chriſtum, cui nos in baptiſmo ſubiecimus. Ille poteſt geſtorum à nobis officiorum rationem exigere poteſt punire exceſſus, & delicta in his commiſſa, ſecundum leges euangelicas, & eccleſiaſticas.

Per hoc tamen non tollimus, ſed ſtabilimus potius ordinem politicum. Non enim negamus in ſubordinatis ſibi magiſtratibus, inferiorum exceſſus per ſuperiores debere corrigi in his quæ proprie ad forum, & iudicium illorum pertinent: vſque ad primum in eo ordine, hoc eſt, regem in ſuo regno, & Imperatorem in Imperio. Sed quoniam plures ſunt ciuiles ordines eiuſmodi in vna Chriſti Eccleſia, non tamen ſibi ſubordinati mutuo, neceſſe eſt, vt peccata, & exceſſus illorum primorum, ſeu in ſe inuicem, ſeu in ſuos, aut alienos ſubditos, ſi pax, & vnitas conſeruari debeat in domo eccleſiaſtica, pertineant ad correctionem Ipſius, qui vniuerſæ Eccleſiæ præſidet, & cui totius cura, & gubernatio commiſſa eſt. Sed hæc in progreſſu illuſtriora erunt vniuerſa.

Excutitur Marſilij illa principalis ratio.

Nunc vero vt euidenter diluamus inductas aduerſus præaſſertam veritatē calumnias, quibus præcipue hunc librum deſtinauimus, illa Marſilij principalis demonſtratio (cui innititur vniuerſa, quam audiſti, non minus paradoxa, quàm impia ſententia, vniuerſam authoritatem eccleſiaſticam in nihilum redigens) excutienda eſt, quantum habeat ponderis aut efficaciæ. Cuius hæc fere ſumma eſt: Nulli hominum conuenire iuriſdictionis coactiuam authoritatem ſuper alios, niſi per legiſlatorem diuinum aut humanum eiuſmodi ſibi demandata fuerit. Humanum legiſlatorem, vt ſuperius indicauimus, vniuerſitatem multitudinis intelligens, ſuper quam eſſet authoritas eiuſmodi. Diuinum vero, Chriſtum, aut Moyſen, vt duæ tantum leges latæ ſunt. Nulli aut Sacerdoti, aut Epiſcopo, vt eiuſmodi, à legiſlatore diuino demandatam authoritatem talem, ſed interdictam potius. Ab humano vero, aut non demandatam, aut ſaltem ad nutum reuocabilem. Ex quibus neceſſario conſequitur ea, quam ipſe adſtruit, ſententia.

Impugnatio maioris atq; inſtantia.

Sed nihil mirum eſt ex falſis omnibus falſam concluſionem conſequi, falſa enim eſt, & maior cui innititur, falſa quoque ſubſumptio, tametſi alterum nobis ſufficiat. Hoc mihi in primis reſpondet, per quem legiſlatorem Iulio Cæſari competijt principalis hæc, & coactiua authoritas in Romanam rempublicam? per quem Octauiano atque eius ſucceſſoribus? nunquid per legiſlatorem diuinum, aut humanum, & non potius eam vſurparunt vi, ſcelere perfidia, parricidio? nunquid non contra ius, fas, & leges armis eadem occupata eſt in inuitos, primum à Iulio, deinde ab Octauiano, interfectis, & proſcriptis optimis ciuibus ſe melioribus imperio? Iam vt mandata illis fuiſſet ab optimatibus, & Romanis ciuibus in ipſam Romanam rempublicam, cuius legiſlatoris authoritate in regnum Iudæorum eadem illis competijt? Iure belli dices, opinior. At ego rurſus percontari pergam quale ius eſt eiuſmodi? Nunquid qui fortior eſt, & armis potentior, poteſt quemlibet in imbecilliores dominationem ſibi, & principatum vſurpare? Et vbi hic illa demandantis principatum legiſlatoris, hoc eſt, Moyſis, Chriſti aut vniuerſitatis (vt ille nugatur) multitudinis ſupra quã eſſet principatus eiuſmodi autoritas, cum armis, & vi inuitis imperitas? Sed iure gentium, inquis, in eos, quos bello deuicerimus, obtinemus dominationem, & imperium. Ergo hoc iam confiteris quod voluimus, videlicet ſecundum Ius gentium non dependere principatum ciuilem à legiſlatore humano quem tu intelligis, hoc eſt, ab vniuerſitate multitudinis, quæ per eam gubernatur, & in finem ciuilem dirigitur.

In iure belli

Rurſus te interrogo, Carolus ille Magnus, à quo legiſlatore humano (tuo more de legiſlatore loquendo) principatum accepit Romani imperij? Neque enim, opinior, à legiſlatore diuino, eundem accepiſſe illum dices. Et cum diligenter perquiſieris, non ab vniuerſitate multitudinis, cui principatur imperialis eiuſmodi authoritas, ſed ab vno Romano Pontifice accepiſſe principatum eiuſmodi, inuenies quemadmodum poſt faciemus euidentius. Quod ſi etiam in moderno Carolo eius nominis V. qui nunc vna cum fratre Ferdinando felicibus auſpicijs habenas moderatur imperij, tuum illud axioma expenderis, etiam in illo ipſo falſitatem eius clare conſpicies. Huic competit imperialis authoritas, nunquid ab vniuerſitate multitudinis ſubiectæ Imperio, quam tu legiſlatorem humanum facis? Electus eſt, inquis, authorita-

In impio Chriſtiano inchoro in Magno Carolo.

te

te vniuerſitatis. Hoc ipſum eſt, quod nobis demonſtres, cum, cupimus. Electum nouimus, ſiquidem à VII. tantum regni proceribus electum conſtat. Sed illi, inquis, nomine, & commiſſione totius vniuerſitatis eligunt. Quando obſecto, aut vbi, vniuerſitas multitudinis ſubiectæ Imperio, ſuas vices ea iure mandauit illis VII? Nunquam ſane illud factum inuenies, ſed hoc inuenies, Ottonem III. ex ſucceſſione illius Caroli, cum hæredes maſculos non haberet, instituiſſe apud Gregorium V. Romanum Pontificem, vt deinceps dignitatem illam perpetuo electiuam faceret, deſignatis ex vniuerſis Germanici regni proceribus VII. electoribus. Qua de re ille ſanctionem Apoſtolicam edidit, ſecundum quam, & deinceps Imperatores omnes atque etiam hic Carolus accepit imperiũ. Quod vero vniuerſitatis ea in re cõſenſus petitus aut præſtitus fuerit, nunquam inuenies. Sed poſt huius rei hiſtoriam clarius, certiuſque explicabimus, & irrefragabilibus confirmabimus teſtimonijs.

Electores impij eligere, non ex delegatione vniuerſitatis multitudinis, ſed ex authoritate atque ordinationem ordinationẽ eccleſiaſticę hierarchiæ præſidis.

Iterum te interrogo: Num parer in filios familias, dominus in ſeruos, authoritatem, ſeu poteſtatem vllam coactiuam habeat? Habere nemo negauit vnquam. Sed cuius legiſlatoris authoritate, vt ſubſiſtat tibi maior illa tua (cuius hic falſitatem coarguimus) propoſitio? Humani ne? Sed toto orbe eſt parentibus, & dominis in filiosfamilias, & ſeruos hæc authoritas. Delegauerit ergo neceſſe eſt totius orbis multitudo, & vniuerſitas hanc authoritatem parentibus, & dominis, ita vt ante eam delegationẽ authoritas eiuſmodi ipſius non competierit, quod nunquam fuiſſe certum eſt. Diuini ergo, ſecundum te, legislatoris authoritate, hæc ipſius neceſſe eſt authoritas competat. A Moyſe igitur aut Chriſto hanc ipſam habeant oportet, ſi quidem ſolos hos, vt ipſe etiam confiteris; duos vſque nunc legislatores diuinos nouimus. Sed certum eſt ante vtrumque hanc fuiſſe authoritatem patrum in filios familias, & dominorum in ſeruos. Quare etiam hac parte euidenter conuincitur falſitas primæ, aut maioris propoſitionis aſſumptæ.

Sed dicis eius veritatem demonſtratam eiſdem rationibus, aut prorſus ſimilibus, quibus duodecim capite dictionis tuæ primæ penes ſolam vniuerſitatem multitudinis oſtẽdiſti eſſe authoritatem ferendi leges obligatorias, mutato videlicet ſolo legis termino in terminum principantis.

Solutio rationum pro demonſtrãda maiore adductarum.

Rationes quidem illas audiſti lector ſuperiori capite, ſed tam ineptas, & prorſus nullius ponderis, vt niſi ſæpe, velut ad euidentes demonſtrationes, prouocaret ad eaſdem, non tuliſſet animus adſcribere, nec nunc aliqua reſponſione dignaremur, vt cui cauſæ ab initio ſuſceptæ ſeruire, non traducendæ alicuius ignorantiæ inſiſtere, decretum eſt.

Prima.

Nam vt à prima ordiamur, cum præmittendo, illius tantummodo eſſe ferendarum legum primam authoritatem, à quo ſolo optime leges ferri poſſunt, ſubſumit, à ſola vniuerſitate multitudinis illud poſſe fieri, quis ferat ſtupiditatem hominis? Accipe, vt ſunt, immenſam aliquam communitatem ciuilem, quale eſt Galliarum, aut Hiſpaniarum regnum, aut Romanum, quale adhuc eſt imperium, quo pacto vniuerſitas alicuius ex his ciuilis multitudinis, optimis legibus ferendis erit idonea? Nam quomodo in vnum conueniet, vt de lege ferenda in commune deliberet? vt inueniat, ac ſtatuat quod optimum? Vt autem poſſet in vnum conuenire, poſſet deliberare, & conferre conſilia, quis neſciat confuſiſſimam multitudinem ineptiſſime adhiberi ad conſilia, ad inquiſitionem eius, quod optimum, & vtiliſſimum? De qua non minus vere, quam feſtiuiter dixit quidam: Nihil à veritate remotius, multitudinis, aut vulgi ſententia. Nam quidquid, inquit laudat vituperio dignum eſt, quidquid cogitat vanum, quidquid loquitur falſum, quidquid improbat bonum, quidquid extollit infame. Et ab iſtiuſmodi belua, imo à ſola huiuſmodi optimæ leges expectandæ ſunt? Quæ vnquam ciuilis communitas, præſertim paulo numeroſior confuſæ multitudinis conſilio, optimas leges aſſecuta eſt? Certe Romani illi, quamuis vnius tunc vrbis ciues, quamuis alioquin, pene in populari dominatione viuentes, cum ab Athenienſibus petitas leges tabularum XII. etiam ad ſuæ reipublicę vtilitatem accomodari, & ferri cuperent, hoc ſane intellexerunt, non eſſe vniuerſitatem multitudinis eo negocio idoneam, quod à paucis quibuſdam prudentibus peragеretur felicius; ſed decemuiratus illi magiſtratum creauerunt. Si quidem viri boni, prudentes, docti, qui ſoli vtiliter huic adhibentur negocio in omni multitudine, pauci ſunt reſpectu cæterorum, & vbique verum ſtultorum infinitum eſſe numerum. Quorum in vniuerſitate multitudinis vbi numerantur ſuffragia, quis tandem alicui concilio locus foret? Vides itaque lector, qualis hæc ſit demonſtratio, quæ magis oppoſitum concludit quam propoſitum. Nam ſi ab vlla maiore ita veriſſime ſubſumas. Ab vniuerſitate multitudinis optimas leges ferri non poſſe, concluditur penes eandem non eſſe legum ferendarum authoritatem.

Immenſam multitudinẽ non eſſe idoneam ferendis legibus.

Retortio rationis oppoſitum.

Eiuſdem efficaciæ eſt ſecunda demonſtratio, quæ ſupponens apud illum eſſe authoritatem legis ferendæ, qui poteſt facere vt eadem obſeruetur, ſubſumit à ſola vniuerſitate multitudinis illud poſſe fieri. At ergo contra ſubſumam veriſſime ab vniuerſitate multitudinis nullo modo id poſſe fieri. Et ſic recte concludam oppoſitum, non propoſitum. Certum eſt etiam rectoris, & principis illud eſſe officium, non confuſæ multitudinis, quæ regi neceſſario indiget illius imperio, cuius authoritate obſeruatio legum exigitur à ſubditis, & punitur tranſgreſſio. Quod tertia ratio aſſumit per vniuerſitatem tantum multitudinis fieri aut inſtitui debere, ex quo optime facto pendet totius vtilitas, ſecus autem detrimentum, eſt euidenter falſum. Quandoquidem ab vniuerſitate multitudinis, vt indicauimus, nihil eiuſmodi poteſt optime fieri. Sed recte aſſumpſiſſet ab illo eiuſmodi fieri, curarique oportere, à quo optime poſſunt fieri. At in omni præſertim magna communitate, hæc optime fieri authoritate principis, vna cum delecti ſenatus ex viris prudentibus, & bonis conſilio, & conſenſu; docet recta ratio comprobata conſenſu atque vſu omnium pene mortalium ab initio. Per quod etiam quartæ eius demonſtrationi ſatisfactum eſt. Vides

Retortio rationis in oppoſitum.

Tertio demonſtrationis inefficacia.

Quartæ

itaque

itaque lector in quos fumos euanuerit demonſtrationum hic apparatus, quibus ille fidebat tantopere, quibus demonſtratum vult apud ſolam vniuerſitatem multitudinis eſſe authoritatem ferendi humanas leges obligatorias, & demandandi alicui authoritatem iuriſdictionis ſuper alios.

Demonſtratur minoris falſitas.

Iam vt vera eſſet maior illa aſſumpta propoſitio ſubſumptionem tamen, aut minorem falſam eſſe libro præcedenti irrefragabiliter demonſtratum eſt. Scilicet, non eſt data Petro atque eius ſucceſſoribus eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus ſuper vllum hominem, vlla iuriſdictionis, vlla præcipiendi, ſtatuendi, aut alios ſub vlla pœna, aut huius, aut futuri ſæculi obligandi authoritas. Et tu profer, ſi potes vel centum hominum ſocietatem, cuius, vel minimo tempore ſine huiuſmodi inter ipſos authoritate conſeruata fuerit vnitas vbi nemo poteſtatem habet componere exortas (vt homines ſumus) inter nos quæſtiones, rixas, diſcordias, nemo alterius ſit iudicio obnoxius? Quod ſi vel centum hominum ſocietatem abſque ſuperiori inter ipſos etiam coactiua tranſgreſſionum authoritate, vel ad modicum tempus conſeruari eſt impoſſibile, quo pacto quiſquam ſanæ mentis adducetur, vt credat ſine authoritate eiuſmodi catholicæ Chriſti Eccleſiæ ex nullis non gentibus, nationibus, linguis, populis toto orbe infinita multitudine diffuſis, vnitatem ab initio ad cõſummationem vſque ſæculorum (vt plane eſt neceſſarium) poſſe conſeruari? Quo pacto in te tam neceſſaria Chriſtum ſuæ defuiſſe eccleſiæ, cuius vmbræ, & figuræ veteri eadem in te conſtat tam fuiſſe prouiſum diligenter? Scilicet, ignorauit æterna Dei ſapientia quod nulli conſideranti materiã, ex qua conſtruenda erat eccleſiaſtici huius ædificij immenſitas, non euidenter videtur neceſſarium, inter mēbra eccleſiaſtici huius corporis, inter paſtores Eccleſiarum, (vt homines omnes ſumus) quæſtiones nonnunquam oriri controuerſias? Nunquid videres in Sunamite choros caſtrorum? nunquid Hieruſalem ædificatam velut ciuitatem quamlibet nobiliſſimam, cuius ciues in vnum conueneniunt? Et quæ hic foret pax atque vnitas in domo eccleſiaſtica, & nõ potius pluſquam Babylonica, tetra horrendaque confuſio? & non tot pene ſchiſmata, tot ſectæ quod capita? Et cuius tandem, ſi diuini legislatoris fuit vox illa ad Petrum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit etiam in cœlis? Illi itaque à legislatore diuino data eſt nos præcipiendi, & nos obligandi authoritas abſque vlla exceptione, abſque reſtrictione, nullo habito reſpectu Imperatorum, Regum, Principum, & nobis omnibus impoſita illi obſequendi neceſſitas.

Sed non accepit, inquis, ille coactiuam poteſtatem à Chriſto in præceptionum ſuarum tranſgreſſores. Credo negarent tibi Ananias cum vxore Saphita, qui ob fraudatam exiguam partem pretij ſui agri diuenditi, quod ad pedes Apoſtolorum depoſuerant, ad incutiendum terrorem cæteris vita mulctati ſunt, & in ſe experti authoritatis Petri coactiuam aut punitiuam efficaciam. Sed eſto, non acceperitis authoritatem morte aut ſupplicio afficiendi ſuarum, & Chriſti præceptionum tranſgreſſores, quam nec patres acceperunt in filiosfamilias, nec præceptores in diſcipulos, nec in ſeruos Domini: tamen etiam illi habent in filiosfamilias, & diſcipulos, virgas, flagella, & alias coactiones conuenientes, & licitas: atque hi in ſeruos, flagra, compedes, carceres. Itaque, & Petro, & Eccleſiæ Chriſtus tribuit, non ſolum authoritatem mandandi, & præcipiendi omnibus, qui in Eccleſiaſtica domo ſunt, ipſis obediendi neceſſitate impoſita, ſed etiam poteſtatem abſcindendi ſuis mandatis, & præceptionibus contumaciter inobedientes à communione corporis eccleſiaſtici. Quæ pœna Chriſtifidelibus merito omni morte terribilior, magiſque formidanda eſt omnibus armis ſecularium Principum, omni eorum coactiua potentia (vbi viget Chriſti religio) delinquentes coercet, frenat, & cohibet efficacius. Si, inquit ille, Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Et cui tandem vere Chriſtiano poteſt non eſt pars Chriſtianæ Eccleſiæ, non amplius contineri in illa arca, extra quam nulli ſalus eſt?

Quam horribilis pœna eccleſiaſticarum cēſurarum.

Theodoſius ille Chriſtianiſſimus alioquin Imperator, tamen pro humanæ fragilitate naturæ, præcipitis & inconſultæ iracundiæ, præſertim ſi quando iuſta aliqua indignatione accenderetur, cum Theſſalonicæ orta ſeditione, ex ſuis magiſtratibus aliquot à furenti multitudine ſaxis obruti, & indigne tractati eſſent, ipſi furorem furori obijciens, in promiſcuam multitudinem immiſſo milite magnam ſtragem edidiſſet, & paulo poſt Mediolanum veniens ad templum de more procederet, à Beato Ambroſio tunc Mediolanenſi Epiſcopo ſibi occurrenti ante veſtibulum, ingredi libera oratione prohibitus, & reprehenſus de admiſſo ſcelere, excommunicationis vinculo ad condignam vſque ſatisfactionem ſubiectus eſt, iuſſusque reuerti in palatium, & ferre patienter vinculum, quod ipſe omnium Dominus deſuper approbaret.

Theodoretus eccleſ. hiſt. lid. 5. cap. 18.

Ambroſij libertas erga Theodoſium.

Quibus, inquit ille, verbis motus Imperator, vt qui in ſacra educatus doctrina ſciret, quæ Sacerdorum, quæque Imperatoris eſſet officia, cum gemitu, & lachrymis in regiam reuertitur. Longo autem poſt tempore (octo enim menſes abierant.) venerat natalitium Saluatoris noſtri feſtum, at Imperator in regia ſedebat lamentans, & lachrymarum impendens ſtillicidia. Quo animaduerſo Ruffinus tunc aulæ magiſter, cuique ob familiaritatem liberius cum Imperatore loquēdi poteſtas eſſet, accedit, & requirit tantarum lachrymarum cauſam, tum Imperator acerbe eiulans, & largiter lachymas profundens: Tu quidem Ruffine, inquit, ludis, meorum enim malorum ſenſu haud tangeris. Ego vero gemo lamentorque in conſideratione calamitatis meæ, quod cum ſeruis, & mendicis pateat diuinum templum, illique libere ad deprecandum Dominum ſuum ingrediantur, mihi cum illud inaceſſum, tum inſuper, & cœlum occluſum ſit. Memoria enim teneo dominicam vocem, quæ manifeſte dicit: Quemcunque ligaueris in terra, is & in cœlo erit ligatus. Tandem cum Ruffini verbis animatus, & in ſpem adductus impetrandæ abſolutionis ab Ambroſio, præmiſſum illud ad exorandum Epiſcopum oratorem ipſe ſubſequeretur, nec

Nota exēplū religioſiſſimi Imperator. Theodoſij.

poſſet

Digitized by Google

poſſet à Ruffino flecti Ambroſius, cum perueniſſet, inquit, ad ſepta ſacra, ipſe quidem templum ingredi non præſumpſit, ſed accedens ad Pontificem in ædicula ſaluatoria deſidentem, prouolutus ad eius genua obſecrat vt ſe vinculis abſoluat.

Humilitas, & pœnitentia Theodoſij.

At Ambroſio tyrannicum dicente aduentum eius, vt qui vim videretur inferre diuinis legibus, & abſolutionem ab anathemate, ſine legitima ſatisfactione, imperiali quodammodo faſtu extorquere: Ego, inquit, contra legum ſanctiones minime me effero, neque contendo inique ſacra intrare veſtibula: ſed te oro, vt vinculis me exoluas, vtque tibi in mentem veniat communis Domini clementia, neu ianuam mihi occludas, quam omnibus qui pœnitudine ducerentur, ipſe Dominus aperuit. Contra vero percontante Pontifice, quam condignam pœnitentiam oſtendiſſet poſt tantum admiſſum ſcelus, qua medicina curaſſet grauiſſima illa vulnera, reſpondenteque Imperatore ipſius eſſe medicinam temperare, qua vulnera illa ſua poſſent curari, ſuum vero eadem vti: tandem exegit Ambroſius, vt legem de dilatione vindictæ ſcriberet, qua iracundiæ ſuffragia irrita redderentur. Et ita demum ab excommunicatione ſolutus, & templum ingreſſus, nec ſtans, nec genibus flexis ſupplicabat Domino: ſed pronus humi proſtratus, Dauidicam vocem emittebat: Adglutinata eſt pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum Domine, manibus capillum vellens, & frontem percutiens, ac guttis fidelium lachrymarum pauimentum irrigans, dari ſibi veniam petebat. Andis impie, audis hoſtis authoritatis eccleſiaſticæ, eiuſdem vim coactiuam ſuper Reges, & Principes, quæ nullo negocio, ſine vllo tumultu, abſque ſeditione, bello aut concuſſione reipublicæ ſibi ſubiecit, ſibi humiliuit Imperatorem, & Imperium, atque vtiliſſime vindicauit admiſſum à Principe immaniſſimum ſcelus in rempublicam, & ſuos ſubditos: Quod non potuiſſet vniuerſa totius imperij coactiua poteſtas, quæ principibus ſubſeruiẽs, etiam impijs ad flagitia, nulla tamen vi redigitur in ordinem, & coercetur ab authoritate illa coactiua, quam Chriſtus dedit Eccleſiæ, modo vigeat in ea Chriſti fides, & religio. Audis ſapientiſſimis, & Chriſtianis dogmatibus rite imbutum Principem non ignoraſſe vim terrificam eccleſiaſtici illius gladij: Quo mihi, inquit, non ſolum diuinum templum, ſed inſuper, & cœlum occluſum eſt. Memoria enim teneo dominicam vocem: quemcunque alligaueritis in terra, is & in cœlo ligatus erit. Quam vtinam memoriter etiã tu tenuiſſes, & quemadmodum ille Chriſtianiſſimus Imperator, etiam tu orthodoxe, & Chriſtiane intellexiſſes, & non erupiſſes in voces illas contra matrem tuam blaſphemiæ. Quin & multos tyrannos inuenies, quos nulla poteſtas coactiua ſecularis cohibere potuit, eccleſiaſticarum cenſurarum terrore fuiſſe cohibitos. Deſiderium Longobardorum regem, Romam proficiſcentem, Adrianus Pontifex ſub anathematis interminatione prohibuit, ne Romanę Eccleſię terras ingrederetur, quæ apud ferociſſimum atque impium Longobardum tanti tamen momenti extitit, vt confuſus taciruſque retrocedens Papiam reuerſus ſit.

Hinc perpende autoritatis eccleſiaſticæ coactiuam efficaciam ſuper Chriſtianos reges & principes

Sed vnam ex multis Henrici eius nominis quarti, hic libet aliquanto prolixius tragœdiam adſcribere, non enim erit ſine operæprecio, & euidentiſſime demonſtrabit, quanto ſit efficacior omni vi, omnibus armis in cohibendis, & ſceleratis, & ſceleribus authoritas eccleſiaſtica. Hic itaque cum in omnia ſcelera, & flagitia prolapſus, euerſo iam ſtatu reipublicæ, turbata tranquillitate Eccleſiarum, ablata maieſtate imperij, euacuata authoritate principum, inuerſis moribus, abolitis legibus, & ſecundum prophetæ elogium, inundantibus maledicto, mẽdacio humicidio, furto, poſtremo diuinis, humanis, ſacris, prophanis cõfuſis omnibus, ipſi iam Regno, & Imperio plane eſſet intollerabilis, nec optimatum, & populorum aduerſus eum toties facta coniuratio de abrogando ipſo, & ſubſtituendo alio quidquam proficeret, ſed rempublicam miſceret cædibus, incedijs, & depopulationibus, ipſo (vt callido erat ingenio) omnia eorum concila, ſceleratiſſimorum quorundam ſibi oberatorum opera, interturbante, impediente, ac diſſipante, & optimates, quibus curæ erat reipublicæ ſalus, perſequente carceribus, proſcriptionibus, & nullo non perſecutionis genere, eum inſuper vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem admonentem corripientemque contempſiſſet, tandem eccleſiaſticæ cõmunioni illi interdictum eſt à Gregorio VII. Rom. Pontifice vna cum quibuſdam, quorum omnia faciebat conſilio, & quos ſuę impietatis miniſtros, conſiliarios, & faueores habebat.

Henricus excommunicatus à Gregorio.

Inter quos cum Guilielmus Traiectenſis Epiſcopus cauſam regis contra bonum, & æquum tueretur obſtinatius, propterea non ſolum nihil faciendam Romani Pontificis excommunicationem alijs perſuadere conaretur, ſed etiam publice diebus ſolennibus inter miſſarum ſolennia, ore rabido multa declamaret, & maledicta congereret in ſanctum Pontificem, periurum, adulterum, & pſeudapoſtolum illum appellans, breui poſt grauiſſima ægritudine derepente correptus, & vltricem in ſe Dei manum ſentiens miſerabili eiulatu coram adſtantibus omnibus vociferatus iuſto Dei iudicio, & vitam præſentem ſe amiſiſſe, & æternam, quod in gratiam regis eccleſiaſticæ authoritati feciſſet iniuriam, & Romano Pontifici viro ſancto, & apoſtolicarum virtutum ſciens, & prudens intuliſſet graues contumelias, & inter has ipſas voces ſine vlla reconciliatione, aut ſalutari pœnitentia expirans infelicem ſpiritum, cæteris quidem vna cum rege excommunicatis terribili exemplo extitit, & optimatum omnium animos religione impleuit, ita vt ſe paulatim omnes à palatio ſubtraherent, ne vetitæ communionis culpam pœnamque incurrerent, nec ad regem, licet crebris, & ſolennibus iuſſionibus euocati, redire ſuſtinebunt, ſatius ducentes regem, quam Deum offendere, corporis quam animæ iacturam facere.

Guilielmi Traiecten. Epiſcopi Pontificiæ in Imperatorem cenſuræ contemptoris miſerabilis exitus, reliquis horribili exemplo extitit.

Quamuis ille contra fruſtra iraſceretur, fremeret, & manibundus in omnes inſaniret, iactitans iniuſtam, & nihil pendendam in ſe Romani Pontificis ſententiam, in quem, & alios ſibi inobedientes, gladium ſuum, quem iuxta Apoſtoli vocem ad vindictam malorum accepiſſe ſe iactabat, iuſte diſtricturus eſſet,

& rebellionis meritas pœnas exacturus, Sed plus valuit apud Principes Chriſtiana Religio, quam deſtituta iam auxilijs vana principis cominatio: quin potius communi voto liberandæ reipublicæ ab impij regis ſeruitute, oppreſſione ac tyrannide, ampliſſimo numero Triburiam conuenientes, & regis oratoribus, per quos omni emendatione promiſſa ipſis reconciliari ſtudebat omnem Imperio cladem, & calamitatem per illum illatam replicantes: Hæc, inquiunt, dum ſola vitæ temporalis detrimenta, dum ſolam famæ, & exiſtimationis labem minitarentur, tametſi viris ferenda non eſſent, tulimus tamen, ne contra iuſiurandum, quo tenebamur, præcipiranter impudenterque venire videremur, & dum gloriæ conſulere conaremur animarum noſtrarum naufragium pateremur. Nunc vero cum ab Eccleſiæ corpore propter flagitia ſua apoſtolici anathematis mucrone præciſus ſit, cum ei communicare ſine communionis eccleſiaſticæ damno, & fidei iactura non poſſimus, cum fidem noſtram multis apud eum Sacramentis implicitam Romanus Pontifex apoſtolica authoritate explicuerit, extremæ profecto dementiæ foret diuinitus oblatam ſalutis occaſionem, non obuijs (vt dici ſolet) manibus excipere. Breuiter reſpondent immobiliter ſe fixum animo tenere, vt abſque vlla dilatione virum ſibi prouiderent, qui præcedat, inquiunt, nos & prælietur bellum Domini ad expugnandam, & deſtruendam omnem cuiuſcunque hominis altitudinem, eleuantem, & extollentem ſe aduerſus iuſtitiam, & veritatem Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſię authoritatem,

Hinc nota quale ex cōfeſſione Imperij ſit noſtrorum Imperatorum officium.

Hæc tum erat procerum, & electorum imperij ad oratores regis reſponſio, quam tamen maturiori deinceps conſilio temperantes, & ſane perpendentes alterius electioni nōdum eſſe locum, donec ille legitimo iudicio non eſſet priuatus imperio, die inſequenti ſuos ad regem deſtinarunt, qui ei dicerent, tametſi nec in pace, nec in bello vlla iuſtitiæ aut legum ipſi cura fuiſſet, ſe tamen legibus cum eo velle agere. Et quamuis crimina, quę illi obijcerentur, omnibus conſtarent luce clariora, ſe tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reſeruare. Acturos ſe cum eo, vt in die purificationis S. Mariæ Auguſtam occurrat, ibique celeberrimo totius regni principum conuentu habito, diſcuſſis vtrinque partium allegationibus ipſe ſuo iudicio, vel addicat, vel abſoluat accuſatum. Quod ſi ante diem anniuerſarium excommunicationis ſuæ, ſuo præſertim vicio non abſoluatur, abſque retractatione in perpetuum cauſa ceciderit, Nec legibus deinceps Regnum repetere poſſit, quod legibus vltra adminiſtrare annuam paſſus excommunicationem non poſſit. Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Romano Pontifici per omnia ſubditum ſe dicto optemperantem fore polliceatur, hinc ſe experimentum capturos, ſi omnes, quos ille excommunicauit, ex templo à conuictu, & contubernio ſuo amoueat.

Annuā excōmunicationem paſſus ipſus ipſo facto priuatus regno & imperio.

Ipſe in Vrbem Spireñ. dimiſſo exercitu ſecedat, ibique ſolo Verduneum Epiſcopo, paucisque miniſtris, quos tamen ſententia principum ab hac excommunicatione integros incorruptoſque probauerit, contentus priuatam interim vitam agat, Eccleſiam non ingrediens, nihil circa publica negocia ſuo iure diſponens, nullam regij apparatus pompam, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi iuxta ſolitum adhibens, vſque ad ſynodicam ſuæ cauſæ examinationem. Præterea ciuitatem Vuormatien. quam expulſo Epiſcopo, diſſipato Cœleſtis militiæ ſanctuario, arcem belli, ſpeluncamque latronum fecerat, abducto præſidio Epiſcopo Vuormatien. reſtituat, datis inſuet Sacramentis, & obſidibus, ne quid deinceps rebellionis, aut inſidiarum à ciuibus timere debeat. Porro ſi quid horum præuaricaretur, tum ſe omni culpa, omni iuriſiurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato vlterius Romani Pontificis iudicio, quid reipublicæ expediat communi conſilio viſuros. Qua neceſſitate coactus rex, qui ſuas omnes ſpes, omneſque copias in arctum coactas videbat, gratulatus ſibi. quod aliqua quantumuis fœda conditione vrgentem ad præſens calamitatem declinaſſet, promptiſſime per omnia obedientiam pollicetur, ſtatimque Epiſcopos, & Principes aliquot excommunicatos, quorum ante hac opera conſilijſque gratiſſime vtebatur, omnes caſtris egredi iubet. Vuormatiam abducto illinc militari præſidio Epiſcopo reſtituit.

Ipſe dimiſſo exercitu iuxta conditum cum paucis Spiram contendit, ibique intra terminos, & leges, quas præſcripſerant principes, aliquanto tempore vitam moreſque mediocriter cohibebat. Principes vero confeſtim legatos Romam deſtinatunt qui Papam omnem rei geſtæ ordinem edocerent enixeq; flagitarent, vt ſedandis per Germaniam tantis bellorum ciuilium tempeſtatibus ipſe ſtatuta die ſuam non dedignaretur præſtare præſentiam. Rex etiam certo ſciens omnem in eo ſuam verti ſalutem, ſi ante anniuerſarium diem excommunicatione abſolueretur, nec ſatis tutum ſuis rationibus exiſtimans, vt expectato intra Germanias Romani Pontificis aduentu ſic infenſo iudici, ſic obſtinatis accuſatoribus, ſuam cauſam ventilandam addiceret, optimum ſibi factu iudicauit vt in Germanias proficiſcenti Pontifici intra Italiam occurreret, & anathematis abſolutionem quoquo poſſet modo impetrare conaretur. Hac impetrata, cæteram rebus difficultatem facilè adimendam, cum colloqui principibus, & conferre conſilia, fidemque amicorum in aduerſis implorare nulla deinceps vetaret religio, Igitur media hyeme paucis ante natalem domini diebus Spira diſcedens, cum vxore, & paruulo filio iter aggreſſus eſt.

Pontifex à Principibus accerſitus in Germaniā arbiter, & Iudex ſedādis regni tumultibus.

Similiter quoq; & cæteri excommunicati obtinēdæ citius abſolutionis ſtudio ardentiſſimè iter accelerabant in Italiam, nec tamen in ſocietatem itineris regem admittere, Romani Pontificis metu abſterriti patiebantur. Superatis à rege cæteris itineris difficultatibus hyeme aſpertima, montes per quos tranſitus erat in immenſum porrecti, & mole niuium, glacialique frigore obrigentes per lubricum præcipitemque deſcenſum, nec equitis, nec peditis greſſum ſine periculo admittebant, & e diuerſo vrgebat anniuerſarius excommunicationis dies è vicino imminens, nec vllas accelerandi itineris moras patiebatur.

Rex media, atque aſpertima hyeme contendit in Italiam obtinendæ abſolutionis gratia.

Itaque

Digitized by Google

Itaque omni conatu, arte ingenio, opera quoque, & manibus conductorum ad hoc indigenarum viribus euicentes pericula, vix tandem eum graui ſalutis ſuæ periculo, ad campeſtria Italiæ peruenerunt. Pontifex interea rogatus à Germaniæ principibus, vt in purificatione S. Mariæ ad diſcutiendam cauſam Regis Auguſtæ occurreret, Roma egreſſus, & quantum poterat profectionem accelerans, vt ſtatuto die præſto eſſet, ex inſperato audiens regem iam eſse intra Italiam, Canuſium diuertit, illic ſubſiſtens donec conſilium aduentus eius certius exploraret, vtrum ſcilicet veniam commiſsorum poſtulare, an vero excommicationis velut iniuriam militari manu perſequi veniret. Quo regem præuenerunt cæteri excommunicati epiſcopi, & ſeculares principes, quos rex extrema neceſſitate compulſus à latere ſuo amouerat, & veniam præſumptæ rebellionis, atque vt excommunicatione ſoluerentur, nudis pedibus, laneiſque ad carnem induti ſupplices poſtulabant. Pontifex his qui veraciter peccatum ſuum agnoſcerent, & deflerent, non eſſe aiebat miſericordiam denegandam: ſed longam inobedientiam, & diuincretam peccati rubiginem diuturnioris pœnitentiæ ignu exuri, & excoqui oportere. Quapropter ſi eos teuera facti deniteret, æquo animo paterentur quodcumq; ſanandis vulneribus eorum adhiberet eccleſiaſticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ, culpa quæ aduerſus Sedem Apoſtolicam, & diſciplinam eccleſiaſticam atrox, & vehemens preſumpta fuiſſet, vel parua, vel nulla videretur. Illis paratos ſe profitentibus ad omnia, quæ impoſuiſſet ſufferenda Epiſcopos omnes à ſe inuicem ſeparatos præcepit ſingulis cellis ſolitarios includi, nec vllum cum aliquo habere colloquium: ad veſperam autem cibi, & potus mediocri menſura refici.

Laicis quoque pro ętatis, & virium conſideratione ſingulis congruentem pęnitentiam indixit. Ita per aliquot dies examinatos tandem ad ſe vocauit, & leniter pro admiſſis obiurgatos, & ne quid ſimile deinceps admitterent commonitos à vinculo excommunicationis abſoluit. Interea, & rex per Mechtildem Comitiſſam aditum tentabat ad Pontificis gratiam, cum qua ex primis Italiæ Principibus, quorum authoritatem magni apud eum momenti eſſe non ambigebat, obſecratum miſit, vt excommunicationis vinculo abſolueretur, nec principibus Theutonicis, qui ad accuſandum eum ſtimulo inuidiæ magis quam zelo iuſtitiæ exarſiſſent, temere fides haberetur. Quibus auditis cum Papa cauſam hanc vniuerſã reijceret in diẽ ſtatutũ Auguſtæ, & ſuaderet, vt illic vna cum regni principibus fiduclaliter occurreret, ſi ſuę confideret innocẽtię: ſe enim illic diſcuſsis vtrarũq; partium allegationibus, nec odio, nec gratia deuoluendum ad iniuriam, ſed iuxta eccleſiaſticas leges quàm rectiſſimam poſſit de ſingulis ſententiam laturum eſſe. Et illi contra inſtarent, regem illius iudicium nuſquam terratum ſubterfugere, vt quem, ſciat æquitatis, & innocentiæ incorruptiſſimum viudicem: ſed è vicino iam vrgere diem anniuerſarium quo excommunicatus fuiſſet, & principes regni hac occaſione ſuſpenſos, attentoſq;

Rex quibus intercefloribus tentabat aditum ad Pontificis gratiam.

Quãtus metus annuæ excommunicationis.

anxiè rei euentum præſtolari, vt ſi ante hunc diem excommunicatione non abſoluatur, deinceps iuxta palarinas leges indignus regio honore habeatur, nec vltra pro aſſerenda innocentia ſua audientiam mereatur: proinde obnoxius ſupplicare, & hoc omni quo Papa iubeat ſatisfactionis genere paratum emereri, vt ſolo interim anathemãte abſoluatur, & eccleſiaſticæ communionis gratiam recipiat, reſponſurus ex integro quacunque die, quocunque loco Papa præcipiat (tanquam nihil hac conuentione actum ſit) omnibus quæ accuſatores eius obieciſſent criminibus, & iuxta ſententiam eius, vel retenturus regnum ſi obiecta purgaſſet, vel æquo animo, ſi cauſa cecidiſſet, amiſſurus, Pontifex id quod poſt accidit veritus, tamen ſuperatus importunitate per vrgentium, vix tandem exoratus annuit, vt veniret comiuus, & ſi veram pro admiſſis pœnitudinem gereret, culpam quam Apoſtolicæ Sedi contumeliam irrogando contraxerat, Sedis Apoſtolicæ decretis nunc obediendo expiaret.

Nota recognitionem.

Venit itaque vt iuſſum fuerat, & cum caſtellum illud triplici muro ſeptũ eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtẽtans põpaticum, nudis pedibus, ieiunus à mane ad veſperam perſtabat Romani Pontificis ſententiam præſtolando: hoc ſecundo, hoc tertio die fecit, quarto demum die in conſpectum eius admiſſus, his tandem conditionibus excommunicatione abſolutus eſt, vt loco, & tempore quæcunque Papa deſignaſſet, euocatis ad generale concilium Theutonicis principibus præſto eſſet, & accuſationibus, quæ intenderentur, reſponderet, ipſo Papa, ſi ita videretur, cognitore cauſarum aſſidente, & ad eius ſententiam, vel retineret regnum, ſi obiecta purgaſſet, vel æquo animo amitteret, ſi probatis criminibus, regio deinceps honore indignus iuxta eccleſiaſticas leges decerneretur, nullam, ſiue retento, ſiue amiſſo regno, huius, iniuriæ vindictam à quoquam hominum in perpetuum exacturus. Vſque ad eum autem diem, quo cauſa eius legitime diſcuſſa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis inſignia ſibi adhiberet, nihil circa rerumpublicarum adminiſtrationem, iuxta conſuetudinem ſuo iure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret: poſtremo præter regalium ſeruitiorum exactionem, quibus ipſe, & ſui neceſſario ſuſtentandi forent, nihil regium, nihil publicum vſurparet.

Pœnitentia regis.

Omnes etiam qui ei ſub iureiurando fidem dixiſſent, ab huius ſacramenti vinculo, & conſeruandæ erga eum fidei debito, apud Deum, & homines interim liberi, expeditiq; manerent. Rutbertum Bambergen. Epiſcopum, & Vdalricum de Cosheim, & cæteros quorum conſilijs ſe rempublicamque perdidiſset, à ſua in perpetuum familiaritate amoueret. Quod ſi purgatis quæ obijcerentur potens, confortatuſque in regno perſtitiſset, ſubditus Romano Pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret, & ad corrigenda quæcunque in regno eius contra eccleſiaſticas leges praua conſuetudine inoleuiſsent, conſentiens ei, & pro virili portione cooperator exiſteret. Ad vltimum ſi quid horum preuari-

caretur, irritam fore hanc (quæ nunc tantopere expetita ſit) anathematis abſolutionem: quin imo iam pro conuicto confeſſoque habendum eſse, nec vltra pro aſserenda innocentia ſua audientiam impetraturum, principeſque regni omni deinceps quæſtione, cuncta iuriſiurandi religione liberatos, regem alium in quem communis conſenſiſset electio, creaturos eſse. Rex gratanter accepit conditiones, & ſeruaturum ſe omnia, quam ſanctiſſimis poterat aſsertionibus, promittebat, atqe etiam ſeptima manu adhibitis ſanctorum reliquijs iurabat, atque hoc pacto ab excommunicatione abſolui meruit.

Hæc ex iuratiſſimis illorum temporum ſcriptoribus, tam Germanis, quam Italis aliquanto recollecta diligentius, & coacta in compendium hic libuit adſcribere, tametſi pro re, & argumento aliquanto fortè prolixius, tamen ex quibus eſt euidenter cernere Chriſtũ non deſtituiſse Petrum, & ſucceſsores eius eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides, authoritate iuriſdictionis etiam coactiua in vniuerſam familiam eccleſiaſticam, etiam in Principes, Reges, Imperatores, & quotquot demum membra ſunt eccleſiaſtici corporis. Vtque vniuerſa ciuilis, quæ inter nos eſt authoritas, ſubiecta, & ſit, & fuerit authoritati, & iudicio Eccleſiaſticæ hierarchiæ principis. Quam longe efficaciorem, & formidabiliorem (conſtante videlicet inter nos religione Chriſtiana) in ſe experiebantur omni gladio ancipiti, omni armata potentia, & nulla alioqui vi, nullis armis expugnabiles tyrannos, & principes, ſubijcientem ſibi, & ad terram vſque humiliantem. Cuius quod nunc languidior vis ſentitur, & parum efficax, alia nulla cauſa eſt, quam ſublatæ, & extinctæ inter nos Chriſtianæ religionis, & fidei, quæ quantum vbicunque viget, tantundem viget eccleſiaſtici gladij authoritas. Tanto ille terrori cuique eſt, quantum credit Chriſto, qui contumaciter inobedientes Eccleſię, aut eius præſidi, illo pręcidi affirmat ab vnitate eccleſiaſtici corporis, extra quã nulli ſalus, ſed omnibus cœlum clauſum eſt. Sed quid tibi ex enarrata iam Henrici videtur tragędia? Nunquid non vides intellexiſse imperium, cui delinquentem grauiter, & enormiter ſuum principem denunciare opporteret? cuius ſubeſse iudicio, & imperio? cuius authoritate, & ſententia accuſatus, aut retinere, aut amittere deberet Imperium? Tametſi (inquiunt) obiecta illa crimina luce ſint clariora, ſe tamen legibus cum eo velle agere, & rem integram Romani Pontificis cognitioni reſeruare, vt totius regni celeberrimo conuentu ipſe cognitor cauſæ ſedeat, ipſe ſuo iudicio vel abſoluat, vel addicat accuſatum.

Quæ cauſa, cur nunc lãguidior ſit authoritas eccleſiaſtica.

Perpende recognitionem Imperij.

Vides quo pacto à ſubditis, cum ſuo principe agendum ſit legibus. Vides iudicem principum, Regum, & Imperatorum, vides ad quem pertineat eos abſoluere, aut addicere. Cuius authoritate amittere, aut retinere regna, & imperia, idque conſona confeſſione, & vnanimi ſententia omnium imperij optimatum, & procerum, atque adeo ipſius etiam Imperatoris, & Principis. Audis inſuper leges palatinas, ſecundum quas annuam excommunicationem paſsus vltra adminiſtrare non poſſit regnum, aut Imperium. Vides denique vim coactiuam authoritatis, & gladij eccleſiaſtici, vt nulla vi, nullo negocio, nullo tumultu, principalem illam authoritatem in ordinem redegerit? quantum ſe demittere, ac humiliare coegerit? vt depoſito omni cultu regio, nec in conſpectum admiſſus Pontificis, quatriduo nudis pedibus, & ieiunijs à mane ad veſperam humiliter expectare eius ſententiam? quas illi impoſitas conditiones gratantur acceptare? Et adhuc negas Romano Pontifici in vllum hominem competere ſuperiorem iuriſdictionis authoritatem, quæ aliquam coactionem habeat?

Sed illi, inquis, ſimplices, & ſtolidi, nec ſuam authoritatem ſatis intelligentes, nimiũ ſubmittendo ſe Sacerdotibus regnum perdiderunt, & imperium. Ego vero nihil minus apud illos fuiſſe dignitatis, authoritatis, & ſapientiæ, quam apud hos noſtros inuenio. Imo tanto hæc omnia apud illos potiora, quanto potior apud eoſdem vigebat Chriſtiana religio: quam à ceruicibus ſuis excutere volentes noſtri, & Eccleſiæ Chriſti detrectantes obedientiam debitam, ſimul omnem etiam in ſuos authoritatem, & illorum mutuam obedientiam amiſerunt, Cuius recuperandæ haud alia certior via eſt quam reſtituta in ſuũ locum, & vigorem religione, quæ omnibus armis efficacius homines liberos continet in officio, Eccleſię, atque eius capiti debitum honorem, reuerentiam, & obedientiam diligenter, & ſollicite deferamus. Ita, & nobis à ſubditis iuſta Dei ordinatione, ac prouidentia deferetur viciſſim debita obedientia, & reuerentia. Et in eccleſiaſtica domo omnibus ſibi ſubordinatis atque in eundem finem feliciter tendentibus officijs, & magiſtratibus, vere conſeruabitur vnitas, pax, & concordia.

Cauilli impiorum remotio.

Vera via reſtituendæ, & conſeruãdæ pacis, & vnitatis in domo eccleſiaſtica.

Sed libet hic iterum percontari hominem quid velit, vt illi ſic liberum pro arbitrio fingere. An nullam eſſe authoritatem in Eccleſia, quæ enormiter peccantes Reges, Imperatores, principes, & tyrannice opprimentes ſuos ſubditos, poſsit corrigere, & punire coactiua quadam potentia? Sed nolle illum hoc 18. primæ ſuæ dictionis conteſtatus eſt: præſertim ſi peccent enormiter ne ſi omnia ipſis impune liceant, vertantur in tyrannidem, atq; adeo beluinam quamdam truculentiam. Hoc itaque quando inter nos conuenit etiam illud conueniat neceſſe eſt: prouideri oportere, vt correctio eiuſmodi fiat ſine grauiori nocumẽto communitatis, aut reipublicæ cui præſident corrigendæ. Iam cogitet quilibet, à quo, aut quibus velit reges, Imperatores, & Principes, qui nullum ſupra ſe recognoſcunt magiſtratum ciuilẽ enormiter delinquentes corrigi. Certe à ſubiecta multitudine, & ſubditis vtiliter hoc ipſum fieri non poſſe, non ſolum euidens ratio, ſed etiam omnium ab initio regnorum, & monarchiarum hiſtoria comprobat, & ſemper ceſsiſſe Infelicisſime, quoties eiuſmodi aliquid à multitudine præſumptum, aut tentatum eſt. Habet enim Principes ſibi obæratam, & obſequentem in quiduis manum militarem, quam facillime immitteret in multitudinis, vt ipſæ diceret ſeditioſæ, & rebellis excidium. Deinde coertionem, ſeu correctionem eiuſmodi Principis neceſſe eſt ordinem iudiciarium præcedere, vt

Clarius oſtenditur, ad quẽ pertineat correctio delinquentium Principum in eccleſia.

Subiectam multitudinẽ nõ eſſe idoneam corrigendi delinquentibus ſuis principibus.

ante

anre accuſetur, & conníncatnr de crimine, deinde condemnetur legirime. Mulra etiam ſuperiorum ſacta aliter æſtimantur à ſubditis, quam ad rectam rarionem diſcuſſa æſtimari oporteat. Sed vniuerſitas multitudinis eiuſmodi actibus iudicialibus aduerſus ſuū principem neutiquam eſt idonea. Quo enim modo inuito principe ad eiuſmodi conuenire poterit? Quomodo eiuſmodi actus indiciales, & coactiuos ſuper ipſum exercere?

Ita equidem eſt, ſine principe aliquo prorſus non poſſe communitatem, aut rempublicam ſubſiſtere: eiuſque felicitarem ex bonirate principis maxima parte pendere ad commune bonum intendenris præcipuè. Attamen quia homines ſunt eriam principes, etiam iu malum procliui vt cæteri, & licentia, atque aliquando qnodam etiam rerum ita ipſos trahentium ac tranſuerſum rapientium impetu, ſæpenumero deteriores cæteris, & legitimam dominationem haud raro conuertentes in tyrannidem, nec principatum propterea abolere oporter, nec ſubijcere ſubiectæ multirudini, quod omnem vigorem ſolueret reipublicæ, ſed omnes vni ſupremæ in eccleſia authoritati, quæ ſola legitimam in omnes iuriſdictionem exercens, nullius alterius quàm vnius Dei ſit ſubiecta iudicio.

Omnes in eccleſia principes vni ſupremæ authoritati ſubeſſe.

Qua in re uobis quam ethnicis longè felicius prouiſum eſt à Chriſto, cum principes omnes noſtri, quatenus membra ſunt, & pars Chriſtiauæ eccleſiæ, ſubſint eriam eccleſiaſticæ hierarchiæ principi, cui denunciari facilè poterunt, qui etiam (vt lege diuina ſunt) facilè cogit ſuo eſſe iudicio obnoxios, & obedientes, ſi modo nos Chriſtiani ſimus. At ethnicis nullum ferè aliud patet remedium aduerſus truculentam tyrannidem ſuorum principum, quàm ſi ab vno aut altero aliquo generoſo ſpiriru, quemcunque fortè commouerit indiguitas, & iniuria ſeu priuata, ſeu publica, manu in libertatem reſpublica vendicata fuerit: vt penè factum videnius in tyrannicidijs, cum ſuperiori nulli authoritati ſubijciantur, quæ legitimam in illos exercere poſſit authoritatem iudiciariam. Certè in Lateranenſi vniuerſali Concilio ſanè celeberrimo, quod ſub Innocentio Tertio celebratum eſt, cuiq; interfuere Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus Patriarchæ, Metropolitani 70. Epiſcopi 412. inferioris ordinis Prælati eccleſiaſtici 800. regum vero Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieruſalem & Cypri oratores. In hoc, inquam, Concilio ex omnium patrum, atque adeo totius concilij ſententia decretum eſt, aut potius ex forma hierarchiæ Chriſtianæ eccleſiæ ita fieri oportere ab omnibus recognitum, vt quoties Chriſtiani orbis principes, qui nullum alium ſupta ſe ſuperiorem tecognoſcereur, delinquerent alter in alterū, aut in ſuos ſubditos, correctionem eorum ad Romanum pertinere Pontificem. Er hactenus quidem falſitatem opinionis prædictæ, & demonſtrationis, qua eandem adſtruere nititur, in efficaciam ſatis ſuperque demonſtrauimus.

CAP. III.

An Chriſtus negando regnum ſuum eſſe de hoc mundo, quin & illud vltro oblatum fugiendo recuſandoque cum ad hoc interpellaretur, iudicium exercere ſuper diſſidentes fratres, quin potius ſeipſum ſubmittendo iudicio præſidis, interdixerit ſuis huius mundi magiſtratus gerere, iudiciariam authoritatem ſuper alios exercere, ſubieceritque ſacerdotium principibus ſæculi.

SVpra indicauimus ſcripturas facilè trahi quocunque, & velut plumbeam quandam regulam haud difficulter applicari impię cuiuis ſententiæ, contra germanam ſuam ſententiam: niſi quis ipſis inflexibilem illam ſuam tectè earundem intelligentiæ amuſſim (quam libro primo demonſtrauimus) adhibeat. Hinc naras rot hæreſes, tot opinionum portenta ex ſcripturis, ſed ſuo, non Eccleſiæ Catholicæ ſenſu intellectis ab hæreticis.

Scripturas facile applicari impiæ cuiuis ſententiæ.

Itaque cum ille hoſtis Chtiſti Eccleſiæ eius aurhoritatem oppugnet ex ſcripturis euāgelicis, & apoſtolicis, earundem primum ex illis ipſis, deinde ex adhibita eiſdem ſua illa amuſſi verus germanuſque ſenſus explicandus eſt, & detrahenda ouiua vellera lupinæ ferirati quæ ſub ejus latitat, prodendumque lethale venenum quod propinatur incautis ſub aromate eloquiorum cœleſtium. Ita enim lethalibus illis ſuis armis exarmata impietas, ſimplicibus obeſſe non poterit.

Conatur ille, vt audiſti, demonſtrare Chriſtum non veniſſe in mundum dominari hominibus, nec ipſos iudicare coactiuo illo iudicio, neque etiam principari temporaliter, ſed magis ſubijci principibus ſæculi. In primis ex eo hoc comprobans, quod coram Pontio Pilato Romani principis per Iudæam Vicario, ſuum regnum negauerit eſſe de hoc mundo, hoc eſt, non veniſſe regnare temporali dominio, & qnomodo regnant mundi principes. Illud ipſum multis prolixe confirmans ſanctorum authoritaribus, & ſententijs, quaſi hoc quiſquam neganerit. Qua equidem in re mirari ſatis non poſſumus huius hominis obcæcatæ mentis odio in eccleſiam, impietatem, atque impiam cæcitatem, qua furioſorum more, quicquid inciderit, ſine delectu arripit, vertit in tela, & conijcit in eos, quos inſequitur. Quid enim obſecro aduerſus nos atque ea quæ adſtruximus facit, quod Chriſtus non venerit regnare temporali dominio? Quis vnquam hoc Chriſtianus affirmauit, quod nemo ignorat & verbo & opere negaſſe Chriſtum? Neque enim venit, vt eſſet præſes Prouinciæ, proconſul, prætor, Rex, Imperator, aut vt eiuſmodi aliquem Magiſtratum inter homines gereret. Indignum enim hoc Dei Filio, vt ob eiuſmodi è ſinu Patris deſcendens humanam naturam aſſumeret, & in mundum veniret, quis negat? venit enim vt peccatores ſaluos faceret,

Ad quid Chriſtus in mundum venerit.

vt

vt vniuerſum humanum genus à ſeruitute myſtici illius Pharaonis, è faucibus diaboli, à morte æterna, cui erat obnoxium, liberaret ac redimeret, & regni cœleſtis, vnde protoplaſti præuaricatione exciderámus, filios, cohæredes,& ciues aſſiceret, & regnum quoddam aliud hic conſtitueret in terris (hoc eſt, catholicam ſuam eccleſiam) in quo ſibi ſeruientes, perduceremur ad illud cœleſte. Et hoc ipſum, vt profundiſſima ſui humiliatione, vt ſame, ſiti, laboribus, vt accerbiſſima & ignominioſiſſima eius morte fieret, ab æterno diſpoſuit æterna Dei ſapientia. Ita nobis conteſtatum faciens, quantum illud qualeq; eſſet, propter quod incomprehenſibilis illa maieſtas, ad tam humilia ſe demitteret, propter quod vix patienda cuiquam ſuſtineret, noſque excitaret à ſomno, atque adeo lethargo quo tenebamur oppreſſi, ad hoc ipſum, vt ad rem maximi momenti, attentos, diligentes, ſollicitoſque redderet, nec illius reſpectu quæcunque huius mundi aut proſpera, aut aduerſa, vel tantilli facere doceret. Quid deinde? Nunquid venit Chriſtus vt hic inter nos huius ſeculi more eſſet prætor, conſul, Rex, Imperator, ergo Diſcipulis ſuis omnibus interdixit eiuſmodi magiſtratuum officia? Nõ venit hic temporaliter regnare aut imperare, nec impedire, aut ſibi vendicare huius mundi dominationem, vt Auguſtinus, & catholica fides palam confitetur, non priuare mundum ſua illa prouidentia, & prælatione, vt Chryſoſtomus, ſed nouum, & ſpiritale ſibi regnum conquirere, ſpiritale, inquam, propter bonum videlicet, & ſalutem ſpiritus, vt regna mundi ſunt propter bona externa, & corporis. Cuius voce hoc dictum eſt apud Ioannem: Dignus es Domine accipere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes & regnabimus ſuper terram. Hoc ipſum tamen ſuum regnum, etiam diligentiſſimè conſtituto ordine, ſub vno eius rectore ac Paſtore Petro, atque eius ſucceſſoribus (vt ſupra clariſſimè demonſtrauimus) diſpoſuit. In hoc ipſum etiam huius mundi principatus, & magiſtratus introduci voluit, & ad regni illius ſui bonum, vtilitatem, finem, omnia eorum officia ordinari ac dirigi, omnes ſubeſſe eiuſdem à ſe conſtituto Paſtori ac præſidi, cui authoritatem dedit omnium, qui ad hoc ſuũ regnum pertinent, obligatam: atque eidem omnes ſine exceptione, Magiſtratus, Reges, & Imperatores obedire præcepit, eos tamen qui ſui illius regni vellent eſſe particeps, atque eidem vltro ſe ſubieciſſent. Vltroneos enim, & ſpontaneos tantum ſeruos admittit Chriſtus. Qui enim extra hoc Chriſti regnum permanent, vt non obligantur legibus eiuſdem, & authoritate illa principali, qua gubernatur, & in finem ſuum dirigitur, ita nec ipſum eius finem poſſunt aſſequi, hoc eſt, ipſum regnum cœleſte. Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi (vt huic Chriſti regno, hoc eſt, catholicę eccleſię ſub nomine Hieruſalem Propheta loquitur) peribit. Non interdixit ſuis huius mũdi Magiſtratibus, principatibus, Imperijs, ſed voluit vt ſeruirent, vt ſubeſſent, non dominarentur ſuæ eccleſiæ, cuius vt pars ſunt & membra quædam præcipua: Ita neceſſe eſt, vt eccleſiaſticis legibus pareant, vt ſubſint & obediant capiti hierarchiæ eccleſiaſticæ, cui mandata eſt totius cura & gubernatio, poſtquam illud Apocalypſis impletum eſt, quod ſeptimus Angelus tuba cecinit: Factum eſt, inquit, regnum huius mundi Domini, & Chriſti eius.

Modus aduentus redemptionis noſtræ myſterio conueniens.

Regnum Chriſti catholica eccleſia.

Apocal. 5.

Omnes principatus, & magiſtratus qui in regno Chriſti ſunt ſubeſſe eiuſdem paſtori ac præſidi.

Quod vero dicit ille etiam ipſum Chriſtum non facto ſolum, ſed iure ſub fuiſſe iuriſdictioni Pilati, Vicarij Cæſaris, quodque iuſtam ille habuiſſet cõdemnationis eius cauſam, ſi ſe regem confeſſus fuiſſet Iudæorum more huius ſeculi, multa hic falſa congerit, quæ tamen ſi darentur, nihil aduerſum nos facerent.

In primis hoc mihi reſpondeat quiſquã, qua authoritate Pilato competijt, non ſolum in Chriſtum, ſed in vnumquemlibet alium è plebe Iudęorum Hieroſolymæ, ordinaria illa & legitima iuriſdictionis authoritas. Dices, ex commiſſione Cęſaris Romani Imperatoris. Cæſari vero vnde aut qua authoritate, ſeu in Romanam rempublicam, ſeu in Iudæos competijt eiuſmodi iuriſdictionis authoritas? nũquid ex commiſſione legiſlatoris diuini aut humani (vt tu loqueris) hoc eſt, vniuerſitatis eorum quibus ſuperintendebat eiuſmodi authoritas? Sed iure belli inquies. Ad hoc enim neceſſe eſt vt confugias, cum certum ſit ipſos vi & armis, cum nihil ad ipſos pertineret, antea proſcriptis, & interfectis optimatibus ciuium, id ſibi vſurpaſſe in inuitos. Nihil ne igitur intereſt, iuſto ne, an iniuſto bello quis quem deuicerit, vt in legitimam ſeruitutem redigat? Si nihil, ergo vniuerſum hoc ius in armis eſt, in vi, vſurpatione & potentia. Si iuſto tantum bello deuicti ſubijciuntur victoribus, quis hic iudex iuſti & iniuſti erit? Et quæ tandem Cæſari in Romanam rempublicam cui erat ſubditus, iuſta belli cauſa eſſe potuit? quæ in conciues, viros optimos & ſe meliores? quæ vt in rempublicam conuerteret, ſibi tanquam ciui credita arma reipublicæ? vt conciues ſuos interimeret, proſcriberet, & ſui ſeruituti ſubijceret? Vt tamen hic quiſquam fingat Cæſaribus quacunque ratione legitimam authoritatem competijſſe in Romanam rempublicam, certum tamen eſt, nec illis, nec Romanæ reipublicæ legitimam vllam authoritatem competijſſe in regnum Iudæorum, in quod diſſidentibus inter ſe Ariſtobulo, & Hircano Alexandri Pontificis & legitimi Iudæorum Regis filijs, de Principatu & Imperio contra ius, fas, & publicam fidem Pompeius Romani populi nomine, per eam occaſionem ſe perfide ingeſſit, Iudæamque cum exercitu ingreſſus Hieroſolymam cepit, templum Domini prophanauit, & ad Sancta Sanctorum, quo non niſi ſummis Sacerdotibus ſemel in anno ſecundũ legem patebat aditus, temerarius prophanator acceſſit, confirmatoque Hircani Pontificatu regnum ſibi, hoc eſt, Romano populo vſurpauit, & in poteſtatem eorum redegit, fecitque tributarium, quod ad illos Alexandri filios legitimo iure ex ſucceſſione ſpectaſſe, docet ſacra Machabæorum hiſtoria. Ipſis ſiquidem Machabæis, & eorum ſucceſſoribus in Simone lege perpetua, ex communi tam Sacerdotum, quàm vniuerſi populi Iudæorum

Regnum Iudæorum legitimo iure pertinuiſſe ad Machabæi filios.
Macha. 14.

rum conſenſu, & decreto delatum fuiſſe vna cum ſummo ſacerdotio, etiam regni ipſius Iudaici ſceptra & gubernacula, donec, inquit, ſurgat Prophera fidelis, & vt ſit ſuper eos dux & vt cura eſſet illi pro ſanctis, & vt conſtitueret præpoſitos ſuper opera eorum, & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia, vtque illi obediatur ab omnibus, & ſcribantur in nomine eius omnes conſcriptiones in regione, & vt operiatur purpura & auro. Et ne liceat vlli ex populo aut ex Sacerdoribus irritum facere aliquod horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut conuocare conuentum in regione ſine ipſo, & veſtiri purpura, & vti fibula aurea. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquod horum, reus erit. Et complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundum verba iſta. Et ſuſcepit Simon & placuit ei, vt ſummo ſacerdotio fungeretur, & eſſet Dux, & Princeps gentis Iudæorum & Sacerdotum, & præeſſet omnibus. Et ſcripturam iſtam duxerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribulo ſanctorum, in loco celebri, exemplum autem eorum ponere in ærario, vt haberet Simon, & filijs eius. Hactenus ſacra Machabæorum hiſtoria. Vides itaque vt legitimo iure (ſi quod vnquam regnum cuiquam) pertinuerit regnum illud Iudæorum ad Machabæi filios, Simonem & eius ſucceſſores. Quod cum non ſolum nihil ad ſe pertinens, non ſolum nulla ab eodem laceſſiti iniuria, ſed etiam contra fidem publicam, & amicitiæ ac ſocietaris fœderaque cum eodem Simone, & ante cum Ionatha, & Iuda eius fratribus, tabulis æreis perſcripta, & miſſa Hieroſolymam in loco celebri conſtituenda, & in publicæ fidei teſtimonium in perpetuum conſeruanda ſancte percuſſerant, ſibi vi & armis vſurpauerunt, quale ius belli hic quiſquam poteſt fingere, in euidentiſſima iniuria, & perfidia?

Chriſtum etiam vt hominem fuiſſe regem regum, & Dominum dominantium nec vllius iuriſdictioni ſub fuiſſe legitimè Apoca. 19.

Sed vt daremus Pilato legitimo iure tunc competijſſe per Iudæam aut in Hieruſalem ordinariam iuriſdictionis illam, quam ſibi vſurpabat, authoritatem ex commiſſione Cæſaris, quod Chriſtus illi de iure fuiſſet ſubditus, nequaquam verum eſt. Quum enim Chriſtum audis, Deum audis & hominem, in cuius veſtimento & fœmore ſcriptum eſt: Rex regum, Dominus dominantium. Et quod veſtimentum eius, quàm humanitas, ſub qua tegebatur diuinitas? quæ & ipſa fœmoris eius nomine ſignificatur, vt aſſumpta & nata ex vtero Virginis, & veluti inferior quædã indigniorque pars Chriſti. Ex quo clarè conſtat, Chriſtum etiam vt hominem, vere fuiſſe Regem regum, & Dominum dominantium, ſeu Principem (vt idem etiam Ioannes dicit) regum terræ. Quo igitur iure hic Pilati authoritati, & iuriſdictioni ſubiectus eſſe potuit? Subiectus quidem illi fuit, ſed quia voluit, non quia debuit. Quanquã quod negamus de Chriſto, nequaquã diffiteremur de Apoſtolis eius, eorumq; ſucceſſoribus Epiſcopis cæteriſq; Sacerdoribus, atq; adeo de capite aut præſide eccleſiaſticæ hierarchiæ Petro. Hos enim tibi facilè concederemus iure ſubiectos fuiſſe legitimè authoritati ciuili in his, in quibus degebant, ciuitatibus, regalis aut ciuilibus cõmunitatibus, quandiu eiuſmodi communitates, reſpublicæ, regna imperia, cum vniuerſa ſua ciuili anthoritate huic Chriſti regno ſeſe nondum ſubiecerant. Quemadmodum etiam modo Chriſtianus, ſeu Presbyter, ſeu Epiſcopus, inter ethnicos viuens, nullo iure à ciuili iure, & ſeculari cui illi ſubiacerent authoritate, & iuriſdictione exemptus foret, quin potius ſubeſſe illi, & obedire teneretur, quando poſſet ſine pietatis præiudicio quemadmodũ ceteri.

At quæ regna, & imperia iam Chriſti regno ſeruiunt, illorum Reges, & Imperatores ipſius Chriſti Vicario eiuſdem regni rectori, & præſidi, obedientiam, & ſubiectionem debent, non vice verſa, illius iudicio ſubijci, non illum iudicare ſecundum leges Chriſti, & Eccleſiæ ſua exercere officia, non vero eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi leges præſcribere. Quod vero dicit Pilatum iuſtam habiturum fuiſſe cauſam animaduertendi in Chriſtum, ſi Iudæorum regem ſe confeſſus fuiſſet, patet ex prædictis eſſe falſiſſimum, cum nec Pilato nec Cæſari vllum legitimum ius in regnum Iudæorum competierit, ſed ſi cuiquàm, maximè competijt Chriſto, qui erat finis, & Sacerdotij illius veteris, & legis, & regni vniuerſi, quem ſemper expectauerant ſibi regem fore in lege promiſſum. Quare, vt ſupra audiuiſti, Simonem illum Machabæum, & eius filios, Sacerdotes vna cum optimatibus, & populo, communi decreto, lege perpetua ſibi conſtituerunt principes: donec, inquiunt, ſurgat propheta fidelis. Vides omnium Iudæorum votis, & expectatione ſemper expectatum Chriſtum, & Meſſiam in lege promiſſum, regem ſibi fore. Nam ad eius vſque aduentum Simoni atque eius poſteritati regnum ſtabilierunt, quod illi aduenranti legitimo iure deberi ſignificauerunt, velut expreſſe proteſtantes in eius præiudicium, & iniuriam nihil ſe velle facere. Quanquam ille terrenum hoc vnius Iudeæ regnum contempſerit, ſed aliud regnum ſuſcitare venerit, cui ſeruire deberent huius mundi regna vniuerſa, ſi modo ab æterna internitione ſaluari cuperent.

Cur Chriſtus aufugerit cognoſcens venturos Iudęos, vt ſe vel inuitum ſibi regem conſtituerent.

Itaque quod adducitur ex Ioanne, Chriſtum aufugiſſe cum cognoſceret venturos Iudæos, qui ſe vel inuitum ſibi regem conſtituerent, nihil ſanè mirandum eſt, cum peragendo, ad quod vnum venerat, humanæ redemptionis myſterio id non congrueret. Quandoquidem in ſanguine illius agni immaculati illud perficiendum teſtabantur, & ab initio ante legem, & in lege inſtituta ſacrificia, & prophetarum oracula.

Quod vero ex Chryſoſtomi ſentẽtia vult, illic Chriſtum facto ſuo nos docuiſſe mundanas dignitates contemnere, mihi non diſplicet. Nihil enim Chriſtiano magnifaciendum eſt, niſi quod Chriſto regi ſuo ipſum conciliat, niſi quod animæ noſtræ æternam operatur ſalutem, quod ad regnum illud cœleſte nos perducit. Et reuera vbi ad recte rationis trucinam expenditur in felix iſta principum huius mundi felicitas, nihil in eorum ſtatu vel ethnicus homo inueniet, quod magnopere ambiendum, & expetendum ſit. Id quod re ipſa coacti ſemper confeſſi ſunt omnes, quibus aliquid ſanæ mentis fuit ſub ipſo onere ac pondere adeptorum iam, quos ante mirabantur, & maximopere ambierant, eiuſmodi magiſtratuum. Tamen ſi quis principatum deſideret ad Chriſtum atque eius gloriam reſpi-

ſpiciens, vt eius, non ſuum regnum dilatet, & ampliet, vt publicam, & ſubditorum tantum, non ſuam vtilitatem quærat in regno, & imperio, qui, inquam eiuſmodi intentione epiſcopatum deſiderat aut imperium (vt dicam cum Apoſtolo) bonum opus deſiderat, nec male facit: ſi tamen ante expenderit, num tanto oneri ſufficiat, ſi talis ſit qui dignè imperare poſſit aut præeſſe. Oportet enim Epiſcopum, inquit ille, irreprehenſibilem eſſe, & quæ ſequuntur reliqua. Sed hæc nihil aduerſum nos faciunt. Non tollunt authoritatem ſacroſancti magiſtratus, quem Christus in hoc ſuo regno in Petro inſtituit, nec dant Eccleſiæ filijs, illi rebellandi aut inobediendi licentiam, cui tantum ſubiecti non ſunt qui ad Eccleſiam non pertinent, ſed ſimul nec finem aſſequuntur ſocietatis eccleſiaſticæ, animarum videlicet ſuarum ſalutem, vt nulli optanda ſit eiuſmodi libertas. Nec debet qui ſacroſanctum illum magiſtratum gerit in Eccleſia, ſuam authoritatem negligere, ſed in aliorum exemplum vindicare contumacem omnē inobedientiam, eccleſiaſtici huius corporis membra vniuerſa diligenter in officio continere, & quæ iam vergunt in euidentem totius pernitiem, ab eodem reſcindere.

Cur Chriſtus recuſarit eſſe iudex inter fratres ſuper paterna hæreditate.

Æque nihil nobis aduerſatur, quod interpellanti de turba cuidam, vt fratri ſuo diceret ſecum hæreditatem diuidere, reſpondit Chriſtus: O homo quis me conſtituit iudicem, & diuiſorem ſuper vos? Nam & ipſe Marſilius, quamuis præter ſuam intentionem, rectam eius intelligentiam continuo ſubiunxit. Quaſi, inquit, diceret: Non ad hoc veni, non ad hoc miſſus ſum, vt ciuiles lites iudicio dirimam, ſed vt humanum genus mea obedientia, humilitate, paſſionis ignominia, & morte turpiſſima redimam, vt omnium dolores in me perferam, pro omnibus iniquitatibus vnus ego ſatisfaciam. Deinde, quo pacto ſibi vſurpaſſet Chriſtus illam præcipiendi authoritatem ſuper eos, qui ad ſuum regnum nondum pertinebant, qui ſibi nondum erant ſubiecti, & ſubdidit? Per hoc tamen conſtituto iam ſuo regno noluit ſuis in eo vicarijs, eccleſiaſticæ hierarchiæ præfectis interdictam authoritatem præcipiendi Eccleſiæ filijs, ſi qui ob diuidendam aut hæreditatem, aut quamcunque rem aliam inter ſe diſſiderent, & turbarent pacem eccleſiaſticam, vt ſuo iudicio ad rationem iuſtitiæ controuerſiam inter ſe componerent, præſertim quando nullam ſupra ſe poteſtatem ciuilem recognoſcerent.

Sed nihil præiudicare authoritati eccleſiaſticæ.

Epilogus.

Atque hactenus quidem, quod Chriſtus regnum ſuum non eſſe huius mundi affirmando, ipſumque vltro oblatum fugiendo, recuſandoque iudicium exercere ſuper diſſidentes fratres, ſed ſeipſum ſubmittendo iudicio præſidis, nec diſcipulis ſuis huius mundi regnis aut magiſtratibus inter dixerit, nec iudiciariam ſuper alios authoritatem exercere, nec Sacerdotes ſuos ſubiecerit principibus ſecularibus qui in Eccleſia ſunt, quin contra potius illos omnes ſubiecerit ſummo Sacerdoti eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, ſatis à nobis explicatum eſt.

CAP. IV.

Rationibus reſpondere, quibus nititur demonſtrare, Chriſtum tam opere quam ſermone docuiſſe vniuerſos, æque Sacerdotes, ac Laicos, realiter, & perſonaliter ſubijci debere coactiuo iudicio principum ſecularium.

HIc rurſus te oro Chriſtiane lector, vt videas quam nihil videat impietas. Quandoquidem Chriſti Sacerdotes vniuerſumque eccleſiaſticæ hierarchiæ ordinem, atque adeo totius Eccleſiæ rectorem, & principem, ſubiectos ſecularibus principibus, qui in Eccleſia ſunt, hoc eſt, paſtorem ouibus, & caput membris aduerſus omnem rerum ordinem, & naturam clariſſime demonſtratum vult ex reſponſione Chriſti ad Iudæorum interrogationem, num cenſum liceret dare Cæſari dicentis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Cum ergo contra his verbis nihil oneris, nihil tributi pendendum Cæſari ſuis fidelibus, ſeu laicis, ſeu diuino ſpecialiter mancipatis cultui impoſuiſſe Chriſtum, nihil agnouiſſe authoritatis Cæſari in quenquam, ex ipſis Chriſti verbis, contextuque euangelicæ hiſtoriæ dicam eſſe clariſſimū. Quod vt intelligas, primum hoc volo tecum perpendas, ſubdole Chriſtum interrogatum à Iudæis, non quidem an tenerentur, ſed an liceret cenſum dare Cæſari. Aliud nanque eſt obligari ad dandum, aliud licite dare, aliud præterea licite accipere. At illi interrogabant, non an obligarentur ad dandum, non an ille etiam vltro datum licite acciperet, ſed an ipſis dare liceret. Struebant autem illi in interrogatione inſidias, adhibitis vna ſecum militibus præſidis, vt quicquid reſpondiſſet, haberent vnde conflarent calumniam. Si annuiſſet liceret, hoc ipſo derogaſſent famæ eius apud populum, qui inuitus, & vi coactus ſeruiebat Romanis: quaſi ipſe in hoc adularetur vſurpato in eos contra ius, fas & leges, Romanorum principatui, nec propter eius metum auderet libere veritatem docere: ſin negaſſet, hoc manu vindicaſſent milites, & comprehenſum tradidiſſent præſidi, tanquam contradicentem poteſtati Cæſaris. Quare & cum tali ipſum præfatione adoriebantur: Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonarum hominum. dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet cenſum dare Cæſari, an non? Quorum dolos, & inſidias intelligens Chriſtus, & cauta reſponſione eludens, nec affirmauit licere vt darent tributum Cæſari, nec negauit, ſed quæſita illis reſpondendi anſa ab oſtenſo ſibi denario habente imaginem, & inſcriptionem Cæſaris: Reddite ergo, inquit, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo. Non dixit, vt dare deberent tributum Cæſari, neque vt dare liceret. Sed reddite, inquit, illi quod ſuum eſt. Quaſi diceret: Si quid ab illo accipitis, æquum eſt, vt quid eidem viciſſim reddatis. Sed ex hoc minime infertur, Sacerdotes

omnes,

omnes, & Epiſcopos, in realibus (vt ille loquitur) eſſe ſubiectos authoritati Cæſaris, hoc eſt, ex bonis ſuis illi obligari ad perſoluendum tributum. Non enim loquitur fidelibus ſuis, & regni ſui ciuibus, ſed prophanis illis, ac inſidiatoribus Iudæis. Nec tamen illos ipſos ad tributum Cæſari perſoluendum dixit teneri, imo nec quod licite illi tributa perſoluerent, quod ipſum nec voluit negare aperte, ſed ita reſpondit, perinde ac ſi diceret: Si quid accipitis à Cæſare, reddite illi viciſſim quod ſuum eſt. Quod ſi non ſolum illos Iudæos, ſed etiā ſuos omnes, tam Sacerdotes, quam laicos voluiſſet eſſe obligatos ad perſoluenda tributa Cæſari, nunquid dubitaſſet ſimpliciter affirmare, non ſolum licere ipſis (de quo tantum interrogabant) perſoluere tributum Cæſari, imo ad hoc ipſum illos obligari, nec illos tantum, ſed & cæteros vniuerſos. Et quę ſalus erit Italis, Gallis, Hiſpanis, Britannis, qui tot annorum centurijs nullum tributum perſoluerunt Cæſari, ſi Chriſtus omnes ſuos illis verbis obligatos voluit tributum dare Cæſari? Sed per Cæſarem, inquis, omnem legitimam huius ſæculi ciuilem poteſtatem Chriſtus intelligit. Imo non ſic intellexiſſe, clariſſime indicat præcedens, cui reſpondet, interrogatio, quæ non dequalibet ſuperior legitima poteſtate interrogat. Ita enim non fuiſſet dubia quæſtio. Neque enim hoc interrogabant, an patres eorum legitimis ſuis regibus licite tributa perſoluerint, ſed an ipſis liceret tributum dare Cæſari, principi extero, & qui contra ius, fas, & leges, vi, & armis, ſibi ſuper illos vendicaſſet Dominiū.

Quod vero ille colligit ex verbis Chryſoſtomi omnes teneri in omnibus ſubeſſe Cæſari, modo pietati non repugnent. Primum, vt ita ſenſiſſet Chryſoſtomus, nullum faceret nobis contra ſentientibus præiudicium, cum vnius Chryſoſtomi ſententia non ſit certum, & infallibile indubiæ veritatis demonſtrandæ principium. Quandiu enim vnumquemlibet hominem audio ei, quæ mihi videtur, veritati contradicere, fidenter illi oppono vocem propheticam: Omnis homo mendax. At cum canonicam ſcripturam, aut communem Eccleſiæ ſententiam, non ita. Nam & columnam, & robur firmamentumque veritatis, illam prædicat Apoſtolus.

Chryſoſtomi verba quomodo ſane intelligē da ſint.

Deinde etiam ab ipſius Chryſoſtomi ſententia longiſſime abeſt, quod ille ex verbis eius colligit. Tu autem, inquit ille, cum audieris: Redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: illa ſcito eum dicere ſolum, quæ in nullo pietati præiudicant. Quia ſi aliquid tale fuerit, non adhuc Cæſaris eſt, ſed diaboli tributum. Primum his tantum illum loqui indubitatum eſt, qui Cæſari legitimo iure ſubiacent. Conſtat autem, & illo tempore fuiſſe, & nunc eſſe plurimos, qui Cæſari nullo iure ſubiacent. Deinde hoc tantum dicit, Cæſari præcipienti aliquid pietati præiudicans, à ſuis ſubditis in hoc obedientiam non deberi. Cum enim audis: Redde quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: hoc ſcito, inquit, dicere eum ſolum, quæ in nullo pietati præiudicant. Non tamen per hoc affirmat in omnibus illi obedientiam deberi ab omnibus, quæ pietati non præiudicant, ſed quæ præcipit ſibi ſubditis: deinde, quæ ſecundum limites authoritatis ſuæ præcipit,

Qui, & in quibus obediētiam debeāt Cæſari.

quos ſi quando tranſgrederetur, obedire illi non tenerentur nec ſubditi, etiam ſi poſſent ſine pietatis præiudicio. Nunc vero ita res habet, vt eccleſiaſticæ hierarchiæ præſules, non ſubſint, ſed præſint Chriſtianis omnibus, Principibus, Regibus, & Imperatoribus, nec illi his, ſed hi illis obedientiam debeant.

Ad obiectionem ex verbis Ambroſij.

Nec rurſus nobis aduerſatur Diui Ambroſij inducta per illum ſententia dicentis: Soluimus quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Tributum Cæſaris eſt? petit Imperator tributum? ſcilicet non negatur, agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Hoc enim in verbis Ambroſij inductis diligenter obſeruandū eſt, quod non enunciatiue, ſed interrogatiue loquatur. Tributum Cæſaris eſt? Imperator tributum petit? Memor enim erat vir ſanctiſſimus hac in re, atque in eo Eccleſiæ ſtatu, exempli Chriſti, qui quamuis nihil deberet Cæſari, tamen ne ſcandalum concitaret, iuſſit Petro pro ſe, & ipſo exactoribus tributi ſtaterem perſoluere. Nondum tunc fidei iugo & Eccleſiæ prorſus colla ſubmiſerant reges mundi, & principes, nondum ſeruierunt regno Chriſti. Quin potius omnibus imperij viribus illud ipſum frequenter perſequuti ſunt Impijſſimus ille Valens Imperator, eo tempore, toto orbe orthodoxos grauiſſime inſectatus eſt. Iuſtina Auguſta Arriana impietate infecta, vrgebat illū ipſum beatiſſimum Ambroſium, vt aliquot hæreticis baſilicas traderet. Tunc itaque merito dixit ſanctus Epiſcopus: Si Imperator tributum petat, accipiat etiam ab agris Eccleſiæ, non negamus ſoluere. Quandoquidem id poſſumus ſine pietatis præiudicio. Nec tributum ſolum petenti, ſe minime negaturum reſpondit, imo inquit, ſi vult me rapere ad mortem, occurram.

At Eccleſias, & Baſilicas tradere non putauit ſe poſſe ſine pietatis pręiudicio. Itaque vbi iam Imperatores, & Reges, Eccleſiæ vltro ſeruiſſent, vltro volenteſq; ſe ſubmiſerunt, alia ratio, alia cōditio eſt. Nec iam debent ipſi agris Eccleſiæ tributum imperare, ſed eorundem potius libertatem tueri, præſertim cum hoc ita exigere omnem rationem, æquitatem, & iuſtitiam intelligentes religioſi, & ſapientiſſimi principes, etiam publicis legibus ſancierunt libertatem atque immunitatem bonis ac prædijs eorum, qui diuino cultui ſpecialiter mancipati ſunt. In hoc itaque Eccleſiæ ſtatu, maluerunt ſanctiſſimi Pontifices etiam vitam Chriſto impendere, quam Eccleſiaſticam hanc libertatem impiorum regum ſeruituti rurſus ſubijcere. Quorum exemplum S. Thomas Cantuarienſis Epiſcopus, & martyr ſeipſum exibuit.

Non infirmari, ſed cōfirmari potius libertatem eccleſiaſticam ex Chriſti verbis, & exēplo, quibus præcepit Petro per ſe, & ipſo tributum ſoluere.

Quod vero ad eandem impietatem confirmandam adducit exemplum Chriſti, qui publicanis tributorum exactoribus non negauit ſoluere, ſed iuſſit Petro, vt etiam pro ſe, atque ipſo quantum exigebant, perſolueret: addens, potuiſſe (ſi putaſſet inconueniens ſuos in regno ſuo Vicarios Sacerdotes & Epiſcopos, huius ſæculi principibus tributa perſoluere) malum hoc exemplum in ſeipſo non edere, vt omnipotens æterni patris infinita ſapientia. Quin potius voluiſſe contrarium ſuo nos exemplo docere, ne ſibi indignum putaret Diſcipulus, quod vidiſſet magiſtrum facere. Dicimus non infirmari, ſed confir-

mari, dicto Chriſti exemplo & verbis noſtrã ſententiam. Nam prius, quam committeret Petro, vt pro ſe & ipſo exactum tributum ſolueret, ipſum docuit & inſtruxit quod iure ad eius ſolutionem non tenerentur, dicens: Quid tibi videtur Simon, reges terræ à quibus accipiunt tributũ vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? illi vero reſpondenti, ab alienis? dixit Ieſus: Ergo liberi ſunt filij, vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me & te. Quæ Chriſti verba plena alioqui & fœcunda myſterijs, quod ad rem præſentem attinet, clariſſimè indicant, & Chriſtum, & Petrum à tributo præſtando ipſo iure fuiſſe liberos, tamen exactum pro tempore ſoluendum ad vitanda ſcãdala. Ne, inquit, ſcandalizemus eos, ſignificans, alioqui non ſe ſoluturum ceſſante ſcãdalo. Quod ſanè intelligens Origenes: Conſequens autem eſt, inquit, intelligere ex verbis Chriſti, quod quoties exurgunt quidam, qui per iniuſtitiam tollunt noſtra terrena, tranſmiſſi à regibus terræ, vt exigant à nobis velut quæ ipſorum ſunt, ſuo quidem exemplo prohibet Dominus aliquod ſcandalum fieri, etiam eiuſmodi hominibus, ſiue ne amplius peccent, ſiue vt ſaluentur, filius enim Dei, qui nullum opus fecit ſeruile, quaſi habens formam ſerui, quam propter hominem ſuſcepit, tributum & cenſum dedit. Vides vnum hoc ſuo exemplo nos docuiſſe Chriſtum, vt iniuſte auferentibus noſtra (quod à regibus huius ſæculi dicit fieri, cum à nobis quaſi ſuũ tributum exigunt) non reſiſtamus ad cauendum grauius ſcandalum, etiam in illis, quamuis iniquis, & iniuſtis, vt noſtra humilitate, & patientia prouocati, conuertantur ad Chriſtum & ſaluentur: aut ſaltem, ne noſtra denegatione irritati, grauius peccent. Qualiter & illa eius præcepta intelligenda ſunt, de non reſiſtendo malo, & de relinquendo & pallio ei, qui aufert tunicam, & de præbenda, & altera maxilla ei, qui alteri infligit alapam.

Origenes.

Quod inſuper ex eo demonſtraſſe exiſtimat, omnes Chriſti Diſcipulos, ſeu laicos, ſeu Sacerdotes, & Epiſcopos, ſubeſſe etiam in perſonis ſuis mero Imperio ſæcularium principum, quod Chriſtus eidem ſubiectus fuerit, hoc ipſum comprobans, quia ſe capi permiſerit, duci ad Pilati prætorium, & per ipſum demum iudicari, & condemnari crucis ſupplicio: quod, inquit, nequaquam permiſiſſet, ſi Sacerdotes ſuos ſubijci principibus huius ſæculi & iudicari per ipſos, inconueniens putaſſet. Mirari hic cogor argumentationum & collectionum iſtiuſmodi vim & efficaciam, dignam Hercle tanto, quem ſe facit & vbiq; præfert, dialectico.

Quod enim non ſolum Chriſtus authoritati & iuriſdictioni Pilati iure ſubiectus nõ fuerit, imo quod nec in vnum quemlibet ex infima plebe Iudæorum legitimam vllam authoritatem habuerit, ſed mera vi, mera iniuria, & iniuſtiſſimè vſurpatam & tyrannicam, ſatis ſuperque à nobis demonſtratum exiſtimo. At hoc myſterio noſtræ redemptionis congruere viſum eſt æternæ Dei ſapientiæ, vt agnus ille immaculatus, & innocens, ab omnibus affectus iniurijs, ſaturatus opprobrijs, & contumelijs, iniuſtiſſimam mortem, ab iniuſtis, & peccatoribus iniuſtiſſimè ſibi illatam, patienter, & libenter ferendo, pro omnium noſtrum, quibus diuinam quotidie maieſtatem irritamus, offenſis ſatisfaceret. Nec tamen quia ſe paſſus eſt iniuſtè capi, affligi, condemnari, & crucifigi ab iniuſtis, & impijs, ideo probauit illos iure hoc feciſſe, & legitimè, nec exemplum reliquit principibus ſæculi, vt in ſeruos ſuos, & Sacerdotes hoc ipſum illis liceret. Quin potius illa ferendo, & ſibi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, meruit, & eccleſiæ ſuæ, vt eidem ſeruirent deinceps Reges & Principes, quemadmodum iam ſeruijſſe mille atque eo amplius annos conſpicimus, vtque filij eorum, qui ipſam humiliarunt ab initio, nunc curui veniant adorare veſtigia pedum eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidum.

Nec quicquam nobis aduerſatur, quod Pilato iactanti ſuam in Chriſtum poteſtatem ipſe reſponderit nullam illum in ſe poteſtatem habiturum fuiſſe, niſi ipſi datum eſſet deſuper. Siquidem illis verbis hoc ipſum ſignificare volebat Pilato, quod etiam dixerat ſe comprehendentibus: Quaſi ad latronem, inquit, exiſtis cum gladijs & fuſtibus? Cum quotidie vobiſcum fuerim docens in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Quaſi diceret: Ante poteſtatem non habuiſtis, quamuis velletis, quamuis cuperetis: ſed permiſſum vobis non fuit à me, & Patre, nunc vobis, veſtroque arbitrio derelicti eſtis, nunc eſt hora veſtra & poteſtas, ſed mala, diabolica, & tenebrarum: qua tamen vti non poſſetis, niſi vellem, niſi vobis permiſſum eſſet deſuper. Nam Pilato nullam diuinitus datam legitimam iuriſdictionis authoritatem, non ſolum ſuper Chriſtum, ſed nec ſuper infimum ex plebe Iudæorum, ſupra clariſſimum fecimus.

Quomodo intelligẽda illa Chriſti verba ad Pilatum. Non haberes in me poteſtatem, &c.

Sed non negauit, inquit, Chriſtus Pilato poteſtatem ipſum iudicandi, nec dixit ipſum de facto, cum de iure non haberet, eam ſibi vſurpaſſe: ſed confeſſus eſt eandem ipſi datam cœlitus. Siquidem, & Auguſtinus: Diſcamus ergo, inquit, quod dixit, quod & per Apoſtolum docuit, quia non eſt poteſtas niſi à Deo. Et Diuus Bernardus in epiſtola quadam ad Senonenſem Archiepiſcopum: Cum, inquit, Romani præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur cœlitus ordinatam, &c. Certè vt multa replicaret Chriſtus aduerſus Pilati authoritatẽ, non conueniebat modo peragendi noſtræ damnationis myſterij, qui ab æterno præordinatus, longe quoque ante Prophetarum expreſſus & prędictus erat oraculis. Tanquam ouis, inquit, ille, ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit. Cum iniuſtiſſimè tractatus eſſet Chriſtus à Pilato, iuſſu eius crudeliſſimè flagellatus, ſpinis coronatus, ludibrio habitus, & cum purpura & arundine deſpectim productus in conſpectum populi, vt eius in ipſum furori, & crudelitati ſatisfaceret vel ad ſatietatem: nec tamen nullius facinoris reum, nullius mali conuictum, auderet ad petitionem eorum adiudicare mortis ſupplicio, Romanis legibus prohibentibus: nec

Cauilli remotio.

minus

minus illi clamare perſiſterent, vt adiudicaretur morti, dicentes legem ſe habere, ſecundum quam reus eſſet mortis, eo quod Dei ſe feciſſet filium: Audiens Pilatus, inquit Euangeliſta, hos ſermones magis timuit. Iam ſibi dictabat ratio, & ſua Ipſius conſcientia, quàm indignè tractaſſet innocentem, etiam ipſius teſtimonio, ad libidinem, & appetitum furentis populi. Vt autem audiuit de Dei filio, magis timuit, ſecum reputans, & mira, quæ de illo ſubinde audierat, & ſtupendam eius ac pluſquam humanam ad illatas ſibi iniurias patientiam. Reductum itaque in prætorium, interrogat vnde eſſet, ſcire deſiderans, humanam ne an diuinam haberet originem. At nihil illi reſpondente ad hæc Chriſto, velut cum faſtu replicans: Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Hic pius Dominus reſpondit, quod toties ante conteſtatus fuerat, ſe pati quia voluit, non quia ille huiuſmodi in ſe poteſtatem haberet. Non haberes, inquit, Pilate quam iactas in me poteſtatem, niſi vellem, niſi à me & patre ea ipſa tibi permitteretur, niſi deſuper concederetur vt poſſes vti poteſtate tua, ſed diabolica, & tenebrarum, niſi tibi datum eſſet deſuper. Deinde velut oblique reſpondens ad id, quod illius cruciabat animum, & quæ illi fuit cauſa interrogandi vnde eſſet, ne fortè tantum criminis & crudelitatis commiſiſſet, non ſolum in innocentem, ſed etiam in Dei filium.

Propterea, inquit, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet, perinde ac ſi diceret: Tu quidem rectè tibi conſcius es grauiſſimi in me perpetrati ſceleris: tamen quia non odio, ſed timore, hinc tumultuantis, & furentis populi, inde verò Cæſaris hæc in me commiſiſti, minus peccaſti, quam qui me tibi tradidit populus, qui ex odio, & malignitate, non timore peccauit. Hæc eſt germana, & natiua dictorum Chriſti verborum planaque intelligentia, nihil habens contortum aut diſſonum.

Ad obiectionem ex Auguſtino, & Bernardo

*Caſtigatius is, qui debuiſſet de DD. Bern. & Auguſt.

Quod vero Auguſtinus & Bernardus illa ipſa verba Chriſti ſuæ alicubi intentioni accommodant ac ſeruire faciunt, nihil nobis & natiuæ eorum ſententiæ præiudicat. * Hoc etiam conſtat, Auguſtino frequens, Bernardo vero familiare & penè quotidianum eſſe, abuti verbis ſcripturarum: tamen ad piam aliquam ſuam intentionem confirmandam. Qua in re hic mirus & ſtupendus eſt artifex, tam miro etiam artificio ſcripturas connectit, & quo vult, aptiſſime tamen ducit, vt ſub manu eius velut naſci videantur, nulla quidem pietatis iactura, imo magno profectu. Aliud tamen eſt ex natiua germanaq; ſcripturarum intelligentia aliquid efficaciter comprobare: aliud iam ſatis comprobatum quibuſdam velut alluſionibus confirmare ac commendare lectori. In quo Bernardus omnes facilè, & longiſſimo interuallo ſuperat.

Non cõſeq. Chriſtus factus eſt ſub lege, ergo ſub iudice.

Æque nihil illius intentioni ſeruiunt aut nobis aduerſantur, illa verba Apoſtoli ad Galatas: At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ſub lege. Ex quibus ille more ſuo ſic ratiocinatur: Si factus ſub lege, ergo & ſub iudice, cuius erat iudicare & præcipere ſecundum legem: qui tamen non erat, inquit, Epiſcopus aut Sacerdos.

Quare ridicule Marſilius ex ſcripturarum verbus colligat.

Sed oro te lector, vt etiam hic conſideres acumen, & ingenium hominis & in tractandis ſcripturis diligentiam. Paulus in epiſtola ad Galatas Moſaicæ legis ſeruitutem, & quam Iudæi quamuis conuerſi ad Chriſtum de eadem opinionem habebant, altius receptam in animis eorum, quàm vt facile reuelli poſſet, omni vi admota funditus extirpare cupiens, ex operibus legis, nec ſub ipſa lege iuſtificatos fuiſſe aliquos, ſed ex ſola fide in Chriſtum, demonſtrare conatus eſt. Siquidem Abrahæ ſalutis omnium gentium in ſemine ſuo, hoc eſt, Chriſto Ieſu, repromiſſio ante legem facta eſt. Quam nihil immutauit quadringentis & triginta annis ſubſecuta lex, ſed confirmauit potius. Non quidem aliunde iuſtificationem aut ſalutem ſperare docẽs, quàm illa facta Abrahæ repromiſſio, ex ipſis videlicet operibus legis, ſacrificijs & hoſtijs, ſed magis per legales illas hoſtias, illa ſacrificia, illas cæremonias, fidem illorum in Chriſtum erudiens, vſque dum fides clara eluceſceret ſub luce euangelica. Itaque, inquit, lex pædagogus noſter fuit in Chriſto Ieſu, vt ex fide in illum iuſtificemur. At vbi venit fides, clara videlicet & explicita, iam non ſumus ſub pædagogo, ſub quo eramus ſeruientes, quamdiu eſſemus paruuli, vſque ad præfinitum tempus à patre. Quo adueniente, & vbi, inquit, venit illa plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, à legis videlicet ſeruiture, & Dei filios ac regni hæredes faceret. Hæc Apoſtolus conatus euacuare ſeruitutem legis Moſaicæ. Ex his ille nugatur in hunc modum: Si ſub lege factus eſt Dei filius, ergo & ſub iudice, cuius erat iudicare & præcipere ſecundum legem: qui tamen non erat Sacerdos aut Pontifex. O Theologum. Cuius erat obſecro iudicare & præcipere ſecundum legem, ſi non Sacerdotum, & Pontificis? De quibus apud Ezechielem dicit Dominus: Populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum, & pollutum, inter mundum & immundum oſtendent eis & cum fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis & iudicabunt. Nunquid non apertiſſimè, & diſtrictiſſimè præceptum fuerat in lege omnibus inter ſe quæſtiones difficiles, & controuerſias habentibus, quæ per ſubalternos & inferiores iudices in ſingulis vrbibus rite expediri non poterant, vt aſcenderent ad locũ, quem elegiſſet Dominus, & ad Sacerdotes Leuitas, & præſidem cathedræ pro tempore, ſeu iudicem? qui, inquit, annunciabunt tibi iudicij veritatem. Et facies iuxta verbum, quod annunciabunt tibi de loco, quem elegerit Dominus. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, morietur vir ille, & auferes malum de Iſrael. Vides cuius erat iudicare & præcipere ſecundum legem, nempe Sacerdotis præſidis cathedræ, aduerſus quem omnis contumax inobedientia ſecundum legem morte expianda fuerat. Sed puto credidiſſe illum, non de Moſaica, ſed de Romanis legibus loquutum Apoſtolum ſecundum quas vt iudicaret, non Sacerdos, aut Pontifex, ſed Pilatus illic conſtitutus fuerat.

rat. Ignoſces mihi lector, ſi intraducenda huius hominis ſtupiditate præter neceſſitatē tibi videor prolixior. Hoc enim vt facerem, coegerunt quidam, quibus hic rerum ſumma committitur, eodem, quo iſte, zelo & amore affecti ad dignitatem eccleſiæ, qui huius hominis doctrinam & eruditionem ſine modo & fine efferentes, efficaciſſimis demonſtrationibus omnem ab eccleſiaſticis vſurpatam, vt dicunt, authoritatem funditus euertiſſe iactitant: vt intelligant, quantum momenti deprauatus affectus habeat ad ſubuertendum, excæcandumque rectæ rationis iudicium.

CAP. V.

Non interdixiſſe Chriſtum ſuis primatum aut principatum ſuper alios gerere, ſed rectam eius gerendi formam, & rationem præſcripſiſſe, dicendo apud Euangeliſtas: Principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.

POſtulat ordo, vt conſequenti loco expendamus, ſi quid nobis, aut his, quæ ſuperius demonſtrauimus, aduerſentur, quæ contendentibus inter ſe de primatu Apoſtolis locutus eſt Chriſtus. Ex quibus ille demonſtratum exiſtimat, ſuis interdixiſſe omnem ſuperioritatem, & iuriſdictionis coactiuam authoritatem, etiam in ſeinuicem, & non ſolum in alios. Sunt autem in hæc verba: Reges gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos: vos autem non ſic, ſed quicunq; voluerit fieri maior, erit veſter miniſter: & quicunq; voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus. Nam & filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis. Quibus verbis, quod ille vult Chriſtum interdixiſſe ſuis ſuperioritatem omnem, aut iuriſdictionis authoritatem ſupra ſe inuicem, aut alios exercere, tota abeſt diametro. Quin potius, vt eſſet aliquis inter illos maior & primus, illis ipſis verbis clariſſimè innuit, ſed ſimul non eſſe illis ambiendum primatum eiuſmodi ſignificauit. Non enim dixit: Nemo inter vos ſit altero maior, Princeps, Rex aut primus: ſed principatus vt à Chriſtiano, atque inter Chriſtianos geri debet, onus & officium deſcribit. Non enim debet is, qui præeſt, ſiue ciuiliter & politicè, ſiue in hierarchia eccleſiaſtica, præeſſe ſibi, ſed ſolis ſubditis, non ad ſuum commodum, ſuam gloriam, libidinem, oſtentationem, hoc enim eſſet tyrannidem, non legitimam poteſtatem exercere, ſed ad ſolam vtilitatem eorum, quibus præeſt, ad ſolius Dei, & Chriſti gloriam & honorem. Debet meminiſſe, quod Diuus Ambroſius Theodoſium Imperatorem admonuit, ſubditos ſe habere coniunctos ſibi, non ſolum genere, ſed & communi ſeruitio vnius Dei. Vnum etiam eſſe Dominum & Imperatorem, huius vniuerſitatis fabricatorem, proinde ita ſibi commiſſum principatum ac magiſtratum gerere oportere, tanquam in oculis cuncta cernentis Domini, & qui paulò poſt diſtriſſimam ab ipſo rationem ſibi commiſſorum omnium ſit exacturus.

Ad omnes pertinere dicta verba Chriſti, eque ſæculares, vt eccleſiaſticos.

Hæc vna & ſola ratio eſt inculpate & digne gerendi inter Chriſtianos principatus aut magiſtratus cuiuſque. Quamquis non intelligit nihil eſſe, niſi meram, grauemque ſeruitutem & ſarcinam? quis ſecundum hanc principantes, eſſe aliud, quàm meros ſeruos ſeruorum Dei? Et hæc ſi perpenderet, nunquid principatum aut primatum, ſeu eccleſiaſticam ſeu ciuilem, quiſquam ambiendum duceret? Tamen vt geratur ab aliquo, vt hanc nobis mutuo ſeruitutem impendamus, ille Dominus omnium vult, & præcipit. Itaque non eſt, quod quiſquam hæc dicta à Chriſto pertinere ad ſolos, quos nunc dicimus eccleſiaſticos, exiſtimet. Suis omnibus loquitur: Scitis, inquit, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Hoc eſt, inquit Origenes, non ſunt contenti regere tantum ſubditos, ad vnam videlicet ipſorum vtilitatem, ſed violenter eis dominari nituntur. Aut, vt Chryſoſtomus, Principes mundi ita gerunt principatum, vt dominentur minoribus, & eos ſeruituti ſubijciant. Vt expolient, & ad mortem vſque eis vtantur ad ſuam vtilitatem & gloriam. Sed hæc Principes gentium, qui ignorant Deum, qui non cogitant ſe communi Domino ſeruire, atque illi diſtrictam omnium rationem reddere debere. Vos autem non ſic. Vos, inquit, qui mei eſtis, non ſic, non inſtar illorum, qui Deum ignorant, ſed velut in oculis communis Domini, ſuper conſeruos, & confratres veſtros, non ad veſtram (quæ tyrannis eſſet) ſed ad eorum tantum vtilitatem & communis Domini gloriã, principatum ac primatum exercebitis. Hæc ſibi dicta nouerint æque omnes, qui Chriſti ſubeſſe volunt magiſterio, qui ſe Chriſti haberi volunt Diſcipulos. Non ſibi perſuadeant, Reges, Imperatores aut ciuiles Principes, ad eccleſiaſticas, quas nunc dicimus, prælaturas, eccleſiaſticumque primatum ea tantum pertinere. Ad omnes pertinent, qui Chriſti ſunt: Vos, inquit, mei ſcilicet, quos tantum diſtinguit à gentibus ignorantibus Deum. Quid igitur? Nunquid his verbis prohibuit inter nos Chriſtus eſſe Reges, Imperatores, Principes? Nunquid vllam ſuper alios habere præcipiendi atque obligandi authoritatem? Quæ à Deo ſunt, inquit ille, ordinata ſunt. Noluit ſuum regnum Chriſtus eſſe Babylonicum, ſed quo omnia ordinate agerentur à nobis, vni ſuper omnes authoritatem præcipiendi, & mandandi commiſit. Vni dixit vt regeret vniuerſum ouile ſuum: vt quemcunque obligaret in vniuerſo orbe terrarum, modo intra domum eccleſiaſticam, is ille ad hoc obligaretur coram Deo. Voluit, vt ille ſuperintẽderet vniuerſis mẽbris Eccleſię, vniuerſis magiſtratibus, & officijs ſacris, & prophanis.

Marſilij infidelitas incitandis Sanctorum ſententijs.

Nec quicquam his aduerſatur Diui Bernardi, quam ille contra nos citat, ſententia ex libro ſecundo de conſideratione ad Eugenium: quin potius tam euidenter noſtram confirmat ſententiam, & illius contrariam impietatem euertit, vt libeat eandem hic paulò adſcribere prolixius. Ex eo enim clariſſimè patebit, illum hoc perpetuo facere, quod hære-

Digitized by Google

hæreticorum eſt proprium, ex truncis videlicet verbis ſanctorum Patrum conari imponere ſimplicibus, & ita vt ipſi volunt ſenſiſſe illos, perſuadere contra certiſſimam eorundem ſententiam.

D. Bernard. ad Eugen.

Itaque ille vir plenus Dei ſpiritu Eugenio ſuo iam Pontifici maximo: Subir, inquit, animum dictare aliquid, quod te Papa beatiſſime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel conſoletur. Sed neſcio quómodo vult, & non vult exire læta quidem, ſed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt, maieſtas & amor. Nempe vrget ille, inhibet illa. Sed interuenit tua dignatio, qua hoc ipſum, non præcipis, ſed petis, cum præcipere magis te deceat. Maieſtate igitur tam dignanter cedente, quid ni cedat pudor?

Pont. Rom. principe.

Ab hoc ille exordio, libro ſecundo deinceps illum inſtruens, in quatuor docet conſiderationem ſuam partiri debere. In ſeipſum, in ea quæ ſub ipſo, in ea quæ circa ipſum, in ea quæ ſupra ipſum. A te vero, inquit, tua conſideratio inchoet, ne te neglecto, fruſtra extendaris in alia, &c. Tui autem hæc conſideratio in tria quædam diuiditur, ſi conſideres, quid, quis & qualis ſis: quid in natura, quis in perſona, qualis in moribus, Quid? verbi gratia, homo: quis? Papa vel Summus Pontifex: qualis? benignus, manſuetus, vel quicquid tale. Quanquam autem primum illud philoſophicum ſit magis, quàm apoſtolicum veſtigare: attamen eſt in definitione hominis, quem dicunt animal rationale mortale, quod diligentius intueri ſi libet, nec profeſſioni tuæ, nec dignitati obuiet, ſed ſaluti conferat. Nam conſideranti duo hæc ſimul, rationale, & mortale, is tibi exinde occurrit fructus, vt & mortale, quod in te eſt, rationale humiliet, & rurſus rationale mortale confortet.

Nunc qui ſis, & de quo ſis factus, aduertendum. Quanquam, quod dixi, de quo, id mihi prætereundum putem, & tuæ potius relinquendum agnitioni. Illud dico indignum tibi citra perfectum agere, de tanta aſſumpto perfectione. Quid ni erubeſcis minimus inueniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis extitiſſe? Non es oblitus prioris profeſſionis, non excidit menti, quæ ſubducta eſt manui. Ipſam ad ſingula tua imperia, iudicia, inſtitura habere præ oculis, non erit inutile: hæc enim conſideratio facit bonorum contemptorem, etiam in honore ipſo. Loquere ergo tibi: Abiectus eram in domo Dei mei, quale eſt hoc, de paupere & abiecto leuari ſuper gentes & regna? Quis ego, aut quę domus patris mei, vt ſedeam excelſis ſublimior? Sane qui dixit mihi, amice, aſcende ſuperius, amicum fore confidit. Si minus inueniar, non expedit quidem. Qui eleuauit, & deijcere poteſt. Sera querela, quoniam eleuans alliſiſti me. Non eſt quod blandiatur celſitudo, ſollicitudo maior. Illa diſcrimen intendit, hæc amicum probat, huic accingamur, ſi nolumus tandem nouiſſimum cum rubore locum tenere: factum ſuperiorem diſſimulare nequimus: ſed enim ad quid omnibus attendendum. Non ad dominandum, opinor. Nam & Propheta cum ſimiliter eleuaretur, audiuit: vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Quid horum

Imperia, iudicia, inſtituta.

faſtum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemate quodã labor ſpiritalis expreſſus eſt, &c.

Diſce ergo exemplo prophetico præſidere, non tam ad imperitandum, quàm ad ſactitandum, quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, vt opus facias prophetæ, &c. Anteceſſores tui Apoſtoli audierunt, quia meſſis quidem multa, operarij vero pauci. Paternam tibi vendicato hæreditatem. Nam ſi filius, & hæres, vt probes hæredem, euigila ad curam, & non otio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic ſtas tota die otioſus? Multo minus inueniri oportet, aut delicijs reſolutum, ac reſupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ teſtatoris aſſignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus ſis, curam potius hæreditabis & operam, quàm gloriam & diuitias. Blanditur cathedra? Specula eſt, inde denique ſuperintendis, ſonans tibi Epiſcopi nomine, non dominium, ſed officium. Quid ni loceris in eminenti, vnde proſpectes omnia, qui ſpeculator ſuper omnia conſtitueris? Enim vero proſpectus iſte procinctum parit, non otium. Quando libet gloriari, vbi otiari non licet? Nec eſt locus otio, vbi ſedula vrget ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Nam quid tibi aliud dimiſit ſanctus Apoſtolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid iſtud? Vnum ſcio, non eſt aurum neque argentum, quum ipſe dicat: Argentum & aurum non eſt mihi. Si habere contingat, vtere, non pro libitu, ſed pro tempore. Sic eris vtens illis, quaſi non vtens. Ipſa quidem quod ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt, nec mala. Vſus tamen horum bonus, abuſio mala: ſollicitudo peior, quæſtus turpior. Eſto, vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices, ſed non apoſtolico iure. Nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit: ſollicitudinem, vt dixi, ſuper eccleſias. Nunquid dominationem? Audis ipſum: Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini in euangelio eſt: Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Plane ab vtroque prohiberis; ſi vtrunque habere voles, & perdes vtrunque. Alioqui non te exceptum illorum numero putes, de quibus quæritur Deus ſic: Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui eos. Forma apoſtolica hæc eſt: Dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio: quæ & commendatur ipſius exemplo legiſlatoris, qui conſequenter adiungit: Ego autem in medio veſtrum ſum, tanquam qui miniſtrat. Quis iam ſe titulo hoc putet inglorium, quo ſe prior Dominus gloriæ præſigniuit? Merito Paulus gloriatur in eo dicens: Miniſtri Chriſti ſunt? & ego, &c. Exi ergo in agrum Domini tui, & conſidera diligenter, quantis hodie quoque de veteri maledicto ſyluеſcat ſpinis, ac tribulis. Exi, inquam, in mundum, quia ager mundus eſt, iſque tibi creditus. Exi in illum, non tanquam Dominus, ſed tanquam villicus, videre & prouocare, vnde exigendus es rationem.

Vere opus prælatis, ac principis.

Diuitiæ nec bona nec mala, ſed earũ vſus bonus abuſio mala.

Leua oculos & vide regiones, ſi non ſunt

magis

magis ſiccæ ad ignem, quàm albæ ad meſſem: & inuenies vepribus quàm frugibus magis occupatas: imo annoſis & veternoſis arboribus, quæ quonſque terram occupant? Nonne ſi exis & cernis iſta, pudebit otioſam iacere ſecurim? pudebit ſine cauſa falcem apoſtolicam accepiſſe? In hunc quoudam agrum Iſaac patriarcha exierat, quum primo Rebecca occurrit ei, & vt ſcriptura habet, exierat ad meditandum. Ille quidem ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris, neceſſe eſt, &c. Age ergo puta tempus putationis adeſſe, accingere gladio tuo, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, glorifica manum & brachium dextrum in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Si hæc facis, honorificas miniſterium tuum, & miniſterium te. Non mediocris eſt iſte principatus. Domabis lupos, ſed ouibus non dominaberis, paſcendos vtique, non premendos ſuſcepiſti.

Securis Apoſtolica.

Eius eſſe, facere vindictam in nationibus, increpationes in populis. Vides, vt non neget principatū, ſed dominatum.

Deinde humilitatis virtutem commendans in ſummo magiſtratu, vtque ea ſemper ad ea, quæ ſibi deſunt reſpiciens, ſeſe vrgeat ad profectum: Quid, inquit, ſi ſummus Pontifex ſis, nunquid ideo ſummus? Infimum noris, ſi ſummum putas. Non de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi ante experta virtus, quàm dignitas fuit. Auguſtis relinquito illam ſententiam, alijſque qui diuinis coli honoribus non timuerunt, Nabuchodonoſor, Alexandro, Antiocho, Herodi. Tu vero conſidera, non conſummatione ſummum te dici, ſed comparatione: non meritorum, ſed miniſteriorum. Sic te exiſtimet homo, vt miniſtrum Chriſti, & quod abſque præiudicio ſanctitatis cuiuſpiam dixerim, ſummum plane inter miniſtros, &c.

Sed iam nunc, inquit, repetendæ ſunt reliquiæ loci illius, à quo paulò ante diuertimus. Age indagemus adhuc paulò diligentius, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto differentius vtrunque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec ouium modo, ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini: Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. Quas? Illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certe regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens vni omnes, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege & vno paſtore, ſecundum illud: Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, recedentes ab vnitate. Inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiri ſunt plebes, ſcientes ſacramentum, denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchre vero ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis alter ſe ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos, alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem vocatus es poteſtatis. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum, tam in datis clauibus, quam in ouibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilo minus prærogatiuam confirmat tibi. Diſcipuli nauigabant & Dominus apparebat in littore, quodque iucundius, in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, alijs nauigio peruenientibus. Quid iſtud? Nempe ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſcepit gubernandum. Mare enim ſeculum eſt naues, Eccleſiæ. Inde eſt, quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quiſque cæterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſſima nauis facta ex omnibus, ipſa vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa. Hęc ille Bernardus vir, vt ſæpe diximus, plenus apoſtolico ſpiritu, cuius diuina virtus ſuo illo tempore, varijs ſignis & prodigijs per manus eius editis, euidens dignata eſt perhibere teſtimonium. Quę aliquanto prolixius, nec me piguit ſcribere, nec te lector pigebit legere. Digna enim ſunt quæ legantur, & huius, aduerſus quem agimus, viri impietatem euidenter coarguunt, & noſtram, imo orthodoxam catholicæ Eccleſiæ ſententiam euidenter adſtruunt.

Nota hæc epitheta.

Vnicus Chriſti vicarius, non vni proprio, ſed cūctis prēſidēs.

Audis enim hunc ita intellexiſſe Chriſti verba inducta per aduerſarium, non vt principatum, præſidentiam aut primatum, ſed vt dominationem ſuis interdiceret, vt rectam gerendi principatus formam & rationem ſuis præſcriberet. Quæ communis quidem eſt, & ciuili, & eccleſiaſtico, tanto tamen ad hunc magis pertinet, quanto hic illo eſt dignior & perfectior, quanto denique magis decet eccleſiaſticos, quam ſeculares principes, ad regulam & rationem diuinæ legis ſuum principatum exigere diſtrictius. Audis vt Romanum Pontificem confiteatur eleuatum ſuper gentes & regna, vtque ſedeat excelſis ſublimior, non ſine authoritate vehementi, & ſuper ipſos coactiua, ſed vt euellas, inquit, & deſtruas, diſperdas & diſſipes, ædifices, & plantes. Accepiſſe apoſtolicam ſecurim, quam otioſam iacere non debeat ſinere, ſed ea vindictam facere in nationibus, increpationes in populis, alligando reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Domare lupos, oues regere. Audiſti quam illum perſonam gerere in eccleſia Dei doceat: Eſſe ſiquidem Sacerdotem

Digitized by Google

tem magnum, Pontificem ſummum, principem Epiſcoporum, hæredem Apoſtolorum, primaru Abelem, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſadech, dignitate Aaronem, authoritate Moyſen, iudicatu Samuelem, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum, atque vnum omnium paſtorem, & qui ſuper ipſos etiam paſtores poteſtatem acceperit, quibus poſſit, & cœlum claudere, & paſtorali officio interdicere, atque etiam amouere. Quid tibi videtur? Nunquid hæc ſunt intelligentis à Chriſto interdictum ſuis, ne quis cui præſideat? ne quis in alium ſuperiorem iuriſdictionis authoritatem etiam coactiuam obtineat? Nunquid non audis principatum ſuper gentes & regna, ſuper reges & principes? Nunquid exarmatum, nudum, & inualidum, & non potius armatum falce Apoſtolica, qua poſſit euellere & diſſipare, vindictam quoque facere in nationibus, alligare reges in compedibus, & nobiles in manicis ferreis, qua lupos domare, & oues regere? Nunquid paſtori æque baculo ac pera opus non eſt? Sed Chriſtianum nihilo minus principatum diſcreuit à dominatione ac tyrannide gentilium principum. Principem, inquit, conſtituerunt te, ſed ſibi, non tibi. Quod ſi aliter principatum exerceas, tyrannus es, non princeps legitimus. Curam ergo, & ſollicitudinem nouerit princeps Chriſtianus ſibi demandatam in confratres, ſibi villicationem commiſſam in conſeruos, à communi omnium Domino indictam miniſtrationem, interdictam autem dominationem, qua ſeruis noſtris ad propriam præcipue, non illorum vtilitatem vtimur. Proinde quod ille dicit, Apoſtolis interdictum dominatum eiuſmodi, æque verum eſt de Chriſtianis omnibus, cuiuſcunque tandem ſtatus, gradus aut ordinis fuerint. Æque dices Chriſtiano cuilibet, quod ille dixit eccleſiaſticę hierarchie præſidi, videlicet vtrunque perditurum, qui in ſibi ſubditos, ſuæque curæ commiſſos conſeruos, dominationem vna cum Chriſtianiſmo ſibi vſurpare voluerit, aut Chriſtianiſmum cum dominatione eiuſmodi. Sed nunc, pro dolor & cæcitas, perſuadent ſibi Chriſtiani principes verba illa Chriſti ad ſe nihil pertinere, ſed tantum ad prælatos quos dicimus Eccleſiaſticos: perinde ac ipſis liceret tyrannice dominari ſubditis, hoc eſt, ad ſuam, non illorum tantum vtilitatem. Id quod ipſa recta ratio, etiam præter euangelium, euidenter coarguit.

CAP. VI.

Rationibus quibuſdam reſpondere, quibus demonſtratum volunt, nec principatum ciuilem, nec vllam coactiuæ iuriſdictionis authoritatem, Eccleſiaſticis poſſe competere.

QVod in ſuperioribus perpetuo inueniſti lector, impietati non deeſſe ſcripturarum teſtimonia, ſed torta, deprauata, & ſuo, non eccleſiæ catholicæ ſenſu perperam intellecta, id etiam clariſſime intelliges in ſequentibus omnibus. Itaque ex verbis Apoſtoli in epiſtola ad Timotheum hoc modo argumentatur: Nemo, inquit ille, militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus. Sed omnium negotiorum ſæculariſſimum eſt principatus habens coactiuam authoritatem, qua ſæcularia negotia & ciuiles actus ordinat & regulat. Quare ſugiendus illi, qui Deo debet militare. In qua quidem collectione, ſi diligenter expenderis, plura penè errata quàm verba inuenies. Hoc etiam ante omnia certum eſt, apoſtolicam illam inductam ſententiam omnes omnino Chriſtianos comprehendere, qui omnes Chriſto nomen dederunt in baptiſmo, omnes Chriſti militiæ adſcripti ſunt. Nemo itaque Deo militans, nemo Chriſtianus ſæcularibus ſe implicare debet negotijs. Non tamen Chriſtiano interdicitur pro neceſſitate rerum incurrentium ſæcularia tractare aut gerere negotia, quod etiam quibuſdam incumbit ex officio: ſed non debet ſe illis implicare, hoc eſt, toto animo ſe illis addicere, ita vt ſpiritualium nullam curam gerat, vt Dei & ſalutis animæ ſuæ obliuiſcatur. Vtrunque etiam, implicare, importat, nempe, voluntatem vltro ſe immergentis ſæcularibus negotijs, atque ita ſe immergentis vt ab illis veluti obruatur, & implicitus captiuuſque detineatur, vt ſe explicare non poſſit pro arbitrio, nec ſpiritualium curam agere, quorum debet omni Chriſtiano eſſe cura præcipua. Quare toties væ æterni interitus ijs comminatur ſcriptura, qui habitant in terra, qui neglecto ſpiritualium rerum ſtudio, neglecta cura ſalutis animæ ſuæ immorantur terrenis, de his perpetuo & cogitant & loquuntur. Deinde, quod ſubſumit, omnium negotiorum ſæculariſſimum eſſe principatum habentem coactiuæ iuriſdictionis authoritatem, quæ ſæcularia negotia & ciuiles actus ordinat, & proinde maximè fugiendum illi qui Deo militare voluerit, cogor ego communem ſenſum deſiderare in homine. Primo, quod principatum negotium facit: deinde, quod maximè fugiendum illi velit, qui nomen dedit Chriſto, atque eius militiæ adſcriptus eſt.

Qualiter inepte Marſil. dicat principatum eſſe omnium negotiorum ſęculariſſimũ.

Eſt enim negotium actus humanus aliquis, per quem fit, ne ſit quis in otio. At principatus magiſtratus eſt, & veluti habitus quidam, qui etiam in otioſo iam principe, & nihil actu operante permanet. Cui annexum quidem eſt neceſſario negotium, quod non ſinit perpetuo hic vacare & deliciari in ſponſi amplexibus, non ſinit vnius ſui curam agere, ſed cogit laborare, cogit ſudare, cogit prouidere confratribus, omnium curam gerere, omnium onera vna ferre, vna ſubleuare, omnibus imminens periculum perſpicere, atque ab omnium ceruicibus depellere. Laborioſa quidem hæc, difficultatis plena, atque ardua omnia, at tanto Deo gratiora, tanto magis meritoria. Itaque principatus nullo modo fugiendus eſt addicto Chriſti militiæ, niſi tantum imbecilli & ſuæ infirmitatis conſcio. Nihil enim per ſe fugiendum eſt Chriſti militi, niſi quod contra Imperatoris ſui charitatem facit & proximi. At recte principantis opera, ſunt perfectiſſimæ charitatis, & Dei & proximi: quare minime fugiendus forti Chriſti militi, viro bono & virtuoſo. Nam adeo ad pro-

Principatũ haud fugiendum Chriſtiano, niſi tantum imbecilli, & ſuæ infirmitatis cõſcio.

Digitized by Google

Recte principatus opera eſſe charitatis perfectiſſima.

profectum & virtutis conſummationem nullo impedimento eſt, vt vberrimam etiam meritorum materiam ſuggerat. Nunquid enim Moyſi, ille principatus populi, nunquid Ioſue, nunquid Dauidi atque alijs ſine numero, perfectioni & conſummatæ virtuti impedimento extitit, & non potius præclara explicandæ virtutis materia? Fateor eſſe difficile in tanto actu rerum, tanta mole vndique ingruentium & præmentium curarum, tanta etiam licentia qua neminem quàm vnum Deum quis ſupra ſe reformidat, ſibi nunquam excidere, ſibi ſemper conſtare. At quanto difficilius, quanto publica ſalus ex principis virtute, & rectè ab eo miniſtrato principatu maximè dependet, quanto denique locus ille magis lubricus eſt: tanto magis illis, qui in Chriſti militia plus profecerunt, qui vni illi, non ſibi viuunt, vnum ſemper præ oculis habent, committendus eſt. Qui etſi metu periculi refugiant, ſi humilitatis ſenſu tanto oneri ſe clament impares, ſi ab illa contemplationis dulcedine, ad actuoſam hanc vitam ægrè ſe abſtrahi patiantur, vincat tamen charitas Dei & proximorum, neceſſe eſt. Quos non minus ſuſcepto magiſtratu in coertione atque ſupplicio ſceleratorum, in defenſione ſubditorum, etiam armata & militari manu à vi iniuſta & inuaſione hoſtium, Deo placere certum eſt, quam ante in illo, dulciori quidem, ſed paucioribus vtili contemplationis otio placuerunt: quin potius, tanto magis, quanto horum ſe latius diffundit vtilitas, quanto laborioſus ad plures ſe extendit actuoſa hæc principantis charitas. Quod clariſſime ipſe ſignificauit Chriſtus, cum principatum, gubernationem & paſtoralem curam totius Eccleſiæ ſuæ committeret Petro, cum trina interrogatione, num ipſum cæteris plus diligeret. Quo nihil aliud voluit ſignificare, quàm opus ſibi commiſſi principatus Eccleſiæ, & paſtoralis curæ & regiminis, non eſſe vulgaris, ſed excellentis cuiuſdam charitatis Dei & proximi. Quod quis non intelligit, qua rectè gerendi principatus ex Chriſti verbis à nobis ſupra expoſitam rationem diligenter conſiderat? Nam reuera nihil aliud eſt princeps, qua ad regulam rectæ rationis, & luminis Chriſtianæ fidei principatum ſuum exercet, quam miniſter ſeruorum Dei. Quam regulam ſi tranſgrediatur, non iam princeps, ſed tyrannus dici meretur, vt quotieſcunque a Domini ſui gloria, & ſubditorum vtilitate ad propriam deflectit ſuæ intentionis oculum. Ita enim ſe totum tyrannidis tenebris inuoluit.

Princeps miniſter ſeruorum Dei.

Iam & ex his, quæ alio loco dicit Apoſtolus, eandem impietatem confirmari exiſtimans, eandem quoque ſuam vbique ignorantiam prodit. Sæcularia igitur, inquit ille, iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Per contemptibiles, vt ipſe vult, intelligens laicos ſæcularium negotiorum peritos, vt hi (inquit Gregorius) terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum ſapientiam perceperunt. Qui autem ſpiritualibus donis ditati ſunt, terrenis non debent negotijs implicari, vt dum non coguntur inferiora bona diſpicere, valeant bonis ſuperioribus deſeruire. Et hactenus quidem ab illo non diſcordamus admodum. Sed quod ex iſto conſequi exiſtimat, nulli ſacerdotum in Eccleſia ſuper vnumquemuis alium vllam coactiuæ iuriſdictionis authoritatem competere, toto aberrat cœlo. Eſto, non debeat ſummus & ſacroſanctus in Eccleſia magiſtratus onerari, implicarique, & velut diſtrahi his minutis ac vilibus, cui incumbit ſollicitudo totius Eccleſiæ, ſed ad illa dijudicanda inferioris gradus & meriti, in ſuis quonſque ciuitatibus & locis iudices conſtitui oporteat: nunquid propterea illi ipſi non ſuberunt ſuperioribus? non poterunt eorum errata corrigi? non retractari iudicia? non puniri præuaricationes? Quanquam enim propter exonerationem principis, in plurimos neceſſario partienda erat infinitæ multitudinis gubernatio, æque tamen neceſſario omnibus ſuperintendere debet principis ipſius authoritas, errantes & præuaricantes corrigere & punire, atque omnes in officio continere.

Qualiter ridicule colligat ex illis verbis Apoſtoli. Sæcularia igitur iudicia ſi habueritis, &c.

Exemplum in Moyſe.

Moyſes ille, cum ſolus obiret populi illius gubernandi onera, ſolus ſederet iudex diſceptationibus & controuerſijs omnium, non immerito à ſocero ſuo Ietro reprehenſus eſt, quod ſtulto labore fruſtra fatigaret ſe & populum, dicens tantæ multitudinis negotia vnius vires excedere. Sed, inquit, audi verba mea atque conſilia, & erit Dominus tecum. Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, oſtendaſque populo cæremonias & ritum colendi, & viam per quam ingredi, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantum iudicent, leuiuſque ſit tibi partito in multos onere. Cuius ſapienti atque adeo neceſſario concilio obſequutus Moyſes electis ex vniuerſo Iſrael viris ſtrenuis, conſtituit eos principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicarent plebem Domini omni tempore, ſubordinatos ſibi, ita vt à Decanis ad Quinquagenarios, ab his ad Centuriones, ab illis vero ad Tribunos ordinate recurſus haberetur: tamen de facilioribus, hoc eſt, ciuilibus tantummodo actibus & negotijs iudicantes. A quibus nihilo minus ſi cauſa ipſa expediri non poterat, vltimate referebatur ad Moyſen, cuius etiam cognitioni ſi quid erat grauius & magni alicuius momenti, reſeruabatur. Et hæc in illa ſynagoga veteri, cuius ſtatum vniuerſum vmbram quandam & figuram fuiſſe noſtræ Eccleſiæ ſupra toties indicauimus ex Apoſtolo. In qua quas correſpondentem illam Moyſis authoritatem obtineat, prioribus duobus libris demonſtrauimus, atque etiam ex D. Bernardi paulò ante inductis verbis intellexiſti. Qui inueſtigans quam pro tempore perſonam in Eccleſia gereret Romanus Pontifex, dicit eundem eſſe authoritate Moyſen, & iudicatu Samuelem. Itaque etiam in domo ampliſſima Chriſtianæ Eccleſiæ (cuius limites termini orbis terrarum ſunt, & ſummus Pontifex velut quidam paterfamilias) in plurimos diſpartienda erit neceſſario eius gubernatio. Et vt ſacerdotibus ſpiritualium negotiorum emergentium per ſingulas ciuitates, diœceſes, prouincias: ita & laicis qui-

Cathedræ Moyſi ſpecialiter reſeruatæ omnes maiores cauſæ

Collatio vmbræ & figuræ ad noſtrã Eccleſiam.

quibuſdam committenda ciuilium rerum, vt minoris momenti, iodicatura & cognitio, tamen ſubordinatis ſibi eorum magiſtratibus, vſque ad illos, quos nobis in illo veteris populi ſtato Tribuni referebant, qui oullos iam ſuperiores ciuiles magiſtratus habebant, ſed vnius Moyſis iudicio ſuberant: quales inter nos ſont principes, reges, imperatores, videlicet ſibi non ſubalterni, ſed quiſque ptimus in ſuo ordioe aut ſibi commiſſa ciuili gubernatione populi. Attamen etiam omues hi, vt præcipua quædam membra Eccleſiæ, quo eiuſdem conſeruetur vnitas, ſubſunt oeceſſario capiti hierarchiæ Eccleſiaſticæ, qui apud nos authoritate Moyſes eſt, aut etiam illo ſuperior. Ad quem etſi propriè ſpectent illa, quæ ad Deum ſunt, vt io his præſit omnibus, nihilo tamen minus pertinet vniuerſæ, quanta eſt, Eccleſiæ ſuperiotendere, omnia eius membra io officio continere, rationem geſtorum officiorum exigere: breuiter curam paſtoralem ſuper omnes gerere, quæ non minus baculo, quàm pera inſtructa ſit oportet, hoc eſt, iuriſdictionis coactiuæ authoritate.

Supremos in eccleſia ciuiles magiſtratus ſubiici iudicio Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis.

Sed varij coactionum modi ſont, aut coactiuæ authoritatis, quæ omnibus quidem quibus aliorum commiſſa eſt gubernatio, in ſibi ſubiectos competit: non tameo eadem omoibus conuenit, ſed cuique ſua, patribus in filioſfamilias, dominis io ſeruos, pædagogis aut magiſtris in diſcipulos, abbatibus in ſuos monachos, ciuilibus magiſtratibus in ſibi ſubiectos, eccleſiaſticis (quos ouoc dicimus) in ſuæ quoque coomiſſos curæ & regimini: io omnes vero & ſuper omoes quia ad Chriſti familiam pertioet, diſpenſatori & velut patrifamilias totius domus eccleſiaſticæ, atque hierarchiæ eius præſidi. Omnibus, inquam, his in ſibi ſuæque gubernationi commiſſos & ſubditos competit etiam coactiua quædam authoritas qua poſſiot delinquentes punire, & errata eorundem corrigere: ſed non eadem, quando nec vnus coercendi modus conueniret omnibus. Alius enim patri in filium, alius domino in ſeruum, magiſtro io diſcipulum, abbati in ſuos monachos, ſæcularibus principibus & poteſtatibus in ſibi ſubditos, alius denique totius eccleſiæ rectori in omoes, io reges, principes, regna, imperia. Vni enim virgæ conueniunt, alteri ferulæ, alteri flagra, compedes, carceres, alteri etiam gladius. Atque hæc omnia continere debet io officio, potentior & terribilior ſit omnibus oportet, quæ armatos, & gladium portautes priocipes ſibi ſubijcere, ſine tamen cæde poſſit & ſanguine, ſine orbis tumultu & incendio. Hic eſt ſpiritualis ille gladius, quo poteſt eccleſiaſticæ domus paterfamilias, cootumaciter ſibi inobedientes reſecare à corpore Eccleſiæ, atque ita illis cœlum claudere, ad quod nulli niſi de Eccleſia patet aditus. Cuius mucro quod nunc hebeſcit, quod noſtris principibus nunc minus ſit, quàm olim ſolet eſſe formidabilis, non eſt quod hi plus illis ſapiunt, ſed quod magis deſipiunt, quod fidei, religionique Chriſtianæ minor apud hos locus eſt. Theodoſius ille, verè chriſtianus & ſapientiſſimus Imperator, vim illius in ſe expertus, in puluere ſedens & cilicio, atque ex intimis præcordijs ſingultus trahens & ſuſpiria, Ruffino ſe conſolari volenti: Meorum, inquit, ſenſu oialorum haud tangeris. Ego vero gemo, lamentorque in conſideratione calamitatis meę, quod cum ſeruis & mendicis pacis pateat diuinum templum, illique libere ad deprecandum dominum ſuum ingrediantur, mihi tum illud inacceſſum, tum inſuper & cœlum occluſum eſt. Memoria enim teneo dominicam vocem, quæ manifeſtè dicit: Quemcunque alligaueritis in terra, is & in cœlo erit ligatus. Hic illi & illo tempore de gladio ſpirituali ſenſus erat, qui datus eſt Eccleſiæ principibus, ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Sed iſti ſcilicet illo ſapientiores ſunt, & magis religioſe Chriſtiani, qui non ſunt coutenti ſibi ioacceſſa eſſe diuina templa, ſed ne quibus pateant, ea funditus magno ſtudio euerterunt. Claudi ſibi cœlum, vt ille, ſacerdotali authoritate non credunt. Verba Chriſti non, vt ille, intelligunt. Atqui rectius, hi an ille, vel cœco arbitror eſſe perſpicuum.

Varij modi authoritatis coactiuæ.

Qualis authoritas coactiua conueniebat Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi.

Spiritalis gladius quá terribilis ac metuendus.

Noſtrorum principum cum Theodoſio collatio.

Quod vero ex quibuſdam truncate citatis Diui Bernardi verbis perſuadere conatur eam fuiſſe illius ſententiam, vt Epiſcopus ſibi vēdicans coactiuam iuriſdictionem ſuper contentioſis inter homioes actibus, alienum ſibi officium vſurpet & inuadat indebite: cogor iterum demirari diabolicam in homine perfrictæ frontis impudentiam. Quid enim Diuus Bernardus de authoritate Romani Pontificis vt Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis ſentiat, ex his quæ ante induximus libri eius ſecundi de conſideratione ad Eugenium, cuique adeſt perſpicere. Quod ſi nec hic truncaſſet verba, ſed addidiſſet & præcedeotia & ſubſequeotia, adempta ſibi fuiſſet imponendi lectori occaſio, cui clarè conſtitiſſet etiam ex his ipſis verbis Bernardi ſibi perpetuo conſtaus & conſona ſeotentia. Quam vt intelligas, ille libro primo de conſideratione ad Eugenium, velut eius miſertus, quod è dulci illo contemplationis otio ac latebra protractus eſſet in publicum ad priſtinam, ac infinitam velut molem negotiorum totius Eccleſiæ, eundem inſtruit, quo pacto in illis ipſis negotijs, ſibi tamen aliquid poſſit facere contemplatiui otij, Diui Gregorij ſibi proponens exemplum, qui inter maxima negoria, otia ſibi ſalutaria nouerat inuenire: Obſidio, inquit, vrbi, & barbaricus enſis ciuium ceruicibus imminebat, nunquid tamen iſtud terruit beatum Papam Gregorium, quo minus ſapientiam ſcriberet in otio? Eo nempe temporis, quod ex eius præfatione liquet, obſcuriſſimam & extremam partem Ezechielis tam diligenter, quàm eleganter expoſuit. Proinde, inquit, memento & tu, non dico ſemper, non dico ſæpè, ſed vel interdom reddere teipſum tibi. Vtere tu quoque te inter multos, aut certè poſt multos. Quid indulgeotius? Hoc enim dico, ſecundum indulgentiam, noo ſecundum iudicium, puto & ipſo Apoſtolo me indulgentiorem in hac parte. Subiungens deinde quid fortè ab illo exacturus eſſet Apoſtolus, nempe vt vel in totum reiectis his minutis & vilibus, quibus nunc præſes Eccleſiæ frequenter occupari cogitur, hoc eſt, iudicijs inter homines litigantes pro terrena hæreditate atque eiuſmodi, vt ſibi indignis, totum ſe reſeruaret potioribus, ad-

Perfidia Marſilij in citandis SS. Patrum ſententijs curſus coarguitur.

Digitized by Google

ducta ad id Apoſtolica paulo ante indncta ſenentia, de contemptibilioribus in Eccleſia conſtituendis ad iudicia eiuſmodi. Quid ni, inquiens, contemnant iudicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, quia in cœleſtibus & angelos iudicabunt? Subdit deinde verba, quæ ille trunca induxit: Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra. Quoniam propter illa, non ptopter has accepiſtis claues regni cœlorum, præuaricatores vtique excluſuri, non poſſeſſores: vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata. Quænam tibi maior videtur dignitas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? Sed non eſt comparatio, Habent hæc infima, & terrena iudices ſuos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? quibus verbis, nihil aliud vult vir ſanctiſſimus, quam quod Apoſtolus fortaſſis à Summo Pontifice exigeret (quod ipſe obſtante nunc malitia temporum non audebat exigere) vt planè reiectis his minutis & vilibus tanquam ſuæ occupationi, & cognitioni prorſus indignis, ad inferiores ad ea ipſa proprie deputatos iudices, ipſe potioribus ac grauioribus intenderet, hoc eſt, corrigendis criminibus. Non quia ſua ad ea ſe non extendit authoritas, ſed qnia indignum eſt vt illis occupetur, quæ præſtari poſſunt ab inferioribus. Ita & in hæc verba ſubdit, quę ille ſtudio truncauit: Non, inquit, quia indigni vos, ſed quia indignum vobis, talibus inſiſtere, quippe potioribus occuparis. Sed vbi fortè neceſſitas exigit, videlicet etiam ad eiuſmodi demittere ſe authoritatem veſtram, audi quid ſentiat, non ego, ſed Apoſtolus: Si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? Sed aliud eſt incidenter excurrere in iſta, cauſa vrgente: aliud vltro incumbere iſtis, tanquam magnis digniſq; tali & talium intentione rebus. Hæc, inquit dicerem, & innumera talia dicerem, ſi fortia dicerem, ſi recta, ſi ſyncera, videlicet qualia fortaſſis exigeret Apoſtolus. Nunc autem quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim admonitum eſſe, non totum te, nec ſemper dare actioni, ſed conſiderationi aliquid tui & cordis & temporis ſequeſtrare. Audis itaq; lector viri ſanctiſſimi & verè orthodoxi ſententiam, qua non negat Epiſcopis authoritatem coactiuæ iuriſdictionis ſuper alios, ſed optaret eam in his minutis, & vilibus non occupari, ſed expeditam vacari vni correptioni criminum, ſuper quæ etiam grauiori & vehementiori coactiua poteſtate opus eſt. Non tamen negat minuta illa ſubeſſe authoritati eccleſiaſtici hierarchiæ præſidis, imo ex Apoſtoli ſententia illa ſubeſſe docet, & rectè ac pro debito illum facere, ſi exigente neceſſitate, etiam ad illa ſe demittat, modo non incumbat vltro tanquam magnis, & ſe ſuaque occupatione dignis. Quod ipſum clarius adhuc explicat in ſequentibus, vbi velut ſecundum malitiam horum temporum ſibi obijciens ex perſona Pontificis: Sed eſto, inquit, alius nunc mos inoleuit, alij dies ſunt, alij hominum mores, & tempora periculoſa non inſtantiam, ſed extant: fraus & circumuentio, & violentia inualuere ſuper terram: calumniatores multi, defenſor rarus, vbique potentiores pauperiores opprimunt. Non poſſumus deeſſe oppreſſis, non negare iniuriam patientibus iudicium. Niſi agitentur cauſæ, audiantur partes, inter partes iudicare quis poteſt? Reſpondet: Agitentur cauſæ, ſed ſicut oportet, &c. Nihil ita abſq; labore manifeſtam facit veritatem, vt breuis & pura narratio. Ergo illas quas ad te neceſſe eſt intrare cauſas (neque enim omnes neceſſe erit) diligenter velim, ſed breuiter decidere aſſueſcas, fruſtratoriaſque & venatorias decidere dilationes. Cauſa viduæ intret ad te, cauſa pauperis, & eius qui non habet quod det. Alijs alias multas poteris committere terminandas, quam plures, nec dignas audientia iudicare. Quid enim neceſſe eſt audire illos quorum peccata manifeſta ſunt, precedentia ad iudicium? Plena eſt ambitioſis eccleſia, non eſt iam quod exhorreat in ſtudijs, & molitionibus ambitionis, non plus quam ſpelunca latronum in ſpolijs viatorum. Si Chriſti Diſcipulus es, igneſcat zelus tuus, exurgat authoritas aduerſus impudentiam hanc & generalem peſtem. Intuere magiſtrum ſic facientem, & audi dicentem: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Non parat aures vt audiat, ſed flagellum quo feriat, verba nec facit, nec recipit. Nec enim ſedet iudicans, ſed inſequitur puniens. Cauſam tamen non tacet, quod videlicet domum orationis, domum negotiationis feciſſent. Ergo & tu fac ſimiliter. Erubeſcant vultum tuum iſtiuſmodi negotiatores, ſi fieri poteſt: ſi non poteſt, timeant. Nam & tu flagellum tenes In ſumma, inquit, hoc pacto tibi parabis quas ſua Deo ferias, ad vacandum conſiderationi, quædam negotia nec audiendo, quædam alijs cõmittendo, & quæ tua digna putaueris audiencia, fideli quodam & accommodo ipſi cauſæ compendio terminando. Hactenus ille. Et tu vis ex Diui Bernardi ſententia Epiſcopum aliena ſibi vſurpare, ſi coactiuæ iuriſdictionis authoritatem exercere tentauerit ſuper contentioſis actibus hominum? O impudentiam ſingularem & ſubdolam.

Hinc intellige clariſſimã D Bernardi ſentẽtiam.

CAP. VII.

Obiectioni reſpondere ex verbis Apoſtoli ad Romanos 13. Ex quibus omnes, æque eccleſiaſticos vt laicos, ſubiectos videri volunt coactiuæ poteſtati Principum huius ſæculi.

QVam non ſit difficilè impietati accommodare diuinarum ſcripturarum eloquia, quando ſua illis non adhibetur amuſſis, teſtantur tot portenta peſtilentiſſimarum hæreſium, & libro primo copioſius demonſtrauimus. At cum diligenter & fideliter ad illam ſuam exiguntur regulam, iam tum apparet, & planum fit, quænam ſit earum germana ſententia, vt vbique ſubſcribens Catholicæ per orbem fidei, ita omni prophanæ nouitati, nouitiæque impietati aduerſaria. Quod vt in ſuperioribus perpetuo intellexiſti, ita & hic effi-

efficiam vt clariſſimè intelligas.

Impotenter ille aduerſum nos iactat verba Apoſtoli, quibus omnem animam doeee poteſtatibus ſublimioribus ſubditā eſſe oportere, Deiq; ordinationi reſiſtere, & ſibi damnationem acquirere, qui reſiſtunt magiſtratibus. Proinde neceſſitati parere iubet, non tantum propter iram Principum, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim, inquit, & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: eui vectigal, vectigal: eui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Ex quibus equidem verbis, verboſiſſimè atq; ineptiſſimè tractatis ac trutinatis, multis etiam ineoncinnè adhibitis ſanctorum ſententijs infert, neceſſario tenendum illi, qui nomen & doctrinam Domini blaſphemare noluerit, omnes homines cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, tam realiter, quàm perſonaliter ſubeſſe debere iuriſdictioni principum ſæculi, atque eiſdem obedire in omnibus, quæ non contradicunt legi æternæ ſaluris: quandoquidem de ſæcularibus poteſtatibus conſtat locutum Apoſtolum, quibus commiſſus eſt vſus gladij. Omnem autem animam dixit, neminem excipiens, nec Ptesbyterum, nec Epiſcopum: quos reſiſtentes poteſtatibus etiam infidelibus, damnationem æternam ſibi vult acquirere: quanto ergo magis, inquit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli acquirunt Rom. Pontifices, qui hac Dei & Apoſtolorum doctrina contempta iamdudum turbarunt ac turbant fideles Reges & principes, atque eorum authoritatem ſuæ authoritati ſubijciunt, quum cōtra his illos potius ſubiectos eſſe oporteat? Hoc ipſum confirmans Auguſtini ſententia: Ideo, inquit ille, & Apoſtolus eccleſiam orare pro Regibus admonnit, & omnibus ſublimibus, eodem ſpiritu afflatus quo, & Hieremias, qui miſit epiſtolā Iudęis, qui erāt in Babylone vt orarent pro vita Regis Nabuchodonoſor, filiorumque eius, & pro pace ciuitatis: quia, inquit, in pace eorum erit pax veſtra. Hoc autem figuratè ſignificaſſe, eccleſiā in ſanctis eius (qui ſunt ciues cœleſtis Hieruſalem) ſeruituram ſub regibus huius ſæculi.

Chriſti religionem neminem priuare iure ſuo.

Sed oro te lector, vt ſis memor eorum, quæ ſuperius demonſtrata non ſemel inculcauimus. Ita enim clariſſime intelliges, nobis pulchre conuenire cum Apoſtolo. Neque enim dicimus Chriſti religionem quemquam priuare ſuo iure, non abſoluere filios à patria poteſtate, ſeruos à ſubiectione, & ſeruitute quam debent Dominis, ſubditos à ſuperiorum ſuorum, & ciuilium magiſtratuum obedientia debita, etiam ſi ſacerdotes, etiam ſi Epiſcopos: proinde, & Apoſtolos eorumque ſucceſſores Epiſcopos & presbyteros, iure merito ſubſuiſſe à principio legitimæ authoritati ciuili; quæ præerat in quibus morabantur ciuitatibus, & comitatibus. Venit tamen Chriſtus, etiam ſibi regnum quoddam in quo ſuper nos regnaret, conſtituere, hoc eſt, Catholicam ſuam Eccleſiam: ſed tantum ex dedititijs, & voluntarijs, quique vltro ſe eius ſeruituri ſubijcerent. Quod equidem vt futurum ampliſſimum, & comprehenſurum infinitam multitudinem hominum, etiam diligentiſſimo ordine diſpoſuit, atque eius vnitati, vno illi conſtituto capite aut rectore, ad quem totius cura pertineret, & gubernatio præcipua, diligentiſſime ſimul, & ſapientiſſime prouidit. Non eſt itaque, quod ſuam ſibi quiſquam queratur ademptam authoritatem per regnum Chriſti, cui nemo ſeruit inuitus. Tamen quiſquis vltro ſe illi ſubiecerit, etiam obedientiam debeat ſacroſanctis ab eodem conſtitutis magiſtratibus, & præcipue totius Eccleſiæ paſtori, rectori, & principi, neceſſe eſt.

Regnum Chriſti ex dedititijs tantum & voluntarijs.

Qui quamdiu quidem viuebat ſub principibus, & magiſtratibus, qui ſe nondum Chriſti iugo ſponte ſubdiderant, etiam illis ſuberat, & ſubeſſe tenebatur ciuiliter. At poſtquam diuina ordinatione impleta iam cernimus illa prophetarum oracula, quibus fore prædixerunt, vt gentes, & regna, reges, & principes ſeruient Chriſti regno, & Eccleſiæ, poſtquam vltro facti ſunt Eccleſiæ filij, atque eius quædam membra præcipua, vt quorum eſt magni momenti, & neceſſarium officium ad ſalutem totius corporis, rerum natura non patitur, vt illis caput, princeps aut rector ſubijciatur Eccleſiæ, & non potius membra capiti, atque illi officiorum ac magiſtratuum ſuorum exacti rationem reddere teneantur. Illius ſubſint iudicio, præſertim qui nullos ſuperiores ciuiles magiſtratus recognoſcunt. Itaque iam ante annos mille videmus Chriſtianos principes, reges, imperatoris, ſe & ſua ſceptra ſubmiſiſſe, atque adeo tradidiſſe Chriſti Eccleſiæ, atque ab ea veluti accepta recognoſcere, eius iudicio regnare reges, & imperatores, & amoueri regno, & imperio, quemadmodum ſupra in Henrici IV. tragœdia ex recognitione libera totius regni, & imperij intellexiſti, & poſt copioſius demonſtrabimus. Nec dubitabis diuinæ diſpenſationis ac prouidentiæ, non humanæ præſumptionis aut vſurpationis hæc eſſe opera, ſi ad Eſaiæ, & Danielis reſpexeris vaticinia, quibus hæc, tanto antequam fierent, fore prædicta ſunt, ſi præterea ad Gamalielis illam regulam eadem exegeris: Quoniam ſi ex hominibus eſt, inquit conſilium hoc aut opus, diſſoluetur. Siquidem annis plus mille hoc ipſum duraſſe videmus.

Omnia mēbra Eccleſiæ in ſuo quæque officio ſubeſſe eius paſtoris, rectori, & capiti.

Intellectus verborum Apoſtoli ad Rom. 13. Omnis anima, &c.

Itaque quod dicit Apoſtolus, omnem animam ſublimioribus poteſtatibus ſubditam eſſe debere, & debitam eiſdem præſtare obedientiam, libenter amplectimur. Sed hoc te admonitum volumus lector, non de ciuilibus tantū magiſtratibus, & poteſtatibus illum loqui, ſed in vniuerſum de omnibus, ita vt iuxta illam Apoſtoli ſententiam, ſerui Dominis, famuli, & ancillæ patrifamilias, vxor marito, monachus ſuo abbati, omnes denique, qui vel ſua voluntate, vel ex ſtatu, & conditione reipublicæ, cuius pars ſunt, vel ex ſuæ natiuitatis ſorte alteri ſubiecti ſunt, illi obedientiam debeant. Itaque quoniam non idem in omni ordine ſuperioritatis, & ſubiectionis debetur ſuperioribus poteſtatibus à ſubditis, ideo concludens generalem illam ſententiam, dicit: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Quin, & ipſa ratio Apoſtoli, qua perſuadet omnes omnibus ſuperioribus poteſtatibus obedientiam

V 2 debere,

debere, conuincit illum ita vniuerſaliter (vt diximus) loqui, & non tantum de poteſtatibus ſecularibus aut magiſtratibus ciuilibus. Quoniam, inquit, à Deo hæc ita ordinata ſunt cuius ordinationi qui reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem acquirent, aut iudicium, vt legit Chryſoſtomus. A Deo ſiquidem ordinatum eſt, vt ſi ordo inter homines, vt hic præſit, & cæteris imperet, ille ſubſit, & obſequatur alterius imperio, ne cuncta temere ferantur, & quemadmodum vndæ (vt eiuſdem Chryſoſtomi verbis dicam) ita & populi huc atque illuc circumagerentur. Quoniam enim honoris, & conditionis æqualitas pugnas, & diſſidia plerumque inducit, multos fecit principatus, multaſque ſubiectiones, vtpote viri, & vxoris ſuæ, filij, & patris, ſenis, & adoleſcentis, ſerui, & domini, principis, & ſubditi, præceptoriſque, ac diſcipuli. Et quid, inquit, miraris quod in hominibus iſtud fecit, quando idem, & in corpore noſtro fecerit? Neque hic paris honoris omnia fecit, ſed hoc equidem minus, illud vero potius, & hęc quidem reliquis membris imperantia, illa vero ſeruientia. Idem, & in beſtijs videri eſt, vt in apibus, in gruibus, in gregibus ouium agreſtium. Quin & mare ab iſta diſciplina deſtitutum non eſt, ſed illic quoque multa piſcium genera ſub vno reguntur ac militant, longaſque velut peregrinationes ſuas exequũtur.

Chryſoſt. in epiſtola ad Roman.

Hactenus fere Chryſoſtomus. In hunc modum vnuſquilibet homo quicunque tandem is fuerit, ſeu Apoſtolus, ſeu Propheta, ſeu Epiſcopus, ſeu Sacerdos, ſeu Monachus, ſeu Prætor, ſeu Conſul, ſeu Rex aut Imperator, ſibi ſupereminenti poteſtati obedientiam dependat oportet, ſi quæ modo illi poteſtas ſupereminear. Ea enim reſtrictione opus eſſe, res ipſa cogit intelligere. Nam ſuprema in terris, & nulli alteri, ſubordinata authoritas, nulli etiam alteri, niſi Deo ſubiectionem debet, & obedientiam. Quod vero generalem illam ſuam, atque adeo diuinam ſententiam, in ciuilibus, & huius ſęculi poteſtatibus velut in exemplo diligentius executus ſit, hoc fecit, vt obſtrueret ora quorundam loquentium iniqua, & per quos apud gẽtes blaſphemabatur nomen Domini, & Chriſtiana Religio, quaſi doceret ſubditos rebellare magiſtratibus, ſeruos dominis. Ita etiam plerique ſentiebant de doctrina Apoſtolorum, quod omnes, velut propoſito pileo, euocarent in libertatem. Infamabanturque veluti ſeditioſi, rerumque nouatores, & qui omnia ad euertendum leges communes, & facerent, & dicerent. Qua vt ſe, & religionem Chriſti purgaret infamia, illam quam præmiſit generalem ſententiam, & velut animi quandam communem conceptionem, in publicis poteſtatibus, & magiſtratibus diligẽtius exequitur Apoſtolus, tandem reuerſus ad communem, & generalem, dicit: Reddite ergo omnibus debita. Idem quoque, & eodem concilio fecit Petrus dicens: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, hoc eſt, quiſque ſuo ſuperiori, aut illi cui eſt ſubditus ſecundum ipſam humanarum ſocietatum legem atque ordinem, hoc ipſum deinceps ſpeciatim exemplificans, ſiue regi, inquit, tanquam præcellenti: ſiue ducibus tanquam ab eo miſ-

Cur generalem illam ſententiam in huius ſæculi poteſtatibus veluti exemplo diligentius ſit executus B. Apoſtolus.

ſis, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, ſimiliter, & de ſeruis erga dominos, de filijs erga parentes, de vxoribus erga ſuos maritos ſubijciens. Omni ergo humanę creaturæ nobis propoſitę, hoc eſt, vt loquitur Paulus, omni ſublimiori aut ſuperiori poteſtati, quiſque ſecundum Dei ordinationem, & voluntatem debet obedientiam. Quam adeo non tollit lex Chriſti, & euangelica, vt magis confirmet etiam.

Sed ex hac apoſtolica, atque adeo Chriſti ſententia minime ſequitur, caput hierarchiæ eccleſiaſticæ ſubijci regibus, imperatoribus, & principibus, qui ſunt membra Eccleſiæ: ſed contra potius, ex ipſa lege euangelica, neceſſe eſt vt membra obediant capiti, quia membra ſunt communis corporis, & quia ſeſe illi vltro ſubiecerunt, neceſſe eſt, vt caput in reliqua membra vniuerſa imperium habeat. Siquidem, & Dei ordinationi, atque ipſi adeo rerum naturæ repugnat, vt contra membra imperitent capiti. Illi dedit Chriſtus authoritatem obligandi omnes, qui in eccleſiaſtica domo ſunt, dicens etiam in cœlis illos ipſos obligatos haberi. Illi commiſit claues regni cœlorum, quibus membris Eccleſiæ ſibi inobedientibus, & rebellibus poteſt etiam cœlum claudere, poteſt extra arcam illam myſticam, & domum Eccleſiæ eijcere, & velut ethnicos facere. Itaque ſecundum apoſtolicam, & Chriſti iam inductam ſententiam, omnes magiſtratus, qui ſunt membra Chriſtianæ Eccleſiæ, etiam capiti eccleſiaſticæ hierarchiæ, vt ſuperiori ſuper ipſos authoritati, atque adeo ſuo capiti debent obedientiam.

Qui extra ſunt, & necdum Chriſti regno ſeruiunt, non debent, imo contra, vbi illud ipſum caput Eccleſiæ, in ciuitatibus aut communitatibus ageret, quibus illi legitime præfecti ſunt, ſecundum eandem Apoſtolorum, & Dei ſententiam, ipſis obedientiam deberet, vt ſubditi cæteri, deberet, & tributa, & vectigalia reliquorum inſtar dependere. Æque tamen verum eſt, quod nullum ſuo iure priuat Chriſtiana religio. Sed qui ſe illi adſtringunt vltro, ſeque Chriſti regno ſubijciunt, neceſſe eſt vt illius quoque leges ſeruent, illius ſacroſanctis magiſtratibus dependant obediẽtiam, vt membra ſe permittant imperio capitis. Quod ſane ita decere, ita omnem rationem, & honeſtatem exigere, recte intelligentes ſapientiſſimi, & religioſi principes, non ſolum ſacroſanctis (quibus neceſſariam obedientiam debebant) magiſtratibus, ſed etiam omnibus ſacrorum miniſtris, omnibus denique qui ſe Chriſti ſeruitio ſpecialius addixerunt ac deuouerunt, publicis legibus exemptionem ab authoritate, immunitatem ab oneribus ciuilibus conſtituerunt. Nihil tamen in hoc nouum facientes, nec prorſus aliud, quam quod honorem, quam ante falſæ religioni indebite detulerat decepta antiquitas, ipſi veræ debitum impenderunt.

Etiam apud gentiles receptum fuiſſe, vt ſacerdotibus ſuis ſingularem deferent honorem, immunitatẽ & vacationẽ à ciuilibus oneribus ac que annonã ex publico.

Hoc ſane conſtat, apud omnes etiam gentiles, quibus tamen vlla religionis, vlla numinis cura extitit, quamuis ad veri cognitionem non peruenerint, velut naturali ratione magiſtra receptum fuiſſe, vt Sacerdotibus ſuis ſpecialiter deputatis ſacrorum, & numinis (qualiacunque ipſi credebat) miniſterio ſingularem deferrent honorem, & reuerentiam, ciui-

ciuilium onerum vocationem ac immunitatem, & præterea annonam ex publico. Teſtatur hoc ſacra Geneſeos de Ægyptijs Sacerdotibus hiſtoria, qui in illa ſeptennij fame ſubleuata Ioſephi prouidentia, non ſunt coacti, inſtar reliquorum Ægyptiorum, vendere ſuas terras, & poſſeſſiones in ſeruitutem regiam, vt quibus ex publicis horreis ſtatuta præbebantur cibaria. Idem de vniuerſis nationibus comprobant omnium gentium hiſtoriæ. De Romanis vero, quamdiu ſeruierunt idololatriæ, illa Symmachi viri conſularis, & vrbis præfecti, ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcbadium Auguſtos, pro veteri Deorum cultu reducendo, aduerſus Chriſtianos oratio.

Symmachi viri conſularis ad Auguſtos oratio.

In qua inter cætera grauiſſimè queritur, Veſtalibus Sacerdotibus ſua ab initio illis cōceſſa detrahi immunitatis priuilegia atque annonam quam ſolebant accipere ex publico. Quanto, inquit, commodo ſacri ęrarij veſtri Veſtalium virginum pręrogatiua detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt? Et rurſus: Abſiut ab ærarij veſtri puritate iſta compendia, fiſcus bonorum principum, non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpolijs augeatur. Deinde hoc vehementer improbans, quod à religioſiſſimis principibus ſtudio abolendæ ſalſæ illius religionis, & impiæ, ſapienti conſilio excogitatum fuerat, ne poſſent illæ ſacerdotes prophanæ, legata aut hæreditates accipere: Oro vos, inquit ille, iuſtitiæ Sacerdotes, vt vrbis veſtræ ſacris reddatur vel priuata ſuceſſio. Dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non auaris ſtabile eſſe quod ſcripſerunt. Delectet vos iſta fęlicitas generis humani, cœpit cauſæ huius exemplum ſollicitare morientes. Ergo Romanæ religiones ſub Romano iure non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? Capiunt legata liberti, ſeruis teſtamentorum iuſta commoda non negantur: tantum nobiles virgines, & ſacrorum fatalium miniſtrę excluduntur prædijs hæreditate quæſitis. Quid iuuat ſaluti publicæ caſtum corpus dicare, & Imperij æternitatem cęleſtibus fulcire præſidijs, armis veſtris, aquilis veſtris, amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota ſuſcipere, & ius cum omnibus non habere? Itaque melior eſt ſeruitus, quæ hominibus, quàm quæ Dijs immortalibus, impenditur? Rempublicam lędimus, cui nunquam expedit vt ingrata ſit. Nemo me putet ſolam cauſam religionum tueri. Ex huiuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta Romani generis incōmoda.

Honorauerat lex parentum noſtrorum Veſtales virgines, & miniſtros Deorum, victu modico, iuſtiſque priuilegij, & vſque ad nos ſtetit muneris huius integritas. Nunc ad degeneres trapezitas, atque ad mercedem vilium baiulorum ſacræ caſtitatis alimenta vertuntur. Sequuta eſt hoc factum fames publica, & ſpem prouinciarum omnium meſſis ægra decepit. Non ſunt hæc vitia terrarum, nihil imputamus aſtris, nec rubigo ſegetibus obfuit, nec auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit. Nec eſſe enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Cum contra fœcunditatis, & omnium rerum vbertatis cauſam dicat, Sacerdotibus ſuum impendiſſe honorem. Quid enim, inquit, tale pertulerunt prouinciæ, cum religionum miniſtros honor publicus paſceret? Quando in vſum hominum concuſſa quercus? Quando nullæ ſunt herbarum radices? Quando alternos regionum defectus deſeruit fœcunditas mutua, cum populo, & virginibus ſacris communis eſſet annona? Commendabat enim terrarum prouentus victus antiſtitum, & remedium magis quàm largitas erat. An dubium eſt ſemper pro copia omnium datum, quod nunc omnium inopia vendicauit? Hæc atque eiuſmodi ille Symmachus, falſa quidem atque impia, vt dicta pro tuenda falſa impiaque religione, & ſacerdotum eius priuilegijs: ſed veriſſima, ſi dicantur à Chriſtiano pro veræ religionis miniſtris, Sacerdotibus, atque alijs diuino ſpecialiter mancipatis ſeruitio. Quibus omnes toto orbe terrarum gentes, & nationes, velut communi quadam conceptione animi, intellexerunt quidem honorem ſingularem deberi: tametſi vt in veri numinis veræque religionis, ita in miniſtrorum eius, cognitione aberrauerint.

Sacerdotibus quid debeatur in Chriſtiana Eccleſia.

Certe quid noſtris Sacerdotibus à Chriſtifidelibus in ipſa debeatur Chriſti Eccleſia, non minus in eiuſdem figura, in Synagoga illa, & tabernaculo veteri, quam propheticis oraculis expreſſum eſt. Sibi ſiquidem decimas omnium in ſignum vniuerſalis dominij ſpecialiter reſeruans Dominus Sacerdotum ſuorum, & altaris miniſtris deputauit vſibus, & miniſterio. Omnes, inquit ille Moyſes, decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Omnium decimatum bouis & ouis, & capræ, quęcunque ſub paſtoris virga tranſeunt, quicquid decimum venerit, ſanctificatum eſt Domino. Has, inquam, ex vniuerſis, quæ nobis ſua benignitate largiſſimè confert, in ſignum, memoriam, recognitionemque, quod ab ipſo velut omnium Domino vniuerſa accepimus, ſibi ſpecialiter reſeruatas ſibique ſanctificatas (adeo vt eaſdem ſine ſacrilegij crimine, noſtris prophaniſque vſibus applicare non poſſimus) ſacrorum ſuorum miniſtris tradidit. Quas quam indigne ferat auare aut infideliter illis perſolui, qua fraudantes perſequatur vltione, & vindicta, idem per Malachiam teſtatus eſt: Reuertimini, inquit, ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixiſtis, in quo reuertemur? Si affligit homo Deum, quia vos configitis me. Et dixiſtis, in quo configimus te? In decimis, & primitijs, & ideo in penuria maledicti eſtis.

Malach. 3.

Hic vide, in quo ſupplantari ſe Deus à nobis ac fraudari, nobiſcum expoſtulet.

Quia, inquit Hieronymus, mihi non rediidiſtis decimas, & primitias, quia vos me ſupplantaſtis, & defraudaſtis: iccirco in penuria, & fame maledicti eſtis, & pro decimis, & primitijs, quæ parua erant vt à nobis darentur, vbertatem poſſeſſionum veſtrarum, & omnem frugum abundantiam perdidiſtis. Et addit Dominus per prophetam: Inferte omnem decimam in horreum meum, & probate me ſuper hoc ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Perinde ac ſi diceret,

ceret, exponente Hieronymo, vt ſciatis me iraſcentes vos laborare penuria, fame, & inopia, quia videlicet fraudaſtis me parte mea, inferte omnem decimam fideliter in horreum meum, hoc eſt, in theſauros templi, vt habeant Sacerdotes, & Leuitæ, qui mihi miniſtrant, cibos: & probare me ſuper hoc, ſi non effundam vobis benedictionem, & abundantiam. Vides hic, quod ille Symmachus dixit non verè ſed impiè, pro impia religione atque eius Sacerdotibus, pro noſtris veriſſime dici à Chriſtiano. Vides quam indignè ferat Dominus illis detrahi, quod ſibi reſeruarum in ſignum recognitionemque vniuerſalis dominij, ipſis contulit. Qua fraudantes vindicta ac vltione perſequatur.

Decimas diuini iuris eſſe etiam in lege euangelica.

Nec eſt quod hic quiſquam ſibi blandiatur, veteris hæc eſſe, & abolitæ legis Moſaicæ, quæ iam amplius nos non obligent ſub lege euangelica. Nam eandem opera dices non obligari nos etiam præceptis decalogi, quia veteris legis ſunt. Quod ſi confitearis etiam apud nos illorum adhuc vim, efficaciam, & obligationem ſubſiſtere, quia nec figuram gerebant futuri, nec pertinebant ad ſtatus ciuilis illius veteris populi (qui iamdudum diſſolutus eſt) gubernationem, ſed inſtruebant homines rectè ſe gerere ad Deum, & proximum: æque confitearis neceſſe eſt, apud nos locum habere obligationem illam de perſoluendis decimis. Æque enim nos ac illi Deum recognoſcamus oportet authorem, & largitorem bonorum omnium, æque vniuerſalem Dominum. In cuius ingem memoriam, & recognitionem decimas ſibi reſeruauit omnium, quas ſuis Sacerdotibus, & altaris miniſtris perſoluendas attribuit. Æque itaque, vt tunc, ita & nunc verum eſt, decimas omnium, ſeu terræ naſcentium, ſeu pecorum, armentorum, & quæcunque ſub virga paſtoris tranſeunt, Domini eſſe, atque eidem ſanctificata, quum nuſquam nobis magis, quam illis, eaſdem remiſiſſe legatur. Æque ad nos pertinet, ſi eaſdem fraudemus, nec fideliter perſoluimus, illud quod induximus Malachiæ prophetæ. Ita ſanè hoc intellexerunt orthodoxi partes noſtri, ita ab initio catholica Chriſti Eccleſia, columna, & firmamentum veritatis, & rectæ ſcripturarum intelligentiæ inflexibilis, & certiſſima amuſſis, & regula.

Catholicæ Eccleſiæ de hoc ſententia oſtenditur.

Hieronym

Itaque Diui Hieronymi in expoſitione Malachiæ iam audiſti ſententiam, quam & in epiſtola ad Damaſum clariſſimè explicat, à quo conſultus, num Sacerdotibus, & Leuitis, quibus decimæ diuinitus aſſignatæ ſunt, liceret de iure ſuo in vſum monachorum, & religioſarum perſonarum transferre, reſpondit eiſdem liberum eſſe, monachis, & ſpiritualibus viris Deum colentibus, & timentibus, decimas & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de iure ſuo in illorum dominium transferre, modo in illis pauperibus, non tam paupertatem, quàm religionem attenderent. Quod aut, inquit, beatitudo tua quæſiuit, vtrum decimarum, & oblationum ius ſecularibus poſſit prouenire, nouit veſtra ſanctitas omnino non licere, proteſtantibus hoc diuinis authoritatibus paternorũ canonum. Quamobrem ſi aliquando ab his male detenta, quæ diuinis iuris eſſe noſcuntur, in vſum transierunt monachorum, & ſeruorum Dei: Epiſcopo tamen loci illius præbente aſſenſum, conſtabunt illis omnia, perpetua ſtabilitate ſubnixa. Hactenus ille. Vides quo pacto diuinum illud ius intelligat orthodoxus ille doctiſſimuſque Hieronymus, non quidem vt abolitum, ſed vt Chriſtifideles adhuc efficaciter obligans.

Sic, & Diuus Ambroſius ſermone quodam quadrageſimali docuit ſuum populum: quicunque rogauerit in ſe, quod fideliter non dederit decimas ſuas, modo emẽdet quod minus fecit. Quid eſt fideliter dare, niſi vt nec peius, nec minus aliquando offerat de grano, aut de vino, aut de fructibus arborũ, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua, &c. Nam qui Deo non vult reddere decimas, quas retinuit, & homini non ſtudet reddere, quod iniuſte abſtulit, non timet adhuc Deum, & ignorat quæſit vera pœnitentia veraque confeſſio, nec veram aut Deo acceptam elemoſynam talis poteſt facere.

Ambroſius.

Idem, & ſibi commiſſo fideli populo inculcauit magis, & ad memoriam reuocauit Diuus ille Auguſtinus catholicæ per orbem Eccleſiæ ſententiam, quam docuit. Quod ſi, inquit, decimas fideliter dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis, & animę conſequeris. Non igitur Dominus Deus præmium poſtulat, ſed honorem. Deus enim noſter, qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatus eſt recipere, non ſibi, ſed nobis profuturam. Quam ſi tardius dare peccatum eſt, dicente eodem: Decimas tuas, & primitias non tardabis offerre: quanto peius peccatum eſt, non dediſſe? De militia igitur, de negotio, & de artificio redde decimas. Quum enim decimas dando, & terrena, & cœleſtia poſſis præmia promereri, quare pro auaritia, duplici benedictione fraudaris? Hæc enim eſt Dei iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi, quod nos vis dare Sacerdoti. Benefacere Deus ſemper paratus eſt, ſed hominum malitia prohibetur. Decimæ enim ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.

Auguſtin.

Et rurſus: Maiores noſtri ideo copijs omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem quia deceſſit deuotio fidei, acceſſit indictio fiſci. Nolumus partiri cum Deo decimas, modo autem tollitur totum. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus. Hæc ille Auguſtinus.

Vides quo pacto ſancti hi Patres noſtri ius decimarum, æque apud nos, vt apud illos veteres ſubſiſtere, & valere intellexerint, & docuerint fidelem populum. Quos nihil aliud docuiſſe certum eſt, quàm quod, & ipſi didicerant in Catholica Chriſti Eccleſia. Quorum cõſenſum in re dubia obſeruare nos Chriſtus docuit, vt certæ, & indubiæ veritatis argumentum. Vbicunque enim congregantur aquilæ, ibi corpus eſt, ibi Chriſtus, & veritas, idem ſenſus, & conſenſus catholicæ Eccleſiæ. Cuius ſententia, quoniam in concilijs orthodoxorum præſulum ex diuerſis locis orbis in vnum conuenientium euidentius perſpicitur, audi decretum Rothomagenſis concilij, quod in hæc verba legitur: Omnes de-

Sanctorum patrum cõſenſum in re dubia ob ſeruandum à nobis velut conſenſum catholicæ Eccleſiæ

Decretum Rothom. concilij.

cimæ

cimæ terræ ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur, &c. Sed quia modo multi inueniuntur decimas dare nolentes, ſtatuimus, vt ſecundum Domini præceptum admoneantur, ſemel, ſecundo, & tertio: & ſi non emendauerint, anathematis vinculo feriantur vſque ad ſatisfactionem, & emendationem congruam.

Decretum Moguntini concilij.

Rurſus Moguntini concilij hoc legitur decretum: Decimas Deo, & Sacerdotibus Dei dandas Abraham factis, & Iacob promiſſis inſinuat, & omnes ſancti Doctores commemorant. Hactenus verba decreti: Quæ num tibi videntur explicare communem catholicæ Eccleſiæ de iure decimarum ſententiam? Rurſus definiuit, & affirmat vniuerſale, idque celeberrimum pluſquam mille patrum ex toto orbe ſub Innocentio tertio conuenientium Lateranen. concilium, decimas neceſſario perſoluendas à Chriſtifidelibus, vt quæ debentur ex lege diuina, & à Domino in ſignum, & recognitionem vniuerſalis dominij, quaſi quodam titulo ſpeciali ſibi ſunt reſeruatæ, vt eſt videre in c. In aliquibus, & cum non ſit, de deci. prim. & obla.

Definitio Lateran. cōcilij vniuerſalis, & celeberrimi ſub Innocentio.

Quare & præfatus Innocentius à Vercellen. conſultus Epiſcopo quid ſibi agendum foret, & cum his qui in decimarum ſolutione dicebant detrhaendam impenſam agriculturę, & ſeminum, & qui vitam clericorum velut abominabilem calumniantes, eiſdem ſubtractas decimas in alios vſus (vt prætendebant) pios conuertebant pro ſuo arbitrio, vtrorum ſententiam rectè impietatis conuincit, & redarguit. Illorum quidem, quod Deus omnium Dominus, ſub hoc veluti canone nobis vniuerſa conceſſerit: & propterea deterioris conditionis eſſe non debeat temporali aliquo Domino, cui ſuus canon integre, & abſque vlla deductione à colono perſoluitur. Iſtorum vero, quod non licet cuiquam quæ ſua ſunt auferre atque alteri dare contra voluntatem Domini, eo prætextu, quia malus, & peccator eſt, mandat vtroſque ad integram, tam perſonalium, quam prædialium decimarum, vt Sacerdotibus, & clericis diuino iure debitarum ſolutionem eccleſiaſtica diſtrictione compelli, vt hæc eſt legere in c. Tua nos, de deci. prim. & obla.

Atque hactenus quidem illis rationibus ſatis ſuperque reſponſum eſt, quibus ex diuinarum ſcripturarum eloquijs, & ſanctorum patrum teſtimonijs ille demonſtrare conatus eſt, ex lege diuina, & euangelica nulli Sacerti aut Epiſcopo, vllam coactiuæ iuriſdictionis authoritatem ſuper vnumquemlibet Chriſtianum competere: quin potius, quo minus etiam vltro delatam eiuſmodi ab vniuerſitate multitudinis (ad quam ſolam eandem proprie pertinere contendit) acceptare poſſent Sacerdotis, & Epiſcopi, eiſdem interdictum à Chriſto, & Apoſtolis. Nulla eoſdem exemptionem gaudere debere à coactiua iuriſdictione ſecularium principum, quin potius eidem tam realiter, quam perſonaliter ſubiectos eſſe oportere, ſecundum doctrinam Chriſti, & apoſtolicam.

CAP. VIII.

Succenturitatis quibuſdam rationibus, quibus prædictam adhuc ſententiam confirmare nititur, reſpondere.

MVltis fucis, multis impoſturis, opus habet, quo perſuadeatur ſalſitas: cum contra nuda veritas ſui ipſius efficaciſſimus aſſertor ſit. Quare & hic omnia corradit, & congerit, quæ quocunque modo ad ſuam impietatem colorandam conſtabiliendamq; poteſt contorquere, & flectere. Itaque poſt rationes præmiſſas (quibus reſpondimus hactenus) velut primæ iuſtæque aciei, & in quibus fidit præcipuè, alias nihilominus quaſdam, velut in ſuccenturijs collocatas ſubiungit. Quas præterire viſum non eſt, ne forte quis male veritati amicus, ſtudio nos declinaſſe earum vim, & ſubterfugiſſe calumnietur.

Explicātur rationes quædam Marſilij, quibus ſacerdotiū. poteſtati ſeculari ſubijcit.

Prima ex legum diuinarum, & humanarum differentia.

Itaque 8. capite ſuæ dictionis ſecundæ hanc inſuper ſubiungit ratiocinationem. In primis ſupponit actus humanos voluntarios regulari duplicibus legibus, diuinis videlicet, & humanis, propoſita earundem tranſgreſſoribus pœna. Diuinarum tamen legum tranſgreſſoribus, vt dirigentium in finem futuri ſęculi, nullam in hac vita vult eſſe pœnam propoſitam, ſed humanarum tamen. Illarum finem eſſe ſupernaturalem felicitatem: harum pacificum, tranquillum, & ſufficientem inter ſe conuictum hominum. Leges autem, vt inanimas, & carentes principio iudicatiuo, & motiuo, indiguiſſe animato aliquo, quod ſecundum ipſas præcipiat, iudicet, iudicata exequatur, & tranſgreſſores puniat, hoc eſt, iudice, quem iuſtum animatum vocat Ariſtoteles, cuius coertioni, & punitioni ſubiectos vult omnes legum tranſgreſſores. Omnes ergo humanarum legum trangreſſores quicunque tandem ij fuerint, ſeu monachi, ſeu clerici, ſacerdotes aut Epiſcopi, ſubiacere vult punitioni iudicis humani, hoc eſt, ciuilis.

Ad quod hanc ſubiungit rationem. Quia eadem materia propria debet eiuſdem agentis actionem ſuſcipere, quod natum eſt, & ordinatum in illam agere propter finem ad quē apta eſt. At legis tranſgreſſor eſt materia aut ſubiectum, in quod natus eſt, & ordinatus agere iudex, & principans puniendo, & iuſtificando, aut ad ſymmetriam reducendo. Ergo vbicunque talem materiam inueneriт, debet talem in eo actionem facere. Cui accidit, eſſe Sacerdotem aut laicum: aut potius ſunt circunſtantiæ, trangreſſionem aggrauantes aut extenuantes: vt monachus, Sacerdos, Epiſcopus, fur, homicida, adulter, aut aliarum legum trangreſſor peccat grauius, quàm laicus. Subeſt ergo, inquit, & ſubeſſe debet, ſeu Sacerdos, ſeu Epiſcopus in eiuſmodi, iuriſdictioni ſæcularium principum, & eorum coactiuo iudicio, vt qui legum exactores ſunt, & iuſti ciuilis cuſtodes. Nec ipſe ſummus Pontifex exemptus eſt ab illorum coactiuo iudicio, & multo minus poteſt alios ſuos Sacerdotes, & clericos eximere. Alioqui dicit conſequi inconueniens multo grauiſſimum: vt ſi coniugatis (quod poſſet) ſacerdotium

per-

permitteret, euacuaretur prorſus iuriſdictio ſæcularium principantium. Ad quod vitandum fateri, inquit, oportet ſecundum veritatem, iuriſdictionem in epiſcopo, presbyteros, & clericos omnes legislatoris authoritate principantem habere, ne principatuum etiam pluralitate inordinata, politiam ſolui contingat. Numerum quoque certum adſcribendorum clero, aut ſacerdotio in ſubiecta ſibi prouincia principantem determinare debere, ſicut, & aliorum omnium publicorum munerum, officiorum, magiſtratuum, & partium reipublicæ. Hæc atque eiuſmodi dicto capite ille pergit connectere.

Secunda ex fine authoritatis eccle-cleſiaſticæ hoc eſt ſalute animarũ noſtrarum, ad quam valere niſi poſſit coactio

Ad hæc capite nono eiuſdẽ ſuæ dictionis multis verborum ambagibus nititur oſtendere ſacris in Eccleſia magiſtratibus coactiuæ iuriſdictionis authoritatem non competere, quod ea fruſtra foret, quum ad ſalutem (quo illi magiſtratus pertinent) nemo cogi poſsit innitus.

Tertia expugnantia officiorum. ſacerdotum & principũ.

Poſtremo, capite vndecimo eiuſdem demonſtrate conatur ſeparaſſe Chriſtum officia Sacerdotum, & Principum, hoc eſt, eorum qui coactiuæ iuriſdictionis authoritatem ſuper alios obtinent. Nam quoniam, inquit, venerat ipſe docere humilitatem, & huius ſæculi contemptum, velut viam meriti ſalutis æternæ, quo ſua opera eſſent doctrinæ conſona, ipſe omnium Dominus in ſumma paupertate hunc mundum ingreſſus, hanc etiam vita ita exegit, vt de ſe diceret: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Et hunc velut ſtatum perfectionis docuit ſequi eos, qui ſpecialius vellent ſui eſſe eſſe diſcipuli, & quos ſuæ legis præcones, & doctores erat relicturus. Quod euidenter oſtendit cum interroganti ſe cuidam quid facere oporteret, vt vitam poſſideret æternam, reſpondiſſet, vt mandata obſeruaret. Illeque percontari pergeret, num quid aliud ſibi deeſſet, ſi quidem mandata ſe obſeruaſſe ab adoleſcentia. Adhuc, inquit, vnum tibi deeſt. Valde, quæcunq; habes vende, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Et rurſus diſcipulis: Sic, inquit, omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Itaque cum huius ſuæ doctrinæ, ac philoſophiæ doctores relinqueret ſuos Apoſtolos, & Diſcipulos, eorumq; ſucceſſores Sacerdotes, & Epiſcopos, ne nullam fidem eſſet habiturus ſermo diſcordans ab opere, etiam illis interdixit ne aurum poſſiderent, aut argentum, ſed ſimplici tantum victu, & amictu contentos, cum pera, & baculo miſit in orbem vniuerſum prædicare euãgelium omni creaturæ. At contra principibus, & iudicibus huius ſæculi indecoram dicit eſſe paupertatem, & obiectionem, vt quæ authoritatis contemptum faceret, & poteſtatem adimeret legum tranſgreſſores coercendi, & commiſſa vlciſcendi ſcelera, & flagitia. Proinde nec his conuenienter committi officium docendi legem euangelicam, nec doctoribus eiuſmodi principatum, aut coactiuæ iuriſdictionis authoritatem. Et hanc dicit eſſe ſententiam diui Bernardi ad Eugenium, qui docet in vnum conuenire non poſſe dominationem, & Apoſtolatum: cuius verba ſuperius prolixe adſcripta ſunt.

His vt reſpondeamus ex ordine: In prima illa ſua ratiocinatione, quam capite octauo dict. ſecundæ confuſiſſime ſimul, & verboſiſſime explicat, adeo, vt vix intelligas quid tandem illa verborum inuolucra parturiant, imaginatur (vt etiam perpetuo) politicas inter nos communitates, regna, imperia, velut inter prophanos ethnicos: nec intelligere poteſt Chriſtianam Eccleſiam eſſe illud regnum Chriſti, cui, & vniuerſæ gentes, & regna, Reges, & Imperatores ſeruiant, & ſua ſceptra ſubmittant, ſi futuri etiam illius regni Chriſti participes eſſe voluerint (vt iam annis plus mille ducentis ſeruijſſe plurimos, ſi non omnes, videmus) neceſſe eſt. Regni quoq; huius Chriſti, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ, ſuum ordinem, ſuos magiſtratus ſibi decentiſſime ſubordinatos, non tantum ſacros, ſed etiam laicos. Quandoquidem, & his opus habet immenſa illa omnis generis multitudo hominum. At laicos etiam ſacris ſubijci, & præcipue ſummo Eccleſiæ antiſtiti, eiuſdem regni rationem exigere, & Chriſtum ordinaſſe, clariſſime à nobis ſuperius demonſtratum eſt. Cui nec deeſt in omnes ſua quædam coactiuæ iuriſdictionis authoritas, qua omnes continere poſſit in officio, atque eos qui ordinem, quietem, pacemque illius ſibi commiſſi regni, hoc eſt catholicæ Eccleſiæ conturbant, punire ſed ſuæ authoritati ſacroſanctæ conuenienti gladio, hoc eſt, anathematis, interdicti diuinorum officiorum, ingreſſus Eccleſiæ, & eiuſmodi quibus ſine vi, & armis? inter colligatos ſacramento fidei, & Chriſtianæ religionis vinculo omnibus armis, omnipotentia efficacius potentiſſimos etiam Principes, Reges, & Imperatores ſibi ſubijcit, continet in officio, atque etiam cogit in ordinem. Itaque vt in illo Chriſti regno, laicis magiſtratibus viciſſim in illos ſacros, & præcipue ſuper ipſum Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidem, membris videlicet in ſuum caput, & in Paſtorem ouibus, competeret præcipiendi, ſtatuendi, atque etiam puniendi authoritas, rerum natura non patitur. Quis (inquit ille Beatiſſimus Gregorius) dubitet Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabiles inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum, ſibi ſubiugare conetur, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe? & ſolui?

Reſponſio ad primam.

Itaque quod aſſumit actus humanos voluntarios regulari duplicibus legibus, diuinis, & humanis, propoſita pœna ſuis tranſgreſſoribus, libenter admittimus. Quod inſuper addit: Diuinas leges regulare tantum humanos actus ad finem ſupernaturalem, & futuri ſæculi fœlicitatem, & propterea in hac vita non exigere pęnas à tranſgreſſoribus, haud ſane verum eſt. Dirigit quidem, & regulat humanos actus lex diuina ad finem illum ſupernaturalem ad ſequendũ tanquam vltimũ: finẽ tamen immediate, & proxime (præcipue autẽ per leges, quas cordibus noſtris inſcripſit, quas, & naturales dicimus) vt decenter, & ad ſeipſum, & ad proximum, & ad Deum homo ſe habeat. Quarum vim, & obligationem intellexerunt etiam, quibus ſupernaturalis finis hominis nulla prorſus fuit cogni-

cogni-

cognitio. De quibus Apoſtolus: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.

Falſum eſſe, diuinas leges nõ exigere pœnam in hac vita à ſui trãſgreſſoribus.

Deinde, quod dicit leges diuinas non exigere à ſui tranſgreſſoribus penas in hac vita, æque falſum eſſe demonſtrat lex vetus Moſaica. Quod ſi illam abrogatam voluerit per legem euangelicam, de qua forte vult ſuam propoſitionem intelligi: hoc intelligat oportet, non tam abrogatam, quam impletam, & conſummatam, qua parte erat figuratiua atque vmbra futuri, atque ea parte pro vmbris, & figuris ſolidam ipſam ſucceſſiſſe veritatem. Qua vero parte tranſgreſſionum punitiua erat, non tantum pœnam exigebat, vt regulatiua humanorum actuum ad proximum, ad finem ciuilem aſſequendum, pacificamque tantæ multitudinis ſocietatem, & cõmunicationem conſeruandam, ſed etiam vt humanus actus ordinat ad Deum. Itaque, & peccato blaſphemiæ in Deum, idolatriæ quoq; & quæcunque cum eodem communicabant, vt diuinationum, augurij, & ſimilium, item, & violationis Sabbati, irrogabat lex mortis ſupplicium. Quanquam etiam hac parte iam nos non obliget lex illa vetus, quia Moſaica, tamen qualibus, & nos legibus pro conſeruanda tam immenſæ, ac pene infinitæ multitudinis ſocietate, & communicatione, catholicæ videlicet Eccleſiæ opus habeamus, clariſſime expreſſit, & fidelibus principibus, quod Chriſto iam, & eius regno ſeruiunt, formam exemplumque præbuit, etiam zelandi honorem domini ſui. & mortis ſupplicio perſequendi plaſphemos, idolatras, ſortilegos; hæreticos etiam, & ſchiſmaticos: vt per quos communicatio, ſocietas atque vnitas Catholicæ Eccleſiæ directe ſoluitur.

Quem zelũ habere debeant Chriſtiani principes pro Chriſti nominis gloria. Exemplũ in Phinees.

Cum zelum eiuſmodi etiam in eo, cui non erat commiſſus ſpecialiter gladius, hoc eſt, in Phinees, filio Eleazari filij Aaron, Sacerdote comprobauit diuina authoritas: quem arrepto pugione in lupanar ingreſſum, & virum Iſraelitem fornicantem vna cum Madianite confodientem, auertiſſe per hoc iram ſuam à filijs Iſrael teſticatus eſt Dominus, & pacto Sacerdotij ſibi, & ſemini eius in ſempiternum remunerauit. Ita etiam habet ſcriptura: Dixit itaque Dominus ad Moyſen: Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis, auertit iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quod ſemini eius pactum Sacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. Quin, & ipſe Deus tranſgreſſoribus legum ſuarum, quando nec à ſeipſis, nec ab his, quibus illud commiſſum eſt, digne puniuntur, etiam in hac vita multas pœnas infligit. Teſtis eſt non ſolum vniuerſa illa veteris popoli (qui noſtram Eccleſiam deliniabat, & exprimebat) hiſtoria: ſed etiam de indigne ſumentibus corpus Chriſti, & ſanguinem in Sacramento Euchariſtiæ dicit Apoſtolus: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, Quod ſi nos ipſos iudicaremus, non vtique dijudicaremur à Domino.

Præterea quod ille adiungit conſequenter (velut linum lino connectens) de legibus humanis actus humanos regulantibus, quod altius non reſpiciant quam ad ſolum finem politicum, hoc eſt, ſufficientem, & pacificum conuictum inter ſe hominum. Quodque illæ ſolæ penam conſtituant in hac vita inferendā ſuis tranſgreſſoribus, exigendam per ciuilem principem earundem cuſtodem, & exactorem, tam multa errata inuoluit, vt nimis longum foret perſequi per ſingula.

Falſum eſſe, nullas humanas leges aliquid poſſe ſtatuere ſub poena, quam ciuiles, & politicas.

In primis imaginatur, nullas poſſe eſſe humanas leges aliquid ſtatuentes ſub pena, quàm ciuiles, & politicas, quarum exactores, & cuſtodes ſint publici magiſtratus, & ſæculares principes. Quod quàm falſum ſit, vel cæco poteſt eſſe euidens. Quis enim neſciat in magna aliqua domo patremfamilias poſſe leges condere, quibus ſingulis familiæ ſuæ partibus ſua præſcribat officia, etiam ſub pena conuenienti, quam tranſgreſſoribus irroget, hoc eſt, filijs familias, ancillis, ſeruis. Quod etiam in quolibet voluntario conuentu hominum poteſt illi, cui reliquorum commiſſum eſt regimen. Sed inquis: Non poteſt in traſgreſſores legum ſuarum animaduertere mortis ſupplicio, quod ſolum poteſt magiſtratus ciuilis, aut princeps ſecundum leges ciuiles. Quid denique? Nunquid alia nulla pœna eſt humanarum legum tranſgreſſoribus, quam ſolum mortis ſupplicium? nunquid non ſunt etiam carceres, compedes, virgæ, ferulæ? nunquid non pœna infamiæ mulcta pecuniaria? Alij ſocietatum variarum rectores, vt ſuos in officio contineant, pœna tam graui opus non habent, habent tamen opus omnes, quibus aliorum gubernatio, & regimen commiſſum eſt, vt ordinem, & quietem ſuæ ſocietatis interturbantes, & quæ ad finem ipſius aſſequendum neceſſaria ſunt, pro ſuo quiſque officio negligentius curantes, afficere poſſint pœna aliqua illi ſocietati, & fini, qui per eam affectatur, conuenienti. Deinde ita etiam de humanis legibus loquitur, quaſi nullæ eſſent leges Eccleſiaſticæ, attamen humanæ.

Eccleſiaſticas dico, quas neceſſe eſt à patrefamilias Eccleſiaſticæ domus ferri pro conſeruando decenti ordine in familia eccleſiaſtica in vniuerſum orbem diffuſa, pro indiuidua eius vnitate, & communione in his quæ neceſſario, quatenus Chriſtiani ſumus, habemus communia, vt cultus Dei rite, & decentius peragatur, vt Sacramenta magis reuerenter adminiſtrentur à ſacrorum miniſtris, & à Chriſtifidelibus dignius recipiantur, vtque vniuerſa hæc ſocietas commodius, & efficacius dirigatur in finem ſuum proprium, hoc eſt, vt per fidem, & Chriſtianæ legis obſeruationē, ſupernam cœleſtis Chriſti illius regni fœlicitatem aſſequatur. Huiuſmodi leges eccleſiaſticas fuiſſe ab initio ab ipſis Apoſtolorum temporibus, quæ nihilo minus, & pœnas tranſgreſſoribus ſtatuant, ſed conuenientes formæ ſocietatis eccleſiaſticæ, hoc eſt, priuationis, aut ſuſpenſionis ab officio, ſi quod tranſgreſſor eiuſmodi forte obtineret in hierarchia Eccleſiaſtica, item interdicti ingreſſus Eccleſiæ priuationis eccleſiaſticæ communionis, atque eiuſmodi, vniuerſi, ab initio teſtantur ſcriptores eccleſiaſtici, & ex his, quæ duobus

ſuperioribus libris indoximus, quæque libro proximo dicturi ſumus, nulli non poteſt eſſe clariſſimum. Quæ ſane vt neceſſario fuerint, quiſquis dubitare poterit, communis ſenſus ſe expertem prorſus teſtabitur. Quis enim non intelligit, quanta vniuerſæ Eccleſiæ toto orbe diffuſæ neceſſaria fuerit multitudo eorum, quod ſacra miniſtrarent fideli populo? Quis etiam in tanta multitudine, quo euitaretur confuſio, tolleretur ſchiſmatum, turbationũ rixarum, & ſcandalorum fœcundum, & inexhauſtum ſeminarium, non intelligit neceſſarium quoque fuiſſe ordinem, per quem colligerentur in vnitatem, & connecterentur totius Eccleſiæ vni rectori, & capiti, vnde totius vnitstem dependere ſupra euidentiſſime demonſtrauimus? Quis non eidem ſic ordinatæ, ſic in vnitatem ſub vnius præſidis gubernationem reductæ, tam immenſæ multitudini, etiam aliquibus legibus ad finem eccleſiaſticæ ſocietatis dirigentibus, & membris quibuſlibet ſua officia præſcribentibus, opus eſſe, & ſemper fuiſſe non videat? & tamen vniuerſa hæc, ille odio execrabili in Chriſtianam Eccleſiam, atque eius ſacerdotium cæcus ignorauit, aut ignoraſſe, quo incauto, & ſimplici lectori imponeret, ſe ſimulauit: ſed ita de humanis legibus loquitur, quaſi præter ciuiles, nullæ aut ſint, aut eſſe poſſint aliæ,

Qualiter ſindigne ſētiat Marſilius de ciuilibus Chriſtianorum legibus

Poſtremo, & de illis ipſis, præſertim vt Chriſtianorum ſunt, ciuiliumque ſocietatum, quæ iam regno Chriſti ſeruiunt, & pars ſunt, ac membra Chriſtianæ Eccleſiæ (de quibus ſolis eſſet ad propoſitum) quam loquatur, & ſentiat indigne, ex hoc facile intelliges, ſi conſideres quæ ſit Chriſtianorum. & ethnicorum differentia. Hi enim velut ignorantes Deum, & nihil niſi quod præ oculis eſt proſpicientes, incommoda vitæ præſentis tantum ſua opera dirigunt. At Chriſtianus vniuerſum corpum corpus operum ſuorum, illo ſuæ intentionis clarificsto lumine fidei oculo in Deum dirigit, quo quicquid non pertinet, aut non dirigitur, peruerſum, aut vt minimum ocioſum eſt de quo iuxta veritatis teſtimoniũ nobis reddenda ſit ratio in die iudicij. At vir iſte bonus etiam Chriſtianos magiſtratus non vult altius reſpicere, quam ad ſola vitæ præſentis commoda, perinde, ac ſi eſſent ethnici, ac ſi Chriſto atque eius regno non ſeruirent, ac ſi intentionis ſuæ oculum, non ſolum in magiſtratuum ſuorum actibus (qui tamen præcipui momenti ſunt) ſed etiam in omnibus, ad Deum reſpicere non tenerentur, ſed merſi poſsent in terra, in his tenebris. Atque in hunc modum, ſine fine, & modo falſa falſis, atque impia connectens impijs, iactat euidentiſſimas (ſi Deo placet) demonſtrationes ſeſcribere, quibus perinde, ac ſi plane viciſset, nobis impotenter inſultat.

Cōcluditur ciuiles Chriſtianorum magiſtratus neceſſario ſubeſſe eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi.

Itaque cum ſit certiſſimum Chriſtianos magiſtratus tametſi ciuiles, moderationem, cui præſunt, debere ciuilem dirigere ad gloriam regni (cui ſeruiunt) Chriſti: ad honorem Dei, & ſuam ſibi commiſſorum illam Chriſtianam felicitatem, nihil dubium eſt eoſdem eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi cæteriſque eius ſacris magiſtratibus, qui immediate ad illum ordinati ſunt, ſubeſse, & non præeſse debere: obſequi, non imperare.

Quod ſi qui etiam eorum, qui ſacros illos magiſtratus gerunt, ſacerdotum videlicet, & Epiſcoporum, poſſint eſse, & ſint interdum ſcelerati legum, tranſgreſsores, habent illi ea in re ſuos iudices, qui tales impunitos non ferent, habentes carceres ad pęnam, & pęnitentiam, aquam tribulationis, & panem anguſtiæ. Quæ ſi delicto, & exemplo putauerint nō ſufficere, exauthoratos tradere poſsunt poteſtatibus ſęcularibus puniendos ſecundum leges ſęculi. Quæ alioqui, vt in non ſubiectos ſuis legibus, & iudicijs non poſsunt animaduertere in eoſdem, aut vllam iuriſdictionem exercere.

Cauilli remotio.

Quod vero ille veretur, ne Sacerdotum nimia multiplicatione euacari poſſe ſeculariũ principum iuriſdictio, inani cura conſumitur. Nam ſui regni Chriſtus curam non negligit. Neque etiam dormitabit, neque dormiet, quod cuſtodit Iſrael. Tametſi propter peccata populi ſui regnare aliquando faciat principes hypocritas, & ſuos ſanctos contaminet. Atque vtinam fieri poſſet, ita inter nos vigeret Chriſti fides, & religio, vt ſolo paſtorali baculo continere omnes poſſent in officio, vtque gladium portantibus inter nos magiſtratibus opus non haberemus, & longe eſſet felicius hoc Chriſti regnum, & Eccleſię.

Reſponſio ad rationem ſecundam.

Ad alteram rationem, qua dicit eccleſiaſticam coactiuæ iuriſdictionis authoritatem, ſi qua eſſet fruſtra fore, quum ad ſalutem (quo ſolum ea ſpectat) nemo cogi poſſit inuitus. Miror illi non venire in mentem, ſaltem inter ſacrorum miniſtros neceſſarium fuiſſe ordinem ad quem conſeruandum neceſſaria fuerit etiam coactiuæ iuriſdictionis authoritas. Cum alioqui plena tumultibus, iurgijs, rixis, ſine ordine, & decore foret Eccleſia velut horrenda quædam Babylon. Deinde ſi coertiones: ſi pęnæ eccleſiaſticæ, nulli quidquam ad ſalutem conferunt, vt ad quam nemo cogi poſsit inuitus, quid ita deſipuit Paulus Apoſtolus, vt hoc ipſum non intelligeret? Quid fruſtra vexauit, & ſe, & fornicatorem illum Corinthium, quem, tradidit Satanæ in interitum carnis? ſed quorſum? vt ſpiritus, inquit, ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si ad ſalutem nulli prodeſt puniri eccleſiſtica pęna, quid ille excommunicauit hominem, vt ſaluaretur? Quid hoc ipſum Diuus Ambroſius fecit Imperatori Theodoſio, dicens illam excommunicationem ipſi fore maximam ſanitatis medicinam? Et nunquid vtriuſque fructus obſcurus eſt? Certe contriſtatum illum fuiſſe ab Apoſtolo ſecundum Deum, & per hoc ad pęnitentiam adductum, idem teſtatur Apoſtolus. Theodoſio vero quàm fuerit, & fructuoſa illa excommunicatio, qua ab Ambroſio illigatus extitit, ſuperius ex Theodoreto Cyrenenſi Epiſcopo ſatis explicauimus. Eſto, nemo inuitus cogi poſsit ad ſalutem, tamen pœna ſæpe oculos aperit, quos culpa clauſerat, & adducit ad veram pęnitentiam. Saltem ſi illis pęna affectis, ob induratí in malo animi obſtinationem, ad ſalutem non proficit, at proficit alijs, & magis timoratos ſollicitoſque reddit. Saltem hoc efficit, vt à communione eccleſiſtica præciſi, noxiæ & peſtiferæ conuerſationis contagione non inficiant alios.

Ad tertia atque vltimam rationem qua

Ad tertiam rationem reſponſio.

capite vndecimo dictionis ſuæ ſecundæ velut à poſteriori nititinr oſtendere, ſacerdotibus, & Epiſcopis authoritatem principalem, aut coactiuæ iuriſdictionis non poſſe competere, quod ipſorum officium neceſſario exigat quædam, quæ non conueniuut atque adeo repugnant officio principum, aut iuriſdictionem execentium, nempe humilitatem, huius ſæculi contemptum, & voluntariam pauperratẽ, in qua eaque extrema, viam perfectiouis præcipue vulr conſiſtere, proide ſeparaſſe Chriſtum officia Sacerdotum, & Principum. Reſpondentes dicimus, varia quidem, ac diuerſa eſſe Sacerdotum, & Principum officia, non tamen repugnantia, & quæ in eodem ſeſe compati nequeaue. Sacerdotum eſt mediatores eſſe inter Deum, & populum, tractare, & peragere quæ ad diuinum culrũ ſpecialiter pertinent, miniſtrare populo ſacramenta inſtituta à Chriſto velut quædam media aſſequendæ ſalutis æternæ. Priucipum vero eſt, cuſtodire pacificam, & quieram communionem, & ſocietatem populi, etiam in ordine ad Chriſtũ, atque eius honorem, & populi ſalutem non ſolum temporalem, ſed etiam æternam. Diſcreta fuerunt hæc officia, etiam in ſynagoga veteri, quæ, vt ſæpe diximus, vmbra quædam, & deliniatio extirit noſtræ Eccleſiæ, ſed nihilo minus ſe compati poſſe in eodem, non ſolum in Moyſe, ſed etiam in Machabæis oſtẽditur, qui non ſolum ſummi Sacerdotes ? ſed etiam principes extiterunt populi.

In Moyſe, & Machabæis oſtenditur.

Quod autem vult humilitatem, ſæculi contemptum, & voluneariam paupertatem, eamque ſummam (in qua Chriſtianæ perfectionis ſtatum præcipue contendit conſiſtere) neceſſario conuenire ſacerdotibus, vt euangelicæ doctrinæ, ac perfectionis præconibus, & doctoribus, quo opera doctrinæ eſſent conſona, quæ tamen non conuenirent principibus ſeculi. Dicimus quod ad humiliratem, & ſæculi contemptum pertinet, vtrunque neceſſario exigi ab eo qui ſe Chriſtianum profitetur, & Chriſti Diſcipulum, quicunque taudem ille ſit. Diſcite. inquit ille, à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Tam eſt neceſſaria cuique humilitas, quod eſt deteſtanda ſuperbia. Et Ioannes Apoſtolus in prima ſua canonica: Nolite inquit, diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum non eſt charitas patris in eo. Cui autem interdicitur amor mundi, ab illo exigitur mundi contemptus. Duo ergo hæc omni ſunt Chriſtiano communia, cuiuſcunque tandem ille conditionis, ſtatus, gradus, aut ordinis fuerit, ſeu ſeruus, ſeu liber, ſeu plebeius ſeu magiſtratus, ſeu ſacerdos, ſeu laicus.

Paupertatẽ ſimpliciter à nullo exigi, nulli etiã expetendam per ſe.

Paupertatem vero à nullo exigi, nec in ſe aliquid habere vlli per ſe experendum, ſicut nec diuitias quicquam fugiendum. Sunt enim virtutis explicandæ, & in plurimos communicandæ inſtrumenta non incommoda. Cum paupertas, præſertim, vt vulgo capitur pro egeſtate, & neceſſariarum rerum defectu (quomodo etiam accepit ille, qui & paupertatem, & diuitias deprecabatur, ſed optabat ſibi concedi tantum neceſſaria) nihil prorſus per ſe expetendum habeat, non magis, quam morbus, cruciatus corporis, mors denique. Quare ſummæ perfectionis ſtatus, nec in hac, nec in illis eſt ſed in ſumma, & perfectiſſima charitate Dei, & proximi. Illi cęleſtes ſpiritus in ſtatu ſummæ perfectionis degunt ſine paupertate, ſed cum perfecta etiam omniũ abundantia. Ita quoque, & nos, ſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſent parentes noſtri, ageremus in ſtatu longe maioris perfectionis, in omniũ tamen rerum ſufficientia, quam nunc agimus. Ita, & ſanctiſsimorum patriarcharum, & regũ in maxima opulenta, & gloria perfectionem, quamuis in ſordibus egeſtatis & mendicitatis, non aſſequimur. Nihil ad ſtatus perfectionem per ſe eiuſmodi paupertas facit, imo in eam, vt & in cætera incommoda omnia, ex peccato noſtrorum parentum incidimus. Sunt tamen hæc cum incidunt, materia exercendæ virtutis, vt ſeu egeſtatem, ſeu morbum, ſeu cruciatum corporis, ſeu mortem denique violenter illatam feramus fortiter & patienter, nec propter illa declinemus ad peccatum aliquod, vt plus apud nos amor Dei & æternæ ſalutis, quam hæc in contrarium pendeant. Nemo tamen virtuoſus quãtumuis perfectus, hæc propter ſe debet appetere, ſed fugere potius. Propter ſe dico. Nemo enim ſanæ mentis optare debet, mori violenta morte, cruciatus corporis ſuſtinere, morbis decumbere, perſequutionibus affligi, cum & ipſe Chriſtus ab his abhorruerit: Pater, inquit, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Vides nihil in his per ſe expetendum, ſed fugienda potius, niſi ob vtilitatem aliquam, quæ inde expectatur. Si fieri poteſt, inquit, cum æqua vtilitate humani generis, innuens per ſe non expetenda, quin fugienda potius, ſed ob vtilitatem inde forte conſequentem toleranda. Sic & ſuos docuit perſecutionem fugere, non appetere. Si, inquit, vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Ita quoque & de eiuſmodi paupertate dicendum eſt. Hæc enim vniuerſa vnius generis ſunt. Incidentia tamen debet fortiter ferre Chriſti Diſcipulus, nec propter ea deuiare à recto. Poteſt etiam nonnunquam perfecta virtus appetere, ad bonum aliquod reſpiciens, quod hæc per accidens conſecuturum præuidit. Quomodo plurimi glorioſiſſimi Chriſti martyres exarſiſſe leguntur ad martyrium, vt ſuo exemplo pietatem commendarent cęteris, nec ob mortem violenter illatam, cuiquam eam violandam, ſuo exemplo docerent. Cum hæc mala corporis momentanea, & nullius momenti eſſe teſtarentur, ad æternæ gloriæ pondus, quod eorum tolerantia ob pietatis cuſtodiam, & Dei gloriam operatur in nobis. Poſſunt hæc, & ab imperfectis nonnunquam aſſumi & expeti, velut amara quædam pharmaca aduerſus ſuam imperfectionem cuius ſibi ſunt conſcij, vt ſi qui diuitijs vti neſciant, ſed ſibi eas impedimento ad ſalutem aut perfectionem ſentiant, eas abdicare in totum, & voluntariam paupertatem aſſumere. Si qui per ſanitatem corpus fortius rebellare ſpiritui ſentiant, ieiunijs & alijs voluntarijs afflictionibus ipſum macerare, & in ſeruitutem redigere ſpiritus. Qua ratione etiam morbus corporis multis profuit. Sed hæc illis accidunt, nec per ſe conueniunt. Quare nec vt huiuſmodi, aut propter ſeipſa, quiſquam ea ſapiens vnquam expetijt.

Chriſti vero philoſophia & doctrina in

hoc eſt, vt à rerum viſibilium amore abductos homines, adduceret ad amorem cœleſtium, & æternæ ſalutis noſtræ, cuius ipſe reparator & author aduenerat, cuius etiam perficiendæ myſterio modus ille, quo pauper venit & humilis, omnia nobiſcum huius vitæ incommoda, mortem denique amariſſimam, & contumelioſiſſimam ab iniuſtis, & ingratiſſimis illatam præferens, magis congruere viſus eſt æternæ Dei ſapientiæ. Cuius in omnibus explicare conſiliorum rationem vt eſt hominibus impoſſibile, ita hoc voluit eſſe in promptu, nec difficilè intellectu, ideo magis ſic venire voluiſſe, quam in potentia & gloria, vt hoc ipſo nobis conteſtatum faceret, quanti merito illud apud nos eſſe deberet momenti, quod vt aſſequeremur, tanti conſtitiſſe videremus Dei filio, vtque ad hoc ipſum omni affectu, omnibus viribus contenderemus. Ea vero, quæ eatenus ſola fere bona videbantur hominibus, ſciremus vera bona non eſſe, vt quibus filius Dei caruit, nec vere mala quæ ille ſuſtinuit, proinde nec illorum amore, nec horum terrore, à veris illis, quæ docebat, bonis ad vere mala deflecteremus.

Quid nos Chriſtus docuerit, egeſtatem, omnia huius vitę incommoda ignominioſam denique mortē perferens.

Hæc Chriſti philoſophia, vt omnibus Chriſtianis communis eſt, ita maximè ad eos pertinet, qui ſublimiorem inter alios gradum ſortiti ſunt in Eccleſia, hoc eſt, Principes, Reges, Imperatores, Sacerdotes, Epiſcopos. Cui nihil repugnant diuitiæ, quæ etiam conſtitutis in magiſtratibus ſunt neceſſariæ. Sed diuitias magnifacere, & vt præcipua quædam bona amare, quas contemptim ſolum habere oportet, & ob neceſſitatem rerum ingruentiũ, & incumbentium onerum. Nec debet docere euangelicus Doctor, non habendas Chriſtiano pecunias, aut diuitias, hoc etiam falſum eſt, & doctrinæ Chriſti ac Apoſtolorum, quam videre eſt ab initio in conſenſu Catholicæ Eccleſiæ, planè contrarium, ſed contemnendas. Quod vero adoleſcenti illi percontanti de via aſſequẽdę ſalutis reſpondit Chriſtus, vt ſeruaret mandata, dicenti inſuper ea ſe ſeruaſſe ab adoleſcentia, & iterum interroganti, num quod ſibi deeſſet, rurſus vnum ſibi adhuc affirmauit de eſſe, nempe vt iret, & venderet quæcunque haberet & daret pauperibus, & ſe ſequeretur. Dicimus: In regno patris noſtri multas eſſe manſiones. Viam quidem neceſſariam eius aſſequendi eſſe obſeruationem mandatorum Dei, ſed præter illa, etiam perfectiora quædam docuiſſe Chriſtum, quæ à nemine tamen ſimpliciter exigit, ſed cuiuſque permittit arbitrio, vberiorem haud dubie retributionem aſſequuturis eadē ſequentibus. Nec obligatus eſt ſacerdos aut præco euangelicus ad obſeruanda conſilia euangelica, quæ iam præcepta eſſent, non conſilia. Nec docens, non vero ſequens conſilia eiuſmodi, ſi tanquam conſilia doceat, vita & moribus doctrinæ ſuæ contrarius eſt, quin potius conſonat. Docet etiam conſilia eſſe, non præcepta, & cuiuſque relicta arbitrio, nulli ſub obligatione poſita. Quod ipſum, ſiue vita ſua ſectetur, ſiue non ſectetur, eadem moribus comprobat. Sectando equidem eadem ipſa velut perfectiora comprobās. Non ſectando, veluti conſilia, & in cuiuſque libertate poſita demonſtrans, & tamen doctrinæ præconio vt perfectiora efferens.

Chriſti illā doctrinam communem Chriſtianis omnibus. Chriſti doctrinæ, imo & ſummę in eadem perfectioni nihil repugnare diuitias.

Quod vero apud Lucam dicit Dominus: Sic omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, ad ſtatum, quem illi imaginantur, perfectionis nihil pertinet, ſed eſt commune præceptum omnibus, qui Chriſti voluerint eſſe diſcipuli. Itque non ad Apoſtolos, ſed ad turbas ſe ſequentes conuerſus dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Verba illa Chriſti, qui non renunciat omnibus, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus ad omnem Chriſtianum pertinere.

Explicans deinde duabus parabolis cur hæc ad illos diceret, videlicet: De ædificare volente, qui opus habet ſupputare impenſas neceſſarias priuſquam incipiat, ne forte inchoatum conſummare non potens ædificium, fiat ludibrio omnibus. Et de rege bellaturo aduerſus alium, quem neceſſe eſt, niſi ſe plane velit perdere, prius inire rationem ſuarum virium, & expendere num par hoſti eſſe poſſit. Sic ergo, inquit, omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Perinde ac ſi diceret: Ideo vobis me ſequentibus prædico quid à meis diſcipulis exigam, vt prius apud vos expendatis ſi ea poſſitis perficere, quæ equidem difficilia ſunt, vt videntur: ne fortè inconſulte & temere tantam rem aggredientes, reſiliatis poſtea, & velut canes reuertamini ad vomitum. Itaque hæc ab omnibus diſcipulis ſuis vt neceſſaria Chriſtus exigit, non vt perfectiora conſulit. Quæ tamen, quo pacto ſane, rectèque intelligenda ſint, Matthæus clarius ſignificat, ita aiens dixiſse Chriſtum: Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus, qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Qui non accipit crucē ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Vides itaq; quid his pręcipiat Chriſtus, nempe nullam creaturam ſupra ipſum amare, ſed cũ hoc exigit amor Dei, honor Chriſti, pietas & religio, dicere patri, matri & omnibus, quibus carnali aut naturali amore deuincimur, non noui vos, quin & omnia aduerſa, cruciatus, tormenta, ſupplicium denique propter illum patienter ferre.

Itaque vt reuertamur ad id vnde ſumus digreſſi, non magis Sacerdotes ſuos, quàm Reges aut Principes paupertatis iugo onerauit Chriſtus. Ita tamen diſpenſationis myſterio conueniebat magis humilem, pauperemque veniſse legiſlatorem noſtrum, primoſque illos ſuæ legis præcones, quam in maieſtate, in gloria & potentia, non ſolum, quo nos veram illam, quam ſupra explicauimus, Chriſtianamque philoſophiam vita ſua & exemplo docerent, ſed etiam ne vi ac tyrannide quiſquam calumniari poſset obtinuiſse legē eius in orbem vniuerſum. Sed propagato iam in orbem euangelio, coſtitutaque Eccleſia, contineri in vnum, gubernarique eam hierarchia illa, quam ſupra explicauimus, erat plane neceſsarium. Nec minus in rectoribus eius eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus, etiam externarum rerum quendam adeſse ſplendorem, ſi modo & veneranda & metuenda eſse debuit eorum authoritas, qua totius Eccleſiæ vnitatem, ſalutemque contineri ſupra demonſtrauimus. Quod ſi virtute, doctrina, moribus, ſingulariſque vitæ exemplo authoritatem

Non magis ſacerdotes ſuos, quam reges aut principes paupertatis iugo oneraſſe Chriſtum

Etiam externarum rerū ſplendorem neceſſario requiri in eccleſiaſticę hierarchię principibus.

ſuam

ſnam eos tueri volueris, memineris neceſſe eſt, homines nos eſſe omnes, tam ſubditos, quam præpoſitos, ex hominibus fragilibus, & peccatoribus conſtitutam hanc noſtram Eccleſiam. Ratum quequnque inter nos eſſe, ne dicam, vt quiſquam ſit, vix fieri poſſe, etiam ſi Diui Petri ſanctimoniam haberet, quod ſola vitæ integritate, deploratiſſimo hoc ſæculo, authoritatem illam tantam, quantam eſſe conuenit, imo quantam eſſe neceſſe eſt, tueri poſſet, quando eouſque creuit improborum audacia & impietas, religionis & eccleſiaſticæ authoritatis contemptus. Non ignorauit hoc futurum Chriſtus, quod nemo noſtrum non intelligit neceſſarium, qui modo materiam ipſam æſtimat, ex qua conſtituta eſt hæc noſtra Eccleſia, vt mali permixtim cum bonis præficerentur Eccleſiæ. Attamen, etiam ſi mali præſint, neceſſe eſt ob totius Eccleſiæ ſalutem in eius præſide conſeruari, agnoſci ab omnibus, reuereri ac adorari ſupereminentem illam authoritatem eccleſiaſtici regiminis. Quare nec ſine ſpeciali diuinæ prouidentiæ diſpoſitione factum ſupra demonſtrauimus: primum vt omnis ciuilis inter nos authoritas, omnes magiſtratus, Reges, Principes, ſuos faſces, ſua ſceptra eccleſiaſticæ authoritati ſubmiſerint, deinde vt cedente eius præſidi Impetatore Conſtantino vrbe Roma, ſede & capite Romani Imperij, atque alijs alia vltro de dentibus, ſacerdotalis dignitas etiam principali aut regali dignitate honotata fuerit, quemadmodum & in illa veteri ſynagoga figura noſtræ Eccleſiæ in Machabæis factum videmus, vt etiam hac ipſa parte concordet figura & veritas. Adeo vt à mille circiter annis, etiam in externarum rerum ſplendore, magnificentia, & opibus Romani Pontifices eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides, ſummis quibuſque Principibus, Regibus, & Imperatoribus non admodum cederent, Quibus & ſancti Pontifices ſanctiſſime vſi ſunt in vtilitatem, augmentum & honorem Chriſtianæ Eccleſiæ, mali vero illã ſaltem toti Chriſtianæ Eccleſiæ adeo neceſſariam vnius præſidis in principalem authoritatem conſeruarunt ac tutati ſunt. Sed de hoc poſt rurſus incidet locus commodior, & opportunior.

In vnum cõuenire non poſſe damnationem, & apoſtolatum. Damnationem interdici omnibus Chriſti diſcipulis, non principatum.

Quod vero Diui Bernardi ſententia confirmat in vnum conuenire non poſſe dominationem & apoſtolatum, libens admitto. Sed aliud eſt dominatio, qua reges gentium ſuis dominantur (de qua ſola ille loquitur, quemadmodum ſuperius clarius indicatum eſt) aliud vero principatus legitimus. Illa omnibus Chriſti diſcipulis, quamuis Regibus, & Imperatoribus interdicta eſt, non ſolis Sacerdotibus aut Epiſcopis. At principatus legitimus quamuis ſæcularibus nemini interdicitur, nec Sacerdotibus, tametſi ipſis, non quatenus Sacerdotes ſunt, ſed aliunde conueniat. Quod idem ille Bernardus eodem libro confitetur, dicens Romanum Pontificem in regalibus, quibus vtitur, inſignijs, vt ornatus gemmis & ſericis tectis auro, vectus equo albo, ſtipatus milite, circunſtrepentibus ſeptus miniſtris incedat, Conſtantino ſucceſſiſſe, non Petro. Sed de his poſt erit locus dicendi opportunior.

Epilogus.

Stat ergo inuicta & inconcuſſa veritas, necquicquam ab vniuerſis impietatis aduerſus eam adhibitis machinis labefactari potuit. Stat Petro & ſucceſſoribus eius eccleſiaſticæ hierarchiæ principibus ſuper vniuerſam familiam eccleſiaſticam, ſuper omnes, qui Chriſtiano cenſeri ſe volunt nomine, ſeu Principes, ſeu Reges, ſeu Imperatores ſua authoritas omnes obligandi, omnibus præcipiendi, ab omnibus officiorum ſuorum rationem exigendi, non quidem elanguida, & quam liceat impune contemnere, ſed armata ſecuri & falce apoſtolica, omnibus armis, omnibus gladijs magis formidabili. Demonſtrata præterea impudens falſitas aſſertionis contrariæ, aut potius inſomnij, merum enim videtur planeque ridiculum inſomnium, quod ille adfert. Nulli videlicet inter nos competere iuriſdictionem coactiuam ſuper alios niſi ex delegatione legiſlatoris humani, hoc eſt, vt ipſe dicit, vniuerſitatis multitudinis. Quam vt interdictam Chriſti præcepto falſiſſimè intelligit Sacerdotibus, Epiſcopis atque ipſi etiam ſummo Pontifici, ita hos contra rerum naturam & ordinem ſecularibus poteſtatibus impie ſubijcit, & extremæ paupertatis ignominia condemnat, & quantum in ipſo eſt, prophanæ plebis facit contemptum, & ludibrium.

CAP. IX.

Marſilij Patauini ſententiam, quæ iam Lutheranorum eſt omnium de authoritate, quam videmus, eccleſiaſtica, eius ortu, & origine explicare.

EVerſo iam fundamento aſſertionis impię Marſilij & diſcipulorum eius, hoſtium Chriſtianæ Eccleſiæ, de authoritare eccleſiaſtica, tametſi per ſe corruant, quæcunque ex illo velut principio inferunt, nihilominus diligenter eorundem eſt explicanda ſententia, quo euidentius in omnibus conuincatur eius falſitas. Itaque cum negare nemo poſſit, Romanos Pontifices multis annorum centenarijs obtinuiſſe anthoritatem vehementem ſuper vniuerſam Chriſti Eccleſiam, quo eam de facto vſurpatam, aut humana ordinatione tantum, aut conſenſu introductam perſuadeat, altius orditur inueſtigare de eius ortu, & origine, quod fere agit à capite 15. vſque ad 22. ſuæ dictionis ſecundæ. Cuius ſententiam vt contrahamus in luculentum compendium (nam verboſiſſime admodum & confuſiſſime hæc exequitur) hinc ſumit exordium: Bipharíam videlicet poſſe conſiderari ſacerdotium, vel ſecundum ſuam rationem eſſentialem & intrinſecam, vel ſecundum ea, quæ eidem extrinſecus accidunt, & ſunt velut aduentitia. Primo modo dicit ſacerdotium nihil eſſe, quàm characterem quendam, & habitum animi, impreſſum immediatè à ſolo Deo: quamuis non ſine præuio humano miniſterio, ſecundum quem poſſit omnia perficere, quæ ſunt ſacerdotalis officij. Præter quæ etiam alia quædam ex humana electione, ordi-

De ortu aut progreſſu authoritatis Ro. Pontif. aut eccleſiaſticæ.

Digitized by Google

ordinatione, & determinatione illi conuenire vult, vt quod vnus præſit alteri, quantum ad ea quæ ad diuinum cultum pertinent. Item vt in certo loco & populo tantum exerceat, quæ ſunt ſacerdotalis officij, vt temporalium bonorum, quæ Eccleſiæ & ſacrorum miniſtris contulit deuotio Chriſti fidelium, præ alijs adminiſtrationem, diſpenſationemq; habeat.

Vult omnes Sacerdotes æqualis authoritatis.

Secundum primam rationem, nullam vult eſſe in ſacerdorio differentiam, nihil habere amplius Epiſcopum præ Presbytero, nihil Petrum præ reliquis Apoſtolis, quantum ad ipſam Chriſti inſtitutionem attinet. Proinde mirari ſe dicit, cur quidam Roma. Pontificem ampliorem reliquis Sacerdotibus contendant habere poteſtatem clauium, cum id ex ſcriptura conuinci nequeat: ſed potius cõtrarium.

Ordinem hierarchiæ eccleſiaſticæ vult introductum ab hominibus.

At quæ ad ſecundum genus pertinent, ex Chriſti inſtitutione, aut ordinatione nemini conuenire vult: quin potius, quem nunc inter ſacerdotes ordinem cernimus, humana ordinatione conſtitutum aſſerit, vt inter multos vnus, ad quem potior totius Eccleſiæ cura referretur, præemineret alijs, ne vnoquoque ad ſe rapiente Eccleſiam, & ſine modo & ordine vendicante omnia eccleſiaſtica officia & miniſteria, ſequerentur ſcandala, confuſiones, turbæ, rixæ, ſchiſmata. Quemadmodum ſi exercitus Imperatorem deligat. Qui equidem electus, communiter nomen retinuit Epiſcopi, velut ſuperintendens cæteris: Sed electio eiuſmodi nihil illi ampiioris meriti eſſentialis, ſeu ſacerdotalis authoritatis attribuit, ſed ſolum ordinationis velut œconomicæ in domo Dei ſeu templo, poteſtatem quandam ordinandi, & regulandi Sacerdotes, Diacones, & officiales reliquos: qualis nunc datur Abbati in ſuos Monachos, non tamen coactiua cuiuſquam: niſi fortè quanta eidem per legislatorem humanum conceſſa foret.

Petro nullã authoritatẽ vult competiſſe ſuper alios.

Nullam ergo poteſtatem, eoque minus coactiuæ iuriſdictionis authoritatem, vult Petrum immediatè à Deo habuiſſe ſuper reliquos Apoſtolos, aut Chriſti diſcipulos, nec inſtituendi eoſdem in ſacerdotali officio, nec ſegregandi, ſeu mittendi ad ſuum quenque exercendum officium, aut limites ſeu diœceſes præſcribendi, intra quos illud ipſum exercere debeant. Quanquam forte concedi poſſe dicit, fuiſſe priorem alijs ætate, vel fortaſſis officio ſecundum tempus, aut etiam reliquorum Apoſtolorum electione: tametſi electionem eiuſmodi ex ſcriptura nemo poſſit conuincere. Quæ multis quidem ille rationibus conatur perſuadere, & probabilia facere, quia tamen eas omnes libro tertio prolixe & longe, quam ille, probabilius explicauimus, atque etiam diſſoluimus, non erat hic repetere operæ pretium.

Cur ergo, inquit, & vnde aſſumunt adulatores quidam ſacrilegi dicere, quenquam Epiſcopum habere à Chriſto plenitudinem poteſtatis, nedum in clericos, ſed etiam in laicos, qualem nec Petrus, nec quiſquam Apoſtolorum ſibi vſurpaſſe legitur? vt quem Chriſtus illis apertiſſimè interdixit, cum dominari illos in ſe inuicem prohibuit, inſtar Regum, & Principum gentium. Cuius præceptum irritum fieri dicit per pontificias decretales, velut traditiones hominum, quæ Romanis Pontificibus poteſtatem attribuunt & dominium, non ſolum eccleſiaſticorum, ſed etiam temporalium, regalium, & imperialium.

Rom. Pontifices nullo iure vult ſuccedere in ius Petri.

Nam etiam vt Petrus quacunque ratione ſibi vendicare potuiſſet maiorem quãdam authoritatem ſuper cæteros Apoſtolos & Chriſti diſcipulos, quo, inquit ille, iure eam ſibi vendicaret Romanus Pontifex ſuper cæteros Epiſcopos? Si vt ſucceſſor Petri, cur non idem, & longè meliori ratione, Antiochenus, quem certo conſtat ſucceſſiſſe Petro? Cur Romanus, quum non conſtet ipſum vnquam fuiſſe Romæ? Quin Pauli ea ratione, non Petri ſucceſſorem dicendum. Quanquam quod ad ſucceſſionem attinet, vel æque vnumquemlibet Epiſcopum ſucceſſorem eſſe cuiuſlibet Apoſtoli: vel illum primi & perfectioris, quiſquis moribus talem, & operibus magis imitatus fuerit.

Quare, vt capite decimoſeptimo dictæ ſuæ dictionis ſubiungit, quum ex Chriſti inſtitutione atque ordinatione, nullus omnino Sacerdotum certo ſit deputatus loco aut populo, nemo prælatus alteri, nulli præ alio commiſſa cura diſpenſandorum temporalium Eccleſiæ, quæ eccleſiaſtica nunc beneficia dicimus, nulla vlli in quenquam coactiua iuriſdictio, nulli vni præ alio data à Chriſto incidentium dubiorum, quæſtionum & controuerſiarum determinandi authoritas, authoritatem ſingula hæc modo conuenienti ordinandi, affirmat primo fuiſſe penes Apoſtolos omnes in commune, quamdiu erant vna, aut etiam penes ſingulos, quum iam eſſent diuiſi à ſe inuicem, quos ea in re nihil dubitat directos fuiſſe reuelatione Chriſti: deinde penes ſucceſſores illorum primos, ante conuerſionem populi, idque ex authoritate & delegatione apoſtolica. Demum vero, poſt mortem Apoſtolorum, aut etiam in eorundem abſentia Epiſcoporum & aliorum Eccleſię miniſtrorum ſpiritualium inſtitutionem omniũ, conuenientiſſimè, & decentiſſimè factam dicit per vniuerſitatem fidelium, in loco ſeu prouincia, cui ſuperintendere habent miniſtri eiuſmodi. Non vero per ſingularem perſonam aliquam, hoc eſt, Romanum Pontificem, aut etiam aliquod Sacerdotum collegium.

Et ne hæc velut legislator quidam ſua veint authoritate ſtatuere nobis videatur, alioqui incredibilia & contra receptam ante annos plus mille totius Eccleſiæ formam, ordinem, inſtitutionem: primum probat authoritatem conſtituendi, & deputandi miniſtros Eccleſiæ fuiſſe in commune penes Apoſtolos, & non penes vnum Petrum velut cæterorum caput & Principem, ex illa primorum Diaconorum inſtitutione, quos electos à fideli plebe, ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, qui orantes impoſuerunt eis manus, communiter videlicet, & non vnus Petrus. Non tamen negat vnumquemlibet hoc potuiſſe in aliorum abſentia, quemadmodum Paulus Timotheum, & Titum Epiſcopos inſtituit, & cuilibet eorum commiſit hoc ipſum facere per loca opportuna. Deinde, quod poſt Apoſtolorum, & priorum patrum illis in officio proximè ſuccedentium tempora, & præcipuè in communitatibus fidelium iam perfectis, inſtituere, ſeu determinare ſacrorum præſi-

dem ſeu ſuperiorem, quem Epiſcopum vocant, minores etiam, quos curatos Sacerdotes appellant, ſimul & reliquos ſacrorum, & rerum eccleſiaſticarum miniſtros omnes, ſpectet ad vniuerſitatem multitudinis fidelium loci aut prouinciæ, cui deputandi ſunt. Idque vel per ſuam voluntatem, & electionem expreſſam, vel illius, aut illorum, cui, aut quibus, multitudo eiuſmodi ſuam ea in re authoritatem commiſerit. Quodque eiuſdem authoritatis ſit vnumquemque iam dictorum ſuo priuare officio, aut etiam ad illius debitum exercitium compellere. Præterea, quod ad eandem etiam authoritatem pertineat, eligere, determinare ac præſentare perſonas promouendas ad ſacros ordines, & quod nulli omnino Epiſcopo liceat ordinare aliquem ſine eius licentia, hoc eſt, multitudinis, aut eius voluntate principantis.

Quomodo prædicta demonſtret.

Hæc, inquam, vniuerſa ſatis demonſtrata vult eiſdem illis rationibus, quibus ante demonſtraſſe ſe iactat, & legis ferendæ authoritatem, & conſtituendi principis, qui ſuper alios coactiuæ iuriſdictionis poteſtatem obtineat, eſſe penes vniuerſitatem multitudinis, quæ ſecundum leges eiuſmodi gubernari debet à Principe. Deinde confirmat eadem ex forma illa inſtitutionis ſeptem illorũ diaconorum, quorum electio etiam ab Apoſtolis commiſſa fuit multitudini. Quanto magis, inquit, Sacerdotum & Epiſcoporum, à quibus longè plus pendet ſalus populi, in abſentia Apoſtolorum, multitudini & vniuerſitati permittenda electio eſt? Attamen velut occurrens obiectioni, vbi legiſlator, aut eius authoritate principans, infideles eſſent (quemadmodum ferè accidit in primitiua illa Eccleſia) confiretur promouendarum perſonarum ad eccleſiaſticos ordines, approbationem vel reprobationem, inſtitutionemque ad iam dicta officia & miniſteria eccleſiaſtica pertinere ad Sacerdotem, vel Epiſcopum cum ſaniori parte fidelis populi exiſtentis ibidem: aut etiam ſine eadem, & abſque principantis conſenſu aut ſcientia.

Diſtribuere temporalia Eccleſię cuius eſſe velit

De temporalium vero Eccleſiæ, quæ beneficia eccleſiaſtica dicimus, diſtribuendorum authoritate, velut legem ſanciens, ita ſtatuit, vt ſi ordinata ſint per vniuerſitatem multitudinis, aut (vt ipſe loquitur) legiſlatorem ad ſuſtentandos miniſtros euangelicos, quod ipſorum diſtribuendorum authoritatem, cui vult, & quando vult, licitè poteſt committere ſecundum legem euangelicam, poteſt, & quando vult reuocare, poteſt quoque eadem repetere, & ſibi rurſus vendicare, vendere aut aliter alienare, niſi forte, inquit, rem eiuſmodi in alterius, ſeu collegij, ſeu perſonæ tranſtuliſset poteſtatem. Si vero non ab vniuerſitate, ſed ex dono aut legato ſingularis alicuius perſonæ, in vſum eiuſmodi donata aut legata fuerint, dicit ea conſeruari, diſtribuique debere ſecundum donantis intentionem. In quo ſi quis error accidat, illum vult ſubiacere correctioni principantis ciuiliter. Et nihilo minus vniuerſa illa, quantumuis dicata diuino cultui, ſemper ſubiecta vult remanere oneribus publicis, tributis, tallijs, collectis, æque ac alia bona laica.

Sed cum vniuerſa hæc redarguantur multorum retro ſæculorum conſenſu atque vſu contrario, per quem prædictorum omnium plenam authoritatem fuiſſe conſtat penes eccleſiaſticos & Sacerdotes, præcipuè autem penes Romanum Pontificem, bona vero eorundem, & quorumcunque ſpecialiter adſcriptorum diuino miniſterio, libera & exempta ab oneribus publicis: velut indicaturus, vt in hæc paulatim irrepſerint, ſibique eadem vſurpauerint, capite decimo octauo ſuæ dictionis ſecundæ, dicit ante Conſtantini tempora neminem Romanorum Pontificum vllã ſibi ſuperioritatis aut iuriſdictionis authoritatem vſurpaſſe ſuper alios. Tametſi fortè dicat inueniri aliarum prouinciarum Epiſcopos incidentes quæſtiones & dubia, quæ aut fidem aut ritum concernerent eccleſiaſticum, retuliſſe ad Romanum Pontificem, & ſecum Romæ agentem fidelium Eccleſiam: vt quam ob ſcientiarum omnium, quæ tunc in Vrbe orbis domina florebant, ſtudia, etiam in his, quæ fidei & religionis ſunt exiſtimarent peritiorem. Qua cauſa etiam aliarum Prouinciarũ Eccleſijs id exigentibus, & petentibus à Romano Pontifice, nonnunquam prouiſum vult fuiſſe de idoneis paſtoribus, & rectoribus. Atq; ita cõſuetudinariam quandam ſuperioritatem ſuper alias Eccleſias, earundem ſpontaneo quodam conſenſu tandem obtinuiſſe vult Romanam Eccleſiam, eccleſiaſticos ritus, Sacerdotum, miniſtrorumque Eccleſiæ officia, ſuis decretis, ordinationibuſque toto orbe ordinandi, regulandique authoritatem, atq; eorundem obſeruationem præcipiendi alijs. At Conſtantini decreto, vt ſacerdotium in vniuerſum à coactiua principum ſæcularium iuriſdictione exemptum, ita Romanæ Eccleſię atque eius Pontifici ſuper alias omnes Eccleſias, & Epiſcopos datam iuriſdictionis authoritatem affirmat. Sic enim in eodem inter cætera legitur: Decernendo ſancimus, vt principatum teneat. Romana Eccleſia videlicet, tam ſuper quatuor præcipuas ſedes, Alexandrinam, Antiochenam, Conſtantinopolitanam, & Hieroſolymitanam, quàm etiam ſuper omnes in vniuerſo orbe terrarum Dei Eccleſias, & Pontifex, qui pro tempore ipſius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ extiterit, celſior, & Princeps cunctis Sacerdotibus exiſtat atque eius iudicio, quæcunque ad Dei cultum & fidei ſtabilitatem procurandam pertinent, diſponantur. Hactenus ex Conſtantini decreto. Ex quo apparet, imperiali ſanctione primatum, qualemcunque prætendere poſſit, Romanæ Eccleſiæ competere. Deinde vero, cum primatus iſte per ſubſequentes Imperatores fortaſſis reuocatus eſſet, reſtitutum vult Bonifacio per Phocam Imperatorem. Quod apparet ex Martini cuiuſdam chronica, qui de Bonifacio loquens: Hic (inquit) obtinuit à Phoca Imperatore, vt Eccleſia Beati Petri caput eſſet Eccleſiarum omnium, quia Conſtantinopolitana iam primam omnium ſe ſcribebat.

Illam, cum fortè amiſiſſet, reſtitutam, & confirmatã vult à Phoca.

Ad quem vero aut quos diuinæ legis authoritate prædicta pertineant rediens, cum (inquit) conſeruandæ in Catholica Eccleſia vnitatis fidei ſit, vel præcipua neceſſitas, & quotidiè (vt homines ſumus) ex ſcripturis pro ſuo à quoque captu intellectis, de fide, religione, eccleſiaſticis ritibus, & his, quæ diuinum cultum, fidelium pacem & vnitatem con-

Definitionẽ quæſtionum fidei ad vniuerſalia concilia ſolum pertinere contendit.

Digitized by Google

concernunt, oriri contingit quæſtiones, & quorundam pugnanres ſententias, quas alicuius aur aliquorum neceſſe eſt terminari iudicio, ad ſolum generale concilium fidelium omnium, vel eorum, qui authoritatem omnium habuerint, affirmat pertinere definitionem & iudicium eiuſmodi. Dicit præterea, ſecundum eandem legem diuinam, & rationẽ rectam, conuocationem generalis concilij, etiam ſi expediat per coactiuam potentiam ad ſolius legislatoris humani fidelis ſuperiore carentis authoritatem pertinere. Non autem ad ſingularem perſonam aliquam, aut quorumcunq; collegium, cuinſcunque dignitatis aut conditionis exiſtant, niſi eidem, vel eiſdem, per ſupradictnm legislatorem conceſſa eiuſmodi foret authoritas. Inſuper dicit, nihil poſſe ſtatui, aut circa ritum eccleſiaſticum, aut circa actus humanos, quod omnes homines ad ſui obſeruationem ſub quacunq; pœna ſeu pro ſtatu præſentis ſæculi, ſeu futuri obliget, niſi ſolum per generale concilium, ſeu ſupremum legislatorem fidelem, aut inde ſumpta authoritate einſmodi. Ex quo vult conſequi, nullum Principem, nullam Prouinciam, aut communitatem excommunicari, aut interdici debere ant poſſe per quemcunq; Sacerdotem, etiam Romanum Pontificem, niſi ſecnndum formam & modum ordinatum per generale concilium. Denique non pertinete ad Epiſcopos aut ſacerdotale collegium, inſtitutionem perſonarum in officijs eccleſiaſticis, non conferre, aut diſtribuere pro eiſdem vocata beneficia eccleſiaſtica: ſed vel ad fundatores, & patronos, vel ad legiſlatorem vniuerſalem fidelem, aut eum, ſeu eos, cui, aut quibus ille hanc poteſtatem commiſerit. Poſtremo, decreta, & ſtatuta generalis cnncilij, ſolius etiam generalis concilij non autem alterius cuiuſuis, ſeu ſingularis perſonę, ſeu collegij authoritate immutari poſſe, augeri, minui, ſuſpendi, aut reuocari. Proinde Romanum Pontificem ſibi indebitè, & coutra diuinarum ſcripturarum, & humanarum demonſtrationum ſententiam adſcribere plenitudinem poteſtatis ſuper principes, communitates, aut etiam qnamcunque perſonam ſingularem. Quam eius temeritatem, & vſurparionem mann cohibendam ſuadet principibus ſæcularibus.

Conuocatio concilij ad quem pertineat.

Inſtitutionẽ perſonarum in eccleſiaſticis officijs ad quẽ aut quos velit pertinere. In ſtatuta vniuerſalis concilij non vult diſpenſari poſſe à Rom. Pontifice.

Vt dicta demonſtret.

Et hæc quidem proponit valde confidenter, & demonſtraturum ſe clariſsimè, tam diuinis, & irrefragabilibus ſcripeuris, quam humanis, philnſophiciſque pollicetur demonſtrationibus. Ar quando ad demonſtrandum ventum eſt, mirum, quam frigent omnia, quam nulla vſquam diligenter perqnirenti, & vniuerſa conferrnti, occurrit demonſtrationis facies, quàm nihil inuenias, niſi meraciſſimas nugas, & quod dici ſolet, fabnlas in fabulis. Nam ſolum remittit ad ea, quæ iam audiſti ſuperius.

Itaque capite vigeſimo dictionis ſecundę demonſtraturus primum eorum, quæ propoſuit, videlicet: Ad ſolius vniuerſalis concilij authoritatem pertinete, ſua definitione determinare incidentes inter Chriſtifideles, ſcripturarum variè intellectarum occaſione circa fidem, religionem, diuinum cultum, eccleſiaſticos ritus, atque eiuſmodi quæſtiones, pugnas, & controuerſias. Et eodem prorſus modo demonſtrat cætera quoque omnia. Conſimilibus (inquit) demonſtrationibus, & ſcripturæ ſacræ authoritatibus conuinci hoc poteſt, quibus legiſlationem duodecimo primæ, & officiorum eccleſiaſticorum inſtitutionem decimoſeptimo ſecundæ dictionis ſuæ ad legiſlatorem humanum pertinere demonſtrauit, ſola demonſtrationũ minori extremitare mutata, vt videlicet, circa legem diuinam determinanda, ſeu definienda dubia, cum reliquis circa ritum eccleſiaſticum, ſeu diuinnm cultum, ac fidelium pacem, & vniratem ordinandis, aſſumantur pro termino legis.

Ac capite vigeſimo primo eiuſdem dictionis, velur diligentius approbaturus omnẽ coactiuæ iuriſdictionis authoritatem, ſuper vniuerſos æquæ ſacerdotes, ac laicos, perſonarum eccleſiaſticarum determinationem, & approbationem, officiorum quoque inſtitutiones omnium, ad ſolius humani legislatoris fidelis: non autem ad Romani Pontificis, aut ſacerdotalis alicuius collegij authoritatẽ pertinete: adducit verba quædam ex præfatione Nicęni, concilij, quæ apud Iſidorum legitur. Ibique Arrium 318. reſidentibus Epiſcopis adeſſe iubet, Conſtantinus videlicet, ac de eius quæſtionibus, & propoſitionibus indicare Epiſcopos. Hactenus Iſidorus. Vides (inquit) quod iuſſu legislatoris congregati fuerint Epiſcopi, & Sacerdotes in prædicto concilio. Idem quoque vult conſtare ex edictis, & legibus Chriſtianiſſimorum principũ, quas pleraſque citat aduerſus hæreticos, quibus non à Romanis Pontificibus, ſed à principibus pœna ſtatuta eſt. Et hactenus dicti Patauini ſententiam de ortu, & progreſſu vſurpate (vt ipſi videtur) authoritatis Romani Pontificis, & eccleſiaſticæ, & cui aur quibus eorum omnium iure diuino vult authoritatem competere, quanta potuimus probabilitate, luculentia, & compendio explicauimus.

CAP. X.

Dictæ ſententiæ impietatem falſitatemq; conuincere, & eccleſiaſticam aduerſus eandem authoritatem aſſerere.

VT perpetuo ſit hic ſui ſimilis, nec minus impudenter, quam impotenter ſuũ virus in ſacerdotalem, & eccleſiaſticam dignitatem per illum effundat liuida detractio, nemini fore dubium confido, qui memoria retinet, quæ à nobis ſupetius demonſtrata ſunt. In primis, quod confitetut ſacerdotalem authoritatem ſecundum ſuam rationem eſſentialem, & intrinſecam, vt ipſe loquitur, à ſolo Deo conferri, quamuis intercedente Sacerdotum, aut Epiſcoporum miniſterio, eamq; non poſſe auſerri ab homine, vt verum ab impio, & veritatis aduerſario libenrer acceptauimus.

Sacerdotalẽ authoritatẽ diuinitus conferri.

Quod autem ſimplicem vult eſſe authoritatem Sacerdotij, neque ex Chriſti ordinationem vllum in ea diſcrimen eſſe presbyteri (vt nunc loquimur,) & Epiſcopi, libri ſecuudi capite nono ſatis ſuperque confutauimus.

Ex Chriſti ordinatione bipartium ſacerdotiũ.

Quod

Chriſti ordinatione conſtitutam hierarchiā Eccleſiæ ſub vno paſtore, & capite.

Quod inſuper non humana, ſed ipſius Chriſti ordinationem conſtitutus ſit ordo, & hierarchia Eccleſiæ ſub vno paſtore, & capite, cui totius ouilis ſui ab eodem cura, gubernatioque commiſſa eſt, cum vehementi quadam ſuper omnes iuriſdictionis, etiam coactiuæ authoritate, qua ſingulis in eccleſiaſtica domo ſua præſcribere officia, & eorum à ſingulis rationem exigere, punire exceſſus, exortas in eccleſiaſtica domo quæſtiones, & controuerſias ſua definitione componere poſſit, & debeat, duobus præcedentibus libris à nobis irrefragabiliter demonſtratum eſt. Qua in re miror illum, & cæteros, qui eodem morbo laborant liuoris in Eccleſiam, non intelligere, æternam Dei non ignoraſſe ſapientiam, ita fuiſſe neceſſarium, vt inter ſingularum eccleſiarum præſules, eſſet ordo quidam reductus ad vnum caput, & principem, ſicut fatentur, neceſſitate coactos à principio Eccleſiæ proceres, neceſſario conſtituiſſe, vt inter particularis vnius Eccleſiæ Sacerdotes, & miniſtros vnus ſuperemineret cæteris, ad quem illius Eccleſiæ cura pertineret præcipua. Si hoc in vna aliqua ciuitate neceſſaria ratione coacti ab initio conſtituerunt homines: in vniuerſa toto orbe diffuſa Eccleſia, hoc Chriſtus ignorauit neceſſarium? Scilicet, non contingit æque inter ſe diſſidere eccleſiarum paſtores, & præſules, ſicut vnius Eccleſiæ miniſtros, & presbyteros? Et quatenus tandem hos inter ſe diſſidentes componeret, ſi nemo ſit illis ſuperior, ſi nullius alterius iudicio eſſent obnoxij? Legiſlatorem dicis, aut eius authoritate principantem, ſed hæc legiſlatoris inſtar, velut legem ſanciens. Quid ergo, vbi in nullo communicant legiſlatores, aut principantes, quorum, in ditionibus ſunt eiuſmodi aduerſum ſeſe tumultuantes eccleſiarum præſules, vt ſi Galliarum Epiſcopis ſit controuerſia cum vicinis Germaniæ Epiſcopis, quis hos, vt tu nugaris, legislator, aut quis eius authoritate principans, reducet ad Chriſtianam vnitatem, & concordiam? Cuius communis iudicis erunt iudicio obnoxij? Nunquid Imperatoris? Certe negabunt hoc Galli. Nunquid Galliarum regis? hoc Germani nunquam conceſſerint. Sed faceſſant nugæ eiuſmodi, & Ariſtotelica ſomnia in hierarchia Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ ad Ariſtotelis normam, & leges exigenda non eſt, ſed potius, quo pacto, authore Chriſto, & doctore Spiritu Sancto ab initio conſtitutam, & ordinatam videmus ab Apoſtolis, à nobis quoq; religioſe, ſancteque conſeruanda eſt. Nec, vt ille dicit, adulatores ſumus ſacrilegij, qui Petri ſucceſſorumque eius, Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidum, ſacroſanctam authoritatem in vniuerſum ouile Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui ad illud pertinent, ſibi contributam à Chriſto veneramur, & aſſerimus. Quin ipſe potius impius detractor eſt, qui eandem in totius Eccleſiæ confuſionem, eidem ſacrilege detrahit, & ſuo illi legiſlatori humano, vt ſecum ineptiam, hoc eſt, inſulſæ, & confuſæ multitudine attribuit.

Vt Marſilius nec ſecum, nec Ariſtoteli ſuo conſentiat.

Sed iterum cogor mirari mecum in tanto philoſopho, cui Ariſtotelis aliqua ſententia eſt velut primum, & certum principium, vt nec ſecum conſtet, nec cum ſuo Ariſtotele, ſed ſui ſubinde obliuiſcatur principij. Libet enim cum philoſopho philoſophari pauliſper, vt ſuæ illum philoſophiæ pudeat. Hoc enim ante omnia certum eſt, vnam eſſe catholicam Eccleſiam, & velut vnum corpus quoddam. Cuius membra ſunt Chriſtiani ſinguli, tamen ſecundum diuerſa officia, vt eſt clara Apoſtoli ſententia. In vno autem corpore, membrorum omnium neceſſario magna quædam eſt communio, ſed ſubordinata, & ſibi mutuo ad totius vtilitatem ſubſeruiens, & conſentiens. Nam ea vna & ſola, multorum vnitatis eſt ratio. Eiuſmodi autem multorum communionem, velut in vnitatem vnius corporis (vt veriſſimè ſentit Ariſtoteles) nec ſubſiſtere, imo nec imaginari eſt poſſibile, niſi regantur, & velut colligentur vnius principantis imperio. Nam ſi vnius multitudinis, quatenus vna, membra ſingula conſpirantia, & conſentientia ſint oportet, in quo vno conſiſtit multitudinis vnitas, neceſſe eſt, vt regulentur vniuerſa ab vno ἡγεμονικῷ, vt ipſe loquitur, aut principante: ſine quo nemo diu, aut conſtanter faciet, quod eſt ſui officij, ſed quiſque pro ſuo arbitrio, & libidine vſurpabit officium alterius, atque ita neceſſaria diſſoluetur ſocietatis vnitas. Quare vnitatem τὸ ἡγεμονικῷ, & principantis in omni vnita, & conſociata multitudine planè fatetur neceſſariam.

Ex Ariſtotelicis principijs oſtenditur vnitas partis principantis in catholica Eccleſia.

Quam etiam dicit demonſtrari à natura in animantis corpore, cui conformiter ad rationem habere ſe debet omne corpus vnitæ, & conſociatæ multitudinis. Niſi enim in vno corpore vnum eſſet motiuum principium membrorum omnium, nunquam conſpirarent omnia in vnum ad totius vtilitatem, imo vno hac, altero mouente in contrarium, foret ſchiſma in corpore, & membra ſeſe impedirent mutuo, nec vllum aſſequerentur quod vellet proprium. Qua etiam ratione, in vniuerſo concludit neceſſitatem vnius principantis principij. Hæc ſi memoria retineat noſter hic Ariſtotelicus, & hactenus veriſſima, æque in catholica Eccleſia, vt in vnaqualibet alia ſocietate aut multitudine, nobiſcum etiam ſecundum Ariſtotelicam ſententiam confiteatur neceſſe eſt, vnum neceſſario τὸ ἡγεμονικὸν, & principans, ſi vna eſſe ac permanere debeat. Principans autem illud, cuius authoritate principetur, conſequenter interrogandum eſt. Certè non humani, vt ille vocat, legislatoris, hoc eſt, vniuerſitatis multitudinis. Primum, quoniam non eſt hæc humana voluntate ad quietam, commodam, & ſufficientem vitam contracta ſocietas: ſed diuinæ prorſus inſtitutionis, diuinis ſacramentis in vnum conciliata, & colligata multitudo. Quare, & principans in eadem vt diuina, non humana authoritate eidem principetur neceſſe eſt. Atque ita, nec Rex, nec Imperator, nec quiſquam ſæcularium principum, aut eſt, aut fuit vnquam principans in catholica Chriſti Eccleſia. Quandoquidem illorum nemo vt eiuſmodi, diuinitus eam accepit authoritatem ſuper catholicam Eccleſiam. Deinde, quoniam nunquam fuit vnus ciuilis princeps in catholica Eccleſia: ſed ſemper multi, quorum vnus non fuit ſubordinatus alteri. Quemadmodum, & nunc eſſe teſtantur tot inter nos reges, Franciæ, Hiſpaniarum, Angliæ, Portugalliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Hungariæ,

Digitized by Google

Poloniæ. Attamen in vna catholica Eccleſia vnum ſit ἡγεμονικὸν, vnum principans iuxta certam, & veriſſimam Ariſtotelis ſententiam, neceſſe eſt. Et quale tandem hoc erit, ſi non Petrus atque eius ſucceſſores Romanus Pontifices, quemadmodum à nobis ſuperius demonſtratum eſt? Nulli hic ſubterfugio illi locus eſt, vni ſocietati vnũ inueniat τὸ ἡγεμονικὸν, & principans, ſecundum Ariſtotelis ſententiam, atque adeo certiſſimam veritatem, neceſſe eſt. Vna æque ſit oportet catholicæ Eccleſiæ ſocietas, cui quantopere ſit vnitas neceſſaria, ſupra clariſſimè demonſtrauimus. Vnum ergo illi, inquantum eiuſmodi, inueniat ἡγεμονικὸν, & principans, prorſus eſt neceſſarium. Quod quum inuenerit, confiteatur quoque opportet, ſecundum eandem Ariſtotelicam, eamque veriſſimam, & quam non ſemel adſtruit, & inculcat ſententiam, ad illud ipſum pertinere membra omnia ſocietatis catholicæ Eccleſiæ, quatenus eiuſmodi, ordinare, regulare, ſua eis officia præſcribere, & in officio continere. Age igitur, fingat quiſquam vel pro arbitrio aliud ἡγεμονικὸν, aliamve partem principantem in catholica Eccleſia præter eam, quam ſupra demonſtrauimus.

Officis principantis.

Nunquid Romanorum Imperatorem? Reclamat enim Gallia, Hiſpania, Britannia, Italiæ pars multo maxima. Breuiter, quidquid penè extra vnam Germaniam, & Longobardiam, toto orbe terrarum vſquam eſt Chriſtiani nominis. Hoc certo ſcio, quum orbem vniuerſum circumieris, aliud non inuenturum, quàm Petrum, & ſucceſſores eius, quos ſupra demonſtrauimus, inſtitutos à Chriſto eccleſiaſticæ hierarchiæ rectores, & princeps. Quare, velis, nolis, ad eos quoque pertinere vt fateamur oportet, quæ ille eiſdem impiè detracta conatur attribuere inſulſæ, & confuſæ multitudini, aut ſæcularibus principibus. Vides itaque lector Chriſtiane, quam omne verum omni vero conſonet: ſeipſam autem euertat falſitas, & impietas. Vides vt huic nec ſecum, nec cum ſuo conueniat Ariſtotele, nec proprijs conſtare poſſit principijs.

Iam & illud, quali ratione, quam acutè, & philoſophicè dictum eſt, vt ab initio authoritas hæc ordinandi Eccleſiam, vniuerſaque eius membra, & ſuum cuique præſcribendi officium, fuerit penes Apoſtolos eorumque ſucceſſores, ac deinde ab eis deuoluta ſit ad vniuerſitatem multitudinis fidelium? Quo enim iure? Diuino? Nullum certè protuliſti. Humano? At fieri non poteſt. Nam quod ad illos pertinuit iure diuino pertinuit oportet, quod humanum ius, nec auferre potuit, nec deuoluere. Et quæ tandem hæc lex vel præſumpta? à quo lata legiſlatore? quando promulgata? vbi ſcripta? Pudet me ſtupiditatis, & impudentiæ iſtius hominis. Sed putauit fortè ſimiliter, ac ipſe erat, affectis tantum ſcribere. Apud quos equidem quantum hæc valuerunt, quantumuis ſtulta, impia, ſacrilega, nec vlla ratione cohærentia, in pleriſque non parui nominis, & maioris apud ſe opinionis expertus ſum, qui ſub hoc velut Achille quodam imponenter inſultãt authoritati eccleſiaſticæ, quam vniuerſam, vt hic vult, iniuſtè vſurpatam certo ſibi perſuadentes, detrahere nobis omnibus viribus moliuntur, vt rerum habenæ eiſdem à ſui ſimilibus commiſſæ ſunt, Deo ſacrificium in hoc præſtare ſe exiſtimantes.

Sed dicis, Apoſtoli electionem Diaconorum illorum ſeptem permiſerunt multitudini, quanto magis Sacerdotum, & Epiſcoporum electio, vnde longè plus pendet ſalus populi, in Apoſtolorum abſentia vniuerſitati multitudinis committenda eſt? O argumentationem fortem, & dialecticam, dignam tanto philoſopho, & quæ vna totius ab initio Eccleſiæ formam ſufficiat euertere. Sed vide num te pudeat tantum temporis, & laboris fruſtra perdidiſſe in tuo Ariſtotele. Nunquid ille à minori ſic docet argumentari: Si quod minoris momenti eſt, ob cauſam ſe dandæ ſeditionis, ob quam aliquando permittuntur etiam iniqua alioqui, hoc eſt, eligere Diaconos, permiſſum eſt multitudini. Ergo quod maioris, & grauioris momenti eſt, hoc eſt, eligere Presbyteros, & Epiſcopos, eidem ſine cauſa permittendum eſt? Nunquid commiſſa fuit multitudini, Apoſtoli Matthiæ in locum perdituris Iudæ electio? nunquid, & Timothei, & Titi Epiſcoporum electio à plebe facta legitur? Nunquid plebi permittere Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordinationem eoſdem Paulus docuit, & non potius, vt ipſi ordinarent, & conſtituerent Epiſcopos, Presbyteros, & Diacones per loca? Cauſam vero, cur primorum illorum Diaconorum electionem permiſerit multitudini, ne quiſquam inde formam in futurum præſcriptam prætenderet, etiam Lucas diligenter expreſſit. In diebus, inquit, illis creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduę eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus, nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo corã omni multitudine. Quæ & ſeptem electos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, qui orantes impoſuerũt eis manus. Vides itaque, ex qua cauſa Apoſtoli Diaconorum illorum electionem pro illo tempore permiſerunt multitudini, nempe ad ſedandum murmur, quod in ea exortum fuerat. Vides præterea electus illos à multitudine, non ex illa electione, ſed apoſtolicarum manuum impoſitione, ſortitos ſacrum miniſterum.

Solutio rationis ex electione primorum VII. Diaconorũ.

Ad illas autem, quas iactat, philoſophicas rationes, quibus demonſtraſſe ſe putat, tam legis ferendæ, quam conſtituendi principis, qui coactiuam poteſtatem ſuper alios habeat, authoritatem eſſe penes vniuerſitatem multitudinis, nihil aliud reſpondendum eſt, quàm eſſe veteris ægroti delira inſomnia. Nam quales ſint, ſuperius clariſſimè demonſtrauimus. Quæ etiam vt in ciuilibus ſocietatibus veritatem haberent, & rectè concluderent, nunquid etiam regnum hoc Chriſti, hoc eſt, catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſocietas, cuius eſt ſupernaturalis vniuerſa inſtitutio, ſupernaturalis quoque, qua gubernatur, regitur, & in finem ſuum dirigitur, authoritas, Ariſtotelicis ſubiecta erit ratiunculis, & inſomnijs? Attamen ex illis ipſis etiam, quas ille profert,

Ad rationes philoſophicas Marſilij.

ſen-

ſententijs Ariſtotelicis, quatenus locum aliquem habere poſſunt iu diuinitus inſtituto hoc Chriſti regno, vt audiſti neceſſario conuiucitur etiam in eodem, ve eiuſmodi quacunque tandem authoritate, vnum neceſſario principans eſſe oportere, quod omnium eius partium poteſtatem habeat, omnibus poſſit ſua præſcribere officia, ab omnibus eorundem rationem exigere, omnes continere in officio, vnitate concordia. Quale ab initio vſque nunc, haud aliud fuiſſe inuenient, quàm Petrum, & ſucceſſores eius, quibus id muneris demandatum à Chriſto, ſuperioribus libris luce clarius demonſtrauimus.

Ad quem vero pertineat, diſtribuere temporalia Eccleſiæ, quæ eccleſiaſtica beneficia dicimus, & eccleſiaſticæ ſocietatis quatenus eiuſmodi miniſtris deputata ſunt, quæ ille velut legem ſanciens ſtatuie, nec reſponſione indigent, cum nulla ratione ea conuincat, aut adſtruat, nec quæ accuratius redarguantur, digna ſunt. Cum etiam ſecundum ea, quæ ille ipſe ſtatuit, principia neceſſe eſt eorum omnium ſummam, & principalem authoritatem pertinere ad principautem in catholica Eccleſia, quatenus eiuſmodi, quem quærat qualemcunque voluerit: alium tamen non inueniet, quam quos ſupra demonſtranimus, Petrum, & ſucceſſores eius:

Cuius ſit exortas, inter nos de fide, & religione quæſtiones, & controuerſias determinare ſua definitione, & iudicio.

Ad cuius autem authoritatem pertineat, extortas inter uos de fide, & teligione quæſtiones, & controuerſias determinare ſua definitioue, & iudicio, vtque Chriſtus ſuæ Eccleſiæ (cuius illi ſingularis cura extitit) ea in re vt omnium præcipua, & momenti maximi, diligentiſſime prouenerit, libro ſuperiore euidentiſſimum ſecimus. In primis, hoc certo conſtat, authoritatem ad quam illa pertinent, ſingulari diuinæ aſſiſtentiæ priuilegio in ſuis iudicijs ac definitionibus neceſſario dirigi oportere, ſine quo de nullius omnino hominis, ſed nec de plurimorum quotouis numero ſententia, indubie veritatis certitudinem habere poſſumus. Omnis ſiquidem homo mendax. Deinde, nec minus illud certum eſt, authoritatem illam paratam ſemper eſſe oportere omnibus, & ad conſulendum, dubiorumque reſolutionem petendam cuique aditu facilem: cum quotidie incidat eius conſulendi neceſſitas, quotidie oriautur in Eccleſia quæſtiones, & controuerſiæ eiuſmodi. Alioqui Chriſtus hand ſane ſufficienter ſuæ prouidiſſet Eccleſię, ſed veteris illius, vt oſtendimus, ſynagoge maiorem accuratioremque curam habuiſſee. At conſtat, horum ſecundum non conuenire vniuerſali concilio, quod non ſemper paratum eſt omnibus, nec ad conſulendum aditu facile, ſed quam rariſſime, nec ſine magno orbis totius motu, maximaque impenſa conuocari, celebrarique poteſt: quemadmodum nec illis trecentis triginta annis ante Nicenum concilium vnquam celebratum extitit. Deinde, nec hoc demonſtratum eſt, quod tamen ſolum demonſtrandum fuerat, illi, & nulli alij in ſuis definitionibns, & iudicijs adeſſe diuinæ aſſiſtentiæ ſingulare priuilegium. De vniuerſalium igitur conciliorum authoritate, quæ, qualis, & quanta ſit: ad quem aut quos eorundem conuocatio pertineat, quos intereſſe oporteat: breuiter, quęcunque adhoc argumentum pertinent, non ex ratiunculis, quales audiſti, aut verius nugis Ariſtotelicis (ex quibus ille vniuerſa illa, quæ audiſti, paradoxa adſtruit, quæ proponit tam audacter, & tanto cum ſupercilio) ſed ex proprijs, & certiſſimis illis, quæ ſupra ſtabiliuimus, theologicis principijs (ex quibus ſolis certo demonſtrari poteſt, quid Chriſtns in ſuo hoc regno conſtituerit, & ordinauerit, quam cui poteſtatem commiſerit: neque enim à multitudine, vt forte in ciuili ſocietate, ſed à Chriſto vniuerſa hęc pendet authoritas) libro ſequenti diligenter explicare conabimur.

Obiectionis ſolutio de Rom. Pontificibus, & definitionibus eorundẽ hæreticis.

Ad apoſtolicæ vero cathedræ atque eius pręſidis authoritatem, velnt ad caput ac principem hierarchiæ eccleſiaſticę pertinere, exortas inter nos de fide, & religione quæſtiones, & controuerſias ſua definitione, & iudicio determinare, & componere, ſuperiori libro fecimus euidentiſſimum. Cui quod ille occurrit, dicens fieri poſſe, vt dictæ cathedræ præſides vna cum ſacerdotali collegio ſecum in eadem Domino ſeruientium ſint hæretici, exemplum afferens in Liberio. Deinde etiam falſas quaſdam, & hæreticas definitiones Romanorum Pontificum proferens, vt illam Ioãnis 22. tamenſi hominem non nominet, de paupertate Chriſti, & Apoſtolica, in Extrauagante. Cum inter, atque in Extrauagante. Ad conditorem, ſub tit. de verb. ſig. Et alteram afferens Boniſacij VIII. in Extrauagant. Vnam ſanctam, ſub tit. De maio. & obedien. cuius hoc extat decretum: Porro ſubeſſe Romano Põtifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, & diffinimus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis. Quam eius definitionem dicit, & nunc eſſe, & ſemper fuiſſe ſalſam, erroneam, cunctiſque ciuiliter viuentibus, omnium excogitabilium falſorum maximè præiudiciabilem.

De Liberio

Dicimus primum de Liberio, quem ipſe hæreticiſſimns impie facit hæreticum, nos illum ſupra capite 8. libri 4. ſatis vindicaſſe à nota hæreſis. Cuius ſimiles hæreticos vtinam nobis contigiſſet habere omnes noſtri temporibus.

De definitione Ioannis 22.

Definitionem vero illam Ioannis 22. de paupertate Chriſti, & apoſtolica, nihil dubitamus eſſe veriſſimam, & Chriſti euangello, doctrinæ omnique rectæ rationi conſonam. Quam idem ipſe aduerſus detractotores, calumniatoreſque eiuſdem doctiſſime tuetur in Extraua. Quia quorundam, ſub eo. tit. adeo vt noſtro patrocinio non indigeat.

Aſſeritur definitio illa Boniſacij quæ omni homini ad ſalutem neceſſarium pronunciat, vt ſubſit Roman. Pont.

Illam quoque Bonifacij definitionem, quam hic tantopere lacerat, & nunc, & ſemper, poſtquam cathedra Petri Romæ collocata eſt, veriſſimam fuiſſe, duobus ſuperioribus libris ſatis, ni fallor, ſuperque euidens fecimus. Et nos affirmamus, & dicimus eum illo, omni humanæ creaturæ ſecundum legem ordinatam à Chriſto, eſſe neceſſarium ad ſalutem, vt ſubſit Romano Pontifici, totius Eccleſiæ Paſtori, & Epiſcopo. Quis enim negar, Chriſtianus modo, abſorberi omnes ab aquis diluuij, quos non ſeruat arca catholicę Eccleſię, extra quam nulli ſalus eſt? Omni ergo humanæ creaturæ ad ſalutem eſt neceſſariũ, vt ſit intra ſepta ouilis catholicæ Eccleſiæ. Omni autem ei, qui intus eſt in ouili ipſius Chriſti, eiuſdem paſtori, & rectori ſubſit oportet, hoc eſt, Petro, atque eius ſucceſſoribus

Romanis Pontificibus, Omni igitur humanæ creaturæ, vt ſubſit Romano Pontifici, ad ſalutem eſt neceſſarium. Nemo hic mihi infantes proferat, quos nondum datus rationis vſus non ſinit cogitare de Romano Pontifice, nemo Chriſtianos alios quam plurimos, qui forte nunquam audierunt Romanum Pontificem toti præeſſe Chriſtianæ Eccleſiæ. Nam omnes, qui baptiſmatis Sacramento militiæ Chriſti adſcripti ſunt, re ipſa ſubiacent, & ſe ſubiecerunt Romano Pontifici, eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti: tametſi forte illum non cognoſcant, tametſi de illo nihil actu cogitent. Virtute enim, & implicite in hoc ipſo ſacramento, cui ſe vltro adſtrinxerunt, aut quo extra vſum rationis adſtricti, iam adulti, & rationis compotes ſe teneri non recuſant, illi quoque ſubiecti ſunt. Quæ equidem virtualis ſubiectio ad ſalutem, & neceſſaria, & ſufficiens, tamdiu perdurat, donec quis actu explicito, & aperta contra eum rebellione eidem ſubiectus eſſe recuſat. Quod eſt ſchiſmatis crimen execrabile. Sicut qui ſe alicuius militiæ ſacramento vltro adſtrinxit, Imperatori exercitus intelligitur ſe ſubmiſiſſe: tametſi quis ille ſit, neſciat, imo de Imperatore nihil actu cogitauerit, eidemque vltro ſubeſſe velle, donec aperta rebellione illi ſubeſſe recuſet, ab eo deficiat, & ſuſceptam militiam deſerat.

Quæ vero ille imaginatur verius, quam vel tentet vlla probabili coniectura veriſimilia facere, de origine, & modo authoritatis Romani Pontificis ſuper alios totius orbis Epiſcopos, & Eccleſias ante Conſtantini tempora, euidenter redarguuntur per ea quæ capite 9. libri 4. adduximus. vbi ab ipſis continuo apoſtolorum temporibus ad Conſtantinum vſque formam, vigorem, & authoritatem eccleſiaſticæ hierarchiæ clariſſimè explicauimus, & tam dicto, quam præcedentibus, & ſequentibus capitibus, atque adeo totis duobus libris ſuperioribus, æque ex diuinis ſcripturis ac ex infallibili illa rectæ intelligentiæ ſcripturarum amuſſi, catholicæ Eccleſiæ conſenſu, confeſſione, ac ſententia, apoſtolicæ ſedis, & Romanæ Eccleſiæ præſulem fuiſſe totius, quanta eſt, catholicæ Eccleſiæ paſtorem ſummum, & Epiſcopum: ad illum pertinuiſſe totius eccleſiaſticæ domus curam, regimen, & gubernationem præcipuam, ad illum, omnibus in familia eccleſiaſtica ſua ordinare, determinare, præſcribere officia, eorundem ab omnibus rationem exigere, officijs ſubmouere, eccleſiaſticæ domus ordinem, pacem, diſciplinamque conturbantes eccleſiaſticis cenſuris cohibere, omnes in eadem de fide, religione, eccleſiaſticis ſacramentis, ritibus ordinibus exortas dubitationes, quæſtiones, controuerſias ſua authoritate, definitione, & iudicio componere, luculentiſſimè demonſtrauimus. Quæ vniuerſa, quod ille contra ad ſolam vniuerſitatem fidelium (quam legiſlatorem fidelem appellat) pertinere vult, aut ex eius authoritate vniuerſali concilio, idque politicis illis, quas audiſti, demonſtrationibus, quibus ſolam illam putat condere poſſe leges in Eccleſia Chriſti obligatorias, mirãda profecto eſt ſtupiditas hominis. Nam vt in ciuili ſocietate, quæ pendet ex mera, libera & licita in vtranque partem voluntate eorum, qui pars eius ſocietatis ſunt, ad commodum, quietum, & ſufficientem inter ſe conuictum melius conſeruandum, illa ipſa forte aliquid rationis haberent (quanquam nec ibi veritatem habere omnium regnorum, gentium, populorum mores, leges, & conſuetudines comprobbat) certè in hoc regno Chriſti, quod nulla prorſus ratione dependet ex libera, & licita in vtranque partem voluntate eius regni ciuium, hoc eſt, Chriſtifidelium, ſed ex ſola inſtitutione Chriſti, vt quiſquam ſibi vllam authoritatem arroget, niſi ex commiſſione eiuſdem legiſlatoris noſtri, & principis, omni rationi eſt contrarium. At vniuerſitati fidelium nullam prorſus idem authoritatem commiſiſſe legitur, ſed Petro: cui eiuſdem ſui regni commiſit curam vniuerſam, & regimen, authoritatemque ad hoc neceſſariam. Illum conſtituit idem ipſe ſuper vniuerſam ſuam familiam, non contra ſubiecit familiæ. Illum præfecit ouili ſuo, atque huic parendi eidem, obſequendique neceſſitatem impoſuit, vt hæc ſeſe conſequuntur neceſſario. Qua igitur fronte, multitudo Chriſtifidelium precario recepta in ouili Chriſti, & non ſuum & proprium regnum conſtituit, ſed in alienum regnum ex ſingulari eius Imperatoris, aut regis gratia, ad conſequenda eius regni commoda, hoc eſt, æternæ ſalutis, & felicitatis præmia, admiſſa eſt, eius quoque gubernandi, & leges ferendi, quibus illud ipſum regnum adminiſtrari oporteat, authoritatem ſibi vſurpabit? Nunquid ſic admiſſa, & in alienum regnum gratioſè recepta multitudo eiuſmodi, non debet potius prompte obediendo, & ſimpliciter parendo eius regni legibus, magno ſe beneficio affectam conteſtari, quorũ bonorum, & cõmodorum eius particeps fieri potuit? In quo, vt eiuſmodi, præter ipſum legiſlatorem noſtrum Chriſtum, nulli ex ſe competit ſuper alium authoritas, nemo alius quicquam ſtatuendi, aut ſuis legibus alios obligandi authoritatem obtinet: niſi ſic cui ille ſuas ea in re vices ſingulariter commiſerit: cum alioqui omnes conſerui ſimus, omnes in alienum regnum admiſſi precario. Itaque vt ſciamus, apud quem in hoc Chriſti regno ſit legum ferendarum authoritas, cuinam aliorum cura, regimen, & gubernatio ab illo ipſo Imperatore noſtro commiſſa eſt, quis ſuis præceptis, & legibus poſſit obligare cæteros, non hoc quærendum eſt ex Ariſtotele, quem in conſtituendo ordinandoque regno ſuo non adhibuit Chriſtus in conſilium: ſed ex illis, quæ ante ſtabiliuimus, noſtræ fidei certiſſimis indubitatiſque principijs, diſcendum eſt, nempe diuinis ſcripturis, & earundem rectæ intelligentiæ amuſſi, & regula infallibili. Ex quibus nullam eiuſmodi authoritatem vniuerſitati Chriſtifidelium, nullam vniuerſalibus concilijs (quorum nulla prorſus ab eo mentio facta eſt, & quæ plus quàm trecentis annis ab initio omnino ignorauit vniuerſa Chriſti Eccleſia) ſed vni Petro ſuper vniuerſum eius ouile commiſſam inuenies, vni datas ab eodem claues regni cœlorum, vni dictum, vt quodcunque ipſe obligaret in vniuerſo illo ſuo regno, etiã in fines orbis terræ diffuſo: quicquid ſuper terram ligaret, hoc ipſum obligatum haberetur, & in cœlis. Et quicquid ſolueret, ſo-

Oſtenditur in catholica Eccleſia nihil authoritatis primo conuenire vniuerſitati fidelium.

lutum

Digitized by Google

lutum. Cui in eadem regiminis Chriſtiani regni authoritate ſucceſſiſſe Romani Pontifices, ex eiſdem illis principijs etiam luculentiſſime demonſtrauimus. Quibus, cur collatam à Chriſto in ſuo ipſius regno authoritatem, nunc quidam in illud ipſum admiſſi precario, fruſtra conuellere, & auferre conantur in ſuam ipſorum perniciem?

Rom. Pont. à Chriſto non ab Imperatoribus accepiſſe ſuam authoritatem ſuper alios.

Quod vero aut à Conſtantino, aut à Phoca authoritatem iſtiuſmodi ſuper alios torius orbis Epiſcopos, & Eccleſias vult accepiſſe Roman. Pontifices, & Romanam Eccleſiam, mera ſunt figmenta, mera mendacia. Non eſt hæc ab Imperatoribus, ſed ab ipſo Chriſto data ipſi Petro authoritas, cui in eadem ſucceſſerunt Romani Pontifices. Nihil illis in Eccleſiam, & regnum Chriſti, vt eiuſmodi, vnquam authoritatis competijt, tametſi etiam in regni Chriſtiani ciues, vt ſui quoque regni ciuilis, quamuis Ethnici, pars erant, ciuilem quoque authoritatem ipſis competijſſe non negauerim. Nihilo minus eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti ſua in Chriſti regnum ex ipſius delegatione cōſtabat authoritas, non ſubiecta authoritati ciuilium principum, ſed nec præfecta, niſi poſtquam eadem Chriſti regno vltro ſe ſubdidit. Qualis enim Romanorum Pontificum ante Conſtantini tempora in vniuerſam Chriſti Eccleſiam ab vniuerſis toto orbe Chriſtifidelibus recognita fuerit authoritas, liber præcedens, præſertim caput eius nonum demonſtrat clariſſime, nec minus intelligetur ex conſequentibus.

Cenſura de Conſtantini decreto.

De Conſtantini itaque decreto, quod afferunt, non eſſe germanum, & integrum, ſed falſarum in pleriſque, illa ipſa ex eo citata verba ſatis conuincunt. Siquidem in quatuor ſedes præcipuas, ſupra quas quinta Romana ſtatuitur, Conſtantinopolitanam tertio loco numerant. At conſtat eo tempore Cōſtātinopolitanam inter ſedes principales nullum locum habuiſſe, imo necdum fuiſſe Conſtantinopolitanam Eccleſiam, durante adhuc antiquo Byzantio, quod aliquanto poſt reformatum eſt in ſedem imperialis reſidentiæ Conſtantinopolim, ſed eo tempore vt numeraretur inter ſedes præcipuas, nulla vnquam à quoquam mentio facta eſt, imo certiſſimæ hiſtoriarum fidei eſt contrarium, ex quibus conſtar, multa hoc ipſum ambitione ob imperialis dignitatem reſidentiæ, longo poſt tempore, vix tandem obtinuiſſe eandem. Tamen quicquid ſit de illo Conſtantini decreto, quod nobis fauet plus quàm velint aduerſarij, vtque daretur germanum eſſe, non ſubditititium, vt vere imperiali ſua ſanctione ita decreuiſſet, quod verba ſonant, vt Romana Eccleſia principatum teneret ſuper omnes totius orbis Dei Eccleſias, vtque eius Pontifex Princeps eſſet Sacerdotum omnium: nihil aliud feciſſe intelligendum eſt Chriſtianum, & Religioſum Principem, quam vt ſe ſuamque authoritatem Chriſti regno, cui incorporari meruerat, ſeruite ſeparatum oſtenderet: atque eadem ſua quoque authoritate à ſibi ſubiectis exigere, quæ à Chriſto conſtituta, & ordinata intellexerat. Quemadmodum, & Rex ille Babylonis Nabuchodonoſor, miraculo trium conſeruatorum in Incendio veri Dei cultorum attonitus, & verum ex illo Deum eorum intelligens, edictum propoſuit, vt omnis populus, tribus, & lingua, quæcunque diceret blaſphemiam contra Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, diſperiret, & domus eius vaſtaretur. Sua hic authoritate, qua ante aduerſus Deum verum in propoſita populis adoranda aurea ſtatua abuſus fuerat, admonitus miraculo, & ad veri Dei conuerſus notitiam, nunc contra eiuſdem quoq; præceptis famulatur, & hoc à ſuis exegit, quod ab ipſo vero omniū Deo ab omnibus exigi intellexerat.

De Phoca vero, quæ & hic affert, & alij plerique qui eiuſdem farinæ ſunt, vel ex hiſtoriarum ignorantia, vel ex prauo in eccleſiaſticam authoritatem affectu, ex cuiuſdam Martini chronicis annotant, mera ſunt mendacia. Sed ita ſe habet rei veritas, quod Conſtantinopolitani antiſtites modo ſuo non contenti, ſed elati ob ſedem imperialis reſidentiæ, eandem ambierunt pene à principio numerari inter ſedes principales ſecundam poſt Romanam Eccleſiam. In quod in gratiam, & fauorem principum inclinata fuit primum Conſtantinopolitana prima ſynodus, altera vniuerſalis poſt Nicenam, ſub Theodoſio Principe; deinde Chalcedonen. ambitione atque importunitate Anatholij Conſtantinopolitani Epiſcopi, inſtante etiam Martiano Principe. Sed (vt libro ſequenti clarius intelliges) illorum iniuſtæ ambitioni diù reſtitit Apoſtolicæ Sedis authoritas, neque tunc permiſit voti compotes fieri. Ex cuius tamen conniuentia, illorumque pertinaci plurimorum annorum ambitione cum tandem id obtinuiſſent, vt nullum modum nouit ambitio, demum ſub Pelagio Romano Pontifice, & Mauritio Imperatore, Ioannes quidam tunc Conſtantinopolitanus Epiſcopus, eo prorupit veſaniæ, vt conuocato Epiſcoporum aliquot ſibi conſentientium concilio, in eo œcumenicum, hoc eſt, vniuerſalem ſe pronunciaret Patriarcham, & Epiſcopum. Aduerſus cuius inſolentiam idem inſurgens Pelagius concilium illud ſua, & Apoſtolicæ Sedis authoritate deduxit in irritum: & Epiſcopis, qui in eo conuenerant, ſtultæ illius elationi, & inſolentiæ conſentire atque aſſentari ſub anathematis interminatione interdixit. Addens, tam prædeceſſores illius, quàm illum ipſum etiam Ioannem ſuis literis & epiſtolis proprio roboratis ſigillo, & chirographo, Apoſtolicæ Sedis authoritatem ſæpe recognouiſſe, & publice confeſſos fuiſſe ſuper vniuerſam Chriſti Eccleſiam, ſeipſos etiam ſucceſſoreſque ſuos ſi aduerſus eiuſdem ſedis authoritatem ſe vnquam efferrent, conſtringentes anathematis vinculo. Idcirco, inquit, non eſt neceſſe illos excommunicare, aut anathematizare, quia ipſi anathematis vinculo ſeipſos (proprijs manibus profeſſiones ſuas ſuaque ſcripta roborantes) conſtrinxerunt. Hæc ille Pelagius ad Epiſcopos, qui ad illicitam vocationem Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi conuenerant.

Vt nihil authoritatis Rom. Eccleſia à Phoca Imperatore acceperit.

Quantò ambitu Cōſtātinopolitana Sedes ſecundum locū obtinuerit in Eccleſia.

Pelagius aduerſus ambitionem Ioā. Cōſtant.

Quo paulò poſt ſublato è viuis, eadem tempeſtas excepit Diuum Gregorium, qui, quod Ioannis illius ambitioni aduerſaretur, etiam Mauritij Imperatores grauiſſimas inimicitias pertulit. Cui quadam epiſtola reſpondens, non ſuam eam cauſam eſſe, ſed Dei, & totius Eccleſiæ, conteſtatus eſt: Quia, inquit, piæ leges, quia venerandæ ſynodi, quia

ipſa

Digitized by Google

ipſa domini noſtri Ieſu Chriſti mandata ſuperbi,& pompatici cuiuſdam ferocionis inuentione turbantur. Cunctis enim euangelium ſcientibus liber, quod voce dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Petre amas me? paſce oues meas. Ipſi dicitur: Ecce Satanas petijt cribrare vos ſicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua,& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque, ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, &c. Ecce poteſtas ei ligandi ſoluendique tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur: & tamen vniuerſalis Apoſtolus non nominatur. Et vir ſanctiſſimus conſacerdos meus Ioannes vocari vniuerſalis Epiſcopus conatur? Exclamare compellor, & dicere: O tempora, o mores. Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorum iuri ſunt tradita, deſtructæ vrbes, euerſa caſtra, depopulatæ prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat, ſæuiunt, & dominantur, quotidie in necem fidelium cultores idolorum. Et tamen Sacerdotes, qui in pauimento, & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis, ſibi nomina expetunt, & nouis, ac prophanis vocabulis gloriantur. Hæc ille Gregorius ad Mauritium Imperatorem illius ſcandali authorem, aut certe patronum. Aduerſus quem cum diuina vltio, ſuæ vindex eccleſiæ, Phocam tandem excitaſſet, militari tumultu Imperatorem creatum, idem poſt ſublatum cum coniuge, & liberis Mauritium, etiam ſcandalum illud ab eccleſia ſuſtulit,atque imperiali edicto Cõſtantinopolitani Epiſcopi inſolentiam coercuit, vetuitque ne quis alius nominaretur vniuerſalis eccleſiæ Patriarcha, aut Epiſcopus, quam vnus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, quæ vt ſemper caput fuit Eccleſiarum omnium: ita, & hic eccleſiaſticæ hierarchiæ princeps ſemper eſt habitus. Et hic indocti quidam,& ſtupidi alicubi breuiter annotatum legentes in chronicis, conſtitutum à Phoca, vt ſolus Romanus Pontifex vocaretur œcumenicus, Romanaque Eccleſia agnoſceretur caput eccleſiarum omnium, putant à Phoca primo hoc datum Romanæ eccleſiæ atque eius Pontificibus, quod eiſdem competiiſſe ab initio ſuperioribus duobus libris ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

Certe idem ipſe Gregorius, tam in memorata ad Mauritium Imperatorem, quàm in alijs ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopos epiſtolis, affirmat à frequentiſſima illa Chalcedonenſi ſynodo, atque adeo à catholica (cuius ſenſum illi exprimebant) Eccleſia Beatum Leonem Apoſtolicæ Sedis Pontificem, recognitum, & appellatum fuiſſe patriarcham œcumenicum. Quanquam ipſe etiam ſibi conuenientem, & ab vniuerſa Eccleſia delatam appellationem eiuſmodi, velut inuidioſam, aut certe oneroſam fugiens, quo ambitioſum illum, & inſolentem ab vſurpatione ſibi non competentis honoris ſuo reuocaret exemplo, non œcumenicum ſe Epiſcopum, ſed ſeruum vocauit ſeruorum Dei.

B. Leonem à Chalcedon. ſynodo appellatum patri archam œcumenicũ.

Quem morem etiam ſucceſſores eius fere retinuerunt: tametſi ab alijs ſibi congrua appellatione, & ante, & poſt Gregorium ſemper honorati ſint. Ita enim demonſtrauimus ab initio geſſiſſe omnes curam epiſcopatumque totius eccleſiæ. Ita ante annos mille quadringentos, quoties id res exigeret, nihil dubitaſſe ſeipſos nominare, & ſcribere Epiſcopos vniuerſalis apoſtolicę Eccleſię toto orbe approbante, teſtes ſunt, primo Sixti primi, ſub Hadriano Principe, ad Epiſcopos totius orbis epiſtola, quæ ſic incipit: Xyſtus vniuerſalis vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus Epiſcopis in Domino ſalutem, quæ aliquanto ante annos 1400. ſcripta eſt. Deinde illa Victoris, non multo poſt ſcripta ad Alexandrinum Theophilum, in hæc verba incipiens: Victor Romanæ, & vniuerſalis eccleſiæ Archiepiſcopus, Theophilo Epiſcopo, & cunctis fratribus in Alexandria domino famulantibus. Ita quoque Beatus Pontianus martyr, & Pontifex ante annos 1300. vniuerſis Chriſtifidelibus ſcribens ſic orditur: Pontianus Martir ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus recte dominum colentibus. Beatus etiam Stephanus (ad quem extant Sancti Cypriani epiſtolæ) paulo citra annos mille trecento, in hæc verba ſcribit omnibus toto orbe Epiſcopis: Stephanus ſanctę Apoſtolicæ, & vniuerſalis eccleſiæ epiſcopus omnibus per diuerſas prouincias conſtitutis Epiſcopis in Domino ſalutem. Ita Marcellinus ad Solomonem Epiſcopum. Marcellus ad Maxentium tyrannum, & alij ad alios (ne fruſtra ſim prolixior) Apoſtolicæ vniuerſalis Eccleſiæ ſe ſcribunt Epiſcopos. Et hi omnes ante Conſtantinũ,& Nicęnum concilium. Iam & tempore eiuſdem concilij B.Sylueſter in edicto Conſtantini Imperatoris nunc ſummus, nunc vniuerſalis nominatur Pontifex. Et à B.Athanaſio Alexandrino, & vniuerſis Ægyptiorum epiſcopis, Marcus Romanus, ac apoſtolicæ,& vniuerſalis eccleſiæ Papa ſcribitur. Ad Damaſum quoque Stephanus archiepiſcopus, & caput concilij Mauritaniæ, vna cum vniuerſis Epiſcopis trium conciliorũ Aphricanæ prouinciæ ſcribentes, eundem patrem patrum, & ſummum omnium præſulum Pontificem conſalutant. Et vt ſemel finiam, à 630.epiſcopis, qui ex toto orbe in Chalced. ſynodum conuenerant, B.Leo ſimili appellatione dignatus eſt. Ne forte crederes ipſos tantum in ſuis literis ſibi hoc vſurpaſſe Romanos Pontifices. Et hæc omnia quanto tempore ante Phocam, & Bonifacium Tertium? Ita vt me plane pudeat ſtupendæ impudentiæ, & ignorantiæ illorum, qui prædicta annotantes, & proferentes contra antiquitatem autoritatis Sedis Apoſtolicæ, ſibi tamen vehementer eruditi videntur. Quod vero negat Gregorius quenquam etiam prædeceſſorum ſuorũ (quibus ſolis hoc competere videbatur) vſum fuiſſe illo vniuerſitatis vocabulo, Ioannis illius ea in re ſtupiditatem taxat, qui imitari vollens appellationem, & titulos Romanorum Pontificum,vniuerſalem ſeipſum faciebat epiſcopum, quod à nullo illorum præſumptum legitur. Qui tametſi catholicæ, aut vniuerſalis Eccleſiæ ſe confiterentur, ſcriberent, & gererent epiſcopos,non tamen vniuerſalis epiſcopos. Nam qui vniuerſalem ſe facit epiſcopum,

B. Greg ſe ſeruum vocauit ſeruorum Dei.

Xyxtus 1. ſub Hadriano Imperatore ſe ſcribit,& nominat vniuerſalis eccleſiæ epiſcopũ. Idem Victor. Idem Pontianus.

Idem Stephanus.

pum, omnibus alijs (vt idem ſcribit Gregorius) epiſcopatus honorem detrahit, quem ſibi arrogat vniuerſum.

Reſtat adhuc vltimo hic loco reſpondere ad pauca, quædam verba, quæ captanir ille ex præfatione Iſidori in Nicænum concilium, quibus dicit reſidentibus in concilio epiſcopis iuſſiſſe Conſtantinum, vt adeſſet Arrius, quo iudicarent illi de propoſitionibus eius, & quæſtionibus. Ex quibus notat humani legislatoris fidelis iuſſu in concilium congregatos Sacerdotes, & Epiſcopos. Vnde etiam argumentum trahir omnem coactiuæ iuriſdictionis authoritatem ſuper vniuerſos æque ſacerdotes, & laicos, perſonarum determinationem, & approbationem, officiorum quoque inſtitutiones omnium ad eiuſdem tantum authoritatem pertinere. Quod ipſum confirmat ex legibus, & edictis principum aduerſus hæreticos.

Marſilij impietas, & inconſtantia.

Sed hic vide Chriſtiane lector, quam ſibi nuſquam hic conſtet, quam aranearum more venenum exugat ex authoribus omnibus, ex quibus tamen Chriſtifidelibus ſuggetirur ſynceriſſimi mellis vberrima copia. Vt mera malignitate, & hæretica plane malitia, trunca quædam verba vbique captet ex ſcriptoribus, & ſuæ impietati ſeruire cogat, cum, quæ abſcindit præcedentia, & ſequentia ſuam ſententiam plane iugulent. In primis hoc nobis reſpondet, qua nunc ratione Conſtantinum hic vocet legislatorem humanum fidelem, ex cuius authoritate conuocatum ſit vniuerſale concilium, & in eo peracta omnia, cum ſuperius ſemper ipſe contenderit authoritatem legis ferendæ eſſe non poſſe penes vnum, aut paucos, ſed neceſſario reſidere penes vniuerſitatem, ſemper legislatorem humanum appellauit, multitudinis. Et propter hoc eandem vniuerſitatē ſemper legislatorem humanum, inſuper, & vniuerſitatem fidelium, primum legislatorem humanum fidelem. Vnde ergo derepente tanta rerum conuerſio? Vnde nunc vnus Conſtantinus legislator fidelis, cum nec ab vno nec a paucis optimas leges ferri poſse ab ipſo euidenter, vt iactat demonſtratum ſit, ſed à ſola vniuerſitate ciuilis multitudinis, ne vel ille, vel illi, ad proprium, non commune reſpicientes commodum tyrannicas leges conderent. Sed dicet, authoritate vniuerſitatis multitudinis vni principi hoc commiſſum legum ferendarum officium. Sed æquæ ſibijpſi contradicit, qui duodecim primę dictionis ſuæ demonſtrare conatus eſt, nec vni, nec paucis id committi, ſed à ſola vniuerſitate multitudinis optimas leges ferri poſſe, idque talibus demonſtrationibus, quas etiā in his quæ ad Chriſti fidem, religionem, & regnum pertinent, vult nobis ſufficere: tametſi contra euidentes, & clariſſimas ſcripturas, totius eccleſiæ vltra mille annos (quod negari non poteſt) vſum, obſeruationem, conſenſum, ſententiam. Vt autem daremus, aut poſſe, aut potuiſſe à multitudine transferri legum ferendarum authoritatem in principem, nunquid hoc aliquando factum ab vniuerſitate Chriſtifidelium in Conſtantinum quiſquam poteſt vel fingere? Vbi, quæſo, ante Nicænum concilium vnquam conuenerat Chriſtifideliū vniuerſitas, vt ipſi daret authoritatem condendi leges obligantes domū eccleſiaſticam? vbi authoritatem eandem domum, quatenus eiuſmodi eſt, gubernandi? generalia conuocandi concilia? ordinandi miniſteria, & officia eccleſiaſtica? Sed nec in illo ipſo Niceno concilio conuenit Chriſtifidelium vniuerſitas, imo lecti tantum ex toto orbe Sacerdotes, & Epiſcopi CCCXVIII. Quos ipſos habuiſſe authoritatē ex commiſſione fidelium toto orbe diffuſa vniuerſitate, nemo vnquam probauerit.

Coarguit eiuſdem perfidiam incitandis autorum ſententijs.

Iam nunc vide fidem, & ſinceritatem hominis in citandis authoribus. Eſt quidem, quæ trunca citat, in ea præfatione de actis Nicenæ ſynodi apud Iſidorum verba legere. Sed ſi, & præcedentia, & ſubſequentia eiuſdem authoris verba in eadem præfatione adiunxiſſet, iam intellexiſſet lector, quam diuerſum ab eo quod illi impingit, Iſidorus ſētiat. Sic enim incipit: Beatiſſimo Syluestro in vrbe Roma Apoſtolicæ ſedis antiſtite, Conſtantino Auguſto, & Licinio Cæſare, conſulatu Paulini, & Iuliani virorū clariſs. anno ab Alexandro 736. menſe Iunio, 13. Calendas Iulij propter inſurgētes hęreſes fides catholica expoſita eſt apud Niceam Bythiniæ, quam ſancta, & reuerendiſſima Romana complectitur, & veneratur eccleſia, quippe quam trecenti decem, & octo patres, mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſſimis Romanæ Sedis præsbyteris, inſpirante Deo ad obſtruenda Arrij venena protulerunt. Nam, & nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt, quas memorata ſuſcipiens confirmauit Eccleſia.

Rom. Eccl. vt primatū obtinuerit.

Deinde ſubiungit: Sciendum ſane eſt omnibus catholicis, quoniam ſancta Eccleſia Romana, nullis ſynodicis decretis prælata eſt ſed euangelica voce domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit, vbi dixit beato Petro Apoſtolo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Et tibi dabo claues regni cęlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cęlis: & quodcunque ſolueris ſolutum. Adhibita eſt etiam ſocietas in eadem vrbe beatiſsimi Pauli Apoſtoli vaſis electionis, qui vno die, vnoque tempore glorioſa morte cum Petro, ſub principe Nerone agonizans coronatus eſt, & ambo pariter eccleſiam ſanctam Romanam Chriſto domino conſecrauerunt, aliſque omnibus in vniuerſo mundo, ſua præſentia atque venerando triumpho prætulerunt. Et licet ab omnibus aſſidua apud dominum, omnium ſanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus ſanctiſſimus Apoſtolus, Romanis proprio chirographo pollicetur, dicens: Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in euangelio filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio in orationibus meis.

Ordo principalium ſedium.

Prima ergo ſedes cœleſti beneficio eſt Romanæ Eccleſiæ, quam Beatus Petrus atque Paulus ſuo martyrio dedicarunt. Secunda autem apud Alexandriam, B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo, & euangeliſta conſecrata eſt. Quia, & ipſe in Ægypto primus verbū veritatis directus à Petro prædicauit, & glorioſum ibidem ſuſcepit martyrium, cui venerabilis ſucceſſit Abilius. Tertia vero ſedes apud Antiochiam eiuſdem B. Petri Apoſtoli habetur honorabilis, quia illic priuſquam Romam veniret, habitauit, & Ignatium Epiſcopum conſtituit, & illic primum nomen Chriſtianorum

nouel-

nouellæ gentis exortum eſt. Nam & Hieroſolymitanus Epiſcopus, pro tanti loci reuerentia habetur ab omnibus honorabilis, maxime quod illic primus Beatiſſimus Iacobus cognomento iuſtus, qui etiam ſecundum carnem frater domini nuncupatus eſt, à Pero, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis eſt ordinarus Epiſcopus. Tamen ſecundum antiquorum patrum definitionem, ſedes prima Hieroſolymis eſſe minime dicitur, ne forte ab infidelibus, & idiotis ſedes Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in cœlis eſt, in terra eſſe putaretur, &c.

Occaſio, & cauſa Niceni concilij.

Deinde veniens ad cauſam, & occaſionem Nicæni concilij: Cum igitur, inquit, apud Alexandriam poſt Achillem, qui Petri martyrio ſucceſſit, ſuſcepiſſet Alexander ſacerdotium, quia pax noſtris, & quies à perſecutionibus erat, atque eccleſiarum gloria confeſſorum meritis gaudebar, proſperiras rerum noſtrarum domeſtica conrentione turbabatur.

Hoc olim hæreticorum proprium eſt.

Etenim presbyter quidam apud Alexandriam, nomine Arrius, vir ipſe forma magis, quam virtute religioſus, & gloriæ laudiſque, & nouitaris improbe cupidus, praua quædam de Chriſti fide proferre, quæ arte inquiſitionis inuenerat, cœpit. Abſcindere enim, & ſeparare ab illa æterna, & ineffabili Dei patris ſubſtantia, vel natura, filium conabatur. Quæ res in eccleſia plurimos conrurbabat, & à dulci mentis tranquillitate dimouebat. Sed cum Alexander Epiſcopus, natura lenis, & quietus, aſſiduis commonitionibus Arrium cuperet à prauo incepto, & aſſertionibus impijs reuocare, nec tamen res ex ſententia procederet, & quod pleroſque contagio peſtiferæ aſſertionis infecerat, non ſolum apud Alexandriã, verum, & per alias vrbes, & prouincias ſerpſerat, pernicioſum fore credens ſi diſſimularet à talibus, plurimis conſacerdotibus rem indicat. Quin, & laicis quæſtio innoteſcit, & ſermo vſque ad aures religioſi principis, quippe qui omni ſtudio, & diligentia curaret, quæ noſtra ſunt, peruenit. Tum ille ex ſententia ſacerdotum, apud vrbem Nicenam episcopale concilium conuocat. Ibique Arrium, trecentis decem & octo epiſcopis reſidentibus, adeſſe iubet, ac de eius propoſitionibus, & quæſtionibus iudicare.

Et ſubiungit conſequenter: Sed in eo concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis conueniſſent epiſcopi, & vt fieri ſolet, ex diuerſis cauſis inter ſe quædam iurgia detuliſſent, interpellabatur frequenter à ſingulis offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hæc, quam ad id pro quo fuerat ventum, animos dabant. At videns quod per eiuſdmodi iurgia fruſtraretur cauſa ſummi negocij, diem certum ſtatuit: quo vnuſquiſq; epiſcoporum ſi quid querimoniæ habere videretur, ſemel deferret. Cum reſediſſet, ſuſcepit libellos à ſingulis, quos omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Epiſcopus: Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod ei ſolius inter vos expectate iudicium, vt veſtra iurgia, quæcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen, vos enim nobis à Deo dati eſtis dij.

Nota confeſſionem, & vere Chriſtiana ſententiam Chriſtianiſſimi Principis.

Conueniens ergo non eſt vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem Deos diſcernit. Et ideo his omiſsis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſcutite. Et cum hæc dixiſſet, omnes querimoniarum libellos iuſsit exuri, ne innoteſceret illi odium, & ſuggilatio ſacerdotum. Hactenus Iſidorus in præfatione prædicta. Quem nunc audis lector, an confirmet quæ nos duobus ſuperioribus libris demonſtrauimus. An vero huius contraria impiamq; aſſertionem, & ſententiam.

In primis hoc perpende, quod negat Romanam Eccleſiam, aut à Conſtantino, aut etiam (quemadmodum ille aſſerit) ex decreto vllius vniuerſalis concilij, ſed euangelica voce Domini Saluatoris noſtri in Beatiſſimo Petro accepiſſe primatum ſuper alias eccleſias. Deinde, & hoc perpende, quod ea præfatione clariſſime innuatur, authoritatem illius Niceni concilij dependiſſe ab authoritate Romanæ Eccleſiæ. Siquidem ideo fidei catholicæ expoſitionem factam in dicto concilio meruiſſe apud omnes authoritatem indubiã, quia ſancta, & reuerendiſſima Romana Eccleſia eandem complexa, & venerata eſt. Quippe quam trecenti decem, & octo patres mediantibus Apoſtolicæ Sedis legatis Deo inſpirante protulerunt. Sic, & de canonibus eiuſdem concilij innuit: quos, inquit, memorata ſuſcipiens confirmauit eccleſia. Vides itaque à Romana Eccleſia, teſtificante præfatione prædicta, confirmatos fuiſſe canones, ac regulas ſtatutas in Niceno concilio. Ex quo conſtat, eum ſemper fuiſſe orthodoxorum ſenſum, & conſenſum, vt ex vnius Romanæ Eccleſiæ authoritate dependeret authoritas conciliorum vniuerſalium: & non vt apud hæc eſſet omnium prima authoritas. Sed libro ſequenti vniuerſam conciliorum cauſam diligentius explicabimus. Quin, & religioſiſsimi principis confeſſionẽ perpende, qua recognouit Sacerdotes, & Epiſcopos ſuo non eſſe ſubiectos iudicio, cuius contrarium iſte conatur adſtruere: quin potius eoſdẽ accepiſse poteſtatem de ipſo quoq; iudicandi, & Imperatore, & imperio: Deus, inquit, vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi. Et nos à vobis recte iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus, ſecularibus videlicet, iudicari. Vides itaque lector Chriſtiane, qua hic fide citet authorum ſententias velut ſuæ ſubſcribentes ſententiæ. Nam ea præcipue cauſa, vt hoc ipſum clare intelligeres, hæc aliquanto prolixius hic adſcripſimus.

Niceni cõcilij authoritatem dependiſſe ab authoritate Rom. Eccl.

Quod igitur ille ex præfatæ præfationis verbis demonſtratum putat, Conſtantini authoritati peracta in Niceno concilio omnia, ipſe tibi reclamat Conſtantinus, ex ſacerdotali authoritate, quamuis ſua inſtantia, ea peracta affirmans. Siquidem, vt ſcribit Theodoretus ille Cyren. epiſcopus, præparata in regalibus domo maxima, & in ea collocatis ſedibus, & ſubſellijs, quæ ordini ſacerdotum ſufficerent inuitauit eos ingredi. Introiuit autem, & ipſe princeps vltimus cum paucis, laude dignam ſui magnitudinem habens, & mirabilem ſpeciem, mirabilioremque gerens dignitatem pudoris in fronte. Minore vero

Conſtantinum niſi priua, & obtenta ab epiſcopis licentia non ingreſſum cõcilium.

ſede

ſede quam alijs poſita; in medio eorum ſedit, primum tamen petens ſibi hoc epiſcoporum iuſſione concedi. Hactenus ille. Vides itaq; quam authoritatem Conſtantinus exercuerit in Niceno concilio. Quod vero dicitur, eis iuſſu congregatum concilium, non ita habet ea quam citat Iſidori præſatio, ſed quod ex ſacerdotum ſententia apud Niceam epiſcopale concilium conuocauerit. Ipſe itaque ſuam authoritatem ſubiunxit ſacerdotali, eidemq; famulari fecit, & velut ſacerdotalis ſententiæ executor factus eſt. Sed de conciliorum authoritate, vnde eorum dependeat authoritas, & cuius authoritate regulariter conuocari oporteat, libro ſequenti exactius explicare conabimur.

In hæreticos vero quod principum, non Romanorum Pontificum, aut ſacerdotalis vllius collegij authoritate vult conſtitutas fuiſſe pœnas ab initio: dicimus, ex Chriſti neceſſaria ordinatione duos eſſe in eccleſia gladios alterum ſpiritalem, materialem alterum, vtrunque vero eſſe debere in poteſtate eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, ſui in illo ſuo regno vicarij alterum quidem vibrandum ab ipſo, vbi id res exigit, & neceſſitas: alterum vero militari manu ad iuſſum Imperatoris, Regum, aut Principum, ad nutum tamen regni huius Chriſti præſidis. Id quod diligenter annotarunt ſancti patres ſignificaſſe Chriſtum, cum iuſſi ab eo Apoſtoli diuenditis tunicis gladios emere reſpondiſſent, duos ſe habere, idem dixerit, duos ſufficere. Quorum altero, qui materialem ſignificabat, cum Petrus Paulo poſt defenſurus Chriſtum Malcho amputaret auriculam, iuſſus eſt ab eodem gladium ſuum in vaginam recondere. Tuum ergo, inquit ille Bernardus ad Eugenium, qui negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipſe tuo forſan nutu, non tua manu euaginandus. Alioqui, ſi nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladij hic, ſed non reſpondit Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis: ſed is quidem pro eccleſia. ille vero, & ab eccleſia exerendus eſt. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris. Itaque eccleſia vtroque gladio perſequitur hæreticos, ſpirituali, manu ſacerdotis: materiali, iuſſu quidem ſæcularium principum, tamen ſubſequenter ad ſacerdotale iudicium. Quod ipſum, non præeſſe, ſed ſubeſſe potius ciuilem authoritatem eccleſiaſticæ, atque eidem ſubſeruire ſuis edictis, & legibus, certiſſimo argumento eſt: quemadmodum, vt neceſſario ſubſit iam exiſtens officium inſignis membri eccleſiaſtici corporis, authoritati capitis, cui plena totius corporis gubernandi commiſſa eſt à Chriſto authoritas, ſupra non ſemel irrefragabiliter à nobis demonſtratum eſt.

Libr. 4. de conſi.

Eccleſia vtroq; gladio hæreticos perſequitur.

CAP. XI.

Summam querimoniarum omnium, quæ in Sedem Apoſtolicam atque eius Pontifices ex vſurpatæ (vt volunt) plenitudinis poteſtatis abuſu effunduntur ab hoſtibus dignitatis eccleſiaſticæ: & quæ imperiali authoritati, & ſæculari poteſtati per ipſos inique detracta conqueruntur, breuiter complecti, & explicare.

NVllum finem, nullum modum ſuæ impietatis facit ille Marſilius: ſed quicquid à ſingulis eccleſiaſticæ dignitatis hoſtibus in Eccleſiam vnquam aut ſcriptum, aut excogitatum eſt, hic ſimul in eandem maledicentiſſimè euomuit. In primis itaque hoc indigniſſimè ferens, prætēdi à Romanis Pontificibus, ſibi vt ouilis Chriſti rectoribus commiſſam à Chriſto eius gubernandi, & diſponendi authoritatis plenitudinem, multas diſtinctiones & acceptationes varias plenitudinis poteſtatis, c. 23. dict. ſuæ ſecundæ comminiſcitur. Quas vniuerſas ſcrupuloſè proſequi, non eſt operæpretium: ſed tantum quę ad rem ipſam videbuntur pertinere, non diſſimulabimus. Dicit autem nullo prorſus modo plenitudinem illam poteſtatis Romanis Pontificibus competere. Neque vt intellectam, veluti ſupremam quandam iuriſdictionis coactiuæ authoritatem ſuper omnia membra Eccleſiæ, communitates, populos, Reges, Principes, regna, Imperia: qui tertius apud eum plenitudinis poteſtatis modus eſt. Neque etiam ſuper miniſtros tantum Eccleſię diuino ſpecialiter mancipatos cultui & ſeruitio, clericos, Sacerdotes, Epiſcopos: vt ipſis ſua poſſit officia præſcribere, eorundem ab illis rationem exigere, officio amouere, vbi id res & cauſa exigeret, & alios in eorundem locum ſubſtituere: Quæ partim in quarto apud illum modo poteſtatis plenæ, partim comprehenduntur in ſexto. Nec denique, vt intelligatur illorum eſſe, exorientes in eccleſiaſtica domo de fide & religione quæſtiones, & controuerſias ſua definitione & iudicio terminare aut componere, ſuis canonibus & legibus ordinare ritum eccleſiaſticum, ſuaſque ordinationes à Chriſtifidelibus ſub pœna exigere.

Inuectiuæ Marſilij aduerſus plenitudinem poteſtatis Romani Pontificis.

Quando verò horum omnium ab illo demonſtrationem expectas, nihil audis quàm remiſſionem ad ſuperius à ſe ſtatutas æque impias ſententias, æque nulla ſolida ratione probatas: ſed ſemper remiſſionem ad prius demonſtrata, & tandem ad illam ſententiam, quam 12. dicti. ſuæ primæ, dialecticis aliquot ratiunculis male venatis ex politicis Ariſtotelis conatur adſtruere. Apud ſolam videlicet vniuerſitatem multitudinis eſſe authoritatem ferendæ legis obligatoriæ, deinde & 15. eiuſdem, apud eandem ſolam eſſe authoritatem conſtituendi Principis. Itaque explicatis ſuis illis diuiſionibus & modis plenitudinis poteſtatis: De tertio, inquit, &

Vt probet Rom. Pont. non competere poteſtatis plenitudinem.

quarto modis plenę poteſtatis eiuſmodi (nam primus, & ſecundus nihil ad rem faciunt) per demonſtrationem oſtenſum eſt. 15. primæ, & per Scripturæ Sacræ teſtimonium, quarto, quinto & octauo ſecundæ dictionis ſuæ. At cum ad illa ipſa recurrens capita, rationes diligentius expendis, nihil inuenis, quàm remiſſionem ſimilem, ab octauo ad quintum, ab hoc ad quartum, & tandem ad 15. & 12. primæ, velut ad prima ſua principia. Vel Scripturæ Sacræ & ſanctorum patrum citatas quidem, ſed contra proprium ſuum ſenſum deprauatas ſententias, quod ſatis ſuperque in ſuperioribus demonſtrauimus. Et eodem prorſus modo, reliquos quoque à ſe modos plenæ poteſtatis explicitos, ſed in his quæ diximus, comprehenſos, ſatis demonſtratum vult Romano Pontifici non competere.

Criminaq; Rom. Pont. obijcit.

Pergens autem ſuo more, & velut legiſlator quidam, nos docere, vt in eandem poteſtatis plenitudinem paulatim irrepſerint dominandi libidine, & Chriſtifidelium ſimplicitate, aut potius ſtoliditate ac ſuperſtitione, nullum modum ponit ſuæ maledicentiæ. Sed hoc in primis exaggerat velut inuidioſum ſæcularibus, quòd omnem clerum exemerint à iuriſdictione laica, quodque ipſis iniuriantes ſpiritali vlciſcantur gladio.

Item, quòd quidam ex eis Romanum Principem iuraměto fidelitatis ſibi aſtrictum prætenderit.

Poſtremo, quod alter alterius Imperatoris ſententiam reuocare conatus fuerit.

In omnem deinde detrahendi, & maledicendi licentiam effrenem linguam ſoluens liuida detractio, & quamcunque animo concipere potuit, virulentiam in Roman. Pontifices expuens, multis & impotentibus verbis exaggerat, quibus quantiſque modis eorum quidam hac plenitudine poteſtatis abuſi ſint.

Quibus modis crimine tur abuſos poteſtatis plenitudine

Primum in ordinandis & conſtituendis miniſtris & Prælatis Eccleſiæ, quos quæritur indignos præfici, turbari exemptionibus, nec conſeruari ordines eccleſiaſticos. Exhauriri annatis atque eiuſmodi exactionibus regna & prouincias. Deinde cum ſecundum legem diuinam nihil poſſidere proprium, ſed ſectari paupertatem euangelicam, nudo ſimplicique victu & veſtitu eſſe contenti, ſubeſſe deberent, non præeſſe principibus ſæculi, ſub legibus & ordinationibus eorundem viuere, ab eiſdem & populo collationes, confirmationes & inueſtituras omnium dignitatum prælaturarum & eccleſiaſticorum officiorum, vocatorumque beneficiorum accipere, quemadmodum conſtare affirmat antiquitus fieri ſolitum, nunc contra dicit exulare ab Eccleſia ſummam illam, quam Chriſtus in ea plantauerat, meritoriam paupertatem, ob Sacerdotum contrariam auaritiam: in locum autem humilitatis admiſſam ſuperbiam, & principibus ſæcularibus omnia, quæ illorum iuris ſunt, adempta à Romanis Pontificibus, & vſurpata ſibi ſub prætextu illius plenitudinis poteſtatis, hoc eſt, tam ordinationem Sedis Apoſtolicæ, quàm inueſtituras, collationes, & diſpenſationem aliarum dignitatum, prælaturarum & officiorum, beneficiorumque eccleſiaſticorum omnium. Quam præſumptionem primam impingit Simplicio, quem primum ſtatuiſſe dicit, nullum clericum à laico inueſtituram debere ſuſcipere. Hunc ſequutum Adrianum tertium ſtatuiſſe, vt nullus Imperator de electione Papæ ſe intromitteret, cum ante per Imperatores Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi conſueuiſſent inſtitui, atque idem hoc priuilegio conceſſum affirmet, primum Carolo Magno, deinde Otthoni primo, illi quidem ab Adriano, huic vero à Leone, cuius hoc citat decretum.

Priuilegiũ ordinandi ſedem apoſtolicam atque inueſtiturarũ, &c. Otthoni I. conceſſum à Leone.

Leo Papa in ſynodo congregata Romæ in Eccleſia Sancti Saluatoris: Ad exemplum Beati Adriani, Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi, qui Dino Carolo victorioſiſſimo Regi Francorum Patriciatus dignitatem, ac ordinationem Apoſtolicæ Sedis, & inueſtituram conceſſit, ego quoque Leo, ſeruus ſeruorum Dei, Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ, cum cuncto populo & Clero Romano, conſtituimus, confirmamus & roboramus, & per noſtram Apoſtolicam authoritatem concedimus atque largimur D. Otthoni primo, Regi Teuthonicorum eiuſque ſucceſſoribus huius Regni Italiæ in perpetuum, tam ſibi facultatem elegendi ſucceſſorem, quam ſummæ Sedis Apoſtolicę Pōtificem ordinandi. Ac per hæc Archiepiſcopos, ſeu Epiſcopos, vt ipſi ab eo inueſtituram accipiant, conſecrationem autem vnde debent, exceptis his, quos Imperator Pontifici, & Archiepiſcopis conceſſit. Et nemo deinceps, cuiuſcunque ſit dignitatis vel religioſitatis, eligendi ſeu patricium, ſeu Pontificem ſummæ ſedis, vel quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſq; conſenſu ipſius Imperatoris, qui tamen fiat abſque omni pecunia. Et vt ipſe ſit patricius & Rex. Quod ſi à clero quis Epiſcopus eligatur, niſi à ſupradicto Rege laudetur, & inueſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc authoritatem apoſtolicam aliquid moliatur, hunc excommunicationi ſubiacere decreuimus: & niſi reſipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis ſupplicijs affici. Hactenus verba decreti. Quod ipſum confirmatum dicit à Stephano illius Leonis ſucceſſore. Deinde à Nicolao qui huic ſucceſſit. In quo equidem edicto dicit ſingulariter notandum, quod translatio illa inueſtiturarum à Rom. Pontifice, vna cum clero & populo facta in Imperatorem, quantum ad ipſum attinebat Pontificem, ſolum quædam renunciatio fuerit, aut reſtitutio potius, per quam ius illud ad ſuam naturam, ſuumque dominum redijt. Quoniam, inquit, authoritas huius prima fuit, & eſt Principis aut legiſlatoris humani, qui hanc authoritatem inueſtiendi Epiſcopos & Archiepiſcopos iam dudum Papæ conceſſerat. Quam rurſus refuſam in Principem à clero, & populo Romano non vult reuocari poſſe à ſolo Pontifice abſque decreto populi. Propter quam tamen reuocationem præſumptam à Romanis Pontificibus, maximas inter ipſos, & Imperatores diſcordias conſecutas affirmat, præcipuè autem inter Paſchalem II. & Henricum V. Teuthonicorum Regem: quem dicit ab illo prohibitum ad imperialem apicem ſcandere, vſque dum inueſtituras Epiſcoporum, Abbatum & clericorum omnium, per ſuas literas & nuncios Romam miſſos ex Tuſcia, eidem reſignaret. Quas rurſus Romam ingreſſus cum exercitu, poſtquam imperiali diademate exornatus fuerat,

capto cum Cardinalibus Pontifice, ab eodem vi extorſit, ſed poſt Caliſto II. iterum reſignauit.

Sed has, inquit, conceſſiones & priuilegia, ex cauſa fortaſſis legitima reuocare volentes, aut reuocantes ſimpliciter, aut in parte Ottho IV. & Fredericus II. Romanorum Imperatores, Epiſcoporum & cleri Romani plurimas inſidias, perſecutiones & impedimenta ſunt perpeſſi.

Quæ ille cōtra immunitatem bonorum eccleſiaſticorum.

Iam, & hoc velut intollerandum grauibus verbis inſectatur, quia temporalia poſſidentes, nolunt ſubeſſe legibus ac edictis principum, contra Chriſti, vt dicit, & Apoſtolorum exemplum & doctrinam, cum dicat Apoſtolus: Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. Quod parum, inquit, attendentes Romani Epiſcopi cum clericis alijs, ſi quando per Romanos Principes ſibi grauari videantur, per decimarum vel tributorum ſumptionem, ad militum ſuorum impenſam in neceſſitatibus bellorum pro ſuſcepta gratia, & beneficio rerum temporalium, quas à Romanis Principibus gratioſe acceperunt, in ſuperbiam elati, & ſuæ conditionis ignari, & ingratiſſimis omnibus magis ingrati, effrenata quadam præſumptione in horribiles blaſphemias, & anathemata proruperunt, tam in Principes, quam in eis ſubditos, in ſe tamen & in ſua capita potius reditura, quàm nocitura illis.

His addit, Romanos Pontifices multa vſurpare & vſurpaſſe de iuribus Imperij, vt Ciuitates Romandiolæ, Ferrariam, Bononiam & alia quàm plurima.

Contra definitionem Bonifacij

Et quod vult his omnibus eſſe intollerabilius, in tantam quoque dementiam & inſaniam dicit prorupiſſe ex his aliquos, vt omnes mundi Princepes & populos pronunciarint ſuæ iuriſdictioni coactiuæ ſubiectos. Et hoc credere tanquam verum, eſſe cuique de neceſſitate ſalutis.

Sanè, inquit, attendentes & noſcentes (tametſi diſſimulent) humani legiſlatoris eā eſſe authoritatem, priuilegia & conceſſiones quaſcunque conferre & auferre, Romani Principis creationem & promotionem, omni ſollicitudine, & machinatione prohibent. Quin & illa ſeſe armant plenitudine poteſtatis, quā à Chriſto in perſona Beati Petri, ſibi vt eius ſucceſſoribus, aiunt ſingulariter conceſſam. Quo ſiquidem execrabili titulo & oratione ſophiſtica ſecundum æquiuocum, omnibus fidelibus nihilo minus tanquam falſa, ſecundum omnem eius ſenſum ſemper, & vbique neganda, paralogizare nituntur, & in ſuam ſeruitutem redigere omnes mundi Principes, & populos. Quod non obſcure præ ſe ferre vult Clementinam de ſent. & re ind. In qua reuocando ſententiam quādam Henrici VII. Nos, inquit, tam ex ſuperioritate, quam ad Imperium non eſt dubium nos habere, quàm ex poteſtate in quam vacante imperio Imperatori ſuccedimus, & nihilo minus ex illius plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus, Rex regum, & Dominus dominantium, nobis licet immeritis in perſona Beati Petri conceſſit, ſententiam & proceſſus prædictos, & quicquid ex eis ſecutum eſt, vel occaſione ipſorum, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus fuiſſe & eſſe omnino irritos & inanes.

Contra Clementinam de ſent. & re iudic.

Claſſico omnes ad rebellionem concitat.

Tandem in hæc verba exclamat: Et ne deinceps lateat horum Epiſcoporum fallacia, tanquam veritatis præco, clamo valenter, & vobis dico, Regibus, Principibus, populis, tribubus, & vniuerſis linguis, per Romanos Epiſcopos cum ſuorum clericorum ſeu Cardinalium cœtu, hac ipſorum ſcriptura, ſecundum omnem eius ſuppoſitionem apertiſſimè falſa, ſummum omnium præiudicium fieri. Vos enim tentant in ſuam redigere ſubiectionem, ſi eam manere paſſi fueritis, præſertim vim ac legis robur habere. Attendite nanque per neceſſitatem ſequi, habentem authoritatem primam cuiuſuis Principis ſeu iudicis reuocandi ſententiam, ſuper eum habere iuriſdictionem, & coactiuum principatum, poteſtatem quoque ſui principatus inſtituendi & deponendi. At eam Romanus Epiſcopus ſibi adſcribit ſuper omnes Principes mūdi, & ex illa plenitudine poteſtatis, quam à Chriſto in perſona B. Petri accepit. Quanuis aperto mendacio contra Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam, per quam & ſibi & Apoſtolis omnibus, eorumque ſucceſſoribus omni coactiua in quemcunq; authoritate, nedum in Principes vult interdixiſſe Chriſtum: ſicut 4. 5. & 9. ſecundæ dict. ſuæ ſufficienter à ſe demonſtratum confidit.

Poſt hæc velut ſpecialius vlturus Imperium de Rom. Pontificibus, nouum inchoat non tam libellum quam librum iniuriarum, & blaſphemiarum in Romanos Pontifices, in quo tam impotenter, tam virulenter, tam petulanter debacchatur in eoſdem, vt etiam ipſe Lutherus, quantumuis ea in re ſtudioſus huius Diſcipulus, & imitator fuerit, quantumuis etiam eodem quo hic ſpiritu blaſphemiæ plenus, maledicentiæ iſtius virulentiam vix aſſequi potuerit: tametſi vt vinceret, etiam omni ſtudio contenderit. Qua interim quantum licebit diſſimulata (nihil enim facit aliud quam vt clariſſimè prodat quo ſpiritu agitatus hæc ſcripſerit aduerſus dignitatem & authoritatem eccleſiaſticam) ſummam tantum cauſæ & querimoniarum, quas nomine imperij proponit aduerſus Rom. Pontifices proſequemur, quo diſcenti poſſit cōmodius, iuſta ne ſit an iniuſta cauſa querimoniarum eiuſmodi.

Aegre fert. Ro. Principes ſubeſſe Pōtificibus.

In primis, poſt impia multa ſcurriliter in Pontifices iactata conuicia illam ab ipſis iactatam ſententiam, qua ſe diuino, humano, aut vtroque fortaſſis iure ſuperioritatem habere dicunt ſupra Romanum Principem, dicit eiuſdem imperij authoritatem euertere. Huius autem præſumptionis occaſionem illis tribuiſſe vult ſuperſtitionem quorundam Imperatorum citra Conſtantini tempora. Qui Chriſtum venerantes in Rom. Pontificibus, & ſingularem eis exhibentes, electionem ſuam eiſdem ſignificare ſolebant, quo eorundem interceſſione reuerentiam, benedictionem à Deo, & gratiam adiutricem ad ſui gubernationem imperij conſequerentur. Et eodem conſilio, vult ſimiliter Imperatores quoſdam, propter ſuæ intronixationis maiorem ſolennitatem, ab ipſis Rom. Pontificibus, regium ſibi diadema imponi feciſſe. Qua conſuetudine aliquot annorum vſu confirmata, ita vt

Digitized by Google

iam legitimum videretur, Imperatorem à
Rom. Pontifice Apoſtolica authoritate bene-
dici, & imperiali diademate inſigniri debere,
ſolennitatem eiuſmodi, confirmationem ele-
cti nominantes, tandem ſimplicitate & igna-
uia Principum, ius confirmationis eiuſmodi
ad ſe vult attraxiſse. Quod, inquit, non eſt
aliud, quam Romanum Pontificem ſoluere
principatum, & Principis electionem perpe-
tuo prohibere. Nam ſi à Pontificis volunta-
te aut confirmatione penderet electi authori-
tas, inane penitus eſset officium eligentium.

Imo grauiorem ex hoc ipſo natum, &
conſecutum vult abuſum, quod Imperatores
præſtare cogantur Rom. Pontificibus fidelita-
tis iuramentum, hoc ipſo illius authoritati &
iuriſdictioni ſe ſubijci conteſtantes: præterea
prouinciarum quarundam illicitè, & iniuſtè
occupatarum confirmationes facere, ſolenni
iureiurando interpoſito. Quæ quidem iura-
menta, & pacta nec ſalua conſcientia vult ab
eis præſtari poſse, vt contraria licito iura-
mento ante à ſe præſtito in ſui electione de
conſeruandis iuribus imperij: nec præſtita
licitè obſeruari. Quis enim, inquit, niſi mu-
Vult iuramenta illa illicita nec obligatoria.
liere mollior, & manifeſtè æque obſeruando
ac iurando talia periurus ea obſeruauerit?
Et cur magis Romani Imperatoris, quam alio
rum Chriſtianorum Regum & Principum cō-
firmationem ad ſe pertinere contendunt? Pro-
inde probat velut laudabile atque alijs imi-
tandum Ludouici Bauari exemplum (cui vt
Probat Ludouici Bauari minimè probandum exemplum.
adularetur, & gratificaretur, ſuum illud ſy-
cophantiarum, calumniarum, conuiciorum,
& blaſphemiarum volumen aduerſus Eccleſiæ
authoritatem euomuit) quem dicit contem-
pta, & ſpreta authoritate confirmationis Apo-
ſtolicæ, ſuæ electionis vigore glorioſe, & for-
titer ſibi vendicaſse iura imperij. Aduerſus
quem iniuſtiſſimè, & iniquiſſimè vult ſe extu-
liſse Ioannem XXII. tunc Romanum Pontifi-
cem, & primum illum notaſse execratione,
& anathemate, deinde procedente contuma-
cia, & contemptu, damnationis, & priua-
tionis in illum protuliſse ſententiam. In qua,
vna cum ſibi adhærentibus ſuiſq; fautoribus,
ipſos fecerit hæreticos, Eccleſiæ inimicos, &
rebelles. Subditos quoque per quædam, in-
quit, ſua diabolica, non Apoſtolica ſcripta
à iuramento fidelitatis, quo eidem adſtricti
tenebantur, abſoluerit periurio ac damnatio-
ne æterna inuoluens miſeros Chriſtifideles ac
ſimplices. Quum ab iuramento eiuſmodi atque
alio quouis promiſso licito, certum dicat nul-
lum Epiſcopum abſque rationabili cauſa poſ-
ſe abſoluere, quam nullam illic vult fuiſſe ra-
tionabilem. Quinimo, inquit, concedere
hoc aut Romano aut alteri cuiuis Epiſcopo,
nihil eſt aliud, quam omnium principatuum
radicem ſuccidere: & vinculum nexumque
cuiuſcunque regni & ciuilitatis diſſoluere,
Multa hic maledicta congerens & congemi-
nans in Rom. Pontifices, velut contra Chri-
ſtum & Apoſtolos docentes ſubditos rebella-
re poteſtatibus, & ſuis ſuperioribus, quibus
illi obediendum præcipiunt. Nunc Phariſęoss,
nunc pſeudo prophetas, atque alijs multo in-
honeſtioribus epithetis exornans. In quo vno
penè facundus eſt, nempe in inſigni detractio-
ne & maledicentia, cum reliquus ſermo vni-
uerſus obſcura tetraque barbarie ſordeat, ita
vt alicubi vix diuinare poſſis hominis ſenten-
tiam: hoc ipſo clariſſimè demonſtrans, quis
ille fuerit, qui per os eius locutus eſt, para-
cletus. Is ille nempe, quem Gerſonus rectè
vocat detractionem liuidam.

Quin, & hoc grauis & inexpiabilis pia-
culi loco obijcit, quod Marchiam Anconi-
In ſacerdotibus planè damnat poteſtatem ſæcularis gladij.
tanam ac alias quaſdam ditiones Rom. Eccle-
ſiæ, ſtudio præfati Ludouici eidem rebellan-
tes armis reduxerit ad officium: viros ſan-
guinum & doloſos propterea appellans, cum
Sacerdotibus planè interdictam velit poteſta-
tem ſæcularis gladij.

Tandem velut perorando, & reducendo
Peroratio Marſilij.
orationem ad ſuum principium, vſurpatæ il-
li plenitudini poteſtatis à Romanis Pontifici-
bus acceptam referri vult omnem ciuilem, quę
inter Principes, & communitates viget, di-
ſcordiam: abſolutum ab eadem vigorem au-
thoritatis principantium, qua ciuilis conti-
netur concordia & vnitas. Proinde expedirę
dicit, vt titulus ille plenitudinis poteſtatiſ
interdicatur Romano Pontifici ab vniuerſali
concilio, ſimiliter & facultas conferendi be-
neficia eccleſiaſtica. Ad quæ vult obligari
omnes iuriſdictionem habentes, præcipuè re-
ges, lege diuina velut conſtitutos, vt faciant
iudicium, & iuſtitiam. Hæc velut ſumma
orationis eſt, bone Deus qualis? quæ in ſui
confutatione multo minus nobis negocij ex-
hibuit, quàm fecit, vt exhorrendo quodam
verborum, & maledictorum inuolucro expi-
ſcaremur incluſas ſententias, eaſque explica-
remus qualicunque ordine & compendio. In
quibus tamen fidem meam fateretur etiam il-
le ipſe, ſi viueret. Adeo nuſquam diſſimulaui
rationum eius efficaciam, nec in eiſdem ex-
plicandis quicquam illis detraxi, aut vigoris,
aut probabilitatis, vt pro virili caſdem adiu-
uarim potius, & pleraſque, quàm ille, expli-
carim multo probabilius.

CAP. XII.

Romanis Pontificibus vt eccleſiaſticæ hierarchiæ rectoribus, gubernationis quoque & regiminis vniuerſæ familiæ eccleſiaſticæ plenam poteſtatem competere, aduerſus prædictorum impietatem aſſerere.

VT videt nullis ſuis artibus, & technis ſe
magis proficere callidus ille, & anti-
Callidi ſerpentis artes & quod ſpectet in impugnanda atq; euertenda authoritate eccleſiaſtica
quus ſerpens, hoſtiſq; humani generis: quam
ſi, vt primis noſtris parentibus Deo, ita &
nobis ſacris ab eodem conſtitutis ordinatiſ-
que magiſtratibus non obedire perſuaſerit.
Inde enim & Dei, & cultus eius, vniuerſæque
religionis neglectum videt conſequi. Ita nul-
li rei, excitatis ad hoc ſuis Apoſtolis, ſtudet
diligentius & accuratius: præſertim cum hoc
ſibi videat fere cecidiſſe feliciter, ob inſitæ
omnibus appetitionis cuiuſdam, ſed niſi ra-
tione moderetur, inordinatæ, libertatis, in-
quam, cognatæque ſuperbiæ igniculum. Sic
ſæcularibus perſuadetur facilè, non ſubijci,
non

non teneri ſacerdotali authoritate & legibus. Ita cuique ea, quibus frena relaxantur licentiæ. Aures arrigunt tametſi pij alioqui Principes, cum ſua ſibi iura detractata à Sacerdotibus audiunt & facilè credunt, quæ per ſe arrident, facilè incitantur ad ea quocunque modo ſibi vendicanda, quæ ſibi deberi optimo iure perſuadentur. Atque ethnicam fere dominationem interdictam à Chriſto, inſtillatam ab his conſultoribus, concipientes meditanteſque animo, obliuiſcuntur interim, quod Chriſtianæ Eccleſiæ membra ſint, quod Chriſti regno ſeruiant. Sic (quorſum ille hæc agit omnia) ſupernæ quoque illius fęlicitatis regno, qui huius Chriſti regni finis eſt, excluduntur, & ſecum attrahit in perditionem & interitum. Quare prædictis diligentius reſpondendum eſt, calumnijs verius, quàm querimonijs, & vbique aſſerenda orthodoxa veritas. In primis hoc, velint nolint, fateantur neceſſe eſt, Rom. Pontifici, velut totius Eccleſiæ rectori & præſidi, competere authoritatem talem ac tantam, qualis quantaque ad eccleſiaſticæ domus regimen gubernationemque illi fuerat neceſſaria. Qua & omnes, qui eiuſdem familiæ ſunt, quemque in ſuo continere poſſit officio, ab vnoquoque eius rationem exigere, delinquentes punire, exceſſus corrigere, moderari vniuerſa quæcunque aguntur in domo eccleſiaſtica. Inſuper & exortas omnes de fide, & religione, eccleſiaſticiſque negocijs cauſas, quæſtiones, controuerſias, inter membra eccleſiaſtici corporis, ſua authoritate, definitione, & iudicio terminare, & componere. Proinde omnes qui ad Chriſti Eccleſiam pertinent, qui intra ſepta ouilis eius continentur, quatenus Eccleſiæ membra ſunt, authoritati, gubernationi, & regimini Petri, & ſucceſſorum eius humiliter ſe ſubmittere, omnes eius ſacroſanctam authoritatem illi datam à Chriſto agnoſcere & revereri oportere, a qua nemo exemptus eſt, nec Princeps, nec Rex, nec Imperator, poſtquam ſe Chriſti iugo vltro ſubdidit, & regno eius incorporari ſeruireque expetijt. In quo, vt eiuſmodi, nemo vllam ſuper conſeruos ſuos authoritatem aut ſuperioritatem exercere poteſt, niſi cui conſtat à legislatore noſtro Chriſto delegatam eiuſmodi. Qui regni illius ſui regimen non Imperatoribus aut Regibus, ſed Petro commiſit. Illi dixit: Paſce regeque oues meas, & agnos meos. At cui aliquotum commiſſum eſt regimen, neceſſe eſt datam illi regendi eoſdem poteſtatem, his autem obſequendi, & rectoris imperijs obediendi neceſſitatem impoſitam: ſine quoquis poſſet vel viginti perſonarum familiam regere? Sed hæc duobus libris ſuperioribus ex illis noſtræ fidei indubitatis certiſſimiſq; principijs copioſe, & luculenter demonſtrata ſunt. Et hoc ipſo libro, ex illis ipſis, quæ hic aduerſus Eccleſiam ſtatuit philoſophicis non ſemel confirmata principijs.

Paſtori, & rectori ouilis Chriſti ſubeſſe omnes qui continentur in eodem, etiã Imperatores, Reges, Principes.

Hæc itaque eſt illa plenitudo poteſtatis, gubernandi videlicet, & regendi ouile Chriſti, & domum eccleſiaſticam, non vſurpata à Rom. Pontificibus, ſed ipſis commiſſa a Chriſto in B. Petro Apoſtolorum Principe, cui ſuccedunt in authoritate & officio. Qua ſi abutantur, non effugient iudicium eius, cui vni ſubiecti ſunt, & qui vices ſuas ipſi commiſit, potenteſque potentius tormenta patientur. At nobis permiſſa non eſt illos iudicandi authoritas. In quo ſi mihi non credis, audi Apoſtolum: Nam tu quis es, inquit, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, & Domino ſuo cadit. A Chriſto ille conſtitutus eſt vt te regat, vt te iudicet, non tu illius iudex conſtitutus. Tu autem ouis es, inquit ille, noli diſcutere Paſtorem, ne eius quoque criminis reus tenearis: noli te iudicem Dei conſtituere & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos & per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui vos audit, me audit: & qui me audit, audit eum qui miſit me. Vnde enim hæreſes &, ſchiſmata obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo Dei dignatione honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? Hæc ille Cyprianus glorioſus Chriſti martyr & Pontifex.

Plenitudo poteſtatis competens catholicæ Eccleſiæ rectoribus. Si peccent illi non noſtro, ſed Dei ſubiacere iudicio.

Cyprianus ad Florentium.

Quod ſi mali tibi videantur tui præpoſiti, primum in te reſpice, num tua forte tuique ſimilium culpa mali ſint. Siquidem propter peccata populi Deus regnare facit hominem hypocritam, & ſuos Principes ſanctos contaminat. Ita cum addidiſſet furor Domini iraſci contra Iſraelem, commouit Dauid, vt numeraret Iudam, & Hieruſalem. Sic & peccatis noſtris iratus, etiam noſtros Paſtores labi permittit, & linguam adſtringit vt loqui neſciant, ſubtrahit nobis influxum cœleſtis & ſpiritalis gratiæ, quia nos ſumus domus exaſperans.

Iob. 34. Eſaiæ 43.

Quod ergo, ſi quæris, correctionis Paſtorum noſtrorum optimum efficaciſſimumq; remedium? Vt nos ipſos iudicemus primum, propria noſtra, non Paſtorum peccata accuſemus, emendemuſque, quibus ille prouocatus, in ira furoris ſui dat nobis quales meremur Prælatos, & Principes, vt in ſordibus exiſtentes inſordeſcamus amplius. Et deinde, clamemus ad Dominum, vt vel illos ipſos emendare dignetur: vel malis ſublatis, alios ſecundum cor ſuum nobis conſtituere. Qui cito nos audient, cito vindictam faciet ſeruorum ſuorum fideliter ad ſe clamantium. At ſi hoc remedio neglecto, ipſi manum illis admoliri voluerimus, ipſimet illos magiſtratu amouere, quem non à nobis, ſed à Chriſto in ſuo illo regno acceperunt, in quod etiam nos præcario & gratioſè recepti ſumus: non ſolum nihil proficiemus, nihil nobis cedet feliciter, ſed etiam iram furoris Domini contra nos prouocabimus, imo læſæ maieſtatis crimine inuoluemur, nobis ſacrilege vſurpantes, quod ad ſolum Chriſtum pertinet: Idque quia nec Chriſto credimus, nec confidimus ſibi curæ eſſe ſuum regnum, ſuam Eccleſiam.

Quæ tamen ille capitalium & intolerabilium criminum & abuſionum loco Romanis Pontificibus objicit, mihi crimina, niſi in criminante non videntur. Quorum primum & grauiſſimum hoc eſt, quod cum ipſi principibus, & poteſtatibus publicis ſubiecti eſſe deberent, contra ſibi ſubiecerint Reges, & regna, Imperatores & imperia. Sed hanc calumniam ſatis iam ſuperque diluimus. Quin potius dicimus Petro atque eius ſucceſſoribus

Qualis criminis objiciat ille Ro. Põtificibus.

Digitized by Google

bus commiſſum à Chriſto, vt ſuum ouile regat & gubernet. Qui ergo à Petro atque eius ſucceſſoribus regi illis ſubeſſe noluerit, caueat Chriſti ouile ingredi, aut ingreſſus exeat, vt vero quiſquam intus maneat, quiſquam eſſe velit membrum eccleſiaſtici corporis, & non ſubeſſe eius capiti, nec ipſa rerum natura patitur etiam ſi non contradiceret Chriſtus.

Fieri non poſſe, vt quis velit eſſe membrum eccleſiaſtici corporis nec eius ſubeſſe capiti.

Quare non eſt amentia, aut inſania, quod ille blaſfemat, dicere omnes Chriſtianos, etiam Imperatores, Reges, Principes, ſubeſſe Romani Pontifici. Imo Chriſti ſententia eſt: Omnem omnino hominem de neceſſitate ſalutis eidem ſubeſſe debere. Nam quamuis actu ſubſit nemo, niſi qui iam in ouili Chriſti continetur: quia tamen extra illud nulli ſalus eſt, ſed debent omnes, qui ſaluari voluerint, intra ouile Chriſti contiueri ideo quoque, & paſtori, rectorique eiuſdem omnes ſubeſſe tenentur. Cui vero, iuſtiſſimoque titulo, non execrabili (vt hic omnibus Chriſtifidelibus merito ter execrandus impiè affirmat) non oratione ſophiſtica, & æquiuoca, ſecundum omnem ſuum ſenſum falſa, & ſemper, & vbique neganda omnibus Chriſtifidelibus. Quin potius veriſſima, atque omnibus, qui regni Chriſti particeps eſſe deſiderant, fideliter amplectenda, competit illa, quam diximus plenitudo poteſtatis regendi, & gubernandi vniuerſam familiam Eccleſiaſticam.

Aſſertio definitionis Bonifaciane

Nec quicquam præter nudam, meramque veritatem continet Clementina illa paſtoralis (cui ille tam petulanter inſultat) de ſent. & re iudic. Nam ſi (quod ſupra euidenter demonſtrauimus) ad authoritatem capitis hierarchiæ eccleſiaſticæ pertinet, omnia membra eccleſiaſtici corporis in officio continere, exceſſus corrigere, eorum præſertim, qui ſecundum eiuſdem hierarchiæ formam nulli alteri Eccleſiæ membro ſubſunt quam capiti, tu non vis latam ab eiuſmodi aliquo iniuſtam, iniquamque ſententiam poſſe retractari authoritate capitis, aut ſi de iure non ſubſiſtat (quod ille fecit) nullam declarari? Habuit, habet, & habebit, etiam ſi te ruperis, illam authoritatem ſuper vniuerſa membra eccleſiaſtici corporis, caput eiuſdem, quod à Chriſto nobis inſtitutum eſt, hoc autem eſſe Romanos Pontifices ſucceſſores Petri, libro tertio, & quarto irrefragabiliter demonſtrauimus. Itaque quod ille tanquam veritatis præco, valenter atque impotenter clamat, regibus, principibus, populis, per dictam Clementinam ſecundum omnem eius ſuppoſitionem apertiſſimè falſam, omnibus ſummum præiudicium fieri. Omnes ſi quidem ſecundum eius ſententiam ſubiectos eſſe authoritati Romani Pontificis, quod nullis modis ferendum vult. Ego contra, veritatis verus præco, clamo, & valenter clamo, illum eſſe liuidum detractorem veritatis, non præconem: ſed hoſtem, & aduerſarium: pietatis euerſorem, & pro pace (cuiuſſe defenſorem prædicat) Eccleſiam Chriſti confunderetur bis, rixis, ſeditionibus, bellis innumeris. Vobis quoque dico, principibus, regibus, populis, omnibus denique qui ſe gaudent intra Chriſti ouile contineri, vt libenter diligenter, & humiliter illi ſubſint, cui Chriſtus ouile contineri, vt libenter, diligenter, & humiliter illi ſubſint, cui Chriſtus mandauit ſui ouilis curam, & regimen. Nulli hoc cuiquam fore præiudicio, ſed lucro maximo. Hac enim via illam felicitatem adſequemini, ob quam in hoc Chriſti Regnum congregati ſumus. Tu mihi dic, qui pacem defendere te prædicas, quo pacto pacem conſeruabis in domo eccleſiaſtica, niſi omnem in eadem authoritatem ciuilem ſubdas authoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis? Sunt in domo eccleſiaſtica principantes multi, ciuileſque magiſtratus gerentes, quorum nemo ſubditur alteri, nec aliũ ſupra ſe recognoſcunt principantem ciuiliter: vt Imperator, Rex Galliæ, Rex Hiſpaniarum, Angliæ, Scotiæ, & alij plurimi. Inter hos ſi quando ſurgit queſtio, & controuerſia (niſi illos ſubeſſe volueris communi totius eccleſiæ capiti, cuius eſt membra omnia in officio continere, in pace, & concordia) nunquid non erit neceſſarium, vt continuo armis decernatur omnis exorta inter eos controuerſia eiuſmodi? Nunquid non continuis bellis tumultuabitur domus eccleſiaſtica? Quod ſi contra hos facias omnes diligenter, fideliterque, vt tenentur, ſubeſſe communi totius eccleſiæ capiti, nunquid ille ſua authoritate, cui obedire debent omnes, qui Chriſtiano cenſentur nomine, non facilè componet exortas omnes quæſtiones, & controuerſias? Nunquid pro continuis bellorum tumultibus, quæ tu defenſor pacis inducis, excitas, foues, tot in eccleſiaſtica domo principantes, nec ſibi mutuo, nec vlli ſuperiori ſubiectos conſtituens, non videremus in eadem vigere pulcherrimam pacis pulchritudinem? Et quæ eſt alia cauſa bellorum inter nos pluſquam ciuilium, quibus Chriſtiani fratres in viſcera fratrum innocentum ferrum ſtringimus, niſi quia principes noſtri infideles, & inobſequentes filij? Niſi quia à te, tuique ſimilibus peſtilentiſſimis conſiliarijs ſeducti veſtris perſuaſionibus eiuſmodi, pij patris, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, ipſos omni ſtudio ad Chriſtianam pacem exhortantis monitis, in totius Chriſtianæ reipublicę confuſionem, perniciem, & exeidium rebelles, & contumaces ſunt?

Aſſertio Clementinæ paſtoralis, de ſent. & re iud.

Neceſſario requirere pacem Chriſtianæ eccleſiæ, vt omnis in eadẽ ciuilis authoritas ſubſit authoritati eccleſiaſticæ hierarchię capitis

Cauſa bellorum inter nos pluſquã ciuilium.

Sed attende obſecro lector Chriſtiane, quid huic frontis ſit homini, quibus, qualibuſcumque argumentis datam à Chriſto Romanis Pontificibus authoritatem, eiſdem extorquere conetur. Attendite namque, inquit, per neceſſitatem conſequi, habentem authoritatem primam cuiuſuis principis, aut iudicis reuocandi ſententiam, ſuper eum etiam habere poteſtatem ſui principatus inſtituendi, & deponendi. O argutum, & dialecticum hominem. Archiepiſcopus authoritatem habet retractandi ſententiam alicuius ſibi ſubditi Epiſcopi, vbi ad ipſum legitimè prouocatum extitit: ergo poteſtatem habet inſtituendi, & deponendi Epiſcopatum, & Epiſcopum? Per quem locum dialecticum? Sed non vacat ineptias, & maledicentiam hominis perſequi, & retaliare per ſingula, tametſi nec ad omnia conniuere potuimus propter multos, quibus placet nimium. Et hactenus quidem, quod Romanis Pontificibus plena poteſtas competit regendi, gubernandique vniuerſam familiam eccleſiaſticam, nec ſit indebitę ab illis vſurpatus ille plenitudinis poteſtatis titulus,

Marſilianę collectionis ineptia.

ſed

Digitized by Google

ſed Chriſti authoritate, & commiſſione eiſdem competens, aduerſus illius detractionem, & calumnias breuiter indicauimus.

CAP. XIII.

De poteſtate ordinandi Sedem Apoſtolicam, & iure inueſtiturarum Eccleſiarum, prolaturarumque, & collationum eccleſiaſticorum beneficiorum omnium, an quo iure Imperatoribus, aut ſæcularibus principibus conueniant.

De iure inueſtiturarũ. & ordinandi ſedẽ Apoſtolicam.

CONqueritur ille, vt audiſti, vſurpata pleraque à Romanis Pontificibus, & ablata Imperatoribus, quæ vult iure diuino ſpectare ad ius Imperij, tanquam ad ſupremum legislatorem fidelem. Et in primis poteſtatem ordinandi Sedem Apoſtolicam, atque in ea conſtituendi Pontificem. Deinde inueſtituras, collationes, liberamque diſpoſitionem eccleſiarum, eccleſiaſticarumque dignitatum, prælaturarum, officiorum, beneficiorumque eccleſiaſticorum omnium. Quæ cum pertinerent ad ius fidelium principum, & ab eiſdem religionis, deuotioniſque cauſa conceſſa Pontificibus, per eoſdem vna cum Romano clero, & populo reſtituta fuiſſent, primum Carolo Magno, deinde Otthoni primo Imperatori, dicit poſtea, magno totius orbis tumultu, magna omnium ordinum confuſione, multiſque ſcandalis repetita per ſubſequentes Pontifices. Et quamuis cum eam ob rem inter Henricum V. & Romanam Eccleſiam grauis exorta controuerſia, multis annis turbaſſet eccleſiam, idem poſtea Caliſto II ea omnia vltro ceſſerit: quia tamen has conceſſiones, & hæc priuilegia ex iuſta fortaſſis & legitima, vt dicit, cauſa ad ſe reuocare conati ſunt, Fredericus II. & Ottho IV. multis eoſdem inſidijs, perſecutionibus, & impedimentis diuexatos conqueritur à Romanis Pontificibus.

An quo iure ad ſæculares principes pertinuerit, & pertineãt

Itaque vt clariſſimè intelligatur, num quo iure hæc ad Imperatorem, aut ſæculares principes pertinuerint, & pertineant, an vero iuſta aliqua conſideratione, eadem aut eorum aliqua, priuilegio ſingulari illius aliquando conceſſa per eccleſiaſticæ hierarchiæ caput, & præſidem, iuſtiori poſtmodum ratione, ab eiſdem reuocata ſint.

Dicimus in primis, capiti hierarchiæ eccleſiaſticæ iure diuino competere authoritatẽ regendi, gubernandique vniuerſum corpus eccleſiaſticum, & ſingula eius membra in ſuo continendi officio. Inter quæ præcipua quædam ſunt Imperatores, Reges, & principes. Quorum eſt officium, & authoritas, vt ciuiliter gubernent ſubiectam ſibi multitudinem: ſubordinate tamen, ad finẽ regni ipſius Chriſti, hoc eſt, catholicæ Eccleſiæ, cuius pars, & membra ſunt: & cui ipſorum etiam ſeruire debet authoritas. Vt vero viciſſim illis ipſis membris competeret in caput ſuum vlla ordinandi, aut regulãdi authoritas, Chriſto, rationi, atq; adeo ipſi rerũ naturæ eſt contrariũ. Sed plane eſt neceſſarium, vt reliquorum membrorum omnium caput, ſi rector & regula, etiam Imperatorum, Regum & Principum, vt omnium diſponat, ac moderetur officia, & breuiter vniuerſum eccleſiaſticum ſub ſe ordinem in ſua poteſtate habeat. Hæc, inquam, vniuerſa diuino iure ad illum pertinent, cui Chriſtus ipſe vniuerſi ouilis ſui curam commiſit & regimen, Petro videlicet, & qui eidem ſucceſſerunt in ea authoritate, & officio, non Imperatoribus, Regibus, aut ſecularibus Principibus. Si Imperator, inquit ille, catholicus eſt (quod ſalua pace ipſius dicimus) filius eſt, non præſul Eccleſiæ: quod ad religionem pertinet, diſcere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis, diuinitus conſequutus eſt. Dei itaque beneficijs non ingratus, contra depoſitionem cœleſtis ordinis nil vſurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad poteſtates ſæculi. Quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vendicet alienum ius, & miniſterium, quod alteri deputatum eſt, neque contra eum contendat hæc abrumpere, à quo conſtituta ſunt: ne contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam aſſecutus eſt poteſtatem. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ religionis clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, ac recipi de errore redeuntes. Hæc nonageſima ſexta diſtinctione, c. Imperator.

Qua ratione cõſueuiſſe olim in electione Rom. Pont. requi aſſenſum principis.

Haud tamen imus inficias, quin in electione Romanorum Pontificum, requiri ſolebat antiquitus, etiam Romani Principis aſſenſus: ſed tunc, cum non ſolum ad clerum, ſed etiam ad Rom. populum pertinebat Pontificis electio, aut ſaltem, cum non alium eligeret clerus, niſi quem communibus ſuffragijs expetiuiſſet populus. Quemadmodum etiam aliarum Eccleſiarum eligi tunc ſolebant Epiſcopi. Hoc ſummo ſtudio præcauentes nimirum Eccleſiæ rectores & antiſtites, ne quibus inuitis quis male gratus obtruderetur Epiſcopus. Ne fiat, inquit ille, ciuitas minus religioſa quam conuenit, cui non licuit habere, quem voluit, Epiſcopum. Quid igitur mirum eſt, etiam Principis, velut capitis electoris populi, expetitum fuiſſe ſuffragium? Quod quamdiu nihil diſſuadebat grauius, vtile viſum eſt patribus, vt eo libentius illius authoritati ſe Princeps ſubmitteret, quem etiam ſuo extuliſſet ſuffragio. Quanquam nihil ſibi iuris competere in eiuſmodi niſi gratioſe conceſſum, ſane etiam intellexerint religioſi Principes.

Valentiniani Imperatoris teſtimonium.

Itaque Valentinianus ille (vt quarto eccleſiaſticæ ſuæ hiſtoriæ lib. explicat Theodoretus Cyrenen. Epiſcopus) vere orthodoxus Imperator, cum defuncto Auxentio Epiſcopo, qui Arriana perfidia infecerat Mediolanenſem Eccleſiam, cuperet eidem orthodoxum aliquem Epiſcopum præfici, accerſitos Sacerdotes & Epiſcopos ita alloquitur: Ignorare non poteſtis vllo modo, quippe diuinis inſtructi literis, qualem eſſe conueniat eum, cui pontificalis dignitas committenda ſit, quodque non doctrina ſolum, ſed etiam moribus, ac vita inſtruere ſubiectos debeat, at-

que

Digitized by Google

que ita totius honeſtatis ſe exemplum proponere, vt doctrinæ ſuæ ipſa conuerſatio perhibeat teſtimonium. Proinde, & hoc tempore, talem in Pontificali coſtituite ſolio, cui etiam nos, qui gubernamus Imperium, noſtra capita ſincere ſubdamus, cuiuſque reprehenſionis (cum enim homines ſimus, & offendere neceſſe eſt) tanquam medicinæ curam libenter admittamus. Hæc loquutum iubet Synodus ipſum diligere aliquem ſuffragio ſuo, ſapientem, & pietate ornatum. At ille, ſupra nos eſt, inquit, talis electio, aut vt vertit alius, maior, quam vt à me præſtari poſſit res, multoque fuerit melius vos decernere, diuina gratia dignatos, & participes ſplendoris illius. Hactenus ille. Vides itaque religioſiſſimi Imperatoris Chriſtianam ſententiam, vtque intellixerit, non ad ius Imperiale, ſed Sacerdotale ſpectare electionem Pontificum.

Quomodo etiam à populo antiquitus pendebat Pontificum electio.

Quanquam etiam hoc, quod dixi, ad clerum & populum tunc communiter, quamuis diſpenſatione quadam, pertinuiſſe electionem Pontificum, ſane intelligendum eſt. Nec enim electio pertinebat ad populum, ſed ad clerum, & Sacerdotes tantum. Qui tamen, niſi aſſenſu populi, aut eius ſanioris partis neminem permittebantur eligere. Tunc enim, inquit Beatus Stephanus Pontifex, in Eccleſia Dei rite perficietur, cum populus pariter in eum acclamauerit, quem clerus communi voto elegerit. Singulorum autem in electione officia propriam diligenter, & diſtincte expreſſit beatiſſimus ille Leo in epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum: Vota, inquit, ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus Sacerdotum conſiderentur. Itaque tunc & laudabilis vſus obtinuerat, & per eccleſiaſticę hierarchiæ pręſides ita quoque ordinatum, conſtitutumque fuerat, vt electiones tam Romanorum Pontificum, quam etiam aliorum Epiſcoporum, referrentur ad fideles Imperatores, & Principes, maxime propter hæreticorum, & ſchiſmaticorum concertationes, à quibus non raro confuſa, Dei periclitabatur Eccleſia. Aduerſus quos, cum pro ipſorum impietate parum valerent cenſuræ eccleſiaſticę, fideliſſimorum Imperatorum ſeueritas ſeruiuit Eccleſiæ. Cui vt eo ſeruirent deuotius, vtque velut deuotiſſimi filij, illius authoritati ſe ſubmitterent ſincerius, quem proprio quoque aſſenſu ſibi in patrem conſtitutum viderent, hoc honoris fidelibus principibus in electionibus permiſſum eſt à principio. At cum poſtea per Hexarchorum tyrannidem (qui Imperatorum gerebant vices per Italiam) multa committerentur enormia, & frequenter turbaretur atque impediretur legitima electio, ſæpe etiam vis interponeretur apud clerum, & populum, vt quem ipſi vellent, eligerent: nonnunquam etiam ſine electione vi intrudere conaretur aliquos, iuſtiori ratione hoc poſtea abrogatum eſt, quam indultum fuerat à principio. Itaque in concilio quod ſub Symmacho celebratum eſt, inter cætera in hæc verba decretum legitur: Non placuit laicum ſtatuendi in Eccleſia aliquam poteſtatem habere, cui ſubſequendi eſt iniuncta neceſſitas, & non data imperandi authoritas. Et rurſus: Laicis quamuis religioſis, nulla de eccleſiaſticis rebus aliquid ſtatuendi legitur attributa facultas.

Decretum concilij ſub Symmacho.

Itaque Conſtantinus Imperator IV. eius nominis, cum intellexiſſet Benedictum II. virum multis ornatum virtutibus, aſſumptum ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, eius ſanctitate promotus, ſanctionem ad illum miſit, per quam vltro reſignauit ex vetuſta illa conſuetudine, ſibi & Imperio prætenſo priuilegio præfato. Ne forte ea occaſione, per ſucceſſorum ſuorum minus forte religioſos aliquos, ſcandalum aliquod concitaretur Dei Eccleſię. Vtque deinceps, quem clerus cum populo Romano delegiſſet in Pontificem, eundem nulla, aut Conſtantinopolitani Principis, aut Italiæ Hexarchi expectata authoritate, omnes verum Chriſti Vicarium crederent.

Carolo cōceſſum iuſtam ordinandi ſedē Apoſtolicā, quam inueſtiendi Epiſcopos per vniuerſas ſibi ſubiectas prouincias.

At Carolo magno, cum à vi atque tyrannide Longobardica, capto vltimo eorum rege Deſiderio liberaſset Romanam Eccleſiam, atque eidem reſtituiſſet oblata per Longobardos omnia, paternamque donationem etiam maioribus confirmaſſet, auxiſsetque priuilegij, Adrianus Pontifex, conuocata ad hoc 154. Epiſcoporum apud lateranum in Eccleſia S. Saluatoris Synodo, ius & poteſtatem eligendi Pontificis, & ordinandæ, ſi quando vacaret, Sedis Apoſtolicæ, dignitatem etiam patriciatus conceſſit. Inueſtiendi quoque Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulos ſibi ſubiectas prouincias conſtituens, vt niſi à rege laudetur, & inueſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur. Et quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis eum vinculo innodauit: & niſi reſipiſceret, bona quoque eiuſdem publicari præcepit.

Sed huic priuilegio, quantum ad inueſtituras Eccleſiarum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum pertinebat, idem ipſe Carolus (re ipſa deinceps expertus parum illud decere, vt contrarium ſacris canonibus, & apertam palatinis per hoc ianuam irrumpendi in omnes Eccleſias, eaſdemque prophanandi) poſt aſſumptum in conſortem imperij Ludouicum filium, vltro ceſſit, & reſſignauit, quemadmodum eſt videre lib. 1. capitulorum Caroli, & Ludouici Imperatorum. In quo inter cætera ab ipſis conſtituta, etiam hæc legitur eorum ſanctio: Sacrorum canonum non ignari, vt in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus, vt ſcilicet Epiſcopi, per electionem cleri & populi, ſecundum ſtatuta canonum, de propria diœceſi, remota perſonarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, vt exēplo & verbo ſibi ſubiectis vſquequaque prodeſſe valeant. Hactenus verba ſanctionis, quam etiam Gratianus ſuæ compilationi inſeruit, 63. diſt. c. Sacrorum.

Sanctio Caroli, & Ludouici.

Quod vero ad ordinationem Sedis Apoſtolicæ, aut electionem Romani Pontificis attinet, idem Ludouicus, poſt mortem patris iam ſolus imperans, Paſchali Pontifici huius pacti ac ſanctionis tenore reſtituit:

Sanctio Ludouici.

Ego Ludouicus Imperator Romanus Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ, tibi B. Petro, Principi Apoſtolorum, & per te Vicario tuo D. Paſchali Summo Pontifici, & ſucceſſoribus eius in perpetuum, ſicut à prædeceſſoribus veſtris,

vſque

Digitized by Google

vſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis, Romanam ciuitatem, cum ducatu ſuo, & ſuburbanis, & villiculis omnibus, & territorijs eius, montanis, & maritimis, littoribus, & portubus, ſeu cunctis ciuitatibus oppidis, caſtellis, & villis in Tuſciæ partibus. Itemque quando diuina vocatione huius ſacratiſſimæ ſedis Pontifex de hoc ſæculo migrauerit, nullus ex regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus de qualibet parte homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus, licentiam habeat, contra Romanos, aut priuatim, aut publicè conueniendi, aut electionem faciendi. Nulluſque in ciuitatibus, aut territorijs, ad Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli poteſtatem pertinentibus, aliquod malum facere præſumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine qualibet perturbatione honorificam ſuo Pontifici exhibere ſepulturam. Et eum quem diuina inſpiratione, & B. Petri interceſſione omnes Romani vno concilio, atque vna concordia, ſine aliqua promiſſione ad Pontificatus ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate, aut contradictione more canonico conſecretur. Et cum conſecratus fuerit, legati ad nos vel ſucceſſores noſtros, Reges Frācorum dirigantur, qui inter nos, & illum amicitiam, charitatem, & pacem conſocient. Hactenus verba pacti, & ſanctionis præfatæ, quæ Gratianus ſuæ quoque compilationi inſeruit 63. diſt. c. Ego Ludouicus.

Cur in electione Adriani II. oratores Ludouici II. quāuis preſentes vocati non fuerint?

Itaque cum ſub huius ſucceſſore & filio, Ludouico II. Adrianus II. (vt ſcribit Gregorius VII.) ad Rom. Pontificatum ab Eccleſia Dei genitricis, & dominæ noſtræ (quæ dicitur præſepe) traheretur ad Lateranen. Patriarchium, & certatim à populo, & proceribus deportaretur, audientes hoc oratores Ludouici Imperatoris, indigne tulerunt, quod dum præſentes eſſent, ad hoc ipſum inuitati non fuerant, nec optatę à ſe futuri pręſulis electioni intereſſe meruerant. Qui accepta ratione, quia non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu hoc commiſſum fuerat, ne videlicet legatos Principum in electione Romanorum præſulum expectādi mos per huiuſmodi fomitem inoleſceret, omnem indignationem medullitus ſedauerunt, & ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt. Hęc Gregorij verba etiam Gratianus dictæ diſt. inſeruit c. Cum Adrianus.

Adriani decretum.

Cuius Adriani hoc extat decretum, vt nullus laicorum principum vel potentum ſemet electioni ingerat, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata, & incongrua fiat electio, confuſio vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quenquam poteſtatiuorum vel cæterorum laicorum habere conueniat. Et adijcit pœnam anathematis in prædictos, ſi quis eorum aduerſus communem, conſonantem, atque canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere tentauerit.

Decretum 8 vniuerſalis concilij.

Similiter in VIII. vniuerſali concilio, quod ſub Nicolao Pontifice ſub legatorum eius pręſentia Conſtantinopoli celębratum eſt poſt execratum Photinum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ex imperiali fauore occupatorem, & reſtitutum in eandem B. Ignatium, in hæc verba ſtatutum legitur.

Conſecrationes & promotiones Epiſcoporum, concordantes prioribus concilijs clericorum electione ac decreto, & ab Epiſcoporum collegio fieri hæc ſancta, & vniuerſalis Synodus definiuit, & ſtatuit, atque iure promulgauit: Neminem laicorum principum vel potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ, Metropolitani aut cuiuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata, & incongrua hinc fiat electio, contentio vel confuſio, præſertim cum in talibus nullam poteſtatem quenquam poteſtatiuorum vel laicorum cæterorum habere conueniat: ſed ſilere, & attendere ſibi, vſquequo à collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem Pontificis futuri electio. Si vero quiſquam laicorum ad contractandum vel cooperandum inuitatur ab Eccleſia, licet huiuſmodi laico cum reuerentia (ſi forte voluerit) obtemperare ſe adſciſcentibus. Hactenus verba concilij, quæ etiam eſt legere in Gratiani volumine, diſt. 64. c. 2.

Tu itaque vide, qui definitionum vniuerſalium conciliorum legitime congregatorum, non minorem, quàm canonicarum ſcripturarum authoritatem eſſe prædicas, vt ad quæ pertinet dubios hinc ortos ſenſus definitione ſua determinare, qua fronte audeas conqueri Imperatoribus, & Principibus factam iniuriam per Rom. Pontifices, quia ipſis poteſtatem conferendi Eccleſias, & dignitates eccleſiaſticas pro arbitrio diſpenſandi interdixerint.

Ioānis XII. & Leonis II. ſubordinati hiſtoria

At longo poſt hæc tempore, cum Ioanni XII. probris omnibus, & ſceleribus cooperto, & inquinato Pontifici, & iam ob conſcientiam ſcelerum (accito à Cardinalibus, & aduentante ad vrbem Otthone I. Imperatore) profugo in Campaniam, & in montibus inter feras deliteſcenti ac feralem vitam agenti, Romamque (quamuis communi, & principis, & Romanorum conſenſu, & publica legatione reuocato, etiam data eidem ſecuritate, vt in cathedra ſua libere poſſet reſidere) recuſanti redire, ac per id velut ſuam cathedram vltro deſerenti, communi voto Romanorum, & principis illi ſuper ordinatus eſſet Leo Apoſtolicæ Sedis ſcriniarius, eius nominis VIII. & de more ſolenniter conſecratus, Romani abeūte principe perſuaſi à quibuſdam (rectè an ſecus ſequenti libro inueſtigabimus) præter Ius & fas ſe egiſſe, quia vincti adhuc Ioanni, quantumuis ſcelerato, quantumuis ſuæ Sedis deſertori, & profugo ſuperinduxiſſent alium, conſilium inierunt quoquo modo reducendi Ioannis, Leonemque, quem illi ſuperinduxerant, ante omnia eiecerunt. Qui ad Imperatorem haud longe agentem ab vrbe confugiens hac re exarcebatum facilè induxit, instructa acie Romam contendere, & Romanos bello perſequi. In qua rerum perturbatione, cum ille Ioannes è viuis de repente ſublatus, admiſſet Romanis illum ſcrupulum, feciſſetq; liberum, vt vel de nouo conſentiendo in electionem Leonis, accommodare ſe poſſent voluntati principis, & vim certo ſibi imminentis belli auertere, omne tamen periculum ſubire decreuerunt potius, quàm perniciem exempli eiuſmodi tranſmittere ad poſteros. Itaque aduentanti hoſtiliter Imperatori, miſerunt quidem legatos obuiam, quibus pacem ſupplices precabantur, ſed Benedictum eius

Leo à Romanis eiectus. Orthonis Imperatoris armis reducitur.

Digitized by Google

nominis V. non illum Leonem ſuperinductum viuenti, ſibi poſtulabant concedi Potificem. At Imperatore Iam iurato in verba, & fidem Leonis, tanquam ſuo promoti ſuffragio, illi nullo metu deterriti inſtantis periculi, & potentiſſimi exercirus iamiam imminenris vrbis excidio, elegerunt nihilo minus Benedictum, & in Sede B. Petri Apoſtoli conſecratum de more collocarunt. Quod intelligens Imperator, hoſtiliter Romanam ditionem ingreſſus, vrbem dinturna, ac arctiſſima obſidione preſſit, adeo vt modium furſuris 30. aureis inibi venijſſe teſtetur Bibliothecarius Lateranen. ſcriptor eorum temporum. Qua victis neceſſitate, tandem patentibus portis admiſſus in vrbem Imperator, Benedictum inde ſecum abduxit in Germaniam. Qui non malto poſt, dolore animi (vr creditur) apud Hemburgum (quo relegatus fuerat) moritur. Leo vero, vi & armis imperialibus reſtitutus in Sedem Apoſtolicam, vt Imperatori gratiam rependeret authoritatem omnem eligendi Pōtificis, à cleto populoque in Imperatorem tranſtulit, ea forma, quæ ſupra inducta eſt ab aduerſario. Quam & Gratianus ſuo decretorum volumini inſeruir, 63. diſt. Ex hac conceſſione quali quali (merito enim dubitatur de Leone, num legitimus fuerit Pontifex, vt ſuperinductus viuenti, an vero ille Benedictus V. electus Sede vacante, per obitum Ioannis indubitati ante Pontificis) ſucceſſores Otthonis, metu oppreſſis, & conniuentibus ad hoc Romanis, ram Pontificibus, quam clero & populo eandem ſibi authoritatem, ram eligendi Rom. Pontificis, quam inueſtiturarum aliorum Epiſcopatuum, & Archiepiſcopatuum per Imperij Prouincias ſibi pręſumpſerunt, quouſque in exceſſus intolerandos prorumpentes, diuina, humana, ſacra, prophana quæ ſub illius prætextu confunderent omnia. In Apoſtolicam Sedem pro accepto beneficio facti rebelles & impij, cum impietati ſuæ reſiſtere ſentirent Romanos Pōtifices, nothos & adulteros ſuperinducere legitimis, & ineonſutilem Domini tunicam ſcindere frequenter conati ſunr. Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, abbatias, cæteraſque dignitates eccleſiaſticas, ſine vllo pudore, & verecundia publicè venales in palatio proſtituerent, qualia ſub Henrico IV. & pleriſque eius ſucceſſoribus plurima conrigiſſe certum eſt. Siquidem ille, cum id exigentibus varijs & intolerandis eius exceſſibus, & præſertim ob Epiſcopatuum, Eccleſiarum, & abbatiarum publicam, impudentemque venditionē, ecrleſiaſticæ communioni ſibi eſſet iuterdictum à Gregorio VII exarcebatus, non emendatus cenſuris eccleſiaſticis, randem apud Noricam Brixam conuocatis ſceleraris allquor (quos de ſua manu fecerat) Epiſcopis ſanctiſſimum Pontificem, congeſtis in illum infinitis & notorie ſalſis, execrandiſque criminibus, deponere conatus eſt, & Gunbertum quendam, omnium ſuorum ſcelerum miniſtrum, Rauennatem Archiepiſcopum, illi ſuperinducere. Quæ peſtis multo tempore vexauit Eccleſiam. Idem tentauit Henricus V. illius filius & impietatis eius hæres. Siquidem fugato ex vrbe Gelaſio II. viro ſanctiſſimo Mauritium quendam Bracharen. Archiepiſcopum, illi antipapam erigit. Sic & Federicus I. aduerſus Alexandrum III. canonice electum & conſecratum in Sede Apoſtolica, fouit Octauianum quendam antipapam, cui Victori nomen indidit, & velut legitimum Pontificem adorauir, magnumque in Eccleſia Dei. ſchiſma concitauit, omnibus alijs Alexandri legitimi Ponrificis obedientiam ſectantibus, pręter eos, quos Fredericus vna ſecum in ſchiſma pertraxerat. Et in Romanæ Eccleſiæ excidium vniuerſas vires conuerrit imperij. Quod ipſum fecerunt etiam ſucceſſorem eius aliqui. Et his permittenda erat Apoſtolicæ Sedis ordinatio, Eccleſiarum diſpoſitio, & dignitatum, Prælatutatum, & eccleſiaſticorum beneficiorum omnium?

Romani in locum Ioannis mortui Benedictum V. eligunt.

Merit dubitatio de Leone, an fueru legitimus Pontifex.

Has igitur, & iuſtiſſimas quidem ob cauſas, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſides, horum omnium authoritatem, velut iure diuino ad ſe pertineutem, ab Imperatoribus, & Principibus ſæcularibus, qui contra Eccleſiam abutebautur indulgentia Eccieſiæ, ad ſe reuocarunr. Itaque cum mortuo Nicolao Ponrifice, & in eius locum communibus omnium ſuffragijs ſuffecto Anshelmo, patria Mediolanenſi, ex Lucenſi Epiſcopo, ſub Alexandri II. nomine, Henrici illius IV. Imperatoris ſtudio Cadolus quidam Parmeuſis Epiſcopus in Longubardia eidem ſuſcitatus, & obtruſus eſſet Antipapa, atque idem vi, & armis Longobardicis Roma depellere legitimum Pontificem aggreſſus, Godtfridi Mechtildis illius Comitiſſæ mariti virtute repulſus, in Longobardiam coactus eſſet refugere, ab Henrico miſſus Romam, venit Ottho Colonienſis Archiepiſcopus. Qui admiſſus ad Alexandri Pontificis aſpectum, conſidentibus Cardiualibus, & è clero potioribus, in huiuſmodi orationem prorupiſſe legitur.

Otthonis Colonieñs Archiepiſcopi nomine Henrici cum Alexādro Pontifice expoſtulatio.

Reſponſio Hildebrandi nomine Pontificis, & ſacri collegij.

Quo factum eſt, inquit, modo frater Alexander, vt præter ſeruatos hactenus mores, præter legem olim Romanis Ponrificibus pręſcriptam, Ponrificatum Romanum à rege, & domino meo Heurico iniuſſus acceperis? Et incipientem à Carolo multos numerare Pontifices, qui imperiali authoritate vel electi, vel in electione confirmari fuiſſent, Hildebrandus Archidiaconus, poſt Gregorius VII. adnuente ſibi Pontifice, & Cardinalibus interrupit, & reſpondit in hunc modum: Nullum vnquam ius, nullum Imperium Ottho Archiepiſcope, Regibus aut Imperatoribus Romanis in Pontificis Romani electione fuit. Et ſi qnid Pontificum indulgentia pio aliquo reſpectu hac in re illis permiſſum extitit, iamdudum conuerſum in Eccleſiæ perniciem iure merito reuocatum, & patrum cenſura poſtea correctum eſt. Incipienſque à ſuperioribus, tamdiu immoratus eſt, quoaduſque victus Ottho, ſibi ſatisſactum eſſe publicè confiteretur & reſponderet. Qui quidem Hildebrandus mortuo Alexandro omnium conſenſu ſuffectus Gregorij Septimi nomine, Romæ conuocata Synodo, Henricum illum ob intolerandos exceſsus, & præſertim ſimoniacam prauitatem, quà Eccleſias, abbatias, dignitates, in palario ſuo velut publicè venales plus offerentibus proſtituerat, nec de hoc Chriſtiano more per Pontificem correptus, ſe emendauerat, execratus eſt, velut ſimoniacum, periurum & Eccleſiæ ſubuerſorem. Similiter ſub anathemate prohibuit eccleſiaſticis

Digitized by Google

cis omnibus, de mann cuiuſcunque laicæ perſonæ epiſcopatuum, vel quarumcunque eccleſiaſticarum dignitatum inueſtituram reciperc. Et tam dantes laicos, cuiuſcunque demum dignitatis, etiamſi imperialis exiſterent, quam recipientes clericos anathemati eccleſiaſtico ſubiecit. Cuius decreta etiam leguutur in Gratiani volumine decimaſexta: quæſtione ſeptima, c. Si quis deinceps, & ſequenti.

Henricus V. poſt reſignatum prætenſum ius inueſtituraũ, idem perfidia ſacrilega rurſus extorſit.

At cum Henricus V. execrandi illius filius (à quo & exutus imperio in anathemate eccleſiaſtico miſerabiliter deceſſerat) iamdudum viuo patri ſuper electus à regni proceribus, tandem ſub Paſchali II. Romam contendens, vt ab eo imperialem benedictionem meretetur accipere, vtque ſuper Eccleſiarum inueſtitura exortum nuper inter imperium, & Sacerdotium ingens diſſidium, quoquo pacto cum Romano Pontifice componeret, in Tuſciam vſque cum ingenti & valido exercitu progreſſus, duodecim orarores, regni proceres (in quibus duo regis nepotes fuerant) miſit ad Pontificem cauſa concordandi inter ipſos omnis diſſidij. Qui Regis nomine enixe contendentes ſibi ſeruari conſuetudioem, qua apoſtolico priuilegio à Carolo Magno deſcendente, & ſucceſſoribus eius à Pontificibus Romanis per annos plurimos confirmata & obſeruata, per inueſtituram annuli & paſtoralis baculi, epiſcopatus & abbatias, quibus valebant, licite dare conſueuerant. Et contra prætendente Paſchali, iuſtiori cauſa hoc reuocatum fuiſſe, quàm ab initio conceſſum fuerat: & ob innumera inde cõſequuta mala & ſcãdala, à prędeceſſoribus ſuis & epiſcoporum concilio, ne deinceps fieret, merito interdictum ſnb pœna anathematis. Tandem (vt ſcribit hic noſter Marſilius, aduerſus quem agimus, atque etiam affirmant ſcriptores plerique alij) conſenſerunt in Pontificis ſententiam, & intercurrentibus & literis & nuncijs, ſolennique iureiurando interpoſito renunciauit Henricus inueſtituræ eiuſmodi. Qui deinde cum exercitu pacifice Romam veniens, à Pontifice, clero & populo cum omni honore exceptus, & pro voto, imperiali benedictione, & diademate ſublimatus, fidei iam ſacramentorumque immemor, contra eadem inueſtituræ ius armatis precibus repetijt, & cum ſibi recuſaretur, immiſſis in clerum & populum militibus, & vniuerſa fœda confuſione, tumultuque miſcentidus, cædibus, rapinis, incendijs, adulterijs, ſtupris, prout ferebatur emiſſa militaris licentia, captum cum Cardinalibus quibuſdam, & Romanorum proceribus Pontificem abduxit ab vrbe, atque ab eodem extorſit huius tenoris priuilegium:

Henrici V. ſacrilega perfidia.

Tènor extorti à Paſchali per Henricum priuilegij.

Paſchalis Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Henrico glorioſo Teuthonicorum Regi, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum Imperatori Auguſto, ſalutem & apoſtolicam benedictionem: Regnum veſtrum S. Romanæ Eccleſiæ ſingulariter cohærere diſpoſitio diuina conſtituit. Prædeceſſores ſiquidem veſtri, probitatis & prouidentiæ amplioris gratia Romanæ vrbis coronam, & imperium conſecuti ſunt. Ad cuius videlicet coronæ & imperij dignitatem, tuam quoque perſonam, fili chariſſime Henrici, per noſtri Sacerdotij miniſterium, maieſtas diuina prouexit, illam ergo prærogatiuam, qnam prædeceſſores noſtri, veſtris prædeceſſoribus, catholicis Imperatoribos conceſſere, & priuilegiorum paginis confirmauere, nos quoque dilectioni tuæ concedimus, & præſentis priuilegij pagina cònfirmamus: vt videlicet regni tui Epiſcopis, & Abbatibus libere, præter violentiam & ſimoniam electis, inueſtituram virga & annulo conferas, & poſt inueſtituram, canonice conſecrationem accipiant ab Epiſcopo ad quem pertinuerint. Si quis à clero vel à populo præter conſenſum tuum electus fuerit, niſi à te inueſtiatur, à nemine conſecretut, exceptis illis, quod vel in Archiepiſcoporum vel Romani Pontificis ſolent inueſtitura conſiſtere. Sanc Archiepiſcopi vel Epiſcopi libertatem habeant, à te inueſtitos Abbates, & Epiſcopos canonice conſecrare. Prædeceſſores enim veſtri Eccleſias regni ſui tantis regalium ſuorum beneficijs ampliauere, vt regnũ ipſum Epiſcoporum maxime & Abbatum præſidijs oporteat communiri, & populares ſeditiones (quæ in electionibus ſæpe contingunt) regali oporteat maieſtate compeſci. Si quis vero ad periculum animæ ſuæ, inflatò ſpiritu, contra huiuſmodi authoritatis noſtræ decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe vinculo Apoſtolicæ maledictionis & anathematis in hoc ſęculo & futuro, niſi reſipiſcat, eſſe alligatum. Hactenus verba priuilegij. Quod vi extortum, capto abductoque Roma Pontifice cum multis ex Romanorum præcipuis, ſatis inter omnes conuenit. Modum tamen & ſeriem rei geſtæ alij narrant aliter atque aliter, quiſque ſuo aliquid affectui tribuens. Germanis fere conantibus eleuare hoc crimen in ſuo Imperatore auſus ſacrilegi & perfidiæ. Itali etiam, vt variè partium ſtudioſi erant, ſuo quiſque modo & vario adijcientes nonnulli, vt poſt extortum hoc priuilegium, Pontificem & Romanos quos adduxerat magnificentiſſimis muneribus placare conatus ſit, & honorificentiſſime Romam remiſerit. Tamen dicto quo narrauimus modo extortum, teſtantur ea quæ continuo deinceps ſubſecuta ſunt. Et in primis acta duorum conciliorum celebratorum in Laterano. Siquidem Pontifex in vrbem reuerſus, à Romanis multas iniurias perpeſſus, quod Henricum Regem, imo tyrannum (vt dicebant) & Eccleſiarum euerſorem, contra Eccleſiæ inſtituta Imperiali benedictione ſublimaſſet, inſuper & priuilegio ſacrilegum condonaſſet, coactus eſt in concilio Laterani habito, 12. Calendas Aprilis anni ſubſequẽtis, quo hæc acciderant, hoc eſt, 1112. coram omnibus profiteri, ſanctorum Patrum Romanorum Pontificum decreta, & præcipuè Gregorij VII. & beatæ memoriæ Vrbani, ſe amplecti, laudare, quæ ipſi laudauerunt: tenere, quæ ipſi tenuerunt: confirmare, quæ ipſi confirmarunt: damnare, quæ ipſi damnarunt: interdicere, quæ ipſi interdixeront, atque in omnibus & per omnia in his ſe perſeueraturum. Qua profeſſione per ipſum facta Gerardus Egeliſmenſis Epiſcopus, Aquitaulæ legatus (nam totius Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & aliarum prouinciarum ad concilium conuocati conuenerant Epiſcopi) iuſſu Pontificis & totius concilij ſurgens, ex ſcripto hanc ſententiam protulit:

Reuocatio extorti ab Henrico priuilegij Lateranenſis concilij.

Priuilegium illud, quod pro liberatione

captiuorum à D. Paſchali Papa per violentiam Regis Henrici extortum eſt, nos omnes canonica cenſura,& authoritate eccleſiaſtica, iudicio ſancti Spiritus damnamus,& irritum iudicamus. Et hoc ideo, quia in eo priuilegio continetur, vt electus canonice, à nemine conſecretur,niſi prius àRege iuueſtiatur:quod eſt contra Spiritum ſanctum, & ſanctionem Canonicam. Qua ex communi decreto perlecta ſententia acclamatum eſt ab omnibus, amen: & deinde eidem poſt Romanum Pontificem ſubſcripſerunt, in primis Patriarcha Venetus Ioannes, & alij circiter centum Epiſcopi. Inſuper in Henricum Imperatorem, ob notorie commiſſum crimen ſacrilegij in Pontificem, prolata eſt excommunicationis ſententia, quæ poſt miſſis Apoſtolicæ Sedis legatis Coloniæ, & in diuerſis Regni locis, in publicis optimatum regni conuentibus aduerſus eundem publicata eſt cum inſinuatione ſolenni reuocationis inueſtitutarum priuilegij. Qua quidem Apoſtolica cenſura innodatus Imperator, cum omnes regni proceres, apud quos Dei quam Regis timor plus valuit, & Chriſti religio, quam fauor Principis, à ſe ſuaque communione alienatos videret, velut declinans Principum ſcandala, in Italiam ſe contulit. Et ibi circa Padum ſe continens, regnique inſiſtens negotijs, legatos Romam miſit componendi diſſidij cauſa, quod ſibi interceſſarat cum Pontifice & impetrandæ abſolutionis à cenſuris,quibus innodatus fuerat, Eccleſiaſticis: Cuius legationis Princeps erat Abbas Cluniacenſis, Paſchali Pontifici conſanguineus. Quorum cauſa rurſus conuocato à Pontifice vndequaque generali Epiſcoporum concilio, quod pridie Nonas Martij in Eccleſia ſancti Saluatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, apud Lateranum celebrari cœptum eſt. In quo in alia quædam abſumptis tribus diebus primis, ſeſſione quarta, in præſentia legatorum Imperatoris exurgens in Concilio Paſchalis Pontifex cauſam tantæ conuocationis his verbis expoſuit: Poſtquam inquit, Dominus de ſeruo ſuo fecit, quod voluit, & me populumque Romanum in manibus Regis conſtituit, videbam quotidie paſſim fieri rapinas, incendia, cædes, adulteria, hæc & huiuſmodi mala cupiebam auertere ab Eccleſia & populo Dei. Et quod feci, pro liberatione populi Dei feci: feci autem vt homo, quia puluis ſum & cinis, fateor me male egiſſe: ſed rogo vos omnes, orate pro me Deum vt indulgeat mihi Illud autem malum ſcriptum, quod in teritorijs feci, quod priuilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate, vt nullius vnquam bonæ memoriæ ſit: & rogo vos omnes, vt idem faciatis.

Excommunicat Henricus ob crimen ſacrilegij, & denunciatur per Germaniam.

Indicit ſecundo ſynodus vniuerſalis apud Lateranum.

Ad hanc Pontificis propoſitionem & ſententiam, cum ſuborta hinc eſſet in Patres controuerſia, quod Bruno quidam Signinus Epiſcopus diceret, priuilegium illud etiam hæreticam in ſe prauitatem continere, aduerſus quem indignati alij, & præcipue Ioannes Caietanus Cardinalis, vir ſummæ authoritatis, & quod Paſchali in Pontificatu ſub nomine Gelaſij II. ſucceſſit, quod Pontificem Romanum ſub obliquum notaſſet hæreſeos, dicens forte minus recte illum egiſſe concedendo illud priuilegium,non tamen fuiſſe hæreticum. Alijs quibuſdam, nec peccaſſe in hoc Pontificem affirmantibus, quod coactus illud feciſſet pro liberatione Populi Dei,Pontifex manu iudicio altercantibus ſilentio, his verbis illis interceſſit: Fratres, inquit, Eccleſia iſta nunquid habuit hæreſim, imo per hanc omnes contritæ ſunt hæreſes. Pro hac Eccleſia Filius Dei orauit,cum dixit:Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & multa ad idem ſubiunxit, quæ ſuperiori libro à nobis diligentius explicata ſunt.

Pontificis interlocutio

Sexta deinde ſeſſione, cum introducta eſſet de temporalitate eccleſiæ quæſtio, quibuſdam,qui Imperatoris cauſam ſuſtinebant, in eam vt nimiam, & Imperatoribus, Regibus & Principibus, aut præiudicialem aut potius inuidioſam inuehentibus,dicta à Pontifice ſententia ab vniuerſo Concilio comprobata eſt. Dixit autem in hæc verba:

Introducta quæſtio de temporalitate Eccleſiæ.

Eccleſia primitiua Martyrum ſanguine floruit, Deinde, cum accepiſſet orbis terrarum Chriſtianam pietatem ſub Romanis Principibus, qui matrem ſuam Eccleſiam ſicut boni filij honeſtauerunt, eidem conferentes prædia, ſæculares honores & dignitates, regalia quoque inſignia:quemadmodum Conſtantinus, cæterique Principes fideles: cœpit Eccleſia florere, tam apud Deum,quàm apud homines. Habeat ergo mater Eccleſia ſibi à Regibus & Principibus collata, diſpenſet & diſtribuat ea filijs ſuis,ſicut hactenus fecit, & ſicut vult.

Pontificis ſententia.

Poſt hæc D. Dnno Cardinalis Præneſtinus, qui tempore ſacrilegæ illius extortionis factæ per Henricum Apoſtolicæ Sedis legatum apud Hieroſolymam egerat, atque inde reuerſus, & in Germaniam miſſus, anathema, ſuperiori concilio promulgatum in eundem Henricum, cum reuocatione extorti ab eodem priuilegij ibidem publicauerat, expoſuit concilio, vt in Sedis Apoſtolicæ legatione agens Hieroſolymis audierit Regem Henricum, poſt Sacramenta, obſides & oſcula, in ipſa B. Petri Eccleſia Dominum Papam tenuiſse captum & indigne tractatum,potiora eccleſiæ membra, Cardinales videlicet, exutos & tractos, nobiles quoque Romanos occiſos, captos & magnam populi ſtragem factam: vtque hæc audiens & ingemiſcens, zelo Dei accenſus, excommunicationis ſententiam cum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ concilio in ſacrilegum Regem dictauerit, & eandem in tranſmarinis illis partibus publicauerit, in Græcia quoque, Hungaria, Saxonia, Lothoringia, Francia Eccleſiarum concilio renouando confirmauerit. Orare ſe demum, vt ſicut Papa ſuam legationem confirmaſset, ita totius concilij authoritate & conſenſu confirmetur. Id quod vnanimi totius concilij conſenſu factum eſt: præſertim cum vna cum legato etiam Viennenſes hoc literis & nuntijs ſpecialiter poſtularent.

Deinde, cum Henricus Eccleſiæ ad eius arbitrium reconciliari recuſaret, nec in flectendo aliter Pontifice, poſtquam tentaſset omnia, vllam ſpem cerneret, & paulo poſt mortuo Paſchali Gelaſium II. eius ſucceſſorem, virum ſanctiſſimum, in eadem perſiſtentem ſententia bello perſequeretur, Romaque effugatum, etiam Sede Apoſtolica priuare conatus, Mauritium quendam Bracharenſem (vt ſupra diximus) Archiepiſcopum illi

Henricus Gelaſium bello proſequitur & Roma fugato Antipapâ erigit.

ere-

Sub Caliſto II. vt pax reddita Eccleſiæ Pacis conditionis æquiſſima.

erexiſset in Antipapam, & beati Petri Cathedram eo commaculaſset: tandem & hoc Gelaſio in Gallijs, quo declinauerat furorem, perſecutionemque Henriei fugiens, Cluniaci continuo poſt vita defuncto, ſub Caliſto ſecundo eius ſucceſsore, totius Regni Epiſcoporum & procerum nuncijs compulſus Imperator, in Vnirceburg generali indicto conuentu, præſentibus Apoſtolicæ Sedis legatis pax vniuerſalis concluſa eſt ſnb his fere legibus & conditionibus, vt regalia vel fiſcalia Regno, eccleſiaſtica Eccleſijs, prædia deprædatis reſtituerentur, omnique perſonæ redderetur iuſtitia. Er quiequid ſcandali aur perturbatinnis per Regnum Germaniæ ſuccreuerat, omnibus modis eradicari decretum eſt. De verbo autem excommunicationis, vnde ſcandala pullulauerant, ad Pontificem relatum eſt, deſignatis vna legatis Epiſcopo Spirenſi & Abbare Fuldenſi, qui totius regni nomine omnia referrent ad Sedem Apoſtolicam. Quibus iter accelerantibus, cum Romæ andiri eſsent à Poutifice, mox vna cum Lamberto Oſtienſi Epiſcopo, qui pleniſſima poteſtare fungebatur Sedis Apoſtolicæ, & duobus ſibi adiunctis alijs, Georgio ſancti Angeli, & Saxone ſancti Stephani in Celio monte Cardinalibus, remiſſi ſunt, vr feliciter cœpta ad opratum finem perducerent. Ad quorum nunciatum aduentum rurſus facto generali conuentu apud Vangionum vrbem, quam nunc Vuormatiam dicimus, incredibile memoratu eſt, quàm inſtanter, quàm ſollicite omninm procerum ſtudijs & cnncilijs pro concordia certatum ſit, donec ipſe, in cuius manibus cor Regis eſt, omnem animoſitatem Impetatoris, ſub Apoſtolicæ Sedis, & ſanctæ matris Eccleſiæ obedienriam, etiam vltra ſpem plurimorum inflecteret. In manibus legatorum facta inueſtiturarum (quę totius diſſidij eauſa fuerant) reſignatinue ſub hoc verborum tenore, Imperiali diplomate, omniumque Regni procerum conlenſu confirmato:

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & D. Papæ Caliſti, & pro remedio animæ meæ, dimirto Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ, omnem inueſtituram per annulum & baculum. Et concedo in omnibus Eccleſijs fieri electionem, & liberam conſecrationem, poſſeſſiones & regalia B. Petri, quæ à principio huius diſcordiæ, vſque in hodiernum diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo ablata ſunt, quæ babeo, eidem Romanæ Eccleſiæ reſtiruo, quæ autem nnn habeo, vt reddantur, fideliter iunabo. Et do veram pacem Caliſto, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui ex parte ipſius ſunt vel fuerunt. Er in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilinm meum poſtulauerit, fideliter iuuabo.

Recōcilia-tur imperator Eccleſię cum ſuis.

Facta hac reſignatione & ſponſione in manibus Apoſtolicæ Sedis legatorum, ſub præſentia omnium totius Regni procerum, Imperatoreque cum omnibus, qui ſecum communicauerant & participauerant (generaliter impenſa omnibus abſolutione à vineulo anathematis) reconciliatis Catholicæ Eccleſiæ, & in communionem receptis, cum continuo huius reſignationis & ſponſionis tenor cū certitudine geſtorū omniū relatus eſſet ad Pontificē, ille reſignationem hāc in manibus ſuorū legatorum factā ex ſacri ſenatus concilio approbans, & hac gratuitæ conceſſionis beneuolentia eandem remunerans, huiuſmodi tenoris remiſit ad Henricum Imperatorem literas:

Priuilegiū perſonale, quod Hērico conceſſit Caliſtus.

Ego Caliſtus ſeruus ſeruorum Dei, Apoſtolicæ Sedis & Catholicę Eccleſię Epiſcopus, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electionem Epiſcoporum & Abbatum Teuthonici regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia rua fieri poſſe, abſque ramen ſimonia aut aliqua violenria: aut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, metropolitani & comprouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia à te per ſceptrum accipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum, auxilium præſtabo. Doque tibi veram pacem, & omnibus qui ex parte rua ſunt vel fuerunr tempore huius diſcordiæ. Datum Anno Domini 1122. 9. Calend. Octobris.

Finis concertationis ſuper iure inueſtiturarum,

Hæc autem ſcripta & reſcripta in loco campeſtri prope Rhenum, propter infinitæ multitudinis conuentum, quem nulla fora, nulla theatra in vrbibus potuiſſent capere, publice coram omnibus lecta; atque inuicem data atque accepra reſtantur Hiſtoriæ. Atque omnibus ex ſententia vtrinque compoſitis Imperatorem regijs muneribus donatos legatos Apoſtolicos remiſiſſe ad Pontificem. Et hunc tandem felicem exitum ſortita eſt dira hæc multorum annorum tragœdia, quam magno labore erutam ex diuerſis eorum temporum, tam Germanis, quàm Italis ſcriptoribus, non piguit aliquanto prolixius adſcribere. Ex ea enim & veriſſime & clariſſime intelliges vniuerſę huius cauſæ & querimonię, quæ de inueſtituris eſt, merita. Et quā immerito querantur iſti, qui zelare videntur authoritatem ſæcularium Principum, ipſis hac in re factam iniuriam, aut quicquam quod iuris eorum eſſet, dettactum eiſdem, & ſibi vſurpatum per Romanos & alios Epiſcopos: quemadmodum peſtilentiſſimi quidam conſiliarij perſuadere conantur harum rerum ignaris Principibus & plus ſatis credulis, vt eorum quæ per ſe adblandiri, & ad augendam authoritatem, dignitatemque eorum pertinere videntur. Quorum ſuggeſtionibus & nocentiſſimis conſilijs omnes tempeſtates, quæ etiam poſt hæc explicabuntur, per Imperatores quoſdam, Fredericum primum, Henricum ſeptimum, Othonem quartum, & Ludouicum Bauarum, alioqui non peſsimos Principes, niſi ab iſtiuſmodi delatoribus & adulatoribus abrepti fuiſſent, aduerſus Eccleſiam excitatæ ſunt, acceptas referimus, quibus notam grauiſsimam ſuæ gloriæ inuſſerunt. Fuit enim etiam hic Marſilius vnus ex intima Ludouici illius familia, cui etiam ter execrandum blaſphemiarum ſuam opus dedicauit, habens hac in re ſocium, quendam pſeudotheologum Ockam minoritam, quem etiam aduerſus Apoſtolicę Sedis dignitatem venalibus ſcriptis militantem, in ſua familia idem nutriebat Bauarus.

Sed

Digitized by Google

Epilogus.

Sed tu lector Chriſtiane, ipſe his lectis perpende hanc cauſam & iudica. Nihil enim dubito quam ſis laturus ſententiam. Carolus Magnus, vt Imperium, ita & authoritatem eligendi Romanum Pontificem, & inueſtiendi Epiſcopos & Abbates accepit conceſsione & priuilegio Sedis Apoſtolicæ, pro ſingularibus maximiſque beneficijs, quibus eandem & vniuerſam Eccleſiam proſequutus fuerat, & proſequebatur continuo. Sed idem ſentiens & re ipſa experiens non ſolum hoc indecorum & indecens, ſed etiam prophanari per hoc ſacra omnia, aperirique palatinis oſtium ad omnem ambitionem improbam, ad innadendum omnẽ Eccleſias, dignitateſq; Eccleſiaſticas, vna cũ Ludouico filio, conſorte Imperij, abdicarũt & reſignarunt eiuſmodi inueſtiturarum priuilegiũ. Æque idẽ Lodouicus poſt Patris obitum Romanis reſtituit libertatem antiquo more eligendi ſuum Pontificem. Poſt quem, quamuis iterum videatur conceſſum illud ipſũ Othoni primo, audiſti nihilo minus, quo modo, & à quo, nempe Leone illo, de cuius Pontificatu merito dubites, idque in odium Romanorum, qui ipſum recognoſcere nolebant pro legitimo Pontifice. Vt tamen daretur legitime conceſſum à legitimo & indubitato Pontifice, audiſti æque, quibus ex cauſis iuſtiſsime reuocari debuerit, & reuocatum ſit poſtea ab Eccleſiaſticæ hierarchiæ, à quibus ipſum acceperant, Principibus, idque approbantibus concilijs vniuerſalibus. Et nouiſsime, etiam remiſſum & deſignatum ab Imperatoribus totius conſenſu Imperij. Et hæc quidem de inueſtiturarum querimonia ſatis ſuperque fuerint.

CAP. XIV.

Vt dependeat ſæcularis in Eccleſia iuriſdictio ab Eccleſiaſtica: & præſertim, quod nunc eſt Imperium, vniuerſaque Imperialis authoritas, ab authoritate Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis, particulatius explicare.

Conqueritur ille (vt audiſti lector) Romanos Pontifices vſurpatione callida obtinuiſſe authoritatem ſuper Romanum Imperatorem & Imperium: idque per nimiam & ſuperſtitioſam religionem quorundam Romanorum Principum poſt Conſtantini tempora, per quos primum (vt imaginatur) introducta conſuetudine, electionem ſuam ſignificandi Romanis Pontificibus, & Imperialem coronam de manu eorundem ſuſcipiẽdi, ſubſequentium ſimplicitate ita confirmata, vt hoc iam videretur legitimũ & non voluntarium, Romanos Pontifices ad omnem occaſionem attentos vult ad ſe attraxiſſe velut ius confirmationis electi in Romanum Principem, atque hoc veluti medio & prætextu extorſiſſe primum ab illis ignauis & ſimplicibus iuramenta quædã fidelitatis & ſubiectionis, inſuper & confirmationis quarundam ditionum & ciuitatum illicite ab ipſis occupatarum de Imperio, vt ciuitatis Romandiolæ, Bononiam, Ferrariam, atque adeo ſibi ſubieciſſe Imperium. Quæ equidem iuramenta & pacta, nec licite vult ab eis præſtari, nec præſtita obſeruari poſſe, vtpote iuramẽto priori licito, de conſeruandis iuribus Imperij, contraria: quin potius, & iurando, & obſeruando præſtita, ipſos incurrere crimen periurij. Laudans proinde Ludouici Bauari exemplum, qui contempta authoritate confirmationis apoſtolicæ, ſolius ſuæ electionis vigore, iura ſibi vendicauit Imperij, & multis maledictis in Ioannem XXII. inuehens, qui ob hoc ipſum innodauerat Ludouicum vinculo anathematis, & deinde creſcente contumacia priuarat Imperio, abſolutis à iuramento fidelitatis, quo illi adſtricti fuerant, omnibus Imperij fidelibus & ſubditis. Quod ipſum vult eſſe hæreticum, & Chriſti Apoſtolorumque doctrinę contrarium. Quanquam conſtet hoc factum, non ab illo Ioanne XXII. ſed à Clemente VI. qui poſt Benedictum XII. demum Ioanni ſucceſſit. Concludens vſurpatæ huic à Pontificibus authoritati aut poteſtati nimiæ acceptam referendam, quæ nunc inter Chriſtianos viget, ciuilem diſcordiam: vt quæ ciuilis authoritatis vigorẽ, qua ciuilis continetur concordia, aut ſoluit, aut ſibi ſubijciendo minuit.

Sed vt ipſiſſimam huius rei veritatẽ ſimpliciter, ſine fuco & clare intelligas, velim Chriſtiane lector, hoc perpetuo cogites, nobis eſſe diſputationem de Catholica Chriſti Eccleſia, atque eius membris vniuerſis & partibus. Quæ ab initio puſilla quidem erat & modica, at nunc lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus, vehementer & in montem magnum excreuit, adhuc impleturus vniuerſam terram, quando omnes introducti erunt in ouile Chriſti. Cuius nunc ouilis & Eccleſiæ, Diuina gratia ac miſericordia etiam Principes, Reges & Imperatores, Regna quoque & Imperia membra ſunt.

Deinde & hoc memineris, ex his quæ ſuperius à nobis demonſtrata ſunt, vnam neceſſario eſſe Catholicam Eccleſiam, quemadmodum & in ſymbolo Nicenæ fidei per Catholicam omnes profitemur Eccleſiam, & velut vnum quoddam Corpus, cuius membra ſunt Chriſtifideles vniuerſi, ſecundum diuerſas functiones & officia. Nam corpus, inquit ille, non eſt vnum membrum, ſed multa ſi enim eſſent omnia vnum membrũ, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, ſed multa magis quæ videntur infirmiora membra corporis, neceſſaria ſunt.

De Catholica Chriſti Eccleſia, atque eius mẽbris nobis tamen eſſe ſermonem.

1. Cor. 12.

In vno itaque corpore vt eſt neceſſaria membrorum omnium quędam communio, per quam ſubordinata ſunt ſibi, ac mutuo ſubſeruiunt, in totius vtilitatem & ſalutem conſentiens: ita hoc ſolum vinculum eſt, quo multa colligantur in vnitatem vnius corporis.

Quin & hoc tecum cogites, quod ſupra etiam à nobis luculentiſſime demonſtratum eſt, æque monſtrante natura ac recta ratione, multorum communionem conſpirantem in vnum, nec imaginari poſſe, ne dicam ſubſiſtere, niſi regantur, moderenturque principantis alicuius Imperio: ſine quo, vt nullum membrorum, vtpote rationalium & quorum ſingulum ſui eſt arbitrij, diu faciet quod ſui eſt officij:

Digitized by Google

ficij: ita quodque ſi duce proprio arbitrio feratur in ea, quæ vel ſibi, vel toti videbuntur commoda, ferentur neceſſario in contraria, & diſſoluetur neceſſaria vnitas corporis, membrorumque illa conſpirans in totius ſalutem & vtilitatem communio: velut ſi cuique membro humani corporis propriam rationem, voluntatemq; ſecundum quam per ſe poſsit moueri, imaginatione dederis, aut plura prima motiua principia in vno animante feceris, quorum vno hac, alio mouente in contrarium, velut momento diſſolueretur totius vnitas. Ex quo euidenter conſequitur, etiam in Catholica Chriſti Eccleſia neceſſario eſſe aliquod ἡγεμονικὸν (vt dicam Ariſtotelice) aut principans, cuius Imperio regantur, moderenturque vniuerſa membra Eccleſiaſtici corporis, quo eius conſeruetur vnitas. Ne ſine vnius imperio & habenis, quodque motum pro ſuo arbitrio, ſeſe mutuo impediant, totius ſalutem negligant, totius vnitatem diſſoluant.

Inſuper & hoc adſit in memoria, Catholicam (de qua nunc loquimur) Eccleſiam eſſe illud regnum Chriſti, de quo loquitur Apoſtolus, dicens: Deinde finis cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius, nouiſsime autem inimica deſtruetur mors. Vides enim loqui Apoſtolum de hoc Regno Chriſti ſuper terram, non de illo cœleſti. Siquidem hoc, de quo ipſe loquitur, Regnum precedit conſummationem, ſeu finem, & mortis deſtructionem: illud vero cœleſte ſubſequitur hæc omnia. Et quamuis nondum videamus omnia illi ſubiecta, vt idem dicit Apoſtolus: hoc tamen haud dubie expectamus fore ſecundum eiuſdem ſententiam, cum plenitudo gentium in hoc ouile Chriſti introducta fuerit, & vniuerſus etiam Iſrael illuminatus lumine fidei, qui adhuc ſub cęcitate laborat. Itaque eandem Catholicam Eccleſiam Chriſtus toties, vt ſupra indicauimus, Regnum cœlorum appellat, quod nunc nuptijs regalibus, quibus tamen quidam ſine veſte nuptiali interſunt, paulo poſt in tenebras exteriores mittendi, nunc decem virginibus, inter quas quinque fatuæ, nunc ſagenæ miſsæ in mare, omnis generis piſces, malos cum bonis vna comprehendenti, comparat.

Regnum Chriſti, vt eſt fidelium vniuerſitas: ita regnum eſt, non Babylon.

Hæc itaque Catholica Eccleſia, eſt illud Regnum Chriſti, quod precioſo ſanguine ſuo ſibi conquiſiuit. In quo regnabit ſuper terram, donec euacuauerit, ſibique ſubiecerit omnem principatum, poteſtatem & virtutem. Non quidem vi aut potentia, imo ſponte & vltro ſe dedentibus omnibus, & iugo ſuo, ſuoque regno ſubijcientibus. Non enim niſi ſpontaneos in regnum ſuum acceptat Chriſtus. Hoc autem regnum vt indubia omnium orthodoxorum ſententia eſt Chriſtifidelium vniuerſitas: ita memineris, regnum eſſe non Babylonem, non confuſam multitudinem, ſed quæ à Propheta ſub nomine Hieruſalem deſcribitur: Quæ condita eſt, inquit, velut ciuitas quædam nobiliſſima. Cuius ciues in vnum coeunt, in quam aſcendunt tribus, tribus Domini, ad confitendum laudem nomini Domini. In qua etiam conſiſtit iudicij ſolium.

Quanquam autem in hoc regno ſuo dominari debeat vnus Chriſtus, vnus Legiſer, vnus Rex & Imperator noſter, ipſe tamen abiens in regionem longinquam, quo eius conſeruaretur neceſſaria illa communicatio membrorum omnium, illa connexio, vnitas & conſpiratio ad totius ſalutem & vtilitatem, ob quam membrorum quodque ſuum proprium commodum, propriam ſalutem debet negligere, Petrum vice ſua illi præfecit, ipſi commiſit totius curam & regimen.

Quare ſecundum ea, quæ præmiſſa ſunt, oportere quilibet intelligit, vt membra vniuerſa Eccleſiaſtici corporis, illius habenis & Imperijs moderentur ac regulentur: ne quolibet lato pro ſuo impetu & arbitrio, neceſſario ſubſequatur & pugna inter ſe membrorum, & ſchiſma, atque vnitatis diuiſio. Nec elegit Chriſtus nobiles ſecundum carnem, non Reges, non Imperatores, quibus ſui ouilis, ſuique regni curam committeret & regimen: ſed infirma huius mundi elegit, vt confundat fortia, ſed Petrum piſcatorem elegit, & poſt eum plurimos ex infima plebe, ſub quorum gubernatione, regimine & Imperio humilient ſe neceſſe eſt, quicunque in Chriſti ouile & regnum adſcribi voluerint. Hæc enim lex huius regni eſt. Proinde obliuiſcantur interim proprij regni & Imperij oportet Reges & Imperatores quicunque in hoc ouile Chriſti, aut regnum eius ingredi admittique voluerint, aut admiſſi intus manere, ſub illo ſe humilient neceſſe eſt, quamuis piſcatore, quamuis ex infima plebe aſſumpto, cui Chriſtus illius ſui ouilis gubernationem regimenque committere dignatus eſt.

Chriſtus nō Reges, ſed piſcatorem Petrum elegit, cui regni ſui curā committeret.

Fuit quidem hoc regnum, vt diximus, ab initio puſillum, & humile, inſtar grani illius ſinapis, cui Chriſtus ipſum comparat: quod acceptum miſit homo in ortum ſuum, & creuit, factumque eſt in arborem magnam, ita vt volucres cęli venientes in ramis eius requieſcerent. Quod tunc cępit impleri, cum Conſtantinus Imperator, & poſt eum reges, & principes alij, ſuos faſces, ſua ſceptra, ſuaque colla regno Chriſti ſubmittentes, ſub ramis eius veram pacem quietemque inuenerunt. Quos omnes in hoc regnum adſcriptos, non amplius inſtar principum, & regum gentium, ſubditorum ſuorum, ſibi dominari, ſed Chriſto, oportet ſub illo, cui idem ipſe totius ſui ouilis gubernationem commiſit, & regimen, etiam Principum, Regum, & Imperatorum. Cui, quo eius eſſet liberior in omnes authoritas, quo minus impedita (vt fit) vna ſecum reſidentium ſæcularium principum poteſtate, & ſæpe tyrannide: ita ordinatum videmus diuina prouidentia, ſine qua, nec folium ſuper terram cadit, vt vrbem Romam eatenus terreni imperij caput, & domicilium, Conſtantinus Imperator Petri ſucceſſoribus cederet, & nouas ſibi ſuoque imperio ſedes quæreret, addens (quo eorum maiori venerationi cunctis eſſet authoritas) etiam regalis dignitatis inſignia.

Sed nec his contenta diuina prouidẽtia, ne quis (vt ſæpe factum eſt) in hoc Chriſti regno, oblitus illi ſe ſeruire meditaretur, aſpiraret, aut Alexandros, aut Iulios, omnem dominationem, & principatum, qui ex illa gentilitate traxit originem, paulatim euacuauit, fecitque vt omnes inter nos Principes,

Re-

Digitized by Google

Reges, & Imperatores, à Chriſti regno prorſus dependerent.

Dedit equidem illud vetus imperium, quod à Romanis, atque illo Iulio traxit originem, non exiguam ſuæ dignitatis partem eccleſiæ Chriſtianæ pontificibus: quo magis venerabilis, & reuerenda eſſet orbi eorum neceſſaria authoritas. Attamen ſi quando illos principes non ſatis cohibuerat Chriſtiana pietas, & religio, ſuperbe nimis efferebant cornua, & gentilem illam dominationem adhuc meditantes, haud ſatis recordabantur Chriſti ſe regno, ſuumque iam ſeruire imperium, nec ſatis reuerenter illius authoritati ſe ſubmittebant, cui ouilis Chriſti ab eodem commiſſa erat gubernatio, imo eandem aliquãdo conabantur ſibi facere obnoxiam: donec iuxta Danielis vaticinium, lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus, ab initio modicus, ſed qui paularim in montem magnum excreuit, impleturus adhuc vniuerſam terram, percuteret illam ſtatuam, quam viderat rex ille Babylonius, ſuccedentium ſibi regnorum exprimentem imaginem, in ſuis pedibus ferreis & fictilibus. Quos, eodem Daniele fideli interprete, Romanum Imperium circa ſui finem ſignificare certum eſt. Lapidem autem iſtum, quem ſic ille predixit comminuturum, & ſibi ſubiecturum Romanum Imperium, eſſe hoc regnum Chriſti, hoc eſt, catholicam eccleſiam, idem ille Daniel certiſſimus teſtis. In diebus autem, inquit Regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cęli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum, ſecundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Vides itaque quis ſit ille lapis de monte abſciſſus ſine manibus, nempe hoc regnum Chriſti, catholica inquam eccleſia, quod inquit, conſumet vniuerſa regna hæc, ſibique ſubijciet. Recte vero Catholica Chriſti Eccleſia per lapidem ſignificatur abſciſſum de monte ſine manibus: vt quæ inſtar ſui capitis, ſine carnali commixtione de Spiritu Sancto concepti, & nati ex virgine ſine virginitatis iniuria, & ipſa ex aqua, & Spiritu Sancto regenerata virgo ex virgine, ſine ruga, & macula permanens, noua tamen quotidie ſobole contra legem naturæ fœcunda eſt. Cui etiam Eſaias ſub nomine Hieruſalem, ita loquitur ſurge, & illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſpledore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati venerunt tibi, filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere conſurgent. Tunc videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, &c. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi, &c. Gens enim & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Gloria libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul, ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & cætera. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi, &c. Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui tranſiret per te, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, & gaudium in generationē, & generationem. Et ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis. Hactenus ille. Hoc autem Eſaiæ vaticinium an non impletum clariſſime cernimus. cum iam gentes, & reges ambulent in lumine fidei, illuminati ſplẽdore ortus illius primitiuæ eccleſiæ qui fugauit tenebras, & caliginem infidelitatis, quæ operuerat terram, & populos? Quæ pro eo quod fuerat derelicta, & odio habita, oppreſſa, & in camino tribulationum perſecutionumque excocta, nunc vice verſa dilatata affluit, conuerſa ad eam multitudine maris, & & fortitudine gentium. Itaque, & filios peregrinorum, & alienorum ædificaſſe nunc videmus muros eccleſiæ, & reges illi miniſtraſſe, ac miniſtrare. Ita Conſtantinum, Pipinum, Carolos omnes denique Chriſtiani orbis pios Imperatores, & principes ſe curuos illi humiliaſſe, & adoraſſe veſtigia pedum eccleſiaſticæ hierarchiæ principum. Cui nunquid indignum quiſquam putabit, obedientiam, & reuerentiam deberi ab Imperatoribus, regibus, & principibus? Si filij nunc ſunt eccleſiæ, nunquid eidem, atque eius paſtori, ac præſidi non debent obedientiam, & reuerentiam?

Iuxta Danielis vaticinium, catholica Chriſti eccleſia ſibi ſubiectura erat, atq; in ordinem redactura Rom Imperium. Dan. 2.

Lapidem de mõte abſciſſum ſine manib. ſignificare catholicam Chriſti eccleſiã. Eſaiæ 60

Notandum Eſaiæ vaticinium de catholica Chriſti Eccleſia.

Gloria eccleſiæ.

Quid igitur hanc indignaris impie ſibi ſubieciſſe reges, Imperatores, Principes, regna denique, & Imperia, quod ab æterno ita futurum præordinauit omnipotens illa ſapiẽtia, & priuſquam fieret tanto ante (vt audiſti) fore, & ab Eſaia, & Daniele prædictum eſt? Nunquid non legiſti in Apoſtolo: Qui Dei ordinationi reſiſtunt, ſibi damnationem acquirere? Et hæc ſi non tanto ante, tam aperte, & clare prædicta legerentur, propheticis oraculis, quis tamen modo ad Gamalielis ſententiam, imo ad ipſa Chriſti verba reſpiceret, dubitare poſſet diuinæ prouidentiæ, & ordinationis ea eſſe opera, à quibus dependent totius eccleſiaſtici regiminis vigor, ordo & vnitas: nempe vt omnis ciuilis in eccleſia authoritas iam dudum ſubiecta cernatur authoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis? Dixit ille: Si ex hominibus eſt hoc opus, diſſoluetur. Et tu vis vſupatione, & fraude Romanos Pontifices ſibi ſubieciſſe authoritatem regum, Imperatorem, & Principum, quam ante annos octingentos aut mille illis ſubfuiſſe videmus: Tu vis rem tantam, vnde pendet ſalus, vnitas, vigor diſciplinæ totius domus Eccleſiaſticæ, & quam tot annorum vſu confirmatam videmus, humana tantum præſumptione factam, ſine diuina ordinatione, & prouidẽtia, ſine qua nec minima fieri Chriſtus pernegat? Et quo tandem pacto verum erit, quod affirmat Apoſtolus, nullam eſſe poteſtatem etiam ciuilem, nec apud ethnicos, niſi à Deo, hoc eſt, vt idem ipſe exponit, diuina ordinatione, & prouidentia? Quarum tamen initia plerunque, vi fraude, & ſcelere vſurpata, & plane tyrannica fuiſſe indubitatum eſt: vt authoritatem illam Cæſaream, quæ initium traxit ab illo Iulio, qui credita ſibi vt ciui arma reipublicæ, perfide in eiuſdem con-

Indigne indignati hoſtes eccleſiæ eandem ſibi ſubieciſſet reges, & principes.

Digitized by Google

conuertit viſcèra: in necem & proſcriptionem ſuorum conciuium optime meritorum de republica, ſuper quam tirannice ſibi vſurpauit dominationem, & imperium. Quo deinceps in ſenatu cõfoſſo vulneribus, Octauianus eadẽ perfidia ſibi credita arma reipublicæ coniungens cum hoſtibus reipublicæ, crudelitatis in concines, & vſurpatæ in rempublicam dominationis ſucceſſor factus eſt. Ab his initijs proceſſit authoritas, & poteſtas illa Cæſarea. Cui tamen, & ipſi, vt à Deo, diuinaque ordinatione exiſtenti, quamdiu viguit, obediendum fuit à ſubditis iuxta illam ſententiam Apoſtolicam. Quanto magis eccleſiaſticæ authoritati, non vi aut fraude vſurpatæ ab homine, ſed præordinatæ diuinitus, prædictæ propheticis oraculis, deinde ab ipſo Chriſto omnium noſtrum domino cõmiſſæ Petro ſucceſſoribuſque eius ſuper vniuerſum hoc ouile, aut regnum ſuum, obediendum eſt omnibus, qui in eodem ouili ſunt, quantumuis Imperatores ſint, quantumuis Reges, aut Principes? Certe nihil ſibi vi vſurpauit in quenquam indebitum, ſed vltro ſe ei ſubmittentes ad propriam ſalutem, reges, & principes benigne ſuſcepit. Audiſti equidem, quid ille dixerit eccleſiæ: Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Vides eſſe neceſſarium ad ſalutem omnibus, etiam regibus, & principibus, ſeruire eccleſiæ authoritatique eccleſiaſticæ. Hoc ipſum eſt, quod Chriſtus dixit Petro, vt quodcumque ipſe obligaret in vniuerſa terra, hoc ipſum obligatum haberi coram Deo. Eius vero præceptis, & mandatis contumaciter inobedientes, eodem loco habendos à nobis, quo ethnicos, & publicanos, qui ad Chriſti ouile non pertinent, nec in illa arca continentur, quæ ſola ſaluat ab inundante diluuio.

Eccleſiam nihil ſibi vſurpaſſe in quemquã indebitum, ſed vltro ſe ei ſubmittẽtes ad propriam ſalutẽ benigne ſuſcepiſſe.

Comminuit igitur Chriſti eccleſia, & ſibi ſubiecit iuſta Danielis vaticinium principatus, & regna, reges, & priucipes, ſed illorum ſubmiſſione vltronea, atque ita hoc volente, & ordinante diuina prouidentia, pro conſeruanda vnitate neceſſaria, & concordia in domo eccleſiaſtica, vt non ſolum ſubeſſet, ſed plane dependeret etiam eorum authoritas ab authoritate eccleſiaſtica, abolita paulatim omni illa ſæculari poteſtate, quæ ſe in gentilitatem quoquo modo referre poſſe videretur.

Itaque cum diuina permiſſione ſub Honorio, & Archadio priucipibus, irrumpentibus in Romanas prouincias, primum Viſegothis, à quibus duce Alarico etiam vrbs capta eſt: deinde Alanis, Sueuis, Vaudalis, Burgudionibus, Oſtrogothis, Hunnis, poſtremo Longobardis, & Fraucis, omne paulatim Occidentis Imperinm Romano ſubtractum Imperio, & in diuerſas diſſectum particulas, in barbarorum poteſtatem conceſſerat, qui & diuina, & humana confundebant omnia, Leo tertius Romanus Pontifex vtrunque illum Petri gladium perpeudens neceſſarium in eccleſia, quo eadem haberet, qui etiam alternm illum materialem euaginaret vibraretque pro Chriſti nomiuis gloria, tanquam caput hierarchiæ eccleſiaſticę, & cui totius ouilis Chriſti cura gubernatioque commiſſa extitit, Carolum illum cognomento Magnum, Pipini filium, Auguſtum nominat, imperialeſque illi titulos dignitatem, authoritatemque tribuit, & Occideutis Imperatorem pronunciat, conſeutiente applaudenteque Romano populo. A quo ad hæc tempora, ad Carolum, vſque eius nominis Quintum, qui nunc fęlicibus auſpicijs eiuſdem tenet gubetnacula Imperij, ſupra annos ſeptingentos perdurat continua ſerie Chriſtianorum Imperatorum ſucceſſio.

Leo III. tãquam Eccl. hier. præſes Carolũ Magnũ Occideutis Imperatorem pronunciat. Leonem illum nihil ſibi vſurpaſſe alienum in illa donatione Imperij.

Nec eſt, quod forte criminentur maleuoli, & oſores authoritatis eccleſiaſticæ, Leonẽ illum iniuſte ſibi vſurpaſſe illam donationem imperij, tanquam ad Conſtantinopolitanorum Imperatorũ ius adhuc pertinentis. Quandoquidẽ apud illos nihil huius iuris erat amplius, ſed vt vi armiſque partum ab initio ſuccedentium temporum confirmatione factũ erat legitimum: ita vi armiſque ablatum, tot annorum ſucceſſu, iamdudum illorum eſſe deſierat: adeo vt etiam perſequi illud ipſum diu deſtitiſſent, contenti cum illo Orientis qualicunque adhuc Imperio. Vt enim multa, his præſertim in rebus, violenta, iniuſta, armiſque vſurpata ſunt ab initio, quę tractu temporis conualeſcunt, & efficiunrur legitima: ita etiam poſtquam acquiſita ſunt ſimili modo amitti potuerunt. Nihil enim tam iuri conſonum, tamque naturale eſt, vt habet iuris regula, quam vt omnes res per quaſcunq; cauſas naſcitur, per eaſdem, & diſſoluatur. Quis enim dubitet, in Romanam rempublicam ſingulare ſibi imperium iniuſte, & perfide vſurpaſſe illum Iulium? Quod ipſum tamen tempore confirmatum, quis contra dubitet in ſucceſſoribus eius tandem factum fuiſſe legitimum? Iam & Romanos illos quis neſcit nimio imperandi ſtudio (ne quid peius dicam) pleraſque ſibi ſubiugaſſe prouincias, in quas nihil legitimi iuris habuerunt à principio, tamen tempore vſuque hæc tandem conualuerunt, & facta ſunt legitima. Quod ſi regnorum, monarchiarumque omnium repetamus origines, fere inueniemus cœpiſſe à vi, facto, & armis, ſed vſu temporeque confirmata tranſijſſe in dominationem legitimam. Sed per quas cauſas naſci, per eaſdem, & diſſolui potuerunt.

Certe qui hoc, quod in Magno Carolo cœpit, authoritate eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, noſtrorum Imperatorum Imperium, non magis legitimum iudicant, quàm illud vetus, quod per vim, ſcelus, & tyrannidem primus ille occupauit Iulius, non intelligo, quod illi habeanr boni æquique iudicium. Vtrunque enim gladium, qui neceſſario eſt in eius poteſtate & arbitrio, vt illi totius eccleſiæ cura regimenque commiſſum eſt, in ſuperioribus ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Vacantem igitur alterum non potuit ille, aut eius in officio, & authoritare ſucceſſor, viro forti, pro Chriſti nominis gloria, & regni eiuſdem vtilitate committere? Potuiſſe certe non ſolum demonſtrar ratio, ſed, & factum comprobat, tot ſæculorum totius eccleſiæ confirmatum conſenſu. Nihil enim habuit Carolus ille, nihil ſucceſſores eius omnes iuris legitimi ad imperium, niſi quod acceperunt à capite hierarchiæ eccleſiaſticæ. Quibus qui nihil competijſſe authoritatis ad dandam, quibus volebant, aut committendum hoc imperium, contendunt, ijdem nihil etiam iuris

imperialis accepiſſe, aut habuiſſe illum Carolum, nihil omnes eius ſucceſſores fateantur neceſſe eſt. Illi enim ſuccedunt omnes omnes, non Iulio, non Conſtantino. Ille vero ſucceſſit nemini: quin potius noui eccleſiaſticique Imperij princeps caputque effectus eſt. Nam tunc, & diu poſtea, perdurauit apud Conſtantinopolim illa à Iulio, & Conſtantino ſucceſſio, quæ poſtmodum attenuata per Sarracenos, per Turcas, tandem funditus extirpata eſt.

Fruſtra circumſpicis, fruſtra quæris noſtri huius Imperij aliud initium, alium legiſlatorem humanum (vt tecum ineptiam) à quo ille Carolus imperialem dignitatem acceperit. Romæ enim accepit ab vno Romano Pontifice, non expetito conſenſu tui illius legiſlatoris humani, non conuocata vniuerſitate multitudinis ſubiectæ Imperio. Quem ſi à Senatu Populoque Romano malis recepiſſe authoritatem eiuſmodi, atque illis referre acceptam, quam authoritati pontificiæ, & eccleſiaſticæ, æque nihil promoues. Certum eſt enim eo tempore, nullum fuiſse apud Romanum populum ius eligendi Imperatores quo fere quingentis annis à tẽpore videlicet tranſlati Conſtantinopolim imperij, nunquam viſi fuerant. Certè ea transferendi, & committendi imperij authoritas non ſolum à noſtris neceſſario recognoſcenda eſt apud Romanum Pontificem, vt caput, & præſidem Chriſtianæ eccleſiæ, cum alioqui fateantur neceſse eſt, nihil ſibi legitimi iuris competere ad Imperium, nihil enim niſi ab eo acceptum poſſunt prætendere: ſed etiam à Conſtantinopolitanis Imperatoribus in eodem non ſemel eſt recognita. Siquidem cum Fredericus ille primus cognomento Barbaroſsa Iulium illum magis ſpirans, quam Carolum oblitus à quo dignitatem Imperialem acceperat Alexandrum tertium Pontificem, & Romanam eccleſiam perſequeretur omnibus Imperij viribus, Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator legatos miſit ad Pontificem, qui ei pollicerentur, & magnas in Fredericum copias, & reductionem Græganicæ Eccleſiæ ad Romanæ Sedis obedientiam, Orientaliſque cum Occidentali eccleſia vnionem: ſi Romanum Imperium ante diuiſum, ſua authoritate in vnum corpus vellet reducere, ac reſtituire. A quo quum remitterentur cum reſponſo non ſatis certo, ſecundo miſit ad eundem ſuum apocryſatium, & magnam legationi pecuniarum vid addidit, quam orator in primis velut liberale munus ab Imperatore obtulit: deinde longa accurataq; oratione perſuadere conatus eſt, vt Pontifex coronam Occidentalis imperij, qua Fredericus perſequendo eccleſiam ſe indignum reddiderat, iure merito priuari poſset imo deberet, Conſtantinopolitano redderet, promittens per hoc Græcorum ſubiectionem Romanæ faciendam eccleſiæ. Cui Alexander prehabito cum cardinalibus concilio, ita reſpondiſſe legitur: Nolle ſe id vnum coniungere, quod olim maiores ſui diſiunxiſſent de induſtria. Vides, quid Imperator Græcus petat, & contendat à Romano Pontifice? quid recognoſcat ad eius authoritatem pertinere? Similiter cum Gregorius decimus, ingentis vir animi, & fidei paciſque zelator maximus, omni ſtudio quæreret, & Græcos in vnionem

Emanuel Conſtantin. Imperat. ab Alexandro tertio petit, vt ſua authoritate diuiſum ante Rom. Imperium in vnũ corpus reſtitueret.

Alexandri reſponſum.

catholicæ Eccleſiæ reducere, & laborantibus in Syria Chriſtianis ferre ſuppetias: & vtramq; ob cauſam Lugduni indixiſſet generale concilium, perſonaliter eo ſe conferens, Michael quoque Paleologus, Græcorum Imperator, vna cum patriarcha Conſtantinopolitano, cum ingenti comitatu etiam illuc occurriſſet ad concilium, & poſt longam diſceptationẽ, tertiadecima demum vice Græci ad Romanę, & Catholicæ Eccleſiæ vnionem reuocati eſſent: pro pio illo Imperatoris ſtudio, & ſimul, quo eius operam pro terræ ſanctæ, quam maximopere zelabat, recuperatione paratiorem haberet, illi Pontifex confirmauit Conſtantinopolitanum Imperium. Id quod ſummis ſtudijs expetierat, vt acta eiuſedm teſtantur concilij. Vides rurſus, non ſolum huius noſtri, ſed etiam Conſtantinopolitani Imperij authoritatem, ab ipſis etiam Conſtantinopolitanis Imperatoribus recognitã fuiſſe Romano Pontifici, tanquam eccleſiaſticæ hierarchiæ capiti, cui ſicut totius eccleſiæ curam, & regimen: ita quoque vtriuſque gladij (quorum vſus in eius regimine eſt prorſus neceſſarius) ſummam authoritatem commiſſam, intellexerunt, & recognouerũt etiam Conſtãtinopolitani principes. Quanto magis noſtris Imperatoribus cognoſcenda eſt qui omnem quam habent authoritatem imperij, acceperunt ab vno Rom. Pontifice?

Quod ſi vniuerſam à Carolo primo ad quintum, ſuccedentium ſibi Imperatorum, & Imperij huius noſtri percurreris hiſtoriã, clariſſimè intelliges illum ſemper fuiſſe ſenſum, & conſenſum Chriſtianorum principum.

Deſignatus fuerat Carolus Imperator à Leone Pontifice pro ſe, & ſua ſtirpe ac progenie. Deficiente autem eius poſteritate, aut ſucceſſione legitima in Ottone tertio, eodem hoc ita fieri petente, Gregorius quintus, Romanus Pontifex natione Saxo, & Imperatori conſanguineus, electiuum deinceps fecit imperium. Et quo apud Germanos ſumma illa diutius remaneret authoritas, & is cæteris præeſſet, qui virtute dignitateque præſtaret cæteris, & non quem caſus natiuitatis obtruderet, de Imperatore deligendo ſanctionem tetulit, vt videlicet apud ſeptem deſignatos Germaniæ proceres, in perpetuum ius eſſet eligendi principis. Cuius examinatio & confirmatio pertineret ad Romanum Pontificem, per quam, & Romanorum rex, & Cæſar appellaretur, tum demum Auguſtus, & Imperator habendus, quum à Romano Pontifice ſolemniter inunctus, & conſecratus foret, & imperij diadema acciperet.

Cõfirmationem electi pertinere ad Rom. Pontificem.

Hanc authoritatem deligendi Imperatoris accepiſſe deſignatos illos electores ſeptem, non à ſenatu populoque Romano, non à legiſlatore humano (vt ille nugatur) hoc eſt, ab vniuerſitate multitudinis ſubiectæ imperio, ſed ab vno Romano Pontifice, omnium hiſtoriarum fide certum, & indubitatum eſt. Nam ex ea ſanctione, & conceſſione à Gregorio facta, conſtat ita exacerbatos fuiſſe Romanos, vt ipſe eorum furori ſe ſubtrahere, ac clam aufugere ad Ottonem in Germaniam coactus ſit: & hi inſtigante Creſcentio (quem abſente Pontifice cũ ſumma poteſtate conſulem creauerant) Ioannem quendam, natione Græcum Epiſcopum Placentinum, illi antipapam obtru-

tru-

truſerint. De vniuerſitate vero multitudinis ſubiectæ Imperio (quem ille humanum legiſlatorem appellat, & apud quam ſolam vult eſſe ius eligendi principis) quod eius ad hoc conſenſus vnquam requiſitus fuerit, nullus vnquã ſcriptor, nulla hiſtoria prodidit.

Caſus & hiſtor. c. Per venerabilẽ de electio.

Recte itaque cum mortuo Henrico ſexto, in duo ſe diuiſiſſent electorum ſuffragia, quibuſdam Philippum Sueuorum Ducem, Henrici fratrem i alijs, & maiora ſaniorique parte Otthonem quartũ, Henrici Saxoniæ Ducis filium, in Imperatorem eligentibus. Et à legato Sedis Apoſtolicæ, Guidone Præneſtino Cardinali, ad hoc ipſum miſſo ab Innocentio III. vt inter electos, quis cui præferendus foret, decerneret, Philippi reprobata, & Otthonis confirmata eſset electio. Ipſumque hoc factum legati in hunc modum calumniarentur quidam aduerſę factionis principes, dicentes, vel electoris perſonam ea in re geſsiſse illum, vel cognitoris. Si electoris in meſsem alienam miſiſse falcem ſuam, & electioni ſe ingerentem, Principum Electorum derogaſse dignitati. Sin cognitoris, abſente, & non citata altera partium videri proceſſiſse perperam. Idem Innocentius ad Barthoidum Ducem de Zeringhen ſcribens, & ſui legati factum excuſans: Principibus, inquit, illis ius, & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorẽ poſtmodum promouendum recognoſcimus, vt debemus, ad quos de iure, & antiqua conſuetudine illud noſcitur pertinere. Prę ſertim cum ad eos ius, & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit. Quæ Romanum Imperium in perſona magnifici Caroli à Gręcis tranſtulit in Germanos. Sed, & principes vice verſa recognoſcere debent, & vtique recognoſcunt (ſicut ijdem & in noſtra recognouere præſentia) quod ius, & authoritas examinandi perſonam electam in regem, & promouendum ad imperium, ad nos ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus, & coronamus. Eſt enim regulariter, & generalirer obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nũquid enim, ſi principes non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia ſacrilegum quemcunque vel excommunicatum in regem, ſeu etiam hęreticum aut paganum eligerent, nos inungere, aut conſecrare hominem eiuſmodi deberemus? abſit omnino. Obiectioni ergo principum reſpondentes, aſſerimus, quod legatus noſter approbando regem, & reprobando ducem: nec electoris geſſit perſonam, vt pote, qui nec fecit aliquem elegi, nec elegit: nec cognitoris, cum neutrius electionem, quo ad factum eligentium, confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam. Exercuit autem denunciatoris officium, quia perſonam ducis eiuſdem indignam, & perſonam regis denunciauit idoneã, quo ad imperium obtinendum, non tam propter ſtudia eligentium, quam propter merita perſonarum: quamuis etiam hi numero vincerent, & merito, & ducis electio contemptis electorum pleriſque eſset celebrata. Subiungens deinde multa impedimenta notoria, quæ obſtabant duci quo minus potuiſset eligi, videlicet, excommunicationem publicam, periurium manifeſtum, & perſequutionem diuulgatam, quam, & progenitores eius, & ipſe præſumpſiſsent exercere in ſedem Apoſtolicã, & alias eccleſias; cum nullum impedimentum legitimum in Otthonis perſonam potuiſset obijci. Quare, inquit, & illum, non ducem reputauit, & nominauit Regem Romanorum: iuſſitque illi adhæreri à regni fidelibus, non obſtante iuramento, ſi quod indebite præſtitiſſent Philippo: vt hæc latius eſt legere in c. Venerabilem, de electione: quod excerptum eſt ex hac Innocentij epiſtola. Quæ quum vniuerſa, quam comprehendit, tragædia, teſtis eſt veritatis ſupra ſcriptæ à nobis hiſtorię, quod videlicet electores Imperij à ſede Apoſtolica ius electionis eiuſmodi acceperint. Et quod vniuerſa Imperij noſtri authoritas ab eccleſia, atque eius capite, ac rectore Rom. Pontifice plane dependeat.

Ex quibus etiam quiuis ille facile poteſt intelligere, iuramenta quæ Romono Pontifici præſtant Imperatores electi, tam in ſua confirmatione, quam ante, & poſt coronationem ſuam non fuiſse extorta ea, qua ille dicit, fraude, & calliditate Pontificum per ſimplicitatem, & ſuperſtitionem principum: quin potius iure, & merito præſtari potuiſse, & debere, & præſtita fuiſse ab antiquo, etiam priuſquam electiuum factum eſset Imperium. Nam extat in decretis iuramentum, quod Ottho eius nominis primus Ioanni XII. ante annos circiter ſexcentos more maiorum præſtitit, 63. diſt. c. Tibi domino. Et quanquam forte eorum forma poſtea paulo ſit facta exactior: nihil tamen continet, niſi ad quod ex ipſa natura, ex ipſo iure ſui Imperij obligati ſunt. Quod cum in perſona Magni Caroli erectum ſit ab ipſo eccleſiaſticæ hierarchiæ præſide, ne aliter ille Petri gladius etiam neceſsarius ad regimen eccleſiæ, ocioſus iaceret, aut deeſset eccleſiæ, quis non intelligit hunc illi ſubſeruire debere, & qui hunc accepit ab eccleſia, eidẽ aſtrictũ fidelitatis debito? Quod cum clarius quidam intelligant, atque etiã obſeruent religioſius, quando hoc ipſum, alioqui debitum, etiam iureiurando confirmatũ eſt ſacramenti religione aliquando magis retenti in officio, quam ex ipſo officij debito: hinc introductus eſt mos ille præſtandorũ ſuperioribus iuramentorũ fidelitatis à ſubditis: ſine quibus tamen æque ſubditi ad obediantiam, & fidem adſtricti ſunt, ſuis ſuperioribus.

Caſus & hiſtoria, vnde pendet Clementina vnica de iure iurando.

Itaque cum inter Henricum ſeptimum Imperatorem, & Robertum Siciliæ regem excitata graui diſcordia, Clemens quintus, vt paſtor Chriſtianæ eccleſiæ ſui memor officij, inter eius membra pacem componere cuperet, ſcripſiſsetque ea propter ad vtrumque quod cum eſsent Romanæ Eccleſiæ ſpecialiſſimi filij, ſibique iuramento fidelitatis, & alias multipliciter adſtricti, & propterea ſua arma, non in mutuam perniciem, ſed in communis matris defenſionem deberent conuertere. Idem Henricus peſtilentibus quorundam adulationibus ſibi ereptus, velut immemor omnium iuramentorum, quæ præſtiterat, id indigne admodum tulit, de fidelitatis iuramento in literis mentionem fieri. Et quaſi ad magnam hoc derogationem dignitatis ſuę pertinuiſſet, aceitis publicis tabellionibus, nullo ſe iuramento fidelitatis vlli adſtrictum publice proteſtatus eſt. Petens ad futuram rei memoriam, actis, & inſtrumentis publicis eandem ſuam

Elector. ibus ius, & poteſtatem eligendi competere à ſede apoſtolica.

Bb 2 res

Digitized by Google

proteſtationem conteſtatam relinqui poſteris. Cui peſti, ne latius atque etiam ad ſucceſſores ſerperet, in Viennen. vniuerſali concilio (cui idem Clemens præfuit) conueniens adhibitum eſt antidotum, edita illa Clementina, quæ ſub titulo de iureiurando legitur. Cuius hoc eſt initium.

Clementina ipſa.

Romani principes, orthodoxæ fidei profeſſores, ſacroſanctam Romanam eccleſiam (cuius caput eſt Chriſtus redemptor noſter) ac Romanum Pontificem, eiuſdem Redemptoris Vicarium, feruore fidei, & claræ deuotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, a quo approbationem perſonæ ad imperialis celſitudinis apicem aſſumendæ, nec non vnctionem, conſecrationem, & imperij coronam accipiunt, ſua ſubmittere capita non reputarunt indignum, ſeque illi, & eidem eccleſiæ (quæ à Græcis Imperium tranſtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum principes, ius, & poteſtas eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum peruenit) adſtringere vinculo iuramenti. Prout, tam mos obſeruationis antiquæ temporibus nouiſſimis renouatæ, quam forma iuramenti huiuſmodi ſacris inſerta canonibus manifeſtant. Subiungens deinceps, poſt explicatam continuo de Henrico hiſtoriam, quæ idem iuramenta more maiorum præſtiterat Romano Pontifici & Eccleſiæ. In primis affirmat eum in confirmatione electionis ſuæ præſtitiſſe eius tenoris iuramentum quod etiam ab illo magno Otthone, ante ſexcentos circiter annos præſtitum in ſacris canonibus legitur. Deinde, cum Romæ coronandus eſſet imperiali diademate, aliud non multum abſimile, quod in libro Pontificali Romano continetur preſtandum Pontifici per Imperatorem coronationis ſuæ tempore, tenoris huiuſmodi.

Tria iuramenta, quæ præſtantur ab Imperatoribus.

Ego N. Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, ſpondeo & polliceor atque iuro coram Deo, & Beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem, & defenſorem fore ſummi Pontificis, & huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus neceſſitatibus & vtilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſeruando poſſeſſiones, honores, & iura eius, quantum diuino ſuffultus adiutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide. Sic me Deus adiuuet, &c. Præter hæc, etiam tertium, prius quàm ingrederetur Italiam. Quod videlicet Romanam Eccleſiam, & fidem catholicam pura fide totiſque viribus conſeruaret reuerenter ac defenderet. Omnem hæreſim, ſchiſma, & hæreticos quoslibet, fautores, & receptatores, & defenſores ipſorum exterminaret pro poſſe, nec vnquam cum Saraceno, Pagano, Schiſmatico, ſeu alio quomodolibet communionem catholicæ Eccleſiæ non habente, aut cũ alio quouis Eccleſiæ inimico aut rebelli, ſeu eidem manifeſtè ſuſpecto, vnionem quamlibet aut confœderationem iniret, affinitatem contraheret. Sed tam Romanorum Pontificum perſonas, quàm honorem, & ſtatum manuteneret, & defenderet, & conſeruaret contra omnes homines, cuiuſcunque exiſterent præeminentiæ, dignitatis vel ſtatus. Vtque ditionem Rom. Eccleſiæ, quam ex legitima Imperatorum, Regum & Principum donatione obtineret, conſeruaret ac tueretur.

Hæc, inquam, ſunt illa iuramenta, quæ dicta Clementina aſſerit ab Henrico more maiorum præſtita fuiſſe Romano Pontifici & Eccleſiæ. Qualia & ante illum annis plus quadringentis, & poſt annis ducentis continuo ob omnibus conſtat præſtita fuiſſe. Quæ ille Marſilius dicit, nec ſine periurio præſtari, nec præſtita poſſe obſeruari. In quibus, quid eſt obſecro, quod nunc quiſquam aut cauillari, aut calumniari poſſit? Nam etſi non fuiſſent debita ab initio, quanquam nihil niſi Chriſtiani Imperatoris, præſertim quales noſtri ſunt, quorum omnis ab Eccleſia dependet authoritas, merum officium contineant, tanti tamen temporis præſcriptione, abſque vlla controuerſia tranſiſſet in debitum.

Dicta Clementinam fuiſſe aſſertionem, & ſententiam vniuerſalis concilij Viennen.

Quum autem illam Clementinam audis, nolo imagineris, audire te vnius hominis Romani Pontificis in ſuam ipſius cauſam ſententiam: ſed cogita audire te teſtimonium, aſſertionem & ſententiam Viennen. vniuerſalis concilij, quod ex vniuerſa Chriſti Eccleſia conuenerunt plus quàm trecenti Epiſcopi. Qui ſuæ ſubſcriptionis chirographo confirmarunt veritatẽ facti, aut narratæ in eadẽ hiſtoriæ. Et catholicæ Eccleſiæ de Romana Eccleſia, atque eius Pontifice, vt is agat in Eccleſia Chriſti Vicarium, teſtificantur ſententiam.

Innocentiũ 4 nihil egiſſe preter ſuũ officium, quod Fredericum II. damnauit & priuauit imperio.

Ex quibus omnibus eſt clariſſimum, nihil præter authoritatẽ & officium ſuum egiſſe Innocentium quartum. Qui Fredericum ſecundum iam diu inſordeſcentem in eccleſiaſticis cenſuris, quibus à ſuis prædeceſſoribus innodatus fuerat, tamen ob crimen manifeſti periurij, quod contra proprium iuramentum & in confirmatione ſua & in coronatione præſtitum, interneciali ſemper odio perſecutus fuerat Chriſti Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, quam ex debito officij & iuramenti vinculo, honorare, defendere ac tueri debuerat, quam etiam ob notorium toti orbi crimen ſacrilegij: quod ex venientibus ad vniuerſale concilium per Gregorium IX. apud Lateranum indictum ex vniuerſo orbe Chriſtiano Prælatis & Epiſcopis, quotquot poterat interceptos plurimos, etiam aliquot Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſine vlla eccleſiaſticæ dignitatis reuerentia, velut viliſſima mancipia annis plus quinque. crudeliſſimis macerarat carceribus, multoſque extinxerat. Quod, inquam, hunc contemptorem eccleſiaſticarum cenſurarum, & ob hoc ipſum graui etiam laborantem ſuſpicione hæreſis, in Lugdunen. vniuerſali concilio, damnationis ſententia perculit, hoc verborum tenore.

Damnationis ſententiã

Nos itaque ſuper præmiſſis & quàm pluribus alijs eius nephandis exceſſibus, cum fratribus noſtris & ſancto concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobiſque in Beati Petri perſona ſit dictum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, memoratum Principem, qui ſe imperio & regnis omnique honore & dignitate reddidit indignum, quique propter ſuas iniquitates à Deo, ne regnet vel imperet, eſt abiectus, ſuis ligatum peccatis & abiectum, omnique honore & dignitate priuatum à Domino oſtendimus, denunciamus, & nihilo minus ſententiando priuamus. Omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur adſtricti, à iura-

ra-

Digitized by Google

ramento huiuſmodi perpetuo abſoluentes. Authoritate apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Regi, vel Imperatori pareat aut intendat. Decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel regi conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem, ad quos in eodem imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem. Hæc ille Innocentius, non in conclaui, aut priuato ſuorum Cardinalium conſiſtorio, ſed in publico totius orbis Chriſtiani vniuerſali concilio. cuius cōſenſu & ſubſcriptione prædicta in Fredericum & dictata & prolata ſententia eſt.

Electores imperij recognoſcentes authoritatem Pontificis Frederico ſucceſſorem delegerunt.

Quin, & electores imperij nihil præter authoritatem & officium ſuum egiſſe Romanum Pontificem in depoſitione Frederici, re ipſa conteſtantes, conuenienteſque ad eius mandatum Francfordiæ illi ſucceſſorem elegerunt Henricum Turingiæ Lantgrauium in Regem Romanorum.

Sic & ſuperius in Henrici quarti hiſtoria audiſti voces aduerſus eum totius imperij, cui iam videbatur intollerabilis: Tametſi, inquiunt, obiecta illi crimina luce clariora ſint, ſe tamen legibus cum eo velle agere, & rem integram Romani Pontificis cognitioni reſeruare, vt in totius regni celeberrimo conuentu ipſe cognitor cauſæ ſedeat, ipſe ſuo iudicio vel abſoluat, vel addicat accuſatum. Hęc vna vox fuit, vna ſententia, & electorum, & procerum totius imperij omnium, qui iamdudum conuenerant certo firmoque conſilio (quemadmodum etiam legatis Henrici reſpondiſſe teſtantur etiam Germani, qui rebus ipſis intererant ſcriptores fideliſſimi: & præſertim Saxo quidam Haluerſtadien. Monachus, tametſi nomen ſuum non adſcribat ad declinandam veritatis inuidiam, qui Henrici illam hiſtoriam diligentiſſimè ſimul & eleganter exequutus eſt) Hæc inquam vna vox fuit, vnaque ſententia totius imperij procerum, qui ad hoc conuenerant, vt abſque vlla dilatione illi ſucceſſorem eligerent, ſibiq; virum prouiderent, qui, inquiunt, præcedat nos & prælietur bellum Domini, ad expugnandam, & deſtruendam omnem cuiuſcunque hominis altitudinem, eleuantem, & extollentem ſe aduerſus iuſtitiam & veritatem Dei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritatem. Hoc ipſo exptimentes verum Romani Imperatoris officium, à quo ille aberrat bis per omnia. Attamen ad ſaniora conſilia reuerſi, & rem vniuerſam perpendentes maturius, ne inconſultę & præcipitijs ſeditionis ſubditorum aduerſus ſuos Principes pernicioſum exemplum tranſmitterent ad poſteros, ne etiam temere quid egiſſe argui poſſent à Romano Pontifice, eccleſiaſticæ hierarchiæ præſide, cuius iudicio ſubeſſe Imperatorem, & imperium intellexerunt & confeſſi ſunt, ad eius cognitionem, & iudicium rem vniuerſam remiſerunt, vt eo cognitore & iudice vel retineret, vel amitteret imperium.

Quare cum tempore Gregorij decimi aliquot annis ſub ſchimate laboraſset imperium (nam proximis comitijs in duo ſe ſcindebant electorum ſuffragia, pars Richardum Cornubiæ comitem, pars Alphonſum Caſtellæ Principem elegerat) atque eam ob rem per duorum contentionem, quorum neuter ante fuerat membrum imperij, in annos fere 17. prorogatum eſset inter regnum, idem Gregorius mandauit principibus electoribus, eccleſiaſticis quidem ſub pœna priuationis officij, ſæcularibus autem ſub pœna excommunicationis, vt ſine cunctatione ſe reſoluerent, & aduocatum ac defenſorem eligerent Eccleſiæ: alioqui ipſe eorum ſuppleturus negligentiam, ſua hoc ipſum authoritate facturus eſset & officio. Ad cuius mandatum, & requiſitionem ſtatim conuenientes Francfordiam poſt triduanum tractatum vnanimi cōſenſu in Regem Romanorum elegerunt Rodolphum comitem de Habſpurg, quamuis abſentem, virum prudentem & ſtrenuum. Cuius electionem idem Gregorius confirmauit in Lugdunen. vniuerſali concilio.

Ad mandatum Greg. x denunciātis electoribus, niſi conuenirent ſe prouiſurum imperio, ſtatim conueniſſe eoſdē.

Ad eundem modum, cum poſt mortem, & miſerabilem cædem Alberti Romanorum Regis, inter electores imperij magna eſset ſuper deſignando ſucceſsore diſcordia, & Philippus Gallorum Rex intolerandæ ſuperbiæ ad eam occaſionem attentus ſperaret à Clemente V. tunc Auinioni agenti extorqueri poſse, vt ab ipſo nominaretur Imperator, communicatoque cum fratre Carolo Valeſio, & paucis iuratiſſimis conſiliarijs conſilio, placuſset illum tanquam pro alijs quæ diuulgabantur negocijs comitatum ſtipatumque velut honoris cauſa ingenti turba militum proficiſſi ad Pontificem, quibus vel extorquere potuiſſet quod ambiebat, ſi impetrare non poſſet aliter Dei nutu delato ad Pontificem regis conſilio, quamuis ſecretiſſimo, dum ille eſſet in apparatu ad iter, prudenti conſilio celeritateque perueniens Pontifex, qui Regis abominabatur ſuperbiam, inſcijs etiam Cardinalibus, niſi vnico Oſtienſi, quo res tecta maneret, diligentiſſimè mittit ad electores imperij, vt ſub pœna deuolutionis imperij ad Gallos abſque vlla mora procedant ad electionem noui Imperatoris. Eiſdem ſimul nominans & commendans Henricum comitem Lucenburgum, virum magnanimum & induſtrium, cuius per dictum Oſtienſem habuerat notitiam. Nec morati electores, intra dies octo poſtquam applicuiſſet Pontificis nuncius, ſumma diligentia congregati, eundem Henricum concordibus elegerūt ſuffragijs, qui ſeptimus fuit eius nominis. Celebrataque electione, eadem diligentia, & celeritate curabatur publicari per Galliam, & in curia Romani Pontificis, quo ſic Galli apparatum & ſtudia auerterent. Qui iam magno ſumptu, præparato ad iter fratre, precioſiſſimiſque muneribus, quibus & Pontificem, & patres captare parabat, cum ſe deluſum, & ſpe ſua fruſtratum cerneret, in Pontificem vehementer excanduit. At Clemens venientibus pro confirmatione electi Duce Bauariæ Regis cognato, & Guidone Comite Namurcenſi, eundem confirmauit. Quo poſt ingrediente Italiam, ad Pontificis mandatum omnes illi obedientiam præſtitere.

Libet etiam Ludouici Bauari hic adſcribere tragœdiam, cui & iſte aduerſus quem agimus Patauinus Marſilius, & ille Ockam pſeudotheologus aduerſus eccleſiaſticam authoritatem, in ipſiuſmet perniciem incentores, aſſentatoreſque fuere.

Ludouici Bauari tragœdia explicatur.

Ita-

Digitized by Google

Ludouici electionem in diſcordia recuſauit confirmare Ioannes 22.

Itaque poſt mortem Henrici VII. præfati, cum rurſus electorum non conuenirent ſuffragia, pars Ludouicum Bauarum, pars Fredericum Auſtriæ Ducem elegit. Per quos facto in regno ſchiſmate cum Ioannes XXII. Bauarum confirmare recuſaſſet, eò quòd iam ante confirmationem ſibi vſurpaſſet pleraque, electi nondum legitimè confirmati poteſtatem excedentia, tandem commiſſo inter competitores prælio, Ludouicus armis ſuperior, neglecta authoritate Sedis Apoſtolicæ, non ſolum per Germaniam, ſed etiam per Italiam, velut ſuo iure cœpit adminiſtrare imperium contra antiquitus inſtitutum, & obſeruatum morem legitimum. Qua de cauſa, inſtantibus præſertim Lupoldo Frederici fratre, & Carolo Rege Franciæ, Pontifex in Ludouicum citatum ſolenniter, vt vel ſatisfaceret, vel ſe expurgaret de exceſſu notorio commiſſo in contemptum authoritatis eccleſiaſticæ, vnde ſua dependebat aut dependere debeat authoritas, præfixo ſibi trium menſium canonicæ monitionis termino, non comparentem, nec ſatisfactionem offerentem, nec legitimè ſe purgantem, excommunicationis tandem ſententiam protulit. Cuius creſcente animoſitate, & contumacia (ſiquidem Romam contendens, & ſine Pontificis authoritate ſe illic coronari faciens, etiam minoritam quendam, Petrum de Corbaria, Nicolai V. ſibi indito nomine, Antipapam illi conſtituerat, & in B. Petri ſede collocauerat) idem Ioannes proceſſus, & cenſuras eccleſiaſticas aduerſum illum & ſibi adhærentes aggrauauit. Vnde magna per imperium confuſio ſubſecuta eſt, quibuſdam proceſſus illos, & cenſuras diſtrictè obſeruantibus, alijs contra perſuaſis à Ludouici ſectatoribus, eoſdem contemnentibus vt nullos & inualidos. Cuius rei gratia, idem Ludouicus, in generali principum conuentu Francfordiæ, de conſilio quorundam, qui ſibi loquebantur ad ſua deſideria, pſeudomonachorum, & Theologorum, reſponſiones quaſdam aduerſus eoſdem edidit, & ſub bulla imperiali per vniuerſum imperium publicari curauit, quibus illos vniuerſos fuiſſe atq; eſſe nullos & inualidos, & proinde negligendos omnibus perſuadere conatus eſt. Quas poſt ſubijciemus, vt excutiamus quid ſolidæ veritatis intus habeant, ne quis fortè in eas incautus incidens pro vero amplectatur veriſimile. Nam hic hiſtoriæ contextus proſequendus eſt. Quod enim nec ſuæ ipſius conſcientiæ, nec alijs quibus mens erat ſanior, & maior cura offenſę religionis quàm Principis, ſatisfecerint, ipſe idem in primis de ſe teſtatus eſt, qui ſub Benedicto duodecimo, ſucceſſore Ioannis, & ſub eius quoque ſucceſſore Clemente VI. pro abſolutione à cenſuris iſtiuſmodi laborauit plurimum, ſed cum non offerretur conueniens ſatisfactio, eandem impetrare non potuit. Deinde, quoniam cenſuræ illæ in plurimis locis imperij, vſq; poſt mortem Ludouici, & obtentam relaxationem earundem à Sede Apoſtolica, diſtrictiſſimè obſeruatæ ſunt.

Ludouicus à Clemente 6. damnatur vt ſchiſmaticus & hæreticus, ac priuatur imperio.

Clemens vero quàm Benedictus in Ludouicum vehementior, publicè in die cœnæ Domini coram infinita hominum multitudine omnes Ioannis in illum proceſſus, & cenſuras confirmauit & renouauit. Ipſumque & ſchiſmaticum & hæreticum declarauit, omnique authoritate & honore imperiali priuatum denunciauit, & ſententialiter priuauit. Suæ vero huius declarationis, & ſententiæ has præcipuè cauſas adiunxit. Primum, quod affirmaret Ioannis vigeſimiſecundi definitionem de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum eſſe hæreticam, & iuraſſet ſe credere contrarium. Deinde, quod aſſereret ad Imperatoris authoritatem pertinere, inſtituere Papam & deſtituere. Adhuc, quod citatus ſuper hæreſi, & propter contumaciam excommunicatus inſorduerat in cenſuris annis plus decem. Item, quod Ioannem de Landemo hæreſiarcham domi ſuæ fouerit. Quod præſumpſerit conſtituere Epiſcopos. Quod eccleſiaſticum interdictum violarit, & eos qui violare noluiſſent, ſuis Sacerdotijs expulerit. Quod diſiunxerit matrimonia ſolennizata in faciæ Eccleſiæ, & coniunxerit alios in gradibus prohibitis. Poſtremo, quod idolum in Eccleſia Dei conſtituerit, illum videlicet antipapam, Petrum de Corbaria, & legitimum Papam de facto conatus ſit deponere. Hæ, inquam, cauſæ condemnationis & depoſitionis Ludouici fuere. Quo tempore etiam Henricum Vremberg, Archiepiſcopum Moguntinum, priuauit epiſcopatu ſuo, quòd vna cum Ludouico execrato, execratus & ipſe, longo tempore inſorduerat in cenſuris eccleſiaſticis, & nihilo minus eiſdem irretitus miniſtrauerat.

Clemens etiam Moguntinum Archiep. exuit dignitate, quod Ludouico adeſſet

Poſt damnationem autem & priuationis ſententiam prolatam in Ludouicum, Clemens Electores imperij monuit, & requiſiuit, vt alium Imperatorem deligerent, virum orthodoxum, & imperio idoneum, ne diutius aduocato & defenſore careret Eccleſia, alioqui ipſe ſuppleturus eſset eorum defectum, & negligentiam.

Ad mandatum Clemētis electores Ludouico ſucceſſorem deligunt Carolum IV.

Ad cuius mandatum conuenientes in Rens quinque ex electoribus, Moguntinus, Colonien. & Treueren. Archiepiſcopi, Dux Saxoniæ Rudolphus, & Ioannes Rex Boemiæ (nam reliqui duo Brandemburgen. & Palatinus Ludouico adhæſerant) ſecundum Apoſtolicæ Sedis ſententiam decernentes vacare imperium, elegerunt Carolum quartum, Marchionem Morauiæ. Cuius electione confirmata à Pontifice, idem obtinuit imperium, imperauitque annis triginta vno. Et hic exitus fuit illi tragœdiæ.

Audiſti itaque lector Chriſtiane non ſolum ex forma hierarchiæ quam Chriſtus in hoc ſuo regno inſtituit, omnes qui in eius ouili continentur, illius authoritati neceſſario ſubeſse, cui ipſe oues ſuas vniuerſas paſcendas regendaſque commiſit: ſed etiam ita factum diuina ordinatione & prouidentia, vt iam planè vniuerſum quod nunc eſt imperiū, conſtitutum ſit authoritate eccleſiaſticæ hierarchiæ capitis, & vniuerſa eius authoritas ab illius authoritate prorſus dependeat. Idque recognoſcentibus, & imperio & Imperatoribus, à primo Carolo ad præſentem vſque eius nominis quintum. Et quamuis intercciderint nonnunquam irreligioſi quidam & impij, qui maluiſsent funeſto illi Iulio, quàm ſancto religioſiſſimoque Carolo ſuccedere: & vi, fraude & parricidio vſurpare dominationem tyrannicam, quàm ab Eccleſia recognoſcere legitimum imperium: viciſse tamen

ſem-

ſemper authoritatem eccleſiaſticam, & ſibi ſubiecisſe omnem aduerſus ſe efferentem altitudinem.

Quanquam autem de imperio, quod ſpecialius dependet ab Eccleſia, vtpote ab eadem erectum conſtitutumque in perſona Magni Caroli, hactenus præcipuè demonſtrauerimus, vt eius authoritas ſubſit authoritati eccleſiaſticæ: æquè tamen de omni ciuili, quæ in Eccleſia eſt, poteſtate, & magiſtratu, quocunque tandem nomine cenſeatur, verum eſt vt ſubſit & moderari debeat ab authoritate eccleſiaſtica. Gens enim, inquit ille, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Ad omnes æque pertinet, quicunque in Chriſti ouili continentur, Reges, Principes, magiſtratus, quod Gregorius ille Nazianzenus ad Conſtantinopolitanos Imperatores ſcribit: Suſcipitis ne, inquit, libertatem verbi? Libenter accipitis, quod lex Chriſti, Sacerdotali vos poteſtati ſubijcit, atque iſtis tribunalibus ſubdit. Dedit enim & nobis poteſtatem, dedit, & principatum, multo præſtantiorem principatibus veſtris. Aut nunquid iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni? ſi à terrenis cœleſtia ſuperentur? & ſi diuinis præferantur humana? Quod ipſum, illuſtrati iam lumine fidei, non ſolum intellexerunt Reges & Principes, faſceſque ſuos, ſua ſceptra, & vniuerſam prorſus ſuam authoritatem, eccleſiaſticæ authoritati ſubeſse recognouerunt. Quin potius, quo hanc ſubiectionem, omnes magis intelligerent debitam, & neceſſariam ſecundum illud Eſaiæ vaticinium, diuina ordinante prouidentia, vniuerſi ſuam authoritatem recipere ab Eccleſia eiuſque authoritate re ipſa profeſſi ſunt.

Gregorius Nazianzen.

Sic florentiſſimi Galliarum regni ſceptra & titulos (cum in Hilderico eatenus rege, ignauo, & ſocorde deficeret illa ex gentilitate tracta & deducta ſucceſſio) Pipinus à Zacharia eccleſiaſticæ hierarchiæ capite, pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus accepit, ſacra vnctione, apoſtolica authoritate ſibi impenſa à ſancto Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo & martyre. A quo in hodiernum vſque diem, omnes ordine ſibi ſuccedentes Reges, quo hoc ipſum conteſtentur, & perpetuo in memoriam habeant, non ſolum eccleſiaſticæ authoritati ſe ſubijci, ſed etiam ab eadem accepiſse ſe illam ſuam dignitatem, & authoritatem regiam, eccleſiaſtica conſecratione, & inunctione eandem velut legitimo ritu ſuſceperunt. Eandem formam, idemque exemplum (diuinæ nimirum prouidentiæ, & diſpenſationis munere) omnes Chriſtiani orbis reges ſecuti, faſces ſuos vltro ſubmiſerunt Eccleſiæ, re ipſa hoc conteſtantes, quod non niſi eccleſiaſtica inunctione, & conſecratione, legitimam authoritatem ſe fateantur recipere.

Pipinus à Zacharia Ro. Pontif. abrogato Hilderico Gallici regni ſceptra, & titulos pro ſe & ſucceſſoribus apoſtolica authoritate accepit.

Quod ipſum tamen non ſatis habentes quidam Anglorum Reges Chriſtianiſsimi, inſuper, & regnum ſuum vectigale & tributarium fecerunt Romanæ Eccleſiæ, ac deinceps etiam iura regni ſpecialiter recognouerunt à Romano Pontifice. Cuius initium fuit ſub Beato Leone eius nominis quarto, ad quem Adeluulphus, quem alij Andulphum, aut Adulphum appellant, Egbruti ſucceſſor, poſt Deo dicatas totius regni prouentuum integras decimas, cum Alfredo filio Romam profectus, duorum denariorum tributum in ſingulas domos regni ſui, Beato Petro, & Sedi Apoſtolicæ conſtituit. Id quod annis circiter ſeptingentis, Apoſtolicæ Sedis quæſtoribus eo miſſis, liberaliter ſemper perſolutum eſt.

Regnũ Angliæ vectigale & tributarium Rom. Eccleſiæ.

Ad hæc, cum Beatiſſimus Thomas Cantuarien. Archipiſcopus, iuſſu aut ſtudio Henrici Regis Angliæ (cum quo grauiſſima illi diſcordia interceſſerat) trucidatus crederetur: illeque ſui expurgandi cauſa miſiſſet oratores ſuos ad Alexandrum tertium tunc Pontificem, qui ob capitales, quas cum eodem exercuiſſet inimicitias, non facilè illum abſoluit à ſuſpicione atrociſſimi criminis, duos de latere ſuo deſtinauit in Angliam, qui rei veritatem perſcrutarentur diligentius, & ſecundum modum culpæ, Regi imponerent condignam pœnitentiam. Quibus aduentantibus, idem omiſſo bello Hibernico, quo erat implicitus, honoris cauſa occurrit in Nortmannia. Reque diſcuſſa ad hoc ventum eſt, vt cum de facto ſatis conſtare non poſſet, iure iurando interpoſito ſe rex purgauerit. Quia tamen etſi in necem viri ſanctiſs. non conuinceretur fuiſſe machinatus, ſua quam cum viuente exercuerat ſimultate, & odio, occaſionem mortis eius præbuiſſe indubitatum videbatur: pœnitentiæ & ſatisfactionis nomine, vt laborantibus noſtris in Syria certo electorum militum numero, anno integro ſuccurreret, illi iniunctum eſt. Ad hæc, eccleſiaſticam libertatem, cuius occaſione inter ipſum, & virum ſanctiſſimum orta fuerat diſſenſio, in regno ſuo tueretur diligenter, & appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis non aduerſaretur. Quibus iureiurando confirmatis, regni Anglici titulum, quo alioqui ob atrociſſimam in Epiſcopum, & Eccleſiam iniuriam iure merito priuandus videbatur, in ſe atque hæredes ſuos confirmari meruit. Hac tamen ratione compenſata Eccleſiæ irrogata iniuria, vt nemo deinceps Rex appellatus. A quo tempore omnes Angliæ Reges iura regni ſui velut in feudum agnouiſſe leguntur à Romanis Pontificibus. Acta autem ſunt illa anno ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum centeſimum, vt teſtantur Blõdus, Pius, Tubigen. & ſcriptores alij.

Regnum Angliæ tranſijſſe in ius cẽtele Rom. eccleſię.

Quare, quod commemorant hiſtoriæ, Ioannem Angliæ Regem, cum Philippi Gallorum Regis vereretur potentiam, à quo altero bello ſuperatus fuerat, confugiſſe ad gratiam Rom. Pontificis Innocentij Tertij, deoque & B. Petro & Paulo Apoſtolis ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, Angliæ pariter, & Hiberniæ regnum libere obtuliſſe, & conceſſiſse omnibus ſuis iuribus, & pro eiſdem regnis eidem Innocentio homagium feciſſe, vt videlicet Reges Angliæ eadem de cætero in feudum tenerent ab Eccleſia. Et pro omni ſeruitio eorundem regnorum, centum marcas auri quotannis penderent, idque diu poſtea fuiſſe obſeruatum: hoc inquam intelligendum eſt, non tam primo factum aut inchoatum fuiſſe ab illo Ioanne, quam longe ante factum ab Henrico, nouis tunc conditionibus, & certo canone conſtituto renouatum fuiſſe, & confirmatum.

Vides itaque lector Chriſtiane iamdudum impleri cœpiſſe illud Eſaiæ vaticinium:

Venient

Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te. Et adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi. Item & illud: Ponante ex derelicta, humillata, & odio habita, inſuperbiam ſæculorum, & gaudium in generatione & generationem. Et: Surges lac gentium, ac mamilla regum lactaberis. Vides nihil quam meriſſimam, & catholicam veritatem continere illam definitionem Bonifatij, cui execrandus iſte, vt notoriæ, ſalſæ & hæreticæ adeo petulanter, & impotenter inſultat: quæ ponitur inter Extrauagant. ſub tit. de maio. & obed. hoc verborum tenore. Libet enim cum ea hunc ſermonem claudere:

Definitio orthodoxa Bonifacij. Vna Eccleſia, extra quam nulli ſalus.

Vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam, & ipſam Apoſtolicam, vrgente fide credere cogimur & tenere, noſque hanc firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, extra quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccatorum, ſponſo in canticis proclamante: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ, quæ vnum corpus myſticum repræſentat, cuius caput Chriſtus, Chriſti vero Deus. In qua eſt vnus Dominus, vna fides, vnum batiſma, vna nempe fuit diluuij tempore arca Noe vnam Eccleſiam præfigurans, quę in vno cubito conſummata, vnum (Noe videlicet) gubernatorem habuit & rectorem, extra quam omnia exiſtẽria ſuper terram legimus fuiſſe deleta. Hanc antem veneramur & vnicam, dicente Domino in propheta: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Pro anima enim, id eſt, pro ſeipſo capite ſimul orauit & corpore. Quod corpus vnicam, ſcilicet Eccleſiam, nominauit, propter ſponſi fideique Sacramentum & charitatis Eccleſiæ vnitatem. Hæc eſt tunica illa Domini inconſutilis, quæ ſciſſa non fuit, ſed ſortè peruenit. Igitur Eccleſiæ vnius & vnicæ, vnum corpus, vnum caput, non duo capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique ſucceſſor, dicente Domino ipſi Petro; Paſce oues meas. Meas, inquit, & generaliter, non ſingulariter, has aut illas. Per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas. Siue ergo Gręci, ſiue alij, ſe dicant Petro eiuſque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos fateantur neceſſe eſt, ſe de ouibus Chriſti non eſſe, dicente Domino in Ioanne, vnicum eſſe ouile, & vnicum paſtorem. In hac eiuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & temporalem, euangelicis dictis inſtituimur. Nam dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladij hic, in Eccleſia videlicet, quum ſcilicet loquerentur Apoſtoli, non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè, qui in Petri poteſtate temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab eccleſia exerendus. Ille Sacerdotis, is manum regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati. Nam quum dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt, non eſſent ordinata, niſi gladius eſſe ſub gladio, & tanquam inferior per alium reduceretur in ſuprema.

Vnius Eccleſiæ, vnum caput, vnus gubernator.

In Eccleſiæ, & rectoris eius poteſtate eſſe vtrũque gladiũ.

Nam ſecundum Beatum Dionyſium, lex diuinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci. Non ergo ſecundum ordinem vniuerſi omnia æque immediate, ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem, & dignitate & nobilitate terrennam quamlibet præcellere poteſtatem oportet tanto clarius nos fateri, quanto ſpiritualia temporalia antecellunt. quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & ſanctificatione, ex ipſius quoque poteſtatis acceptione, ex ipſarum etiam rerum gubernatione, claris oculis intuemur. Nam veritate teſtante, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & iudicare, ſi quid deliquerit. Sic de Eccleſia, & Eccleſiaſtica poteſtate verificatur illud Hieremiæ vaticiniũ: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, & cætera quæ ſequuntur. Ergo ſi deuiat terrena poteſtas, iudicatur à poteſtate ſpirituali: ſed ſi deuiat ſpiritualis, minor à ſuo ſuperiori, ſi vero ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari. Eſt autem hæc authoritas (etſi data ſit homini, & exerceatur per hominem) non humana, ſed potius diuina, ore diuino Petro data ſuiſque ſucceſſoribus, in ipſo Chriſto, quem confeſſus fuit petra firmata, dicente Domino ipſi Petro: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlo, & quodcunque ſolueris ſuper terram, &c. Quicunque igitur huic poteſtati à Deo ſic ordinatæ reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, niſi duo, ſicut Manichęus, fingat eſſe principia: quod falſum, & hæreticum iudicamus. Quia teſtante Moyſe, non in principijs creauit Deus cœlum, & terram. Concludens deinde: Porro, inquit, Rom. Pontifici omnem humanam creaturam declamus, dicimus, definimus & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.

Omni homini ad ſalutẽ neceſſarium, ſub eſſe Ro. Pontifici.

Hactenus Bonifacij definitio, in qua quid eſt, quod tu ter execrande merito calumniari poſſis? Quid, cur ipſam ab initio, & nunc, & ſemper, dicis eſſe falſam, erroneam, cunctiſque ciuiliter viuentibus, vt tuis verbis loquar, præiudicialiſſimam, omnium excogitabilium falſorum? Quid, quod non verum, orthodoxum, catholicum, & omni Chriſtiano ab initio, & nunc & ſemper certa fide tenendum? Nunquid extra arcam catholicæ Eccleſiæ cuiquam ſalus eſt? Nunquid in eadem exiſtenti, & ſaluari volenti, vt eius quoque gubernatori ſubſit, non eſt neceſſarium? Nunquid Petro illius arcæ, & ouilis ſui Chriſtus curam gubernationis, & regiminis non commiſit? Nunquid poſt Petrum nulla Chriſto cura ſuæ fuit Eccleſiæ? Sed ſatis, ni fallor, ſuperque omni bene ad veritatem affecto, ſuperioribus duobus libris, & hoc ipſo non ſemel, vniuerſorum quæ in hac Bonifacij definitione continentur, irrefragabilis veritas demonſtrata eſt.

Sed falſam, inquit, demonſtrat Clementis V. qui Bonifacio ſucceſſit, decretalis epiſtola, cuius initium eſt: Meruit chariſſimi filij, poſita inter Extrauagantes communes, ſub titulo de priuilegijs. Per quam conteſtatur, & exprimit, dictam Bonifacij definitionem in nullo præiudicare Regi aut regno Franciæ. Cum ergo, nec Rex prædictus, nec illius ſucceſſor aliquis, nec regnicola eius quiſquam,

iuxta

Digitized by Google

iuxta dicti Clementis conſcientiam, & omnium Chriſtianorum ſcientiam, verum crediderunt, aut credituri ſint, ſed aperte ſalſum eſſe, quod continet ſupradicta Bonifacij definitio in eo articulo, quo cunctos ſibi ſubijcit principatus, & regna. Neceſſario, inquit, ſequitur, quod credere id, non ſit de neceſſitate ſalutis. Nam ſi ſic, præiudiciale foret vtique non credenti. Et veluti hic nos teneret medios, & plane viciſſet, ita inſultat conſequenter dicendo, meras inſanias videri, decretales eiuſmodi, tam Bonifacij, quàm Clementis. Nam ſi vera eſt, inquit, definitio Bonifacij, omnes ad ſui credulitatem obligat. Sin & vera illa Clementis, non omnes. Nam ab ea credulitate Francorum Reges cum ſuis regnicolis ſoli eximuntur, atque ita non tenemur omnes in vnitate fidei Chriſto occurrere, contra apoſtolicam ſententiam. Rurſum, inquit, Clemens interrogandus eſt, ſecundum quem ſanum intellectum ex ſua fide mereri potuit Francorum Rex eum ſibi ſubiectis populis, non obligari credere, quæ credenda ſunt de neceſſitate ſalutis. Aut igitur ex fide meruerunt infideles, aut hæretici fieri, aut Bonifaciana epiſtola continet apertum mendacium. Et hic ſibi valde placet, argutuſque videtur.

Quin & ita argutari, nugarique pergit: Quis, inquit, ſcripturæ locus cæteros reges, & populos præ rege Gallorum & Gallis, Romano Pontifici ſubijcit?

Falſificari à Marſilio tã definitionẽ Bonifacij, quam declarationem Clementis circa candẽ

Ego vero hunc dico liuidum detractorem, & manifeſte fallarium, tam Bonifacij illius definitionem, quàm Clementis circa eandem declarationem, corrumpentem, & falſificantem, ſeu ſtudio, ſeu cæcitate, quam incurrit ex odio in Chriſti eccleſiam execrabili. Non enim continet dicta Bonifacij definitio (quod hic illi falſiſſime imponit) eſſe omnibus neceſſarium ad ſalutem, credere omnem humanam creaturam ſubijci Romano Pontifici. Hoc enim falſum eſt. Nam qui extra Eccleſiam ſunt, eius authoritati ſubiecti non ſunt (Quid enim ad nos, inquit Apoſtolus, de his qui foris ſunt iudicare?) Tantum in ouili Chriſti eſt illa Petri & ſucceſſorum eius authoritas. Sed hoc dicit illa definitio Bonifacij (quod ille intelligere diſſimulat, aut forte non intellexit) omni humanæ creaturæ eſſe ad ſalutem neceſſarium, vt ſubſit Romano Pontifici. Cum alioqui nemo ſaluetur, qui illi non ſubfuerit veluti membrum Chriſtianæ Eccleſiæ, hoc videlicet ſignificans, ab innundante illo myſtico diluuio omnes neceſſario perire, qui extra arcam illam catholicæ Eccleſiæ remanent. Intus vero exiſtẽtes neceſſario ſubeſſe gubernatori eiuſdem. Quæ equidem veriſſima eſt, & orthodoxa, omni Chriſtiano neceſſario confitenda ſententia.

Æque falſum imponit Clementi, quaſi ille decreuit Regem Franciæ cum ſibi ſubiectis, non teneri credere ſe eſſe ſubiectum Romano Pontifici, contra illam definitionem Bonifacij. Sed hoc tantum dixit, quod noluerit Regi atque eius regno per illam definitionem vllum generari præiudicium, nec quod per eandem, aut Rex, aut eius regnicolæ, amplius Eccleſiæ ſubiecti eſſent Romanæ, quam fuiſſent antea, aut quicquam innouatum. Quin potius, in eodem prorſus ſtatu habenda omnia poſt præfatam definitionem, quo ante fuerant, tam quantum ad Eccleſiam, quam etiam ad Regem, regnum & regnicolas præfatos.

Hæc verba ſunt declarationis præfatæ in dicta decretali, Meruit. Ex quibus clare vides, non dici à Clemente: Regem Franciæ cum ſuis non ſubeſſe Romano Pontifici, aut quod illi definitioni Bonifacianę non teneatur credere. Sed quod per eam definitionem nullum illi voluit generari præiudicium, nec magis ſubijci Romano Pontifici, quàm ante ſubiectus fuerat. Quod ipſum, nec volebat, nec intendebat Bonifacius, ſed hoc tantum voluit, vt ſua illa definitione omnes ſine dubitatione certo intelligerent, nulli patere viam ſalutis, niſi ſubdito paſtori ouilis Chriſti, & membro eccleſiaſtici corporis. Non quidem vigore ſuæ illius definitionis, ſed incommutabili diuinæ legis authoritate, cuius ſua illa definitione expreſſit claram, indubiamque ſententiam, Qua etiam à nobis ſuperius irrefragabiliter demonſtrara eſt.

Cauilli remotio.

Quod ſi dicas, nihil ergo ſpecialis fauoris concedi illa Clementis declaratione Regibus Franciæ præ cæteris, quod tamen præ ſe ferre videtur illud eius proœmium: Meruit chariſſimi filij noſtri Philippi, Regis Francorum illuſtris, ſinceræ affectionis ad nos, & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt, meruit inſuper regnicolarum puritas, ac deuotionis ſinceritas, vt tam regem, quam regnum beneuolo fauore proſequamur. Imo videri illam Clementis declarationem fuiſſe plane fruſtratoriam.

Quid declaratione illa ſua ſpectauerit Clemens

Hoc in primis verum eſt, eandem nihil magis pertinere ad Reges Francorum, quàm ad alios quoslibet, quamuis illius importunitate extorta fuerit. Verum inſuper, quod nihil operetur aliud, aut operata fuerit, quam vt Philippi illius odium implacabile in Bonifacium (a quo excommunicatus fuerat) querimoniaſque compeſceret, vt per quam dicitur, illa Bonifacij definitione, nec ſibi, nec regno ſuo (quemandmodum prætendebat) vllum præiudicium fieri, aut factum eſſe, nec per eam magis ſe ſubijci Romanæ Eccleſiæ atque eius Pontifici, quàm ante ſubiectus fuerat, quamuis ad hoc declaratione opus non fuiſſet. Non exemit illum cum ſuis regnicolis à ſubiectione Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ, quod nec potuiſſet, cum iure diuino illi neceſſario ſubijciatur, quiſquis eſt membrum eccleſiæ, ſed declarat per Bonifacij illam definitionem, non magis ſubiectos, quam ante fuerant. Hoc clare ſignificans non ex vi definitionis, ſed ex vi iuris diuini, etiam ante definitionem fuiſſe ſubiectum.

* * *

CAP. XV.

Ludouici Bauari aduerſus Ioannis vigeſimi ſecundi contra ſe habitos proceſſus reſponſiones excuſationeſq; ſub bulla imperiali publicatas, & aditas explicate, excutere.

NOn eſt viſnm, rametſi liberet, præterire ſilentio illas Imperatoris Lndouici Bauari literas, quas ſub imperiali ſigillo, in generali principum conuentu apud Francſordiam edidit, adnerſus proceſſus Ioannis XXII. (de quibus in capire præcedenti mentionem fecimus) contra ſe habitos, & per vniuerſum quantum potuit imperium publicari fecit. Ne quis fortè in eas incidens (extant enim apud quàm plurimos) falſum apparentia aliqua veritatis obnubilatum pro vero recipiat. Orditur autem in hunc modum.

Ludouici literæ aduerſus proceſſus à Ioanne 22. cōtra ſe habitos.

Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, vniuerſis, & ſingulis Regibus Chriſtianorum, ac Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Presbyteris, quocunque honoris præfulgeant culmine, & cæteris Eccleſiarnm Prælatis, nec non ſæcularibus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibns, Capitaneis, Poteſtatibus, Rectoribus, Iudicibus, Prouincialibus, Ciuitatum Terrarumque Romano Imperio ſubiectarum, & ipſorum cuilibet, incolis & habitatoribus, ac omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, tam eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, gratiam ſuam & omne bonum. Fidem catholicam, quam ſancta mater Eccleſia docet & tenet, firmiter credentes, & fideliter confitentes, & ipſius Eccleſiæ doctrinam in ſacris canonibus traditam ſequi volentes, quibuſdam allegationibns, impugnarionibus & oppoſitionibus, quæ contra nos, & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, & contra imperialem authoritatem & dignitatem opponuntur, ne ſimplicium corda poſſint inficere, dnximus in his ſcriptis reſpondendum. Quorum deinceps ſubiungemus ſententiam, & obiectionum, reſponſionumque vim & efficaciam. Nam totius diplomatis tenorem perpetuum ſubijcere, & tibi lector foret tædio, nec operæpretium.

Concludit imperialem authoritatē immediate eſſe a Deo,

In primis dicit contra ſe, & imperialem authoritatem, dignitatem, poteſtatem, & ius imperij allegari, quod poteſtas & authoritas imperialis ſit à Papa, quodque electus in Regem Romanotum, ex ſola electione, nec ſit, nec dici poſſit verus Imperator, nec antequam inungatur, conſecretur & coronctur, imperialem poteſtatem, & authoritatem habeat. Quæ omnia vult ſacris canonibus, iuri & rationi obuiare, ſicut dicit patere per c. Cum ad verum, &c. Si Imperator, nonageſima ſexta diſtinctione. Quibus dicitur, quod nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura imperij ſibi vſurpare debet. Vbi gloſſa dicit, quod illæ poteſtates ſunt diſtinctæ, & quod neutra dependeat ab altera. Imperator enim non habet imperium à Papa, ſed à ſolo Deo, 93. diſtinctio c. Legimus, vbi dicit textus, quod exercitus facit Imperatorem. Et gloſſa ibi dicit eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur. Ex quibus vult conſequens eſſe, quod Papa non habeat vtrunque gladium. Alioqui, inquit, ſi imperium haberetur à Papa, poſſet etiam in temporalibus ad Papam appellari. Quod prohibet Alexander Papa, dicens: temporalia habere ſuam iuriſdictionem. De appel. c. Si duobns. Et c. Cauſam II. Qui filij ſint legit. Et ibi gloſſa facit & textus, in c. Quo iure, 8. diſtinct. &c. Nouit. De iudicijs. Ex quibus concluditur, quod poteſtas imperialis eſt immediatè à Deo. Et Imperator antequam inungatur & coronetur, habeat poteſtatem imperialem, uec Papa habeat in temporalibus plenitudinem poteſtatis.

Secundo dicit obijci ſibi, quod electio ſua per Ioannem vigeſimum ſecundum reprobata & caſſata fuerit, & propterea non potuerit adminiſtrare iura imperij: Imo quod adminiſtratio eiuſmodi ad ipſum Papam de iure ſpectauerit. Addens eundem Ioannem per ſuos proceſſus, bullas, aut literas per mnudum publicaſſe, quod Italiam vniuerſam ab Imperio & Regno Alemaniæ ſeparauerit, Inſinuando, quod Papa ſit Dominus vniuerſalis, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus. At contradicit ipſe, omues eiuſmodi proceſſus, aſſertiones, literas, & quæcnnque circa prædicta geſta ſunt, nullos, nulla, nulliuſque roboris vel momenri, quod Papæ nullam authoritatem vult competere ſuper iura imperij per iura præallegata. Et propterea quicquid ab eo in prædictis factum eſt, velnt factum à non ſuo iudice, nullius fuiſſe momenti per iura vulgaria. Addit multa verboſiſſimè, aduerſus validitatem cenſurarum contra ſe fulminatarum. Vt quod proceſſum ſit contra abſentem, non citatum legitimè. Quod Pontifex formam, & poteſtatem ſibi à ſacris canonibus traditam exceſſerit. Et nonnulla eiuſmodi, quæ ad propoſitam cauſam nihil faciunt.

Papæ nullā vult authoritatem cōpetere ſuper Imperatorē aut imperiū

Vnum hoc prætereundum non eſt, quod vult ſententiam eius intollerabilem in ſe continuiſſe errorem, ex eo, quòd ne ipſi obedirent, mandauerit vniuerſis ſubditis & fidelibus imperij, vt quod vult eſſe contra legem Dei, quæ, vt inferiores ſuis ſuperioribus obediant, præcipit. Item, quod lata fuerit poſt appellationem legitimè ab ipſo ad vniuerſale concilium interpoſitam, præſertim cum pro defenſione, vt dicit, iuris imperij (quod affirmat pēdere à iure diuino & fide catholica) contra ſibi aduerſantes, & ſe, & imperium, fidemque catholicam (qnam ſancta Romana tenet Eccleſia) impugnantes appellauerit. Proinde declarat omnes proceſſus eiuſmodi, nullius eſſe roboris vel momenri, atque omnibus mandat ſub pœna priuationis omnium, quæ ab imperio obtinent, eoſdem contemnere. Hæc ſumma eſt illarum literarum, quæ prorſus indignæ ſunt imperiali concilio, & vt ſub nomine prodirent Imperatoris, aut imperij, ſed concinnatæ pſeudotheologorum quorundam, aut frigidorum Canoniſtarum opera, quod ipſa per ſe phraſis earundem indicat. Quibus vt breuiter reſpondeamus.

Quod

Apologia authoritatis pōtificiæ aduerſus prædictas calumnias.

Quod dicit in primis allegati contra ſe, & imperialem authoritatem, & poteſtatem, dignitatem, & ius imperij, quod à Papa ſit poteſtas imperialis & authoritas, quodque electus, ſolius electionis vigore illam exercere non poſſit: ſuo more obiectionem illam congeſſerunt detractores, & adulatores peſtilentiſſimi. Nihil enim à Pontifice obiectum eſt contra imperialem authoritatem, dignitatem aut ius imperij. Sed hoc vere dictum, & allegatum eſt, vniuerſam hanc authoritatem imperij dependere ab authoritate eccleſiaſtica, quæ præcipua eſt apud Romanum Pontificem. Ab illo accepiſſe Carolum illum primum in hoc imperio, authoritatem, & titulos imperij, nullo iure ſibi competentes antea. Ab illo poſtea deſignatos ſeptem illos Germaniæ proceres, accepiſſe ab initio authoritatem eligendi Principis, quæ nullo alioqui iure ad ipſos pertinebat præ cæteris. Sicut autem potuit Pontifex ab initio hanc authoritatem dare Magno Carolo pro ſe & ſucceſſoribus. Sicut etiam deficiente illa ſucceſſione Caroli in Otthone III. facere electiuum imperium, deſignatis electoribus, & data eiſdem eligendi poteſtate in perpetuum: ita potuit conditionem electo præſcribere, ſub quā in illum transferretur imperij authoritas: præſertim cum ea per ſe ſancta, & pro dignitate imperij, atque ſine authoritatis imperialis eſſet prorſus neceſſaria. Quæ eſt, vt relata electione ad diſcuſſionem capitis Eccleſiæ (à quo eſt & eligendi illa poteſtas, vniuerſaque imperialis authoritas) eadem ab illo confirmetur, electuſque eius conſecratione, & coronatione dignitatem accipiat imperij. Cuius quia præcipue intereſt, vt & fidelem & fortem aduocatum, propugnatoremque habeat Eccleſia, qui eandem cum res, & neceſſitas exigit, poſſit armis protegere, hoc officij primum commiſit Magno Carolo, & deinde vniuerſis eius ſucceſſoribus.

Quod vero dicit, hæc ſacris canonibus, iuri & rationi contraria: ego contra, & diuino iuri, & ſacris canonibus, atque omni rectæ rationi dico eſſe conſona: quemadmodum ſuperius à nobis luce clarius demonſtratum eſt. Nec quicquam his aduerſantur citati per illum canones, vt c. Cum ad verum, & c. Si Imperator. *96.* diſtinct.

Ad rationes inductas ex ſacris canonibus. Explicatur germana ſententia. c. Cum ad verum.

In primis hoc ſcias oportet, contextum c. Cum ad verum, partem eſſe epiſtolæ Nicolai Pontificis ad Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem: qui vna cum ſceleratis quibuſdam ſecum conſentientibus Epiſcopis, intereſſe, atque adeo præſidere præſumpſerat iudicio iniuſtiſſimæ damnationis Ignatij, eiectioniſque è ſua ſede Conſtantinopolitana, vt Photium promoueret, authorem ſubſequuti grauiſſimi ſchiſmatis. Huius vt præſumptionē redargueret, ita ſcribit. Quod quando ad verum ventum eſt, hoc eſt, iam ſub luce veritatis euangelicæ, nec Imperatorem arripere iura Pontificatus, nec Pontificem vſurpare ſibi nomen debere imperij, innuens ab ethnicis quidē Imperatoribus Chriſtum & veritatem ignorantibus, nomen etiam & dignitatem pontificiam vſurpatam fuiſſe: ſicut cruentus ille Iulius, nec Imperatoris, nec perpetui dictatoris contentus fuit nomine & honore, niſi eſſet & Pontifex maximus, ſed prophano illo Pontificatu, qui erat apud ethnicos. At poſtquam ad verum ventum eſt, ita non docere. Quandoquidem Chriſtus, proprijs actibus, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuiſſet, atque ita diſpoſuiſſet, vt mutua opera indigerent. Quæ vedemus ita vera eſſe, vt Nicolaus ille ſcribit (tametſi ſano intellectu in quibuſdam opus habeant) nihil prorſus noſtræ aduerſantur ſententiæ. Sint ſanè inſtitutæ à Chriſto dignitates vtræque habeant officia diſcreta, & actus proprios, nunquid propterea vna alteri non ſuberit? vna regi gubernarique non debet alterius arbitrio, aut imperio? Nunquid in animantis corpore diſtincta membra non ſunt, manus, pedes & caput? nunquid non habent officia diſcreta, & actus proprios? nunquid propterea in ſuo officio, in ſuis actibus, illa non dependent à capite? nunquid non eius mouentur arbitrio? Quanquam quod Chriſtum proprijs actibus, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſq; diſcreuiſſe dicit, ſane intelligendum eſt. Alterum enim, hoc eſt, pontificiam dignitatem ipſe Chriſtus inſtituit, ipſe ſuam illi ſacroſanctam authoritatē dedit, ſuos actus, ſuum præſcripſit officium.

Alterum vero, hoc eſt, imperatoriam authoritatem, de qua ille loquitur, quæ videlicet à Iulio Cæſare traxit originem. (Nam illius, non Caroli ſucceſſori ſcribit) nuſquam Chriſtus inſtituit, ſed ante Chriſti aduentum, ille ſanguinarius Iulius, nulla commiſſione diuina, nulla authoritate ſibi commiſſa deſuper, ſed vi, ſcelere, perfidia, parricidio & crudeli ſuorum conciuium, ſe meliorum, & bene meritorum de republica, proſcriptione, ac nece, ſine Deo, imo contra Deum inuaſerat, & ſibi ſupra concines ſuos tyrannice vſurpauerat. Cuius nec factum, nec authoritatem vnquam comprobaſſe Chriſtus legitur. Quanquam non ſine ſpeciali Dei permiſſione (qui ſceleratis aliquando pro flagellis vtitur, & cuius iudicia ſunt abyſſus multa) illa ipſa ita accidiſſe nihil dubitauerim. Tam enim ille bonus eſt, vt etiam hominum peccatis & ſceleribus vti ad bonum, & ex malis ſciat bona elicere: alioqui mala nunquam permiſſurus. Ergo cum aliquis aut ſanctorum patrum, aut Pontificum, ad Imperatores ſcribens, dicere videtur, imperatorum authoritatem eſſe à Chriſto, ita intelligendum eſt, non quo ad primam ſui inſtitutionem, & originem, hoc enim euidenter falſum eſt. Nam & ante Chriſtum, & contra Chriſtum, qui eſt iuſtitia & veritas, ab impio & cruento Iulio, contra omnem iuſtitiam, vi primo, & tyrannice vſurpata eſt. Sed quod poſt tractu temporis facta legitima, & iam recepta, & admiſſa intra Chriſti regnum, illi ſeruire debeat, atque ita ab ipſis intelligi debere Imperatoribus, quaſi iam Chriſtiana, non ethnica ſit illa dignitas & authoritas, & velut nunc inſtituta à Chriſto, ita hæc ordiante ac diſponente, vt in Eccleſia ſua duo eſſent gladij, ac eius regimen & gubernationem neceſſarij, alter tamen ſub altero, & vterque illius cui huius ſui regni curam commiſit, & regimen. Itaque inter eoſdem quos citat canones eadem diſtinctione etiam hic legitur ex Gelaſij Pōtificis ad Anaſtaſium Imperatorem epiſtola.

Quomodo ſanè intelligi poſſit imperatoriam authoritatē eſſe à Deo, aut Chriſto.

Imderatores ex Pontificum dependere iudicio non contra.

Duo ſunt quippe Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum, quanto pro ipſis Regibus, & Principibus in diuino ſunt reddituri examine rationem, &c, Noſti itaque inter hæc, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſse redigi voluntatem, ſubijciens exempla pleraque, quibus oſtendit, ſanctos Pontifices etiam in ipſos Imperatores exercuiſse authoritatem iudiciariam, atque illos ſubieciſse excommunicationi & anathemati eccleſiaſtico. Quid hunc ille canonem præterijt, qui apellauit ad canones?

c. Si Imperator noſtræ ſententiæ ſubſcribere, non aduerſari.

Æque huic noſtrę non aduerſatur ſententiæ, c. Si Imperator, cuius verba etiam à nobis citata ſunt ſuperius. Quin potius eandem confirmat per omnia. Dicit enim Imperatorem, ſi modo Chriſtianus eſt, non præſidere, ſed ſubeſſe Eccleſiæ, velut eius membrum, & filium, poteſtates ſæculi, ſi fideles ſunt, neceſſario ſubeſſe Sacerdotibus. Quod ipſum nos affirmamus, & ille impie & contumaciter pernegat.

Quod vero pro ſe facere exiſtimat, quod in eodem c. dicitur, Imperatorem habere ſuę poteſtatis priuilegia, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſecutus eſt, quomodo hoc ſane intelligi oporteat, iam indicauimus. Nam certum eſt, nullo iure diuino, nulla diuinitus illi facta commiſſione primum illum Iulium obtinuiſſe authoritatem imperialem, atque eius priuilegia: quin potius, contra omne ius, diuinum & humanum, ea ſibi vſurpaſſe violenter, iniuſte, perfide, & tyrannice. Eodem modo Octauianum, ſub quo natus eſt Dominus, & qui in imperiali authoritate ſucceſſor factus eſt. Sed de Magno Carolo, atque his, qui in eccleſiaſtico hoc noſtro illi ſucceſſerunt imperio, longe poteſt dici verius, quod diuinitus ſuæ poteſtatis priuilegia conſecuti ſunt: tamen mediante Chriſti inter nos Vicario, cui totius regni ſui curam & gubernationem idem ille credidit, quam de illis, qui ſucceſſerunt Iulio. Quamuis de vtriuſque ſuo quodam modo vere poſſit intelligi.

Ad gloſſam dictorum canonum.

Quod vero gloſſam illorum canonum allegat, vt dicentem, poteſtates has eſſe diſtinctas, imperialem videlicet & Pontificiam, & neutram dependere ab altera pudet ſane literarum imperialium. Cum gloſſæ illæ nihil faciant, quam citare iura pro & contra.

Ita enim dicit in c. Cum ad verum, in verbo vſurpanit. Argumentum cum iſte poteſtates ſunt diuerſæ, quod Imperator non habet gladium à Papa, allegando ſimul iura quæ hic allegat: deinde ſubijcit argumenta in contrarium, vt ſexageſima tertia diſtinctione c. primo.

Item 22. diſt. c. I. in quo dicitur: Omnes quidem toto orbe ſedes epiſcopales, atque earundem diſtinctiones, & ordines Apoſtolicæ Sedis authoritate conſtitutos. Eam vero ſolam illum fundaſse, qui Beato Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura commiſit. Item, quia Papa deponit Imperatorem, quod probat allegatis ad hoc iuribus. Vides, quantum ponderis habeat illa gloſsæ in vnam aut alteram partem allegatio. Quanquam hoc ipſum non inficiamur, has poteſtates eſse diſtinctas. Et quod neutra dependeat ab alia. Hoc enim ſane intellectum de illo vetuſto imperio, à Iulio ducente originem, & per Conſtantinopolitanos Imperatores (ad quos ille ſcribebantur epiſtolæ, ex quibus decerpti ſunt illi canones) eatenus continuato etiam verum eſt, quo ad inſtitutionem videlicet, quamuis non quo ad ſubiectionem. Illius enim imperij authoritas iam recepta intra ouile Catholicæ Eccleſiæ, ſubiecta quidem erat authoritati eccleſiaſticæ at non inſtituta ab eadem. Noſtri vero, quod in Carolo incepit, imperij authoritatem vtroque modo dependere ab eccleſiaſtica, ſupra indubitatum fecimus.

Quomodo probet per Legimus, Imperatorē non habere imperium à Papa ſed à ſolo Deo.

Quod igitur ſubdit: Imperatorem non habere imperium à Papa, ſed à ſolo Deo, hoc ipſum probans per c. Legimus, 93. diſt. Vbi textus. Quod exercitus facit Imperatorem. Et per gloſsam, quæ dicit eum verum Imperatorem, prius quam per Papam confirmetur. Neſcio quo me hic vertam, aut quid potius mirabor in his literis, adeo mihi ſubdit ſtupor quidam ſtupiditatis eorum, qui concinnarunt literas eiuſmodi imperatorias. Scilicet Imperatorem non habere imperium à papa, ſed à ſolo Deo, probatur per c. Legimus, quod dicit, exercitum Imperatorem facere. O demonſtrationem euidentem, in qua contradictorium conſequentis infertur ex antecedente, & e contra. Nam ſi verum eſt, exercitum Imperatorem facere, falſum ſit oportet, Imperatorem habere imperium à ſolo Deo, & vice verſa. Si verum eſt Imperatorem habere imperium à ſolo Deo, falſum eſt, exercitum Imperatorem facere. Audis lector Chriſtiane, quibus ille rationibus cum conſilio omnium ſuorum pſeudomonachorum impugnet & euertat Apoſtolicæ Sedis in ſe ſententiam, adeo vt me plane pudeat literas has legi editas in publico conuentu Principum imperij, imo de conſilio & conſenſu omnium Prælatorum, & Principum Alemaniæ congregatorum Francſordiæ.

Quomodo intelligendum ſit illud Hieronymi dictum quia exercitus Imperatorē faciat.

Sed dicis, ſi verum eſt exercitum Imperatorem facere, ſaltem ex eo conſequi Imperatorem non à Papa habere imperium. Dico primum Hieronymum (ex cuius ad Euagrium epiſtola illud c. à Gratiano excerptum eſt) illic non loqui de Imperatore Romano, ſed de quolibet Duce cuiuslibet exercitus, dicentem ita Sacerdotes à principio in Eccleſijs ſingulis vnum inter ſe elegiſse in remedium ſchiſmatis, quem collocatum in excelſiori loco, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus ſibi Imperatorem faciat, hoc eſt capitaneum ſibi aut Ducem eligat. Sibi, inquit, non orbi, aut Romano imperio. Vides illis verbis non affirmari à Hieronymo, quod authoritas creandi Romanum Principem ſit penes exercitum. Deinde, vt daretur fuiſse aliquando (quæ tamen magis facto vſurpata extitit, quam legitima ratione conueniens) quemadmodum etiam nonnunquam Romani imperij principes militari tumultu creatos legimus. Hoc tamen negari non poteſt, etiam penes ſenatum, & optimates imperij fuiſse hanc authoritatem ratione magis legitima, ſicut & multo plures, ſenatus authoritate & iudicio, quam militari impetu

factos

Digitized by Google

factos indubitatum eſt. Magis etiam æquum & legitimum eſt, vt maturo ſenatus & optimatum iudicio reipublicæ prouideatur de optimo Principe, quam vt militari hoc permittatur temeritati. Quæ ergo hæc eſt argumentatio, etiam vt daretur de Romano Principe loqui Hieronymum: Exercitus facit Imperatorem, ergo non Papa? Nam poteſt vtrunque eſse, vt & exercitus aliquando Imperatorem fecerit, vt etiam fecerit ſenatus, fecerit quoque & Papa. Hoc certum eſt, ſi de Imperatore Romano intelligi quis velit illud dictum Hieronymi, de illis Imperatoribus neceſsario intelligendum eſse, qui ex illa gentilitate, atque adeo à Iulio Cæſare trahebant originem: non vero de his noſtris, qui originem ducunt à Magno Carolo, qui annis circiter quadringentis ſubſecutus eſt Hieronymum. In illis aliquando verum fuit factum Imperatorem ab exercitu. In his nunquam, ſed primum Carolus pro ſe & ſucceſſione ſua vniuerſa Imperator factus eſt à Romano Pontifice. Ea vero deficiente in Otthone tertio, electione, non exercitus, ſed ſeptem Germaniæ procerum deinceps facti ſunt. Idque authoritate Romani Pontificis. Cum alioqui illi ſeptem nullam haberent authoritatem eligendi præ alijs.

Quam impudenter & ridiculè arguant ex gloſſa c. Legitima.

Quod vero etiam gloſsam illius c. in verbo (Imperatorem) allegat dicere, eſse verum Imperatorem, antequam confirmetur à Papa: iterum pudet, & Imperatoris, & imperij, quod eiuſmodi pudendis nugis, & ridiculis allegationibus, authoritatem ſuam tueri debeant. Gloſsa illa ſuo more notat illinc poſſe trahi argumentum, quod ex ſola electione Principum ſit verus Imperator, etiam antequam confirmetur à Papa. Sed continuo ſubdit, quod contrarium eſt verum, pro c. Venerabilem, & alia iura quæ allegat. Quanquam ſatis craſsus fuerit ille gloſsator, nec intelligens ea quæ exponit, nec notans notabilia, & quæ nihil prorſus ad rem faciunt annotans.

Aliarũ collectionum eiuſdem inefficacia, & ſtupiditas.

Inſuper cum ex prædictis ſuis allegationibus vult manifeſtè conſequi, Papam non habere poteſtatem vtriuſque gladij, alioqui poſse etiam in temporalibus appellari ad ipſum Papam, ſi imperium haberetur à Papa, contra can. Si duobus, de appell. & iura concordantia, concludens ex eo quod poteſtas imperialis ſit immediate a Deo, & quod Imperator antequam iungatur aut coronetur, habeat poteſtatem imperialem. Non video, quo pacto, etiam ſtudio quis poſset ineptire ineptius, & minus cohærentia connectere inuicem. Qua enim lege argumentationis ſequitur ex ſuperioribus, Papam non habere poteſtatem vtriuſque gladij, niſi ea qua quodlibet ſequitur ex quolibet? Alioqui, inquis, poſset in temporalibus appellari ad Papam, ſi imperium haberetur à Papa. Sed quis vnquam ſomniauit à Papa haberi imperium? Hoc diximus, authoritati eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis ſubeſse etiam omnem ciuilem authoritatem, quæ eſt in Eccleſia. Eius cura, regimine, & imperio moderari debere vtrunque gladium, quo conſeruetur vnitas domus eccleſiaſticæ. Potuiſse quoque committere alterum illum gladium viro forti, qui eundem pro Eccleſiæ neceſſitate diſtringeret, ſicut ipſum commiſit Magno Carolo, atque eius ſucceſsoribus. Quod ergo in temporalibus poſſit appellari ad Papam, vt valet conſequentia? Eſt alicubi conſtitutus finis certorum iudiciorum, vnde nec ad indubitatum eorundem ſuperiorem poſſit prouocari, ne nunquam ſit finis litium: vt nec à ſenatu Melchlinienſi, nec à Bruxellenſi, nec deniq; à Traiectenſi, vlla admittitur prouocatio, neque ad ſuum indubitatum, recognitumque Principem. Ex quibus quando concluditur, quod poteſtas imperialis ſit immediate à Deo & quod Imperator habeat poteſtatem imperialem, priuſquam conſecretur aut coronetur à Pontifice: non intelligo quid cerebri fuerit illis hominibus, quod eos nihil puduerit in re tanta, & quæ tam Principis, quàm imperij nomine ederetur in orbem, contra Apoſtolicæ Sedis authoritatem, ita impudenter, ſine vllo delectu, ſine vlla argumentationis lege, velut quodlibet inferre ex quolibet.

Aſſertio ſecunda obiectionis aduerſus ipſã factę. Electum Imperatorem, cuius à ſede apoſt. reprobata eſt electio, non ſe poſſe adminiſtrationi immittere.

Quod dicit ſecundo loco obiectum ſibi, de reprobata & caſſata ſua electione per Pontificem, quodque ea non obſtante, nihilo minus adminiſtrationem imperij contra ius & fas vſurpauerit. Addens Pontificem publicaſſe per mundum, quod Italiam vniuerſam ſeparaſſet à regno Alemaniæ & imperio. Additio quidem hæc notorie falſa eſt, & impudens mendacium. Nunquam enim inuenietur hoc feciſſe aut Ioannes ille XXII. aut quiſquam alius. An poſſet facere, alia quæſtio eſt. Obiectio vero contra ipſum facta, iuſta fuit & legitima, quandoquidem luce clarius demonſtrauimus, omnem huius imperij noſtri authoritatem, dependere ab authoritate eccleſiæ, & Romani Pontificis, per quam primo ipſi Carolo pro ſe & ſua poſteritate datum eſt, deinde ea deficiente deſignatis Apoſtolicæ Sedis authoritate electoribus, electiuum factum eſt: ea tamen lege, vt electi confirmatio ad Romanum pertinere Pontificem, cui eadem ante ipſum Ludouicum ab initio viſitatæ electionis eiuſmodi, ab ipſis electis Imperatoribus, & imperio, ſemper fuerat recognita. Quod vero dicit illam caſſationem electionis, & electi reprobationem factam à Pontifice, eſse & fuiſſe nullius roboris aut momenti, ob defectum authoritatis, & iuriſdictionis in eodem ſuper Imperatore electo, aut imperio per iura ſupra allegata ab ipſo, & à nobis diſcuſſa: iam clariſſime demonſtrauimus, hoc ipſum eſſe falſiſſimum.

Quæ dicit contra validitatem latæ aduerſum ſe ſententiæ excommunicationis à Pôtifice, non libuit adſcribere, quod ea verboſiſſime & confuſiſſime congerit, & fere ad hanc cauſam non pertinent. Tamen qualia ſint, ex his, quæ audiſti ſuperius, cuiuis facile conjectare eſt.

Rom. Pont. licite abſoluere ſubditos à iuramentis fidelitatis.

Vnum illud prætereundum non putaui, quod affirmat latam illam aduerſum ſe excõmunicationis ſententiam, ex eo nullam, quod intolerabilem errorem in ſe continuerit, interdicendo omnibus fidelibus imperij, ne reprobato, & execrato Ludouico obedirent vt Imperatori, abſolutis eiſdem à iuramentis, ſi quibus eidem adſtricti fuerant, quod legi Dei dicit eſse contrarium, quæ ſubditos ſuperioribus poteſtatibus obedire præcipit. Quod ipſum velut hæreticum iſte, aduerſus quem

Digitized by Google

egimus Marſilius, toties deteſtatur in Romanis Pontificibus. Et affirmat eſſe manifeſtam hæreſim, vt quis poſſit abſoluere ſubditos à iuramento, quo adſtringuntur fidelibus Dominis. Nolim enim ſi fortè in hæc pius quiſquam, ſed incantus incidat, vllo inde aduerſus ea quæ hactenus ptobauit totius Chriſtianæ ecelesiæ conſenſus, moueatur ſcrupulo: ſi impius, vt ſe arma efficacia, quibus pietatem oppugnet, inueniſſe exiſtimet.

Nota eſt omnibus Galliarum hiſtoria, vt eius iura & ſceptra, ad Pipinum & Carolum, poſteritatemque ipſorum peruenerint. Cum in Hilderico Rege ignauo, & ſocordi, qui ex gentiliratis antiqua illa ſucceſſione fuit Francorum Rex vltimus, eadem regno inutilis facta eſset ſucceſſio, ex authoritate Zachariæ ſanctiſſimi Pontificis, illo abrogato, abſolutis à iuramento fidelitatis, quo illi adſtricti ſuerant regnicolis; miniſterio S. Bonifacij Epiſcopi, & martyris, Pipino pro ſe, & ſucceſsoribus ſuis commiſsa ſunt eius regni gubernacula. Quod ſi hæreticum eſt, ſubditos poſse abſolui à iuramento fidelitatis, quo ſuis principibus adſtricti fuerant, perfidos neceſſe eſt, & periuros fuiſse omnes ſubiectos regno Franciæ, quod deſerto illo Hilderico, cui ante vt regi fidelitatis iuramento adſtricti fuerant, ſequerentur Pipinum & Carolum, perfidos & periuros, etiam hos glorioſiſſimos, Chriſtianiſſimos, & ſanctos principes. Quod cum reprobet totius Chriſtianę ecclesię octingentorum circirer annorum conſenſus, apud quam horum ſancta, & glorioſa memoria in benedictione celebrara eſt, neceſse eſt, vt impia & hæretica ſit illa eius ſententia, qua affirmat eſse hæreticum, vt poſſint ſubditi abſolui à iuramento fidelitatis, quo ante adſtricti fueranr ſuis ſuperioribus fidelibus.

Zacharias ſanctiſ. Pontifex Francos abſoluit à iuramento fidelitatis, quo Hilderico adſtricti fuerant.

Conſenſus catholicæ Eccleſiæ.

Quanquam, quod fecit Ioannes XXII. mandans imperij fidelibus ne Ludouico obedirent vt Imperatori, eoſdem abſoluens à iuramento, ſi quod forte illi vt tali præſtiterant, non tam abſolutio fuerit à iuramenti vinculo, quam declaratio, quod eo non tenerentur adſtricti, vt per errorem præſtito illi, quem eum non eſset, crediderant legitimum principem. Nunquam enim ille, cuius legitime reprobata fuit electio, legitimam vllam authoritatem electione eiuſmodi aſsecutus eſt. Quare fidelitaris iuramenta, vt tali ſcienter præſtita, fuerunt illicita: quæ per errorem æque non obligatoria. Eodem modo ſi cui abrogata eſt legitima, quæ ſibi ante competijt authoritas, ab eo ad quem hoc pertinet, ipſo facto à vinculo quoque iuramenti, quo eidem eactenus obligati fuerant, abſoluti. Itaque quoties Apoſtolicæ Sedis authoritate, imperio priuati ſunt Imperatorum quidam (quod ſæpe factum & legitime factum ſuperius demonſtrauimus) eo ipſo abſoluti fuerunt omnes fideles imperij à iuramento, quo illis eactenus adſtricti fuerant. Ita, vt abſolutio à iuramenti vinculo pro imperij fidelibus, adiũcta in illis ſententijs, nihil aliud fuerit, quàm mera declaratio, quod illo amplius non tenerentur adſtricti. Quin potius ſine abſolutione eiuſmodi, ipſo facto quo illi priuati fuerunt legitimo imperio, iſti illis ſubeſse deſierunt. Itaque quamuis doceant apoſtolicæ literæ, ſubditos obedire ſuis præpoſitis, & ſuperioribus, non tamen docent, præpoſitos & ſuperiores non poſse in ordinem redigi à ſuis quoque ſuperioribus, aut magiſtratu amoueri: cum hoc euidenter falſum ſit. Amoto autem magiſtratu aliquo, iam amplius exigere non poſse per Apoſtolicam illam ſententiam, obedienriam ab his, qui antea fuerant ſubditi, indubitatum eſt, cum præpoſitus eſse deſierit.

Solutio rationis quam afferunt ex Apoſtolo.

Vides itaque lector Chriſtiane qualia ſint, quàm inania, quam pudenda, quæ illi tam confidenter; aut potius impudenter, in facie totius orbis obijciunt aduerſus authoritatem Sedis Apoſtolicæ, quibus eius ſententijs detrahunt, doctrinam inſectantur vt hæreticam, ipſi hæreticiſſimi, circa fidem reprobi, nec intelligentes, quid aut de quo loquantur.

Quod proſtremo additur in illis litteris, ad oſtendendam nullitatem aduerſus Ludouicum latæ excommunicationis ſententiæ, quod lata fuerit poſt appellationem legitime interpoſitam ad vniuerſale Concilium: præſertim cum pro defenſione iuris imperij (quod à iure diuino, & fide Catholica dependere prætenditur) dicit ſe appellaſſe contra aduerſantes ſibi, ipſumque, & imperium, Fidemque Catholicam, quam Sancta Romana tenet Eccleſia, impugnantes. Proinde ſua illa, qua fungebatur, authoritate declarare irritam, nec obſeruandam à Chriſti fidelibus. Audis quidem hic lector verba ampulloſa, & grandia, ſed in quibus diligentius excuſſis nec micam veritatis inuenias. Quod Chriſtus regni ſui hierarchiæ vnum præfecerit, cui paſcendas, regendaſque commiſit oues ſuas vniuerſas, his illi obediendi neceſſitate impoſita, irrefragabiliter à nobis ſuperius demonſtratum eſt. Vt autem à paſtoris iudicio ad ipſas oues prouocetur, ab ouibus rebellibus & contumacibus, vt oues ſibi, ſuoque iudicio paſtorem ſuum ſubijciant, non permittit ordo, non leges huius regni Chriſti, imo ipſa rerum natura non patitur. Quare non poteſt eſſe legitima appellatio ab eius authoritate, quam ſupremam, & ſummam in Eccleſia ſua Chriſtus inſtituit, cuius Sacroſancta, & ſine diſcuſſione omnibus ſequenda ſunt iudicia: quemadmodum toto libro ſuperiori euidens fecimus. Quod autem dicit iura imperij dependere à iure diuino, & fide catholica, quid veritatis in ſe contineat, ſupra explicauimus: vt vero dependeat, omnia inde exorta dubia, quæſtiones, & controuerſias, ad authoritatem Apoſtolicæ ſedis atque eius Præſidis pertinere, eiuſque definiri iudicio, eodem ſuperiori libro etiam clariſſimè demonſtrauimus. Quare quis in prædictis impugnauerit fidem Catholicam, quam ſancta Romana tenet Eccleſia, ille ne Ludouicus, eidem Eccleſiæ rebellis & contumax: an eiuſdem eccleſiæ Pontifex, vna cum ſuis Conſacerdotibus, ſecum in eadẽ ſeruientibus domino, ex prædictis ſatis euidens factum eſt.

Ad vltimam rationem Ludouici.

Non poſſe fidelibus prouocari à iudicio Ro. Põt. ad qualecumque vniuerſale concilium.

Itaque vt hic tandem finiamus, hoc vellem ſibi perſuaderent omnes Reges, Imperatores, & Principes, quocunque tandem cenſentur nomine, modo Chriſtiani cenſeri voluerint, ſe membra eſſe vnius eccleſiaſtici corporis, vnius regni Chriſti conciues, aut conſerui potius, & quemque accepiſſe commiſſam

Exhortatio ad Chriſtianam cõcordiam.

ſibi

ſibi authoritatem, in vtilitatem mutuam, & totius corporis. Quam indubie aſſequerentur, ſi ſe ſuamque authoritatem totius Eccleſiæ paſtoris,& rectoris habeuis regendam fideliter permitterent. Sic enim domi inter nos Chriſtiana, fraternaque pace florerent omnia, & nihil eſſet, quod externum vllum hoſtem formidare deberemus. Nunc verò, cum membra inter ſe belligerentur, eo quod vnum non ſubſit alteri, & recuſant ſubeſſe communi capiti, vnde vna eſſet inter ipſa concordia, vna in mutuam ſalutem procurandam colligatio: neceſſe eſt,vt conſequantur quæ nunc videmus fieri, vt pluſquam ciuilibus bellis, intra eccleſiaſtici corporis viſcera, in mutuam noſtram, & totius graſſemur perniciem: vt contra ſe fœdis, miſerandiſque modis tumultuentur, ſtupris cædibus, incendijs, diuina, humana, ſacra, prophanaque miſceantur, confundanturque omnia. Quæ aliunde non proueniunt, quàm quod imaginantur omnes, ethnicam potius dominationem, quàm Chriſtianum magiſtratum ſe gerere, quam ſeruire ſe regno Chriſti, & communi Imperatori, & domino: Quodque eius Vicario debitam obedientiam detrectent. Qod indignum putant, ſe regalibus, imperialibuſque tumentes, inflatoſque titulis, ſacerdotali ſubmittere imperio, nunc generis humilitatem, nunc vitæ fortaſſis indidignitatem in illis reſpicientes.

Vnica inter membra vnius corporis bella plus quã ciuilia.

Sed quid ſuperbis terra,& cinis? quid confratrẽ ab eodẽ conditore Deo ad eandẽ creatũ imaginẽ præ te deſpicis, quẽ ipſe tibi Chriſtus præfecit?quid te obcæcat aurũ,quo obtectus es, & purpura? Nam & tu, terra es, & in cinerem conuerteris. Vnius Adæ, vnius Noe omnes ſumus filij. Et hæc lex regni Chriſti eſt, vt illi te ſubdas humiliter, cui idem ipſe ſui regni curam commiſit, & regimen. In Chriſtum, redundat iniuria, & contumelia, ſi quam irrogas eius Vicario, Chriſto es inobediens, & contumax, ſi illi quem tibi præfecit obedire contemnas. Sicut è contra, quicquid honoris, reuerentiæ, & obedientiæ eo nomine illi impenderis, qualiſcunque tandem proprio merito fuerit, ipſi Chriſto impenditur. Quem certum eſt habuiſſe præ oculis Chriſtianiſſimos Principes, & religioſiſſimos Imperatores, qui ſupplices adorauerunt veſtigia pedum Romanorum Pontificum, atque ad eadem exoſculanda ſe demiſerunt. Quod ipſũ adeo nihil minuit eorum dignitatem, & authoritatem apud ſubditos, vt tanto ſemper eadem maior fuerit, quanto ſe fidelius humiliauerunt ſub ipſo Chriſti Vicario. In ſumma hæc vnica, & certiſſima ratio eſt reparandæ, & perpetuo conſeruandæ Chriſtianæ vnitatis, & concordiæ in Catholica Chriſti eccleſia (quam ille ſub nomine defenſoris pacis impugnat plus quàm hoſtiliter) ſi omnes fidem, religionemque Chriſti, vt à maioribus eam accepimus, ſanctæ religioſeque colamus, nihil admittentes nouitatis prophanæ, ſi meminerimus omnes membra nos eſſe vnius corporis, ſi nemo Rex, nemo Princeps, aut Imperator ſibi, ſed vni Chriſto, & ad vtilitatem totius eccleſiaſtici corporis imperare ſe cogitet: proinde ab illo, qui vice Chriſti toti ſuperintendit Eccleſiæ, ouilique Chriſtiano, libenter ſe regi permittat, eius imperijs fideliter obſequatur, nec imaginetur ſuæ dignitati, authoritatique aliquid detrahi, quo minus libera, nec vllis obligata habenis, ſibi ſit imperandi authoritas, ſed ea ſuperiori authoritati ſubdita. Quandoquidem ſubiectione eiuſmodi communicatur atque inuicem cõſpirat membrorum, quam vis diuerſiſſimorum, vtilitas, nec aliter poſſent aut mutuam totius ſalutem procurare omnia: quin potius in mutuam,& totius conuerterentur perniciem. Quemadmodum ſi imaginaremur mẽbra humani corporis (cui aptiſsime comparatur corpus eccleſiaſticum ab Apoſtolo) vnum quodque, ſine reſpectu alterius, non expectato capitis imperio, imo contra eius imperium, ferri pro arbitrio proprio. Non ſolum enim mutuam, & totius corporis non procurarent ſalutem, hoc quidem in digniori, illud verò in abiectiori viliorique, tamen neceſſario etiam officio: non laborent manus ocioſo (vt ipſæ dicerent) ventri, ſed etiam ſequeretur neceſſario, & ſchiſma, & pugna in corpore: aduerſus ſeſe inſurgerent, & ſeſe mox vna cum toto exterminarent. Quam rationem, & reparandæ, & conſeruandæ in Eccleſia Chriſtianę vnitatis, & concordiæ, vt Chriſtus miſericordiæ ſuæ oculis aliquando nos reſpiciens, amplecti, ſequique faciat, pijs votis precandum eſt. Sed plurimum vereor, ne non permittant peccata noſtra, & ſcelera.

Vnica ratio reparandæ, & conſeruãdæ in Eccleſia Chriſtianæ vnitatis, & cõcordię.

CAP. XVI.

Ditionem ſecularem Eccleſiæ vindicare ab hoſtium eius calumnijs.

VNam adhuc reſtat diluere calumniam, quam maligni hi detractores ſtruunt Eccleſiæ, & non multum abhorrentium ab his principum auribus, & animis ſedulo inſtillare non ceſſant, perſuadentes ipſis iniuſte detracta, quæ Eccleſiæ poſſident: præſertim vero Romanæ eccleſiæ ipſis ditio inuidioſa eſt, quam vi, fraude, & ſcelere Romanorum Pontificum, Romano detractam calumniantur imperio: in grauem, & intolerandam iacturam imperij: eiuſmodi peſtiferis perſuaſionibus harum rerum ignaros principes armantes in eccleſiam, quorum eſt eandem tueri officium. Ita Carolus ille cognomento Magnus, etiam teſtamento obligauit ſuos filios, vt ſuper omnia curam, defenſionemque eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſciperent, ſicut, inquit, quondam ab auo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ Pipino Rege, & à nobis poſtea ſuſcepta eſt,vt eam cum Dei adiutorio ab hoſtibus ſuis defendere nitantur, & iuſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulauerit, habere faciant.

Supra demoſtrauimus, vt eccleſiaſticam ſuam domum Chriſtus ipſe hinc abiens in regionem longinquam, velut procuratorio aut Vicario nomine regendam, adminiſtrandamque Petro commiſerit, & qui illi in eo officio ſucceſſerunt Romanis Pontificibus. Itaque ad eorum pertinere authoritatem,& officium, vt omnibus, qui in eccleſiaſtica domo continentur, ſua poſſint præſcribere officia: omnes continere in vnitate, in concordia, in officio: ab omnibus poſſint ſuorum officiorum rationem

Breuis repetitio eorum, quæ ad Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis officium, & authoritatem pertinent.

hrm exigere, deliuquentes punire, exceſſus corrigere, quin & officio amouere, quos deprehenderunt inntiles. Exortas in eadem domo quæſtiones, & controuerſias, ſua definitione, & authoritate terminare atque componere.

Breuiter, omnem altitudinem ſeſe efferentem aduerſus catholicam orthodoxamque fidem, aduerſus Sanctorum patrum eccleſiaſticos canones deijcere, & redigere in ordinem. Hæc neceſſario ad patremfamilias domus eccleſiaſticæ, aut eum qui ipſius vices gerit, pertinent: ſi modo totius neceſſaria vnitas, & concordia, cooſenſuſque, & conſpiratio membrorum eius omuium in mituã, & totius vtilitatem conſeruari debeat. Hanc ab omnibus authoritatem, qui ad eandem familiam pettiuent, ſanctæ fideliterque in eodem recognoſci, venerari, & reuereri oportere eſt planè neceſſarium.

In primitiua illa Eccleſia haud fuiſſe opus vllo externarum rerũ ſplendore in Eccleſiaſtic. hierarchiæ præſide.

In hac domo, quàm diu laborabat ſub preſſuris, & afflictionibus penè continuis, ſub poteſtaribus huius ſeculi, quàm diu fere nullos habuit, quàm ſeculo iguobiles, contemptos, & humiles, quàm diu penè certo vitæ, & temporalium bonorum periculo Chriſtianum nomen aut accipiendum, ant retinendum fuerat: vt mutuam intet ſe ſeruarent Chriſtianam illam vnionem, & concordiam, vt religioſe ſubeſſent authoritari ſui capitis, & velut patrisfamilias, vt eius habenis, & imperio diligentet, libenterque obſequerentur, haud erat opus vllo cxternarum rerum ſplendore in ipſo capite, ſed pauperes, & humiles, ant qui ſe, ſuaſque fortunas omnes contempſerant, & in certum pene periculum vitro coniecerant, quo Chriſti adſcriberentur ouili, & familiæ, non dedignabantur eius paſtori, & rectori, quantumuis humili, & abiecto ſecundum ſæculum, eiuſque ſacroſanctæ authoritati, propter Chriſtum ſe humiliter ſubdere.

At quum placuit Chriſto pacem dare ſuę Eccleſiæ, cum eius fores pàndere, & paſſim in eam introducere vniuerſos, etiam huius ſæculi poteſtates, reges, principes, regnaque, & imperia non ignotauit idem, conſcius infirmatis humanæ, conſcius arrogantiæ, & ſuperbiæ, ſacroſanctæ illi authoritati, quam Petro ſucceſſoribuſque eius commiſerat, etiã alia ratione prouideri oportere, quo maneret iam non ſolis Sanctis, & Martyribus, non ſolum humilibus, & abiectis ſecundum ſæculum, ſed etiam ſæcularibus hominibus, ſæculi poteſtatibus, & qui auro, & purpura ſuperbinnt, Regibus, Principibus, & Imperatoribus, venerabilis: eriam metuenda nocentibus, ſceleratis, & tranſgreſſoribus: quo remanerer, & libera, & efficax ſuper vniuerſa membra eccleſiaſtici corporis, etiam ſuper ipſos reges, & principes.

Itaque vt ratio amplius non ferebat, ſacroſanctæ eius authoritatis ſedem, quam vrbem illi Romam (quo taudem compleret Danielis à ſe prædictum oraculum) diuina elegerat prouidentia, ſeruire ſæcularium principum, aut Imperatorum imperio: ne forre, cum id res exegiſſet, & eccleſiæ neceſſitas, non potuiſſer caput Eccleſiaſtici corporis ſua membra continere in officio, non potuiſſet in ſupra ſe efferentes ſuperbe imperatores, aut principes exercere libertatem diſtrictionis eccleſiaſticæ. Ita eadem otdinante prouidentia factum eſt, vt mox data pace eccleſiæ apertiſque eius foribus pro admittendis paſſim omnibus, & in primis ingreſſo in eandem Conſtantino Imperatore, idem Romani imperij domicilium, Petri ſucceſſoribus, & ouilis Chriſti rectoribus cederet. Nam idem ipſe iam Chriſtianis dogmatibus imbutus, & diuinitus etiam illuminatus facile intelligebat non conuenire, vt vbi ſacerdotij principatum, & Chriſtianæ religionis caput imperator cœleſtis inſtituit, illic imperatot terrenus haberet poteſtatem. Quin magis (vt illius Nicolai verbis dicam) ipſa beati Petri Sedes in Romano iam proprio ſolo collocata, libertare plena in agendis per omnia potiretur: nec vlli ſubeſſet homini, quæ ore diuino cunctis dinoſcitur eſſet prælara. Decet namque Rom. Pontificis, vt Chriſti Vicarij, & cui totius eccleſiæ ſuæ, membrorumque eius omnium curam, regimenque idem ille commiſit, liberam eſſe authoritatem, iudicia libera, vt nullus illum ſecularis poteſtatis metus, nullus error exterreat, ſupra quam poteſtatem ſuam libere exercere debuit. Certe ita factum comprobat mille ducentorum circirer annorum totius eccleſiæ conſenſus atque ipſa rei euidentia. Ita quoque, & deciiſſe, oportuiſſeque fieri demouſtrat ea, quam audiſtis, ratio.

Diuina prouidentia factum, vt Cõſtantinus ſedem Romã. imperij Petri ſucceſſoribus cederet.

c. fundamẽta, de elect lib. 6.

Diuina verò ordinatione, non humano errore, non vi, fraude, aut ſcelere cuiuſquam factum, non ſolum illa Gamalielis ſententia comprobat, ſed etiam diuinum oraculum, quo primum per Eſaiam futurum prædixit, vt reges terræ, & principes ſe humiliarent ſub eccleſia, & eius præſidibus: & curui adorarent veſtigia pedum eorum, addens æternæ damnationis intermi nationem his, qui hoc ipſum detrectarent facere. Gens enim, inquir ille, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribir. Deinde, & illo, quo per Danielem prædixit, regnum hoc Chriſti, ſibi ſpecialirer ſubiugaturum, & comminuturum Romanum imperium, quod ab illo Iulio, & Romanis traxit originem. Quod iam plane redactum videmus in fauillas, & cineres, ita vt nullæ eius ſuperſint reliquiæ. Nam quod adhuc durar imperium inchoatum ab illo Carolo, eccleſiaſticum eſt imperium, ab illo vetuſto plane diuerſiſsimum, non ſuccedens veteri, quin potius cum eodem concurrens, donec illud plane extinctum ſit.

Diuinæ ordinationis teſtimonium.

Eadem æterna Dei ſapientia, humani ingenij, morumque noſtrorum conſcia, cum pateſeciſſet Eccleſiam, etiam Regibus, principibus, Imperatoribus, ſane intelligens carnalibus hominibus, vt eſt pars maxima eccleſiæ, præſertim tumentibus, & inflatis regali faſtu, ſceptro, & purpura, non ſatis reuerendam fore, & venerabilem ſacroſanctam illam authoritatem, à qua regi voluit voiuerſam Eccleſiam, ſi abiecta lateret in paupertatis ſordibus, eidem conceſsit vt ſugeret lac gentium, & vt lactaretur mamilla principum. Ad eandem tranſtulit glotiam Libani, & externarum rerum affluentia etiam ſublimauit, & extulit ſuper Reges, & Principes: quemadmodum ſe hoc facturam Eſaiæ oraculo tam diu ante prædixerat: Ita factum videmus, vt nulla vi, nulla fraude, nulla ambitione, ſed legitimæ donationis, & vltroneæ ſubiectionis titulo

tulo

Digitized by Google

culo maxima pars Italiæ paulatim accreuerit ditioni Romanæ Eccleſiæ.

Blondus Foroliuienſis poſt Lateranenſem illorum ſere temporum ſcriptorem author eſt, quod poſtquam deficiente in Italia illo Romanorum Imperio, Longobardi maximam eius partem ſuæ ditioni ſubieciſſent, longoque tempore poſſediſſent, Arithpertus Longobardorum Rex, zelo Religionis accenſus, donauerit Beato Petro, atque eius Cathedram tenenti Ioanni VII. præter Hexarchatum Raueunatem, etiam Alpes Cocias, in quibus eſt vrbs Genua,& quidquid ab ea ad Alpes vſque Galliarum fines continebatur. Cui vno conſenſu ſubſcribunt ſcriptores vniuerſi. Hanc donationem eiſdem illis authoribus Luithprandus eiuſdem gentis Rex confirmauit: In primis Gregorio III. tametſi adhuc ſibi retineret vrbem Rauennatem, quam expugnauerar. Deinde ad Narniam venienti Zachariæ ſucceſſori Gregorij, vt Italiæ pacem componeret, idem Rex octauo miliario honoris cauſa obuiam factus, & ex equo deſcendens pedibus ſanctiſſimum, rametſi reluctanrem ne faceret, in ciuitarem comitarus eſt. Quo die inſequenti, inter miſſarum ſolemnia publica oratione docenti Chriſtiani Regis officium ſeu pacem, ſeu bella gereret, ita tradunt permotum Regem, vt ſtatim omne pacis componendæ arbitrium illi permiſerit. Cui tunc reddidit etiam Oppida ſua in Sabinis capta, reddidit, & Narniam, & Anchonam ex Picentibus,& quicquid à Longobardis triginta iam annis in Hetruria occupatum fuerat. Suttini quoque agri vallem magnam dono dedit Pontifici. Quem redeuntem Romam, Hildebrandus dux Cluſinus, regis nepos, & Ramingus dux Tuſciæ,comitati ſunt:atq,Oppida donata reddiderunt.A quo tempore,ad quartũ deinceps Regem Longobardorum Aiſtulphum ſua omnia in pace poſſedit Romana Eccleſia.

Arithpertus Loogobard. rex quæ donauerit Romanæ Eccleſiæ.

Sed vir ille ſuperbiſſimi, & perfidi ingenij, pacis hoſtis, mox inuaſit ditionem Eccleſiæ, & Rauennam cum Hexarcharu eidem abſtulit. Qua cauſa Stephanus Secundus ad Pipinum in Franciam profectus,vt eius imploraret auxilium, nullo non honoris genere ab eodem exceprus eſt. Siquidem ille Carolus Pipini filius, rum adoleſcens mox Regni limites ingreſſum excepit, & centum miliaribus comitatus Cariſiacum vſque perduxit. Cui Pipinus occurrens ad tertium lapidem, & equo deſcendens, Pontificis pedes venerabundus oſculatus eſt, & pedes incedens à freno equi quo vehebatur Pontifex, nunquã diſcedere ſuſtinuit, donec perductum in Vrbem collocaſſet in cubiculo, vbi diuerſurus erat. Ea tunc extitit maximorum, & florentiſſimorum regum erga Romanos Pontifices reuerentia. Poſt expoſitam deinceps ſui aduentus cauſam, Pipinus ſub iureiurando promiſit Pontifici,Eccleſiæ ſe cauſam defenſurum pro viribus. Quamuis adeſſent etiam ab Aiſtulpho oratores, qui Regis animum in diuerſum ſolicitarent. Quo magnopere id expetente, Pontifex Apoſtolica authoritare, & ſacra inunctione, in Regiæ digniratis honore confirmauit Carolum, & Carolomannum Pipini ipſius filios. Quem deinde ſecundo eum exercitu ingreſſum Italiam (nam prima vice Aiſtulphus perfidia ſua ipſum eluſerat, quamuis vltra iuſiurandum, datis de reſtituendo ablata Eccleſiæ omnia obſidibus) oratores Conſtantini Imperatoris Conſtantinopolitani, Ioannes Silentiarius, & Gregorius Protoſecretarius, in agro Papienſi conueniunt, datiſque muneribus orarunt, vt Rauennam, & eius Hexarchatum, imperatori Conſtantinopolitano (cuius eſſet iure) non Pontifici Romano redderet. Quibus ille:. Non ſui commodi cauſa iam ſecundo veniſſe in Italiam, ſed propter animæ ſuæ ſalutem reſpondit, ne videlicet Longobardi Eccleſiam laceſſere pergerent. Rauennam vero, atque eius Hexarchatum, cæteraque quam occupaſſent in Italia, ſe velle illis auferre, & Romano Pontifici reddere. Quod fecit, coacto ad deditionem Aiſtulpho.

Stephanus II. contra Aiſtulphum ditionem Eccleſiæ occupantem, Pipini Francorum Regis implorauit auxilium.

Stephanus petente id Pipino, Carolum, & Carolomannum eius filios apoſtolica auctoritate in Reges côſecrat

Erat autem Hexarchatus in regiones duas diſtributus, Pentapolim, & Emiliam. Pentapolis habebat vrbrs quinque, Rauennam, Ceſennam, Claſſenſis, Forumliuij, Forumpompilij. Emilia à foro Cornelio, quam nunc Imolam dicunt, vniuerſa quæcunque eiuſdem nominis via, omnium Italiæ celeberrima, per Bononiam, Mutinam, Rhegium, Parmam, & Placentiam, ad Padum vſque cumplectitur, continebat. Agrorum autem terminos, à ſummis Apennini iugis ad Padum vſque (ſicut, & nunc) protendebat, Rauennatem quoque agrum, ab ipſo pariter Apennini iugo, per Fauentinos ad Padum, & per Ceſennates Ceruienſeſque, cum ſua item agri portione, à ſummo Appennino ad Adriaticum mare. Quicquid præterea, aut agri, aut terræ inter Mintium, Padumque interiacet, à Veronenſis, Vincentini, & Patauini agrum finibus in Venetorum ſtagna aque Adriaricum pelagus continebatur. Ira, vt non minus Ceruia, Ceſenna, Fauentia, Comacium, & Ferraria, quam aliæ, quas ſub Pentapoli nominauimus, ſub Rauennari Hexarchatu cenſeretur. Breuiter ipſa Hexarchatus appellatione continebatur, quicquid à Placentinis agri Papienſis finibus, Padum inter,Apenninum, Venetorumque paludes, & ſtagna, ad Adriaticum mare pertingit, fluuium,qui nunc Folia dicitur, Apennino, Adriaticoque hinc ille clauditur, & vltra Ariminum, Concham poſtea mari ſubmerſam, Piſaurum, Fanum, Vrbinum, Colles Luceolis, Narniam, Picentes quoque,& Borbi opida, numero viginti à Boijs olim dicta, & caſtella viginti. Hæc, inquam, omnia Pipinus ablata Longobardis, Romanæ Eccleſiæ, & Stephano eius pontifici reſtituit, Quæ cum poſtea Deſiderius Longobardici nominis Rex vltimus, contra iuſiurandum rurſus inuaderet, ab Adriano pontifice anathematis interminatione prohibitus, ceſſit quidem retro, & ab incœpto deſtitit. Attamen ablata non reſtituit. Quæ cauſa fuit illi Magno Carolo funditus extirpandi ex Italia regni Longobardici, quo videlicet Romana eccleſia ſuis in pace frueretur ditionibus. Quo peracto, Romam veniens, factas dudum à Longobardorum Regibus Romanæ eccleſiæ donationes, per auum, & patrem iterum iterumque defenſas ab hoſtili vſurpatione, & reſtitutas eidem, non ſolum etiam ipſe reſtituit, ſed auxit inſuper, addens eidem, quicquid habet Ligura ab vrbe Luna iam pridem euerſa, vſque ad Alpes, fines Italiæ. Adiecit

Carolus Mag. funditus extirpauit ex Italia regnum Lõgobardicũ, quod Rom. Eccleſia in pace perfruerentur ſuis ditionibus. Donatio Caroli Magni facta Rom. Eccleſiæ.

Digitized by Google

iecit etiam Corſicam Inſulam, velut ad eum tractum pertinentem, & quicquid inter Lucam & Parmam interiacet. Addidit præter ea, & Fotumiulij Hexarchatui, in quo quid comprehendatur, iam explicatum eſt. Et Spoleeinum, Beneuentanumque Ducatus. Quorũ iſte eatenus, & aliquandiu poſtea à Longobardis tetentus eſt. Literas Caroli donationis iſtiuſmodi, quibus prædicta omnia continentur, teſtatur Lateranenſis Bibliothecarius ſe vidiſſe authographas. In quibus dicit Mutinam non nominari, quod tunc euerſa eſſet, at Mantuam contineri affirmat, & montem Silicis, & Venetam prouinciam, & Hiſtriam. In quibus Fotoiulienſis ducatus includitur.

Acta hæc annis 24. ante initium huius noſtri imperij.

Et hæc annis circiter 24. peracta ſunt à Carolo, priuſquam Auguſtalibus decoraretur titulis, imò priuſquam eſſet hoc noſtrum imperium, quod in illo Carolo cœpiſſe demonſtrauimus. Ita, vt iure ac legitimè an ſecus facta, quiſquis diſputare voluerit in neutram partem ad noſtros impetatores pertinent: vtquæ præceſſerunt vniuerſum hoc, in quod ipſi ſuccedunt, imperium.

Mechtildis comitiſſæ donatio aut legatum, ducatus Beneuentanus.

Acceſſit his Mechtildis Comitiſſæ ditio, quæ moriens, ex teſtamento legauit Romanæ Eccleſiæ, quicquid à Piſia amne, & S. Quirico agri Senen. vſque ad Ceperanum inter Apenoinom, & mate interiacet. Iam & Beneuentanus tandem Ducatus. Et poſtremo vtraque Sicilia, Nortmannorum fratrum, Trancredi filiorum virtute viodieata à Saracenis, & Græculis, vltro acceſſerunt ad ius Romanæ Eccleſiæ, à qoa poſt in Rogetio accepit regni titulos, & vſque nunc feudum eiuſdem recognoſcitur.

De Conſtitini donatione qui tam ſerio diſputant, quam faciant operæ precium. Laurentius Vallen.

De Conſtantini igitur donatione facta Romanæ Eccleſiæ, qui tam ſerio diſputant, etiam magnis editis voluminibus, num ſit commentitia, num donare potuetit cum diminutione imperij ſucceſſorumque præiudicio. (In qno argumento ſibi mirificè placet Laurentius ille Vallen. homo parum eccleſiaſticus) quam faciant operæ precium, quiſquis iudicat pro ſuo, & affectu & ingenio. Mihi ſanè perinde facere videntur, ac ſi ab illo Cyro, eorum quæ egerit cum ſuis illis Perſis, tationem exigerent, aut Alexandrum Macedonem, repetundarum poſtularent, quod priuatis quibuſdam, obſcuriſque hominibus, ne parum regularitet munificus liberaliſque haberetur, integras Ciuitates condonauerit, in ſucceſſorum (vt hi quererentur) præiudicium, & damnum ſuæ illius teip. Nam dederit Rom. Eccleſiæ Conſtantinus aliquid, valoerit, nec ne donatio eiuſmodi: vſutpauetint, non vſurpauerint aliquid ab illo imperio, ſeu Romani Pontifices, ſeu quicunque alij (quemadmodum vſurpaſſe Galliam Francos, Britanniam Anglos, Hiſpaniam Gothos, atque alias nationes alia plurima, regumque, & populorum continua ſucceſſione in hunc vſque diem retinuiſſe certum eſt) breuiter, quicquid eo tempore de Romano illo imperio factum, infectum ve fuerit, ad noſtros Imperatores oihil mihi pertinere videeor. Potuerunt fortaſſis de eo queri Conſtantini in illo imperio ſucceſſores, ſi is ſua profuſione notabilitet læſiſſet tempub. ſtatumque minuiſſet imperij. Sed iamdudum vniuerſa illa (vt ſupra demonſtrauimus) cum ſuo imperio defecit à Conſtantino ſucceſſio, & poſtetitas. Noſtri enim, non Conſtantino, ſed Magno illi ſuccedunt Catolo, qui non à Conſtanrinopolitanis Imperatoribus (quorum & tunc & diu poſtea ſupererat ſucceſſio) ſed à Romano Pontifice ſuum accepit imperium. Quare, quid in illo Conſtantini imperio ſactum aut non factum fuerit, tantum ad eos pertinere arbitror, quantum, quid olim in illo regno Perſarum aut Macedonum.

Vt itaque haberemus vniuerſam illam Conſtantini donationem (quemadmodum Vallenſi placet) fabuloſam, & commentitiam. Quanquam non eſſe planè fabuloſam, teſtatur Beatus Damaſus io actis Sancti Syluestri Pontificis, cuius, vt cæterotum omnium ante ſe Romanorum Pontificum vitas à Beatiſſimo Petro exordium faciens, perſtrinxit, & ſuæ fidei teſtimonio commendauit poſteris. Cui vt in omnibus indubia merito fides habenda eſt, ita maximè in actis Sylueſtri, cuius vixit temporibus, & coi poſt 36. tantum annos ſucceſſit in Pontificatu Romanæ Eccleſiæ. Teſtatur prærerea totius orbis ab illo tempore ad præſens vſque conſenſus, ipſaque tei euidentia: qua perſpicitur io hiſtorijs omnibus, Romanam Vrbem poſt Conſtantini tempora non fuiſſe ſedem imperialis reſidentiæ, vr quam ille ceſſerat ſacerdotio, & eccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi. Quamuis donationis eius fidem obſcurarint poſterorum fabulæ, quibus eandem in immenſum exaugentes, ipſi quoque veritati fidem detraxerunt. Id quod magis dolo quotundam, male eccleſiaſticorum factum crediderim, vr ea arte, admixtis videlicet cum ſyncera veritate impudenribus, ac penè palpabilibus mendacijs, etiam illam ipſam incredibilem facerent, quàm ſtudio aliquorum nimis ſanentium dignitati Romanæ Eccleſiæ. Cuius cauſa, illorum mendaciorum patrocinio non indiget, vt, inquam, de illa Conſtantini donatione fuerit quicquid volueris, hoc omnium hiſtoriarum certiſſima fide conſtat, Romanam Eccleſiam ante Caroli Magni Imperium ex Longobardorum Francorumque regum donatione legitima abſque controuerſia poſſediſſe vniuerſa quæ adhuc hodie, aut poſſidet, aut ſui iuris eſſe contendit, præter patrimonium (quod dicitur Beati Petri) ex legato Mechtildis, & ius vtriuſque Regni Siciliæ, quæ poſtea acceſſerunt. Concluſio.

Romanam eccleſiam nihil accepiſſe à noſtris Imperatoribus, imo contra hos omnem ſuam imperialem authoritatem vni illi debere.

Hæc ideo libuit adſcribere aliquanto diligentius, quo intelligerent omnes quàm peſtilentes hi ſint conſiliarij, qui iſtarum rerum ignaris perſuadent principibus, vi, fraude, & ſcelere Romanorum Põtificum ipſis detracta, quæcunque Romana Eccleſia poſſidet. Cum contra potius conſtet Imperatores noſtros omnem ſuam imperialem authoritatem vni debere Romanæ Eccleſiæ. Illam vero nihil aut dono recepiſſe, aut vi, fraudeue vſurpaſſe ab iſtis, aut horum maioribus, ſed partim ab illo veteri imperio (quod iuxta Danielis vaticinium, iam pridem redactum eſt in ſauillas, & cineres, ita vt iam nullæ eius extent reliquiæ, & ſi extarent nihil prorſus ad noſtros pertineret) donatione Conſtantini Principis, partim vero donatione Regum Longobardorum, & Francorum,

poſ-

Digitized by Google

poſſediſſe priuſquam natum eſſet hoc noſtrum imperium. Quod ſi, vt eſt, ita intelligerent noſtri Reges, & Principes, merito cogitatent, non deminuenda, ſed de tuenda, augenda, & ornanda potius dignitate Eccleſiæ, præſertim cum palam ſit maioribus illis noſtris, glorioſiſſimis videlicet religioſiſſimiſque principibus, domi foriſque vberius, copioſius, feliciuſque proueniſſe omnia, quàm his qui contraria graſſantur via. Ita nimirum penſante diuina ſapientia, & iuſtitia, vt quantum quiſque ſuis ſuperioribus debitæ obedientiæ detrahit, tantum ſibi detrahatur à ſubditis: quanto vero impendit liberalius, & ſyncerius, tanto ſibi quoque impendatur magis, & fidelius, vt in quibus quis peccat, in eiſdem, & puniatur. Sic fere videmus, hos noſtros rapiendo donata à ſuis maioribus, & anteceſſoribus, egre perpetuo: quum illi largiendo Eccleſijs abundarent, & diuinam benedictionem ſentirent. Hos in Eccleſiam ſuperbè, contumelioſeque inſurgendo, ſibi quoque rebelles, & contumaces ſentire ſubditos, cum illis religioſiſſimè obedientibus, & ſubmiſſiſſimè ſe ſubmittentibus capiti, & rectori Eccleſiæ, viciſſim deuotè ac fideliter obediretur à ſubditis. Hoc ipſo, ſi ſaperent, & intelligerent, noſtros erudiente diuina miſericordia, quanto glorioſius, & felicius illorum maiorum ſuorum, æmularentur potius fidem, religionem, pietatem, & exemplum, quorum virtus, & gloria lucet, & coruſcat per Eccleſiam, quorum memoria ſancta, & in benedictione eſt: quàm vt his ſacrilegij nunquam expiandis aut eluendis ſordibus gloriam ſuam, & maiorum imagines commaculent, & impijs impiorum ſuggeſtionibus auſcultando, diuina, humana, ſacra, prophanaque confundant omnia.

FINIS LIBRI QVINTI.

ALBERTI PIJ
COMITIS CARPENSIS.
DE PRIMATV DIVI PETRI
PONTIFICIS MAXIMI,
poteſtate, titulîſque, & honore cæterorum Præſulum.

EX LIB. DIALOGORVM
Ad D. Eraſmum.

De Alberto Pio eiuſdemque elucubrationibus Iodocus Badius in præfatione eius Codicis hæc habet ex Florido Sabino Alberti Comite. Illuſtriſſimus Carporum Comes Albertus, re & nomine Pius, heroicîſque virtutibus, & litteris optimis, præter cæteros mortales exornatus ob eaſque ſumma laude digniſſimus; tametſi graui, eoque ferè perpetuo morbo, grandique ætate confectus; non ceſſauit tamen in ſupremum vſque diem, & pietati, & Catholicæ conſulere Fidei; hoſque duos luculentiſſimos libros, alterum, vt liquidò probaret quod in parænetica ad D. Eraſmum ſcripſerat epiſtola, plurima eſſe ab illo emiſſa, quæ & Eccleſiaſticæ Dignitati, & Catholicæ derogarent Fidei; alteram, vt rurſus benigne monendo & modeſtè docendo illum ad locos in tot elucubrationibus ipſius ſuſpectos, & malè ſonantes retractandos induceret. Quos quidem libros, cum ſint ad pietatem colendam, & hæreſim Lutheranam deuitandam, accommodatiſſimi, quanta maxima potui, & fide, & accuratione compreſſi. Nos verò, dialogum ſequentem inſtitutui noſtro apprimè conſonum, ex alijs adamuſsim extractum exhibemus.

NVNC rerum ordo expoſtulare videtur, vt diſcutiamus, & ea, quæ ad infirmandam Pontificis Maximi poteſtatem, quinimo Petri Apoſtoli authoritatem partim inſinuatè partim explicitè ſcripſiſti, & ſi perfricata fronte id vnquam a re factum neges. Primumque in Methodo ſtudij Theologici ita inquis, quod Matthæi decimo ſexto dicitur Petro, Tibi dabo claues Regni Cęlorũ ad vniuerſi Chriſtiani populi corpus pertinet. Et paulò poſt, cũ Chriſtus Ioannis vltimo dixit Petro, Paſce agnos meos, cuiuſuis Epiſcopi typum gerit Cui non committitur grex niſi vehementer amanti Chriſtum. Et in Annot. noui teſtamenti ſuper illa verba, Tu es Petrus, &c. inquis, Proinde miror eſſe qui hunc locum detorqueant ad Romanum Pontificem, in quem non dubie competit in primis, velut in Chriſtianæ Fidei Principem. At non in hunc vnum, ſed in omnes Chriſtianos, quod eleganter indicat Origenes. Verum ſunt quibus nihil ſatis eſt, niſi quod ſit immodicum. Cyprianus videatur accipere ſuper Petrum eſſe fundatam Eccleſiam, ſed fortaſſe excuſandus, quod petram hic non pro homine illo, ſed pro typo accepit, quod indicant quæ ſequuntur. Similiter excuſari poteſt Hieronymus locis, quibus videtur dicere ſuper Petrum fundatam eſſe Eccleſiam Chriſti: Præterea in Scholijs Tomi ſecundi operum Diui Hieronymi de hoc Hieronymi verbo, Si igitur Apoſtolus Petrus ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam, &c. inquis, hoc in præſentia detorquet ad commendationem Petri. Neque enim Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ. Cum Paulus dicat, Fundamentum nemo alius poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, &c. Nam quod in Euangelio dictum eſt, Super hanc Petram fundabo Eccleſiam, &c. Ego ſaluo aliorum iudicio intelligo ſuper iſtam de me Confeſſionem. Nam quod hic Petro dixit Dominus, Beda putat ad omnes Apoſtolos pertinere, mandans illis Apoſtolicum munus,

 Acci-

Digitized by Google

Accipite Spiritum Sanctum; & quorũ remiſeritis peccata,&c.vt omnibus ex æquo mandet.

Porro quod poſtca ſit Caput conſtitutum, id Hieronymus putat in ſchiſmatis remedium eſſe factum. Et iterum in Annotationibus ſuper illud Pauli verbum, ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominus, &c. ais, hic locus annotandus eſt his, qui Summi Pontificis authoritatem in immenſum tollũt, aſſeuerantes vniuerſum Chriſtianæ Eccleſiæ corpus vni homini debere cedere. Adeo ve ſi animas omnes deduceret ad inſeros non foree ius illi reſiſtendi. Paulus à Chriſto acceperat authoritatem Apoſtolicam, non à Petro, & tamen dicit, Quicquid eſt mihi datum poteſtatis, in hoc datum eſt, vt proſit, non vt ledat, & rurſus in eiſdem ſuper ſecundam ad Corinthios inquis, ex hoc capite, & proximo licet conijcere, quæ fueriut dotes illius veteris Eccleſiæ priuſquàm tot cœremonijs, opibus, Imperijs, copijs, bellis, alijſque id genus eſſee onerata. Nunc ferè tot præclata munia ad vnam poteſtatem redacta ſunt, hoc eſt Chriſti tirulo palliatam tyrannidem. Et in Euchiridio militis Chriſtiani ita inquis, Quo magis admiror poteſtatis, & dominij ambitioſa vocabula ad ipſos vſque Pontifices Summos, & Epiſcopos inuecta fuiſſe, &c. Nec pudere Theologos non minus indoctè, quam ambitioſè Magiſtros noſtros vulgò appellari: Cum vtrumque Chriſtus interdixerit ſuis, ne vel Dominos, vel Magiſtros vocari ſe finerene: Vnum enim eſſe tum Magiſtrum, tum Dominum. Et in Epiſtola ad Epiſcopum Baſilienſem, ſunt Eccleſiæ Proceres, quia cum abundent Eccleſiaſtico cenſu vſque ad Regum opulentiam, & palàm impiè viuunt, & offenduntur idiotæ, hic tamen nihil datur populi ſcandalo: ſed ab infirmis tanta firmitas exigitur,vt iubeantur credere(ui malint eſſe hæreeici) quicquid per illos agitur, ſiue cum abſoluunt damnatue,ſiue cum benedicunt,aut maledicunt,ſiue cum largiuntur indulgẽtias,aút tecinent, tantummodò valere, ac ſi per Apoſtolũ Paulum,Andream, & Iacobum fuiſſet actum.

Et rurſus in Annotationibus, Paulus vetat Epiſcopum ſieri, qui Neophytus ſit, aut Percuſſor, aut vinolentus. At hodie Romani Pontifices, vel heri baptizatum, aut pyratam publicum admittent ad honorem Epiſcopalem ſi videatur,nihil deterriti Paulina Conſtitutione. Et in Dialogo, qui inſcribitur Ichthyophagia, ais, extra Eccleſiam eſt quiſquis non aguoſcit Romanum Pontificem. Non reclamo, ſed hunc non agnoſcit qui illius præſcripta negligit, atque ideo ſpero futurum, vt hic Pontifex nomine Clemens animo pietateque clementiſſimus,quo magis omnes nationes ad Eccleſiæ ſodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus viſa ſunt, aliquos populos à Romanæ Sedis ſœdere alienare, potiuſque habeat Euangelij lucrum quod ſuum in omnibus ius perſequi. Audio quoeidie veteres qoærimonias de annaris, & condonationibus, & de diſpenſationibus, deque reliquis exactionibus, de grauatis Eccleſijs: ſed arbitror, hunc ita moderaturum omnia, vt poſt hac impudens ſit qui pergat quaſi, &c. His nempe verbulis ſperare poees Summum Ponrificem in ſuam ſententiam iturum. Hæc tu,& tamen interim negare audes te quicquam aduerſus Pontificiam Maieſtatem; Petrique principatum ſcripſiſſe.

Quinimo ee aſſertorem eorum poteſtatis, & authoritatis profiteris. Deum Immortalem quanta eſt hic tua impudentia? Quid inuidioſius? Quid atrocius dici excogieariue potuiſſet in Apoſtolicam Sedem? Quam quidem omnibus machinis oppugnas, Diuina Poteſtate, decoribus, & ornamentis omnibus, eam ſpolians, & demum confodens. Statuis enim nil aliud eſſe, quam Titulo Religionis palliatam eyrannidem: tamquam expreſſis verbis iſta omnia probare videris, vt nulla quantumuis ſinuoſa interpretatione defendi poſſiut, tamquam apertis, vt nullo egeant teſtimonio, ſenſum enim ſuum. Statim legentibus omnibus produnt, quorum quidam ipſa nuda recitatio propoſito noſtro ſaeis eſſe poſſet, ſi nil aliud ſpectaremus, quam demonſtrare nos non fuiſſe mendaces, cum eibi parænecticè ſignificauimus te quedam ſcripſiſſe, quibus Summi Pontiſicis authoritati detrahere videbaris: Eoque magis conueniret nos eos eſſe contentos, quod de hoc Dogmate priori Epiſtola noſtra diſſeruimus. Et ſi non copioſè eamen quod ſatis eſſe poſſet ad veritatem deprehendendam. Attamen cum illa ad confirmandum dogmatis veritatem potius attineãe quod ad explodenda aduerſariorum obiecta aliqua ad argumenta tua diſſoluẽda dicemus eundem morem (quem in cœteris)ſeruantes.

Primum igitur id, quod ais illa Chriſti verba ad Petrum, Tibi dabo Claues Regni Cœlorum pertinere ad Vniuerſum Populi Chriſtiani corpus, vt falſiſſimum eſt, ita, & abſurdiſſimum. Ex eo enim ſequeretur Regni Cœlorum Claues non magis Petro, quam cuilibet infimæ ſortis Chriſtiano fuiſſe traditas: Illiuſque Poteſtatem non ſolum cum cæteris Epiſcopis, & Sacerdotibus, verum etiam cum Laicis quibuſcumque in ordinem redigi. Si enim vniuerſo Corpori Chriſtiano promiſſæ ſunt claues vt Petro, cum illis datæ ſine quibus, & promiſſæ: Sequitur nihil eſſe Primatum Petri in Eccleſia: Illum enim Principatu ſpolias, cui cœteros omnes exęquas. Pręterea ordinem Epiſcopalem, ac Sacerdotium nullius eſſe momenti, cum hoc tantum cæteris præferantur, quo de Clauium poteſtate participaut: Poteſtatemque dimittendi, & retinendi peccata habent,qua cęteri carent. Hocque dogmate non ſolum confeſſio Sacramentalis aboletur, ſed & omnium myſteriorum adminiſtratio: Ad hæc, & omuis Eccleſiaſtica Dignitas, & ordo. Cum inter Sacerdotem, & prophanum nil intereſſe poſſit (tua ſententia) quamquod is, qui à Populo inſtitutus ſit ad Sacra peragenda Sacerdos dicatur: Cæteri minimè: Per te enim diuino inſtituto nullum eſt inter eos diſcrimen, hocque Lutheri dogma eſt, quod & cum Huſſitanis edito, ad id libello perſuadere ſtuderet eis tamen (licet ſchiſmatici ſint, & hæreſi notati) ita inſanum, & erroneum viſum eſt, vt etiam ab his prorſus fuerit reiectum. Tu tamen hoc ipſum doces, & quo loco in methodo ſtudij,theologiei, quo ſolo placito dignoſci poteſt, qualis ſit illa tua Methodus, quæ verius inſcripta fuiſſet Methodus aduerſus veram Theologiam. Methodus ad deſtruendam omnem Doctrinam Eccleſiaſticam: vti & rectius dixiſſet Annotaciones

con-

Digitized by Google

Contra nouum Teſtamentum: & Scholia aduerſus doctrinam Hieronymi. Illis enim omnia peruertis, ac obtorques, quæ recta Fide interprætari debebas. In Methodo autem (vt iſta alia omittam) proh dolor quot diſſeminas ſcrupulos! Quot tendis laqueos! Quantum Euangelicæ authoritati derogas! Et denique Ieſu Chriſti geſtis, ac dictis, cum tractas de varietate, & pugnantia geſtorum, & verborum Chriſti, ſcripturarumque contrarietate! Quot profers blaſphema! Inquis enim prætet cætera quodam loco, tanta eſt varietas, & pugnantia: adeo vt cum noſtro Chriſto nihil ſit ſimplicius, tameu arcano quodam conſilio proteum quemdam repræſentat, varietate virę, atque doctrinæ. Præterea & quot indecentia, abſonaque refers, cum agis de genere doctrinæ, & conſilijs eius (vt ais) traheudi mundum in ſuas leges? Quantum pariter detrahis Pauli Doctrinæ, cæteriſque Apoſtolorum ſcriptis: Ais enim ibidem, iam ſi libet paucis conferamus, quemadmodum ad Magiſtri formam Apoſtolorum vita Doctrinaque reſpondeat. Quanra vafriciè Paulus Chameleontem quempiam (vt ita loquar) agit, & in omnia vertitur, &c. Tu tamen ea tam callidè diſponis, vt videri velis illa omnia ad Chriſti laudem & gloriam contexere. De annorationibus in nouum Teſtamentum & Scholijs in Hieronymum hoc vnum dicam, re in illis omnes ferè hæreſes iam diù ſepultas, & doctiſſimis, Sanctiſſimiſque Patribus exploſas, demum ab Inferis reuocare conari. Ad propoſitum igitur renertamur. Si fortè diceres ſcripſi iuxra quorundam interprætationem, verba illa ad vniuerſi Populi Chriſtiani corpus pertinere, aliquo pacto id tibi condonari poſſet.

Tu autem eamdem ſententiam probas, vt verborum tuurum contextus præcedentiaque, & ſubſequentia declarant. Inquis enim citatis his verbis, Vos autem quem me eſſe dicitis, &c. Capitis perſonam agit Petrus, totiuſque Populi Chriſtiani voce, & vice reſpondit, Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Nullus enim eſt in Corpore Chriſti, à quo non exigatur iſta Confeſſio. Conſimiliter, & quod Petro dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, iuxta quorumdam Interprætationem ad vniuerſum populi Chriſtiani corpus pertinet. E diuerſo, cum Petro ter amorem profeſſo dicit, Paſce agnos meos, Chriſti ſummi Paſtoris hoc eſt Capitis vices ſuſtinet, Petrus cum ſuis Epiſcopi typum gerit, &c. Et paulò poſt. Neque verò dictum eſt rege, aut ſubige oues, ſed paſce. Quid autem hæc ſibi velint, perſpectiſſimum eſt. Si enim Petrus totius Populi Chriſtiani voce, & vice reſpondet, ac confitetur Chriſtum eſſe Filium Dei viui, ac propter illam Confeſſionem promittuntur ei Claues Regni Cœlorum: Sequitur & illas omnibus promiſſas, cum omnes per os Petri vti ipſorum internuncij id confiteantur. Sed & quomodo Petrus capitis Perſonam agit, cum adhuc non eſſet caput conſtituens? Quinimo nec adhuc id ei promiſſum. Cæterum & ſi illa confeſſio exigatur ab omnibus Chriſtianis, non tamen exigitur antequam myſterium illud eis fuerit cognitum: Ait enim Dominus: Beatus es Simon Bariona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt, &c. Tibi, inquit quo non cæteris 'ſe illud daturum, ſed illi ſibi pollicetur: Illud enim Myſterium ab eo creditum audacterque confeſſum eſt. Quapropter, & in confeſſionis præmium promiſſio traditionis clauium facta eſt. Ipſe namque prima Petra fuit iacta ad Fundamentum Eccleſiæ, quia ſua Confeſſione cæteros quid eſſet de Chriſto ſentiendum, & confitendum edocuit. Sed quid ais ſecundum quorumdam interprætationem? Certè cum ſententia probares, æquum erat vt illorum quorumdam verba proferres è quibus dignoſceretur an rectum ſenſum accepiſſes. Tam enim erroneæ ſententiæ, ex qua tot abſona ſequuntur, neminem probatum Authorem fuiſſe certum eſt. Nam quod Sacerdotes inſtituto Diuino à Laicis diſtinguantur, tum ex illis, quæ aduerſus hoc dogma in Epiſtola noſtra diſſeruimus, tum ex his, quæ in ſuperioribus diximus ſatis probatum eſſe puto.

Cur autem illa verba non ſint eo ſenſu interprætanda, ſed diuerſum ſentiant Sancti Patres iam iam declarabimus: Beatus nempe Chryſoſtomus verba illa enarrans, ita inquit. Quandoquidem Chriſtus de ſententia vulgi videlicet quem dicerent eſſe Filium hominis eos interrogauit, omnes reſponderunt: Cum vero de ſua eos rogaret, Petrus proſiluit: & cum omnes interrogati eſſent ipſe ſolus reſpondet, Tu es Chriſtus Filius Dei Viui: Cui Chriſtus, Beatus es Simon Bariona, &c. Ea igitur de re Petrus beatificatur, quia Chriſtum Patris propriè Filium confeſſus eſt. Non ita cæteri, qui tamen cum Dei Filium eſſe dixerunt, vt qui erant in Nauigio, & alij, ſed vnum ex multis verè Filium exiſtimabant: præcipuum quidem magiſque dilectum, non tamen ex Patris ſubſtantia natum: quamobrem nec Beatificati à Domino ſunt, vti Petrus. Qua de cauſa nihil tale de illis dictum eſt, quale de hoc dicitur: Quia Pater reuelauit tibi. Petrus quidem loquutus eſt -- Pater autem reuelauit illi, quod loqueretur: Subiecit Dominus quoque illi: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Super hanc Petram, ſuper te videlicet confitentem me eſſe Filium Dei Viui. Et ego dabo tibi claues Regni Cœlorum. Non dixit rogabo Patrem, vt tibi det, ſed quamuis magna erat poteſtas, & doni magnitudo ineffabilis, & ego tamen dabo tibi inquit: ac ſi diceret quemadmodum tibi Pater dedit, vt me agnoſceres, ita & ego tibi dabo claues Regni Cœlorum: vt quæcumque ligaueris ſuper Terram ſint ligata in Cœlis: & quæcumque ſolueris ſint ſoluta in Cœlis. Hunc enim vniuerſo terrarum Orbi Chriſtus præpoſuit, cui poteſtatem tribuit dimittendi peccata: quod concedere ſolus Deus poteſt. Et vt futura Eccleſia tot, tantiſque fluctibus cum impetu irrumpentibus immobilis redderetur, cuius Eccleſiæ Paſtor, & Caput Piſcator homo, atque ignobilis terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperat, &c. Hæc Chryſoſtomus author probatiſſimus, & cui tu (qui nullos ferè admittis, ſed tuo ſenſui inniteris) vel plurimum tribuis. Idem præterea ſuper illa verba dicta Petro, quæ refert Ioannes, Paſce oues meas, eamdem ſententiam tuæ prorſus contrariam his verbis confirmat.

Si amas me, fratrum curam ſuſcipe: & quam in omnibus dilectionem oſtendiſti, & qua delector nunc oſtende: & animam quam pro me poſiturum te dixiſti, hanc pro ouibus meis trade. Et panlò poſt, Qui antea non eſt auſus Chriſtum interrogare, ſed id munus alteri delegerat, hic commiſſa ſibi fratrum cura non modo alteri vicem ſuam non mandat, ſed ipſemet magiſtrum interrogat. Inquit enim, Domine hic autem quid? Et Ioannes qudem tacet: ipſe antem loquitur, &c. Ex his Chryſoſtomi verbis videre potuiſti Petrum præter cœteros beatificatum, & ob talem confeſſionem pollicita ei fuiſſe tam ingentia dona, videlicet ſuper ipſum eſſe fundandam Eccleſiam tantæ ſoliditatis, ac roboris quæ portæ Inferi non prævalebunt aduerſus eam: Præterea ipſum Chriſtum promiſiſſe ei traditurum claues Regni Cœlorum, cum ligandi, & ſoluendi poteſtate: & conſtituturum eum Paſtorem Eccleſiæ futuræ: Et illud; Tibi inquit dabo Claues: quemadmodum Pater dedit, vt me cognoſceres. Denique animaduertere potuiſti, & illa verba. Huncque vniuerſo terrarum Orbi præpoſuit, cui dixerat: Tu es Petrus: Ego ſuper te ędificabo Eccleſiam meam. Quamobrem autem? Quia me es confeſſus, & me plus cæteris amas, quare, & mei amore fratrum curam ſuſcipe. Et illud puto audiſti commiſſam illi fratruum curam.

Cum igitur Petro fratrum cura data ſit, ab ipſoq; ſuſcepta, manifeſtum eſt claues Regni Cœlorũ non fuiſſe ex æquo omnibus Apoſtolis datas, vt tu ſentis. Non enim eadẽ eſt poteſtas his cum Paſtore: ſicuti nec ijs, qui ſubijciuntur, cum Magiſtratum gerente. Si enim ita eſſet ſequeretur eidem collatum eſſe ouis, & Paſtoris officium: præterea eundem eſſe præfectum, & ſub præfecto conſtitutum eumdem Patrem, & Filium. Et ſi enim Petrus ad Chriſtum collatus ouis ſit ſupremi Paſtoris, & Domini, & ab ipſo Domino inſtitutus ſit eius Vicarius: non tamen reſpectu ipſius gregis, cuius Paſtor eſt, ouis eſt dicendus. Si autem totum Chriſtiani Populi corpus, vel ſaltem omnes Epiſcopi regni Cœlorum ex æquo Claues haberent, non magis ipſe Paſtor fuiſſet conſtitutus, quam cæteri Apoſtoli, ſed ſibi mutuò eſſent, & Paſtores, & oues: Nihilque intereſſet inter ouem, & Paſtorem: quod Pauli ſententiæ penitùs aduerſatur. Superuacaneè quoque illa verba dicta fuiſſent Petro, Paſce oues meas. Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: quod Chryſoſtomus interpretatur, Super te non ſolum ſuper Fidem, & confeſſionem tuam. Sed ob meritum tam fidelis confeſſionis ſuper ipſum fundatam eſſe Eccleſiam. Fides enim atque confeſſio populi Chriſtiani fundata eſt ſuper ſoliditatem Fidei Petri. Non quod fides ſit fundata ſuper fidem, ſed ſuper Petrum credentem, & confitentem Chriſtum eſſe verum Filium conſubſtantialem Patri. Cuius Eccleſiæ Paſtor & Caput eſt, ve teſtatus eſt Chryſoſtomus. Et ne putares de vlla particulari fidelium congregatione eſſe intelligendum, quamuis dum ſimpliciter, & abſnlutè abſque vlla reſtrictione quicquam de aliqua re dicitur intelligi non poſſit, niſi in genere, & in Vniuerſum: quod & Chriſti verba declararunt dicentis, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Chriſti autem Eccleſia eſt vniuerſus populus Chriſtianus, & non aliqua portio ipſius ſignata. Et hoc quoque exprimere voluit ipſe Chryſoſtomus, Nam poſtquam dixerat, cuius Eccleſiæ Paſtoe, & Caput Piſcator homo, ſubiunxit: hunc autem vniuerſo terrarum Orbi Chriſtus præpoſuie. Quid expreſſius? Quid dilucidius ad declarandum vniuerſi Dominici gregis curã Petro eſſe demandatam, & claues Regni Cœlorum illi in primis, & in vniuerſſi traditas in quibus ſtat facultas dimittendi, & retinendi peccata?

Nec præterea video quonam pacto interprætari valeas illud tibi ideſt pluribus, cum nec ſecundum grammaticam rationem illud tibi ad multos referri valeat. Si enim id ſenſiſſet Chriſtus, & ſi nomine cæterorum Petrus reſpondiſſet, vt tu vis, non tamen præmium confeſſionis, quod multis tributurus erat ipſi ſoli promiſiſſet, ſed vti omnes interrogauerat ita omnibus ſe daturum pollicitus fuiſſee. Dixiſſetque illi reſpondenti pro omnibus: Et ego ſuper vos fundabo Eccleſiam meam, & vobis dabo claues Regni Cœlorum: Extorta igitur nimis talis interprætatio, & pluſquam verba ipſa patiantur: Ita enim enarrando nihil ſolidum haberemus in ſcriptura: Præterea talis ſententia aduerſatur cæteris dictis Euangelijs, quæ apprimè quadrant ſinceritati literæ, & ſimplici ſenſui, quem Chryſoſtomus ex illa enarrauit: Dixit enim Dominus Petro, cum primum ductus eſt ad eum à fratre Andræa: Tu es Simon filius Iona: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatut, Petrus, & cum ex Petris Eccleſiæ conſtituantur, ideo illud nomen ei inditum ad ſeruandam methaphoram, quia ſuper ipſum vti ſuper primam Petram fundanda erat Eccleſia: Pręterea illud quoque aliud. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, ſi fidei confeſſio fuiſſet omnium, & poteſtas clauium ex æquo tradita, non magis fuiſſet muneris Petri confirmare cæteros, quam cuiuslibet ipſorum confirmare eum. Ad hæc, ſi promiſſio facta fuiſſet omnibus, ſiue pro omnibus pariter ipſum promiſſum fuiſſet ſeruatum quibuſcumque: Dominus autem ſoli Petro, cum tamen cæteri præſentes eſſent illud tradidit, ter dicens: Paſce oues meas, &c. Nemine eorum reclamante, quod impunè facere licuiſſet: Potuiſſent enim dicere, cur nos excludis Domine ab hoc munere, quod nobis promiſiſti? Si dicas id præteriere, quia agnoſcebant, & ipſis tribui, quod Petro dabatur: Pariter dicam id, eos nec cogitare quidem potuiſſe. Munus enim quod pluribus præſentibus vni tantum committitur, non poteſt intelligi etiam cæteris pariter tradi, præſertim cum cauſa exprimitur propter quam is cæteris præferatur.

Dixit autẽ Dñs Petro cæteris præſentibus, Petre diligis me plus his? ipſo verò præ modeſtia reſpondente, ſcis Domine, quia amo te: ſubiunxit Chriſtus, Paſce oues meas: id ter repetens, quod & maiorem affectum oſtendit, & propenſius animi decretum. Quod ſi rurſus vrgeres dicens, ſi ſolus ipſe vniuerſi Gregis Paſtor fuiſſet cõſtitutus, ſequeretur cæteros Apoſtolos non fuiſſe Paſtores, nec datam eis fuiſſe facultatem dimittendi, aut retinendi peccata, quod aduerſatur Euangelij ſententiæ. Inquit enim Ioannes, Dominum poſt Reſurrectionem

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolis congregatis apparuiſſe ipſiſque ſalutaris in eos inſufflaſſe, dicentem, Accipite Spiritum Sanctum. Quotumcumque remiſeritis peccata, remittentur eis. Et quorumcumque retinueritis, retenta erunt. Id autem, & Matthæus decimo octauo capite refert eis aute fuiſſe promiſſum ſiue datum. Inquit enim. Amen dico vobis, Quorumcumque retinueritis peccata retenta erunt in Cęlo,&c. Primæ obiectioni reſpondet Chryſoſtomus in Ioannis vltimum his verbis. Dicit ei ſequere me. Quibus verbis iterum curam, & familiarem in eum affectum oſtendit. Quod ſi quis percunctaretur, quomodo Iacobus Sedem Hieroſolymis accepetit, reſponderem hunc totius Orbis Magiſtrum præpoſuiſſe, &c. Audis enim vniuerſi gregis Paſtorem fuiſſe conſtitutum: & ſi Iacobus paſtor Hieroſolymis fuerit, vt cæteri Apoſtoli varijs in locis. In numeroſiſſimo quidem Grege, & ſi vnus ſit Paſtor præcipuus, vniuerſo Gregi intendens, attamen ſunt, & alij Paſtores in partem ſollicitudinis dati, quibus diſtributa eſt cura gregis: qui tamen omnes Paſtorum Principem, ac Archimandritam obſeruant: Attamen, & illi quoque Paſtores munuſque eis ab Vniuerſi Gregis Domino demandatum paſcendi, & cuſtodiendi gregis portionem, qui & Paſtorem illum præcipuum conſtituit, & ad diligentiorem ſeruandi, paſcendique gregis curam coadiutores illi parauit. Hæcque omnia, ob magnum affectum ſolicitudinemque, quam pro ſeruando Grege gerebat: cui hoc pacto proſpectum fuit commodiſſimè: Eodem pacto, & ingens exercitus conſtituitur quamuis enim ſit vnus ſupremus Dux, ſiue Imperator Vniuerſi exercitus: tamen, & multi ſunt præfecti diuerſis partibus, in quas diſtributus eſt Exercitus. Nam hi quidem Tribuni, alij Centuriones, &c. Omnes tamen Ducem, ſiue Imperatorem agnoſcunt, & colunt. Licet fortè præfecturas non ab illo, ſed a Rege accepiſſent: qui, & alium Ducem, ac Imperatorem conſtituit. Quo ordine & Eccleſia militans conſtituta eſt à Reipublicæ conditore Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Audiſti certè quid inter Iacobum, & Petrũ Chryſoſtomi ſententia interſit. Et quod de Iacobo dicitur de cæteris pariter intelligendum. Vterque quidem Epiſcopus, vterq; Paſtor, vterque Apoſtolus, vtrique datus Spiritus Sanctus, vtrique data Clauium Poteſtas dimittendi, ac retinendi peccata: At Petrus totius Orbis Epiſcopus, Iacobus tantummodo Hieroſolymitanus: Ille Paſtor vniuerſi Orbis, hic tantum ouium quę erant Hieroſolymis. Ille Apoſtolorum Princeps, hic ſub Principe conſtitutus: Illi facultas tradita retinendi, aut condonandi errata ouium quarumcumque, huic tantummodò ſuarum. Ille fundamentum totius Eccleſiæ, hic ſuper fundamentum extructus. Hæc non ego tantum aſſero, ſed Chriſti verba teſtantur, & Chriſoſtomus aſſeruit Euangelij verba enarrans. Super hanc Petram, ideſt ſuper te extruam Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, videlicet plenè, vt illis reſerare poſſis, & occludere portas Regni omnibus: quas licet etiam cæteris impertiare, non tamen ex æquo id agam, ſed longe diſpari vſu, & poteſtate. Tibi autem hæc quia primum tu me confeſſus es ex Patris reuelatione tibi facta, & quia me plus cæteris amas. Hæc quidem ex Chryſoſtomi ſententia præter vnum quod quidem conceſſi ad vitandam inuidiam, quæſtioneſque tollendas: Non enim ipſe affirmat à Chriſto immediatè omnibus Apoſtolis traditam fuiſſe poteſtatem dimittendi, & retinendi peccata. Quinimo illud Verbum Chriſti, quod Ioannes recitat inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum; Quorumcumque remiſeritis peccata remiſſa ſunt, &c. ita enarrat, *Quidam dicunt*, tunc eis non dediſſe Spiritum Sanctum, ſed tantum idoneos ad eum accipiendum per inſufflationem reddidiſſe. Nam ſi Daniel viſo Angelo perterritus eſt, quid illis arcanam gratiam accipiendo vſu veniſſet, niſi prius eos læſus præparaſſet? Ideo inquit, non dixit accepiſtis, ſed accipite Spiritum Sanctum. Non tamen quiſpiam erraret, ſi tunc eos poteſtatem quandam, & Gratiam Spiritualem accepiſſe diceret, non vt virtutes oſtenderent, ſed vt peccata dimitterent. Differentes ſunt enim gratiæ Spiritus, quare addidit. Quorumcumque, &c. oſtendens quod virtutis genus largiatur. Poſt quinquaginta autem dies ſignorum operandorum poteſtatem acceperunt. Vides neutram aſſerit ſententiam, ſed tantummodò vtramque recitat. Non igitur neceſſe eſt ſentire illis verbis, Dominum Ieſum dediſſe omnibus Apoſtolis poteſtatem dimittendi peccata, cum liceat intelligere tantummodo eos præparaſſe ad recipiendam Spiritus ſi Gratiam in die Pentecoſtes, &c.

De illoq; alio Verbo, quo dicunt promiſſionem, huius facultatis fuiſſe factam Matthęi decimo octauo, ita inquit: Cum autem iſtum cũ Publicanis collocarit, qui Eccleſiæ monitis nõ paruerit, vt certè, & illũ qui pertulit iniuriam conſolaretur, & hunc merito perterreret. Non enim ſolummodò iſto hoc pacto punitur. Sed audi quæ ſequuntur. Quæcumque ligaueris ſuper Terram erunt ligata, & in Cœlis. Quibus verbis duplici hunc neceſſitate vinxit, pręſenti punitione, & futuro ſupplicio: hæcque minatus eſt, vt vincula tam Cœleſtia, quam Terreſtria formidans mitior fiat. Audis, nihil dicit de promiſſione, quam poſtea adimpleuit inſufflans, &c. Sed tantummodò illa dicta eſſe ad deterrenndum eum, qui Eccleſiam non audierit. Quæ quidem hanc habet poteſtatem: Cum Paſtori illius fundamento, & Capiti tradita ſit, per quem, & in cæteros Paſtores transferri poteſt. Et ſi enim cæteri Apoſtoli ab ipſomet Chriſto poteſtatem ſoluendi, & ligandi non habuiſſent, non tamen ex hoc ſequeretur ipſos illa prorſus caruiſſe. Cum enim Epiſcopi fuerint, proculdubio opus fuit eam in proprios greges habuiſſe, ſed ſi non à Chriſto immediatè, ab Eccleſia tamen illam accepiſſe cui facultas erat illam dandi per Petrum, qui à Chriſto immediatè illam acceperat. Ex his puto diſſoluta ſunt obiecta ſuperius recitata, declaratumque eſt, plures eſſe poſſe Paſtores ad eundem Gregem cuſtodiendum, ſed non ex æquo poteſtatem habentes, facultatemque dimittendi peccata. Et ſi pluribus conceſſa ſit: Non tamen illis ex æquo cum Petro, qui Paſtor, & Caput ipſius Eccleſiæ, fuit conſtitutus Vniuerſo Terrarum Orbi à Domino Ieſu præfectus: Et ſi Piſcator homo eſſet, atque ignobilis. Illique hæc decora

tradi-

Digitized by Google

tradita his verbis: Paſce oues meas: paſce agnos meos, quod ei quidem dictum fuit, & non cæteris. Id autem, & ſequentia verba confirmarunt, cum ei ſoli dixit, Sequere me: quod non ſolum interpraetari poteſt quantum ad martyrium, & genus mortis ſimillimum: Verum etiam quo *ad munus Sacerdotale*, & curam paſcendi Gregis: quas diceret. Ego quidem Sacerdos à Deo conſtitutus, & Paſtor Gregis eius, cum mortem obiero, & animam meam rurſus ad corpus aduocauero, par eſt, vt alicui veſtrum relinquam functiones meas, qui præſens gregem paſcat, illique proſpiciat. Ad quas te delegi: Sequere igitur me non modo in morte; & Crucis eculeo, verum etiam in Sacerdotio, & cura gregis habenda. Tu autem contendis Petro nihil collatum fuiſſe præ cæteris Apoſtolis, niſi primatum ad tollendam ſchiſmatis occaſionem: ſed ex æquo eandem poteſtatem traditam fuiſſe cæteris Apoſtolis: quod ex ſententia Hieronymi aſſeris. Et ſi ipſi tantummodo verba illa, Tibi dabo, &c. fuerint dicta, quia ſolus ipſe reſponderat, quamuis ex aliorum ſententia, Petrumque illis verbis, Paſce, &c. geſſiſſe Typum cuiuſuis Epiſcopi, quod ex re adijcis. Quamobrem, & negas, Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, cum Paulus dicat: Fundamentum nemo alius poteſt ponere, &c. Pariter inficiaris eum eſſe Eccleſiæ Caput eadem ratione: Cum Chriſtus ſit ipſius Caput, Quamobrem & negas Eccleſiam ſuper ipſum eſſe fundatam. Quæ quidem omnia aduerſantur ſententijs Hieronymi, Chryſoſtomi, Auguſtini, Cypriani, & omnium Patrum orthodoxorum. Et ſi enim quidam eſſent, qui dicerent Petrum, reſpondiſſe nomine omnium vti, & omnes interrogauerat Ieſus quem illum eſſe dicerent: datamque eſſe poteſtatem, ligandi, & ſoluendi omnibus Apoſtolis: Nullus tamen negat præcipuo, & peculiari quodam modo hanc Petro fuiſſe traditam, eumque Principem Apoſtolorum tunc fuiſſe conſtitutum. Tu autem dicis id factum ad tollendum ſchiſma. Sed quænam cautio hæc eſſet ſi omnibus data fuiſſet æqua Poteſtas: licet enim congregatis Apoſtolis Petrus ius rogandarum ſententiam habuiſſet, niſi ipſe definiendi quoque facultatem habuiſſet, quomodo ſchiſma fuiſſet ſublatum, impeditum? Liberum enim cuique Apoſtolorum fuiſſet Sententiæ Petri renunciare, & in propria ſtare. Si igitur ad vitanda ſchiſmata Petrus Princeps Apoſtolici Chori fuit conſtitutus, oportet, & traditam ei fuiſſe poteſtatem, qua id perficere poſſet: Princeps igitur Apoſtolorum Petrus Eccleſiæ fundamentum, & Caput.

Sed tu interim contra ſtas. Si Chriſtus Caput, ſi fundamentum, non igitur Petrus. Quod autem Chriſtus ſit fundamentum declarat Paulus ad Corinthios inquiens; fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et ad Coloſſenſes. Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate radicati, & ſuperædificati in ipſo, &c. Quibus certè nihil moti ſunt Sancti Patres, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, & alij: quin Petrum caput, & fundamentum Eccleſiæ fuiſſe dixerint. Ex quo ſequitur eorum ſententia, hæc loca non obſtare, quin Petrus caput, & fundamentum Eccleſiæ ſit appellandus. Quod & ratione ipſa comprobatur. Quid enim vetat Caput ſub capite eſſe conſtitutum, Petramue ſuper Petram? & fundamentum fuiſſe conſtitutum? Methaphorica quidem ſunt hæc omnia. Nec enim Chriſtus, nec Petrus verè lapides ſunt, ſicuti nec verè Paſtores. Non enim Genus humanum verè dicitur Grex ouium. Dominus autem Ieſus dicitur per Tranſlationem Paſtor. Inquit enim. Ego ſum Paſtor bonus: Attamen id non tollet, quin in Eccleſia etiam hodie ſic multi ſint Paſtores. Præfecti enim Eccleſiarum Paſtores ſunt Apoſtolicis Cathedris ſuffecti. Sicut igitur Chriſtum Paſtorem eſſe, & tamen alios eſſe Paſtores non repugnat, ita nec pugnabit Petrum eſſe fundamentum, & Caput, licet de Chriſto præcipuè hæc omnia dicantur. Quam autem ob rem Petrus his titulis ſit inſignitus, ſuperiùs expoſitum, eſt: Nec tamen illa ita Petro tribuuntur, vt cæteri Apoſtoli prorſus ab illis excludantur, quamuis Priuilegio quodam primum de illo dicantur. Super enim omnes Apoſtolos vti primores lapides fundata eſt Eccleſia Dei, non tamen ex æquo ſuper omnes. Quia Petrus primus eſt lapis iactus, cæteri autem ſuperædificati. Quia tamen omnes in fundamento poſiti ad cæteros lapides collati quibus parietes Domus Dei ſtructi ſunt fundamenta dici poſſunt: ideo ſignate dici Petrum primum lapidem iactum: Propterea quod Chriſtus, licet quadam ratione lapis ſit, & Petra, non tamen Petra iacta, ſed immobile illud ſaxum eſt, in quod omnis conſtructio ſolidatur: cui & prima petra iacta innititur. Hocque eſt illud Fundamentum, de quo dixit Paulus: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus, &c. Si enim prima Petra huic inconcuſſo lapidi non cohæreret, nihil ſuper ipſam ædificij ſpiritalis conſtrueretur.

Vti autẽ hac ratione Chriſtus dicitur fundamentum: ita alia architectus dicetur: Sicuti, & Dñs Gregis, & Paſtor: Struxit nempe ipſe Dominus, ac quotidiè ſtruere non ceſſat Eccleſiam ſuam. Licet igitur vtrumque Domino conueniat ſecundum methaphoram, ſed diuerſis rationibus: tamen potius videtur ei conuenire ædificatoris nomen Gregis Domini, quam Petræ, vel Paſtoris. Verum de hoc multa eſt lis. Controuerſia tamen erat, an Petrus dici poſſet caput, & fundamentum: cum de Chriſto hæc omnia dicantur. Dum igitur Petrus his titulis ornatur, non intelligendum eſt eos ita illi tribui, quin Dominus ſemper excipiatur: à quo ipſe omnia hæc ornamenta accepit, quum vices ſuas illa commiſit: At, inquis, Hieronymus huic ſententiæ aduerſatur: ita enim ſcribit aduerſus Iouinianum. At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum alio loco ex æquo ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti Claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Fateor quidem hæc eſſe Hieronymi verba, ſed contendo illa non aſſerere ſententiam tuam: quinimmo probare noſtram, licet prima fronte ſecus videatur. Quod illis examinatis inferius perſpicietur. Sed antea reſpondendum eſt argumentatio-

Digitized by Google

tationi tuæ, etiam ſi ſenſus eo modo quo tu vis eſſet accipiendus.

Dicimus autem primum operæ præcium eſſe ante omnia eum qui diſcuſſurus eſt alicuius authoris Sententiam inſudare, vt agnoſcat quid agat Author, quid moliatur, quid ſibi velit, diſputet ne, an definiat, cum aduerſario pugnet, an doceat. Non enim putandum omnia, quæ à probatis Authoribus dicuntur eiuſdem eſſe roboris, propriæque Sententiæ. Refere enim plurimum, an quid proferat quis cum Aduerſario digladians, an concedens dogmatizet. Perſæpe enim congredientes telis ab Aduerſario emiſſis vtuntur, tum ad euadendos alios ictus, tum ad inferendos, quæ & ſi non probentur: ab ipſis quia minus ſolida, & potius plumbea, quam ferrea: Attamen illis ſatis eſt, modo Vires aduerſarij defatigare valeant, aut deludere, idque Hieronymum hoc loco facere confiteri, niſi præſumamus dicere, eum eodem loco ſeipſum redarguere: quo nihil turpius excogitari poſſet. Prætermitto quod pluribus alijs locis contrarium ſcribat non diſputans, ſed docens. Hoc autem loco ipſum cum Iouiniano pugnare manifeſtum eſt, qui ad aſtruēdum Matrimonium eſſe par Virginitati, & continentiæ hoc induxerat. Si continentia eſſet praferenda coniugio, Dominus non præpoſuiſſet Petrum coniugatum Ioanni continenti, quod tamen fecit: Super ipſum enim fundauit Eccleſiam. Quod Argumentum Hieronymus vti friuolum contemnens, ipſum Aduerſarium deludere voluit illa reſpondens, & ſi non ex propria animi ſententia. Quibus tamen infringebatur robur argumenti illius, quaſi diceret: Poſſum tibi reſpondere non Prælatum fuiſſe Petrum, cum alio loco cuncti Claues Regni Cœlorum accipiant. Conſtabat enim Matthæum decimo octauo dixiſſe. Quotumcumque remiſeritis peccata &c.

Qua reſponſione Iouinianus cogebatur, aut taceret aut a propria quæſtione ad aliam ſe transferre qua aſſerreret Primatum Petri &c. Idque reſponſionis genus a Neotericis dicitur reſponſio ad hominem, non ad rem: quo genere acrius diſputantes perſæpe vtuntur. Verba autem Hieronymi indicant hoc eiuſdē generis eſſe. Animaduertendum enim verbum, licet, & quæ ſequuntur idipſum ſuper omnes Apoſtolos ex æquo fiat &c. Eam enim non eſſe propriam ipſius ſententiam declarant, quæ diuerſis in locis ſcribit. Ad Damaſum enim Summum Pontificem de Arrianis ſcribens, ita inquit. Ideò mihi Cathedram Petri, & Fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam. Apud vos enim ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas: apud vos Sol Iuſtitiæ oritur. Vos Lux Mundi, Vos Sal Terræ, Vos Aurea Vaſa, & Argentea, a Sacerdote Victimam ſalutis, a Paſtore præſidium eius flagito. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini Tuæ, ideſt Cathedræ Petri conſocior. Super illam Petram ædificatam eſſe Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca Noë non fuerit, regnante Diluuio, peribit. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Et rurſus ad eundem in præfatione Euangeliorum ita habet. Duplex Cauſa me conſolatur, quod & tu, qui Summus Sacerdotes fieri iubes. Ad hæc ad eundem in explanatione Symboli. Hæc Fides, inquit, eſt Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, in qua ſi quid minus peritè, ac cautè poſitum eſt emendari cupimus a te, qui Petri, & Fidem, & Sedem tenes.

Idem quoque ad Marcellam docens hæc ſcribit. Si igitur Apoſtolus Petrus ſuper quem Dominus fūdauit Eccleſiam promiſſionem Domini illo tempore completam memorauit, quum ſtans in medio Apoſtolorum omniſque Conuentus ait, Viri Iudæi &c. non enim ſicut vos exiſtimatis hi ebrij ſunt &c. quomodo poſſumus uobis aliud tempus vindicare? Omitto alia loca, in quibus hoc idem aſſerit. Nam ex his videre potuiſti eum non ſemel aſſerentem ſuper Petrum fundatam eſſe Eccleſiam. Dixit enim ſuper quem, non ſuper quos. Præterea cum peteret Fidem ſuam, aut probari, aut corrigi, ab eo qui Sedem Petri tenet. Et illud, nullum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini, inquit, tuæ, ideſt Cathædræ Petri conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque tecum non colligit, ſpargit. Hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt; & reliqua. Quicumque igitur a Romani Pontificis Fide, & Authoritate diſcedit (teſte Hieronymo) Antichriſti eſt. Quamobrem autem? Quia Summus Sacerdos eſt. (vt ipſe dixit) ſuper quæ Verba, ne etiam ſcrupulum aliquem de more inijceres. (Nam ſi non aliqua nocuiſſes mortuus eſſes) inquis in Scholis illud annotandum, quod Damaſum Summum Sacerdotem vocat, non Summum Pontificem: quaſi præferat eum cæteris Præsbyteris, non cæteris Epiſcopis. Puerile quidem, & Calumnioſum, quaſi Epiſcopi in Sacris Literis non appellentur Sacerdotes. Si enim Summus Sacerdos ſimpliciter, Epiſcopi autem Sacerdotes, præfertur ergo cæteris Epiſcopis. Nam non eſſet Summus, ſi plures ei eſſent æquales. Nonne & de Chriſto dictum eſt, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech? Num igitur non Pontifex intelligendus, de quo Paulus ait, Qui poteſt compati infirmitatibus noſtris &c. Hæc apertiora ſunt, quod vt prolixiorem diſputationem requirant.

Non igitur ſententia Hieronymi eſt Apoſtolos ex æquo accepiſſe Claues Regni Cœlorum, & ſuper eos Eccleſiæ fortitudinem ſolidatam eſſe, ita vt Petrus non maiorem, ſed parem habeat cum cæteris facultatem tantummodo Primatum honoris acceperit ad Schiſmata tollenda: quod & ſequentia tua ipſius verba declarant: Siquidem ais: Hieronymum ſentire omnes Apoſtolos pares eſſe poteſtate, ſolumque Petrum honore Primatus cæteris anteferri. Quid, inquit, poſtea? Propterea inter duodecim unus eligitur, vt capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio. Iſta quidem duo ad inuicem pugnant: Videlicet quod omnibus tributa fuerit æqua poteſtas, & quod vnus inter eos deligatur, vt Schiſmatis tollatur occaſio; Vt enim ſuperius diſſeruimus, honos primæ Cathedræ in conſeſſu alicui tributus cogere non valet cæteros facultate pares ſtare, & acquieſcere illius Sententiæ, ſed ad id faciendum oportet quandam habeat ſuper cæteros poteſtatem:

ſtatem: quod noſtrum eſt propoſitum: Præterea cum non ex alio loco ſumi poſſit hunc Primatum rraditum eſſe Petro, quod ex illis Verbis: Simon Iona diligis me plus his, paſce oues meas, ad ſuperiora relatis, videlicet: Beatus es &c. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum: Si illis non conuincitur quicquod poteſtatis Petro præ cæteris Apoſtolis eſſe conceſsum, quomodo conuincetur eiſdem Verbis hunc Principatum illi fuiſſe conceſſum? Si enim licet detorquere illud Verbum, Tibi dabo, ideſt Vobis. Tu Paſce oues meas, ideſt vos Paſcite: cum nil aliud ſubiungatur, quo teſtimonio conſtare poterit Petro hunc Primatum fuiſſe tributum? Quinimmò, & ſi ſubiunxiſſet Chriſtus: Principem te conſtituo pariter interpretari poſſes, ideſt vos Principes conſtituo. Eadem enim interpretandi ratio in hoc, vti & in cæteris. Cum igitur de hoc nulla ſit diſſenſio, quin Petrus Primatum obtinuerit illis Verbis Domini, nulliuſque eſſet roboris, niſi facultatem haberet decernendi quæ in Controuerſiam verterentur; apertiſſimè ſequitur non æquam fuiſſe cæteris Apoſtolis eum ipſo Poteſtatem. Hoc enim pacto ratiocinari poteſt. Si Petrus Primatum obtinuit, igitur cæteris non eandem habuere poteſtatem, quam ipſe: ſed Primatum obtinuiſſe omnes fatentur, igitur Poteſtas non omnibus ex æquo tributa. Vel ſic. Si Poteſtas æqua fuit omnibus Apoſtolis, igitur Petrus Primus non fuit, ſed Primatum fuiſſe conſtat, igitur poteſtas illis non æqua eſt. Cum igitur hoc, ratio conuincat, nil aliud reſtat, quam vt interpretemur Verba Hieronymi, quæ prima facie videntur aſſerere contrarium, cum dicat, *licet alio loco cuncti Claues Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur*: tamen præterea inter duodecim vnus eligitur, *vt Capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio*. Hæc autem facile exponi poſſunt abſque hoc, vt torqueantur.

Et quidem prima Pars Interpretatione non eget: cum non inficiemur poteſtatem retinendi, ac dimittēdi peccata omnibus Apoſtolis a Chriſto fuiſse traditam: & ſi aliam quoque opinionem a Chryſoſtomo recitatam citauerimus: ſed tamen negemus: quod ex æquo, quod nec dicit Hieronymus. Illud enim ex æquo ad aliam partem pertinet, videlicet ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur. Id autem non intelligendum de poteſtate: Non enim innititur Eccleſiæ ſtructura primum ſuper Poteſtatem, ſed ſuper Fidem, & Charitatem, qua omnes Apoſtoli fortè fuere pares: & præſertim quantum ad Fidem poſt acceptum Spiritus Sancti donum. Nullus enim hæſitauit de fidei veritate, ſed omnes fortiter Sanguinem, & Animam profudere, illam confitentes. Quod & ſi in Petro diceretur quodammodo fuiſse viuacior, vti & in priore, non tamen ob id tolleretur quin ex æquo fortitudo Eccleſiæ ſuper eos ſolidata fuiſset. Cum conſentienti eorum prædicatione in omnibus, quæ ad Fidem pertinent ipſis diſtributis in varias Mundi Regiones diſseminata fuerit propagataque, ac ſolidata Domino incrementum dante, nec hoc per Petrum magis factum eſt, quam per cæteros. In munere enim Apoſtolatus, & euangelizandi par cæteris, & ſi Authoritate definiendi ſuperior. Par etiam in ordine Sacerdotis, ſed Petrus functione celſior. Attamen, vt ipſe Euangelium in Iudea diſseminauit, fuitque Apoſtolus Populi Iſrael, vt teſtatur Paulus ad Galatas dicens. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt, & mihi inter Gentes: Ita cæteri diuerſas Prouincias ſortiti ſunt, vt hic quidem Ægyptum, Ille Æthyopiam, alius Armeniam, & ſic de ſingulis. Igitur ſuper omnes Apoſtolos ex ęquo ſolidari Eccleſiæ fortitudo dicitur, quia ſuper eandem Fidem, & Confeſſionem, ſuper conſentiente prædicationem, & munus Apoſtolicum, ac etiam ſuper eundem ordinem Sacerdotalem.

Quamuis autem in his eſset parilitas, vt dictum eſt, ſuperabat tamen Petrus cæteros omnes poteſtate, & functione. Eratque in tanta æqualitate faſtigium quoddam Maieſtatis, in quo collocatus fuerat Petrus a Domino ad id ſelectus a cæteris, quia cæteris fide prior, & vegetior, & charitate ardentior. Rationi quoque naturali congruebat, vt ad Rempublicam optimè conſtituendam vnus eſset qui ſummum gereret Magiſtratum: omnem enim pluralitatem ad vnum deduci par eſt. Quod videns Philoſophorum Princeps præter id, quod dixerat in vnoquoque genere vnum eſse oportere, quod eſset metrum, & menſura omnium, quæ in illo ſunt, quia ea Sententia ad Plures res referri poteſt, duodecimum Philoſophiæ ſuæ librum abſoluit Verſu Homerico.

εἷς Βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.

Ideſt, eſto vnus Princeps &c. Sed in his rebus nō innitimur Ethnicorum Sententijs, licet euidentior ſit veritas, quæ ſenſui naturæ conſentit.

Sed Paulum Apoſtolum hanc Petri Dignitatem præ cæteris Apoſtolis agnouiſse indicant Verba quæ Scribit ad Galatas: quamuis hæc Poteſtas primis illis temporibus non eſset adhuc exerta nec planè promulgata: Inquit enim Paulus, nec veni Hieroſolimam ad Anteceſsores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam &c. Deinde poſt Annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini. Quæ verba animaduertens diligentiſſimus Chryſoſtomus inquit, Venit ad Petrum, & non ad alios: nec tantum venit, & mox receſſit, ſed apud eum manſit diebus quindecim: nec dicit ſe caſu vidiſse Petrum, ſed veni, inquit, quod manifeſtat ſtudium, & votum conueniendi ipſum. Eo quod agnouerat aliquid in Petro eſse præ cæteris. Non enim dicit: Veni ad Iacobum, ſed vidi Iacobum, qui tamen Eccleſiæ Hieroſolymitanæ pręerat. Non venit ad Epiſcopum Vrbis, nec manſit apud eum: Ad Petrum autem, & venit, & manſit, quod certè animaduertendum non fuiſse peractum citra Miſterium. Ex his eliciendus eſt verus Verborum Hieronymi ſenſus: qui ſi tibi non probatur, altera reſponſio tibi ſatis eſse debet, videlicet Hieronymum illa Verba non ex propria Sententia protuliſse, ſed homini reſpondiſse: niſi malis prò tuenda Sententia tua

dicere

dicere Hieronymum inter ſe pugnantia protuliſſe.

Ad alind, quod in Annotatiouibus refers: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. ex ſuperibus iam reſponſum eſt. Et ſi enim Diuus Auguſtinus per Petram interpretatus ſit Chtiſtum: Cuius tamen ſententiæ cæteri patres tefragantur: Attamen nec illa tollit quin etiam ſuper Petrum ſiue Pidem, & Confeſſionem eius, vt tu mauis fundara ſit Eccleſia. Super Chriſtum antem ideſt ſupet Saxum firmiſſimum cui prima Petra iacta innititut, quæ eſt ipſe Petrus, vt ſuperius diſſeruimus. Quid igitur tibi velis non intelligo, cum dicis illum locum detorqueri ad Romanum Pontificem. Si enim illud de Petro dictum eſt, vt verba Chriſti ſonant, & Patres interpretantur: Certè, & illa Romani Pontificis Poteſtatem aſſerunt, cum Petri Socceſſor ſit, & ſuo muneri ſuffectus: quem ſi appelles Chriſtianæ Fidei Principem, ei tamen detrahis authoritarem. Nec ſat eſt confiteri illum Principem, ſed ſateri oportet eum præ cæteris Epiſcopis inſtituto Diuino ampliorem habere poteſtatem, vt & Petrus habuit præ cæteris Apoſtolis, quod tu negas, contendens Illa verba, quibus tradita ſiue promiſſa fuit ad totum Chriſtiani populi corpus pertinere, ſecundum elegantem Origenis Interpretationem, quam tameu tu non recitas: Vixque preſtare poſſum, illum, etſi in multis (teſte Hieronymo) aberrarit ſentire, quod tua verba volunt, quod etſi ſecus eſſet, potius erat piè interpretandus, quam in hoc Dogmate probandus.

Quod demum ſubijcis quaſi defendere velis Cyprianum, & Hieronymum aſſerentes ſuper Petrum fundatam eſſe Eccleſiam: re antem ipſa declarare vis ipſos pro nobis non ſtare, inquiens eum accepiſſe Petrum non pro homine illo, ſed pro Typo Vniuerſæ Eccleſiæ: neſcio qnid per Typum intelligas. Eſt enim Typus quiddam tantummodo ad ſignādum inſtitutum, cum in ſe nihil veritatis contineat, præſertim rei Signatæ, vt Signa efficta referentia tem veram, vt hominem, aut Deum. Eſt & Typus, qui licet vera ſit, tamen aliam ſignat, vel potiorem, vel minorem: quo pacto Sinagoga Typus fuit Eccleſiæ Chriſti, quamuis, & ipſa vera eſſet Eccleſia. Et Melchiſedech Sacerdos Dei Summi Typus fuit maximi, & æterni Sacerdotis, qui eſt Chriſtus Ieſus: Minorem teferre dicitur quum Typus potior eſt re ſignata: quo pacto dixit Dominus, faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Si Petrum Primo modo ſentis eſſe Typum, ſequitur ſe ſentire eum non eſſe præcipuum Eccleſiæ Paſtorem, nec Primatem: ſin altero nihil agis ex hoc inferens ſuper ipſum non magis fundatam eſſe Eccleſiam, quam ſuper Cæteros. Quid enim vetat eum fuiſſe primam Petram iactam ad fundandam Eccleſiam, licet Typus fuerit cæterarum quæ iaciendæ erant? Quin potius ex hoc, quod fuit prima Petra, & cæterarum exemplar conuincitur in ipſum primum fundatam eſſe Eccleſiam, primumque illum traditas claues. Cumque Primus confeſſus fuerit Chriſtum par eſt inſtitutum fuiſſe Principem, & Caput totius Eccleſiæ. Signauit enim cæteros omnes, qui eiuſdem Confeſſionis erant futuri participes. Quamobrem totius Diſputatiouis ſumma colligam. Aſſeruimus quidem Petrum fuiſſe a Domino conſtitutum totius Gregis Chriſti Paſtorem, Caput, & Principem, ipſum fuiſſe primum lapidem iactum ſuper fundamentum. Ex his que colligi, non ex æquo traditam fuiſſe poteſtatem Clauium cæteris Apoſtolis cum eo, ſed illi primo planè, & in in Vniuerſum. Aſſumpta probauimus ex Verbis Chriſti, Beatus es &c. Tu es Petrus, & ſupet hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo Claues &c. Et quodcumque ligaueris &c. Pręterea, Simon diligis mè plus his? paſce oues meas. Paſce aguos meos. Verba ita expreſſa ſunt, vt interpratatioue uou egeant: ſeuſus ſimplex eſt, ac dilucidus. Et Diuus Chryſoſtomus ita illum accipit. Quamobrem, & teſtatur eum Paſtorem vniuerſæ Eccleſiæ fuiſſe conſtitutum, & Vniuerſo Terrarum Orbi a Chriſto præpoſitum, hæcque decora illi tributa, quia Dominum Ieſum Chriſtum Dei Filium ſecundum uaturam primum confeſſus eſt. Quamobrem, & ab ipſo Domino beatificatus. Inquit, enim, Chryſoſtomus nihil tale de illis dictum eſt, quale de hoc dicit? Quia Pater reuelauit tibi, propter quod, & ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. Hieronymus quoque, & Cyprianus, ac alij pleriquè hoc idem confiteutur, videlicet ſuper Petrum fundatam eſſe Eccleſiam: ipſumque Apoſtolorum eſſe Principem, & Caput. Declarauimus præterea, etſi Chriſtus ſit fundamentum, Petra, Caput, & Eccleſiæ Paſtor, id non tollere, quin eadem de Petro dicantur: Cum illi Dominus vices ſuas commiſerit. Præterea nec ſequi, & ſi ipſe Paſtor ſit, & ei traditæ Cœlorum Claues, quia, & cæteris Apoſtolis fuerit traditæ a Domino, & non per Petrum, licet abundautius, & omni modo, cæteris autem parcius. Quamuis etiam alia ſententia probari poſſit, quod per Petrum illam acceperint. Nemini enim aliorum propria voce Dominus dixit: Paſce oues meas, uiſi Petro: Nec conuinci poteſt ſecundum ſeutentiam Chryſoſtomi datam fuiſſe, aut proximam, vti ab illo accipieudam citra omne medium poteſtatem retinendi, & dimittendi peccata, illis Verbis Matthæi 18. Quorumcumque remiſeritis peccata &c. Vel Ioannis 20: Accipite Spiritum Sanctum &c. Sed tantum præparatos fuiſſe illa inſuflatione ad recipiendum Diuinum Spiritum: Priori tamen ſententiæ ego potius ſub ſcriberem, licet ſummum faſtigium cum omnimoda a poteſtate Petro fuiſſe tributam non dubitem.

Sed nec hic Petri Primatus latuit tuum Origeuem, quod ex his verbis ſatis declaranit cum Dominus Matthæi 18. dixit Diſcipulis: Quicumque ligaueritis ſuper Terram, ligata erunt, & in Cœlo. Non dixit, in Cœlis, ſed in Cœlo, quemadmodum dixit Petro. Hoc autem quia fratres non ſunt tantæ perfectionis quantæ Petrus. Cyrillus quoquè Alexandriuus in Theſauro, ita inquit. Secundum autem hanc Domini paſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione hęreticaque circumuentioue manet immaculata: Super omnes Præpoſitos, & Epiſcopos, primateſque Eccleſiarum, & Populorum in

Digitized by Google

Fide pleniſſima, & authoritate Petri: & cum aliæ Eccleſiæ quorumdam errore ſint verecundatæ, ſtabilita: in quo ſtabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium obturans ora Inimicorum: De hocque Primatu, nulla apud Patres eſt quæſtio. In ſententia omnes conueniunt, licet verbis diſcrepent. Petro enim quem Eccleſiæ Paſtorem conſtitutum fatentur, omnes, qui de Grege Chriſti ſunt ſubyciantur oportet vti Paſtore: Ipſum autem nemini, niſi Chriſto Domino. Cæteros verò non tantum Domino Gregis, ſed etiam Paſtori conuenit eſſe ſubiectos, quamuis ipſi muneris participes ſint, & ipſius præcipui Paſtoris coadiutores. Tamen ipſe curat oues ouiumque magiſtros. Quo inſtituto Grege commodiſſimè proſpectum eſt. Si enim plures ex æquo Gregi eſſent præfecti, ſeditiones, & Schiſmata de facili euenirent. Nemo enim poteſt (inquit Chriſtus) duobus Dominis ſeruire, videlicet æquam functionem habentibus.

Quod præterea ais, in Annotationibus ſuper Epiſtolam ad Corinthios. Hic locus annotandus eſt his, qui Summi Pontificis authoritatem in immenſum tollut &c. Et paulò poſt, Paulus a Chriſto acceperat authoritatem Apoſtolicam non a Petro &c Et demum, Atqui nunc tantam tribuunt Romano Pontifici poteſtatem, vtinam poſſint, & cæteras Dotes Pontificias tribuere ſapientiā, puritatem, charitatem &c. Quod ad primum attinet ex his quæ diximus ſatis reſponſum eſt, non enim qui aſſeuerant Summi Pontificis Decretis vniuerſum Populum Chriſtianum cedere debere in immenſum tollunt Pontificiam Poteſtatem hoc eſt præter limitem. Si enim conuenit cunctas oues Paſtori cedere, ac parere, ſummus autem Pontifex Paſtor eſt Vniuerſi Gregis Chriſti, ſequitur Vniuerſum cedere oportere. Non tamquam vni homini (vt tu ais) ſed vti Chriſti Vicario, & Petri Succeſſori. Cum enim Summus Pontifex Caput Eccleſiæ & Magiſter ſit, vti fuerat Petrus corpuſque a capite ſciunctum non niſi truncum cadauer ſit; vel ſi contendas adhuc aliquantiſper viuere poſſe vti, videmus in quibuſdam Animalibus contingere, præſertim in eo genere, quod inſectum dicitur: attamen fatearis oportet, & ſi vitali ſpirita nondum prorſus abſumpta ſemiuiua aliquantiſper, non tamen abſque capite diù conſiſtere poſſe, ſed ſenſim emori breuique omnino extingui. Quomodo igitur inquis, Vniuerſum Eccleſiæ Chriſtianæ Corpus debere cedere vni homini, cum non poſſit Corpus ſine Càpite conſtare, nec perfectum Corpus dici queat quod acephalum ſit.

Quod autem ſubijcis quoſdam eſſe, qui dicant, quod ſi omnes Animas deduceret ad Inferos, non foret Ius illis reſiſtendi. Auxeſis eſt in his Verbis. Omnia autem ſanè, & piè interpretanda quatenus fieri licet. Sed his caſus numquam eueniet. Dominus enim non permitteret Gregem ſuum quem alicui commiſit paſcendum ab illo perdi. Cum autem ad id apertè conaretur, vel eum e medio tolleret, vel Gregem edoceret remedia quibus ſuæ ſaluti proſpiceret: Cum Paſtori poteſtatem dederit in ædificationem non in deſtructionem.

Quod poſtremo inducis detrahens Summis Pontificibus, quos multis virtutibus vacuos eſſe affirmas, cum optes eos, qui tantum poteſtatis illis tribuunt tribuere poſſe, & illas virtutes, quas tu recitas. Reſpondeo eo, qui authoritatem tribuunt putare illos his dotibus eſſe ornatos, quæ conueniunt his, quibus tanta poteſtas eſt permiſſa. Quod ſi ſecus accidat, & ſi dolendum, non tamen ob id poteſtati quicquod eſſe detractum ſciunt; ſed par eſt, niſi contrarium euidentiſſimè perſpiceretur, exiſtimare Pontifices Maximos illis Virtutibus eſſe ornatos. Si enim Beato Patre Hieronymo teſte, quem ſuperius citauimus, iniquum eſt, vel de Clericis tantum aliquid ſiniſtri ſuſpicari, quanto maius periculum de ipſis præſulibus, & maxime de ipſo Pontifice Maximo aliquid indignum ſuſpicari? Nam ſi diuerſum quandoque accidit id permiſſu Diuino ſit inſonte Grege ad expianda eorum ſacinora, illa tamen occulenda ſunt potius, quam propalanda. Iuxta illud, quod dicitur de filijs Noè. Quia Pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incidentes retrorſum operuerunt verenda Patris ſui, facieſque eorum auerſæ erant, & Patris virilia non viderunt. Quapropter, & benedictionem acceperunt: Chanaan autem maledictionem, quia Patrem ebrium, & nudum publicauerat. Cum igitur accidit Paſtorem minus ſtudioſum virtutibuſque deſtitutum Eccleſiam gubernare deprecandus pientiſſimus Dominus, vt eum ad meliorem frugem deducat, patienterque ferendus, & Domini Iudicio, cui ſtat, aut cadit relinquendus. Non enim Paſtor ab ouibus obiurgandus, aut iudicandus, ſed qualiſcumque is fuerit ob muneris maieſtatem obſeruandus eſt. Cui nihil detrahit hominum nequitia, modo in Chriſti Caula permaneat, vt Sancti Patres teſtantur: Chryſoſtomus enim octogeſima quinta ſuper Ioannem Homilia præter cætera hæc inquit Etiam ſi praui ſint Sacerdotes Deus per eos omnia perficiet, & mittet Spiritum Sanctum Gratia enim omnia operatur. Quicquid enim conatur Sacerdos, ſolius Dei donum eſt: & vbi humanam exercet ſapientiam, minor illius Gratia apparet. Sed quid Sacerdotes dico? Neque Angelus, neque Archangelus in his, quæ a Deo data ſunt quiquam perficere poteſt, ſed Pater Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit: Sacerdos, & linguam, & manus præbet. Neque enim iuſtum eſt propter aliorum malitiam accedentes ad ſalutem noſtram offendi &c. Audito Chryſoſtomo, audi, & quid Bulgarius dicat, Ait enim? Vide inſuper Sacerdotum Dignitatem, quam Diuina ſit, eius enim eſt remittere peccata: Sic igitur illi honorandi ſunt vt Deus, nam quamuis indigni ſint, quid hoc? Diuinorum donorum miniſtri ſunt, & Gratia operatur per eos: Non enim Indignitas noſtra Gratiam prohibet? atque ideo, quia per Sacerdotes Gratia ſuppeditatur, honorandi ſunt &c. Sed, & rurſus audi Chryſoſtomum in illa verba, ſuper Cathedram Moiſis ſederunt &c. Ait enim. Increparis Sacerdotibus, & Phariſæis a Domino, ne quis ob id in Sacerdotes inſurgat id ſummopere iubet, nec iubet ſolum, verum etiam facit. Non enim a docendi gradu minoribus corruptos deycit, & quemuis nequam eſſent,

in

in Principatu eos confirmauit, dicens, facite quæcumque illi vobis eſſe facienda confirmauit. Vides vt nihil detrahatur poteſtati ob morum prauitatem. At quid moror in teſtimonijs Patrum cum ex Euangelio ipſo hoc apertiſſimè ſtatuatur. Caiphas quidem Iniquiſſimus erat perditiſſimæque vitæ; attamen cum eſſet Pontifex anni Illius (vt Euangelium inquit) prophetauit dicens: Quia expedit vnum hominem mori pro Populo.

Cum hæc tàm apertà ſit veritatis aſſertio: attamen tu præter ea, quæ diximus etiam alio loco inquis in Epiſtola ad Epiſcopum Baſilienſem de Præpoſitis Eccleſiæ diſſerens, Ab Infirmis tanta firmitas exigitur, vt iubeantur credere malint eſſe hæretici, quicquid per illos agitur, ſiue cum abſoluunt, damnantue, ſiue cum benedicunt, aut maledicunt, ſiue cum largiuntur indulgentias, aut retinent, tantumdem valere, ac ſi per Apoſtolum Paulum, Andream, aut Iacobum fuiſse actum. Si id quem accuſas, te igitur ſecus ſentire declaras: Videlicet non idem valere. At quomodo id potes ſtatuere ſi præſules ipſos eis ſuffectos eſse agnoſcas, & memor ſis Dominum ipſis dixiſſe. Accipite Spiritum Sanctum. Quorumcumque remiſeritis peccata remiſsa erunt, & quorumcumque retinueritis retenta erunt, & quodcumque ſolueritis ſuper terram erit ſolutum, & in Cœlo &c. Si igitur Apoſtoli talem habuere poteſtatem oportet, & in ſuffectis parem eſse. Aliter enim non fuiſſet perpetuò proſpectum Eccleſiæ, niſi tantum pro tempore, quo Apoſtoli vixere.

Ad aliud, quo inueheis in Præſules, Pontificemque Maximum, ac in Theologos, quod nominibus poteſtatis Domini Magiſtrique ambitioſis, vt ais, vocabulis vtantur, mirum profecto tanta te Inuidia in hos Sacratiſſimos Ordines ferri, vt etiam deteſteris ea, quæ modeſtiſſima ſunt, & quæ a Sanctis Patribus ab Apoſtolis, ab ipſo denique Domino Ieſu inuecta fuere. Nomine quidem Poteſtatis vſus eſt non ſemel Apoſtolus Paulus. Ad Chorinthios enim ſcribens, inquit, ſecundum poteſtatem manducandi, & bibendi &c. Adhuc, nam etſi amplius gloriatus fuero de poteſtate noſtra &c. & ad Theſſalonicenſes, non quaſi non habuerimus poteſtatem &c. Dominus quoque Ieſus in Ioanne dicit, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Et rurſus: Data eſt mihi omnes Poteſtas in Cœlo, & in Terra: Præterea non ſemel Apoſtolis poteſtatem dedit: Cum videlicet vocatis duodecim dabat illis poteſtatem ſpiritum immundorum. Prætera dedit eis poteſtatem calcandi ſupra Serpentes, & Scorpiones. Ad hæc, vt ſciatis filium hominis habere poteſtatem dimittendi peccata &c. Ex his agnoſcere vales poteſtatis Vocabolum non eſſe ambitioſum, vt tu vis: Non enim illo vſi fuiſsent Apoſtoli, nec ipſe Dominus, ſed nec ratio Illius vocis id ſignificat: Et ſi enim referri ad Imperia, & Magiſtratus authoritatem poſſit, tamen etiam ad humillima quæque officia referri poteſt: Vt enim Paulus Iuriſconſultus vult, plura ſignificat: a poſſum enim venit. Quid autem eſt aliud poſſe, quam facultatem habere aliquid agendi? facultas autem tam ad magna, quam ad parua extenditur. Quamobrem, & dicit Paulus ad Romanos, an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem aliud in Contumeliam? Dicimus, & Parentes in liberos habere poteſtatem videlicet Patriam authoritatem, & Dominos in ſeruos: Iudices quoque poteſtatem habent decernendi in Iudicijs. Cum igitur Pontifex maximus, ac cæteri Præſules plurimas agendi poteſtates habeant, & id quidem diuerſis in rebus, Iure poteſtatis voce vtuntur. Sunt enim Patres Iudices rebus ſpiritalibus præpoſiti, & plurium profanarum Diſpenſatores. Quamobrem ſi in profanis citra ambitionem ac voce poteſtatis vtimur, quanto magis propriè, & conuenientius in ſacrarum adminiſtratione conueniet? Quænam poteſtas in Terris eſſe valet, vel maior, vel illi comparanda, qua dimittuntur, aut retinentur peccata, qua, & miniſtratur Gratia, quæ in Miſterijs per manus, & ora Sacerdotum a Domino Deo confertur. Quænam æqua (ne dicam ampliorem, aut multipliciorem) Illi, quæ in Pontificijs Maximè Maieſtate ſita eſt? In quo, vel vno omnes functiones conſtitutæ, facultas plenaria in ſpiritalibus, in multis etiam profanis maxima, & in cæteris non contemnenda. Cuius eſt reſerare, ac cludere fores Regni Cœlorum. Cuius eſt vſque ad tartarea regna, vbi ſontium animæ cruciantur, quo modo pertingere: & ſententia tua negabimus eam vocem illi conuenire? Cum tamen nulli potius, nulli verius, nulli æquè conueniat atque ipſi.

Deinde cæteris eius muneris participibus: Nec interim veteris eos ambitionis accuſare, quam illa vtantur. Sicut, & de hoc quod Domini appellentur: Quamuis nullo modeſtiori vocabulo indicante, tamen eorum munus, ac facultate vti potuiſſent, licet ad Reges, & Imperia quandoque referatur: Quinimo, & ad Omnipotentem Deum, quandoque tamen, & ad minoris notæ homines, a Domo enim quomodo ſcholæ Grammaticorum placet deriuatur. Quamobrem quicumque Domunculæ tantum præeſt, licet ex fæce plebis ſit, Dominus Domus dicitur. Item quiſquis bouis, vel æqui, aut agri ſerui, vt Ius proprietatis habet, Dominus eius rei dicitur. Præterea, & eis, qui vſufructum tantummodo accipit pro tempore, quo vſufructuarius eſt, Dominus dicitur. Si igitur omnes hi Iure Domini dicuntur: Cum Eccleſiæ tot, & tanta Iura poſſideant, conuincitur eos qui Eccleſijs præſunt, remque earum adminiſtrant Iure Dominos dici non ambitioſè; Prætcrea ſi illa vox Domini honoris eſt, cum honos Sacerdotibus debeatur præ cæteris potiſſimum ea vox illis tribuenda eſt. At ſi dicas, non decet eos, & ſi honore digni ſint illis vti vocabulis, quibus potius poteſtas profana ſignatur, quam ſacra, cujuſmodi eſt Domini nomen: Cum illis ſit a Chriſto inhibitũ; reſpondeo noluiſſe quidem Eccleſiæ Proceres regio nomine Ducis, aut Imperatoris appellati, cum hæc munera profana tantum indicēt quamuis ipſis ordine, ac Dignitate eis præſtent. Tuliſſe autem vt vocabulo Domini appellarentur, quia commune vtriuſque generi, hoc eſt ſacro, & profano: Quod, & modiſtiſſimum eſt, vt ex ſcripturæ teſtimonijs

Digitized by Google

probabimus, nec illud tantum omnipotenti Deo tribuitur in ſacris litteris. Nam Paulus ad Corinthios inquit. Sunt Dij multi, & Domini multi. Et ad Galatas, Puer cum ſit Dominus omnium, non tamen differt a ſeruo, & rurſus. Serui obedite Dominis veſtris, & vos Domini, quod iuſtum eſt ſeruis præſtate. Et Petrus Epiſtola prima, ſubditi eſtote Dominis veſtris in omni honore; Vides ex his Apoſtolos, non tantum ſummum Deum Dominum vocaſſe, ſed etiam pleroſque alios etiam humiles, in Geneſi quoque Iudas Ioſeph fratri dixit. Tu es poſt Faraonem Dominus. Item Chriſtus in Euangelio, nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, propterea vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benedicitis, ſum etenim. His teſtimonijs dilucidum fit hanc vocem Domini valde communem eſſe, nec cum ad humiles etiam referatur valde faſtuoſam eſſe: Et Dominus Ieſus, qui tamen renuit ſe appellari Regem, & ſi Rex eſſet, non annuerit ſe vocari Dominum, ſed probauerit; quod autem non ſignificet potius poteſtatem profanam, quam Diuinam ex Infinitis Scripturæ, locis probari poteſt. Plures enim ſcribitur; loquutus eſt Dominus ad Moiſen, & ſimilia. Amos quoque inquit, Dominus eſt nomen eius: & Ieremias, nomen quod vocabunt eum Dominus: Et in pſalmis, dixit Dominus Domino meo. Cum hoc Domini Vocabulum non tantum profana, ſed diuina ſignificet, & ad humilia vſque referatur, indicetque facultatem quandam in eo, qui dicitur Dominus ad negocia quædam: Proceresſque Eccleſiæ, & præſertim Pontifex Maximus multi iugis facultatibus præditi ſint: ſequitur eos pleno Iure, & dici debere Dominos, & eſſe: Huncque Titulum multiplici nomine illis conuenire.

Ad id autem, quod inquis illis eſſe interdictum, cum diluero quod obijcis Theologis, & hoc quoque explodam. Ais enim, non pudere Theologos non minus indoctè, quam ambitiosè magiſtros noſtros vulgò appellari, cum vtrumque, Dominus interdixerit: Primum videamus quæ ſit huius nominis ratio: Ea enim perſpecta facilius agnoſcemus, dedeceat me, an dedeceat eos magiſtros appellari. Magiſtri enim ſecundum tuos Grammaticos ab aduerbio magis dicuntur, & propriè artium Præceptores ita appellantur. Transfertur tamen ad omnes, quibus præcipua alicuius rei ars, aut cura incumbit, aut quia magis cæteris poſſit, aut quia maiorem diligentiam, & ſollicitudinem adhibent, ſiue debent rebus, quibus præſunt. Hinc magiſtri pagorum, virorum, & Collegiorum dicuntur: Ex hac itaque ratione patet nomen ipſum Magiſtri non ambitioſum eſſe, ſed tantum indicare quandam potentiam, ſiue diligentiam in re aliqua peragenda: & præceptoribus artium maximè conuenire. Cum autem nulla ars doctinaue ſit Sacræ Theologiæ conferenda, quinimo omnes liberales illi miniſtrentur, ac ancillentur, manifeſtum eſt nullis magis hoc nomen conuenire, quam illius profeſſoribus theologis. Quamobrem pleno Iure magiſtri noſtri appellantur. Edocent quippe nos ea, quæ Dei ſunt, & ad Fidem, & Religionem pertinent. Scite igitur, & non indoctè ſe ita appellari permittunt, nec tamen ambitiosè. Cum non ſit ſuperba vox, ſed quæ ad humilium quoque opificium referri poſſit, vt ex aſſignata ratione, & communi loquentium vſu perſpectum eſt. Dicuntur enim non ſolum Magiſtri pagorum, ſed & artium ſeruilium ac etiam ſordidarum. Quinimò, & Magiſtri Gregis dicuntur ſecundum Poetam. *Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſque Magiſtro*. Quod etiam multiplici ſacrarum literarum teſtimonio probatur: In Geneſi enim etiam paſtorum Magiſter vocatur, & in libro Machabæorum Beſtiæ Magiſter. Et Daniel conſtitutus eſt Magiſter ſuper omnes ſapientes.

In Euangelio quoque ſæpiſſimè mentio fit de Magiſtro, vt dies non ſufficeret ſi illa omnia recitare vellem, vt cum Dominus dixit Nicodemo, Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Et venit Doctor legis tentans eum &c. Ex his puto patere magiſtri nomen non ambitioſum eſſe, ſed Theologis maximè conuenire: Itidem dicendum, & de Doctoris nomine, quod ſi vellem in omnibus authoritates ſcripturæ citare ſuperuacaneus videri poſſem.

At cum dicis, id illis a Chriſto inhibiti fuiſſe: inquit enim, nolite vocari Rabbi &c. Reſpondeo, quod ſi his verbis præſcriptum fuiſſet, ne quis appellaretur Magiſter, pariter cautum eſſet, ne quem appellarent Patrem. Eodem enim loco vtrumque vetatur: Inquit enim, & Patrem nolite vocare vobis ſuper Terram: Vnus enim eſt Pater veſter qui in Cœlis eſt. Sicuti & vnus Magiſter. Sed audi quo hæc interpretet Chryſoſtomus. Non vocetis Patrem inquit non hoc dixit vt neminem Patrem vocent, ſed ne ignorent quem principaliter Magiſter eſt, ſic nec Pater, præter illum, qui tam Magiſtrorum quam Patrum omnium cauſa eſt. Quamobrem, & ſubiunxit, nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Non igitur ſentit Dominus Diſcipulos nō appellari Magiſtros, ſed ne more Iudæorum ſe appellari vellent, qui illo nomine gaudebant: Immemoreſque reddebantur præcipui Magiſtri, qui vnus tantum eſt. Hancque Magiſtri, & Patris appellationem repreſſit Dominus, per quam Cœleſtem Patrem, & Magiſtrum negligant. Prolixiorem de hac re, fecimus Diſputationem: Quia huic loco reſpondentes multis alijs reſpondemus: Quibus vel Sacerdotes vel Theologos inceſſere non deſinis quos defendere, ac revereri debuiſſes.

Ad aliud, quod dicis in Annotationibus ſuper Epiſtolā Pauli ad Chorinthios: Sedis Apoſtolicę ſtatum eſſe Chriſti titulo palliatā tyrannidem, putarem ſanè te quodam morbi furore percitum illa verba protuliſſe potius, quā mentis compotem ex animo talia ſcripſiſſe, ſi hoc tantumloco ipſæ S. Sedis infeſtus fuiſſes.

At cum mente reuoluo te illa perpetuo inſectari, & pluſquam mille locis illi derogare, inducor vt credam, te ex animi ſententia non mente, niſi dumtaxat bona captum illa ſcripſiſſe. Inquis, enim, ex hoc capite & proximo licet conijcere quæ fuerint Dotes illius veteris Eccleſiæ priuſquam tot Cœremonijs, opibus, Imperijs, copijs, alijſque id genus eſſet onerata. Nunc ferè tot præclara munia ad vnam poteſtatem redacta ſunt, hoc

eſt

eſt Chriſti Titulo palliatam Tyrannidem. Quid atrocius? Quid acerbius a quoquam dici potuiſſet: non ad minuendam ſolum, ſed ad prorſus perdendam cathedræ Petri Authoritatem? Nec enim atrociſſimus quiſpiam acerbius, quid dicere potuiſſet, quam quod Poteſtas Eccleſiaſtica Tyranuis eſt. Si ita eſſet Eraſme accurrerem inter primos ad illam abolendam hoc idem, & omnes agerent quibus pius animus eſſet, & qui rempublicam diligerent, cum igitur hoc prædices, vide quæſo quantam Sedi ſanctiſſimæ primum inferas Iniuriam, deinde & cæteris Eccleſijs. Vide quantam moueas Inuidiam, quantum excites incendium, & tamen audacter negas tibi quicquam conuenire cum Lnthero. Quid autem Lutherus aduerſus illam pernicioſius vnquam protulit? Quem morſum intulit tam rapidum? Quodnam telum ita medicatum toxicoque magis letali infectum iaculatus eſt vnquam? Parcat tibi Summus Deus Eraſme, qni hæc tam iniqua, tam inuidioſa diſſeminaſti, & deinceps ponat cuſtodiam ori tuo, & oſtinm circumſtantiæ labijs tuis, ne effundas verba malitiæ, fidens eloquentia re excuſari poſſe in peccatis. Sed quod ad rem attinet Superioribus diſputationibus reſponſum eſt. Diſſeruimus enim de Poteſtate Eccleſiaſtica, & vnde ſit tam ingens, tam verenda, tam vaſta, tam multiplex, ſimulque declarauimus illi mulris opus eſſe præſidijs, & ornamentis externis ad ſe euendam, Dignitatemqne ſubſtinendam. Multiplici enim poteſtati multiplicia oporter eſſe Miniſteria pluraque, & varia Inſtrumenta: Exerta quoque, & exercita poteſtas plures exigit Miniſtros, quam latens, & recondira. Quamobrem nec conuenit cunctis in rebus ſtatum Eccleſiæ hnius temporis conferre ſtatui veteris illius pænè naſcentis, & adhuc (vt ita dicam) vagientis. Sed id facere eſset ita rationi diſsonum, ac ſi quis robuſtum iam Virum componeret infantis faſcibus alligati cōditionibus. Quod ſi contenderes illam robuſtiorem fuiſse ſpiritu, licet imbecillem corpore, & Viribus externis: id quidem non iuficiarer: præſertim quantum ad primæuum illud tempus Apoſtolis adhuc viuentibus aut illis proximum, non exhauſto adhuc ſpiritu illo Apoſtolico, ſed vigente in multis: qui tamen ardor peculiare Dei donum eſt. Nec eſt volenris, neque currentis, ſed Dei miſerentis illum tribuere temporibus, menſura, & quibus drcretum eſt in arcanis illius ſapientiæ, & boniratis: quem, & impertitur, diſtribuitque quandoque ſplendentem, ac micantem, virrutes etiam, & prodigia operantem: aliquando etiam latentem ptont vſus poſtulat, & tempora exigunt.

Quod dico ne putares Eccleſiam nunc deſtitutam eſse Spiritu Chriſti, cum in eo non perſpiciantur miracula, nec videantur illi veri hæredes, quos in veteri paſſim ctat videre, quaſi Dominus Ieſus deſeruiſset dilectam Spouſam ſuam cum qua tam magno Sacramento (vt Pauli vtar verbis iunctus eſt.) Cui recepit ſe cum ea ſuturum vſque ad ſęculi conſumationem. Sed vti tunc exibeantur miracula ad Euangelium propagandum, oportebatque vt flamma micaret cuius fulgor tanto magis remittebat, quanto fides in paucioribus conſtabat. Sicut enim carbunculus, Margaritumque inſigne plus nitet, cum inter atra, & caliginoſa ſirum eſt, quam ſi inter multa renitentia: Ita præclara, & egregia Virtus vbi rarior ibi magis conſpicienda. Quod quidem in veteri Eccleſia vſu veniebat paucis fidelibus diſperſis in multitudine Ethnicorum, & Infidelium. Nunc autem propagato Euangelio, & conuerſis ad Chriſtum Ethnicis, vti non eſt opus tot, & tam apertis prodigijs ad confirmandam veritatem Doctrinæ Chriſti: ita nec perfulgent viri illi perfecti, in quorum pectoribus Chriſtus habitar, ſed diſperſi in Turbas inter illas deliteſcunt minus præclari. Attamen diuerſis ſęculis modo vnus, modo alter emergit hetos, in quo excelſa perſpicitur virtus, per quem, & prodigia fiunt. Hocque ita a Domino peragitur, vt tempora exigunr, & res Eccleſiæ poſtulat: quod indicae adhærere: quam decuit primo nudam eſſe plumiſque deſtitutam, vt inrerna virtus illius magis agnoſceretur: Cum tamen vndique circũuolaret, toterrimumque griphum illum, qui aera occupabat viribus, & poteſtate loco deturbaret, & regnantē profligaret. Decreuerat enim omnipotens humilitate expugnare ſuperbiam, egeſtare auaritiam, imbecillitate poteſtatem, ſimplicitate verſutiam, ignominia, ac confuſione gloriam, infirmitate robur, ſermonis inopia eloquētiam, inſcitia, mundi ſapientiam, crucis patibulo, ſolium, denique ſanguine, & morte regnanrem, ac triumphantem, ſola vti, & robore ſpiritus miſso ad hoc myſterium conſumandum Chriſto Ieſu ſeruatore noſtro. Sed obtenta victoria, depulſo hoſte, non eiſdem machinis, non eiſdem telis, non eiſdem inſtitutis prorſus inſiſtendum erat, ſed conueniebat columbam pennas aſsumere, alas extendere, multa poſſidere, decus, & maieſtarem ſeruare, intus, ac extra fulgere, de hoſte triumphare, ſpoliaque, & manubias diſtribuere.

Alij obiectioni, quam in annotationibus tangens carpens Pontifices Maximos, dum inquis, Vetat Paulus Epiſcopum fieri, qui Neophytus, aut percuſſor, aut vinolentus ſit: at hodie Romanus Ponrifex, vel heri baptizatum, vel Pirataram publicum admittit, ſi videatur, nihil deterrirus Paulina conſtitutione. Fuiſti Romæ Eraſme, & quia Epiſcopali honore non fuiſti decoratus vti fortè ſperaueras: ita iratus inde diſceſſiſti, vt perpetuò exulceraro, ac implacabili auimo, aduerſus eam Vrbem fueriris, ita vt ſemper ſpicula quædam in eam torſeris non oblata occaſione, ſed ea de cauſa perquiſita. Ob idque Dialogum ſcripſeris de captandis Sacerdotijs, in quo nil aliud ſpectas, quam illi derogare. Quot enim in eo ſunt ſententiæ, tot ſunt, & morſus, tot riſus, tot ludibria in Romanam Cathedram: vt illud, Roma venis qua nuſquam magis latenr boni Viri, adeo vt ſæpè clariſſima luce neminem videas in frequentia. Redis igitur nobis onuſtus Sacerdotijs: nam complures ibi piſcarunt hamo, quod dici ſolet, aureo. Stultum piſcandi Genus, & tamen pulchrè ſuccedit nonnullis: ſed non omnibus felicirer cedit hæc alea: Attamen inſignirer ſtulri ſunt qui plumbum commurant aureo. Inibi Eraſme conſuiſti, vidiſti ne, aut tantum audiſti heri baptizatum, vel piratam publicum ad honorem Epiſcopalem fuiſſe euectum? Hoc certè

non

Digitized by Google

non dices. Ego ſanè qui pluribus annis in ea Vrbe verſatus ſum, dicere non poſſum me vnquam tale quiquam vidiſse, vel audiſse.

Quod vero ad Conſtiturionem Paulinam attinet dico illud Decretum Diuinum non eſse, nec a Paulo promulgatum vti a Domino traditum. Quinimo nec vri legem ab ipſo conſtitutum, ſed potius conſilium quoddam eſse ſtaruens, & quaſi formans eum, quę ad Epiſcopatum euehi deceat: quem conuenit hominem probum eſse, prudentem, bonæ famæ, & denique qui non poſſit offendiculum præbre Eccleſiæ, nec ipſe contemni. Recenſer autem illa, quæ cum contemptibilem reddere poſsent, aut mulris præbere offendiculum. Quamobrem, & præſcribir bonum teſtimonium vr habeat apud eos, qui foris ſinr &c. Non ramen conſtituir, quod ſi quis aliqua Dorium illorum careret, ratio ramen alia exigeret, vt eueheretur: non poſſit aſſumi: quod facto ipſe comprobauir. Thimotheum enim Epiſcopum conſtituit: Neophytum ramen, & Adoleſcentem. Inquit enim primo ad ipſum. Nemo Adoleſcentiam ruam contemnat. Titus quoque iunior erat, & Neophytus, eum ramen tori Cretæ præfecir: Præterea hoc licere, dum res poſcir Dominus Ieſus declarauit, qui eodem die publicanum e teloneo vocarum, fecit Apoſtolum: qui Eccleſiæ perſecutorem, hoſtemque maximum, vbique perquirentem fideles, vt eos in carcerem vinctos adducerer, in Apoſtolum præcipuum delegir, Vaſque Electionis vocauit, & Doctorem Genrium conſtituit.

Ad aliud quod in Dialogo Ichthyophagię, inquis: Exrra Eccleſiam eſt quiſquis, non agnoſcir Romanum Pontificem, non reclamo; ſed hunc non agnoſcit, qui illius præcepra negligit, atque ideo ſpero fururum &c. quam vafrè, quam lubricè hæc profers. Verbiſque ambiguis non reclamo inquis; Numquid non reclamare eſt probare? Proferre debueras, an probares. Qui enim quampiam rem non agnoſcit, aur improbare non auder, licet animo eam condemnet, forrè propter fuſtem non reclamat. Præterea quid intelligis cum ais, non agnoſcit Romani Pontificis Poteſtatem. An ſentis per agnoſcere eum videlicer fateri eſse Eccleſiæ Primarem iuſtitutum ad tollenda Schiſmata rantummodo? An vti habeurem ſumma poteſtarem a Chriſto ſibi traditam, vti Carholica Eccleſia aſserit, illumque agnoſcir, & confiterur? Si priori modo, verum dicis, quod qui tanrummodo eum habere Primatum in Eccleſia cenſet eius præſcripra negligere porerit: ſi altero, videlicer, quam illius agnoſcat poteſtatem, nequaquam negligere valebit, ſciens, ac volens. At qui illam negligi poſſe putar abſque piaculo, certè eius poteſtatem non agnoſcit.

Ad ea verbula, quæ blanda ſpecie ſubiungis in diſpurarionis principio, dixi re nimis vanum, & leuem eſſe, ſi putas grauiſſimum Pontificem licer Clemētiſſimum, ac permitem illis allici poſse, vt a Patrum decretis diſcedat, & hærericorum Dogmara prober, vr eos ad Eccleſiæ ſodaliratem alliciat: Nulla enim Sanctiſſimæ Sedis culpa, quæ fidei puritarem ſolidiſſimè ſemper ſuſtinuit, vlli ab eius gremio diſceſsere: ſed eorum proreruia, contumaciaque factum eſt, qui piæ matris ſalutaria monira contemnentes ab illa receſsere. Quod omnes hæreſiarchæ cum ſuis ſectis fecerunt: quos tamen ſemper ad pænitenriam inuitat parara eos ſuſcipere in ſinu charitatis, vti Dominus inſtituit eſse faciendum, & Petrum docuir. Attamen nihil vnquam illis concedet, quod aduerſetur ſanctorum placitis, & Patrum orthodoxorum decretis. Qui enim pertinaces reſipiſcere nolunt, ſanè indigni ſunt, vt inrer filios eius aſcribantur. Ad id, quod poſtremò dicas te quotidiè audire veteres quærimonias de annatis, deque reliquis exactionibus, & grauatis Eccleſijs, mirumque a paucis annis hæ quærulæ voces audiri cæperinr, ramque increbuerinr poſtquam tu de diuinis rebus philoſophari, & ſcribere cæpiſti. Quæ quidem voces nil aliud ſunt, quam excuſationes in peccaris. Hæc cæterorum etiam, & ſcuta, & pila ſunt aduerſus Catholicam Eccleſiam, annatæ quidem non heri, aut nudius tertius fuere impoſitæ, ſed vetuſtiſſimo inſtituto, conſenſuque omnium narionum, ac Populorum agnoſcentium Iure Diuino a leuitis, ſiue minoribus Sacerdotibus decimas, decimarum ſummo Sacerdoti deberi. Quæ tamen non exiguntur ſingulo quoque anno, vt in vereri lege moris erat, ſed tanrum ſemel in vita Sacerdotis ad Sacerdotium euecti. Sed age. Quęnam ſunt hæc grauamina? Numquid adauctæ ſunt annatæ? Non quidem. Quinimò a multis detractum. Cæterum quod ais ad Epiſcopum Baſilienſem, Eccleſiæ Proceres eſse, qui cum abundanr Eccleſiaſtico cenſu vſque ad regum opulentiam (quod tamen falſiſſimum eſt, & ad ſolam inuidiam prolatum) tamen non docent Populum, & palam impiè viuunt. Reſpondeo eos, qui rebus præſunr, nec ea præſtant officia, quæ debenr, & valenr, peruersè agere, & caſtigandos eſse ab his, quorum functio eſt: Qui licet hic non debiras luant pænas, Diuinum tamen Iudicium non euadunt. Lento etenim gradu ad vindictam ſui Diuina procedit Ira, tarditatemque ſupplicij grauitate compenſat. Sed iam plura diximus in hoc argumento, quam noſtri eſset propoſiti: Quæ ramen per occaſionem protulimus aliquot argutiunculis tuis prouocati.

Digitized by Google

ALEXANDER
A SANCTO ELPIDIO.

Alexander à Sancto Elpidio Natione Vmber ex Priore Generali II. Eremitarum Sancti Auguſtini Archiepiſcopus Rauennas à Ioanne XXII. Pontifice Max. deſignatus, Vir fuit in ſacris literis non mediocriter eruditus, ob idque paſſim à ſcriptoribus rerum Eccleſiaſticarum, & Pontificiarum nominatus, & licet eius elucubrationes prælo datæ præ manibus non habeantur citentnrque a Ludouico a Sancto Carolo extantes M. S. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegij Emanuelis tamen inueniri eas contigit impreſſas Taurini anno 1496. in Bibliotheca Angelica Auguſtinianorum Romæ quas eidem Ioanni XXII. dicatas hic Lectoribus exhibemus.

Incipit Tractatus de Eccleſiaſtica Poteſtate editus à Fratre Alexandro de Sancto Elpidio, Sacræ paginæ Profeſſore F.F. Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini.

EPISTOLA
AD SVMMVM PONTIFICEM.

S*Anctiſſimo in Chriſto Patri, ac Reuerendiſſimo Domino Domino Ioanni Diuina Prouidentia Sacroſancta Romana, ac vniuerſalis Eccleſia Summo Pontifici, Frater Alexander de Sancto Elpidio, Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini Theologicæ facultatis Profeſſor licet inutilis, & indignus, cum ſumma reuerentia; deuota pedum oſcula Beatorum.*

Præſens opuſculum, Clementiſſime Pater, de Eccleſiaſtica poteſtate, ex dictis Catholicorum Doctorum collectum, quod aggredi me induxit deuota ſubiectio ad vnam Sanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam, non ſine timore & tremore, maximè propter materiæ altitudinem, præſentare Veſtræ Beatitudini attentaui, quæ tam excellentiſſimi iudicij rectitudine, quàm etiam ſumma authoritatis plenitudine deſuper ſibi conceſſis, ſi qua benè dicta ſint, acceptare poterit, & non benè dicta miſericorditer emendare.

Incipit præmium in quo exprimitur materia, & intentio præſentis opuſculi.

1 HOc eſt nomen, quod vocabunt eum: Do-
minus Iuſtus noſter. Hier. 23. Ver-
ba iſta, quæ dicta ſunt de Domino
noſtro Ieſu Chriſto, conuenientet
exponi poſſunt de quolibet ipſius Generali Vi.
cario, qui ſic ſuas vices expreſsè gerit iu ter-
ris, vt plerumque quod de ipſo ſcribitur, con-
uenienter de ipſius Vicario poſſit exponi,
qui ſingularitet, quantum ad propoſitum
2 ſpectat dici poteſt *Dominus*; ratione plenitudi-
nis poteſtatis; quia loco illius Caput eſt, &
omnibus præpoſitus, ſecundum quod dicit
Chryſoſtomus: *Cui data eſt omnis poteſtas in*
cælo & iu terra. Sed *Iuſtus* dicitur ratione
præcipuæ Sanctitatis. Vndè & Pater Sanctiſ-
ſimus appellatur, ratione ſtatus, qnem tenet,
qui eſt totius Sanctitatis principium. Sed
Noſter tatione Eccleſiaſticæ poteſtatis, à quo
3 omnis poteſtas in Eccleſia, deriuatur; Quam
quidam modernis temporibus non ſanè in-
telligentes, dubietatem quàm plurimis non
modicam attulerunt. *Et quia*, ſecundum Iſi-
dorum, *quando aliqua diſſentio apparet, tunc*
clariùs manifeſtanda eſt aſſertio veritatis; Ego
Doctor Theologorum minimus, quantum-
cumque clarè & euidenter agnoſcam, quod
hoc vires modicitatis, & debilitatis meæ ex-
cedat; Niſus tamen Spiritus Sancti gratia,
à quà eſt omnis ſapientia, & eloquentia, cum
timore non modico, & debita reuerentia at-
tentaui aliqua compendioſè de poteſtate Ec-
cleſiaſtica in ſcriptis tedigere, præſens opu-
ſeulum iu duobus tractatibus per diuerſa Ca-
pitula diſtinguendo, vt meis Dominis, & Ma-
giſtris faciliùs occurtant, quæ dieuntur, vt
non benè dicta commodius emendare poſ-
ſint, & de benè dictis, ſi qua ſunt, laudes
referre bonorum omnium largitori.

PRIMVM CAPITVLVM.

Iu quo agitur de triplici Sacerdotio, Magno, Maiori, & Maximo.

CAPITVLVM II.

In quo agitur de triplici poteſtate ordinis, Iuriſdictionis, & mixta ex vtraque.

CAPITVLVM III.

In quo oſtenditur quod poteſtas ordinis ſit Immediatè à Chriſto.

CAPITVLVM IV.

In quo oſtenditur quod poteſtas Iuriſdictionis in Summo Pontifice ſit immediatè à Chriſto.

CAPITVLVM V.

In quo oſtenditur quod poteſtas Iuriſdictionis etiam in Apoſtolis, & in Diſcipulis fuerit immediatè à Chriſto.

CAPITVLVM VI.

In quo ponuntur rationes aliquorum oſtendentes, quod poteſtas Iuriſdictionis in Epiſcopis, & Curatis, ſit immediatè à Chriſto.

CAPITVLVM VII.

In quo probatur quod talis poteſtas Iuriſdictionis non eſt immediatè à Chriſto in Epiſcopis.

CAPITVLVM VIII.

In quo reſpondetur ad rationes, & authoritates quæ nituntur probare, quod talis poteſtas iuriſdictionis ſit immediatè à Chriſto in Epiſcopis, & Curatis.

CAPITVLVM IX.

In quo ex præmiſsis oſtenditur qualiter poteſtas mixta ſit immediatè à Chriſto, & qualiter immediatè à ſuis Vitarijs.

CAPITVLVM X.

In quo agitur de ſucceſsione perſonarum Eccleſiaſticarum. Ex quo plura clariùs apparebunt, quæ in præmiſsis poſita ſunt.

CAP. I.

In quo agitur de triplici Sacerdotio, Magno, Maiori, & Maximo.

AD videndum aliquid 1
breuiter de poteſtate
Eccleſiaſtica, qualiter
ſit in Summo Pontifi-
ce, & quomodo ab ip-
ſo deſcendat, & com-
municetur alijs Prælа-
tis Eccleſiæ; præmit-
tenda eſt duplex diffi-
nitio, vna de Saeerdotio, alia de poteſtate.
Sed primo dicendum de Sacerdotio. Circa
quod dici poteſt, quod triplex eſt Sacerdo-
tium, Magnum, Maius, & Maximum. Sa-
cerdotium Magnum eſt Sacerdotium ſimpli- 2
cis Presbyteri, quod poteſt dici Magnum in
compatatione ad Sacerdotium, quod fuit in
Lege Naturæ, quod fuit ex humana Inſtitu-
tione. Ratio enim naturalis dictat, Deum
eſſe colendum, & ei eſſe offerendum; vndè &
tunc primogeniti, Sacerdotes inſtituebantur,
vel alij propria voluntate offerentes officium
Sacerdotis exercebant. Sicut etiam nunc bo-
nus homo dicitur Sacerdos miſticè, quia Sa-
crificium myſticum offert Deo ſeipſum, ſci-
licet hoſtiam viuentem, & hoc ſacrificium
hoc ſacrificium fuit ab initio generis hu-
mani.

Aliud ſacerdotium fuit in Lege Moſaica 3
ex Inſtitutione Diuiua, & hoc inchoauit in
Aaron. Vnde Yſido: in libro de perſonis Ec-
cleſiaſticis, dicit: Initium Sacerdotij Aaron
fuit, quamquam Melchiſedech prior obtule-
tit Sacrificium; Sed iſte ſcilicet ſpontanea
voluntate; ſed Aaron obtulit victimas Do-
mino

mino eo iubente, ac loquente ad Moyſem:
accipe, inquit, *Aaron & filios eius &c.*
Tertium Sacerdotium eſt à Deo inſtitu-
4 tum, Lege Euangelica datum & ordinatum
miniſterio Chriſti, qui fuit Deus, & homo,
& hoc eſt Sacerdotium gratiæ, & Sacerdo-
tium perfectum. Quod poteſt dici Sacerdo-
tium Magnum in comparatione ad Sacerdo-
tium in Lege naturæ, quod erat Sacerdotium
imperfectum, quia gratia perficit naturam:
& in comparatione ad Sacerdotium in Lege
Moſaica, quod erat Sacerdotium figurati-
uum: figura autem ceſſat adueniente verita-
te; vt de quolibet Sacerdote Euangelico ra-
tione ſtatus poſſit verè & propriè verificari
Canticum Eccleſiæ: *Ecce Sacerdos Magnus*.
Sacerdos enim in Lege naturæ non erat ma-
gnus, quia imperfectus, nec in Lege Moſai-
ca, quia figuratiuus. Sed in Lege Euangeli-
ca eſt Sacerdos verus & perfectus, & ideò ma-
gnus. Et hoc Sacerdotium Euangelicum
5 nunc manet in Eccleſia, & durabit vſque ad
diem Iudicij: cuius actus eſt ſanctificare; vt
omnis actus eius dici poſſit quædam ſanctifi-
catio. Ad ipſum enim pertinet Sacrificium
offerre pro peccatis populi, & ſuis, orare pro
populo, & Ipſius vota & preces Deo offerre,
& aliqua Sacramenta miniſtrare, per quæ
confertur gratia, quæ omnia Sanctificatio-
nem important. Vndè & Medius dicitur in-
ter Deum & populum. Sub hac autem Sacer-
dotali dignitate comprehenditur omnis Ec-
cleſiaſticus ordo. Vel enim eſt Sacerdotalis,
vel habet attributionem ad ipſum ſicut ad fi-
nem, gratia cuius eſt, & cui ſubſeruit, ſicut
ars inferior arti ſuperiori.
Sacerdotium maius, eſt Sacerdotium
6 Epiſcoporum, tum quia in ipſis eſt ordo Sa-
cerdotalis ſecundum quamdam perfectio-
nem; quia perfectum vnumquodque dicitur,
cum poteſt aliud ſibi ſimile producere. Ipſi
autem non ſolùm habent ordinem in ſeipſis,
immò etiam alijs tradunt miniſterialiter ta-
lem ordinem; quia ad eos pertinet diſpenſa-
re Sacramentum ordinis, tum etiam quia eis
competunt aliquæ actiones, quæ non poſſunt
competere alijs Sacerdotibus: ſicut Pontifi-
ces conſecrare, Virgines benedicere, manus
imponere, ſiue confirmare, & Baſilicas de-
dicare & huiuſmodi. Vndè etſi alij Sacerdo-
7 tes adminiſtrant quinque Sacramenta, ipſi
tamen adminiſtrant ſeptem & maiores & mi-
nores Sacerdotes in ijs, quæ agunt, vtuntur
rebus per Epiſcopos conſecratis; propter
quod conuenienter Epiſcopatus ordo quidam
dici poteſt ſupra Sacerdotium; non vt ordo
dicit Sacramentum à Sacerdotio diſtinctius;
ſed vt dicit officium quoddam ſacrius, & ſu-
pereminens reſpectu quarumcumque ſacra-
8 rum actionum. Hoc autem minus inæquali-
tatis omni tempore videtur fuiſſe. Nam a-
pud Gentiles, ſecundùm quod dicit Yſidorus
in libro Ethim: minores Sacerdotes diceban-
tur flamines, & maiores archiflamines. In
veteri Teſtamento Aaron erat maior Sacer-
dos, ſub quo erant filij eius minores Sacer-
dotes miniſtrantes ſub eo. In nouo etiam
9 Teſtamento Chriſtus inſtituit maiores Sacer-
dotes, duodecim Apoſtolos, quibus ſucce-
dunt Epiſcopi & alij Prælati, ſicut conſequen-
ter videbitur; & ſeptuaginta duos Diſcipu-
los, quibus ſuccedunt Sacerdotes magni, qui
ſunt maioribus in auxilium: vt multitudo
fidelium facilius gubernetur, & dirigatur.
Sacerdotium maximum eſt Sacerdotium 10
Summi Pontificis: qui eſt Vicarius Chriſti,
& Succeſſor Petri; quia præter poteſtatem
ordinis habet vniuerſalem, & plenam pote-
ſtatem iuriſdictionis ſuper omni Eccleſia, &
vniuerſo populo Chriſtiano: quoniam data
eſt ſibi omnis poteſtas in cœlo & in terra,
quæ referri poteſt ad iſtam duplicem poteſta-
tem cæleſtem ſcilicet & terrenam.
Qui licet appropriate dicatur Pontifex 11
Romanus: quoniam Romana Eccleſia mater
& caput eſt omnium Eccleſiarum; vniuerſa-
liter tamen eſt Pontifex omnium Chriſtiano-
rum, vnde & dicitur Epiſcopus vrbis, & or-
bis: huic dictum eſt a Domino in Ioanne. *Tu
vocaberis Cephas*: quod interpretatur caput:
quia ſicut caput inter cætera membra corpo-
ris obtinet principatum, ſic & ipſe inter cæ-
teros Apoſtolos eſt præcipuus ſucceſſor eius
inter omnes Succeſſores.
Ad ſignificandum autem eius principa- 12
tum prius fuit ſibi dictum Matth. 16. Quod-
cumque ligaueris ſuper terram &c. & poſtea
ſimul cum alijs Matth. 18. Quodcumq; liga-
ueritis &c. vt oſtendatur quod primo & prin-
cipaliter poteſtas conuenit Petro, deinde per
eum ad alios deſcendit, quod infra plenius
dicetur dictum eſt etiam ſibi indefinitè *paſce
oues meas*: non has vel illas, ſicut expouit
Chriſoſtomus, & iterum *ſuper hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam*. Non poteſtatem
Eccleſiæ, vt deſignetur eius vniuerſalis po-
teſtas.
Ad huius tamen veritatis confirmatio- 13
nem licet plures rationes adducantur; vna
tamen videtur eſſe potiſſima, & principalis,
quæ ſumitur ex ordine vniuerſi, quod regi-
men Eccleſiæ ſupponendum eſt eſſe ordina-
tum & ſecũdum optimum regiminis modum.
Optimum autem regiminis eſt modus in om-
ni ſocietate & multitudine, vt reductio & re-
gimen fiat principaliter per vnum; hoc enim
conſpicimus in omni naturali regimine. Nam
in multitudine membrorum vnum eſt mem-
brum, quod principaliter mouet & dirigit
ſcilicet corpus. In partibus etiam potentia-
libus animæ vna eſt, quæ mouet & imperat
ſcilicet pars intellectiua. In toto etiam vni-
uerſo vnum eſt primum principium, quod
mouet & dirigit; ita ergo in Eccleſia eſſe de-
buit.
Immo monſtruoſitas eſſet in Eccleſia, ſi 14
eſſent duo capita, & vnum ad aliud non re-
duceretur: nec etiam eius vnitas bene ſerua-
ri poſſet niſi ad vnum de ijs, quæ ſunt fidei.
fieret reductio: vt ſatis apparere poteſt dili-
genter conſideranti.
Quod præfiguratum dici poteſt in A- 15
poc. B. Ioannis, in qua legitur, quod vidit
beſtiam, per quam deſignantur gentiles ha-
bere multa capita. Sed Agnus, per quem
deſignatur noſtra Eccleſia Catholica non ha-
bebat ſolum vnum caput. Vnus etiam Apo-
ſtolus poſt: quam dixerat ad Rom. 13. *Quo-
niam non eſt poteſtas niſi a Deo*; conſequenter
ſubdit: *quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt*. Quod
maximè verificari debet de Sancta Eccleſia,
quam Chriſtus vſque ad mortem dilexit, vnus

eſt ergo Paſtor totius Orbis, qui ſummum &
maximum Sacerdotium tenet, ſicut eſt vnus
Dominus, qui toti vniuerſo principatur.

C A P. I I.

In quo agitur de triplici poteſtate ordinis iuriſdictionis, & mixtæ ex vtraque.

1 SIcut autem præmiſſa eſt tet membris di-
ſtinctio de Sacerdotio; ſic conſequenter
ponenda eſt termembris diſtinctio de poteſta-
te. Eſt enim vna poteſtas, quæ eſt ordinis
tantum, ſicut poteſtas Sacerdotalis, cuius
actus eſt interpellare pro populo, & offerre
ſacrificium, vt ſupra dictum eſt.

2 Alia eſt poteſtas, quæ eſt iuriſdictionis
tantum, vt poteſtas iudicandi in cauſis ſpi-
ritualibus extrinſecis, vt corrigendi, punien-
di, & inferendi ſpiritualem pœnam.

3 Tertia eſt poteſtas, quæ aliquo modo
poteſt dici mixta ex poteſtate ordinis, & po-
teſtate iuriſdictionis, ſicut eſt poteſtas cla-
uium, poteſtas prædicandi, & vniuerſaliter
poteſtas adminiſtrandi Sacramenta, loquen-
do de prædicatione publica, quæ fit in Eccle-
ſia ad ædificationem fidelium, non de priua-
ta, quæ poteſt fieri per modum cuiuſdam fa-
miliaris collocutionis ad vnum vel ad pau-
cos.

4 Sic enim de tali potentia diſtingui po-
teſt, ſicut ſuo modo diſtinguimus de ſcientia.
Dicimus enim, quod quædam eſt ſcientia,
quæ eſt per reuelationem tantum, ſicut ſcien-
tia fidei, ſiue ſcientia Sacræ Scripturæ, vt eſt
a Deo ipſam ſpecialiter reuelante, & inſpi-
rante hominibus. *Spiritu enim Sancto inſpi-
ranti locuti ſunt Sancti Dei homines*, vt ſcribitur
in Canonica Petri.

5 Aliæ ſunt ſcientiæ, quæ ſunt ex inuen-
tione tantum; ſicut ſcientiæ Philoſophorum,
quæ ſi ſint a Deo, eo modo, quo dicimus, a
Deo omnia eſſe; hoc tamen immediatè a na-
tura intellectus humani, per quam adinuentę
ſunt ſcientiæ, & mediantibus rebus quæ ſunt
ipſius ſcientiæ cauſæ. Quia etſi ſcientia Di-
uina cauſet res: noſtra tamen cauſatur a re-
bus, quę aliquo modo ſunt noſtræ magiſtrę,
vt ponit Aug. in lib. de magiſtro.

6 Alia eſt ſcientia, quæ partim ex reuela-
tione, partim ex ſubtilitate intellectus huma-
ni: ſic ſacra doctrina conſiderata in aliquibus
ſuis concluſionibus; quia plures ſunt ibi con-
cluſiones deductæ ea inueſtigatione rationis,
& ſubtilitate intellectus humani.

7 Sic etiam ſuo modo diſtinguimus in ijs,
quæ ſunt a natura: quorum quædam ſunt a
natura tantum, ſicut oliua, quæ generatur
ex oliua: quædam ab arte tantum: ſit domus,
& quæcumque artificialia, quæ fiunt a ſuo
artifice. Tertio quædam ſunt partim à natu-
ra, partim ab arte: ſicut ſanitas, quæ partim
eſt a natura, & partim ab arte: quæ eſt a me-
dico, vt eſt miniſter naturæ: & vt iuuante,
& confortante naturam, quæ tamen & ipſa
cooperari debet.

8 Similiter & in vniuerſali rerum produ-
ctione dicimus, quod quædam producta
ſunt per creationem tantum vt illa, quæ fue-
runt a Domino producta. Quedam per pro-
pagationem tantum, vt illa quæ continuo
producuntur. Sed quædam partim per pro-
pagationem, & partim per creationem: vt
homo, cuius corpus eſt per propagationem,
ſed anima eſt per creationem.

Sic etiam ſuo modo dici poteſt de tripli-
ci poteſtate Eccleſiaſtica. Quia quædam eſt a 9
Deo tantum, & immediatè: vt poteſtas or-
dinis: quædam ab homine tantum: vt pote-
ſtas meræ iuriſdictionis, quę in omnibus alijs
eſt a Sum. Pontifice. Quędam partim eſt a
Deo, & partim ab homine, vt poteſtas cla-
uium: & omnis illa poteſtas, quæ aliquo mo-
do dicitur mixta ſeu compoſita ex poteſtate
ordinis, & ex poteſtate iuriſdictionis,

Et hinc eſt quod in definitione clauium aliud 10
ponitur pertinens ad ordinem, & aliud ad
iuriſdictionem, cum dicitur, quod poteſtas
clauium eſt poteſtas ligandi, atque ſoluendi,
qua Eccleſiaſticus Iudex dignos recipere de-
bet, & indignos excludere a regno. Quod
enim aliquis habeat poteſtatem ligandi, &
ſoluendi hoc pertinet ad ordinem, vel ſaltem
ad ordinem neceſſario conſequitur.

Quod pro tanto dico, quoniam magiſtri po- 11
nunt, quod Dominus dedit poteſtatem Sa-
cerdotalem Diſcipulis quantum ad principa-
lem actum in cœna ante paſſionem quando
dixit. *Accipite, & manducate*, & poſtea ſub-
iunxit: *hoc facite in meam commemorationem*.
Secundo poſt reſurrectionem dedit eis pote-
ſtatem quantum ad actum ſecundarium, quã-
do dixit Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum,
quorum remiſeritis peccata &c.*

Eſt tamen conſiderandum, quod cum dici- 12
mus aliquem eſſe ab homine tantũ, non exclu-
dimus communẽ Dei actionem, qui eſt princi-
palis actor, & inſtitutor omnis potẽtiæ, & om-
nis ſcientię: & operatur in omni operante. Di-
uerſimode tamen agit, quia aliquando media-
tè, & aliquando immediate. Cum etiam dici-
mus aliquam poteſtatem non eſſe immediatè
a Deo: non accipimus ibi immediationem
virtutis, quæ ſit in hunc modum: ſicut om-
nia ſunt principaliter ab ipſo dicente Anſel-
mo lib. de concord. præſcientiæ & liberi ar-
bitrij: *quod nulla res habet vllam poteſtatem vo-
lendi aut faciendi; niſi ipſo dante*. Sed accipi-
mus ibi immediationem quantum ad imme-
diationem ſuppoſitorum agentium: vt quod
non ſit aliquod medium conferens talem po-
teſtatem per virtutem a Chriſto habitam; niſi
ſolum miniſterialiter.

C A P. I I I.

In quo oſtenditur, quod poteſtas ordinis ſit immediatè à Chriſto.

LIcet ab omnibus ſit ſatis communiter
conceſſum, quod poteſtas ordinis ſit
immediatè a Deo, ſiue a Chriſto, in quan-
tum Deus, in quocumque habeote eam, po-
teſt tamen ad præſens hoc nihilominus decla-
rari. Quarum vna ratio ſumitur ex parte or-
dinis ſecundum ſe: & eſt talis.

Illud,

1 Illud, quod eſt ſuper naturale excedens totam facultatem naturæ, non poteſt eſſe ab agente naturali. Sed huiuſmodi eſt poteſtas ordinis: ergo ipſa non poteſt eſſe in quocumque habente eam ab agente natutali. Maior ptopoſitio videtur eſſe manifeſta: quia effectus dicitur proportionari agenti, & determinatus effectus determinato agenti. Minor etiam apparet; quia per collationem ordinis confertur ordinato quædam ſpiritualis poteſtas, per quam fit adminiſtratio Sacramentorum, & quarumdam rerum ſpiritualium, & ſupernaturalium, in quarum etiam collatione confertur gratia gratum faciens, quæ non poteſt eſſe niſi immediatè a Deo: propter quod bene dictum eſt, ſicut etiam communiter dicitur, quod ſtatus Eccleſiæ eſt quidam ſtatus medius, inter ſtatum naturæ, & ſtatum gloriæ; & ideo conueniens eſt & expediens quod in ea continue fiant aliqua, quæ immediatè reſpiciant ipſum agens ſupernaturale.

Secunda ratio poteſt ſumi ex conditione 2 ipſius rationalis creaturæ, quæ propter peccatum primi parentis duo mala incurrerat: vnum malum erroris & ignorantiæ, & malum culpæ. Sed ſicut ad hoc quod malo erroris, & ignorantiæ liberemur, indigemus fide, & aliquibus reuelationibus immediatè nobis traditis per Chriſtum, iuxta ſententiam Origenis dicentis ſupra illud. *In principio erat verbum*: quod ſicut ad ſecretum hominis quis deuenire non poteſt, niſi per verbum eius indutum voce vel litteris: ſic nec ad ſecreta cæleſtia patris, niſi per verbum eius indutum carne.

Quod bene præfiguratum dici poteſt per 4 hoc quod ſcribitur Apoc. 5. *quod nemo poterat neque in Cęlo, neque in terra: neque ſubtus terram aperire librum*; per quem intelligimus diuina miniſteria: *ſed neque reſpicere*, & ſequitur *quod agnus qui occiſus eſt*, per quem intelligimus Chriſtum aperuit, & reſerauit nobis miniſteria, quæ erant nobis neceſſaria ad ſalutem. Sicut ergo a tenebris ignorantiæ purgamur per aliqua nobis tradita immediatè per Chriſtum: ſic ſuo modo dicendum eſt de immunditia culpæ: quod ad hoc, vt ab ipſa mundemur, indigemus aliquibus remedijs nobis immediatè per Chriſtum communicatis. Et huiuſmodi ſunt ſpecialiter remedia ſacramentalia: quæ adminiſtrantur, & diſpenſantur per poteſtatem ordinis: quę à Chriſto nobis immediatè conferuntur: vt de hoc exponi poſſit quod ſcribitur in canonica Ioannis: *vos onctionem accepiſtis a Sancto*, id eſt a Chriſto, qui eſt Sanctus Sanctorum.

C A P. I V.

In quo oſtenditur quod poteſtas iuriſdictionis in Summo Pontifice ſit immediatè a Chriſto.

1 QVod autem Sum. Pontifex habeat vniuerſalem poteſtatem immediatè a Chriſto non ſolum ordinis ſed etiam iuriſdictionis declarari poteſt rationibus, & etiam auctoritatibus.

Rationes duæ ad hoc induci poſſunt. Duarum vna ſumitur ex vnitate Eccleſiæ, & 2 alia ex vnitate fidei. Prima talis eſt ſancta Eccleſia perfectè dicitur poni vna: non ſolum vnitate formali per fidem, ſpem, & caritatem, ſeu vnitate finis: quoniam ad vnum finem ordinatur, ſed etiam vnitate dirigentis, & regulantis, quod non eſſe poſſet, niſi haberet vnum vniuerſalem Vicarium, qui teneat vniuerſalem, & plenam & immediatam poteſtatem a Domino principali, ſiue a ſuo ſuperiori. Nullus autem eſt ſuperior eo, niſi Chriſtus Deus & homo, qui Eccleſiam ædificauit. Nam ſi hanc poteſtatem haberet mediante alio, iam ipſe non eſſet primus, & vniuerſalis Vicarius.

Idem patere poteſt ex veritate fidei: in 3 qua poſſunt plura dubia inſurgere, ſicut continuè inſurgunt: propter quod opus eſt quod apud aliquem virum reſideat poteſtas iudicandi & ſententiandi, quam habeat immediatè ab illo, qui fuit principalis ordinator, & ædificator Eccleſia, & fidei. Nam licet ad alios doctos & ingenioſos pertinere poſſit de talibus inquiſitiuè, & ratiocinatiuè pertractare, & inueſtigare; auctoritatiuè tamen, & determinatiuè hoc ſolum pertinere poteſt, & debet ad vniuerſalem Vicarium Eccleſiæ, qui totam Eccleſiam habet dirigere, & gubernare.

Et hic eſt, quod in ſui cathedratione dicitur. Tribus eidem cathedram Pontificia- 4 lem ad regendum Eccleſiam tuam, & plebem tuæ ſortis intra mundi limitem vniuerſam. In quibus verbis ſatis exprimitur eius poteſtas vniuerſaliter, & immediatè a Deo ſibi conceſſa. Et Cirillus in lib. Theſaurorum ſic ait: *Dedit filius Petro pleniſsimam poteſtatem, & eius Diadochis*, id eſt, ſucceſſoribus non minus. Ecce quod ſicut immediate poteſtatem dedit Petro, ita & eius ſucceſſoribus. Et Chriſoſtomus exponens illud: *Tibi dabo claues regni cælorum*: ait: ſicut a patre Chriſtus ad ſalutem omnium mittitur, ſic & a Chriſto Petrus, & eius in Eccleſia ſucceſſor ad omnium ſalutem mittitur cum poteſtate plena ſuper omnes, quod nulli hominum credimus eſſe conceſſum.

Et hoc quidem ſatis clarum eſſe videtur 5 & qui contrarium pertinaciter aſſereret, vnitati, & poteſtati Eccleſiæ multum detraheret: propter quod quilibet Chriſtianus iure fidelitatis, & chriſtianitatis toto conatu tali opponere ſe debet. Si inueniatur dicente Auicen. vltimo cap. ſuæ Metaph. vbi agitur de eligendo ſummo Sacerdote, poſt fidem prophetiæ, nihil accepta filius Deo, quam interfectio illius, qui vult impedire dignitatem ſummi Sacerdotis.

Eſt tamen diligenter conſiderandum, 6 quod licet dicamus Summum Pontificem habere plenam & vniuerſalem poteſtatem, non tamen ita plenam habet, nec ita vniuerſalem, ſicut habuit Chriſtus, qui eſt principalis Dominus: non ita vniuerſalem: nec extenſiuè: nec duratiuè. Extenſiuè non, quia Chriſti potentia ſe extendit ad omnes creaturas. Omnis enim creatura ſibi ſubiecta eſt, rationalis, & irrationalis: terreſtris, & infernalis. vnà & dicitur *caput Angelorum*. Sed Summi Pontificis poteſtas ſe extendit ſolum ad creatu-

ras

Digitized by Google

ras illas , quæ ſunt gratiæ , & beatitudinis capaces. Vnde eſſe caput ſolum hominum fidelium & viatorum dicitur. Ad ipſos etiam infideles non ſe extendit in quantum infideles ſunt; ſed in quantum fieri poſſunt fideles, & membra Chriſti. Et per conſequens vnitati Eccleſia aggregari. Vnde dicit Gloſſa ſuper illo verbo Apoſtoli ad ad Cor. *Quid mihi de ijs quæ foris ſunt iudicare, hos Dominus iudicabit.* quare dicit, quod de infidelibus non habeat iudicare.

7 Duratiuè etiam, non quia Chriſtus habet poteſtatem æternaliter. Sed Chriſti Vicarius habet eam temporaliter. Nam quilibet Apoſtolicus habet hanc poteſtatem ſolum dum viuit in hac præſenti ritu, licet in diuerſis continuetur vſque in finem iuxta promiſſionem factam per principalem Chriſtum. Ero, inquit, *vobiſcum vſque ad conſumationem ſæculi.* Quod veritatem habet, quia ſua æterna poteſtas in ſuis Vicarijs vſque in finem continuabitur.

8 Non habet etiam ita plenam poteſtatem & auctoritatem ſicut Chriſtus in Sacramentis quæ ſunt vaſa gratiæ, quibus tota Eccleſia in ſalutis via dirigitur, habuit poteſtatem excellentiæ: quod de aliquo ſuo Vicario dicere non debemus: quia in talibus ſolum habet poteſtatem miniſterij. Et licet non tantam, & omnino talem poteſtatem habeat, qualem habuit Chriſtus infallibiliter: tamen verum eſt, quod omnem poteſtatem habet, quæ eſt Eccleſia opportuna & neceſſaria ad ſalutem fidelium procurandam.

9 Vt proinde de tali potentia loquamur, ſicut loquitur Auguſt. in lib. de Trinit. de Sacra Scriptura dicens: Quod non quidquid ab homine ſciri poteſt, huic ſcientiæ eſt tribuendum: ſed illud tantummodo, quo fides ſalubertima, *quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, defenditur, & roboratur.* Sic & ſuo modo Summi Pontificis poteſtati non omnis potentia, quæ homini communicari poteſt per Deum, tribuenda eſt: ſed ſolum illa, quę neceſſaria eſt ad ſalutem hominum procurandam. Et vt omnis alia poteſtas in Eccleſia ab ipſa deriuetur, & ad ipſam ordinetur, & ei ſubijciatur; quia pedes eius ſuccedunt pedibus illis de quibus ſcriptum eſt. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*: & quos ſanctæ mulieres tenuerunt, & tenere dicitur vniuerſus populus Chriſtianus: propter hoc conueniente quilibet fidelis loco ſalutationis ſcribit eidem, pedum oſcula beatorum.

C A P. V.

In quo oſtenditur quod poteſtas iuriſdictionis etiam in Apoſtolis, & Diſcipulis fuerit immediatè a Chriſto.

1 QVod etiam Sancti Apoſtoli, & Diſcipuli habuerunt poteſtatem iuriſdictionis immediatè a Chriſto probari poteſt. Primo ex hoc quod Chriſti perfecta ſunt opera. Ad perfectionem autem paſtoris videtur eſſe poteſtas iuriſdictionis neceſſario requiſita. Ipſi autem Apoſtoli, & etiam aliquo modo Diſcipuli fuerunt paſtores ſub principali, & vniuerſali paſtore Petro: ordinati a Domino noſtro Ieſu Chriſto.

2 Vnde Marci vltimo communiter eis dicit: *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ, baptizantes eos, &c.* In quo dantur intelligi alia ſacramenta: quia baptiſmus eſt ianua Sacramentorum: quæ poteſtas ad iuriſdictionem pertinere videatur. Nam Sacramenta conferre, & prædicare prædicatione publica in Eccleſia, in qua aliqui ordinantur quaſi ſubditi, & alij Diſcipulis ſuis ſuperiores, non videtur ſine aliqua iuriſdictione poſſe eſſe, ſic enim & nũc videmus, quod nec vnus curatus in parochia alterius: nec vnus Epiſcopus in Diœceſi alterius prædicare poſſunt, nec etiam Sacramenta conferre propter iuriſdictionum diſtinctionem.

3 Et Gloſſa ſuper illud prius *Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam &c.* dicit celeſtis, id eſt Chriſtus, qui ſuper omnes cœlos aſcendit. Diſcernit, ideſt, diuidit, vel diſtribuit reges ideſt, rectores: ſuper eam, id eſt ſuper Eccleſiam. Et ſignanter dicit diſcernit, vel diſtribuit: quia talis collatio magis fuit diſtributio, quam diuiſio propter ipſorum enim perfectionem talis diuiſio, vel diſtinctio neceſſaria non erat: quoniam non timeri poterat, ne vnus occuparet iuriſdictionem alterius, quibus *omnia erant communia, & diſtribuebantur vnicuique, ſicut cuique opus erat.* 4

Et Gloſa ſuper illud Lucæ 6. Chriſtus elegit 12. quos Apoſtolos nominauit: dicit, quos ad propagandum Euangelium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret, quę omnia bene & decenter fieri non poterant, ſine aliqua iuriſdictionis poteſtate: quia, vt dicit alia Gloſſa Paſcere oues, eſt credentes in Chriſto, ne a fide deficiant, confortare, exempla virtutis cum verba prędicationis impendere, aduerſarios & errantes conuincere, ſubditos corrigere eſt. In ijs autem, & ſimilibus iuriſdictionem & auctoritatem conferre, non oportebat per Vicarium fieri, quando præſens erat Dominus principalis.

5 Sed poſt ipſius corporalem abſentiam, indubitanter eſt verum, quod omnes habentes talem poteſtatem iuriſdictionis in Eccleſia a Petro & Petri Succeſſoribus immediatè acceperunt, & accipiunt. Secundum quod conſequenter magis videbitur, & probabitur, propter quod Auguſt. exponens illud Matth. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram &c.* licet alij aliter exponant. Et idem Aug. in quodam ſermone de cathedra Beati Petri pertractans verbum prædictum ait. *Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit: & ideo dignè hoc fundamentum colit Eccleſia ſuper quod Eccleſiaſtici fundamenti altitudo conſurgit.*

6 Ipſi etiam Sancti Apoſtoli quantumcumque eſſent a Chriſto immediatè vocati & inſtituti, communi tamen approbatione recognouerunt Petrum ipſorum caput, Principem, & Magiſtrum totius Eccleſię. Sibi enim ſoli dictum eſt in Ioanne. Tu vocaberis Cephas, qui licet *Petrus* interpretetur ſecundum vnam linguam, & tamen ſecundum aliã *caput* exponitur. Vnde

7 Vnde ſtatim aſſumpto Chriſto in cœlum Petrus tanquam eius ſucceſſor Eccleſiam regere cepit, dum ad complendum duodenarium numerum Apoſtolorum loco Iudæ prævaricatoris ex verbis prophetæ allum inſtituit, & ſubrogari fecit. Ipſe enim in Ananiam & Sapphiram vxorem eius tanquam Princeps Apoſtolorum mortis ſententiam promulgauit: quia *mentiti fuerunt Spiritui Sancto*. Ipſe ſolus in Simonem Magum ſententiam damnationis pronunciauit. Licet non ei ſoli; ſed omnibus communiter pecuniam obtuliſſent, quæ omnia & plura alia, quæ adduci poſſent, ſatis oſtendunt, quod omnes alij Apoſtoli & Diſcipuli, licet a Chriſto immediatè poteſtatem habuerunt; Petrum tamen ſemper recognouerunt in Dominum, & Magiſtrum.

C A P. VI.

In quo rationes aliquorum ponuntur: oſtendentes, quod poteſtas iuriſdictionis in Epiſcopis, & Curatis ſit immediatè à Chriſto.

1 Ponunt aliqui quod non ſolum poteſtas ordinis, ſed etiam iuriſdictionis ſit in habentibus eam immediatè a Chriſto, quod probatur multipliciter. Primo ſic Apoſtoli, & Diſcipuli habuerunt hanc poteſtatem a Chriſto immediatè. Sed Epiſcopi, & Curati ſunt Succeſſores eorum, quoniam Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, & ſeptuaginta duobus Diſcipulis ſuccedunt curati: ergo & omnes iſti habent poteſtatem immediatè a Chriſto. Maior probatur per illud quod ſcribitur Io: 20. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Et cum hoc dixiſſet, inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Quod exponens Auguſt. in lib. qu. noui, & veteris Teſtamenti qu. 93. dicit ſic illud quod inſufflaſſe in Diſcipulos Chriſtus legitur poſt tempus reſurrectionis ſuæ & dixiſſe. Accipite Spiritum Sanctum: Eccleſiaſtica poteſtas intelligitur eſſe. Et quod vere ad ius Eccleſiaſticum pertinet; ſtatim ſubijcit dicens: quorum remiſeritis peccata &c. & quod Dominus Apoſtolos Epiſcopos ordinauerit: nemo debet ambigere, dicente Auguſt. infra eodem lib. qu. 97. *Nemo ignorat Saluatorem Epiſcopos in Eccleſijs inſtituiſſe.* Et Iſidorus dicit 1 quod cæteri Apoſtoli cum Petro pari *conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt*. Dedit etiam eis poteſtatem prædicandi & baptizandi Mar. vlt. euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium baptizantes &c.

2 Minor etiam probatur per illud, quod ſcribitur Math. in fine dixit enim Dominus Apoſtolis 72. Diſcipulis *Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*. Hoc autem non poteſt intelligi de Apoſtolis. & Diſcipulis in ſuis proprijs perſonis: ergo oportet, quod intelligatur in ſuis Succeſſoribus. Sed Succeſſores Apoſtolorum non poſſunt eſſe niſi Epiſcopi: cum Apoſtoli Epiſcopi fuerint, nec Succeſſores Diſcipulorum poſſunt eſſe niſi Sacerdotes Curati, qui ſunt Sacerdotes ſecundi ordinis: vt patet ex ipſo textu, qui dicit *omnibus diebus*, & ſic ſine interruptione. Sed poſt hæc verba quæ Chriſtus dixit, non fuerunt Sacerdotes continue ſine interruptione: niſi Sacerdotes ſecundi ordinis, & curati: nec legitur de quibuſcumque alijs. quod ſic fuerint.

Hoc etiam probatur ex alio quod ſta- 3
tus Diſcipulorum eſt ſtatus hierarchicus, & ſtatus regiminis a Chriſto inſtitutus, & in illo ſtatu exiſtentibus ex diuina inſtitutione competit prædicare, corrigere, & Sacramenta miniſtrare: Secundum quod ſunt tres ſtatus hierarchici. Sed in tota Eccleſia Dei non inueniuntur Presbyteri non Epiſcopi, quibus ex diuina inſtitutione & iure ordinario hæc conueniant, niſi curati non per Summi Pontificis priuilegia: ergo nulli alij tenent ſtatum Diſcipulorum.

Hoc etiam confirmant quæ Matth. 24. 4
Dominus tangit tres differentias hominum, quod *ſunt duo in agro: duo in lecto: duo in mola:* vt dicit Gloſſ. quæ tangit tres differentias ſiue ſtatus hominum ſcilicet actiuorum, & Prælatorum, qui ſignificantur per duos in agro. Contemplatiuorum, qui ſignificantur per duos in lecto. Coniugatorum, qui ſignificantur per duos in mola. Cum ergo religioſi omnes, & curam animarum non habentes cõtineantur ſub contemplatiuorum ſtatu Diſcipulorũ, qui eſt ſtatus actiuus curæ & regiminis, niſi ſolum curati, & ſic videtur ſequi cõcluſio principalis: quod ſi primi habuerunt immediatè a Chriſto, quod & Succeſſores.

Et declaratur hoc adhuc magis; quia 5
illis collata eſt poteſtas continuata in illis: & a quo eſt poteſtas, ab eodem eſt poteſtatis continuatio. Vnde ſecundum eos ſicut ſum. Pontifex, cum aſſumitur ad ſtatum papalem, quem Dominus inſtituit, aſſequitur ſuam poteſtatem a Domino Ieſu Chriſto: ſic etiam eſt de Epiſcopis, & curatis cum aſſumuntur ad dictos ſtatus a Domino inſtitutos qui immediatè aſſequũtur ſuam poteſtatem a Chriſto tales inſtituente ſtatus: non quod ipſe de cœlo deſcendat, ſed hoc miniſterialiter fit ab homine.

Hoc idem arguunt ſecundo ſic: Chri- 6
ſtus ædificauit Eccleſiam ſuam ſupra ſe petram dando ſibi ligandi, atque ſoluendi poteſtatem. Vnde Math. 16. dixit Dominus Petro: *ſuper hanc petram*, id eſt, me petram ædificabo Eccleſiam meam. Sed Prælati Eccleſiæ ſcilicet Epiſcopi & curati, qui ſunt principaliores in Eccleſia ſunt Eccleſia, prout hic ſumitur Eccleſia; ergo Chriſtus Epiſcopis & curatis dedit poteſtatem, & non Petrus, qui Eccleſiam non ædificauit. Et qui dicit alium a Chriſto dediſſe vllam poteſtatem, dicit illum ædificaſſe ſuper alium Eccleſiam, quod eſt contra Euangelium, quod narrat Chriſtum dixiſſe *ſuper hanc petram &c.* Vbi dicit Gloſſ. hanc quondam poteſtatem iudiciariam cæteri Apoſtoli acceperunt, & etiam omnis Eccleſia in Epiſcopis & Curatis. Et Remigius ibidem, hic ligandi, & ſoluendi poteſtas quamuis ſibi Petro data videatur, tamen cæteris Apoſtolis Domini datur in Epiſcopis, & Curatis toti Eccleſiæ.

Præ-

7 Pcæterea nullum agens creatum facit ſubiectum, in quod agit cum ergo omnis actio Papę in quantum Papa ſit ſupra Eccleſiam, & poteſtates eius, ſequitur quod Eccleſiam non fecit, nec ædificauit. Sed Chriſtns ædificauit duos ſtatus ordinando, & eis poteſtatem dando.

8 Pcætetea ſic ſe habet Petrus ad Apoſtolos & Diſcipulos, ſicut Petri Succeſſores Apoſtolorum, & Diſcipulorum. Sed Petrus Apoſtolis, & Diſcipulis poteſtatem non dedit: nec eorum ſtatns inſtituit; ſed Chriſrus: ergo Succeſſor Petri dictorum Succeſſoribus, cuiuſmodi ſunt Epiſcopi, & Curati poteſtatem non dedit, ſicut nec eorum ſtatus inſtituit, ſed Chriſtus.

9 Dicunt tamen quod eſt differentia inter Apoſtolos & Diſcipulos ex vna parte, & eorum Succeſſores ex alia. Quia Chriſtus ſtatum Apoſtolorum, & Diſcipulorum inſtituit immediatè, & eis poteſratem dedit, ſicut quod etiam ipſe eos ad eorum ſtatus aſſumpſit. Sed Epiſcoporum & Curatorum ſtarum inſtituit immediatè, & eis poteſtatem dedit in Apoſtolis & Diſcipulis. Epiſcopos tamen & Cutatos ad eorum ſtatus non aſſumit nec inſtituit; ſed inſtituuntur ad cos hominem, ſicut per Papam omnes generalitet poſſunt inſritui Epiſcopi, & Curati. Per Epiſcopos verò omnes curati ſibi ſubiecti & iſtud ſcilicet qnod poſſit infetiores inſtituere ad ſtatum ſunm conuenit Domino Papæ, & Epiſcopis iure ordinario per poteſtatem hyerarcharum eis a Domino datam.

10 Et adducitur in ſimili quod Dominus Papa habet poteſtatem immediatè a Chriſto, qnod non poteſt intelligi, quod in eius creatione Chriſtus deſcendat ad dandum talem poteſtatem. Sed Chriſtus ſtatum papalem in Petro inſtituit, & ei poteſtatem dedit non pro perſona ſua tantum: ſed pro omnibus Succeſſoribus ſuis: qui ad illum ſtatum aſſnmuntur. Et quia illa poteſtas & ſtatus non poteſt remanere niſi in perſonis; ideò ſicut perſonæ in illo ſtatu ſibi innicem ſnccednnt continuè: ità & poteſtas data in perſonis ſibi inuicem ſuccedentibns. Sicut ſuo modo eſſe ſpecificum derinatur & continuatur per ſucceſſionem indiuidnorum ſub illa ſpecie.

11 Præterea ex Gloſſa, quæ ponitur Apoc. Ioan. 10. ſuper Illo verbo *Signa, quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere*: habetur quod qui prædicabunt tempote Antichriſti, habebunt officium a ſnis anteceſſoribus: quod non poteſt intelligi de Apoſtolis & Diſcipulis, qui tunc non viuent; oportet ergo intelligi, qnod ab illo eodem, a quo anteceſſor habuit, & ſucceſſor habeat prædicandi officium.

12 Veluti ſi aliquis Abbas impetraret aliquam libertatem in quantum Abbas pro ſua Abbatia. Si moriatur, eius ſucceſſor habebit eandem poteſtatem, & poſr ipſum alius vſqne durabit monaſterium. Tales antem Succeſſores non habebunt iſram poteſtatem ab Anteceſſoribus, ſed ab illo, qui eam primo dedit Abbati. Sic ſuo modo Succeſſores Apoſtolorum, & Diſcipulorum ſuam poreſtatem habent a Chriſto, qui eam primo dedit Apoſtolis & Diſcipulis.

Hauc ſententiam videtur expreſsè ponere Betnard. ad Eugen. Papam dicens ſic: *Erras, ſi vt ſummam, ita & ſolam inſtitutam a Deo noſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimes*. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo, qui ait non eſt poteſtas niſi a Deo: proinde quod ſequitur qui poteſtati reſiſrit, Dei ordinationi reſiſtit. Etſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non ait ſublimioribus tanquam in multis; non tua *ergo ſola poteſtas a Domino, ſunt & mediocres, ſunt & inferiores*.

Et hoc, vt ſubinngunt non derogat, nec principatui, nec etiam plenitudini poteſtatis Summi Pontificis: quia ex hoc principatus ponitur nobilior tanquam ducens originem ex nobiliori principio. Tua etiam poteſtas ponitur ſuprema: quia in omnes poteſt actus hyerarchicos exercere, & omnibus Sacramenta miniſtrare, & vſus poteſtatis eius a ſolo Deo dependet. Vſus autem poteſtaris inferioris bene dependet a Domino Papa: quia ipſum poteſt impedire, & ſuſpendere tanquam ipſorum corrector, & ſupremus hyerarchiæ: neque aliquid attribueretur homini puro, quod ſubtrahatur a Domino Papa: ergo maxime ſibi facit præiudicium.

C A P. VII.

In quo probatur quod talis poteſtas iuriſdictionis non eſt immediatè a Chriſto in Epiſcopis, & Curatis.

QVod autem poteſtas iuriſdictionis non 1
ſit immediatè a Chriſto in Epiſcopis & Curatis probari poteſt rationibus oſtenſinis, & etiam dncentibus ad inconueniens, & poteſt eſſe prima ratio oſtenſiua hic. Non minorem poteſtatem habet Chriſti Vicarius in regno Eccleſiæ quantum ad ea, quæ conferri poſſunt a puro homine, quam habeat quicumque Rex temporalis ſuper regno ſuo: immo videtur, quod maiorem. Quia vnitas & maxima poteſtas principatus magis dicitur reſeruari in monarchia clericali, & ſpirituali tanquam diuino principatui viciniori. Sed in regno temporali, vt plurimum tota poteſtas iuriſdictionis eſt a Rege: ergo multo magis hęc erit in regno ſpirituali Eccleſię, quod omnis poteſtas erit in alijs a ſummo Rege, & Sum. Pontifice.

Hoc idem poteſr probari ſecundò ſic: 2
Primum & principale in vnoquoque genere cauſa & principium eſt omnium aliorum, quæ ſunt poſt. Sed poteſtas iuriſdictionis primo & principaliter data eſt Petro. Vnde, & tibi ſingulariter dictum eſt. *Paſce oues meas*. In quo ſibi committitur regnum Eccleſiæ, & ſuper eo datum ſibi poteſtas iuriſdictionis paſcere enim propriè eſt regiæ poteſtatis. Vnde Reges etiam olim *Paſtores* dicebantur, ergo quicumque alij erunt paſtores, & Reges in regno Eccleſiæ, quod non eſt regnum naturæ, ſed gratiæ; talem poteſtatem habebunt a Chriſti Vicario.

Hoc

4 Vnde Gloſſa ſuper illud pſalm. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore*, dicit, quod Chriſtus loquitur ad Reges terræ dicens. *Et nunc me conſtituto Rege ſicut prædixit. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo: vos Reges, qui iudicatis terram, ne contriſtemini, ſed intelligite, & erudimini: expedit enim vobis: vt ſub illo ſcitis, a quo eſt intellectus & eruditio.* Et expedit, vt temere non dominemini, ſicut illi, qui putant nulli ſe eſſe ſubiectos, & Domino omnium ſeruiatis, id eſt Chriſto, & eius Vicario, quem ſui loco præfecit in terris propter quod B. Petro dicuntur eſſe conceſſa iura cœleſtis imperij & terreni: quia totius poteſtatis ſpiritualis & temporalis apicem tenet. Et ſi poteſtas temporalis a ſpirituali non ſolum iudicatur, ſed etiam inſtituitur & formatur, & ſpecialiter a poteſtate plenaria, cuiuſmodi eſt poteſtas Sum. Pontificis quia aliter loquendum eſſet de poteſtate ſpirituali ſecundum partem qualis eſt in alijs Prælatis Eccleſiæ, quæ ad præſens dimittitur. Multo fortius hoc veritatem habebit de poteſtate iuriſdictionis in ſpiritualibus: quia ipſa habebitur & iudicabitur a Vicario Chriſti.

5 Ad hanc etiam veritatem oſtendendam adduci poſſent plures rationes ducentes ad inconueniens, quia ex ipſa multa inconuenientia ſequuntur. Nam ſi ita eſſet, quod talis poteſtas iuriſdictionis eſſet immediatè a Chriſto, cum illud, quod confertur a Prælato ſuperiori tolli non poſſit per inferiorem, nec etiam immutari, ſequi videtur, quod talis poteſtas per Sum. Pontificem tolli non poſſit, nec reſtringi, nec dimidiari: quæ omnia ſunt abſurda, & inconuenientia.

6 Sicut enim videmus de poteſtate conſecrandi Corpus Domini, quæ ſequitur ordinem Sacerdotalem, per Epiſcopum tolli non poteſt; quia ſicut talem ordinem non contulit: niſi per miniſterium: ita nec auferre poteſt: vt communiter ponitur licet Magiſter ſententiarum videatur eſſe contrariæ opinionis: voluit enim vt apparet in 4. ſentent. quod talis poteſtas auferibilis eſſet per miniſterium Eccleſiæ, cuius dictam a Magiſtris, & a ſchola Pariſienſi in hoc communiter non tenetur.

7 Præterea ſicut videmus, quod excommunicati & ab Eccleſia præciſi peccant ſi conſecrant nihilominus tamen ſi conſecrant, conſecratum eſt; quia propter efficaciam conſecrationis ordo dicitur eſſe perpetuus: & hinc eſt, quod cum quis degradatus reconciliatur, non iterum ordinatur: quia ordinem non ammittit. Nam etſi tradatur iudicio ſeculari, non eſt ex hoe, quod ordinem amiſerit, ſed quia perdidit priuilegium indultum tali ordini. Licet ergo tales peccent in conſecrando: ſi tamen conſecrant, conſecratum eſt. Sic etiam & in propoſito, quantumcumque tales, qui poteſtatem iuriſdictionis haberent immediatè a Chriſto tali poteſtate de facto priuarentur. Si tamen ſecundum illam agerent, licet peccarent in agendo, tamen teneretur illud, quod agerent. Vnde ſi excommunicarent, vel abſoluerent aliquem, qui alias ex parte ſua eſſet iuſtè excommunicandus, vel abſoluendus, talis excommunicatio, vel abſolutio teneretur, quod nullus ſanæ mentis dixerit: niſi conaretur tunicam inconſutilem Chriſti ſcindere.

Præterea ſi poteſtas collata a Chriſto
Apoſtolis & Diſcipulis eſt continuata in Epi- 8
ſcopis & Curatis, cum Apoſtoli & Diſcipuli
receperint poteſtatem vbique prædicandi, &
baptizandi, & Sacramenta alia conferendi.
Vbique ergo quicumque Epiſcopi, & Curati
poteſtatem haberent talia faciendi, quod eſt
inconueniens, & contra ſenſum Eccleſiæ.

Præterea ſi poteſtas Epiſcopi eſt imme- 9
diatè a Chriſto ſicut poteſtas Domini Papæ;
ſequitur, quod ſicut Papa electus ſtatim po-
teſt adminiſtrare officium papale, ita etiam
eſſet de Epiſcopo dumtaxat Eccleſiæ, quæ
omnia ſunt inconuenientia. Multa etiam
alia inconuenientia ſequerentur, quæ cauſa
breuitatis ad præſens dimittuntur.

Sed vt omnia ad vnum reuocentur, ſuffi-
cit dicere, quod poſitio iſta falſa eſt: & om- 10
nia quæ deſcendunt ex ipſa. Et quia falſa
circa ea, quæ ſunt fidei annexa, ſeu etiam
moribus bonis erronea iudicantur ideo non
immerito omnia talia, & viris intelligenti-
bus, etſi non hæretica, tamen erronea iudi-
cantur.

CAP. VIII.

In quo reſpondetur ad rationes & auctoritates quæ nituntur probare, quod talis poteſtas iuriſdictionis ſit immediatè a Chriſto in Epiſcopis & Curatis.

PRima ratio, quæ ſuperius adducebatur ad probandum, quod poteſtas iuriſdictionis eſſet immediatè a Chriſto, conſiſtebat in hoc. Quod ſi primi habuerunt immediatè poteſtatem a Chriſto Apoſtoli & Diſcipuli; ergo & Succeſſores Epiſcopi, & Curati.

Dicendum quod ſi & primi habuerunt talem poteſtatem immediatè a Chriſto hoc oportebat & decebat: quia tunc præſens erat, nec oportebat tunc per Vicarium ſuum fieri. Nunc autem ſuccedentes ab ipſo habent immediatè a Chriſto quidquid a ſuis Vicarijs haberi non poteſt, niſi per miniſterium. Sed a ſuis Vicarijs habetur omne illud, quod ab eis & per puros homines diſpenſari poteſt: cuiuſmodi eſt iuriſdictionis poteſtas, quæ ſimplici verbo datur, & dari poteſt. Non autem eſt ita de poteſtate ordinis, quæ dari non poteſt: niſi mediante ordinis Sacramento: propterea enim ſolo verbo facere non poteſt Epiſcopum, nec Præsbyterum.

Ad ſecundam rationem cum dicitur quod Epiſcopi & Curati aſſumuntur ad ſtatum Apoſtolorum & Diſcipulorum, qui ſunt ſtatus regiminis. Dicendum primo quod Epiſcopi & Curati non ſic præciſe, vt ipſe accipit, ſuccedunt Apoſtolis & Diſcipulis. Sed quia de hoc fiet capitulum, per ſe ad præſens dimittatur. Sed ſolum reſpondeatur ad formam argumenti. Et dicendum quod cum

Digitized by Google

tales ad talem ſtatum aſſumuntur, neceſſario aſſequuntur omnia illa, ſine quibus tales ſtatus eſſe non poſſunt. Conſtat autem quod verus Epiſcopus, & verus Sacerdos eſſe poteſt ſine poteſtate iuriſdictionis explicata, de qua loquimur ſicut habet communis vſus Eccleſiæ.

Poteſt etiam dici ſicut iam dictum eſt, quod qui aſſumuntur ad ſtatum talem: quidquid ſupernaturale immediatè conſequuntur a Chriſto neceſſarium ad talem ſtatum, de quibus non eſt poteſtas iuriſdictionis, quæ poſſit diſpenſari per agens naturale. Et cum ſubiungitur, quod a quo eſt poteſtas, eſt ab eodem poteſtatis continuatio; hoc neceſſarium non eſt: quoniam talis res incepta per alios ſufficienter continuari poteſt. Sicut ſimile videmus in opere creatoris, quod ſi primo Deus produxit res per creationem & immediatè, non tamen oportet, quod nunc ſimiliter fiat, & continuetur & ſpecialiter ad illa, quę ſufficienter produci poſſunt per propagationem.

Exemplum autem quod adducitur de Sum. Pontifice ad propoſitum non valet; quia ipſe ſolus cum aſſumitur ad talem ſtatum aſſequitur immediatè a Chriſto talem poteſtatem iuriſdictionis, ſicut ſuperius viſum eſt: quia nec alium Superiorem recognoſcit, a quo poſſet talem auctoritatem conſequi.

Ad aliud cum dicebatur: Chriſtus ædificauit eccleſiam; ergo ipſe dedit poteſtatem: dicendum quod verum eſt, multa tamen dimiſit Chriſtus exercenda, & ordinanda per Succeſſores ſuos, quæ ipſe non ordinauit ſecundum quod temporum congruentia expoſcebat. Sic enim reſpondet Auguſtinus in epiſtola ad Comitem Bonifacium obiectioni hæreticorum dicentium: quod eccleſia non debet inuocare auxilium Principum contra aliquos; quia Apoſtoli hoc non fecerunt: *quod in Eccleſia Sancta, qua a Spiritu Sancto dirigitur, diuerſis temporibus diuerſa congruit agere.*

Sic etiam & nunc videmus, quod Epiſcopi hodiè multis apparatibus, & inſignijs vtuntur, quibus non vtebantur Apoſtoli: nec propter hoc tamen iudicandi ſunt male agere, dummodo in talibus ordinatè ſe habeant in actu, & etiam in affectu.

Et cum dicit Gloſſa, quod hanc poteſtatem iudiciariam &c. dicendum quod verum eſt ſed diuerſimodè; quia Apoſtoli eam receperunt immediatè a Chriſto; ſed alij recipiunt eam a ſuo Vicario: vt talis poteſtas includere poteſt actualem iuriſdictionem. Si enim ſimiliter vbique præcisè auctoritas deberet intelligi: quilibet reciperet auctoritatem Petri, quod falſum eſt.

Ad aliud cum dicitur, nullum agens creatum facit ſubiectum in quod agit. Dicendum, ſicut iam dictum eſt, quod licet Chriſtus catholicam eccleſiam egerit, & fundauerit, multa tamen in illa dimiſit ordinanda per ſuos Succeſſores, ſecundum quod temporum congruentia expoſcebat, & in primitiua eccleſia opus erat miraculis ad conuertendum, & conuincendum incredulos vt fides non deficeret, ſed potius inualeſceret. Præterea conſequenter indiguit rationibus, & expoſitionibus ſcripturarum contra pullulantes hæreſes. Et his temporibus iam dilatata eccleſia videtur indigere temporali potentia, & materiali gladio contra tyrannos perfidos & rebelles eccleſiæ.

Ad aliud cum dicebatur ſicut ſe habet Petrus &c. & etiam de Domino Papa patet per iam dicta.

Ad illud Gloſſa ſuper Apoſt. quod qui prædicabunt tempore Antichriſti &c. Dicendum quod illi & vlteriores quicumque prædicationis officium habent, vt talis auctoritas ſequatur ad poteſtatem ordinis, ipſam habent immediatè a Chriſto, a quo habent ordinem: vt autem pertinet ad auctoritatem iuriſdictionis; *quia nec prædicare poſſunt, niſi mittantur*: & etiam ſibi ſubiectis prædicatione illa, de qua ſuperiùs dictum eſt, hoc habent a Chriſti Vicario, & ab alijs, qui per ipſum & ſanctam Eccleſiam ordinati ſunt ad hoc.

Ad exemplum de Abbate dicendum, quod verum eſſet de poteſtate abſolute ſibi tradita, & non vlterius determinanda per alios; non autem de illa, quæ poſſet aliter determinari, & limitari ſecundum arbitrium eorum, qui ſuccederent primo danti, ſecundum aliam, & aliam exigentiam temporis.

Et cum dicebatur quod hic non derogat plenitudini poteſtatis Sum. Pontificis, dicendum quod imo multum per omnem modum: quia aufertur ab eo illud, quod eſt conferribile puro homini pro debito regimine eccleſiæ; quod alij Prælati non habeant poteſtatem iuriſdictionis ab ipſo. Quod etiam ex dictis eorum ſi bene conſiderentur apparet quod fiendum non eſt: nam ad plenitudinem poteſtatis Chriſti Vicarij omninò pertinere videtur quidquid per purum hominem fieri poteſt in ordinatione vniuerſalis eccleſiæ.

Et quod vltimo dicunt de vſu poteſtatis, ſiue de executione iuriſdictionis in inferioribus Prælatis, quod talia bene dependent, & habentur a Domino Papa; licet vſus talis poteſtatis in Domino Papa ſolum a Deo dependeat. Quæritur de iſto vſu quid dicat verum enim actum differentiæ non ponunt, vt videtur; quia tunc dormiens talem executionem non haberet; oportet ergo, quod dicant potentiam vtendi eſſe a Domino Papa, & ſi ita ſit ex dictis proprijs ipſorum ſequetur quod poteſtas iuriſdictionis in alijs Prælatis eccleſiæ Epiſcopis ſcilicet & curatis ſit a Sum. Pontifice.

C A P. I X.

In quo ex præmiſſis oſtenditur qualiter poteſtas mixta ſit immediatè a Chriſto, & qualiter immediatè a ſuis Vicarijs.

SIcut ſupra dicebatur poteſtas clauium, & 1
vniuerſaliter poteſtas adminiſtrandi Sacramenta aliud habet pertinens ad ordinem, & aliud pertinens ad iuriſdictionem; & pro tanto poteſtas mixta appellari poteſt. Si ergo aliquis habeat poteſtatem ordinis, hoc pertinet ad ordinem, & a quocumque habetur ordo immediatè habetur ab eo talis poteſtas,

teſtas, in quantum huiuſmodi. Et quantum ad hoc ſic loquendum eſt de rali poteſtate mixta ſicut ſuperius dicebatur de poteſtate ordinis.

2 Sed quod ſuper hoc fiat aliquis ſpecialis iudex eccleſiaſticus ad hoc vel ad illos, hoc pertinet ad iuriſdictionem. Iuriſdictio enim idem eſt quod dictio, ſeu determinatio iuris, & eius quod iuſtum per modum ſententię, & obligationis proferre, quod facere non poteſt, niſi qui iudex eſt conſtiturus: ſiue in ſpiritualibus: ſiue in temporalibus.

3 Hanc autem iuriſdictionem in eccleſia poſt aſcenſionem Chtiſti in cœlum, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus, quæ huiuſmodi ſpirirualibus ſunt annexa conferre habet ille, qui multitudini præeſt eccleſiaſticæ, cuiuſmodi eſt Sum. Pontifex, qui ipſius eſt capur, nauclerus, & rector, & cui ſubeſt & incumbit diſpenſatio torius vniuerſalis eccleſiæ, & totius populi chriſtiani.

4 Propter quod bene & ſignanter communiter dicitur, quod clauis darur cum ordine. Sed execurio indiget materia debita, quæ eſt plebs ſubiecta per iuriſdictionem. Er ideo ſi aliquis habeat ordinem, & non habeat iuriſdictionem, haber quidem clauem implicirè, & in radice, ſed non habet poreſtatem iuriſdictionis explicitam, ſiue vſum & actum clauis, & propter hoc quilibet Sacerdos non poteſt vti claui, quam habet in quemlibet, ſed ſolum circa illos, qui ad eius iuriſdictionem pertinent vel ordinariè vel ex commiſſione.

5 Solius autem Sum. Pontificis eſt poſſe vti claue, quam habet in quemlibet & de quolibet: quia omnes pertinent ad eius iuriſdictionem cuiuſcumq; materiæ, & etiam cuiuſcumque ſtatus exiſtant: quod ſatis præfiguratum dici poteſt in eo; quod ſcribitur cod. 18. *Quidquid maius fuerit referatur ad te: & ipſi tamen minora iudicent.*

6 Cum ergo quæritur de iſta poteuria mixta a quo ſit immediatè. Prompta eſt reſponſio ſi conſiderentur quæ dicta ſunt de poteſtate ordinis, & iuriſdictionis in ſucceſſoribus Apoſtolorum, & Diſcipulorum: quia ſi poteſtas ordinis immediarè eſt à Chriſto, & poteſtas iuriſdictionis immediatè a ſuo Vicario. Poteſtas illa, quæ vtrumque tenet, ad quam vtrumque requiritur, quantum ad id, quod eſt ordinis eſt immediatè a Chriſto: & quantum ad id quod eſt iuriſdictionis eſt immediatè a ſuo Vicario, quæ pro tauto mixta dicitur; quia nec habens ordinem ſine iuriſdictione, nec iuriſdictionem ſine ordine, actus talis potentiæ exerceri poteſt.

7 Iuriſdictio enim in Sacramento Pœnitentiæ videtur eſſe non ſolum de neceſſitate præcepti, ſed etiam de neceſſitate Sacramenti. Accipiendo de neceſſitate Sacramenti omnia illa, quæ ad integritarem ralis Sacramenti de neceſſirate requiruntur, quæ poteſtas iuriſdictionis, ſine eriam poteſtas clauium plenè & totalirer ſolum eſt in ſummo Pontifice. Nam in rali poteſtate ligandi & ſoluendi datur intelligi poteſtas iudiciaria: non ſolum in remiſſione peccatorum, ſed etiam a minori ſolutione & determinatione pœnarum in excommunicarione & aliarum pœnarum inflictione, indulgentijs & quantumque relaxatione, in præceptis & etiam in quacumque conſtiturione, ſeu obſeruatione: quę omnia conſummatè, & complctè, ſolum competunr & competere poſſunr Sum. Pontifici, quæ etiam omnia conſequenter ſub poteſtate clauium inrelligi poſſunt.

8 Vnde Cirillus in lib. theſaurorum de poteſtate ſummi Paſtoris loquens ait: Ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, & diſponere, ſoluere, & loco Chriſti ligare, qui ipſam ædificauit, & nulli alij Epiſcoporum quod ſuum eſt, plenum, ſed ipſi ſoli dedit: cui omnes iure diuino capur inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt.

C A P. X.

In quo agitur de ſucceſsione perſonarum Eccleſiaſticarum, ex qua plura clarius apparebunt, quæ in præmiſsis poſita ſunt.

1 IVxra diſtinctionem, & trimembrem ſuperius dictam de Sacerdotio conuenienrer accipi poteſt ſucceſſio perſonarum eccleſiaſticarum. Et quod in maximo Sacerdorio quilibet Sum. Pontifex ſit Succeſſor Petri, & Vicarius Ieſu Chriſti, apud ratione vtentes nulla dubitario videtur conſurgere, vr ei congruè dici poſſit illud, quod dicitur in Sacra Scriptura *verè tu es Deus abſconditus*, qui expreſſas vices tenet in terris *Dei abſconditi, & Dei humanati*. Vnde Papa dicitur quaſi pater parrum, & paſtor paſtorum. Dicitur etiam ſingularirer apoſtolicus; quia verrici Apoſtolorum ſuccedir, & rori eccleſię præſidet, & in ſede ſeder, quæ Apoſtolica nuncupatur. Dicitur etiam Parer Sanctiſſimus, quia Sancti Sanctorum vices gerit. Nam erſi perſona poſſit eſſe non ſancta, ſemper tamen Sanctiſſimus appellabitur ratione ſtatus, quem tenet, a quo omnis ſanctitas in eccleſia deriuatur.

2 Vnde Chriſoſtomus ſuper illud Act. *Surgens Petrus in medio &c.* dicit de Beato Petro, quod intelligi etiam poreſt de quolibet eius Succeſſore, *caput Sanctiſſimum beati apoſtolici chori camerarius, & portarius ipſius Chriſti, & eius theſaurorum, ad quem Chriſtum qui ingredi cupiunt, vt ipſe definiuit. Ego ſum oſtium intrantibus, ad patrem ingredi non poſſunt, niſi Petrus aperiat.*

3 Secundum autem Sacerdotium, quod ſuperius dicebatur Sacerdotium maius inchoauir in Sanctis Apoſtolis; quia ipſis etiam datæ ſunt claues vt ſupra viſum eſt. Vnde Paulus Apoſtolus de ſeipſo, & alijs loquens air: *Nos primitias ſpiritus habentes*. Gloſſ. in Spiritum Sanctum habentes, & cæteris abundantius. Ipſi enim fuerunt primi fundatores eccleſiæ, quam doctrinis & exemplis, & etiam effuſione ſanguinis planrauerunt: propter quod conuenienter ſancta appellatur eccleſia apoſtolica, licet principalitet a Summo Chriſto, qui eſt ſummus & verus Apoſtolus. Nam & Apoſtolus Interpretatur miſſus. Ipſe autem de Ipſo dicir in Ioan. *ſicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Iſti antem Sancti Apoſtoli

per Chtiſtum immediatè non ſolum conſecuti ſunt Sacerdorium maius, vt ſupta dictum eſt; ſed etiam conſceuti ſunt principatum, & prælationem iuxta illud pſalmi *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, & nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. Super quo verbo dicit Gloſſa. quia facti ſunt Duces, & Paſtores eccleſiæ. Succeſſores ergo Apoſtolorum ſunt Saceedotes maiores, vel patriatchæ, primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi.

4 Nec propoſitum variat ſi talium dignitatum diſtinctio tempore Apoſtolotum non fuetit: nec etiam nomina dignitatum; quia non oportebat tunc in eccleſia primitiua, tantam varietatem dignitatum exiſtere, quantam conſequenter fieri oportuit Spiritus Sancti directione & magiſterio eccleſia augmentata & dilatara, vt ſicut vna communitas excedit aliam, & communitas Prouinciæ communitatem Ciuitatis, & communitas regni communitatem Prouinciæ, & communitas totius Mundi communitarem regni. Sic & vna poteſtas ſecundum quemdam ordinem excedit aliam & includit: vt ſit ordo in poteſtatibus, ſecundum quod eſt ordo in rebus.

5 Nihilominus ramen licet non oportebat dare tantam diuerſitatem & varietatem in cauſis, quantam damus in eſſectibus, nec in principijs quantam damus in his, quæ ex principijs deſcendunt vniuerſalem tamen eccleſiam ſecundum totum ſuum ambitum in tali ſucceſſione ordinare debemus; quia vna eſt eccleſia veterum & moderuorum. Vnde Gloſſ. ſuper illo verbo ad Hæbr. 12. *Acceſciſtis ad eccleſiam primitiuorum*, id eſt Apoſtolorum qui primi crediderunt, & quorum fidei alij adiuncti ſunt & ſuccedunt. Et ideo quicumque adiuncti ſuut fidei, ſeu adminiſtrationi eorum, quæ ſunt fidei modo debito, & ordiuato ponendi ſunt in numero ſucceſſorum, omnes ergo Sacerdotes maiores ponendi ſunt Succeſſores Apoſtolorum.

6 Et vltra omnes Principes, & Prælati eccleſiæ, qui etiam Sacerdotes non ſunt: quia licet tales non ſucceduut eis in tali poteſtate ordinis, quæ reſpicit Corpus Chriſti. Verum ſuccedunt tamen eis in poteſtate iuriſdictionis in ſpiritualibus, quæ reſpicit Corpus Chriſti miſticum, quæ poteſt dici nobiliot illa & ſuperiot. Vude & Archidiaconus proptet iutiſdictionem eſt ſupta Atchiptesbyterum, & Cardinalis Diaconus ſupra Epiſcopum non Cardinalem: quia aliquo modo poteſtatem iutiſdictionis nobilioti modo habet tanquam propinquiot Chriſti Vicatio & Domino principali.

7 Nec obſtare videtut ſi dicatut, quod poteſtas Sacerdotalis ſit nobilior ex eo, quod recipit Corpus Chtiſti verum, quoniam ſupra ipſum non habet iudiciatiam poteſtatem, ſed ſolum cuiuſdam miuiſterij in prolatione verborum, quorum virtute ſit benedicta tranſubſtautiatio. Vel etiam poſſet dici, quod licet quantum ad aliud, & ſecundum quid poteſtas ordinis ſit nobilior, quam poteſtas tautum iutiſdictionis in ſpiritualibus, per quem aliquis ſit iudex ſupra Corpus Chriſti myſticum ſimpliciter, nobilior eſt. Sic ergo viderur dicendum, quod non ſolum Sacerdotes maiotes, ſed etiam Diaconi Cardinales, qui ſunt Principes & Ptælati eccleſiæ, ſint Succeſſores Apoſtolorum; quia licet non ſuccedant in tali ordine: ſuccedunt tamen in principatu, & ptælatione. Non enim videtur congruè dictum, quod Diaconi Cardinales, qui non ſunt Epiſcopi, etiam non ſuccedunt Apoſtolis: cum tale Collegium Catdinalium ſpecialiſſimè repreſentet Collegium Apoſtolorum: vt Summus Pontifex ſit inter eos quaſi Chriſtus inter Apoſtolos: quia Vicarius Magni Apoſtoli Chriſti, propter quod & apoſtolicus nominatur.

In numero etiam talium ſuccedentium 8
conuenienter poni poſſunt omnes Abbates & Paſtores, qui veram præſidentiam habent cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, dūmodo verè prælati dici poſſint, qui etiam in tantum deficient a tali ſucceſſione, in quantum deficient a vera prælatione: vt talium ptæſidentiæ quantum ad aliquas religiones, quæ aliquando magis dicantut quædam obedientiæ, quam prælationes. Quod quomodo & in quibus contingat magis declarare non pertinet ad præſentem tractatum.

Sed vltimo dicendum eſt de 72. Diſci- 9
pulis, qui a Chriſto deſignati ſuut in adiutorium Apoſtolorum, & in fauorem & vtilitatem plebis iuxta illud Lucæ 10. *Poſt hoc autem deſignauit Dominus & alios 72. & miſit eos binos ante faciem ſuam*: quibus ſuccedunt omnes Sacerdotes ſeu minores Pręsbyteri, qui etiam ſuperius magni Sacerdotes dicebantur, in comparatione ad Sacetdotes legis naturæ & legis Moſaicæ. Sub quo etiam Sacerdotio comprehendi debet omuis eccleſiaſticus otdo, qui ad tale ſacerdotium ordinatur, & per conſequens, omnes ſic ordinati ad tale miniſterium; quia quilibet ordo vel eſt ſacerdotalis, vel habet attributionem ad ipſum, cuius gratia eſt, & ei ſubſeruit, ſicut ars inferior ſuperiori.

Non enim 72. Diſcipulis ſuccedunt ſo- 10
lum Sacerdotes Curati, vt quidem videntur dicere, ſed vniuerſaliter omnes Præsbyteri, & omnes Clerici, qui curam animarum habere poſſunt, & habent; dummodo veti pręlati non ſint; ſicut ponunt aliqui & magni dicendum eſt, de Curatis & Archidiaconis illis, qui ſolum habent aliquas ſubminiſtrationes ſub Epiſcopis, qui proptiè loquendo ptælati non ſunt; quia magis ſe habent ad Epiſcopos, ſicut baliui, & ptæpoſiti ſe habent ad Regem, quam ſe habeant ſicut prælati ad prælatos ſuperiores. & diſtinct. 21. qu. 1. *Dicitur, omnibus Præsbyteris & Diaconibus, vt nihil abſque proprij Epiſcopi licentia agant*.

Et quod ſit vniuerſaliter omnes tales 11
Præsbyteri ſuccedant 72. Diſcipulis; ſicut Gloſſa communiter dicunt, nullam vel paucam mentionem facientes de curatis; quia nec curati aliqui fuerunt tempore Chtiſti: nec etiam forte tempore Apoſtolorum. Vnde Gloſſa ſuper illud. *Quodcumque ligaueris &c. Dicit hæc ſoluendi atque ligandi poteſtas, quamuis ſoli Petro videatur data a Domino; tamen etiam cæteris Apoſtolis datur; & ita nunc Epiſcopis, ac etiam Præsbyteris vniuerſa Eccleſiæ. Et S. Cyrillus exponens illud. Poſt hoc autem deſignauit &c.* inquit: *ſicut in 12. Apoſtolis formam Epiſcoporum monſtrari, nemo eſt, qui dubitet; ſicut hodie in 72. Diſcipulis formam*

preſ-

preſbyterarius, id eſt inferioris ſecundi ordinis, inſtituiſſe.

22 Et ſic etiam omnes Sancti, & expoſitores de tali ſucceſſione loquentes ſemper circumloquuntur eam per Preſbyteros minores, ſiue per Preſbyteros ſecundi ordinis; in quo ſatis ſufficienter innuitur, quod talem ſucceſſionem non debemus præciſè ad curatos applicare, ſicut aliqui faciunt; ſed quod omninò generatim concioni ac omnia vt Præſbyteris: qui ex virtute ſacri ordinis Sacerdotij poteſtatem habent ligandi & ſoluendi, remittendi peccata fidelibus, & retinendi, vt patet ex conſecratione eorum; ſed defectu iuriſdictionis a Domino Papa non acceptę, non poteſt reduci in actum, niſi in caſu neceſſitatis, quando eccleſia omnibus peccatoribus per omnes Præsbyteros tanquam Curatos, ſeu animarum curatores ſuccurrere fideliter, & piè intendit.

Poſtquam dictum eſt de poteſtate eccleſiaſtica in communi reſtat in hoc ſecundo tractatu aliqua dicere de poteſtate Chriſti Vicarij ſeu Summi Pontificis magis in ſpeciali.

CAPITVLVM PRIMVM.

Quod ſicut vna eſt Eccleſia: ita vnus eſt Chriſti Vicarius, qui ipſi vniuerſaliter Eccleſiæ preeſt.

CAPITVLVM II.

In quo oſtenditur, quod talis Chriſti Vicarius vniuerſalis Pontifex eſt, non ſolum ratione orbis, ſed etiam ratione vrbis.

CAPITVLVM III.

In quo oſtenditur, quod poteſtas ſpiritualis, cuius apicem in vniuerſali Eccleſia tenet Summus Pontifex, præcedit poteſtatem temporalem: non ſolum dignitate; ſed etiam tempore & cauſalitate.

CAPITVLVM IV.

In quo in communi oſtenditur, quod Summi Pontificis poteſtas ſe extendat ad ſpiritualia, & temporalia.

CAPITVLVM V.

In quo ſpecialiter probatur, quod Summus Pontifex plenam poteſtatem habet in ſpiritualibus.

CAPITVLVM VI.

In quo oſtenditur quod Summus Pontifex etiam in temporalibus habet plenitudinem poteſtatis.

CAPITVLVM VII.

In quo adducuntur aliqua motiua nitentium probare, quod Summus Pontifex plenam poteſtatem non habet in temporalibus.

CAPITVLVM VIII.

In quo ſoluuntur rationes & motiua intendentium probare quod Sum. Pontifex in temporalibus non habet plenitudinem poteſtatis.

CAPITVLVM IX.

In quo ſpecialiter oſtenditur, quod quilibet Rex, ſeu Princeps temporalis cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtat, non ſolum in ſpiritualibus: ſed etiam in temporalibus ſubditus eſt, & eſſe debet Summo Pontifici.

CAPITVLVM X.

In quo ponitur epiſtola Conſtantini directa vniuerſali Eccleſiæ, ex qua plura euidentiora fient, quæ in alijs capitulis dicta ſunt: itaque ſit huius tractatus.

CAP. I.

Quod ſicut eſt vna Eccleſia: ita eſt vnus Vicarius Chriſti qui vniuerſali Eccleſiæ præeſt.

1 Secundum quod ait Beatus Dyoniſius vltimo cap. de diuinis nom. *Non eſt multitudo non participans vno: ſed quæ ſunt multa partibus, ſunt vnum toto: quæ ſunt multa accidentibus, ſunt vnum ſubiecto: quæ ſunt multa numero, ſunt vnum ſpecie: & quæ ſunt multa ſpecie, ſunt vnum genere: & quæ ſunt multa proceſſibus, ſunt vnum principio.*

2 Sicut ergo totum vniuerſum non dicitur vnum per aliquam vnam formam: ſicut vnus homo dicitur vnus vnitate ſuppoſiti, & vnitate formæ; ſed dicitur vnum vnitate ordinis, & vnitate ipſius Principis Dei, qui totius mundi eſt finis, & principium: quia ſicut omnia producuntur ab eo ſicut a principio; ita omnia reducuntur in ipſum ſicut in finem. Propter quod bene dixerunt Philoſophi, quod ſicut vnus eſt Princeps, ita & vnus dicitur principatus. Hoc autem multo magis varietatem habet in Sancta Eccleſia, quod & ipſum nomen inſinuat. Nam eccleſia conuocatio dicitur, vt dicit Iſidorus in lib. de regim. officiorum in diuerſarum perſonarum: in vnum vocatio.

3 Quæ eccleſia primo poteſt dici vna vnitate conformitatis: ſecundum dona gratiæ in quibus conformantur eccleſiæ membra, & maximè in virtutibus theologicis ſcilicet in fide, ſpe, & charitate. Omnia enim eccleſiæ membra idem credunt, idem ſperant, & idem diligunt: & circa eadem opera ſcilicet fidei, & charitatis exercitari debent. Vnde eadem præcepta, eadem Sacramenta, quæ ſunt vaſa gratiæ, eadem conſilia, & idem diuinus cultus omnibus fidelibus proponuntur; propter

quod

quod bene ſcriptum eſt in Act. Apoſtolorum *quod multitudinis credentium erat anima vna; & cor vnum in Deo*.

4 Quod nou conuenit dicere de hæreticorum conueuticulis, quæ diuersè ſunt diuerſa, & contraria opinantes, & diuerſos ritus, & ſuperſtitiones habenr vnde hæretici dicti ſunt quaſi diuiſi, & diuerſa pro arbitrio eligentes & hoc uon immeritò; quia ſecundum Sanctos & Philoſophos, bonum contingit vno modo, malum autem multis modis. Nam ſicut ſignum vno modo attingitur, & multipliciter deuiatur a ſigno; ita veritas fidei vna via, quæ Chriſtus eſt tenetur, & multis modis ab ea deuiatur.

5 Poteſt etiam dici ſecundo Sancta Eccleſia vna vnitate ordinis, quem habent membra eccleſiæ ad inuicem, & reſpectu finis. Nam ſicut in corpore naturali diuerſa ſunt membra; non eumdem actum habentia, vnum tamen eſt corpus ex eis compoſitum vt ponit Apoſtolus 1. ad Cor. 12. quæ quidem membra ſibi diuerſimodè ſubſeruiunt, vt idem Apoſtolus dicit; quia non poteſt oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij: oculus enim indiget manu etiam ad ipſum videre: quia niſi purgaretur a manu, multoties impediretur a viſu. Manus etiam indiget oculo ad ſuum finem operationis.

6 Sic etiam ſuo modo arbitrari debemus in corpore Chriſti miſtico, quod eſt corpus eccleſiæ, & eſt vnum per gratiam: quia omnes nos vt dicit Apoſtolus in eadem epiſt. & cap. *In vno ſpiritu vnum corpus, cuius corporis caput eſt Chriſtus*. Et membra in hoc corpore ſunt diuerſi fideles, habentes diuerſa officia; quia ſecundum quod dicit idem Apoſtolus ad Epheſ. 4. Quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, & alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, ad conſumationem Sanctorum id eſt perfectionem *opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti*. Quæ membra inuicem ſecundum quod diuerſas gratias a Deo datas habent ſe iuuare & protegere debent. Sicut videmus membra facere in corpore naturali; quia oculus, qui pollet acumine viſus videt ſibi, & manui. Pes autem in quo viget potentia greſſiua & deficit in videndo, ſeipſum portat, & alia membra: ſicut & manus purgat pedem, & oculum.

7 Sic etiam ſuo modo eſt in vnitate ſanctæ eccleſiæ; quia caput eſt Princeps ſiue Prælatus. Vnde Prælati & Principes dicti ſunt capita populorum. Oculi poſſunt dici ſapientes ſiue Doctores, qui debent alios illuminare. Manus ſunt milites ſiuè defenſores eccleſiæ. Pedes poſſunt dici populares ſiue ſimplices & rudes: qui etiam debent ſua diuerſa officia exercere ad vtilitatem corporis myſtici eccleſiæ.

8 Eſt tamen quædam breuis ſimilitudo, & diſſimilitudo attendenda inter membra Corporis Chriſti miſtici inter membra corporis naturalis. Nam ſimilitudo eſt in hoc, quod ſicut membro corporis naturalis ſalus, & vita eſſe non poteſt, niſi verè tantum maneat in corporis vnitate; quia membrum aridum etſi coniungatur corpori naturali ſecundum continuitatem: non tamen coniungitur ei ſecundum influxum vitæ, & virtutis; ſic etiam eſt & vnitas corporis miſtici eccleſiæ; cui plures coniuncti ſunt continuitate conuerſationis exterioris: qui tamen a Chriſto capite & ſua eccleſia influxum vitæ & ſalutis non recipiunt, quia non manent in radice caritatis & gratiæ.

9 Propter quod conſequenter aliqui dicti ſunt membra eccleſiæ numero & merito, ſicut fideles viuentes ſpiritualiter in gratia, quæ eſt vita animæ ſicut ſuo modo, anima eſt corporis. Alij autem ſunt membra eccleſiæ numero tantum. Sed non merito, ſicut iacentes in peccato mortali habentes fidem informem, quæ fides ad ſalutem parum proficit niſi per charitatem formetur. Sed alij nec merito, nec etiam numero debent dici membra eccleſiæ: ſicut pagani & infideles, qui omnino nullam fidem habent, vel hæretici, qui falſam habent.

10 Diſſimilitudo autem poteſt attendi in hoc quod omnia membra corporis naturalis ſunt ſimul ſecundum tempus: membra autem corporis eccleſiæ non ſunt ſimul ſecundum tempus. Sed ſucceſſiuè continuè generantur, quia generatio per ſpiritum gratiæ & fidei præterijt, & generatio aduenit, quouſq; impleatur numerus filiorum Dei prædeſtinatus in ideis diuinis ſeu æternis decreuit.

11 Sed ad principale propoſitum redeundo dicatur, quod ſancta eccleſia eſt vna: ſicut vnum corpus ex multis membris: & ſicut vnum totum ex multis partibus: quæ etiam omnia membra dicuntur vnum non ſolum per iſtum ordinem, quem habent inter ſe; ſed etiam per ordinem, quem habent per gratiam ad vnum finem, quem intendunt, & ad quem ordinantur, qui eſt beatitudo æterna, ſiue Deus ipſe in beatitudine poſſidendus.

12 Poteſt etiam tertiò dici ſancta eccleſia vna vnitate efficientis, & regulantis ſcilicet ipſius Chriſti, qui eam plantauit, & ordinauit, non ſolum ſecundum diuinam naturam, ſed etiam ſecundum humanam, ſecundum quam factus eſt via omnibus fidelibus tēdendi in Deum, qui eam etiam continuo regit, & dirigit per ſucceſſores ſuos. Nam quia ſuam corporalem præſentiam ſubtracturus erat a ſuis fidelibus, expediens erat, vt alicui vni committeret eccleſiæ vniuerſale regimen, qui eccleſiam regeret loco & vice ſui.

13 Hic autem fuit Petrus, & in Petro commiſſum eſt regimen omnibus ſucceſſoribus; quia talis poteſtas ſimilis & æqualis in ſucceſſoribus continuata eſt, & continuabitur per Dei gratiam vſque in diem iudicij. *Quia ego rogaui pro te patrem*, dicit Dominus: *vt non deficiat fides tua*, qui perfectè in omnibus exauditus eſt pro ſui reuerentia, vt ſecundum hoc congruè verbum Chriſti ad vniuerſalem eccleſiam. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſæculi*: exponi poſſit pro ſucceſſoribus ſuis: quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Quilibet enim ſucceſſor licet non ſit idem ſecundum perſonam, poteſt tamen dici idem ſecundum potentiam. Et bene dixit: *vſque ad conſummationem ſæculi*; quia deinceps tales ſucceſſores neceſſarij non erunt.

14 Vnde ergo dictum eſt, quod ſicut vna eccleſia, ita eſt vnus eius paſtor: ita quod ſicut in vno ſpeciali populo alicuius particu-

laris

laris eccleſiæ requiritur vnus Epiſcopus, qui ſit illius populi caput: ita in toto populo chriſtiano requiritur vnus, qui ſit totius vniuerſalis eccleſiæ caput. Et hoc eſt ille, qui ſecundum Bernardum, *parem ſuper terram non habet*: ſed omnes ſibi ſubſunt iure diuino, ſecundum quod in ſequentibus capitulis magis apparebit. Vna eſt ergo eccleſia, & vnus Epiſcopus: vna eſt ſponſa, & vnus eſt ſponſus, ſignificata conuenienter per tunicam inconſutilem, quæ diuiſa non fuit.

15 Ex qua vnitate, & etiam ordine debito ſeruato reſultat ipſius eccleſię mirabilis fortitudo; quia omnis virtus magis vnita & ordinata fortior eſt ſeipſa diſperſa, propter quod in Cant. dicitur: *fortis & terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*: ita quod contra eam nunquam poterunt portæ inferi præualere, vt ſcribitur Math. 16. vt per portas inferi intelligantur hæreticorum doctrinæ ſecundum quod exponit Gloſſa, quod homines a via veritatis nituntur ſeducere, vt tandem ad inferos deducantur.

CAP. II.

In quo oſtenditur quod talis Chriſti Vicarius vniuerſalis Pontifex eſt non ſolum ratione Orbis, ſed etiam ratione vrbis.

1 EX multis ante dictis ſatis patere poteſt, quod Chriſti Vicarius & Petri ſucceſſor totius orbis eſt vniuerſalis Pontifex. Nam Petro vniuerſaliter dictum eſt a Chriſto Ioan. vltimo *ſequere me*. Quod intelligendum eſt non ſolum de genere martyrij, ſed etiam de ſucceſſione magiſterij: nam Andreas, & plures alij ſecuti ſunt ipſum in crucifixione ſed ſolum Petrum ſibi ſubſtituit in officio magiſterij. Vnde Gloſſ. exponens hoc verbum dicit. Quod in hoc quod dixit Dominus Petro *ſequere me* cunctorum fidelium ipſum Magiſtrum inſtituit.

2 Sibi etiam ſpecialiter eſt dictum ibidem. *Paſce oues meas, & paſce agnos meos*: non has oues vel illas: nec hos agnos, vel illos, ſed ſimpliciter oues: & agnos. Quod exponens Chriſoſtomus, ait: *Paſce oues meas in loco meo præpoſitus & caput eſto, firmum & feruentem amorem, quem dicebas te habere in me, quod animam tuam pro me poneres: nunc vice mei, pane pro omibus*. Ego olim quod tibi promiſeram, nunc coram omnibus fratribus affirmo: vt & ipſi te in loco mei aſſumentes, vbique terrarum te, & in trono tuo ſedentes prædicent & confirment: quatenus nationes per orbem ſicut me a patre; ſic & te vice mei recipient ordine obedientiæ, & Euangelij auctoritate.

3 Quantumcumque ergo Vicarius Chriſti diuerſas eccleſias mediantibus alijs paſtoribus regat & gubernet; nihilominus tamen immediatum regimen ſuper quemlibet exercere poteſt: quia ſic alios aſſumit in partem ſollicitudinis, quod nihil ipſi deperit de plenitudine poteſtatis. Quod ſatis præfiguratum dici poteſt in nauigatione diſcipulorum cupientium ad Chriſtum peruenire, qui apparebat in littore: *quia ſciens Petrus quod Dominus eſt, in mare ſe miſit*; alijs Diſcipulis certis & determinatis nauigijs peruenientibus; quod ſignum fuiſſe videtur vniuerſitatis poteſtatis & Pontificis Petri, qui non nauem vnam; vt cæteri quique ſuam. Sed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, per naues autem particulares eccleſiæ a diuerſis gubernatæ intelligi poſſunt.

Ipſe ergo ſolus Sum. Pontifex dicitur; 4
quia vniuerſaliter ipſe ſolus ſe pontem fecit inter Deum, & vniuerſum populum chriſtianum: propter quod ſignanter notat Chriſoſtomus, quod Dominus dans claues Petro dixit: *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis*, vt dicitur Math. 16. Dans autem poteſtatem alijs Apoſtolis, non dixit in cœlis: ſed in cœlo vno, vt apparet Math. 18. & hoc pro tanto: quia alij Apoſtoli non ſunt tantæ perfectionis in regimine ſicut Petrus.

Et quia præceſſor & ſucceſſor ſunt pares 5
in officio & poteſtate; licet poſſint eſſe diſpares in vita & merito: ſi poteſtas Petri erat vniuerſalis, & excellebat poteſtatem aliorum Apoſtolorum, quia Princeps Apoſtolorum conſtitutus eſt: ſic & poteſtas ſucceſſorum excedit vniuerſitate, & dignitate poteſtatem omnium prælatorum Apoſtolis ſuccedentium. Vnde et ipſe ſolus per quamdam anthonomaſiam apoſtolicus dicitur, non ſolum ex hoc quod vniuerſalitati Apoſtolorum ſuccedit, ſed quia ſolus toti eccleſiæ præſidet, quæ apoſtolica dicitur, quia ab Apoſtolis inchoata, & per ipſos gubernata, & ordinata, & vſque ad mundi terminos verbo prædicata, & extenſa: quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Sed ad videndum conſequenter, quod 6
Sum. Pontifex non ſolum propter orbem, ſed etiam propter vrbem vniuerſalis Vicarius dici debeat, diſtinguendo eſt de vniuerſali eccleſia. Quia vno modo eccleſia dici poteſt, quæ conſtat ex omnibus particularibus eccleſijs, ſecundum quem modum loquitur Auguſtinus 12. de Ciuit. Dei cap. 12. oſtendens, quod ſicut vniuerſa mors conſtat ex omnibus mortibus, videlicet ex morte corporis cum corpus priuatur anima, & ex morte animæ, cum a corpore ſeparata punitur, & ex morte totius hominis, quæ dicitur ſecunda mors, & qua nulla eſt poſterior. Et hanc triplicem mortem Deus comminatus eſt homini ſub vno nomine mortis, cum dixit *morte moriemini &c.*

Sic & vniuerſalis eccleſia dicitur, quod 7
conſtat ex omnibus eccleſijs particulariter acceptis, ſecundum quem modum loquitur Apoſtolus cum dicit: *inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium eccleſiarum*. Et ſecundum hanc acceptionem eccleſia Romana non eſt vniuerſalis eccleſia: ſed vniuerſalis eccleſiæ, prima videlicet & præcipua; quia in ea plenitudo poteſtatis exiſtit. Ad cæteras autem particulares eccleſias aliqua pars plenitudinis deriuatur.

Sed alio modo vniuerſalis eccleſia dici- 8
tur illa, quæ ſub ſe continet vniuerſas eccleſias: & hoc modo Romana eccleſia eſt eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia vniuerſalis: quia ſub ſe continet alias eccleſias, quas habet dirigere & ordinare, inde & ipſa ſola priuilegio ſingularis dignitatis cæteris eccleſijs eſt prælata. Ita quod ſicut Deus dicitur vniuerſalis Dominus; quia vniuerſa ſub eo continentur: ita Romana Eccleſia dicitur vniuerſalis eccleſia, quia continet ſub ſe eccleſias vniuerſas. Et ſicut eius Epiſcopus pater eſt & paſtor omnium paſtorum; ita Romana Eccleſia mater & caput eſt omnium eccleſiarum,

9 Hæc eſt illa Romana Eccleſia, quæ ſecundum Cyrillum in lib. rheſau. *nunquam de aliquo errore verecundata fuit*, ſicut aliæ quam plures eccleſiæ ſed ſtabilita manens ſupra firmam petram imponit ſilentium, & obturat ora omnium hæreticorum.

10 Vnde ergo dictum eſt, quod non ſolum ratione orbis Sum. Pontifex dici debet vniuerſalis Vicarius, ſed etiam ratione Vrbis. Quod bene oſtendit Gelaſius Papa Petra Sancta de pontificatu, & morte Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Sancta inquit Mater Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutionibus cæteris Eccleſijs prælata eſt: ſed euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit, dicentis: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, cui data eſt ſocietas beatiſſimi Pauli Apoſtoli*, qui non diuerſo, vt hæretici garriunt, ſed in vno tempore, codemque die in vrbe Romana cum Petro ſub Cæſare Nerone agonizans coronatus eſt, & pariter prædictam eccleſiam Romanam Chriſto Domino conſecrauerunt: ac cæteris vrbibus in vniuerſo mundo ſua corporali præſentia, ac venerando triumpho pertulerunt.

Pro tanto etiam Romana Sedes prior eſt omni Sede dignitate, licet Anthiothena Sedes prior ſit tempore. Immo non ſolum Iure diuino: Sed etiam humano, quod eſt expreſſiuum & quodanımodo declaratiuum diuini iuris Romana Eccleſia caput eſt omnium eccleſiarum. Talem enim legem Conſtantinus Imperator, qui tunc tenebat monarchiam imperij in ſui conuerſione edidit, & promulgauit quod ſicut Imperator Romanus caput erat totius imperij, ſic & Romanus Pontifex totius eccleſiæ caput ab vniuerſis Epiſcopis haberetur.

C A P. III.

In quo agitur, quod poteſtas ſpiritualis cuius apicem in vniuerſali Eccleſia tenet Summus Pontifex præcedit poteſtatem temporalem non ſolum dignitate ſed etiam tempore & cauſalitate.

1 QVod poteſtas ſpiritualis fuerit prior tempore poteſtate temporali apparere poſſit. Prior in lege naturæ ante diluuium, in quo tempore de Rege aliquo nulla fit mentio: nec quantum ad nomen, nec quantum ad rem. Abundè tamen fit mentio de re, quæ eſt Sacerdotium; quia legitur de *Abel*, qui fuit in principio humani generis; *quod obtulit Deo de primo: genitis ſuis*. Poſt diluuium vero de re, quę eſt Sacerdotium, ſtatim fit mentio: antequam fiat mentio: de Rege, vel de regno. Vnde ſtatim cum egreſſus eſt Noe de arca cum vxore & filijs ſuis, legimus, *quod ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundi obtulit holocauſta ſuper altare: & odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis*.

Sed regnum videtur incepiſſe in Nem- 2
broth, qui poſt multas generationes poſt diluuium deſcendit de ſtirpe Noe: licet ipſe verè & propriè rex dici non poſſet; quia eius regnum legitimum non fuit: ſed magis per quamdam vſurpationem & inuaſionem. Vnde legitur Gen. 10. *quod ipſe incepit eſſe potens in terra, & quod principium regni eius fuit in Babylone per inuaſionem*. Vnde dicebatur *robuſtus venator hominum coram Domino*. id eſt exterminator, & oppreſſor, amore dominandi. Quod regna ſecundum Auguſt. lib. de Ciuit. Dei propria regna dici non debent: ſed magis, *quædam magna latrocinia*.

Sed quantum ad diuinam inſtitutionem 3
attinet, non ſolum Sacerdotium præceſſit regnum; ſiue Sacerdotes Reges. Sed etiam poteſtas regia ſpiritualis præceſſit poteſtatem regiam ſpiritualem: vt diſtinguamus inter poteſtatem Sacerdotalem, & poteſtatem regiam ſpiritualem; ſicut diſtinximus ſuo modo inter poteſtatem iuriſdictionis, & poteſtatem ordinis; quia habentes poteſtatem iudicandi ſeu iuriſdictionis in ſpiritualibus non minus propriè dicuntur habere poteſtatem regiam, nec minus proprie dicuntur reges, quam habentes poteſtatem iudicandi in temporalibus. Immo tanto verius dicuntur reges, quanto regimen in ſpiritualibus excellentius & dignius eſt, quam regimen in temporalibus.

Aaron ergo qui non ſolum Sacerdos 4
erat, ſed etiam poteſtatem talem regiam ſpiritualem aliquo modo habebat; quia eius erat iudicare de ſpiritualibus quibuſdam: vel de quibuſdam, quę erant figura ſpiritualium, ſicut diſcernere lepram & lepram, & iudicare inter mundum & immundum, & alia huiuſmodi multis annis præceſſit Saulem, qui fuit primus Rex Iſraelitarum. Vnde Iſidorus in lib. de perſonis eccleſiaſticis initium Sacerdotij Aaron fuit; quamquam Melchiſedech prior obtulerit Sacrificium. Etiam poſt hunc Abraham, Iſaac, & Iacob. Sed iſti ſpontanea voluntate, non Sacerdotali auctoritate fecerunt iſta. Cæterum Aaron primus in lege Sacerdotale nomen accepit, primuſque pontificali ſtola indutus, victimas obtulit iubente Domino, ac loquente ad Moyſen, *tolle Aaron, & filios eius*.

In lege vero euangelica ſimul fuit Sacer- 5
dotium cum poteſtate regia ſpirituali, & etiam temporali, quantum ad rem, licet non quantum ad ipſius vſum; quia vſum temporalis poteſtatis, nec Chriſtus, nec etiam Apoſtoli, ex certis cauſis exercere voluerunt, qui infra dicentur.

Sed quod poteſtas ſpiritualis ſit prior 6
dignitate poteſtate temporali multipliciter probari poteſt. Et primo ratione obiecti; quia ſicut ſpiritus nobilior eſt corpore, & ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritualia nobiliora corporalibus; ita poteſtas ſpiritualis dignior eſt poteſtate temporali.

7 Hoc etiam probari poteſt ratione finis; quia finis ad quem ordinatur poteſtas temporalis ſunt virtutes quædam, beatitudo, quæ acquiri poſſunt ex puris naturalibus; quia finis & principalis intentio ciuilis legiſlatoris, debet eſſe ciues bonos facere, & eos ad virtutem inducere. Sed finis ad quem ordinat poteſtas ſpiritualis, ſunt virtutes & beatitudo ſupernaturalis, ad quam venire non poſſumus ex puris naturalibus. Quanto ergo finis nobilior eſt fine, tanto poteſtas ſpiritualis nobilior eſt poteſtate temporali. Propter quod bene dictum eſt 96. dic. *duo quippe ſunt. Non tam ſpecioſius eſt aurum plumbo, quam regia poteſtate ordo Sacerdotalis eſt altior.*

8 Et hunc duplicem modum prioritatis ſimul ponit Hugo de Sacramentis lib. 2. p. 2. vbi dicit: Quod autem ſpiritualis poteſtas quantum ad diuinas inſtitutiones pertinet ſit prior tempore, & maior terrena dignitate, in illo antiquo veterum teſtimonio propoſitio aperte declaratur; vbi primum a Deo Sacerdotium inſtitutum eſt. Poſtea vero per Sacerdotium iubente Deo regalis poteſtas ordinata eſt.

Sumit hic Author legitimum pro perfecto ob defectum ordinationis in vltimum finem ſupernaturalem quod exemplo matrimonij infidelium declarat quod non dicitur legitimum hoc eſt perfectum perfectione Sacramenti, quæ locutiones tempore authores cõmuniter tenebantur.

9 Sed quod tertio poteſtas ſpiritualis ſit prior poteſtate temporali cauſalitate, probari poteſt; quia ab illa dependet ſicut a cauſa efficiente: & ſicut a cauſa finali: & aliquo modo ſicut cauſa formali. Primum apparet; quia ſi poteſtas temporalis debet eſſe iuſta & legitima; vel eſt coniuncta ſpiritualis in eadem perſona: vel eſt inſtituta completiuè, & approbatiue per poteſtatem ſpiritualem. Vnde poteſtas, quæ temporalis eſt apud infideles legitima non dicitur, quia per ſpiritualem poteſtatem non eſt ratificata & approbata. Sicut etiam & ipſorum matrimonium licet ſit aliqualiter verum: non tamen dicitur perfectum & ratum: quia indiget ratificatione, & approbatione per ſpiritualem poteſtatem. Et hoc eſt quod dicit Hugo de Sancto Victore: *Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet vt ſit & iudicare, ſi bona non ſit.*

Dependet etiam poteſtas temporalis a
10 poteſtate ſpirituali, ſicut a cauſa finali; quia cum finis temporalis poteſtatis ſit naturalis felicitas: ordinari debet ad finem poteſtatis ſpiritualis, quæ eſt felicitas ſupernaturalis. Et ideo poteſtas temporalis eſt propter ſpiritualem, ſicut propter ſuum finem. Sicut enim videmus in artibus, quod militaris eſt finis frænifactiuæ pro tanto, quia finis frænifactiuæ ordinatur ad finem militaris. Si ergo & in propoſito, poteſtas ſpiritualis finis eſt poteſtatis temporalis: quia ſicut finem, ſic poteſtas ad poteſtatem ordinatur.

11 Dependet etiam tertio poteſtas temporalis a poteſtate ſpirituali, aliquo modo ſicut a cauſa formali; quia per ipſam efficitur & formatur: vt ſicut lux dicitur forma coloris; quia color non poteſt mouere viſum, nec ſuum actum exercere ſine lumine exteriori: & caritas etiam dicitur forma aliarum virtutum, non quod ſit forma inhærentis: ſed quia aliæ virtutes ſine ea debitum, & meritorium actum exercere non poſſunt. Sicut etiam nec temporalis poteſtas debite legitimè ſuum actum exercere poteſt; niſi prius ſit formata, & ratificata per ſpiritualem poteſtatem. Et hinc eſt quod in ſignum approbationis & ratificationis Reges a Pontificibus inunguntur. Vnde ergo bene dictum eſt, quod ſpiritualis poteſtas non ſolum tempore & dignitate ſed etiam cauſalitate præcedit temporalem poteſtatem.

CAP. IV.

In quo in communi oſtenditur quod poteſtas Summi Pontificis ſe extendit ad ſpiritualia & temporalia.

VT in quodam vniuerſali videatur, quomodo poteſtas Summi Pontificis ſe extendat ad ſpiritualia & temporalia, præmittenda eſt primo diſtinctio iſtarum duarum poteſtatum. Quam diſtinctionem aliqui ſumunt ex duplici populi ſtatu ſcilicet Clericorum & Laycorum. Nam multitudo vt dicunt, ſiue vniuerſitas Chriſtianorum, habet duo latera: latus dextrum, quod eſt Clericorum, & latus ſiniſtrum, quod eſt Laycorum. Primum latus habet reſpicere poteſtas ſpiritualis poteſtas, quæ dirigere habet in his, quæ ſunt ad ſpiritualem vitam. Sed ſiniſtrum latus, quod eſt Laycorum, reſpicere habet poteſtas temporalis, quæ habet in terrenis & temporalibus dirigere, & illa miniſtrare, poteſtas ergo ſpiritualis præeſt clericis; & temporalis laycis. 1

Sed non videtur hoc vſquequaque ſufficienter dictum: quia licet clerici quodam ſpirituali modo ſint ſub ſpirituali poteſtate, eo quod ad ipſam pertinet ordinare & determinare ea, quæ ſpirituali vitæ conueniunt: Layci tamen etiam ſpirituali poteſtati debẽt eſſe ſubiecti & maxime in cauſis ſpiritualibus, quæ ſunt potiores temporalibus. Nam eo ipſo, quod poteſtas temporalis præexiſtit in ſpirituali: ſicut virtus inferior in ſuperiori, vt infra magis videbitur. Quicumque ſunt ſub poteſtate temporali, ſunt etiam & ſub ſpirituali, licet non econuerſo. Nam ſub ſpirituali ſunt tam clerici, quam layci: licet clerici ſpecialius, & ſpiritualius; quia ſpiritualiter electi ſunt in ſortem Domini, ſub temporali tamen ſunt ſolum layci: nec hi ſubſunt poteſtati temporali quantum ad omnia: quia in ſpiritualibus ſunt ſubiecti poteſtati ſpirituali: nec etiam omnia temporalia ſunt ſub poteſtate temporali: quia non eccleſiaſtici prouentus, nec etiam illa omnia, quæ eccleſiis quocumque modo debito acquiſita ſunt. 2

Et ideo conuenientius accipitur harum duarum poteſtatum diſtinctio ex duplici vita ſcilicet ſpirituali, & temporali. Nam ad poteſtatem ſpiritualem pertinent ea, quæ ſpirituali vitæ attribuuntur. Ad temporalem autem illa, quæ ad terrenam vitam pertinent. Dicitur autem vita ſpiritualis, quia anima viuit ex Deo per gratiam. Sed temporalis, qua anima viuit ex corpore; quia 3

ſicut anima eſt vita corporis, ita Deus eſt animæ vita, vt ſæpe dicit Auguſt.

4 Non tamen talis diſtinctio ſic præciſè eſt accipienda, quaſi poteſtas ſpiritualis non reſpiciat temporalia, & etiam poteſtas temporalis aliquo modo ſpiritualia: quia ſic poteſtas ſpiritualis reſpicit omnia temporalia ſecundum directionem & imperium; vt conſequenter magis videbitur: ſic temporalis poteſtas, qua eſt intra Eccleſiam miniſtrat temporalia, & ordinat illa ſeù ordinare debet ad finem ſpiritualis vitæ. Abuſor enim temporalium dici debet, qui illa non ordinat ad vitam ſpiritualem.

5 Nam ſicut cognitio ſenſibilium deſeruit cognitioni intelligibilium, & ordinatur ad eam; ita vſus temporalium deſeruire debet vitæ ſpirituali, & ordinari ad illam. Etiam pro tanto, vt magiſtri dicunt regibus adhibetur vnctio, quæ ſpiritualitatē deſignat, & iunguntur in brachijs, ad ſignificandum quod eorum miniſterium ad finem ſpiritualis vitæ principaliter ordinari debet. Non tamen per hoc talis poteſtas diceretur ſpiritualis: quia denominatio debet fieri a fine proximo, quem intendunt: ſicut etiam effectus non denominatur a cauſa remota: ſed a prima niſi acciperemus ſpirituale, prout præciſè diuiditur contra temporale; quia ſic finis talis poteſtatis ſpiritualis dici poſſet, cum ipſius officium non ſolum ſit gubernare quātum ad corpora, & quantum ad res exteriores, quæ vitæ corporali deſeruiunt. Sed ſpiritualibus ſit inducere populum ſubiectum ad virtutes, & ad opera virtuoſa, quę deſeruire poſſunt beatitudini illi, quæ in præſenti vita naturaliter acquiri poteſt. Quæ opera pro tanto ſpiritualia dici poſſunt, quia ad animam pertinent, quæ ſpiritualis eſt.

6 Sed accipiendo ſpirituale illud, quod pertinet ad animam non ſecundum ſua naturalia, ſed per gratiam, & alia dona, quæ reſpiciunt beatitudinem ſupernaturalem; ſic ſæcularis poteſtas non dicitur ſpiritualis: ſed contra ipſam diuiditur. Ipſa enim ſecundum quod huiuſmodi intendit, & intendere debet beatitudinem, ad quam perueniri poteſt per principia naturaliter indita: ſed poteſtas ſpiritualis intendit beatitudinem ſupernaturalem, quæ parata eſt homini ex diuina prouidentia & Dei gratia.

7 Quia tamen iſtæ duæ beatitudines ita ſe habent, quod vna ordinatur ad aliam, ſicut finis ſecundarius ad finem principalem, neceſſario oportet, quod poteſtas illa, quæ intendit finem ſecundarij obediat, & obſequatur illi, quæ intendit finem principalem, quia ſicut finis ſub fine; ita poteſtas ſub poteſtate, & per conſequens omnia, quæ ſubduntur ſub poteſtate temporali erunt ſub imperio poteſtatis ſpiritualis, prout talia temporalia ad ſpiritualia ordinantur, & ordinari debent.

8 Ille ergo, qui habet plenum dominium in corpore miſtico Eccleſiæ cuiuſmodi eſt Summus Pontifex, licet immediatè reſpiciat ſpiritualia tamen quia omnia temporalia ad ſpiritualia ordinantur, habebit etiam dominium in temporalibus; quia ea, quæ ſunt ad finem debent ſumere menſuram & neceſſitatem ex ipſo fine. Hoc eſt, quod dicit Bernard ad Conradum Imperatorem: legitur quippe: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam ſententiam cupio vos; & omnibus modis moneo vos cuſtodire, & in exhibenda reuerentia ſumma & Apoſtolicæ Sedi, & B. Petri ſucceſſori, ſicut ipſam vultis ab vniuerſali imperio.*

Et Gloſſa ſuper illud pſalmi: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram,* dicit quod Chriſtus hic loquitur ad reges terræ dicens. Et nunc me conſtituto rege ſicut prædixi. *Ego autem conſtitutus ſum ab eo Rex.* Vos reges qui iudicatis terram ne contriſtemini: ſed intelligite & erudimini, expedit enim vobis, vt ſub illo ſitis, a quo eſt intellectus & eruditio. Et expedit vt temere non deuiamini, ſicut illi, qui nulli putant ſe eſſe ſubiectos, ſed & domino omnium ſeruiatis in Chriſto. Et ſi Chriſto ita & eius Vicario, quem ſui loco præfecit Eccleſiæ. Et ſi Reges ei obedire debent, multo magis & hi omnes, qui qualitercumque ſubſunt regibus. 9

Et vt ſit ad vnum dicere, omnes Reges & Pontifices, cuiuſcumque ſtatus & præeminentiæ exiſtat eius imperio ſubduntur: quia omnis poteſtas & in Pontificibus, eſt in Principibus ſæcularibus deriuatur a poteſtate Chriſti Vicarij. In Pontificibus quidem ſecundum eamdem rationem, & ſecundum eumdem agendi modum; licet non ſecundum plenitudinem: quia non aſſumuntur ad plenitudinem poteſtatis: ſed ad partem ſollicitudinis. Sed in Principibus ſæcularibus talis poteſtas deriuatur magis deficienter: quia in eis eſt poteſtas ſolum ſuper temporalibus, & eſt in eis ſecundum aliam rationem, & alium agendi modum, quam ſit in Pontifice: vt in ſequentibus capitulis magis videbitur. 10

An hāc propoſitionem deſumpſit author ex extr: vnam ſanctam de maiori: & obed: quæ ſumenda eſt ſecundum conſtitutionem illam & expoſitionem Gloſſa.

Ad præſens autem ſolum ſit vniuerſaliter dictum, quod poteſtas Summi Pontificis ſe extendit ad ſpiritualia & temporalia. Quæ abſolutè intelligitur ſic fuiſſe conceſſa, cum dictum fuit Petro: *Paſce oues meas.* Et hæc poteſtas licet vna poſſit ſatis conuenienter dici in Chriſti Vicario; quia communiter quę diſtinguuntur in inferioribus, vnica inueniuntur in ſuperioribus dicitur duplex poteſtas per reſpectum ad actus diuerſos nam prout exercet actus ſpirituales, & adminiſtrat ſpiritualia dicitur poteſtas ſpiritualis, prout autem imperat conſulit, & dirigit in temporalibus, dicitur temporalis. 11

Quæ duplex poteſtas præfigurata dici poteſt per duo luminaria magna, ſcilicet Solem, & Lunam, quæ poſuit Deus in firmamēto Cœli, ideſt in vniuerſali Eccleſia, vt per luminare maius, quod præeſt diebus id eſt in ſpiritualibus intelligatur poteſtas ſpiritualis. Sed per luminare minus, quod præeſt noctibus, id eſt in temporalibus, intelligant poteſtatem temporalem; quia Luna recipit claritatem a Sole, & ab ipſo illuminatur, & perficitur: ita poteſtas temporalis formatur & perficitur per ſpiritualem; quia nulla poteſtas ſæcularis vera & perfecta eſt, niſi ratificetur & probetur per ſpiritualem. Vnde Hugo de Sacramentis parte 2. cap. 4. ait ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtitue- 12

re

re habet & formare, & etiam iudicare ſi bo-
na non fuerit.

13 Quod bene præfiguratum dici poteſt in
populo Iſraelitico, qui figura erat populi chri
ſtiani, in quo electionem ſummi Principis &
Regis non commiſit Deus populo, ſed ſibi
reſeruauit. Vnde in Deuteron. ſcribitur: eum
conſtitues Regem, quem Dominus Deus tuus
elegerit. Hæc autem Dei ordinatio in illo
primo declarabatur per prophetas, aut Sacer-
dotes, a quibus inungebantur aliqui Reges.
Quare & in nouo teſtamento ſic proportio-
naliter fieri habet per Sacerdotes ſpiritualem
poteſtatem habentes.

14 Eſt etiam & hæc duplex poteſtas ſignifi-
cata per duos gladios de quibus ſcribitur
Luc. 22. vt per gladium extractum intelliga-
tur ſpiritualis, quem Sum. Pontifex debet
habere ad vſum. Sed per gladium, qui in
vagina remanſit, intelligatur poteſtas in
temporalibus, quam habet ad nutum. Nec
per hoc minus perfectè habet talem gladium
materialem, quam habet poteſtas ſæcularis:
quia nobilius eſt habere aliquid ad nutum,
quam ad vſum: ſicut nobilius eſt habere ali-
quid eminenter, & dominatiuè, quam habe-
re illud formaliter.

15 Solum enim ad ipſum nutum, quem fa-
cit poteſtas ſpiritualis monſtrando volunta-
tem ſuam; quia in nutu actum voluntatis di-
cit, & ſuadet armorum aſſumptionem contra
maleficos Principi ſæculari, cui materialis
gladius commiſſus eſt, conuenit obtempera-
re, exponendo etiam diuinam legem, in qua
præcipitur *maleficos non patieris viuere*, debet
Princeps ſæcularis arma ſumere, & gladio
materiali vti.

16 Et hoc eſt, quod dicit Bernardus 4. lib.
de conſideratione loquens ad Eugenium Pa-
pam. *Quid tu denuo vſurpare gladium vſur-
pare tentas, quem ſemel iuſſus es reponere in va-
ginam? tuus ergo eſt & ipſe euaginandus. Alio-
quin ſi nullo modo ad te pertineret, & id dicenti-
bus Apoſtolis: ecce gladij duo hic non reſpondiſſet
Dominus ſatis eſt; ſed nimis:* vterque ergo eſt
eccleſiæ & ſpiritualis ſcilicet gladius, & ma-
terialis, ſed hic quidem per eccleſiam, ille
verò & ab eccleſia exercendus. Ille Sacerdo-
tis, hic militis manu; ſed ſanè ad nutum Sa-
cerdotis, & ad iuſſum Imperatoris.

C A P. V.

In quo ſpecialiter probatur, quod Sum-mus Pontifex plenam poteſtatem habet in ſpiritualibus.

1 LIcet alij quicumque Prælati eccleſiæ poſ-
ſint dici capita ſuorum ſubditorum,
ſummus tamen Pontifex caput vniuerſale eſt
quodam ſpeciali modo, & ipſorum, & to-
tius eccleſiæ: & ideo dictus eſt *pater patrum,
& paſtor paſtorum*. Et ſicut videmus in cor-
pore naturali, quod caput duplicem influxum
habet reſpectu membrorum: vnus quidem in-
fluxus interior, prout a capite deriuatur vis
motiua, & ſenſitiua ad alia membra; alius
autem eſt exterior, ſecundum quamdam ex-
teriorem gubernationem, prout homo per
viſum & alios ſenſus, qui ſunt in capite, di-
rigitur in exterioribus operationibus. Sic
dicere poſſumus de capite miſtico vniuerſalis
eccleſiæ: quod ipſam quodam ſingulari mo-
do ſpiritualiter omnia membra eccleſiæ inte-
rius dirigere habet expiando a culpa, & ſan-
ctificando per gratiam, & etiam quodam-
modo exterius in relaxatione pœnarum, &
in obligatione ſententię.

Nam expiare a culpa, quod fieri habet 2
per claues eccleſiæ ſpiritualiter competit ſuc-
ceſſori B. Petri, cui poteſtas clauium ſingula-
riter data eſt: vt per eum ad alios deriuetur,
& in ipſo datæ ſunt vniuerſali eccleſiæ, & nul-
li poteſt in eſſe ſalus; niſi talibus clauibus ſe
ſubijciat, quod ſecundum ſui plenitudinem
ſolum ſunt apud ſucceſſorem Petri ſummum
Pontificem.

Vnde Gloſſa ſuper illo verbo. *Quodcum-* 3
que ligaueris ſuper terram &c. dicit: Ideo Pe-
trus ſpecialiter claues regni cœlorum & prin-
cipatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt om-
nes intelligant credentes per orbem, quod
quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietatis il-
lius quolibet modo ſemetipſos ſegregant; ta-
les nec a vinculis peccatorum abſolui, nec
ianuam poſſunt regni cęleſtis ingredi. Si er-
go ſibi competit principaliter ab omni culpa
purgare; quia ſicut eius poteſtas ſe extendit
ad omnia loca, & ad omnem gregem: ſic ſe
extendit ad expiationem cuiuslibet criminis,
quia ſolius eius eſt vti claue, quam habet in
quemlibet, & ſuper quolibet crimine.

Vnde ſoli Petro quærenti a Chriſto. *Si* 4
*peccauerit in me frater meus, dimittam ei vſque
ſepties?* Reſponſum fuit: *non dico tibi vſque ſe-
pties, ſed vſque ſeptuageſies ſepties*. Quod ver-
bum aliqui ſancti exponentes dicunt. *ſepte-
narius numerus eſt numerus vniuerſitatis*, & in
ſeipſum multipliciter ſignificare poteſt vni-
uerſorum vniuerſa peccata: quia ſolus Petrus,
& per conſequens ſolus eius ſucceſſor poteſt
non ſolum omnia ſed omnium crimina rela-
xare.

Sanctificare etiam per gratiam miniſte- 5
rialiter, ad ipſum ſpecialiter pertinet: quia
ſtatus eius fundamentum eſt & principium
totius ſanctificationis, & ab eo idem ſtatus
omnis ſanctificatio in eccleſia deriuatur. Vbi
enim eſt dare magis & minus, eſt dare ibi,
vnum maxime tale, quod eſt cauſa alijs, vt
ſint talia, licet enim alij rectores eccleſiæ qui
ſuccedunt alijs Apoſtolis Chriſti Vicarij di-
cantur, iuxta illud quod in præfatione dici-
tur: *quos operis tui Vicarios eidem*, ſcilicet gre-
gi *contuliſti præeſſe paſtores*; vnus tamen eſt
principalis Vicarius, qui principaliter Chri-
ſti vices gerit in terris, a quo omnis ſanctifi-
catio radicaliter, & miniſtraliter vniuerſali
eccleſię prouenit.

Quod præfiguratum dici poteſt in vete- 6
ri lege in eo, quod Dauid viginti quatuor Sa-
cerdotes inſtituit, quibus tamen vnum præfe-
cit Sum. Sacerdotem, per quod bene dicit
Bernardus, quod ſunt quidem & alij cœli ia-
nitores, & gregum paſtores. Habent enim
alij aſſignatos greges, & ſinguli ſingulos.
Sed huic vni ſunt vniuerſi crediti: nec tan-
tummodo ouium, ſed etiam paſtorum.

Habet etiam iſtud caput miſticum ſuper 7

vniuerſo grege ſpecialiter dirigere ad modum capitis naturalis, ſpeciali quodam modo directione exteriori, vt in obligatione ſententiæ, & relatione pœnarum. Nam ipſe poteſt tam forti vinculo alios excommunicare & ligare, & priuare communione eccleſiæ, vt a nullo alio cuiuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat, ab hoc abſolui poſſit, niſi in mortis articulo. Hic eſt qui per quamdam excellentiam poteſt hominem tradere Sathanæ; vt ex tunc ab eo vexari poſſit & ſpiritualiter & corporaliter.

8 Habet etiam ſingularem excellentiam in relaxatione pœnarum communicando fidelibus ſpiritualem theſaurum eccleſiæ, cuius eſt ipſe præcipuus diſpenſator. Nam ſicut in corpore naturali videmus, quod membra ſunt ſibi inuicem communicatiua, & etiam propter ſe inuicem patiuntur; quia ſi paritur oculus, inciditur brachium, dolet caput, & purgatur ſtomachus: ita inciſio brachij, & purgatio ſtomachi redundat in perfectum oculi, & capitis. Multo magis hoc arbitrari debemus in membris ſpiritualibus: & vt ipſa multo magis ſint ad inuicem communicatiua & compaſſiua: quia cum dicat quoddam diuinum bonum, multo magis reſeruari habet in membris ſpiritualibus, quam corporalibus.

9 Chriſtus ergo tanquam caput corporis miſtici, & ſanctificati ſicut ipſius membra magis communicant nobis ſua bona, quam quodcumque membrorum corporale cuique membro corporali, & magis ſunt in profectum noſtrum paſſio Chriſti, & ſanctorum ſuorum, quam ſit paſſio cuiuſcumque membri in profectu alterius membri. Hoc ergo modo Summus Pontifex nobis de theſauro Chriſti & aliorum Sanctorum poteſt communicare, & a pœnis nobis debitis propter peccata abſoluere, quando nos facit participes paſſionum ipſorum.

10 Nam multi martyres ſunt, qui plus ſuſtinuerunt de pœna, quam eorum delicta meruerint: totum autem iſtud plus ceſſit in theſaurum eccleſiæ, cuius theſauri theſaurarius, & diſpenſator eſt Summus Pontifex. Iuxta dictum B. Ioannis Chriſoſtomi exponentis illud verbum. *Surgens Petrus in medio fratrum &c.* Caput, inquit ſanctiſſimum beati apoſtolici chori camerarius, & portarius ipſius Chriſti, & eius theſaurarius eſt Petrus.

11 Si ergo aliquis peccator per multos annos teneretur pœnam ſubire & tenere pro delictis; quia hoc eſt dicere pœnitens, quaſi pœnam tenens: vt dicit Auguſtinus in lib. de vera & falſa pœnitentia: poteſt Summus Pontifex de theſauro paſſionis Chriſti & martyrum communicare huic pœnitenti, vt ſit ab omni tali pœna abſolutus. Sicut ergo aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſſet; ita etiam etſi ſibi applicatur ſatisfactio alterius per eum, qui poteſtatem habet. Et hic modus contingit in indulgentijs datis; quia in talibus indulgentijs de pœna nihil dimittitur; ſed vnius pœna alterius pœna computatur, & compenſatur. Vnde & annus indulgentiæ tantum valet, quantum pœnitentiæ ſecundum taxationem factam a Sacerdote, vel a iure, vel a iuſtitia diuina.

12 In relaxatione ergo pœnarum, in obligatione ſententiæ, in expiando a culpa, & in ſanctificando per gratiam ad quos alij actus ſpirituales reduci poſſunt Summus Pontifex ſpeciale miniſterium tenet: vt non ſolum in iuriſdictione: ſed etiam in clauibus ordinis aliquam prærogatiuam habeat. Quia licet Papa Sacramenta, quæ ſunt vaſa gratiæ, immutare non poſſit, ſicut nec fidem: tamen circa modum diſpenſandi Sacramenta, multa ordinare poteſt. Et poteſt committere inferioribus vt aliqua Sacramenta diſpenſent & conferant, ſicut ſunt inferiores ordines, & Sacramentum confirmationis, qui alias per commiſſionem factam ab inferiori conferri non poſſent. Bene ergo dictum eſt, quod Summus Pontifex plenam poteſtatem habet in ſpiritualibus.

CAP. VI.

In quo oſtenditur quod Summus Pontifex etiam in temporalibus habet plenitudinem poteſtatis.

Licet ex prædictis ſi bene conſiderentur, ſatis inferri poſſit, quod plenitudo pontificalis poteſtatis ad temporalia ſe extendat, & ex debito ordine, qui de neceſſitate requiritur, quod omnia reducantur in vnum ac etiam ex ordine finium: quia ſicut finis poteſtatis temporalis eſt ſub fine poteſtatis ſpiritualis, vt ſuperius dictum eſt: ita etiam poteſtas ſub poteſtate. 1

Poteſt tamen nihilominus hoc idem in præſenti Capitulo triplici via oſtendi. Quarum prima ſumitur ex vniuerſali regimine rerum. Secunda ex ſpeciali regimine hominum. Sed tertia ex præeminentia poteſtatis ſpiritualis ad poteſtatem temporalem. 2

Prima via ſumi poteſt ex verbis Dioniſij in angelica hyerarchia dicentis, quod lex diuinitatis eſt infima per media in ſuprema reducere: & ſi infima reducerentur immediatè in ſuprema ſicut media, talis lex diuinitatis non ſeruaretur. Duas ergo poteſtates quæ ſunt in eccleſia ex ipſo ordine vniuerſali rerum concludimus ordinatas debere eſſe: nec ordinatæ eſſent, niſi vna eſſet ſub alia, & vna reduceretur in ſupremam per aliam, iuxta ſententiam Auguſtini dicentis 3. de Trinit. cap. 4. *quod quemadmodum corpora groſſiora & inferiora per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum. & vniuerſa creatura per creatorem ſuum.* Omnia ergo creata quodam ordine reducuntur in Deum; ita quod vbi erunt varia & diuerſa regimina; omne quod inferius regimen reducatur in ſuperius & quodam ordine totum reducatur in ducem. Ita quod domini temporales inferiores reducentur in dominos temporales ſuperiores, & vniuerſaliter temporaliter dominantes reduci debent in ſpirituale dominium. 3

Et ſi dicatur ad hoc quod principes debent eſſe ſubiecti poteſtati ſpirituali, & ipſorum dominium bene debet reduci in dominium ſpirituale: hoc tamen debet intelligi ſpiritualiter tantum, & in ſpiritualibus, non 4

tamen

tamen temporaliter, & in temporalibus: talis reſponſio non euacuat virtutem rationis factæ. Nam ſi ſolum ſpiritualiter Reges, & Principes ſubeſſent eccleſiæ, nam non eſſet poteſtas ſub poteſtate, nec temporalia ſub ſpiritualibus, nec reduceretur infima in ſupremam per mediam, ſicut lex diuiniratis requirit. Vnde ſicut omnia corpora, etiam in eo, qnod corpora ſunt ſub ſpiritibus, & recognoſcunt ſpiritus eſſe ſupra ſe; ſic temporaliter dominantes etiam vt temporaliter dominantur, debent ſubeſſe ſpirituali dominio, & recognoſcere ſuum ſuperiorem Chriſti Vicarium ſpiritualiter dominantem.

5 Secunda via, quæ ſumitur ex ſpeciali regimine hominum talis eſt. Sicut homo, quia conſtitutus eſt ex duplici ſubſtantia, ſcilicet anima & corpore, indiget duplici cibo corporali ſcilicet & ſpirituali, iuxta dictum Saluatoris noſtri: *non in ſolo pane viuit homo*: ita etiam indiget regimine duplicis poteſtatis: quarum vna reſpicit corpora, & infert corporales pœnas; alia reſpicit animas, & infert ſpirituales pœnas: vt excommunicationem, & ſeparationem ab eccleſia. Sicut ergo ſpiritus ordinatus eſt ad dirigendum corpus: & corpus eſt, & eſſe debet ſub ſpiritu in homine bene ordinato; ita & poteſtas ſpiritualis ordinata eſt ad dirigendum temporalem, & temporalis debet ſibi ſubeſſe & obedire.

6 Si enim ex anima, & corpore non fieret aliquid vnum, & corpus non ordinaretur ad animam, & eſſet ſub anima apparentiam haberet, ſi diceret, quod iſtæ duæ poteſtates ſunt diuerſæ, & vna ad aliam non ordinatur. Sed quia ex anima, & corpore fit vnum, & corpus ordinatur ad animam, & eſt ſub anima,: ita & iſti duo gladij, ſicut iſtæ duæ poteſtates, quæ ordinatæ ſunt pro ſalute hominum, vna ordinatur ad aliam, & eſt ſub alia, & dirigi & corrigi debet ab alia: vt ſic vere poſſit dici, quod ſicut Chriſtus, a quo vtraque poteſtas dependet, caput eſt ſecundum animas, & ſecundum corpora: ita & eius Vicarius poteſtatem habebit: non ſolum ſuper animabus, & ſuper his, quæ animam reſpiciunt, ſed etiam ſuper corporibus, & ſuper temporalibus, quæ ſpirituali vitæ deſeruiunt.

7 Tertia autem ratio, quæ ſumitur ex præeminentia harum duarum poteſtatum ad inuicem talis eſt. Poteſtas ſpiritualis præcedit poteſtatem temporalem non ſolum tempore & dignitate ſed etiam cauſalitate, vt dictum eſt. Sed quæ ſic ſe cauſalitate præcedunt, vnum continetur in alio ſicut inferius in ſuo ſuperiori, & ſicut cauſatum in ſua cauſa. Sed quæ ſunt inferiorum continentur in ſuperioribus ſuis, & quæ ſunt cauſatorum continentur in ſuis cauſis. *Poteſtas ergo temporalis continebitur in poteſtate ſpirituali*. Cui ergo conceſſa eſt poteſtas ſpiritualis, conceſſa eſt temporalis, quæ in ipſa continetur: quia cui conceditur principale, conceditur & acceſſorium, quod ad principale neceſſario conſequitur, & in ipſo continetur, ſicut eſt in propoſito.

8 Hanc autem poteſtatem licet non habeat eo modo princeps ſpiritualis, quo habet princeps temporalis, habet tamen eam modo perfectiori & excellentiori; quia ſi non habet eam, vt eius opera immediate exerceat, niſi in certis & determinatis caſibus; habet tamen eam excellentius quia imperando, dirigendo & corrigendo.

9 Et poſſunt hæ duæ rationes confirmari ex quodam quaſi communi dicto. Dicunt enim Doctores ſatis communiter qnod ſpiritualis poteſtas poteſtatem temporalem iudicare poteſt ratione delicti, *& eam requirere pro defenſione eccleſiæ*. Ex quibus dictis ſatis videtur ſequi, quod in temporalibus ei ſubijciatur, quia & ipſa poteſtas temporalis non plus videtur poſſe de iure communi in ſibi ſubiectos, niſi ratione delicti animaduertere, & exactiones facere non pro libito voluntatis, ſed pro bono ſtatu reipublicæ.

Ex quibus omnibus ſatis videtur eſſe 10 concluſum, quod etiam in temporalibus Summus Pontifex plenam poteſtatem habet iuxta illud quod habet 22. d. c. omnes, vbi dicitur, *quod Eccleſiam ſolus ille fundauit ſcilicet Chriſtus, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & cæleſtis imperij iura commiſit*.

Si enim non ita eſſet, quod Summus 11 Pontifex vtrumque gladium haberet imperfectior eſſet Sacerdos in lege gratiæ, quam fuerit in lege naturæ, vel etiam in lege Moyſi. Nam de Melchiſedech legitur in Bernardo quod erat Sacerdos Dei altiſſimi, & etiam Rex. De Moyſe etiam legitur, quod officium Regis exercebat, licet Rex non diceretur legitimus quod Sacerdos erat: iuxta illud pſal. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius*; quia licet officium Sacerdotis non exerceret in offerendo ſacrificio ſiuè hoſtias offerebat tamen vota populi. Et ideo Iſidorus lib. de perſonis eccleſiaſticis: quærens cuius figuram faciebat Moyſes. Si enim filij Aaron Præsbyterorum figuram faciebant. Aaron autem ſummi Sacerdotis. Moyſes autem quem præfigurabat, & reſpondet quod indubitanter per omnia Chriſtum, qui fuit Rex & Sacerdos & mediator Dei & hominum, qui eſt verus Dux Præsbyterorum, verus Princeps Sacerdotum, & Dominus pontificum. Si ergo dicere nolimus ſicut nec debemus, quod Sacerdos imperfectior ſit in ſtatu gratiæ quam fuerit in ſtatibus illis, qui non erant gratiæ, affirmemus ſummum Pontificem vtrumq; gladium habere.

Et ſi quæratur quando & quomodo talis 12 poteſtas in temporalibus conceſſa fuit Petro? dicendum quod ex pluribus prærogatiuis ſibi ſpecialiter a Chriſto collatis, & ex multis honoribus ad ipſum ſingulariter directis hoc colligi poteſt. *Tu vocaberis Cephas*: ſibi dictum eſt: *paſce oues meas*: ſibi dictum eſt *confirma fratres tuos*: ſibi etiam collatæ ſunt claues regni cælorum: & vt dictum eſt committitur principale, committitur & acceſſorium, & ſpecialiter quando tale acceſſorium continetur in principali, ſicut inferius in ſuperiori, quod contingit in præſenti materia.

Eſt tamen diligenter conſiderandum, 13 quod huiuſmodi temporalia aliter ſubſunt poteſtati temporali, & aliter ſpirituali. Nam temporali ſubſunt immediate quantum ad immediatam diſpenſationem, & adminiſtrationem: ſed principali ſubſunt quantum ad principalem ordinationem: quia vt liberius talis poteſtas vacare poſſit ſpiritualibus operibus,

ribus, ad quæ principaliter ordinata eſt, decens non eſt, vt immediatè ſe occupet circa exercitium temporalium, niſi in caſu neceſſitatis dirigendo, conſulendo, & imperando.

14 Et hoc eſt, quod dicit Bernardus in lib. de conſideratione ad Eugenium Papam: *Indignè tibi vſurpas tu apoſtolicus, officium vile, & gradum contemptibilium.* Vocat contemptibiles illos, qui ſunt minoris meriti & inferioris gradus: quia vt ſubiungit: *Apoſtolus Epiſcopum inſtruens*, ait: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus. Vbi aliquando*, vt conuenienter ait idem Bernard. *aliquis Apoſtolorum iudex ſedit hominum, aut diuiſor terminorum, diſtributor terrarum. Chriſtus etiam ait: Quis me conſtituit iudicem ſuper vos. Non ergo tranſgrediaris terminos, quas poſuerunt patres tui.* Nihilominus tamen conuenienter idem Bernardus dicit: *Mihi non videtur bonus æſtimator rerum*, qui indignum putat Apoſtolis ſeu apoſtolicis viris non iudicare de talibus, quibus datum eſt iudicium in maiora. Si ergo regulariter de talibus temporalibus poteſtas ſpiritualis intromittere ſe non dicitur, expediens tamen eſt, vt de talibus ſe intromittat in caſu directionis & neceſſitatis.

15 Et ſi dicatur quod nec Chriſtus, nec etiam B. Petrus poteſtatem ſimilem temporalem exercuerunt; quia Chriſtus dixit in Ioan: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, dici poteſt quod hoc fecerunt ad ædificationem eccleſiæ, & virorum eccleſiaſticorum, vt darent eis exemplum declinandi implicationem, & ſollicitudinem rerum temporalium, vt in ſpiritualibus, & potioribus liberius poſſent intendere. Sed licet illi talem poteſtatem non exercuerunt non tamen ipſam poſteriores & ſucceſſores indebitè, & incongruè aliquando exercere dicuntur, quando viderint hoc expedire. Nam Chriſtus & etiam Apoſtoli multa ſequenda & ordinanda dimiſerunt ſuis ſucceſſoribus ſecundum diuerſa tempora & diuerſos ſtatus eccleſiæ, quæ ipſi per ſeipſos tunc non executi ſunt, nec ordinauerunt; quia nec pro tunc opus erat: vt pulchrè ponit Auguſtinus in epiſt. ad comitem Bonifacium, vt ſupra dictum eſt.

16 Quod vt clarius fiat inducenda ſunt verba Auguſtini in propria forma dicentis ſic: *Quod enim dicunt qui contra ſuas impietates leges iuſtas iuſtitui nolunt, non petiſſe a regibus terræ Apoſtolos talia nec contra aliquos regum auxilium vocaſſe: non conſiderant aliud tunc fuiſſe tempus & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim in Epiſcopum tunc crediderat imperator qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſeruiret; quoniam adhuc illud propheticum complebatur. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Adſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Nondum autem agebatur, quod in eodem pſalmo paulo poſt dicitur: Et nunc Reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges ſeruiunt Domino in timore; niſi ea, quæ contra iuſſa Domini ſunt religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? aliter enim ſeruit qua homo eſt, aliter qua rex eſt. Qua enim homo eſt, ſeruit viuendo fideliter; qua verò rex eſt ſeruit leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore ſanciendo: ſicut ſeruiuit Ezechias & templa idolorum, & illa excelſa, quæ contra Dei præcepta fuerant conſtructa deſtruendo. In hoc ergo ſeruiunt Domino Reges in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum, quæ non poſſunt facere niſi Reges. Cum itaque nondum Reges Domino ſeruirent temporibus Apoſtolorum: ſed adhuc meditarentur inania aduerſus eum, & aduerſus Chriſtum eius, non vtique tunc poterant impietatis legibus prohiberi, ſed potius exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi prædicatores Chriſti occiderent ſputantes ſe obſequium Deo facere, ſicut prædixerat Chriſtus, & gentes fremuerunt aduerſus Chriſtianos, vt omnes patientia martyrum vincent. Poſtea verò cum cepit impleri, quod ſcriptum eſt: & adorabunt eum omnes Reges terræ omnes gentes ſeruient ei, quis mente ſobrius dicat nolite curare in regno veſtro, a quo teneatur, vel oppugnetur eccleſia Domini noſtri non ad vos pertinet.* Ex quibus verbis Aug. ſatis apparet, quod plura non exercuerunt Apoſtoli, quæ ſucceſſores ipſorum decenter exercent propter diuerſam conditionem temporum, & ſtatum perſonarum.

C A P. VII.

In quo adducuntur aliqua motiua nitentium probare, quod Summus Pontifex plenam poteſtatem non habet in temporalibus.

NOn obſtantibus rationibus, & apertis auctoritatibus, quę præmiſſis capitulis ponebantur oſtendentibus, quod poteſtas Summi Pontificis ad temporalia ſe extendat nonnulli de ſuo ingenio præſumentes, qui dicunt, quod ſicut in veteri teſtamento Reges erant ſubiecti Sacerdotibus ſolum quantum ad ſpiritualia. Vnde ab eis iniungebantur & inſtruebantur, non autem quantum ad temporalia: quia poteſtatem temporalem ab eis non recognoſcebant. Imo magis econuerſo in temporalibus ipſi Sacerdotes ſubdebantur Regibus: ſicut Reges ſubditi erant Sacerdotibus in ſpiritualibus. 1

Sic etiam, vt dicunt debet eſſe in nouo teſtamento, quod eſt in veteri ſignificatum, & præfiguratum; quia omnia in figura contingebant illis: vt poteſtas ſpiritualis ſic ordinata ſit ad ſpiritualia, vt ſuper illis temporalibus, quæ ſunt Regum & Principum, intromittere ſe non debeat, nec poſſit: ſed ſolum intromittere ſe poteſt de illis temporalibus, quæ immediatè ſpiritualibus ſunt annexa: ſicut ſunt eccleſiaſtica beneficia, & alia quæcumque temporalia, quocumque modo ad eccleſiam immediatè pertinentia, cum ſolum in cauſis ſpiritualibus poteſtas temporalis ſit poteſtati ſpirituali ſubiecta, quod nituntur multipliciter probare. 2

Primo ſic nulla poteſtas extendit ſe ad ea, quæ non ſunt ſui ordinis; ſed temporalia ſunt extra ordinem ſpiritualis poteſtatis: ergo ſpiritualis poteſtas ad illa non ſe extendit. 3

Præterea iſtę duę poteſtates ſunt diſtinctæ, & vtraque ſic immediate eſt a Deo, quod 4

vna

vna in aliam non reducitur; quia imperium a ſolo Deo eſt, & a ſolo Deo habetur ſic innuitur quæſt. 4. cap. Quæſitum ergo poteſtas ſpiritualis ad temporalitatem illam, quæ imperium reſpicit, non ſe extendit.

5 Præterea de iure ab Imperatore non poteſt appellari ad Papam: ſicut habetur *extra de appellationibus*: hoc autem non eſſet ſi talis poteſtas temporalis eſſet ſub ſpirituali. Præterea eccleſia recognoſcit temporalia a principibus ſæcularibus vnde & tributum ſoluit eccleſia Imperatori vt habetur in 11. qu. 1. c. magnum.

6 Prætetea ſi Summus Pontifex habet poteſtatem in ſpiritualibus & temporalibus, videtur, quod poteſtas temporalis ſuperfluat, & fruſtra ſit. Deus autem & natura nihil facit fruſtra: ergo huiuſmodi temporalia ad poteſtatem ſpiritualem non pertinent.

7 Præterea cui non competit vti materiali gladio, non habet poteſtatem temporalem: ſed ſpirituali poteſtati non competit vti materiali gladio: ſed ſolum hoc competit temporali poteſtati ſecundum quod dicit Gloſſa ſuper illo verbo ad Rom. Non ſine cauſa gladium portat, quod intelligendum eſt de tempotali poteſtate, quæ habet gladium ad puniendum corporaliter malos.

8 Præterea ſecundum Hugonem in lib. de Sacramentis. *Spiritualis poteſtas non ideo præſidet, vt terrena in ſuo iure præiudicium faciat: ſicut ipſa terrena poteſtas, quod ſpirituali debetur nunquam ſine culpa vſurpat*, præiudicium autem faceret, ſi de temporalibus pertinentibus ad temporalem poteſtatem ſe intromitteret; ergo talia temporalia ad ſpititualem non pertinent.

9 Præterea B. Bernardus in lib. de conſolatione ad Eugenium Papam loquens de imperialibus inſignibus & ornatibus; ſeu apparatibus, dicit *quod Summus Pontifex in talibus non ſuccedit Petro, ſed Conſtantino*; ergo iure diuino non competit Petro vel eius ſucceſſoribus temporalis poteſtas.

10 Præterea Vicarius, vt iuriſta dicunt, non habet totam illam poteſtatem, quam habet ille cuius eſt Vicarius. Sed Papa eſt Vicarius Chriſti; non ergo habebit totam illam poteſtatem, quam habuit Chriſtus. Sed poteſtas illa, qua in Chriſto fuit vnita, & extendebat ſe ad ſpiritualia & temporalia diuiſim, & partialiter communicata eſt hominibus: ita quod Sum. Pontifici communicata eſt poteſtas in ſpiritualibus in quibus poſitus eſt Vicarius. Sed Principi ſæculari communicata eſt poteſtas in temporalibus, & ex hoc dicitur Chriſti Vicarius in temporalibus.

11 Præterea Gloſſa ſuper illud pſalmi. Tibi ſoli peccaui dicit rex omnibus eſt ſuperior & ideo a Deo tantum, qui eſt maior eo, eſt puniendus. Si quis enim de populo peccauit Deo peccauit, & Regi, & ideo a Rege puniendus eſt. Rex vero non *habet hominem qui ſua facta dijudicet*. Ex quo videtur ſequi, quod etiam ratione delicti non poſſit poteſtas ſpiritualis de Regibus, & Principibus temporalibus ſe intromittere, & ipſos iudicare.

CAP. VIII.

In quo ſoluuntur rationes & motiua nitentium probare, quod Sum. Pontifex in temporalibus non habet plenitudinem poteſtatis.

1 Rationibus & motiuis nitentium probare, quod Summus Pontifex in temporalibus plenam poteſtatem non habet, non obſtantibus, abſolutè dicendum eſt, ſicut ſępius dicebatur, quod loquendo de poteſtate ſpirituali plenaria, quæ ſolum eſt in Summo Pontifice, quod ipſe plenitudinem poteſtatis habet & in ſpiritualibus, & temporalibus. Secus eſt de poteſtate ſpirituali aliorum pontificum, qui præſunt determinatis eccleſijs; quia talibus poteſtatibus quantumcumque ſpirituales ſint, regulariter loquendo, ſæcularis poteſtas non videtur eſſe ſubiecta temporaliter, & in his quæ pertinent ad bonum ciuile, ſed ſolum ſpiritualiter, & in his, quę directè reſpiciunt ſalutem animæ. Vnde in ciuilibus & temporalibus magis obediendum eſt tali poteſtati temporali. Sed in ſpiritualibus, & in his, quæ directè reſpiciunt ſalutem animæ magis obediendum eſt Epiſcopo.

2 Secus autem eſt de poteſtate Summi Pontificis, qui ſuper ſpiritualibus & temporalibus vniuerſale regimen habet, non ſolum iure naturalis, & diuino, vt ſupra dictum eſt, ſed etiam iure humano ex conceſſione a Conſtantino Imperatore facta, qui monarchiam tenebat imperij. Quæ tamen Conſtantini conceſſio facta B. Syluestro eiuſque ſucceſſoribus, cum conceſſit eis regimen terrenum & temporalia inſignia, & officia, nihil aliud videtur fuiſſe, *quam iuris diuini declaratio, & quædam etiam cooperatio ordinata ex diuina prouidentia, in cuius manu eſt cor regum*; quia ſecundum ſententiam ſapientis *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud*: vt poteſtatem, quam habebat Chriſti Vicarius iure diuino, liberius ipſam exercere poſſet de facto, quam ante tempora Imperatoris prædicti propter tyrannorum perſecutionem exercere non poterat.

3 Vel etiam dici poſſet, quod ex huiuſmodi conceſſione Summus Pontifex magis immediatè ſe intromittere poteſt de temporalibus. Quod patet ex hoc quia cum vacat imperium, immediatam iuriſdictionem exercet, & exercere debet in rebus temporalibus ad imperium pertinentibus; licet etiam alias de talibus temporalibus ſe intromittere poſſit, & debeat, ſicut ex pluribus dictis ſuperius, ſatis manifeſtum eſt, & manifeſtius fiet ex ſolutione eorum, quæ dicta ſunt in contrarium.

4 Et primo ad illud, quod fundamenti loco quaſi adducebant de veteri teſtamento, dicendum eſt quod ſacerdotium veteris legis, licet eſſet figura ſacerdotij nouæ legis, ab eo tamen multipliciter deficiebat; quia ſacerdotium illud erat carnale, & per carnalem propagationem ſuccedebat, quantumcumque ad ſpiritualia obſequia ordinatum eſſet. In

ipſo

ipſo eriam promittebantur temporalia in ipſo etiam promittebantur temporalia in mercedem iuxta illud Iſaiæ. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*. Sed ſacerdotium noui teſtamenti non eſt per ſucceſſionem carnalem. Et in ipſo principaliter promittuntur æterna, temporalia autem ſolum adduntur in ſuſtentationem, iuxra illud Euangelij: *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis*.

5 Ipſi etiam poteſtatem non habebant abſolute iudicandi in ſpiritualibus, ſed in aliquibus, quæ erant ſpiritualium figura, ſicut iudicare inter lepram & lepram, mundum, & immundum & ſimilia. Et ideo mirandum non eſt, ſi in veteri teſtamento Sacerdotes in temporalibus ſubdebantur poteſtati terrenæ; quia tunc ſumma poteſtas, quantum ad temporalia erat poteſtas temporalis. Sed in nouo teſtamento, vbi principaliter promittuntur æterna & ſpiritualia, & temporalia ſolum adduntur in ſuſtenrationem, ſuprema poteſtas erit poteſtas ſpiritualis: cui neceſſario ſubiecta ponuntur ſpiritualia & temporalia.

6 Et propter hoc ſacerdotium veteris legis tanquam carnale & imperfectum, fuit temporale & finem habuit: ſacerdotium autem nouæ legis, quod eſt ſacerdotium Chriſti eſt æternum, vt quilibet Sacerdos in noua lege dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ordo perpetuus erit, & non ſecundum ordinem Aaron, qui erat auferendus. Non ergo ſequitur, ſi in veteri teſtamento Sacerdotes ſubiecti erant regibus in temporalibus, quod propter hoc ſic debeat diei in nouo, ſed potius contrarium.

7 Tunc conſequenter reſpondendum eſt ad illa, quæ adducebantur in contrarium. Nam cum primo arguebatur, quod nulla poteſtas extendit ſe &c. Dicendum eſt quod tales ordines non ſic ſunt diuerſi, quin vnus reducatur in alium, ſicut ordo corporalium alius eſt ab ordine ſpiritualium; & tamen ordo temporalium ſubeſt ordini ſpiritualium, & ordinatur ad ipſum. Sic ſuo modo eſt de poteſtate temporali & ſpirituali; quia vna ſubeſt alteri, & ſubſeruit ei; ita quod non ſolum dignitate, ſed etiam cauſalitate, vna eſt ſub alia: & quia quæ ſunt cauſatorum præinſunt cauſis, vt dicir Dyoniſius de diuinis nominibus poteſtas temporalis continebitur in poteſtate ſpirituali ſuprema. Sunt ergo diſtinctæ poteſtates ſecundum ſe non tamen ſunt diſtinctæ ſecundum ptimariam auctoritatem; quia vtraque vni conuenit.

8 Ad aliud cum dicebatur, quod iſtæ ſunt duæ poteſtates diſtinctæ, & vtraque immediatè eſt a Deo, dicendum, quod verum eſt, quod ſunt diſtinctæ: vna tamen reducitur ad aliam, ſicut ad cauſam, vtraque ramen immediatè eſt a Deo, quod vt clarius hic videatur conſiderandum, quod ſicut humana natura naturaliter propendet ad ſocialem vitã; quia homo naturaliter eſt animal ſociabile, & politicum: ita naturaliter inclinatur ad regimen, & ad hoc vt ab alio regatur præſertim poſt commune peccatum; quia propter ignorantiam hominum, & malitiam voluntatis, expedit in hominibus eſſe aliquos, qui ſunt aliorum rectores, per quos ignorantes dirigantur, & peccantes cohibeantur.

9 Et quia hic inchoatiuè habet eſſe a naturali hominum inclinatione; & opus naturæ dicitur eſſe opus Dei, ideo talis poteſtas dicitur ex diuina inſtitutione, & imperium dicitur a ſolo Deo; quia eo ipſo quod opus naturæ eſt opus Dei, iuxta illud, quod dictum eſt ipſis regibus Sap. 6. Data eſt a Domino poteſtas vobis & virtus ab altiſſimo perficitur tamen & formaliter habet eſſe talis poteſtas a poteſtate ſpirituali, quæ eſt per gratiam, & a Deo quodam ſpeciali modo deriuatur; vnde & vnctio adhibetur regibus chriſtianis in ſignum ratificationis & approbationis; quia ſic per miniſterium ſpiritualis poteſtatis fit aliquis chriſtianus: ita eius miniſterio debet fieri aliquis completiuè princeps chriſtianorum.

Hanc propoſitionem deſũpſit author ex extr voam ſanctã de maiori: & obed. quę ſumenda eſt ſecundum conſtitutionem illam, & expoſitionem Gloſſæ

10 Vel etiam poſſet dici, quod dato, quod imperium ſit a Deo, ita quod non babeat humana auctorirate: non tamen ſequitur, quod non ſit a Papa, qui vices Dei tenet in terris; non ramen ita eſt de auctoritate ſpirituali ſuprema, quæ ſic eſt a Deo immediatè & ex diuina inſtitutione ſic integra, vt a nulla alia auctoritate ſuperiori vel æquali perfici, vel formari habeat. A ſolo ergo Deo eſt imperium ſecundum eſſe informe & imperfectum, & ſecundum eſſe formatam & perfectam eſt a Deo mediantibus illis, qui habent ſpiritualem poteſtatem in eccleſia, vnde & poteſtas humana apud infideles de qua minus ſpiritualis poteſtas videtur habere, licet ſit ex inclinatione naturæ, & poſſit dici legitima, ſi compleatur, & in effectum ponatur ex communi conſenſu illorum ad quos pertinet ordinare, ſemper tamen informis dicetur & imperfecta; quia per ſpiritualem poteſtatem non eſt approbata & ratificata: gratia enim habet perficere, & formare naturam.

11 Conſiderandum tamen eſt, quod cum dicimus imperium ſiue regimen a ſolo Deo haberi: hoc intelligendum eſt altero duorum modorum. Quia vel a Deo prouidente, & ordinante, ſicut ſunt regimina bona quantum ad modum acquirendi, & quantum ad vſum ipſorum, quando legitimè acquiſita ſunt: vt in lege naturæ, ſed per Deum regulatæ ex communi conſenſu multitudinis: & in lege moſayca ex ſpeciali Dei ordinatione, & in lege chriſtiana ex inſtitutione illorum, qui vicem Dei gerunt in terris, quemadmodum etiam ad vſum, quoniam tali adepto regimine contingit aliquis rectè & debite vti.

12 Vel ſecundo dicuntur talia regimina eſſe a Deo non prouidente & ordinante, ſed magis permittente, ſic mala regimina quantum ad vtrumque modum, acquirendi ſcilicet & vtendi; quoniam in talibus vtrumque eorum, vel alterum deficit. quæ regimina aliquando Deus permittit propter peccata populorum vel ad probationem bonorum, vel etiam ad punitionem malorum. Quę permiſſio pro loco & tempore iuſta dici debet ſecundum quod pulchre ponit Gloſſa ſuper illo verbo Apoſtoli: *Non eſt poteſtas* niſi a Deo: iniuſtum inquit, non eſt, vt improbis accipientibus nocendi poteſtatem bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Nam per poteſtatem diabolo traditam, & Iob probatus eſt, vt iuſtus appare-

ret:

ret: & Petrus tentatus ne de ſe præſumeret: & Paulus colaphizatus, ne ſe extolleret: *& Iudas damnatus, vt ſe ſuſpenderet*. Et ſic Dominus iniuſtam poteſtatem ſæpe regnare permittit: vt ex ipſa aliquod bonum eliciatur. Et ſecundum hoc regimina omnia & poteſtates omnes a Deo eſſe dicunt, licet diuerſimode: *Non haberes in me poteſtatem niſi primum datum eſſet deſuper*. Et ſi tales aliquando dicantur regnare: non ex Deo exponendum eſt; quia non Deo operante, ſed ſolum permittente.

13 Ad aliud cum dicebatur de appellatione, dicendum quod verum eſt indifferenter, in aliquibus tamen caſibus, & quæſtionibus arduis bene poteſt appellari. Etſi dicatur in iure quod temporalia non ſubſunt iuriſdictioni Papæ, hic intelligendum eſt quantum ad immediatam, & regularem executionem. Quam tamen executionem immediatam aliquando exercet, & exercere poteſt, vt ratione delicti, & quando aliquid fuerit ambiguũ, & difficile & quando imperium vacat, & in pluribus alijs caſibus, qui in iure notantur, & adhuc notari poſſent.

14 Ad aliud cum dicebatur, quod eccleſia recognoſcit temporalia, & tunc dicendum, quod verum eſt quantum ad immediatam executionem, non tamen quantum ad principalem poteſtatem; quia talem poteſtatem ſæcularis Princeps debet recognoſcere a Papa & iſta duo ſtant ſimul, quod ſæcularis Princeps poteſtatem ſuper temporalibus a Papa recipiat, & tamen immediatam executionem, quæ ad talem poteſtatem ſequitur, aliquando recognoſcat Papa a Principe ſæculari. Nam ſicut videmus, quod Rex poſſet a ſuo milite aliqua temporalia recognoſcere, ſi ius, quod haberet miles in temporalibus Regi donaret. Sic etiam ſuo modo poteſt eccleſia ab Imperatore, & Regibus & principibus temporalia recognoſcere, ſi ius, quod in eis habent; eccleſiæ donent.

15 Et ad illud, quod dicitur de tributo. Dicendum quod eccleſia non ſoluit tributum Imperatori in recognitionem dominij; ſed pro pace, & quiete, qua debet eccleſiam tueri & defenſare. Vnde magis ſoluit tributum, ſicut quoddam ſtipendium: vt talia bona temporalia tueatur, quam in recognitionem dominij.

16 Ad aliud cum dicebatur, quod poteſtas temporalis ſuperflueret: dicendum quod non propter hoc ſuperfluit, imo neceſſario requiritur ad hoc vt poteſtas ſpiritualis non intendat operibus vilioribus, ſed ſit liberior ad vacandum ſpiritualibus, & propter adminiſtrationem temporalium, & inferiorum non impediatur a gubernatione ſpirituali, & ſuperiori.

17 Ad aliud cum dicebatur, quod ſibi non competit vti gladio materiali, ita non videtur habere poteſtatem temporalem: dicendum ſicut dicit Bernardus ad Eugenium Papam, quod ſi nullo modo gladius materialis ad eccleſiam pertineret dicentibus Apoſtolis: *Ecce gladij duo, hoc non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt: nimis eſt*. Vtrumque ergo gladium habet eccleſia ſicut vtramque habet poteſtatem: aliter tamen & aliter: quia gladium ſpiritualem habet ad vſum, ſed materialem ad nutum, ſicut ſuperius declaratum fuit. In cuius ſignum in benedictione, & enratione Imperatoris Summus Pontifex ſumit gladium vaginatum de altari, & tradit imperium Imperatori dicens: *Accipite gladium deſuper B. Petri corpore ſumptum per manus noſtras, licet indignas, vice tamen, & auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratas, imperialiter tibi conceſſum ad vindictam malorum laudem bonorum*. Et ſimiliter accingit illi enſem dicens: *Accingere gladium tuum ſuper femur tuũ potiſſimè, & attende quod Sancti non in gladio, ſed per fidem vicerunt regna*. In quibus verbis ſatis innuitur, quod Summus Pontifex vtrumque gladium habet, aliter tamen & aliter.

Ad aliud cum dicebatur, quod tunc poteſtas ſpiritualis terrenæ poteſtati præiudicium faceret. Dicendum quod poteſtas ſpiritualis nullum præiudicium facit poteſtati temporali, ſed ipſam dirigit, & corrigit in agendis, cum ſua poteſtate abutitur. Imo magis tunc exercet, quod ſibi deberet, quia ſicut ſpiritus ordinatus eſt ad dirigenda corpora; ita poteſtas ſpiritualis ad dirigendam temporalem. Et ſicut ſcientia Sacræ Scripturæ iudicat quamlibet temporalem ſcientiam philoſophicam, ſic ſpiritualis poteſtas iudicat quamlibet temporalem. 18

Sed temporalis poteſtas nullo modo directè de ſpiritualibus ſe intromittere debet, nec poteſt, quia nullum agens agit nec agere poteſt vltra ſuam ſpeciem, propter quod punitus eſt Rex Ozias lepra in fronte, vt diuinum officium celare non poſſet, vt ſcribitur 2. Paralip. 22. cap. *quod dignitatem ſacrificandi, & officium ſacerdotij ſibi vſurpare volebat*, minando Azariæ, & alijs Sacerdotibus reſiſtentibus ſibi, & inſtruentibus ipſum, quod hoc ad officium ſuum non pertinebat. Sed ad filios Aaron Sacerdotes, qui ad huiuſmodi miniſterium conſecrari erant; immo nec etiam de ipſis temporalibus, quæ ſpiritualibus annexa ſunt perſona laica ſe intromittere debet, ſicut ſunt eccleſiaſtica beneficia: quia ſi perſona laica recipere non poteſt eccleſiaſticum beneficium, multominus poteſt illud diſpenſare, & alteri conferre. Poteſt tamen ad hoc ex conceſſione poteſtatis ſpiritualis aliquid inſtrumentaliter operari, ſicut præſentando, vel nominando, vel aliquid ſimile faciendo. Non ergo ſimile eſt de poteſtate ſpirituali reſpectu temporalium, & de poteſtate temporali reſpectu ſpiritualium ſicut in arguendo dicebatur. 19

Ad aliud cum arguebatur de ſucceſſione per B. Bernardum dictum eſt quod Summus Pontifex ſuccedit Petro in poteſtate ſpiritualium, & talem poteſtatem habet iure diuino: ſed Conſtantino ſuccedit, prout habet eam iure humano, quod eſt aliquo modo declaratiuum & manifeſtatiuum diuini iuris, vt ſuperius dictum eſt. 20

Aliud quod arguebatur de Vicario, dicendum eſt, quod ſuppoſito dicto iuriſtarum de nomine Vicarij, quod importet poteſtatem non plenam, & Papa non habeat totam illam plenitudinem poteſtatis, quam habuit Chriſtus, ſicut etiam ſuperius viſum eſt; quia aliquam poteſtatem Chriſtus, quam nulli hominum communicauit, vt poteſtatem excellentiæ in ſacramentis, & etiam conferre effectum Sacramenti, ſine ritu Sacramenti, & 21

plura ſimilia: non tamen ex hoc ſequitur, quod poteſtatem in temporalibus ſibi non communicauerit; quia hoc rationi repugnat, ſi debitè conſideretur ordo temporalium ad ſpiritualia. Nam temporalia rectè adminiſtrari non poſſunt, niſi per ſpiritualia ordinentur. Et ideo ille qui præeſt in ſpiritualibus habet etiam, vt in temporalibus præſit ordinando per quos & qualiter ipſa temporalia congruo modo diſpenſanda, & ordinanda ſint.

22 Et pro tanto ſine hæſitatione aſſerendum eſſe videtur, quod omnis poteſtas, & iuriſdictio tam temporalis, quam ſpiritualis, quæ a Chriſto eſt communicata, & tradita hominibus, reſidet apud Summum Pontificem, a cuius poteſtate & obedientia ſi quis ſe ſubtrahit, deſinit eſſe membrum eccleſiaſtici corporis, nec verus chriſtianus dici poteſt: quia dum ſpernit Chriſti Vicarium, Chriſtum ſpernit, qui ſuis Diſcipulis dixit: *Qui ſpernit vos & me ſpernit*. Qui ſpernit me, ſpernit & patrem meum, & procul dubio membrum diabolicum & Antichriſti cenſeri debet.

23 Ad aliud, cum dicitur, quod Rex non haber hominem, qui ſua facta diiudicet, dicendum quod poteſtas temporalis cum iudicatur a ſpirituali non iudicatur ab homine, ſed magis iudicatur a Deo cuius vices ſpiritualis poteſtas gerit in terris. Vel dicendum quod illa auctoritas intelligenda eſt de ſummo Rege ſpirituali ſcilicet de Summo Pontifice, qui a ſolo Deo iudicari poteſt, qui vere & proprie poteſt dici Rex regum, & Dominus dominantium; quia ad ipſum ſpecialiſſimè pertinet totam eccleſiam regere, & iudicare, tam in ſpiritualibus, quam etiam in temporalibus, vt ſuperius viſum eſt. Vnde cum eccleſia propriè poſſit dici regnum ipſe dicitur Rex eccleſiæ, ac totius regni Chriſti Vicarius in terris.

CAP. IX.

In quo ſpecialiter oſtenditur, quod quilibet Rex, ſeu Princeps temporalis cuiuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus ſubditus eſt, & eſſe debet Sum. Pontifici.

1 LIcet ex his, quæ ſuperius dicta ſunt de poteſtate Summi Pontificis ſuper ſpiritualibus, & temporalibus, ſatis manifeſtum eſſe poſſit diligenter conſideranti, quod Reges & Principes cuiuſcumque præeminentia, & conditionis exiſtunt non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus ſint poteſtati ſpirituali ſupremæ ſubiecti; poteſt tamen hoc nihilominus ſpecialiter in præſenti capite tribus vijs oſtendi. Quarum prima ſumitur ex rerum temporalium dominio. Secunda ex ipſarum rerum onere. Et tertia ex conditione principum, qui huiuſmodi temporalibus præſunt.

2 Propterea primum conſiderandum eſt, quod homo non dicitur Dominus rerum quantum ad ipſam naturam. Hoc enim modo ſolus Deus eſt Dominus rerum, qui eas creauit, & inſtituit. Sed pro tanto homo dicitur Dominus rerum; quia ipſis vtitur, & quia haber poteſtatem vtendi eis. Nullus ergo iuſtè poſſidet aliquod temporale ſecundum ius diuinum, niſi ab eo, qui eſt Dominus rerum ſecundum ſubſtantiam recognoſcat, & eius dominio voluntariè ſe ſubdat, a quo illud tenet & poſſidet, & cum hoc huiuſmodi rebus ad illum finem vtatur, ad quem ſibi collatæ ſunt.

Et pro tanto infideles, qui debitum modum non ſeruant, iniuſtè temporalia poſſidere dicuntur de iure diuino, quidquid ſit 3
de iure humano, ſecundum quem modum poteſt intelligi verbum Auguſt. dicentis, *quod iure diuino omnia ſunt iuſtorum*. Deo autem non ſubditur, qui ſubiectus non eſt Dei Vicario, & eccleſiaſticæ poteſtati. Nullus ergo Rex vel temporalis Princeps cuiuſcumque conditionis exiſtat excipi poteſt, ſi chriſtianum ſe fateri vult nomine, & re, quin etiam in temporalibus poteſtati ſupremæ ſpirituali ſubiici debeat. Cum generaliter poteſtas temporalis in quocumque inueniatur, ſubdita debeat eſſe iudicio ſpiritualis poteſtatis; quia tali poteſtati ſubeſſe ſpiritualiter & temporaliter de neceſſitate ſalutis eſt.

In cuius ſignum temporalis poteſtas etiam legibus vti non debet, niſi fuerint per 4
ſpiritualem poteſtatem approbata; quia leges, quas ſtatuit, a diuinis legibus diſcordare non debent: ſed eis a Sacris Canonibus ſubiici. Nam ſicut poteſtas ſubijcitur poteſtati; ita & leges legibus debent eſſe ſubiectæ, propter quod conuenienter ſuperius dicebatur, quod poteſtas ſpiritualis erat forma poteſtatis temporalis, eo modo quo lux dicitur forma coloris; quia ſicut color licet habeat aliquid de natura lucis: habet tamen ita lncem debilem, quod niſi ſuperueniat lux exterior per quam formetur, non inhæretet. Sed virtualiter non poteſt mouere viſum. Sic etiam ex ſimili dici poteſt, quod temporalis poteſtas habet aliquid de veritate potentiæ, cum ſit ex iure humano, quod a natura oritur: tamen imperfecta eſt & informis, niſi formetur per ſpiritualem. Iuxta dictum Hugonis de Sancto Victore dicentis: quod ſacerdotalis dignitas regalem poteſtatem non ſolum ſacrat per benedictionem: ſed etiam informat per inſtitutionem. Per iſtam autem formationem nihil aliud conuenientius intelligi poteſt, quam ratificatio & approbatio.

Qua ſenſu loquatur author appareт ex eiuſdem ſequenti explicatione qua dicit, leges temporales diſcordare non debere a diuinis quas vtique exponere, & inſpicere eſt Chriſti Vicarij.

Secunda via ad oſtendendum hoc idem ſumitur ex ipſarum rerum temporalium onere, quod Domini temporales debent dare decimas prælatis eccleſiæ in recognitionem ſeruitutis Dei a quo talia temporalia poſſident, 5
eo modo, quo aliqui tributarij alicui Domino, ratione eius, quod tenent ab eo, & non ſolum ipſi Principes, ſed etiam ſubiecti principibus talem cenſum ſoluere tenentur. Nam poteſtas ſpiritualis non ſolum principibus, ſed etiam principum ſubditis in ſpiritualibus & temporalibus præeſt.

Quia ergo omnia temporalia ſubdita ſunt eccleſiæ, ſuper quibus habet cenſum annuum iure & mandato diuino, ſequitur, quod 6
omnes

omnes cuiuſcumque præeminentia exiſtant, qui talia temporalia poſſideut eriam temporaliter ei ſubijciantur. Vnde dicta ſpiritualis poteſtas *regale Sacerdotium*: quia Sum. Pontifex ſummus Rex cſt, & Sacerdos; quia habet poteſtarem regalem & ſacerdotalem, per conſequens poteſtatem dirigendi, & ordinaudi Sacerdotes & reges ſpiritualiter, & temporalirer. Immo maior eſt dignitas Snmmi Pontificis in quantum rex eſt, quam in quantum Sacerdotis; quia in quantum Sacerdos eſt, habet offerre hoſtias, & vota populi & habet ratiouem mediatoris inter Deum, & homines. Sed in quantum rex eſt, habet iudicare in ſpiritualibus, & ad regnum introducere, rex conſequenti in remporalibus habet rationem principij mouentis, & dirigentis. In nomine etiam ſacerdotij in quantum huiuſmodi nomen importat præſidentiam & prælationem, ſicut in nomine regis, ſed magis quadam mediario, & quoddam miniſterium; Sacerdos dicitur medius inter Deum, & populum, & illa omnia ſecundum quæ attenditur mediatio & coniunctio hominis ad Deum ſunr Sacerdotis proprij, ſicur offerre ſacrificium pro peccatis; orare pro populo, vota populi offerre: & hoc modo.

7 Illa autem quæ important regimen, & directionem attribuunt regi, ſicut iudicare, corrigere, punire, præmiare, & huiuſmodi: quare poteſtatem regalem in temporalibus habet Summus Pontifex non a Couſtantino abſolutè loquendo, vt quidam dicunt: ſed magis ab ipſo Chriſto cuius eſt Vicarius, qui ctiam maioris dignitatis cenſeri debet in quantum fuit rex, quam quantum Sacerdos; quia Sacerdos fuit in quantum homo, offerendo ſe ipſum pro noſtra reconciliarione, vt idem eſſet Sacerdns, & ſacrificium. Sed rex fuit in quantum homo, & in quantum Dominus.

8 Rex ergo regum Summus Poutifex & in ſpiritualibus regere & iudicare habet licet diuerſimodè, vt ſuperius dicebatur, proptet quod benè communiter dictum eſt, quod ſpiritualis poteſtas ad temporalia dnpliciter ſe extendit. Vno modo quantum ad vſum propriæ neceſſiraris; quia dignum eſt, vt qui ſpiritualia ſeminat, de temporalibus metere poſſit. Et alio modo quantum ad iudicium, quia cum de ſpiritualibus iudicer; quæ potiora & ſuperiora ſunt, poteſt etiam de quibuſcumquc temporalibus & quotumcumqne iudicare.

9 Tertia autem ratio ad oſtendendum hoc idem ſumitur ex communi quaſi conditione principum, qui huiuſmodi temporalibus præſunt. Quia communiter loquendo Rcges & Principes faciliter degenerant a bono regimine, & efficiuntur tyranni, ſicut ex multis exemplis apparere poſſet: & in lege naturæ & in legc moſayca, & etiam in populo chriſtiano, vbi ex multis principibns pauci veri reges inuenti ſunt, & multi tyranni, quod ex hoc videtur contingere; quia cum regibus magna poteſtas concedatur, oportet quod in eis ſit magna virtus, quæ in paucis innenitur. Et ideo pauci regulariter, & debite principantur, ſed multo plures indebitè & tyrannicè.

10 Propter quod Dominns in populo Iſraelitico a principio non inſtituit regem cum plena poteſtate, ſed magis iudicem, & gubernatorem ad eorum cuſtodiam. Sed regem videtur dediſſe ad petitionem populi quaſi indignatus. Vnde ait ad Samuelem: *Non abiecerunt te: ſed me ne regnem ſuper eos*. Et quia ralis facilis inclinatio ad tyrannidem vergit in diſpendium ſalutis, non ſolum principantium, ſed etiam ſubditorum; quia ex hoc tam principantes, quam ſubditi ſæpè per machinationes coguntur ad ea, quæ ſunt ſaluti animarum & corporum contraria. De quibus malis regibus, qui propriè loquendo reges dici non debent; quia male regendo, nomen regis amittunt: iuxta prouerbium veterum: *Rex eris, ſi rectè facias*, ſi non facias rectè rex non eris. Sic falſus denarius non debet dici denarius.

Vbi elephiſtæ cum ſuo anteſignano aſſerunt Principes per peccatū mortale a principatu decidere Author vero dicit Reges male regendo nomen Regis ammittere quod nomē a bene regēdo deſumitur, iuxta quod D. Th. lib. 2. Pol. lect. 7. ait Rex erit ſi ſit virtuoſus tenens communem vtilitatem ſubditorum. Tyrannus autē ſit malus, omnia retorquens ad ſuū commodū.

Pulchrè de hoc loquitur Ricardus de S. Victore exponens illud Apoc. 1. *Princeps regnum terræ*. Sunt, inquit, quidam regum, qui Summo Principi adhærere coutemnunt, qui acceptam ab illo poteſtatem ſecundum ipſum exercere nolunt, qui in ſubditos ſæuiunt & eos deuorant, & quia ſupra ſe principem habent, qui rapiar inopem de manu fortiorum eius egenum, & pauperem a *diri-*
pientibus eum, minimè penſant, quod princi- 11
pes regnm ad exercitationem, & purgationem electorum ad tempus eos ſeuire permittit. Sed in tempore retributionis omnes de hac ſæuitia grauiter iudicabit. *Nam potentes potenter tormenta patiuntur, & fortioribus fortior inſtat cruciatus*.

Redeant ergo tales reges ſi tamen vere 12
reges ſunt & seriò pendant ad conſcientiam, & quod ſuper ſe principem habeant cui de actibus ſuis ſint reddituri rationem; recognoſcant, quod ſicut poteſtatem poruit conferre, ſic poteſt & auferre. *Baltheum enim regum diſſoluit Dominus, & præcingit fune renes eorum*. Et quia Chriſtus ſuam eccleſiam, quam vſque ad mortem dilexit, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, ordinauit, ſicut magis *ſaluti fidelium expedire videbat: voluit in Eccleſia aliquam poteſtatem eſſe, cuius timore ab exercenda tali tyrannide reges & principes coerceri poſſent*. Hæc autem eſt poteſtas ſpiritualis ſuprema, quæ dirigit & corrigit, & aliquando deſtituit talem poteſtarem temporalem: poreſtatem ſecundum ſe non damnat, quia bona & neceſſaria eſt in ordine vniuerſi, & a Deo ordinata; ſed corrigit & damnar vtentem tali poteſtate indebitè.

Et hoc licitè & congruè fieri poreſt iux- 13
ta ſententiam Gloſſæ ſuper illud ad Rom. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Dicentis, quod nomine poteſtaris interdum accipitur poteſtas ipſa, qua datur alicui a Deo. Aliquando ipſe homo habens poteſtarem: non ergo deſtruitur aur damnatur poteſtas ipſa, qua bona eſt, & ad bonum ordinata. Sed deſtituitur habens poteſtatem cum vtitur ea indebitè. Et ſi ſuper iſta materia quantum ad principalem concluſionem de ordine temporalium ad ſpiritualia, aliter a quibuſcumque inueniatur notatum in fauorem regum & principum ſæcularium, veritas tamen ſecundum ſe immutabilis eſt, & ordo ſuper hoc inſtitutus eſt & expreſſus a Domino N. Ieſu Chriſto.

CAP. X.

In quo ponitur epiſtola Conſtantini directa vniuerſali Eccleſiæ ex qua plura euidentiora fient quæ in alijs capitulis dicta ſunt.

1 Sicut ſuperius dicebatur regimen & imperium temporale naturale eſt de iure humano; quia ad hoc natura inclinat, & mediante inſtitutione humanæ perficitur, & ideo apud omnes & in omni tempore fuit; quia illud, quod naturæ eſt, commune eſt omnibus participantibus illam naturam. Itaque quod ſic homo naturaliter inclinatur ad ſocialem vitam, ita naturaliter inclinatur ad politicam, & ad hoc vt in multitudine, & ſub debito regimine viuat. Immo tanto magis hoc inclinatur ad regnum, quam ad ciuitatem, quanto bonum regni perfectius eſt, quam ſit bonum Ciuitatis. Ciuitas enim non eſt aliud, ſecundum quod Philoſophi ponunt, niſi quoddam paruum regimen & regnum non eſt aliud, quam quædam magna ciuitas. Vnde & antiquitus ſingulæ ciuitates regem habebant, & per conſequens regna dicebantur.

Quam inclinationem aſpicimus, & in
2 brutis animalibus, quæ ſunt gregalia, & ſocialia, in quibus ex ipſo inſtinctu naturæ quoddam regimen inuenitur. Vnde & in apibus vnus eſt rex, qui huiuſmodi agmina apum regit & dirigit: & grues vnam ſequuntur, ſecundum quod ponit Philoſophus in lib. de animalibus. Multo ergo magis in hominibus hoc inuenietur, quibus magis proprium eſt in ſocietate viuere, quam cuilibet animali. Et quia opus naturæ opus eſt Dei; ideo tale imperium temporale a Deo dicitur eſſe.

Atque huius temporalis imperij monar-
3 chiam tempore B. Silueſtri Summi Pontificis tenebat Sereniſſimus Princeps Flauius Conſtantinus, & poteſt rationabiliter dici, quod iuſtè eo modo, quo iuſtum diuinum apud infideles inueniri poteſt. Quia licet regnum Romanorum a principio per violentias & latrocinia incepit, conſequenter tamen propter bonum regimen ipſius imperij, communiter omnibus gentibus factum eſt gratum: vt voluntariè Romano imperio ſe ſubycerent: & per conſequens factum eſt iuſtum, & legitimum, licet non per omnem modum, propter defectum fidei chriſtianæ, & falſorum deorum cultum.

Iuſtè ergo dici poteſt, quod tenebat im-
4 perium; tum quia illud tenebat ex condicto, & conſenſu gentium, tum etiam, quia tali adepto imperio legitimè vtebatur, ſicut apparet in cronicis, in quibus referuntur geſta Principum Romanorum. Ille ergo iure humano, quo dictus Imperator claræ memoriæ tenebat imperium, & præſertim iam factus fidelis & chriſtianus Deo ſubditus poterat B. Sylueſtro, & ſuis ſucceſſoribus imperij concedere dignitatem ſicut & conceſſit, vt apparet ex ipſius imperiali conſtitutione directa vniuerſali Eccleſiæ, cuius tenor talis eſt.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trini- 5
tatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Imperator Cæſar Flauius Conſtantinus in Chriſto Ieſu imo ex eodem Sanctæ Trinitatis Saluatore Domino Deo noſtro fidelis, manſuetus maximus, beneficus, goticus, firmaticus, germanicus, britannicus, vnicus, pius, felix, victor ac triumphator, ſemper auguſtus ſanctiſſimo ac beatiſſimo patri patrum Sylueſtro Vrbis Romæ Epiſcopo & Papæ, atque omnibus eius ſucceſſoribus in Sede B. Petri vſque in finem ſæculi ſeſſuris Pontificibus, nec non & omnibus reuerentiſſimis & Domino amabilibus catholicis Epiſcopis eidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ per hanc noſtram imperialem Conſtitutionem ſubiectis in vniuerſo orbe terrarum nunc & in poſteris cunctis, & retto temporibus conſtitutis gratia, pax, charitas, gaudium longaminitas, miſericordia a Deo Patre omnipotente, & Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritu Sancto cum omnibus vobis.

Poſtquam docente B. Sylueſtro trina 6
immerſione vnda ſalutis purificatum, & ab omni lepræ ſqualore mundatum, beneficijs Beatiſſimorum Petri & Pauli Apoſtolorum me agnoui; vtile iudicaui *vna cum omnibus ſatrapis & vniuerſo ſenatu, optimatibus etiam, & cuncto populo Romano* gloriæ imperij ſubiacentibus, vt ſicut in terris Vicarius Filij Dei eſt conſtitutus, etiam & Pontifices, qui ipſius Principis Apoſtolorum gerunt vices principatus: poteſtatem amplius, quam terrena imperialis noſtra ſerenitas manſuetudo habere videtur conceſſam a nobis noſtroq; imperio obtineant. Eligentes nobis ipſum Principem Apoſtolorum, vel eius Vicarios firmatos apud Deum eſſe patronos.

Et ſicut noſtra eſt imperialis terrena po- 7
tentia, eius ſanctam Romanam Eccleſiam decreuimus veneranter honorare, & amplius quam noſtrum imperium, & terrenum thronum Sedem Sacratiſſimam B. Petri glorificare & exaltare, tribuentes ei poteſtatem & gloriæ dignitatem atque rigorem honorificentię imperialem. Atque diſcernentes ſancimus, vbique teneat principatum, tum ſuper quatuor præcipuas Sedes ſcilicet Antiochenam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam & Conſtantinopolitanam: quam etiam ſuper omnes in vniuerſo terrarum orbe Dei Eccleſias.

Et Pontifex, qui pro tempore ipſius Sa- 8
croſanctæ Romanæ Eccleſiæ extiterit, celſior omnibus, & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi exiſtat: & eius iudicio, quæcumque ad cultum Dei, vel fidei Chriſtianorum ſtabilitatem procurandam fuerint, diſponantur. Iuſtum quippe eſt, vt ibi lex ſancta caput teneat principatus, vbi ſanctarum legum inſtitutor Saluator noſter B. Petrum apoſtolatus obtinere præcepit cathedram; vbi & crucis patibulum ſuſtinens, beatę mortis ſumpſit poculum, ſuique magiſtri & Domini imitator apparuit: & ibi gentes pro Chriſti nominis confeſſione colla flectant, vbi earum B. Paulus Apoſtolus pro Chriſto, extenſo martyrio coronatus eſt. Illic vſque in finem quærant Doctorem, vbi ſanctum Doctoris corpus quieſcit, & ibi proni ac humiliati cœleſtis regis Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chri-

Digitized by Google

Chriſti famulentur officio; vbi ſuperbi ſeruiebant terreni regis imperio.

9 Interea noſcerę volumus omnem populum vniuerſarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum nos conſtruxiſſe intra palatium noſtrum Lateranenſe, eidem Saluatori noſtro Domino Deo Ieſu Chriſto Eccleſiam a fundamentis cum bapriſterio. Et duodecim nos ſciatis de eius ſundamentis ſecundum numerum duodecim Apoſtolorum cophinos terræ honeſtatos proprijs aſportaſſe humeris. Quam Sacroſanctam Romanam Eccleſiam caput, & verticem omnium Eccleſiarum in vniuerſo orbe terrarum coli, dici, venerari, & prædicari ſentinius: ſicut per noſtra imperialia decreta ſtatuimus.

10 Conſtruximus etiam Eccleſias Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum quas argento & auro locupletauimus, vbi & ſacrariſſima eorum corpora cum magno honore recondentes formauimus techas ipſorum ex electro, cui nulla præualent elementorum. Conſtruximus, & crucem ex auro puriſſimo, & gemmis prætioſis per ſingulas eorum thecas poſuimus, & clauis aureis renuimus. Quibus pro concinatione luminariorum poſſeſſiones, & prædia contulimus, & rebus diuerſis eas ditauimus.

11 Et per noſtras imperialium iuſſionum ſacras litteras tam in Oriente quam in Occidente, vel etiam Septentrionali plaga & meridiana: videlicet in India, Græcia, Aſia, Tracia, Africa, Italia diuerſis inſulis noſtram largitatem conceſſimus. Ea prorſus ratione, vt per manus beatiſſimi patris noſtri Syluestri Pontificis ſucceſſorumque eius omnia diſponantur.

12 Gaudeat enim vna nobiſcum omnis populus, & gentium nationes in vniuerſo orbe terrarum, exhortantes omnes, vt Deo noſtro & Saluatori Chriſto immenſas vna nobiſcum referant gratias. Quoniam ipſe Dominus in cœlis deſuper, & in terra deorſum, qui nos per ſuos Apoſtolos viſitans ſanctum bapriſmatis Sacramentum percipere, & corporis ſanitate dignos effecit.

13 Pro quo concedimus ipſis Sanctis Apoſtolis Dominis meis Beatiſſimis Petro, & Paulo, & per eos etiam B. Syluestro patri noſtro Summo Pontifici, & vniuerſali Vrbis Romæ Papæ, & omnibus eius ſucceſſoribus Pontificibus, qui vſque in finem mundi in Sede B. Petri erunt ſeſſuri: atque de præſenti concedimus, palatium imperij noſtri Lateranenſe, quod omnibus in toro orbe terrarum præfertur atque præcellit palatijs. Deinde diadema videlicet coronam capitis noſtri ſimulque frigium, necnon & ſuper humerale, quod imperiale circumdare aſſolet collum: verum etiam & clamydem purpuream atq; tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, ſicut etiam dignitatem imperialium præſidentium equitum conferentes etiam, & imperialia ſceptra ſimiliter & cuncta alia ſigna, baltheum, & diuerſa ornamenta imperialia, & omnem poſſeſſionem imperialis culminis, & gloriæ poteſtatis noſtræ.

14 Viris etiam reuerentiſſimis clericis in diuerſis ordinibus eidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus, illud culmen ſingulari potentia, & præcellentiam habere. Sancimus, cuius ampliſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari in patricios atq; conſules effici, nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari: & ſicut imperialem militiam ita & clericis Sanctæ Romanæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diuerſis cubiculariorum, & hoſtiariorum, atque omnium excubiorum ornatur pulchritudinibus; ita & Sanctam Romanam Eccleſiam decorari volumus, & vt ampliſſimum decus pontificale præfulgeat decernimus: Et hoc, vt clerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ manipulis, & linteaminibus in candidiſſimo colore eorum equos decorari: & ita equitare poſſint. Et ſic noſter Senatus calceamentis vtitur cum vdonibus in candido linteamine illuſtratis, vt ſicut cæleſtia ad laudem Dei decorentur.

Præ omnibus autem licentiam tribuentes ipſi ſanctiſſimo præſuli Patri Syluestro Vrbis Romanæ Epiſcopo & Papæ, & omnibus qui poſt eum in ſucceſſum perpetuis temporibus aduenerit beatiſſimis Pontificibus, quod honore, & gloria Dei noſtri, & in eadem magnam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam ex noſtro indicto quemadmodum placatus clero clericare voluerit & in numero religioſorum & clericorum connumerare nullum ex omnibus præſumentes ſuperbe agere. 15

Decreuimus itaque & hoc vt idem venerabilis pater noſter Syluester Summus Pontifex vel omnes eius Succeſſores Pontifices diadema coronam quam ex capite noſtro illi conceſſimus ex auro puriſſimo & gemmis pretioſis vti debeant, & eorum capiti ad laudem Dei pro honore B. Petri geſtare. Ipſe vero beatiſſimus Papa ſuper coronam clericatus, quam gerit ad gloriam Beati Petri omnino ex auro non eſt paſſus vti corona, Frigium vero candido nitore ſplendidum reſurrectionem Domini eam deſignans, cui ſacrariſſimo vertici manibus noſtris impoſuimus. Et tenentes frænum equi eius reuerentia Beati Petri ſeruitoris officium illi exhibuimus. Statuentes eodem frigio omnes eius ſucceſſores ſingulariter vti in proceſſionibus ad imitationem imperij noſtri. 16

Vnde vt pontificalis apex non vileſcat, ſed magis, & amplius quam terreni imperij dignitas, & gloriæ potentia decoretur. Et palatium noſtrum, vt prælatum eſt, Romanæ Vrbis, & omnes Italia ſeu Occidentalium Regionum Prouincias, loca & Ciuitates ſæpe ſato Beatiſſimo Pontifici Patri noſtro Syluestro vniuerſali Papæ concedentes, atque relinquentes, vel ſucceſſorum ipſius Pontificum poteſtati, & ditioni firma imperiali cenſura per hanc noſtram diualem ſacram, & pragmaticum conſtitutum iubemus diſponendum ac de iure Sanctę Eccleſię permanendam. 17

Vnde congruè proſpeximus noſtrum imperium & regni poteſtatem orientalibus trāſferri ac tranſmutari Regionibus, & in Biſantiæ Prouinciæ optimo loco, nomini noſtro ciuitatem ædificari, & noſtrum illic conſtitui imperium. Quoniam vbi principatus Sacerdotum, & chriſtianæ religionis caput ab Imperatore celeſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt, vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. 18

Hæc

19 Hæc omnia verò hanc noſtram imperialem ſacram & imperialia diualia decreta ſtatuimus atque confirmauimus vſque in finem mundi illibata, & inconeuſſa permanere decreuimus. Vnde coram Deo viuo, qui nos regere præcepit, & coram terribili eius iudicio obteſtamur per hoc noſtrum imperiale conſtitutum omnes noſtros ſucceſſores Imperatores, vel cunctos optimates ſatrapas etiam ampliſſimum Senatum, vniuerſum populum in toto orbe terrarum, necnon in poſterum cunctis retro temporibus imperio noſtro ſubiacentem nulli eorum quoquo modo liceat hæc, quæ a nobis imperiali ſacrationem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vel eius omnibus Pontificibus conceſſa ſunt refragari atq; confringere, vel in quocumque conuelli.

20 Si quis autem quod nos decreuimus, in temerator aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus ſubiaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum ſibi in præſenti & futura vita ſentiat contrarios: atque in inferno condemnatus cum diabolo, & omnibus deficiat impijs. Huius vero imperialis noſtri decreti proprijs manibus roborantes ſuper venerandum corpus Beati Principis Apoſtolorum poſuimus vtique eidem Dei Apoſtolo ſpondentes, nos cuncta inuiolabiliter conſeruare, & cunctis noſtris Succeſſoribus Imperatoribus conſeruanda mandatis relinquere Beatiſſimo Patri noſtro Syluestro Summo Pontifici, & vniuerſali Papæ, eiuſque per eum cunctis Succeſſoribus Pontificibus Domino Deo & Saluatore Ieſu Chriſto annuente tradimus perenniter atque feliciter poſſidendam & ſubſcriptio imperialis: diuinitas vos conſeruet per multos annos Sanctiſſimi, & Beatiſſimi Patres Datum Romæ die Kalend. April. Domino noſtro Flauiano Conſtantino Auguſto Quarto, & Gallicano clariſſimis viris conſulibus.

TRACTATVS TERTIVS

In quo agitur de Ceſſione perſonali, & Sedium fundatione, & earum mutatione, & diuiſione, quæ fit à Summo Pontifice.

Poſtquam in ſecundo Tractatu dictum eſt de poteſtate Summi Pontificis in ſpeciali, reſtat in hoc tertio Tractatu aliqua breuiter dicere de Ceſſione perſonali, & Sedium fundatione, ſeu mutatione.

CAPITVLVM PRIMVM.

In quo agitur de Caractere, & ordine Sacerdotali.

CAPITVLVM II.

In quo agitur de Caractere, & ordine Epiſcopali.

CAPITVLVM III.

In quo agitur de Dignitate, & ſtatu Papali.

CAPITVLVM IV.

In quo oſtenditur, quod nec Epiſcopus, nec Sacerdos, Caracteri, & Ordinibus ſuis renuntiare poſſunt.

CAPITVLVM V.

In quo ponuntur rationes aliquorum oſtendentes, quod nec etiam Papa Papatui renuntiare poteſt.

CAPITVLVM VI.

In quo probatur per authoritates, & rationes, quod Papa Papatui renuntiare poteſt.

CAPITVLVM VII.

In quo reſpondetur ad rationes nitentium probare, quod Papa Papatui renuntiare non poteſt.

CAPITVLVM VIII.

In quo oſtenditur quod Papa Papatui cedere poſſit, à nullo tamen inuitus deponi poſſit.

CAPITVLVM IX.

In quo oſtenditur quod ipſe ſolus Sedes Epiſcopales dimittere, & diuidere, & mutare, & alias de nouo conſtituere poteſt.

CAPITVLVM X.

In quo oſtenditur, quod ſola Sedes Romana, ſic eſt propria Papæ, & Succeſſorum, quod Papa illam mutare non poteſt.

CAP.

C A P. I.

In quo agitur de Caractere, & ordine Sacerdotali.

NOn obſtante quod Ordines plures ſunt, in quibus diuerſi caracteres imprimuntur, vnum tamen eſt ordinis Sacramentum cõdiuiſum contra alia ſex Sacramenta. Quod quidem vnum dicitur non vnitate indiuiſibilitatis, ſicut punctus; nec vnitate quautitatis ſicut linea; nec vnitate perfectionis, ſicut corpus animarum dicitur vnum per aliquod vnum; ſed magis dicitur vnum vnitate finis, & ordinis, ad modum cuiuſdam totius poteſtatiui; quod totum ſecundum ſuam perſectam rationem eſt in vno, in alijs autem eſt quædam participatio ipſius.

Nam tota plenitudo talis Sacramenti in vno ordiue eſt, ſcilicet ſacerdotio; In alijs autem Ordinibus eſt ſolum quædam ordinis participatio: Sicut videmus, quod in regimine alicuius Regni tota plenitudo poteſtatis eſt in Rege; in alijs autem Miniſtris ſunt quædam participationes Regiæ poteſtatis. Nam omnis ordo, vt in primo Tractatu dictum fuit, vel eſt Sacerdotalis, vel ad Sacerdotium ordinatur, ſicut ad finem cuius gratia eſt, & cui ſubſeruit, & in omni tamen ordine Caracter imprimitur; qui Caracter licet non dicat aliquid corporale, quia tunc eſſet quid viſibile, & ſenſibile, dicit tamen ſignum aliquod inuiſibile, & ſpirituale, & indelebile in anima, per quod diſtinguitur anima habens Caracterem, ab anima non habente. Et cum hoc dicit ſignum diſtinctiuum, dicit etiam quamdam potentiam ſpiritualem in anima. Vndè Magiſter ſententiarum 4. lib. diſt. 24. definit ordinem, qui eſt ad Caracterem ſic: ſic: Ordo eſt ſignaculum quoddam, quò ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. Quæ quidem poteſtas tripliciter diſtingui poteſt, iuxta numerum ~~trium~~ Sacramentorum; in quibus caracter imprimitur, ad modum & ſimilitudinem triplicis potentiæ, quam inuenimus in iſtis corporalibus, in quibus inuenimus potentiam receptiuam ad modum potentiæ materiæ, quæ receptiua eſt diuerſarum formarum; & hic eſt caracter Baptiſmatis, qui in baptiſmo imprimitur, per quem aliquis fit aptus, & potens ad ſpiritualia bona. Vndè Baptiſmus Ianua Sacramentorum dictus eſt.

Secundo inuenimus in his corporalibus potentiam reſiſtendi, per quam reſiſtunt ſuis contratijs & nociuis, vt non de facili opprimantur à contrarijs oppoſitionibus; ſecundum quem modnm accipitur caracter impreſſus in Sacramento Confirmationis; & propterea talis confirmatio fit in fronte, vt ſic cõfirmati non erubeſcant nomen Chriſti confiteri, & cum hoc audacter poſſint reſiſtere Diabolo & pompis eius. Vndè in confirmando dicitur: ſigno te ſignaculo crucis, & confirmo te criſmate ſalutis.

Sed tertio modo accipitur potentia in iſtis corporalibus, pro potentia agendi; ſecundum quem modum dicimus quod ignis habet potentiam calefaciendi, & hic eſt caracter, qui magis facit ad præſentem materiam. Qui caracter, ſiue ſpiritualis potentia imprimitur in Sacramento ordinis, quia in quolibet ordine imprimitur aliqua poteſtas ſpiritualis ad agẽdum aliquos actus ſpirituales; & ſecũdum quod ſunt plures tales ordines in potentia ad Sacramentum Euchariſtiæ, ſic etiam ſunt plures caracteres, quorum caracterum diſtinctio ſic accipi poteſt: quia poteſtas talis datur ad conficiendum ipſum Sacramentum, & ſic eſt poteſtas Sacerdotalis; qui caracter imprimitur cùm Pontifex accipit pateuam cum oblatione, & Calicem cum vino, & aqua, & dat cuilibet Sacerdoti dicens: accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, miſſamque celebrandi. Hunc ordinem Sacerdotalem Chriſtus exercuit, quando poſt cœnam panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Diuina virtute conuertit. Vel ſecundo talis poteſtas datur ad diſpenſandum ipſum Sacramentum, & ſic eſt poteſtas ſiue catacter in Diacono, qui ſibi imprimitur, cùm ab Epiſcopo ei datur Euangeliſtarium, & eidem dicitur: Accipe poteſtatem legeudi Euangelium in Eccleſia Dei, quia cum ipſius Diaconi ſit triplex officium, miniſtrare ad altare, Baptizare, & prædicare, hæc omnia in traditione talis libri conuenienter intelligi poteſt: quia in Euangelio traditur forma conficiendi corpus, & ſanguinem, & per prędicationem Euangelij homines conuertuntur & baptizantur. Et huius ordinis officium Chriſtus exercuit, quando poſt cœnam Sacramentum corporis, & ſanguinis ſuis proprijs diſpenſauit manibus.

Vel tertio talis potentia datur ad reponendum materiam in vaſis ſacris, & ſic eſt caracter, ſiue potentia Subdiaconi, qui imprimitur in traditione patenæ & calicis, vna cum prolatione Verborum, cùm ſibi dicitur: videte cuius miniſterium vobis traditur &c. Hoc officium Chriſtus exercuit, quando miſit aquam in peluim, & lauit pedes Diſcipulorum.

In ordine autem Accolitatus datur poteſtas parandi vaſa in quibus imponatur materia Sacramenti. Quæ poteſtas imprimitur in Acolito cum verbis, quæ tunc debet proferre Epiſcopus. Tradit etiam Epiſcopus Ceroferarium cum cereo &c. Vndè & Accoliti græcè Ceroferarij, ſiue accenſores luminum nuncupantur. Quod officium ſub ſe exercuiſſe cum dicitur. Ego ſum lux mundi.

Sed in alijs tribus ordinibus datur poteſtas ad diſponendum accedentes ad hoc Sacramentum. Et quia non niſi mundi ad hoc Sacramentum admittendi ſunt; ſecundum tria genera immundorum accipiuntur tres ordines. *Sunt enim aliqui* totaliter infideles, & propter hoc ab ingreſſu Eccleſiæ arcendi ſunt. Ad quod ordinantur Oſtiarij ſiue Ianitores in quibus caracter imprimitur, cùm accipiunt claues ab Epiſcopo dicente, ſic agite quaſi Deo reddituri rationem pro ijs omnibus, quæ his clauibus clauduntur, vel recluduntur. Quod officium Chriſtus impleuit quando eiecit ementes & vendentes in

tem-

templo. *Sed alij ſunt Cathecumeni* non plenè in fide inſtructi, & ad hoc ordinantur Lectores, in quibus caracter imprimitur in traditione libri dicente Epiſcopo: Accipite & eſtote Verbi Dei relatores, quod officium Chriſtus exercuit quando in medio ſeniorum aperuit & legit librum, vt ſcribitur Lucæ 4. *Sed alij ſunt Energumeni* a Diabolo vexati; & dicti ſunt energumeni quaſi interius laborantes, & ad hoc ordinatur ordo Exorciſtarum. Nam tales non ſunt digni ad Sacramentum accedere, niſi per iſtos inferiores ordinis diſponantur, in quibus caracter imprimitur in traditione libri in quo ſunt exorciſmi dicente Epiſcopo: Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum ſiue baptizatum, ſiue Cathecumenum. Dicitur autem Regem Salomonem adinueniſſe morem exorciſmi, ſiue coniurationis, vt refert Ioſephus, quibus immundi ſpiritus ab homine obſeſſo per Eleazarum exorciſtam pellebantur, ita vt reuerti vlterius non auderent. Hoc officium Chriſtus exercuit, quando de Maria Magdalena ſeptem dæmonia eiecit.

Eſt autem diligenter conſiderandum, quod ſi in vno & eodem ordine plura corporalia offeruntur, & plura verba dicuntur vni, & eidem ordinando, propter quod videndum eſt, quod inter illa corporalia ſit excellentius, & quæ verba ſint magis propriè deſeruientia ad myſterium Euchariſtiæ, ad quod tales caracteres ſiue poteſtates ordinantur. Et tunc in tali pũcto iudicare debemus quod diſtinctis caracteribus imprimitur, quia non eſt vera appoſitio dicentium, quod vnus, & idem eſt caracter in omnibus, ita quod in primo ordine imperfectè, & in ſecundo magis perfectè, & ſic vſque ad vltimum ordinem, in quo habet eſſe omninò perfectè; tum quia in primitiua Eccleſia fiebant ordines per ſaltum, & accipiebat quis poſteriorem ordinem, putà ordinem Subdiaconatus ſine prioribus ordinibus minoribus, licet grauiter peccaret, tamen caracterem acciperet. Quæ omnia ſatis oſtendunt, quod in quolibet ordine diſtinctus caracter imprimitur, & non ſit vnus & idem ampliatus, & augmentatus ſecundum diuerſos ordines; talis enim ampliatio & augmentatio locum habere videtur in ordine Epiſcopali, quantum ad ipſius actum ſecundarium, qui reſpicit Corpus Chriſti myſticum: nam quantum ad actum principalem, qui reſpicit Corpus Chriſti verum talis poteſtas inſtituta eſt à Chriſto & data ſuis Diſcipulis in cœna quando ſubtracturus erat ab eis ſuam præſentiam corporalem, quia tunc facti ſunt primò Sacerdotes cum impreſſione Sacerdotalis caracteris, cum dictum eſt eis: hoc facite in meam Commemorationẽ, ideſt poteſtatem accipite hoc faciendi. Nam ante illam cœnam Sacerdotes non erant, quia tamen obiectum præcedit potentiam, & obiectum principale poteſtatis Sacerdotalis eſt Sacramentum Euchariſtiæ, ante debuit tale Sacramentum inſtitui, quàm reſpectu ipſius fieret ordinatio poteſtatis alicuius conficientis ipſum. Sed ille idem caracter augmentatus eſt quantum ad poteſtatem ſecundariam, quæ reſpicit Corpus Chriſti myſticum, in abſoluendo, & ligando cum dictum eſt eis poſt Reſurrectionem, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.

Et ſi arguatur quod ante cœnam fuerit eis dictum Matth. 18. Quæcumque ligaueritis ſuper terram, ligata erunt & in cœlo &c. Conuenienter dici poteſt, quod pro tunc talis authoritatis capaces non erant, quam ſoli Sacerdotes habere poſſunt, quia nondum ad ſacerdotium promoti erant; & pro tanto verba illa non fuerunt collationem alicuius authoritatis de præſenti, ſed magis promiſſionem pro futuro. Et hoc inſpicere poſſumus in confectione Sacramenti quomodo cõmuniter fit; nam cùm dicitur ordinando: accipe poteſtatem celebrandi miſſam, tunc caracter Sacerdotalis imprimitur, vt reſpicit Corpus Chriſti verum. Qui etiam Sacerdotalis caracter imprimitur vt reſpicit Corpus Chriſti myſticum; qui etiam caracter ampliatur & augmentatur cum tali ordinato confertur poteſtas iuriſdictionis ordinaria, ſeu delegata, per quam reſpicit corpus myſticum, & ſibi ſubditos quos habet in foro conſcientiæ ſoluere, & ligare. Quarè autem talis ampliatio intelligi debeat, cùm caracter ſit quædam forma indiuiſibilis, videbitur in ſequenti Capitulo.

C A P. I I.

De Caracterè, & ordine Epiſcopali.

POnunt communiter Canoniſtæ, & aliqui Theologi nouem eſſe ordines, quinque minores ſiue non ſacros, & quatuor maiores ſiue ſacros. Minores ſunt Pſalmiſtatus, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Accolytatus. Maiores ſunt Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus.

Et quod Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à Sacerdotio habens diſtinctum caracterem à caractere Sacerdotali multipliciter probant.

Et primò ſic. Diſtincta eſt operatio Spiritus Sancti in viſibili vnctione Epiſcopi, ab operatione eiuſdem Spiritus Sancti in ordinatione ſimplicis Sacerdotis, ergo & diſtinctus effectus & indelebilis. Qui effectus aliud non eſt, quam caracter; vndè & ordinationes Epiſcoporum à tribus Epiſcopis celebrandæ ſunt; Et hoc videtur fuiſſe ex inſtitutione Chriſti, ex eo quod Iacobus Minor non minùs quàm à tribus Apoſtolis ordinatus fuit; quia Hyeroſolimis ordinatus, & conſecratus eſt in primum Archiepiſcopum à Petro, Iacobo, & Ioanne.

Prætereà Epiſcopi poſſunt conferre ordines, & Sacramentum confirmationis miniſtrare, quod non poſſunt ſimplices Sacerdotes: Hoc autem non eſſet; niſi diſtinctam poteſtatem haberent, ergo &c.

Prætereà duplex diſtinguitur caracter in Epiſcopis; poteſtas ordinis, & iuriſdictionis: ea autem quæ ſunt iuriſdictionis cõmitti poſſunt vt decretalis dicit, non autem ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, quæ alijs Epiſcopis committere non poſſunt, nec illa exercere poſſunt ſimplices Sacerdotes; Ergo

aliam

Digitized by Google

aliam poteſtatem habent Epiſcopi, & alium caracterem,

Sed Theologi magis communiter conſiderantes quod ordinis Sacramentum magis principaliter, & ſpecialiter ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, quia in eo totus Chriſtus verè, & integraliter continetur. Et dicunt quod quia in ordine Sacerdotali eſt plena poteſtas, ſiue plenum miniſterium ad conficiendum tale Sacramentum, ideò ſuprà illum non oportet dare alium ordinem, qui ſit Sacramentum, & in quo imprimatur alius caracter. Diſtinguentes tamen de ordine, dicunt, quod ordo dupliciter poteſt accipi.

Vno modo ſecundum quod eſt Sacramentum, & ſic ordo Epiſcopalis non eſt diſtinctus ab alijs ordinibus, propter quod cõmuniter videmus in alijs ordinibus, qui dicuntur diſtincta Sacramenta, quod vnum de neceſſitate Sacramenti non dependet ab alio, quia poteſt quis eſſe Diaconus abſque hoc quod fuerit Subdiaconus, quantum eſt de neceſſitate Sacramenti, quidquid ſit de neceſſitate præcepti. Nullus autem poteſt eſſe Epiſcopus, niſi fuerit Sacerdos; & propter ſpecialem connexionem quam habet, & quia ille idem caracter, qui fuit in Sacerdote eſt in Epiſcopo, ampliatus tamen & augumentatus poſt conſecrationem Epiſcopalem.

Qualiter autem poſſit fieri tale augumẽtum in eodem caractere, & eadem poteſtate, conſiderandum eſt quod nihil eſt, quod tam ducat nos de propinquo in cognitionẽ augumenti talium formarum, quàm conſiderare augumentum quantitatis,tanquam nobis magis notum,

Aliquod autem quantum contingit dupliciter augeri. Vno modo per additionem alterius quantitatis, vt ſi aqua addatur aquę, prior aqua fit maior. Alio modo per rarefactionem ſine alicuius extrinſeci additione; vt ſi vnus pugillus aquæ rarefiat, & fiant duo pugilli aquæ.

Primus modus augumẽti conuenit quantitati corporali, in quantum quantitas eſt habens partem extra partem, quæ quidem diſtinguuntur ſecundum ſitum, & propter hoc quantitatẽm exiſtenti in vno ſitu poteſt continuari altera quantitas vt ex ea fiat vna.

Sed ſecundus modus augumentationis conuenit quantitati in quantum quantitas eſt forma actualiter inhærens, & perficiens ſubiectum, & ideò poteſt ipſum ſubiectum magis & minus extendere, & magis & minus perficere.

Primus modus augumenti, (qui etiam competere poteſt ſcientiæ, quia bene poteſt habitus ſcientiæ in aliquo augeri, non ſolùm quia aliquid intenſius cognoſcit, ſed etiam per additionem nouarum cognitionum, quas primò neſciebat:) habet locum in præſenti materia; nam talis caracter intenſiuè non augetur, vt reſpectu eorumdem obiectorum, ſiue reſpectu obiecti principalis, quod eſt Sacramentum Euchariſtiæ, in aliquo augeatur; quia ſuper hoc tantam poteſtatem habet minimus Sacerdos,quantam habet quicumque Epiſcopus: ſed extenſiuè talis caracter ſiue poteſtas augetur per conſecrationem Epiſcopalem, in quantum per ipſam poteſt Epiſcopus in plures effectus, in quos non poterat primò, ſicut in diſpenſatione duorum Sacramentorum, & in multis alijs ſacris actionibus, quæ in primo tractatu enumeratæ fuerunt.

Et ideò ſi accipiatur ordo ſecundo modo, & non vt dicit Sacramentum, ſed prout poteſt dicere officium quoddam reſpectu quarumcumque ſacrarum actionum, ſic poteſt dici ordo, & veritatem habet illud quod Epiſcopatus eſt ordo.

De Pſalmiſtatu autem, qui aliquando dicitur tonſuratus, quo quiſque Clericus vocatur, dicendum eſt, quod propriè loquendo, ordo non eſt, ſed eſt quoddam officium, & quoddam præambulum ad ordines, vndè dictus eſt Pſalmiſta à pſalmis dicendis ſeu canendis, propter quod Abbas in ſuo Monaſterio, & Sacerdos ſimplex poteſt tali dare tonſuram, per quam ordo Clericalis confertur; qui ordo ſic Collatus Pſalmiſtatus dicitur. Sed alij ordines cum certa ſolemnitate à ſolis Epiſcopis dantur; quod non contingit de Pſalmiſta, vt dictum eſt. Propriè ergo loquendo tantum ſeptem ordines ponendi ſunt, qui verè Sacramenta dicuntur, quorum quatuor minores dicuntur non ſacri; Tres autem maiores ſcilicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus dicuntur ordines ſacri, non quod omnes non ſunt ſacri, quia in omnibus, vt dictum eſt caracter imprimitur; ſed certi pro tanto ſpecialiter dicti ſunt ratione materiæ conſecratæ, circa quam habent ſpecialem aliquem actum. Quia Sacerdos habet conficere Corpus Chriſti; Diaconus habet actum in diſpenſatione Sanguinis Chriſti; Subdiaconus habet actum circa vaſa conſecrata, vt ſuperius dictum eſt. Et ideò ſic ordinatis continentia indicitur, vt ſint ſancti & mundi,quia ſacra & munda tractare habent, propter quod tales ordines impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. Sed alij quatuor nec dirimunt contractum, nec impediunt contrahendum.

Et ſecundum hoc arguendo, quod Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus, quia multo magis ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quàm oſtiariatus; quia per ordinem Epiſcopalem datur ordo Sacerdotij, in quo eſt poteſtas conficiendi Corpus Chriſti; ſed per oſtiariatum expelluntur infideles de Eccleſia; ſequi videtur quod ordo Epiſcopalis in quãtum huiuſmodi non eſſet ita ordo Sacer, ſicut eſt ordo Diaconatus, quia non ſic immediatè reſpiceret Euchariſtiam, quod eſt inconueniens dicere.

Et ideò concludendum eſſe videtur,quod nec diſtinctum caracterem, nec diſtinctum ordinem importat, vt ordo eſt Sacramentum, ab ordine & caractere Sacerdotali.

Ad ea autem,quæ adducebantur in contrarium, non eſt difficile reſpondere. Nam cùm dicebatur primò, quod diſtincta videntur eſſe opera Spiritus Sancti in ordine Epiſcopi, & in ordine ſimplicis Sacerdotis, ergo &c.

Dicendum quod talis diſtinctio eſt præexiſtentis caracteris augmentatio & ampliatio.

Ad alia cùm dicebatur, quod plura poſ-

ſunt operari Epiſcopi, quàm ſimplices Sacerdotes.

Dicendum, quod habent per ampliationem caracteris, ſicut ſupra dictum eſt.

Et ſic etiam reſpondi poteſt ad tertium quia & ſi Epiſcopi non habeant diſtinctum caracterem, nec diſtinctum ordinem, vt ordo eſt Sacramentum: ſufficit illud augumentum, & illa ampliatio de quâ dictum eſt.

CAP. III.

De Dignitate, & Statu Papali.

QVod in clauibus iuriſdictionis Summus Pontifex prærogatiuam habeat, ſatis clarum eſſe poteſt ex ijs quæ in ſecundo Tractatu dicta ſunt. Nam ſi alij Paſtores Eccleſiæ propriè dici poſſint Reges, propter Iudicium, quod habent in ſpiritualibus, iuxta diffinitionem, & diſtinctionem Gloſſæ ſuper illo verbo Apoc. 1. Primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ, de triplici genere Regum. Quia aliqui ſunt Reges regendo per diuinam diſpoſitionem ſibi ſubditos. Alij ſunt Reges regendo fideles à Deo ſibi commiſſos. Alij ſunt Reges regendo fideles à Deo ſibi commiſſos. Alij ſunt Reges auxiliante Deo regendo ſemetipſos. Primi ſunt Principes ſæculares. Secundi ſunt Eccleſiarum Paſtores. Tertij ſinguli quique fideles.

Ex quo habetur, quod Paſtores Eccleſię benè & propriè poſſunt dici Reges, communiter autem à fidelibus Reges non appellantur, nec Principes, nec Duces, ſed magis Paſtores Epiſcopi, & Pontifices ad euitandam ſuperbiam, & imitandum humilitatis exemplum. Vndè nec Chriſtus eos tali nomine inſigniuit, licet res nominis propriiſſimè conueniat eis. Vnus tamen, ſcilicet Summus Pontifex propriiſſimè dicitur Rex Regum, quia ſibi ſoli commiſſa eſt plenitudo poteſtatis. Vndè & ſi alijs Apoſtolis imperatum ſit vt laxarent retia ſoli tamen Petro dictum eſt: Dux in altum rete, quia ſibi ſoli & ſucceſſoribus ſimiliter cauſæ maiores reſeruatæ ſunt in regimine populi Chriſtiani; Propter quod ſuper illo decreto & eſt Ambr. 24. qu. 1. Eſt aliud piſcandi genus & Apoſtolicum, quo genere ſolum Petrum Dominus piſcari iubet dicens: mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcendet tolle, Dicit Gloſſa quod per hamum intelligitur Iuriſdictio, quia hamo ſiue ferro carnis putredines reſecantur. Vndè quia Petrus habet poteſtatem ligandi & ſoluendi præ alijs, ideò in hoc habet plenitudinem poteſtatis, & plenitudinis poteſtatem; Ideò ſibi ſoli dictum eſt: mitte hamum, cuius ſtatum & iuriſdictionem plenam. Vndè ſcribit Bernardus in lib. ad Eugenium cùm dicit: Sacerdos magnus, & Pontifex Summus Gubernatu Noë, authoritate Moyſes, Iudicatu Samuel, & poteſtate Petrus. Conſtat autem quod Noë fuit Gubernator & Rector vniuerſalis totius nauis, & eorũ, qui in naui erant ſpiritualiter, & temporaliter. Sic etiam omnia quæ ſunt in naui Eccleſiæ ſubiecta ſunt Summo Pontifici. Moyſes autem vtramque habuit poteſtatem in populo Iſraelitico, & vtroque gladio vtebatur. Sic etiam & Samuel vniuerſaliter de omnibus iudicabat, & ſpiritualibus, & temporalibus, omnibus diebus vitæ ſuæ 1. Paralip. cap. 6. Sic etiam Sum. Pontifex Petrus in generali, ſeu vniuerſali Vicarius Chriſti, plenam iuriſdictionem habet ſuper totam Eccleſiam & vniuerſum populum chriſtianum; licet malos puniendos magis aggredi debeat gladio verbi, quàm ferri, vndè dictum eſt Petro, & per conſequens ſucceſſoribus ſuis: conuerte gladium tuum in vaginam, quia etſi ſuo nutu, non ſua manu euaginandus eſt, ſicut ſupradictum eſt.

Tali autem plenitudini poteſtatis velle detrahere fieri non poteſt ſine periculo hæreticæ prauitatis, & ſpecialiter ſi fiat animo deuiandi, & non propter aliquid aliud, quod quis indè conſequatur vel ſperet, quia ille propriè hæreticus eſt, qui à fide animum deuiat iuxta illud quod ſcribitur 22. diſt. *omnis.* Vbi dicitur ſic: Quiſquis cuilibet ſuum detrahit iniuſtitiam facit; Qui autem Romanæ Eccleſiæ Priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur, & cum ille vocetur iniuſtus, hic dicendus eſt hæreticus.

Sed licet Summus Pontifex in clauibus iuriſdictionis prærogatiuam habeat, in clauibus tamen ordinis æqualis eſt alijs Epiſcopis. Quia quamuis in Sacerdotio ſit gradus, & inæqualitas, eo quod caracter Sacerdotalis per Epiſcopalem conſecrationem in Epiſcopis augumẽtetur & amplietur; in caractere tamen Pontificali nullus videtur eſſe gradus; propter quod omnes Epiſcopi ſunt æquales, quantum ad ea quæ ſunt Epiſcopalis ordinis. Et hinc eſt quod Sum. Pontifex in ſuis litteris vocat ſe Epiſcopum, & omnes Epiſcopos vocat fratres. Ad omnes enim Epiſcopos ſpecialiter pertinet Clericos ordinare, virgines benedicere, manus imponere ſiue confirmare, Pontifices conſecrare, Synodos celebrare, baſilicas dedicare, degradandos deponere, Chriſma conficere, veſtes & vaſa conſecrare; Ita quod ſicut quilibet Sacerdos æqualis eſt cuilibet Sacerdoti, quantum ad ea, quæ ſunt ordinis; ſic & quilibet Pontifex cuilibet Pontifici. Vndè & idem caracter in ſpecie imprimitur in cæteris Epiſcopis ſicut in Papa, nec talis caracter recipit magis & minus. Ideò ſi alius caracter imprimeretur in Papa, iam Papa in quantum Papa non eſſet Epiſcopus; ſicut Sacerdos in quantum Sacerdos non dicitur Diaconus, quia diſtinctum caracterẽ habet à caractere Diaconi.

Nec videtur obſtare illud, quod in ſecundo Tractatu dictum eſt, videlicet quod Sum. Pontifex in clauibus ordinis aliquam prærogatiuam habeat, quia circa modum diſpenſandi Sacramenta, multa poteſt ordinare, & committere inferioribus, vt aliqua Sacramenta diſpenſent, & conferant, quæ alias non poſſent, ſicut ſunt inferiores ordines, & Sacramentum Confirmationis, quia largè communiter loquebantur, ſecundum quem modum alij dicunt illa pertinere ad poteſtatem ordinis, quæ non pertinent ad poteſtatem Iuriſdictionis, ſed ad poteſtatem mixtam ex poteſtate ordinis, & poteſtate iuriſdictionis qua lis eſt poteſtas in Sacerdotibus ligandi, & ſoluendi,

uendi, quia vltra poteſtatem ordinis requitit materiam ſibi ſubiectam, & per conſequens aliqualem iuriſdictionem.

Eſt etiam diligenter conſiderandum quod Papatus non eſt nomen ordinis, ſed eſt nomen dignitatis & officium; vndè ſi aliquis eligatur in Papam, verus Papa eſt ante conſecrationem Epiſcopalem; ſicut aliquis eſt verus Curatus & verus Decanus, & etiam verus Archidiaconus antequam habeat ordinem debitum tàli dignitati. Proptet quod ante talem conſecrationem vetus Papa eſt, nec tamen poteſt Sacramentum confirmationis diſpenſare, ſeu Sacramentum ordinis, nec etiam talem poteſtatem poteſt committere ſimplici Sacerdoti, quia poteſtas à ſimplici poteſtate traducitur, & cùm in eo talis poteſtas non ſit, eam alteri conferre non poteſt, quam poteſt conferre poſt ſui conſecrationē. Quæ omnia benè oſtendunt, quod talia ad poteſtatem mixtam pertinent.

C A P. I V.

Quod Epiſcopus, & Sacerdos caracteri, & ordini renuntiare non poſſunt.

LIcet de caractere Sacramentali diuerſi diuerſimodè ſenſerint, quibuſdam dicentibus quod talis caracter eſt relatio quædam, qua ordinatur anima ad hoc vt ſit Dei templum diſtinctum ab anima non habente caracterem, ſicut conſecratio Eccleſiæ eſt ordinatio alicuius domus in Dei templum, ex qua ordinatione conſequitur ſpecialem ordinem, ex quo diſtinguitur ab omni alia domo, quæ templum non eſt. Quod tamen non videtur ſufficere, quia relatio fundatur ſuper aliquo abſoluto ſecundum quod dicunt Philoſophi non eſt motus, quia ſicut relatio non poteſt eſſe principium actionis, ſic etiam non poteſt eſſe terminus motus. Et ideò alij dixerunt quod talis caracter aliquod abſolutum dicit, & ponendus eſt in aliqua ſpecie qualitatis, quibuſdam dicentibus quod in prima ſpecie quæ eſt habitus & diſpoſitio; ſed hoc etiā non videtur ſufficienter dictum, quia habitus eſt illud quo aliquis benè agat, ſiue ſit habitus naturalis reſpectu actionum ſupernaturalium. Sed chriſtianus habens caracterem Baptiſmalem poteſt benè & malè agere. Sacerdos etiam habens caracterem Sacerdotalem poteſt benè & malè conficere. Ideò cōmunius dicitur, & melius, quod cùm caracter ſit quædam ſpiritualis potentia data ad ſuſcipiendū ſiue ad agendū aliquos actus ſpirituales quod reduci debeat ad primam ſpeciem qualitaris, quæ eſt naturalis potentia, vel impotentia; Ita quod ſicut in eſſe naturali ad ſuſcipiendum, & ad agendum actiones naturales indigemus potentijs naturalibus, quæ potentiæ ponendæ ſunt in eadem ſpecie qualitatis cum naturalibus potentijs; ſicut habitus infuſi ſunt in ſpecie habitus acquiſiti. Has autem potentias ſiue hos caracteres indelebiliter boni, & mali habent ſicut etiā ſuo modo habent naturales potentias animæ. Nam etſi Baptizati cùm confirmantur, & ordinantur recipiunt gratiam recipiendo tales caracteres, ſi tamen grauiter peccent, ſic gratiam perdunt, cum hac tamen caracterem non amittunt, quia per impreſſionem talis caracteris fit ſolum deputatio alicuius ad aliquod Sacramentum, ad quam ſanctificationē non magis actiuè operatur per ſe loquendo anima ſanctificanda quam operetur ſanctificata aqua, vel Chriſma ad ſui ſanctificationem per conſenſum liberi arbitrij, res verò prædictæ non, quia tali libero arbitrio carent. Et ideò qualitercumque anima variatur per proprias operationes, nūquam tamen proprium caracterem amittit, ſicut nec aqua, vel Chriſma numquam talem ſanctificationem perdunt, qualitercumque tranſmutentur, dūmodo non corrumpantur.

Sed quia homo cooperatur ad gratiam, & ſi non effectiuè, ſaltem diſpoſitiuè conuertēdo ſe ad Deum; quia ſecundum Apoſtolum cooperatores Dei ſumus, & ſecundùm B. Auguſtinum: Qui creauit te ſine Te, non iuſtificabit te ſine Te, & ideo per diſpoſitionē qua homo in ſeipſo poteſt agere, poteſt perdere gratiam, non tamen poteſt perdere caracterē, qui communis eſt bonis & malis; & ſic adhęret indelebiliter oſſibus perſonæ, quod ſi moreretur habens caracterem, & iterum reſuſcitaret, ſicut rediret idem homo, ita rediret idē Sacerdos, & idem Epiſcopus cum eodem caractere, & ſimile eſt de alijs caracteribus.

Poteſt ergo Sacerdos ſiue Epiſcopus executionem ſuorum ordinum renuntiare, & poſſunt etiam talium ordinum executione ab alijs priuari, caracteres vero indelebiliter impreſſi, nec ab eis, nec ab alijs tolli poſſunt.

C A P. V.

Rationes quorumdam probare nitentium, quod Papa Papatui renuntiare non poteſt.

SVnt quamplures diſceptantes de ijs quæ non multum expediunt, & appetentes plura ſapere, quam oporteat, dicentes quod Sum. Pontifex Papatui renuntiare non poteſt, ad quod plures rationes adducunt.

Et prima ratio eſt hæc: poteſtas Papalis eſt à Deo, ſicut poteſtas caracteris Epiſcopalis vel Sacerdotalis; ſed multa renuntiare poſſunt propter claues ordinis, quæ ſemper manent, & ſic eas habens manet verus Sacerdos, & verus Epiſcopus, licet poſſint perdere: ſicut in præcedenti Capitulo dictum eſt. Ergo nec Papa Papatui renuntiare poteſt.

Præterea Sum. Pōtifex gerit vicem Chriſti & ipſius imaginem, ſed Chriſtus in ſuo Pōtificatu dicitur eſſe Sacerdos in æternum, hoc eſt ſine fine, vt patet in pſal. Tu es, inquit, Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Quod verbum Apoſtolus introducit Heb. 5. ad propoſitum oſtendendum. Ergo Petri Pontificatus ſuorumq; ſucceſſorum ęuiternitatem habet, ita quod renuntiare non poteſt.

Præterea Gregorius ſuper illud aſſimilatus filio Dei manet Sacerdos in æternum. ad Hæbr. 7. dicit Apoſtolus in confirmationem,

qnod Sacerdotium Aaron & principium & finem habuit, ſed Sacerdotium Eccleſiæ, & in præteritum, & in futurum eſt. Ex quo patet quod æternitatem noui Sacerdotij probat Apoſtolus non ſolum vt eſt in Chriſto, ſed etiã vt eſt in militante Eccleſia & eſt à Chriſto vel eius Vicario, cum Sacerdotium Vicarij Chriſti in Eccleſia confirmari debeat Sacerdotio Chriſti capitis. Sicnt pro ſtatu mortali Chriſtus à ſe non abiecit poteſtatem Sacerdotij, ita nec Chriſti Vicarius in Eccleſia Sacerdotium à Chriſto in ipſum deriuatum à ſe abijcere poterit. Gloſſa autem prædicta de Sacerdotio Eccleſiæ: qui dicit in æternum, in præteritum non debet intelligi de æternitate ſimpliciter, ſed quia ſtatim poſt principium generis humani hoc Sacerdotiũ in figura incępit.

Præterea in eo, quod eſt finis, conſumatio, & perfectio alterius eſt immobilitas, & in ſe & in comparatione ad ſuum ſuſcipiens, ipſo manente, vt probabitur. Sed Sacerdotium nouæ Legis vt eſt in Chriſto, & Chriſti Vicario, in quo eſt quædã Pontificalis officij plenitudo, eſt finis & conſummatio, & perfectio Sacerdotij Legalis, quarè neceſſe eſt, vt immobilitatem habeat in ſuſclpiente, & illud ſuſcipiens ab eo exui non poſſit, eo manente.

Maiot patet in natura & gratia. Anima enim rationalis, quia eſt perfecta & finis aliarum formarum perficientium materiam, in ſe eſt immortalis, & etiam ab homine, cuius eſt forma, ipſo manente, auferri non poteſt.

Iu ordine etiam gratiæ lux Euangelij quæ eſt finis & perfectio Legis Moſaicę in ſua ſubſtantia eſt immutabilis, & in ſuſcipiente qui contra ſua ſubſtantialia non recipit diſpenſationem in eo, qui mouet ea.

Sacramenta etiam nouæ Legis ſunt immutabilia, quia ſunt finis & perfectio veteris Legis, & Sacramenta etiam imprimentia caracterem ſunt perpetua in ſuſcipiente, ergo tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ reperitur, quod illa quæ ſunt finis & perfectio aliorum, ſunt immobilia, quarè ſecundnm Apoſtolum Hæbr. 7. ſequitur, quod hoc Sacerdotium eſt immobile in Chriſti Vicario ſuſcipiente.

Minot prædictæ rationis probatur, per Apoſtolum ibidem, vbi ſic inquit, conſummatio per Sacerdotium Leuiticum, quod ad hoc neceſſarium fuit ſecundum Ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron, quaſi diceret non eſſe: ſed quia conſumatio non fuit per Sacerdotium Leuiticum, ſed per Sacerdotium gratiæ, quod eſt finis, & conſumatio Sacerdotij Leuitici, & per conſequens perpetuum in ſuſcipiente, ipſo manente.

Præterea maior eſt vnio Sum. Pontificis ad Eccleſiam, quam ſit viri ad vxorem, quia hæc corporalis, ſed illa ſpiritualis, ſed conſumpto Matrimonio, vir non poteſt ſeparari ab vxore niſi per mortem, qnia quod Deus coniunxit homo non ſeparet; ergo nec Summus Pontifex ab Eccleſia.

Præterea omnis ceſſio vel renuntiatio debet fieri in manibus ſuperioris diiudicantis cauſam ceſſionis, vel renuntiationis, nullns enim debet de ſeipſo iudicare, nec infetiot debet iudicare de Superiori; ſed Summus Pontifex ſuperiotem non habet, ergo renuntiare non poteſt.

C A P. V I.

In quo probatur per authoritates, & rationes, quod Papa Papatum reſignare poteſt.

NOn obſtautibus rationibus iam dictis, in præcedenti Capitulo, quæ nituntur oſtendere quod Papa Papatui renuntiare nõ poſſit, poteſt nihilominus talis concluſio teneri, videlicet, quod poſſit, quæ ad præſens triplici via declarari poteſe.

Quarum prima ſumitur ex parte ipſius Papæ renunciantis. Secunda ex parte Papatus, cui fit renunciatio. Tertia ex parte ipſius renunciationis.

Prima talis eſt. Non minot libertas tribuenda eſt Sum. Pontifici in ijs, quæ pertinẽt ad ſalutem ſuam, & in ijs, quibus poteſt vitare detrimentum ſalutis propriæ, quam cuiuſcumq; alterius; immò magis, in quantum à ſalute ſua ſicut à ſalute capitis dependet ſalus in omnibus membris, & in vniuerſa Eccleſia. Sed alijs Prælatis Eccleſiæ propter eorũ ſalutem, & etiam ſubditorum conctditur, quod in certis caſibus rennntiare poſſunt; puta ſi eis eſſet conſcientia criminis talis, ſcilicet propter quod etiam poſt peractam pœnitentiam impediretur executio officij ſui, puta homicidij, vel Simoniæ, vt habetur *extra de Renunciatione, niſi cum Chriſti.* Item defectus ſcientię circa ſpiritualium, & temporalium adminiſtrationem, quæ requiritur in Prælato, vt ſit ad minus competens, etſi non excellens. Item malitia piebis, cum oues in lupum conuertũtur, & adeò duræ ceruicis ſunt, vt proficere nequeat apud eos. Item propter graue ſcandalum euitandum poteſt Prælatus petere ceſſionem. Sed diſtinguendum eſt ſicut Ægidins diſtinguit ſuper Ezechielem; Nam quantum poſſumus ſine peccato, ſcandalũ vitare debemus; alioquin vtilius ſcãdalum naſci permittitur, qnàm quod veritas deſeratur. Veritas enim bonæ vitæ numquam deſerenda eſt pro ſcandalo alicuius; veritas autem doctrinæ vel iuſtitiæ non deſerenda, ſed differenda eſt propter ſcandalum. Item irregularitas perſonæ, vt ſi ſit bigamus vel maritus viduę, poteſt petere cedendi licentiam, ita quod in illis caſibus in quibus inferiores Prelati poſſunt petere licentiam à ſuis ſuperioribus, ipſe etiam Papa cedere, vel renuntiare poteſt.

Secunda ratio quę ſumitut ex parte ipſius Papatus talis eſt. Papatns non eſt nomen ordinis, ſed eſt nomen dignitatis & officij. Vnde aliquis eſe verus Papa antè ſui cõſecrationem; ſicut etiam poteſe dici aliquis verus Decanus, antequam habeat ordinẽ debitum ad Decanatum; Nam poteſtas Papalis vel ordinis addit ſuper Epiſcopalem; ſed ſolum poteſtatem iuriſdictionis: talis autẽ poteſtas mobilis eſt, quia per ipſam nihil imprimitur in anima talem poteſtatem habentis. Et ſi poteſtas Papalis mobilis eſt, quia per ipſam nihil imprimitur in anima talem poteſtatem habentis,

bentis, ſequitur quod tali poreſtati Papa renuntiare poreſt, quantum eſt ex parte ſua. Sed quia ſe obligauit Eccleſiæ, & Cardinales totã Eccleſiam repræſentant, non videtur tenere talis renuntiatio, niſi Cardinales acceptent; quia etſi Papa renuntiare poſſit, non tamen ſe poteſt excutere à Iugo, niſi ſponſa conſentiente.

Tertia ratio, quę ſumitur ex parte renũtiationis talis eſt: ſecundum Chriſoſtomum, omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, ſeu diſſolui poteſt, & habetur de Iuris.cap. Quia nihil tam naturale eſt, quam quod per eadem in contrarium facta res conſtituatur, & deſtruatur. Vndè Philoſophus 2. Ethicorum ait, quod ex eiſdẽ in contrarium factis omnis virtus generatur, & corrumpitur. Sed Sum. Pontifex naſcitur ſiue creatur per electionem Cardinalium, & ipſius conſenſum, ergo per contrarium per ſui diſſenſum in certis caſibus ſicut dictum eſt, cum acceptatione Cardinalium renuntiare poteſt, & Papatui cedere.

Et ſi argueretur, quod ſimili modo dici poſſet de matrimonio carnali, quia ſicut completur per conſenſum viri & vxoris, ita per eorumdem diſſenſum tolli poſſet, dicendũ eſt quod non eſt ſimile; quia cum talis mutuus conſenſus debito modo factus, & in perſonis legitimis ſit verum Sacramentũ, & ad ipſum ſequatur diuinum vinculum, quod eſt talis res Sacramenti, quod tam diu datur, quamdiù durant perſonæ, in quibus tale vinculum fundatur, ab homine diſſolui non poteſt, iuxta illud, quod Deus coniunxit homo non ſeparet. Conſenſus autem Papę & Cardinalium in ſui electione nec Sacramentum conſtituunt, nec ad talem cõſenſum conſequitur adeò diuinum vinculum inſolubile per hominem. Et hinc eſt quod de coniugio carnali mandauit Deus quod non poſſet diſſolui; non autem inuenitur hoc mandatum fuiſſe de coniugio ſpirituali; cuius cauſa ſi quæratur, talis tradi poteſt: quia cum coniugium ſpirituale, quod inter Prælatum & Eccleſiam eſt reſpiciat bonum publicum & commune; ſi diſſolui non poſſet, quando Prælatus eſt inſufficiens omninò & ineptus, ſequeretur manifeſtum Reipublicę detrimentum; & quanto magis Prælatus bonum Reipublicæ reſpiceret, ſicut eſt ſummus Prælatus, tanto maius malum ſequeretur. Sed coniugium carnale eſt bonum priuatum, ideò ſi concederetur ipſius diſſolutio, eſſet fortè quoddam bonum huic homini, quia reciperet meliorem vxorem, ſed ex hoc ſequeretur vniuerſale malum, quia cum communiter homines magis regantur ex concupiſcentia, quàm ex ratione; multi vxores ſuas dimitterent, nec ſic debita cura haberetur de filijs, ſicut nunc habetur.

Hoc etiam poteſt probari & exemplis, & authoritatibus, quia plures Sancti Patres inueniuntur renuntiaſſe & ceſſiſſe Papatui in diuerſis Cronicis, & modernis temporibus Celeſtinus renuntiauit, ſuper quo etiam edita fuit decretalis per Bonifacium in 6. lib. cap. Cœleſtini, quam etiam exponentes diuerſi Doctores, & expoſitores magis dicunt communiter talem renuntiationem poſſe fieri, de conſenſu tamen Cardinalium. Hoc etiam dicit Hugo 21. dicto cap. Nunc autem. Super illo verbo: Ore tuo iudica cauſam tuam. Hoc etiam dici poteſt præfiguratum fuiſſe num. 20. vbi Aaron viuente Moyſes aliũ inſtituit ſcilicet Eleazarum. Et ſi dicatur quod hoc fuerit authoritate Dei; dici poreſt, quod talis renuntiatio rationabiliter etiam nunc fit, & debito, & conuenienti modo, quod etiam fit authoritate Dei interpretatiua, quia rationabile eſt hoc Deum præcipere, quando hoc eſt ſic rationabile, vt ſit eius voluntas. Beatus etiam Auguſtinus dicit ad Caſſianum Presbyterum, & habetur in Decret. diſt. 21. cap. In ijs rebus, de quibus nihil certi diuina ſtatuit ſcriptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt; & ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita etiam contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt.

Habemus etiam in veteri lege exemplũ de Samuele, vt patet in 1. Reg. qui Iudex populi Iſraelitici per Dominum fuerat inſtitutus, & ex certis cauſis propter malitiam filiorum Iſrael, ad petitionem populi iudicatui ceſſit.

C A P. VII.

In quo reſpondetur rationibus factis in præcedenti Capitulo, quæ videntur probare Papam non poſſe reſignare.

POſtquam in præcedenti probatum eſt rationibus & authoritatibus, quod Papa Papatui renuntiare poteſt, reſtat in hoc Capitulo 7. ſoluere rationes adductas in contrarium, quibus oſtendebatur, quod non poſſet.

Et primò ad illud, quod primo ponebatur: Sacerdos vel Epiſcopus non poſſunt perdere claues ordinis, ergo nec Papa Papatui renuntiare poteſt, cum Papatus ſit à Deo.

Ad hoc dupliciter dici poteſt, primo quod non eſt ſimile de Papatu, & de ordine Sacerdotali, vel Epiſcopali, quia in talibus ordinibus imprimitur caracter in anima indelebiliter, qui nulla renuntiatione perdi poteſt. Vndè ſi reſignet Sacerdos vel Epiſcopus, verus Epiſcopus vel verus Sacerdos eſſet, quia talis poteſtas non debetur ſtatui vel ſedi, ſed perſonæ; vndè cum moritur Epiſcopus Succeſſor non ſuccedit in ordine, inmò neceſſe habet ordinari. Sed poteſtas Papalis non debetur perſonæ, ſed debetur ſtatui, vndè non acquiritur per Papalem conſecrationem, ſed eo ipſo, quod aliquis eſt in ſede, vel non eſt, acquirit vel perdit talem poteſtatem. Vel etiã poteſt dici, quod non ſequitur: Papatus eſt à ſolo Deo, ergo non poteſt tolli opere humano; quia ſicut videmus quod anima humana eſt à ſolo Deo per creationem, eſt tamen in hoc corpore per operationem naturæ diſponentis tale corpus ad ſuſceptionem talis formæ; & ideò tolli poteſt per operationem naturæ, & poteſt homo mori naturaliter, & violenter. Sic Papatus, etſi ſit à Deo ſolo, quia qui confirmat aliquem in Prælatum, ille eſt qui dat prælationem, licet alij dicantur per electionem ad hoc diſponere, & cùm ſolus

Deus

Deus confirmat aliquem in Papam, licet etiã ad hoc operetur diſpoſitiuè electio Cardinalium, ipſe tamen ſolus dat Papatum. Dicitur autem ipſe ſolus date Papatum, quia ipſe ſolus poteſt dare Papatum talem, ſcilicet poteſtatem hominibus,vt quod eſt ligatum in terra, ſit ligatum in cœlis, & quod ſolutum eſt in terra, ſit ſolutum in cœlis; non tamen ſequitur quod talis Papatus operatione naturæ tolli nõ poſſit. Sic enim gratia eſt à ſolo Deo, & tamen tolli poteſt per peccatum & per operationem Agentis naturalis.

Ad aliud dicendum, quod illa æternitas refertur ad ſtatum,non ad perſonam, alias eſſet falſa propoſitio, quia conſtat quod Chriſtus in quantum Sacerdos non fuerit æternus; ergo oportet referre ad dignitatem Pontificalem Chriſti in Succeſſoribus, quæ ſemper durabit; Quod non accidit de Pontificali Sacerdotio veteris legis. Et hoc videtur intendere Apoſtolus in Epiſtola ad Hæbreos.

Ad aliud dici poteſt,quod Sacerdotium Chriſti pro tanto poteſt dici in æternum, quia res oblata in ſacerdotio Chriſti,eſt æterna; eſt enim eadem cum offerente, quia idem eſt Sacerdos & ſacrificium. Vel aliter poteſt dici,quod licet Chriſtus ſacerdotium à ſe non abiecerit, quia non ſuberat cauſa abijciendi, non tamen ſequitur quod alij renuntiare non poſſint, in quibus inueniuntur cauſæ renuntiationis.

Ad aliud dicendum, quod ex hoc ſolum arguitur,quod ſacerdotium ſit æternum,ſicut Sacramenta ſunt æterna. Vndè ſicut talibus Sacramentis alia non ſuccedunt Sacramenta, ita & tale ſacerdotium eſt finis omnis ſacerdotij, quia omninò immutabile eſt. Propter quod licet Sacerdotibus nouæ legis morientibus vnus alteri ſuccedat, omnes tamen hi Sacerdotes, poſſunt dici vnus Sacerdos, quia offerunt in perſona vnius Sacerdotis ſcilicet Chriſti, in cuius perſona proferunt verba tranſubſtantiationis benedictæ: hoc eſt enim corpus meum; & omnes offerunt vnam, & eamdem rem; ſcilicet Corpus Chriſti.

Ad aliud dicendum quod pro tanto poteſt dici maior vnio,& ſpiritualior & dignior non maior, quia ſit fortior & inſeparabilior; diſſoluitur enim ſpirituale coniugium, etiam poſt conſecrationem, & confirmationem, & per translationem ipſius ad aliam Eccleſiam, & etiam per reunionem & diſpoſitionem. Nõ ſic eſt de carnali coniugio poſt conſummationem carnalis copulæ,quia nec etiam authoritate Papæ poteſt quis de vna vxore transferri in aliam. Poteſt ergo dici ſpirituale vinculum fortius, quia plus ſtringit, quia maiorem curam, & maiorem diligentiam debet habere ſponſus ſpiritualis de Eccleſia ſibi commiſſa; quam ſponſus carnalis de carnali ſponſa; ſed non eſt fortius quod plus duret, quia carnale coniugium etſi ſeparari poſſit, quantum ad redditionem debiti, vel quantum ad habitationem; numquã ſic ſeparabitur, quod vir habeat aliam vxorem,& vxor alium virum,iuxta illud quod Apoſt. dicit 1. Cor. 7. Præcipio non ego ſed Dominus vxorẽ à viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut reconcilietur viro. Sunt etiam caſus, in quibus matrimonium de facto ſeparatur propter errorem conditionis, & propter frigiditatem. Fit etiam ſeparatio de communi conſenſu vtriuſq; quando Religionem intrant.

Ad aliud dicendum eſt, quod illud referendum eſt ad inferiores Prælatos,qui habent ſuperiores, qui iudicare habent de cauſa ceſſionis, nõ autem ad Sum. Pontificem, qui ſuperiorem non habet. Immò ſicut alij Epiſcopi ex ſolo aſſenſu electionis de ſe factę, nõ habent plenam iuriſdictionem adminiſtrandi, niſi confirmentur per ſuperiorem,ſic ſi volunt cedere, oportet quod cedant eo modo, quo per ſuperiorem ordinatum eſt. Sed è contrario eſt de Papa, quia ſicut eo ipſo, quod conſentit electioni habet adminiſtrationẽ Papalem,& ſufficit ad hoc ſuus liber conſenſus, ſic etiam idem ſufficit ad liberam renuntiationẽ. Vel etiam poſſet aliter dici, quod in hoc caſu Collegium poſſet gerere vicem ſuperioris, ita quod ſicut in eius electione Sum. Pontifex cõſentientibus Cardinalibus à nullo confirmatur,quia non habet ſuperiorem; ita etiam etſi cedere velit ex legitimis cauſis,ſicut ſuperius dictum eſt,cedere poteſt in manibus eorum.

Et tamen diligenter conſiderandum eſt, quod diuina confirmatio in Papato, nihil aliud eſt, quam diuina acceptatio, quæ etiam ſumenda eſt valde largè; quia aliquando talis acceptatio eſt ex diuina ordinatione, vt quãdo præficitur bonus, & ſufficiens, aliquando ſolum ex permiſſione diuina, vt quando præficitur ineptus & inſufficiens; ſemper tamen hoc Deus permittit, propter aliquod maius bonum, & ſpecialiter in propoſito, ſicut ſpecialem curam gerens de Eccleſia ſua, quam ſuo ſanguine fundauit.

CAP. VIII.

In quo oſtenditur quod Papa Papatui cedere poteſt.

Cum illa quam Papa præeminentiam habet, regere vniuerſum populum Chriſtianum, non ſit ex ſtatuto Concilij, nec etiã vniuerſalis Eccleſiæ ſine totius mundi, ideò totus mundus illam immutare non poſſet,nec etiam Papam à Papatu deponere;illum enim ſtatum,& illam præeminentiam, quam Eccleſia per ſe ſtatuit, illam tollere poteſt, & eum qui eſſet in ſimili ſtatu deponere;ſed illum ſtatum,quem Deus & homo inſtituit tollere non poteſt, nec immutare.

Præterea ſi Eccleſia poſſet tollere ſtatum Papalem, facere poſſet illud, per quod Eccleſiæ vnitas tolleretur, vel deſtrueretur; nam ſicut non poteſt eſſe vnum corpus, niſi ex vnitate capitis. Et hoc eſt quod ipſemet Chriſtus ordinauit cùm dixit: fiet vnum ouile, & vnus Paſtor,quaſi diceret: numquam ouile eſſet vnus Paſtor. Non ergo poteſt facere Eccleſia, nec etiam totus mundus, quod in ea non ſit vnus, qui ſuperior ſit omnibus, quem dicimus Vicarium Chriſti & Succeſſorem Petri in vniuerſali Eccleſia, iuxta ſententiam Apoſtoli, quam profert de ſeipſo: Non eſt data poteſtas in deſtructionem,ſed in ædificationem.

Sicut ergo Eccleſia tollere non poteſt ſtatum Papalem, quem Chriſtus ordinauit, ſic etiam nec aliquem amouere à ſtatu Papali, quem

quem Chriſtus confirmauit. Et hoc eſt quod dicitur. q. 3. Nemo iudicabit primam ſedem, neque enim ab Auguſto, neq; ab omni Clero, neque à Regibus, neq; a populo iudex iudicabitur, & per conſequens nec deponi poteſt: Nam cùm talem præeminentiam Sum. Pontifex habeat, quantumcumq; Cardinales ex ordinatione Eccleſiæ ad hoc diſponãt, ita quod Papa his diebus haberi non poſſit niſi eb eis electus, vel ſaltem à dupla parte ipſorum, immò ſi aliter ad hoc promoueretur, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus diceretur, & haberetur, 23. diſt. *In Nomine Domini* quantumcumque malus & indignus, ab illis tamen, qui talem prælationem non dederunt, deponi non poteſt. Exemplum habemus 1. Reg. 24. & 26. in Saule Rege Iſrael, qui quamuis propter delicta ſua, & iniquitates ſuas, iam ſactus eſſet indignus ad regendum populum Iſraeliticũ, non tamen licebat populo abijcere ipſius Dominium. Vndè Rex & Propheta Dauid nolebat in talem Chriſtum Domini mittere manum ſuam, ſed ipſum Dei iudicio relinquebat. Et ſimile eſt de Romano Pontifice, qui omnibus eſt ſuperior, cuius Iudicium Deus ſibi ſoli reſeruat, ſicut habetur. qu. 4. *aliorum*, & hoc non eſt ſolum ex eo quod omnibus eſt ſuperior, ſed quia ſua poteſtas à Deo eſt.

Sed quid faciet Collegium vel vniuerſalis Eccleſia: ſi Papa ſit ita malus, quod ſua mala conuerſatione, & ſuis prauis operationibus videatur deſtruere, & inficere Eccleſiam Dei?

Duplex poteſt eſſe remedium. Vnum eſt, quod abſtinendum eſt à culpa, & inſiſtendum eſt mundis orationibus, vt talis malus Prælatus tollatur de medio ab illo, qui regere facit hypocritam propter peccata populi; Et piè credendum eſt quod in tali caſu Deus orationes fidelium exaudiret, nec ſuam Eccleſiam periclitari permitteret.

Eſſet etiam in tali caſu à Cardinalibus, & ab vniuerſali Eccleſia cum ſobrietate & debita reuerentia reſiſtendum, exemplo B. Pauli, qui B. Petro, quantumcumq; gereret Chriſti vices, in faciem reſtitit, quia reprehenſibilis erat, vt ſcribitur Galath. 2.

Et ſi opponatur de Papa, qui labitur in hæreſim; dicendum eſt, quod tunc non deponitur, ſed ſua depoſitio manifeſtatur. quia eo ipſo quod hæreticus eſt, eſt præciſus ab Eccleſia, & deſinit eſſe caput Eccleſiæ, a qua præciſus eſt. Claues enim Eccleſiæ, quæ principaliter ſunt in Sum. Pontifice, extra Eccleſiam haberi non poſſunt, quod præfiguratum dici poteſt in eo, quod ſcribitur Deuteron. 7. Non poteris alterius gentis hominem ſuper te facere Regem. Per alia enim peccata Sum. Pontifex efficitur caput languidum, nec tamen deſinit eſſe caput; ſed propter hæreſim fit caput aridum, immò omninò ſic deſinit eſſe caput, vt nullum omninò influxum poſſit habere in membra.

CAP. IX.

In quo oſtenditur quod ipſe ſolus Sedes Epiſcopales vnire, mutare, & diuidere poteſt.

SIcut omnis poteſtas cuiuslibet perſone eccleſiaſticæ originaliter limitatur, & deriuatur à principali fundatore Eccleſiæ, in quo eſt ſingularis dignitas, & poteſtas ſingularis; ſic & omnes Eccleſiæ dignitates ipſarum Eccleſiarum ſunt inſtitutæ & fundatæ ab Eccleſia Romana, ipſa autem, & eius dignitas a ſolo Chriſto fundata eſt; Ideò dicitur vniuerſalis Eccleſia, nõ vniuerſalitate prędicationis, ſed magis vniuerſalitate cuiuſdam: quia omnes alias Eccleſias habet ordinare, & regere, propter quod poteſtas Papæ dicitur excedere poteſtatem totius Eccleſiæ reſiduæ, quia in omnibus alijs Eccleſijs à Romana, eſt pars poteſtatis, ſed in Romana, id eſt in ſolo Papa, eſt plenitudo poteſtatis. Et hoc quod ſcribitur 22. diſt. Omnes ſiue primariæ cuiuslibet apicem, ſiue Metropol. primatum, Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum, ſiue cuiuslibet dignitatem inſtituit Romana Eccleſia; ipſam verò ſolus fundauit ipſe, qui B. Petro æternæ vitæ Clauigero, terreni ſimul & cæleſtis Imperij Iura conceſſit vel commiſit. Eccleſia enim Romana non ſolùm inſtituit perſonas in Prælationibus Eccleſiaſticis, de ipſis prouidendo, ſiue modum Inſtitutionis ordinando, immò & ipſas Eccleſias Cathedrales erexit, & Sedes, & dignitates diuerſas in ipſis fundauit. Et hoc eſt quod dicitur 8. diſt. *In illis*. vbi dicit Clemens ſic; In illis enim Ciuitatibus, quibus olim, id eſt apud Ethnicos primi flamines atque primi Legis Doctores erant ipſorum Primates, vel Patriarchę, Sanctus Petrus poni præcepit, qui reliquorum cauſas & maiora negotia in fide agitarent: in alijs autem, in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines, Archiepiſcopos eſſe præcepit: In reliquis verò Ciuitatibus ſingulos non plures Epiſcopos conſtitui præcepit, qui Epiſcoporum tantùm vocabula ſortirentur,

Eſt tamen conſiderandum, quod tales Eccleſiæ & dignitates inſtitutæ ſunt à Petro, & alijs Romanis Pontificibus, vel mediatè, vel immediatè, ſicut Sanctus Petrus miſit Diſcipulos ſuos ad fundandum diuerſas Eccleſias, ſicut Beatum Marcum Alexandriam, & alios ad diuerſas Prouincias. Beatus etiam Clemens miſit Beatum Dionyſium Pariſios. Et ſic Summi Pontifices vel mediatè, vel immediatè per ſuos Vicarios diuerſas Eccleſias fundarunt; vndè ſemper ipſorum authoritate fundatæ ſunt.

Et ſi dicatur: Quomodo Romanus Pontifex, ſiue Romana Eccleſia dici poteſt fundaſſe omnes Eccleſias, cum plures aliæ Eccleſiæ ante fundationem illius fundatæ ſint, ſicut Eccleſia Hieroſolymitana, quæ habuit Archiepiſcopum Iacobum fratrem Domini, vt habetur *66.* porrò. Etiam ſic Antiochena fuit fundata à Petro, in quà primùm Diſcipuli ſunt appellati Chriſtiani; & ſic etiam de mul-

multis alijs. Dici poteſt, quod omnes Eccleſiæ fundatæ dicuntur à Romano Pontifice, in quantum illæ, quæ præceſſerunt Romanam Eccleſiam, fundatæ ſunt authoritate Petri, qui fuit Romanus Pontifex:

Etiam Romana Eccleſia poteſt dici illas fundaſſe conſequenter, quia fuit Sponſa Petri, vt ea, quæ attribnuntur Sponſo, attribuantur etiam Sponſæ, euius authoritate tales precedentes Eccleſiæ fundatæ ſunt, vt attribuantur Sponſæ, quæ fecit Sponſus; Nec ipſa dicitur fundamentum aliarum, niſi per hoc quod eſt Sponſa Petri.

Cùm egro Anteceſſor, & Succeſſor ſint pares in officio, quantumque diſpares in merito; ſicut dictum eſt de Petro, ita dicendum eſt de quolibet ſucceſſore; qui poteſt nouas Cathedras Epiſcopales erigere & mutare, diuidere, & vnire, ſecundum quod magis vtilitati fidelium viderit expedire, &c.

C A P. X.

Quod ſola Sedes Romana ſic eſt propria Papæ, & ſucceſſorum eius, quod Papa eam mutare non poteſt.

LIcet in ijs, quæ ſunt iuriſdictionis, & ordinis, eantum poſſie quilibet Summus Pontifex, quantum potuit Petrus, in quantum Papa; in ijs tamen, quæ ordinata fuetunt à Chriſto, nec Petrus, nec alins Summus Pontifex poteſtatem habet nec tollendi, nec immutandi. Petrus autem licet aliquando proprio motu ſuam Sedem elegerit Antiochiæ, & aliquando etiam fuetit ſine ſpeciali ſede, & ſemper intermedio tempore potuiſſet ſuam Sedem mutaſſe de loco ad locum iuxta beneplacitum ſuæ voluntatis, quia ſicut potetat aliorum Epiſcoporum Sedem mutare, ſic etiam poterat & ſuam; poſtquam tamen Sedes Romana facta eſt ſua non ex proprio motu, ſed magis ex ſpeciali iuſſione diuina non videtut quod talis Sedes per eum mutari potuit, nec etiam nunc mutari poteſt per aliquem purum hominem, ex quo Romæ electa eſt ex diuina iuſſione, quod ſatis probari poteſt per illud, quod ſeribit Marcellinns Papa vniuerſis Epiſcopis per Antiochiam conſtitutis 24. qu. 1. Romanus Pontifex ipſe eſt Caput ipſius Eeeleſiæ, cùm ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam; eius enim Sedes primitus fuit apud nos, quę poſtea iubente Domino Romam tranſlata eſt. Quem iuſſum Dei exponit Innocentius extra, qui filij ſint legit. cap. *per venerabilem*: dicens ſic locus quē elegit Deus, Apoſtolica Sedes eſſe dignoſcitur. Cum enim Petrus de Vrbe fugiens exiuiſſet; volens eum Dominus ad locum, quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo — Domine quo vadis? Reſpondit — venio Romam iterum crucifigi, quod inrelligens Petrus propter ſe dictum, ad locum priſtiuum eſt reuerſus. Cogitabae enim fortè Petrus, propter inſtantem perſecutionem Neronis, alibi, propter quietem maiorem habendam, ſuam Sedem locare, quod Dominus fieri prohibuir, volens ibi ſuam Sedem, & ſucceſſorum ſuorum finaliter permanere.

Et propter hoc alius Epiſcopus Romæ non ponitur, quia etſi Dominus Papa præſideat omnibus Eccleſijs vniuerſaliter, nihilominus tamen alicui, videlicet Romanæ ſpecialiter; vt verè, & propriè dicatur Epiſcopus, non ſolum orbis, ſed etiam vrbis.

Cui veritati etiam ipſe Conſtantinus Imperator teſtimonium perhibet in Epiſtola directa vniuerſali Eccleſiæ, cùm dicit, quod Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt, iuſtum non eſt, vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem; propter quod ſuum Imperium, mandauit in alijs partibus ordinati.

Et quia ſic Romana Eccleſia immediatè à Chriſto ſundata eſt, numquam errare poterit, nec corruere, ſicur nec vniuerſalis Eccleſia. Et propter hoc ſpecialiter dictum eſt Petro — Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Non ſic autem eſt de Eccleſijs, in quibus alij Apoſtoli præfuere, quæ iam factæ ſunt ſchiſmaticæ: Tota etiam Achaia quæ ſuit Eccleſia Beati Andreæ, à fide eotaliter deſecit. Et ſimiliter accidit de Eccleſia Aſiana, quæ eſt totaliter à fide ſubuerſa, & ſuit Eccleſia Beati Ioannis. Et communiter hoc videmus in Eccleſijs Apoſtolorum aliorum, & in Ethiopia, quæ fuit Eccleſia Matthæi, & in India maiori, & minori, quæ fuerunt Eccleſiæ Thomæ, & Bartholomæi.

Sed per Antouomaſiam Romana Eccleſia non ſolum à fide non corruit, immò numquam de aliquo errore vetecundata eſt, vt dicit Cyrillus in lib. The. nec per Dei gratiam in poſterum verecundabitur, quia ab illo plantata, & ædificata eſt, qui eſt via, veritas, & vita; Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

ALEXANDRI
A TVRRE CREMENSIS
CANONICI ORDINIS LATERANENSIS.

DE FVLGENTI RADIO HIERARCHIÆ
Eccleſiæ Militantis.

LIBER QVARTVS.

DE MAIESTATE S. ROMANÆ ECCLESIÆ.

Alexander à Turre Cremenſis Canonicus Regularis Lateranenſis, Artium, & Sacræ Theologiæ Profeſſor ſcripſit de Fulgenti Radio Hierarchiæ Eccleſiæ Militantis Libros X. in duas partitos claſſes, in quarum prima de ordine, pulchritudine, maieſtate, & cultu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præclare diſſerit; In altera verò de Ampliſſimo Cardinalium Senatu, illorumque præcipuis functionibus, atque muneribus, quod opus obtulit Sixto V. Pontifici Maximo tunc Clauum Eccleſiæ dirigenti, ac cum Priuilegio eiuſdem Summi Pontificis Romæ primum Typis datum fuit anno 1588. poſteà verò Venetijs 1604. ex hoc opere trexdecim extraximus Radios (quo titulo librorum capita inſigniuntur) ex lib. quarto & quinto primæ partis in quorum primo Maieſtatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Monarchia Petri eius Principis dilucidat; in altero verò cultum & amplitudinem Apoſtolicę Sedis præclarè exponit. Meminit huius Authoris Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo in ſua Bibliotheca Pontificia, quem & Epiſcopum Sithienſem fuiſſe affirmat.

RADIVS XI.

De Monarchia Petri, totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Oecumenici Principis.

PRæpotens ille rerum opifex Deus, qui ſua peringenti virtute cælum ipſum, & terram, & omnia quæ cæli, & terræ ambitu continentur, ex nihilo condidit, & condita tuetur, & regit, vt noſtris in animis perpetuo eſſet infixum & ſculptum ab vna ſumma, & infinita omnium rerum poteſtate mundum gubernari, ſapientiſſimè decreuit, vt omnia, quæ ſenſibus ſunt obiecta, vnius eximij, ac præcipui principis ſpecimen exhiberent. In pulcherrima planetarum, vt ab altioribus inchoemus, diſpoſitione, ſolem manifeſtiſſimum temporum ducem, luminumque reliquorum moderatorem optimum, peregregiam regis imaginem præbere cernimus. Nam ante prefulgidum hoc lumen, quod ſumma ratione, ordine, & harmonia, omnia prorſus cæleſtia, & terreſtria moderatur, conſpicuè oriuntur Saturnus, Iuppiter, & Mars; poſt ipſum verò Venus, Mercurius, & Luna ſuccedunt. Illud autem veluti regem, quem ſerui antecedunt, & inſequuntur, medium incedere, & circuli Zodiaci ſignis, tamquam comitibus, & proceribus circumcingi demiramur. Sol magnificentiſſimi regis imaginē gerit.

Cæleſtia nobiliſſima corpora, quæ Dei ſumma vis & immenſa maieſtas, certo & conſtanti temperauit curſu, vt nihil perpetua eorum conuerſione mobilius, nihil mobilitate illa certius videri poſſit, ſuorum motuum initia ab vno primo mobili ducunt. Ipſum enim cæleſtium ſphærarum primum cælum, immutabili quadam neceſſitate ab oriente in occidentem per meridiem, atque ita deinde per ſeptentrionem ad orientalem plagam, viginciquatuor horarum ſpatio quotidie decurrit, & ſeſe citiſſimè circumuoluens, omnes inferiores orbes raptu trahit quàm velociſſimo. Superiora corpora sui motus originem à primo mobili ducunt.
Propterea Sol, qui aſtrorum obtinet principatum, ſingulis reuolutionibus ad motum Sol dierum ductor.

raptus completis, & fluentia motu corpora diſtinguit, & dies ſingulos producit. In mixtorum corporum conſtipatione, elementorum coitu procreata, vt à ſuperioribus deſcendamus ad inferiora, vnum elementum ſemper prædominatur. Arborum ramuſculi hinc inde brachiorum more porrecti, ortum trahentes à tenui bacillo, tum deinde augeſcentes, & eo paulatim per gradus quaſi quoſdam peruenientes, quod in ſui ipſorum natura perfectiſſimum eſt; è virgis & viminibus conualeſcunt. Virgæ ſuam ad retinendam naturam validioribus ramis hærent infixæ.

Tota arbor in vna radice viget.

Diffuſiores rami ſtipitibus innituntur; ſtipites infimis defiguntur radicibus, à quibus alimenta capientes, candicibus per totam diffundunt arborem, vt omnia participent ſucco, qui in radice viget; atque ita è terris natis arboribus, ad vnam radicem, tamquam ad primam vitæ originem, natura omnia reducit. In humani corporis conſtitutione, membra diuerſa ad diuerſas functiones & munera inſtituta, à corde, vt à perenni membrorum fonte, ſua nanciſcuntur exordia, ab eoque præſtantiſſimo vitę organo confouentur. Animata, anima vt duce & principe, in ipſis reſidente, ad motum, actionemuè impelluntur, recedente verò, illico inanima facta nihil agunt. Apes quin etiam, & Grues, ab intelligentia non errante ductæ, ducem vnum inſequuntur, quo moto ſtatim mouentur, & eo conſiſtente continuò ceſſant, inuolatuque ordinem pertinaciſſimè ſeruant: Quid de homine cæleſtibus donis ornato proferam? cui ſingulari Dei munere conceſſum eſt, vt cæteris præſtet animantibus. In eo profectò vna rationis capax anima, vna inſignis præ cæteris ratio, veluti præcelſa microcoſmi regina clauum tanti imperij tenet. Et ſi hæc omnia deſpicientes inferiora, denuò rectis contemplationum itineribus in cæleſtem ſubuolauerimus locum; facilè nobis erit compertum, in illis cæleſtium numinum exercitibus, omnes Angelorum copias ſub vno duce inſtitui.

Cor vitæ origo.

Anima corporis princeps.

Apes & grues abſolutū planè quoddam regiæ politiæ ſimulacrum induunt.

Ratio omnium potentiarum regina.

Angeli enim ad Archangelos; Archangeli, ad Principatus; Principatus, ad Poteſtates; Poteſtates, ad Virtutes; Virtutes, ad Dominationes; Dominationes, ad Thronos; Throni ad Cherubim; Cherubim, ad Seraphim ordinantur: & in quolibet illarum mentium agmine vnus qui totam inſtruit militiam, admirabili poteſtate præeminet. In hac igitur tàm ampla, ac tàm aperta rerum latitudine, & vniuerſitate deuenire opere pretium eſt ad vnam omnium effectricem, ad vnam omnium motricem, & conſeruatricem cauſam, atque vt peripateticorum auriga conſultò deliberauit, ad vnam rerum omnium in orbe exiſtentium menſuram & regulam. Plurima enim quotieſcumque in vnum ſunt ordinata finem, ſummoperè eſt opus, vnius temperatoris & moderatoris imperio ſubeſſe. Sicuti enim particularis prouidentia, bono particulari proſpicit; Ita vniuerſalior prouidentiæ facultas, vniuerſale bonum procurat. Ideo in aciebus ordinatè inſtructis, duces non ſatis eſſe putas, niſi & imperator, in cuius poteſtate ſitum eſt totius ordinis robur, præſto adſit. Propterea ille philoſophus, qui ab rebus occultis, & ab ipſa natura inuolutis auocauit philoſophiam; & ad communem vitam adduxit, ſcriptis commendat: Et Ciuitatem ab vno rege; & Domum ab vno patrefamilias; & Pagum ab vno illius cognitionis antiquiore regi; & Deos ab his qui ſtultè & impiè plura finxerunt numina, ab vno rege Ioue, tamquam à nobiliori regimine gubernari antiquitus creditum: Quoniam nulla vmquam multitudo poteſt ea diſciplina præcellere, qua ſecundum mentem ciuitas regatur, ſed recta ciuitatis adminiſtratio, apud vnum certè eſt exquirenda.

In cæleſti Hiererchia ad vnum ſupremum deuenimus principatū.

In tota entium latitudine eſt vna omniū menſura.

In numeroſo exercitu vnius Imperatoris poteſtas neceſſaria.

Polit. lib. 1. cap. 1. in fine.

Dij ab vno rege Ioue reguntur.

Apud quos ſit optima politia.

Quis enim tàm craſſo natus eſt ſub aere, qui non percipiat vnius optimi principis regimen, cæteris longè antecellere? Tàm enim ex parte eius, qui regit, quàm ex parte illius, qui regitur: Tàm ex robuſtiori potentia: quàm ex ſolidiori pacis fœdere; Tàm ex generali omnium bono; quàm ex ſolida, atque perfecta felicitate, quam vniuerſi homines exoptant; Monarchia cunctis gubernandi rationibus eſt præferenda: Cum primis Monarchię præſtantia ex vnius moderatoris ductu perſpicuè apparet: Vni enim omnium rerum opifici, ac rectori Deo, cuius conſilio, & imperio regitur mundi moles, magis aſſimilatur. In toto enim vniuerſo, vt etiam mentis acie perſpexerunt philoſophi, vna degit princeps rerum cauſa, & auctor; à quo tamquam ab inexhauſto bonitatis fonte, perfecta bona dimanant, & ad quem tamquam ad ſummam & abſolutam perfectionem, omnia peringenti nixu contendunt.

Ex quibus locis oſtenditur Monarchiam omnibus gubernationibus præſtantiorem.

Monarchia Deo magis aſſimilatur.

Tota enim natura vnus eſt exercitus ad vnum ducem, & principem Deum ordinatus, vt eſt apud philoſophum, quippe qui luminis ductu paulatim progreſſus, ex his, quæ ſenſibus percipiuntur, ad illum mundi effectorem & molitorem Deum peruenit, de quo ita ſcribit: At entia nolunt male gubernari; Non eſt bona pluralitas principatuum: vnus ergo princeps; vna ergo numinis prouidentia, quę omnia mouet, omnia, regit, omnia producit, atque diſtribuit. Plato quoque diligens cæleſtium arcanorum ſcrutator, regiam gubernationem vt omnium optimam laudibus effert, totius humani generis imperium in vnum, qui totius orbis habenas tractet conferendum hac ratione exiſtimat: Si tres, inquit, mundi partes tribus regibus partitas ſubegeris, de facili continget, quod duo vni, vel duobus vnus quandoque inferat bellum, vel de aliqua re ſaltem diſceptare cogantur: Ergo vel inter eos ad vnum trium erit litis iudicium deferendum, vel ad quartum aliquem præter tres conſtitutum iudicem. Et demum quacumque ratione id fiat, neceſſe erit iudicem, cuius ſententiæ ſtandum ſit, imperium in eos habere, aliter iudicium nullius erit roboris.

Natura eſt vnus exercitus.

12. Met. tex. 55.

Vnus totius mundi dominatur.

Plato in Ciu. vel de Reg.

Vnica ratione perſuadet Plato melius eſſe vnū omnium regē, qui multos principes.

Vnum igitur expedit eſſe regem omnium, & iudicem omnibus venerandum, atque timendum. Ad decorem, itaque & pulchritudinem eorum (vt eximij Doctoris noſtri pari vel doctrina, vel ſanctitate præditi Vgonis de Sancto Victore, percelebri vtar ſententia) eorum quæ ſapientia ornauit operum, ab vna virtute, & poteſtate diſtribuuntur multæ virtutes, & poteſtates multæ efficiuntur: Sed nè rurſus multitudo ſchiſma generet ante diuiſionem, & aduerſum ſe pugnet orbis, dominatione contraria, vnum principium eſt, & moderator vnus omnium, à quo habent ipſum

Vgon. circa princ. com. ſuper Angel. Hierar.

omne

omne quod efficiunt, vt vniras maneat omnibus, & pax perſeueret in regno cuncta creantis, & gubernantis omnia Dei. Deinde quod regnum monarchicum humano generi magis expediar, ex hoc ratiocinio magnum habenre momentum perſpici poteſt: Maximè enim neceſſarium eſt, regem, tamquam viuum quoddam Dei ſimularum, incorrupra vita populi mores corrigere, ac virtutis exemplar ſe ipſum omnibus præbere.

Integriratis ſimulacrum debet eſſe Princeps.

Tale autem erir, ſi vnus ante omnium elucebir aſpectum. Nam ſi vnus Princeps totum terrarum orbem premet imperio; nec improbis patebit auditus; nec ipſe alrerius regni ditionem affectabir; nec ex aliorum principatu contrahet inuidiam; quare iuſtitia prædirus, & ab omui cupiditate, & liuore alienus, populos ramquam cariſſimos filios vnicè diliget; Nationes tamquam proprias familias diligenrer curabit; ac ita vniuerſus orbis non amplius tyrannidi, non amplius paucorum potentiæ, non amplius inſanientis plebis furoribus ſubiectus, ab vno Rege, velut ab vno iuſto, pioque Paſtore deductus, pace, & bonorum copia, ac vitæ rranquillirate perſruetur. Fęlix hominum genus, ſi talis inſtrueretur Monarchia, ſub qua Regnum illud aureum reuiuiſceret.

Bona quæ ex Monarchia oriuntur.

Virtus vnita fortior.

In eo vtique potentiæ vis, quæ in plures partira diſtrahitur, & exringuitur, ad profligandos communis pacis perturbatores robuſtius valeret. In eo concordiæ fędera, quæ ex principantium multitudiue, ſicnt & ipſa corporis conſtitutio, & habirus ex humorum diſſidio diſſoluuntur, indiſſolubiliori colligata vinculo permanerent.

In Monarc. bonum cōmune magis adſeruatur.

In eo commoda, communeſque vtilitati magis proſpiciat vnus, quàm plures, qui propria emolumenta auidius expetentes, cōmune ſibi frequenter vſurpant. Proprereà Ariſtoteles ſtatuit in vnaquaque poliria, vnum principaliſſimum reponendum eſſe principatum, ſub quo omnes regerentur ciues, & ex cuius auctoritate omnium officia, ac munera penderent.

3. Polit. cap. 4. in princip.

Poſtremo ex Monarchiæ gubernatione hoc maximum conſequimur beneficium; ſub ea enim vnius gubernatoris prudentia ducti ad peroptatum ſalutis portum felicius deuehimur. Regnum ſiquidem nil aliud eſſe decernunt ſapientiores, quàm directionem gubernatorum ad finem.

Quid ſit regnum.

Præcipuè hæc ratione introductum eſt regnum, vt multitudo tranquillè in peroptatum deducarur finem. Ab vno autem ſapienri ductore tutius, quàm à pluribus conuehitur, & plæriſque nauigij vectoribus adinuicem non conſentiētibus, & vni clauum obtinenri non obtemperanribus, nauigium ad portum perueniet vmquam.

Regnū cur inſtitutum.

Ex his, quæ ſole ipſo illuſtriora, & clariora ſunt, perſpicuè comprehendimus Monarchiam cunctis gubernationibus eſſe antepouendam. Regum igitur Princeps Deus, qui populum Hebræorum tanto proſequutus eſt amore, vt propter beneuolentiam erga illum ſummam, Prophetarum oraculis dixerit: eum ceu pupillam oculi ſui ſeruare arque tueri; omnem adhibuie diligenriam, vr vnius Ducis, ac Principis ſceptro regeretur. Cum Iſraelem Ægyptiacæ obnoxium ſeruituti, ac Pharaonico crudeliter oppreſſum dominatu, è tanto miſeriarum carcere, è tanta Tyranni ſaruirure vindicauiſſet in libertatem; Moſen adhoc peragendum munus inſtitutum populo præfecit.

Primus Dux Iſrael. pop.

Conſumpro Moſe, populi curam Ioſue mandauir. Poſtquam, & Ioſue è viuis exceſſit, continuata ſerie vſque ad ſacerdotale regimeu ſtrenuum ſemper ſelegit Ducem, qui ab hoſtium iniurijs populum turaretur. Deleto ducatu, ſummum Sacerdorem Heli, deinde Samuelem Iſraeli præpoſuit.

Sacerdotes ducum muneribus fungentes.

1. Reg. ca. 8.

Poſt Sacerdotes poteſtas regendi ad reges trāslata eſt.

Populo verò amplius nolenre à filijs Samuelis iudicari, cunctorum temperator regnorum regiam in Iſraele conſtiruit dignitatem, in ſolioque Regio primò Saulem, deinde Dauidem, poſtmodum Salomonem ſedere effecit. Ex quibus apertis ſacrarum literarum teſtimonijs confirmarur, monarchico ductu veluti ſingulari gubernandi ratione, cæleſtem rectorem pulcherrimam populi ſui prolem omni tempore fuiſſe moderatum. Verum cum plurimæ ſinr Monarchiæ ſpecies, exactius perpendendum eſt, quænam omnibus excellat, vt perſpicuè conſter, illum, qui libenti animo crucis mortem pro Eccleſia ſubiuit, eam nobiliori politiæ decore, & auxiſſe, & adornaſſe. Huic autem inueſtigationi plurimum lucis afferre poteſt Ariſtotelis nobilis doctrina, quæ regiam gubernationem curioſius declarauir.

3. Polit. c. 10.

Monarchiæ Etymolog.

Vnius igitur principatus, qui græco vocabulo dicitur Monarchia à Monos, quod eſt vnum, & Archos, quod eſt Princeps, quia in ea penes vnum eſt ſumma rerum omnium, imperandi ius, atque poteſtas, complexu ſuo genera quinque coercet, ac continet.

Monarchiæ ſpecies.

Quorum primum ducatus Imperialis exercitus nuucuparur, quippe quæ à Lacedæmoniorum Republica ortum habuir: Eorum enim Rege ſecundum paternæ tradirionis iura conſtituto, nolebant illius poteſtatem ita in Ciuitate latè patere, vt viræ, neciſque haberet imperium, ſed eorum rantum quæ ad ſacrificia Deorumque cæremonias ſpectabane, cura demandabatur in Ciuitate. Cum verò egrederetur ab bella, pleno iure confirmatus, & leges condere, & vita priuare, ac arbitraru ſuo cuncta regere, arque moderari valebat, ad eum ſiquidem, dum bella gereret, omnia erant delata, quod apertiſſimo Homeri comprobatur teſtimonio;

Vna regni ſpecies eſt perpetua belli auctoritas.

Terrificum Agamemn. dictum.

Agamemnon enim in concionibus, iurgijs, & maledictis vexabarur, ſed cum à concione digreſſus decertaret in prælio, occidendi obrinebat auctoritatem: Itaque inquir, quem ego procul à pugna fugienrem conſpexero, non ſibi ſar erir fugere canes, & aues; nam penes me occidendi poteſtas. In eo igitur Lacedæmoniorum opera verſabatur, vt belli auctoritas apud vnum perpetuò reſideret. Varijs quidem, aptiſſimiſque ſententijs in ſenatu concludebanr, nullum opus inſigne, nullum egregium facinus abſque vno ſumma auctoritate munito duce perfici poſſe.

Militarem diſciplinam nihil grāde abſq. Imp. perficere.

Athenienſium Reſpublica, cui regia maieſtas admodum erat inuiſa, quoties plures ſuo exercitui præfecit ductores, infelici ferè ſemper exitu, rem concluſit militarem. At quandocumque vnus virtute, & vigilantia duxit Reip. copias, peroptatam palmam numquam non ſortira eſt.

Athenienſiū confirmatur exemplo.

Quo re ipſa expertum fuir Monarchiæ principatum rebus etiam bellicis plurimum prodeſſe. Eſt & alia

Digitized by Google

apud Barbaros Monarchiæ ſpecies, vt regnũ in quadam proxima tyrannidi communitum legitima tamen conſuetudiue obtentum: Ferę enim Barbarorum nationes, & illæ potiſſimum quæ Aſiam minorem incolunt, duriſſimo natæ ſeruitio, ſeruile iugum æquo animo perferunt; quod ſanè Græci, ac omnes ſub Europæ cælo progeniri, mirabiliori quadam ingenij præſtantia altiuolantes perpeti nequeunt. Ipſorum itaque regnum partim tyrannicum, partim non tyrannicum dijudicatur. Tyrannicum quidem, quia vulgus illud nebulorum incultum, ac cymmerijs tenebris implicitum, à ſuis Regibus ſuperbiſſimo comprimitur dominatu. A tyrannico autem imperio alienum, quoniam peruetuſto more, & legibus receptum eſt apud cunctam Barbariem, vt eorum Reges, quos tamquam numina diuina venerantur; à ciuibus ſuis, & non ab externis mercede conductis militibus, vt tyranni, ſepti teneantur cuſtodia. Aliud eſt Monarchiæ genus non omnino tyrannicum, quia neque vi, neque generis ſucceſſione, ſed electione, & pro tempore præfinito erectum eſt: A tyrannide autem non longè recedens, quia ſubiectis, tamquam mancipijs dominatur, vt apud Graios Æſymnetæ. Olim enim populorum greges quadam coacti neceſſitate, virum ad principatum aſſumebant, ſed rebus abſolutis, de ſolio pariter deponebant. Hinc Alcæus poeta, qui vnà cum Antimenide Mitylenæis præerat, carmine Mytilenæos carpit; quoniam ciuitati grauiter laboranti, Pittacum obſcuro genere prognatum, ac parum habentem animi, aduerſus exules magno elegiſſent applauſu, rebuſque Ciuitatis præfeciſſent. Heroum temporibus, vt Iouis, Saturni, & Herculis, qui ſingularem virtutis ob excellentiam, ſupra communes hominum vires eluceſcentem, Heroes, hoc eſt, diuini dicti ſunt, quarta regni ſpecies in lucem progreſſa eſt: Nam ſuboſcuræ gentes, vel propter præclara in multitudinem collata beneficia, vt Iuppiter, qui populis beneficentiſſimus regno donatus eſt; vel propter artis adinuentionem, vt Saturnus, qui in Italia ad principatum eſt erectus, quia ſeminandi edocuit artem; vel propter armorum robur, quia heroica virtute, rerumque geſtarum magnitudine præſignis, de aliquibus nationibus victoriam retuliſſet, vt Hercules; vel propter congregationem in vnum, quia homines politiæ penitus expertes, & ferarum more incolentes nemora, ac prærupros montes ad ciuilem coegiſſet vitam, vt Thraicius Orpheus, de quo vaticinantur poetæ, quòd lyrico cantu ſyluas, & ſaxa mouerit, fluuiorum curſum retinuerit, feras mitiores reddiderit; quoniã agreſtes, & feros homines propè flumina vitam duriter agentes, legum diſciplina manſuefecit, & à ferino victu, ad elegantiora vitæ inſtituta traduxit: vel propter regionis acquiſitionem, quia ad populi poteſtatem exteras nationes redegiſſent, ac Imperij terminos protendiſſent: Huiuſmodi quidem heroibus gentes regnorum ſuorum ditiones, & iura ſpontè deferebant. Vnde priſci regnorum moderatores, Ciuitates, & Nationes gubernabant; belli imperium habebant; rei diuinæ cultum exercebant; & de litibus, & controuerſijs ſecundum patrias adiudicabant leges.

Dominatus Barbaricus.

Europa ſeruituti haud nata.

Rudes Aſiæ gentes tyrãnico premũtur imperio.

Gentes ſuũ Regem, vt numen, adorant.

Tyrãni alienis ſe ere. dunt, & contra ciues cuſtodiam parant.

Monarchia regia ſimul, & tyrannica quæ.

Heroũ principatus.

Qui dicti ſunt Heroes.

Gentes regnum viris inſignioribus deferebant.

Orphei lyra cãtus, & melodia.

Regnũ priſcorum munera.

Quatuor iam enumeratis Monarchiæ ſpeciebus, quinta omnium nobiliſſima, & pręſtantiſſima accedit. Ea autem eſt, in qua vnus optimis, ac Principe dignis imbutus rationibus, à ſapientiſſimis, & prudentiſſimis Conſultoribus eligitur, vt ſumma rerum cum auctoritate, & poteſtate in puppi ſedeat, ac totius Regni clauum ſuo moderetur arbitratu. Quem ſanè oportet, vt noctes, ac dies cogitet, omnium bono ſe natum eſſe, ac ſubleuandis mortalium rebus à ſuperis traditum. Abſolutus enim Princeps ad exemplar gubernatoris domus regnat, & imperat. Vt enim gubernatio patrisfamilias eſt regia quædam poteſtas domi; Ita regia poteſtas eſt Ciuitatis, & gentis quaſi domeſtica quædam gubernatio. Ideo qui dominatu omnia tenet, paterno in omnes animo ciuium incolumitati adeo conſulat, vt curas ad ipſorum commodum conferat omnes. Ex quinque Regni ſpeciebus, Laconica ſcilicet, quæ fuit imperium belli perpetuum: Barbarica ex progenie dominatio ſecundum duras leges; Æſymneta, quam electiuam eſſe tyrannidem diximus; Heroica, quæ viri vnius de populorum voluntate propter collata in gentem beneficia ad ſummum dignitatis euectio dicitur; & abſolutè Imperatoria, in qua vnus omnibus virtutum numeris abſolutus, ac ſapientiorum ſuffragijs delectus, rem tenet publicam: poſtremam vt nobiliorem gubernandi ſpeciem, non ſolum calculis punctiſque approbant ſapientiores omnes, ſed etiam vt celebriorem dignioribus, vt par eſt, efferunt laudibus.

Optima Monarchia.

Poteſtas regia cui ſimilis.

Regis cura.

Monarchiarum nomina

Nemini igitur mirum videri licet, ſi Dei filius, qui aſſumpta carnis imbecillitate mortem pro Eccleſia voluntariam obiuit, vt illam ſanguinis ſui claritudine, regio honeſtauerit ornamento. Multis enim ſacrarum ſcripturarum locis ſcriptum eſt: Ambuletis dignè Deo, qui vocauit vos in regnum ſuum. Prætereа, eripuit nos de poteſtate tenebrarum filij dilectionis ſuæ. Deinde, regnum ipſius omnibus dominabitur. Daniel etiam palam teſtatur: In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, & in æternom non diſſipabitur; & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. At non ſolum regni decore ornauit Eccleſiam, ſed etiam optimi regni ſplendore affecit. Propterea vnam eſſe paſſim ſcripturæ prædicant. Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc vocant terram vnius labij, vniformem ob fidei confeſſionem, quam omnes profitentur catholici, qui & id ipſum credunt, & id ipſum dicunt, & id ipſum ſentiunt, & id ipſum ſapiunt: Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem. Multitudinem vnius voluntatis, vnius confeſſus, vnius ritus & moris. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Deus eſt, qui habitare facit vnius moris in domo. Vnum corpus; Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, Vnam ciuitatem; Ciuitas ſolis vocabitur vna. Vnum ouile; Erit vnum ouile, & vnus paſtor. Vnum regnum; Super ſolium Dauid, & regnum eius ſedebit, & regni eius non erit finis.

Eccleſia Dei regnũ merè dicitur & eſt.
Eph. 5.

Coloſ. 1.
Pſal. 102.
Daniel. 2.

Regni Eccleſiæ prærogatiuæ recẽſentur.
Can 6.

Regnum Eccleſiæ verè vnicum.
Gen. 11.

Act. 4
Pſal. 63.
Eph. 4.
Eſa 19.
Io. 10.
Luc. 1.
Cypr. de ſimp. prælat.
Tract. 14.

Vna eſt, inquit, ille Cyprianus glorioſus

mar-

Digitized by Google

martyr & Pontifex, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo ſolis radij multi, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine: Auelle radium ſolis à corpore, ſi potes, diuiſionem lucis vnitas non patitur. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præciſus areſcit. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur: neque vnitas ſeparatur corporis, ramos tamen ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput eſt, , & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Et quiſnam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, ſacramentis cæleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium diſſidio ſeparari? Hæc ille, & præclarè quidem. Nam taura hominum multitudo, quæ tàm longè lateque diffuſa eſt, vnam eſſe auguſtiſſimè prædicatur, quia vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptiſma profitetur, & ab vno eodemque ſpiritu fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam impartiente, alitur, & ſuſtinetur.

Hoc autem præſtantiſſimum Eccleſiæ Dei regnum tàm immenſum, tamquam diffuſum eſt, vt nec vnius regni terminis circumſcribatur, nec regionis alicuius limitibus terminetur, nec vno hominum genere definiatur, ſed à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum dilatetur. Oraculo ſiquidem vatis illius, qui omnia præcipua redemptionis noſtræ myſteria in pſalmis complexos eſt, dominatorum omnium Dominus, pollicetur filio ſuo peculiarem in hæreditatem daturum eſſe omnes gentes, quas regnum diuiniſſimum vocat auſpicatiſſimè; ſicuti ex illo loco patet: Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum. Hoc eſt regnum illud, in quo non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci, in quo non eſt circumciſio, & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber, maſculus & femina, ſed omnia in omnibus Chriſtus. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Idcirco pereximij Græciæ Theologi regnum Eccleſiæ, regnum Catholicum, Latini vniuerſale vocant; quod charitatis ſinu omnia amplectatur loca, vniuerſa tempora, cuncta hominum genera, cunctaſque nationes veram profitentes fidem amplexu ſuo contineat; ſicuti ſacris proditum eſt literis; Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Pſa l.2.
Hominum conuentus, Chriſto addictus & cõſecratus. Dei regnum eſt.
Apoc 5.
Rom. 10.
Col.3.
Gal 3.
Ioel.1.

Regnum Chriſti, regnum eſt catholicum.
Pſal.144.

Hoc eſt regnum, quod ab orbe condito ſumpſit exordium in Abel, & in Seth, Enoch, cæteriſque doinceps Patriarchis, atque Prophetis, ſignis, ſacrificijs, & cæremonijs mediatoris fidem obnunciantibus, continuatum eſt, ſerieque perpetua ad nos vſque peruenit, ad ſæculi ſenium vſque perduraturum: Conſtabiliuit enim illud in æternum, qui palam confeſſus eſt: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Hoc eſt regnum, quod regum omnium Anteſignanus ſupra montem in vertice montium in illo angulari lapide Chriſto firmauit, & ſupra omnes colles, vt vndique conſpiceretur, erexit, vt omnes euocatæ gentes ad illud properatò confluerent: Quoniam ex locupletiſſimo Eſaiæ teſtimonio: Gens & regnum, quod non ſeruierit ei, peribit. Hoc eſt regnum, quod præpotenti Deo innixum, & diuina munitum auctoritate, immortalique regi dicatum, neque tentationum vndis, neque perſecutionum tyrannicarum fluminibus, neque irruentibus hæreſum flaminibus concuti poteſt, atque adeo nè portas quidem inferorum aduerſus illud præualituras edixit, diuinæ veritatis confirmator. Hoc eſt regnum ſanguine Chriſti tinctum, & ab operibus mortuis ablutum & emundatum, quod ſanctitatis titulo exornatur, non ex eo, quia in ipſo tantum boni degant, quum improbi permixti bonis, & boni commixti improbis, veluti paleæ cum frumento in area confuſæ, ac veluti membra partim viua, partim intermortua vni corpori coniuncta, commorentur; ſed quoniam tantummodo in Eccleſiæ regno gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi, & remiſſionis peccatorum legitimè percipimus, quibus cum ſancto capite Chriſto totius ſanctitatis fonte coniungimur; à quo Spiritus Sancti chariſmata, & bonitatis diuitiæ diffunduntur. Hoc eſt regnum Apoſtolorum doctrina in omnem terrarum orbem diſſeminata propagatũ, ac Apoſtolico Sacerdotum genere adminiſtratum, quod nec de recta religione deflectere, nec in fidei, ac morum diſciplina tradenda errare poteſt, quia Spiritus ſancti aſſiſtentia gubernatur, & regitur.

A mundi primordijs cœpit Eccleſiæ regnũ
Math. 28.

Regnum Eccleſiæ vrbi ſupra mõtem ſitæ cõparatum.

Eſa 60.
Regnum Eccleſiæ regnum firmũ & immobile.

Math 16.

Regnum Eccleſiæ ſãctum eſt.

Regnum Eccleſiæ eſt regnum Apoſtolicum.

Verum ſicuti in omni regali ciuitatis genere, vno præcipuo rectore, & gubernatore maximè eſt opus: Ita in admirabiliſſimo Eccleſiæ regno vnus neceſſario requiritur, qui cæterorum obtineat principatum. Vnus igitur eſt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Dux primarius, & Rex inuiſibilis Chriſtus, qui vatis oraculo prædixit: Ego autem conſtitutus ſum hæreditario iure Rex, ab eo Deo patre ſuper Syon Eccleſiam ſpeculantem, montem ſanctum eius; in eminentia honoris, & firmitate fidei, prædicans & euangelizans præceptum eius, & voluntatem patris mei. Cæterum præclariſſimus Eccleſialtici Regni princeps, qui ſalutis eius cupidiſſimus crucis ſupplicium æquo animo hauſit, morte ſubacta & oppreſſa, deuictoque Diabolo, & ſpoliatis inferorum ſedibus, ad illa cælorum habitacula aſcenſurus, nè genus ſuum electum, quod ſanguine acquiſiuit, remaneret, aut acephalum, aut multorum capitum bellua, aut abſque fido cuſtode vagum, oberranſque pecus, aut truncum cadauer à capite ſeiunctum, ſiue potius corpus quoddam monſtruoſiſſimum, in totius mundi Theatris, membris coagmentatum clariſſimis & apertiſſimis, abſque prompto & conteſtato capite; loco ſui Petrum qui vniuerſalis Eccleſiæ gereret curam, manifeſtò conſtituit dicens: Simon Ioannis diligis me plus his, paſce oues meas, paſce agnos meos, hoc eſt (vt Eccleſiæ decus illud, & iubar Ioannes Chryſoſtomus grauiſſimè interpretatus eſt) loco mei præpoſitus eſto, & fratrum tuorum caput, os, atque princeps.

Eccleſia cur non poſſit errare.

Inuiſibilis Eccleſiæ Rex, Chriſtus Deus.
Pſal.2.

Quia ratione conſtitutus eſt Petrus vniuerſæ Eccleſiæ paſtor ſummus atque præcipuus.

Primus rex viſibilis ſãctę Eccleſiæ Petrus fuit.
Io: 21.
D.Chryſ in cap.Io.21. Hom.87.

Petro

Petro igitur, vt veritatis ſontes aperiam, tamquam ei, qui cæteris præfulgebat eminentia, curam râm ouium, quàm agnorum vniuerſalem videlicet Eccleſiam commiſit, & vt paſtori œcumenico, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ præpoſito, totum ouile commendauit; Inquit enim, Paſce oues meas, non has vel illas oues, ſed abſolutè & vniuerſè oues meas: Qua ouium commiſſione, Petrum vniuerſæ Eccleſiæ paſtorem conſtituit, ac vniuerſo terrarũ orbi regem præpoſuit. Ipſi enim dixit, vt apud Græcos inuenire eſt ποίμαινε τὰ πρόβατά μου paſce oues mei, paſtorum more gregem meum cura, rege, atque guberna. Ποιμαίνω ſignificat paſco gregem, paſtorum more guberno, curo gregem, & rego ποιμὴν, idem quod paſtor: paſtoris autem nomen apud Homerum, & Platonem, regibus attribuitur, cui rei & Homerus noſter Mantuanus carmine alludit, dum modulatur.

Paſcendi verbũ multiplicem haber ſignificationem.

Paſtor eſt nomen regium.

Deſertaque regna Paſtorum.

Virg. 2. Georg.

Albertus Pighius Campenſis omni doctrinæ genere inſtructus, mihi videtur, medullas verborum Chriſti, quæ regio Sancti Petri principatui fauent, funditus attigiſſe; Ideo illius doctiſſimam lucubrationem hic adducere non grauabor, vt fœcunda, ſplendidaque ſtudioſorum ingenia inſpiciant, nos Sancti Petri dignitatem non ab re Monarchiæ nomine decoraſſe. Paſcendi verbum (ita præponderat Pighius Chriſti ſententiam) duplicem illam apud nos ſignificationem obtinuit, alteram quidem propriam, & per tranſlationem alteram, adeo vt cum ad rationalem gregem transfertur, idem ferè ſit paſcere, quod regere, gubernareque cum auctoritate, poteſtate, & imperio; quemadmodum Regum, Principum, magiſtratuumque proprium eſt; quos ob id & paſtores ſubinde appellat ſcriptura. Vnde congregatus, inquit, omnis Iſrael ad Dauid in Hebron dixit: Ecce os tuum, & caro tua ſumus, heri quoque & nudius tertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Iſrael; Tibi enim dixit Deus tuus; tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris Princeps, aut dux ſuper eum. Audis hic quid ſit, populum paſcere.

Petri dignitas iure inſcribitur Monarchia

Pigh. Eccl. Hierar. lib. 3 cap. 6. prope finem.

Quid paſcere populos, & qui paſtores.

2. Reg. 5.

Rurſus Ezechielis 34. Et ſuſcitabo, inquit, ſuper pecora mea paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid, & ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorem; Ego autem ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Vides vt etiam hic idem ſit princeps, & paſtor. Loquitur autem de Chriſto, qui dixit, Ego ſum paſtor bonus; & ad patrem reuertens, ouilis ſui Petrum pro ſe paſtorem ſubſtituit. De quo etiam ita præcinit Micheas; Et tu Bethelehem effrata paruulus es in millibus Iuda. ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis, &c. & ſtabit, & paſcet, in fortitudine Domini. Quem locum locum ita expreſſit Matthæus. Ex te mihi egreſſurus eſt dux, qui reget populum meum Iſrael. Quod dixit propheta, qui erit dominator, reddidit Euangeliſta ὅς τις ποιμανεῖ, quod noſter interpres vertit, qui reget, quemadmodum, & alijs pleriſque locis fecit, vt pſalmo 2. & reges eos in virga ferrea, & pſalmo 67. Ipſe reget eos in ſæcula, & 76. Qui regis Iſrael intende; & alijs locis ſexcentis, in quibus Græcus eodem vocabulo perpetuo vtitur, noſter autem variat, differenter exprimit. Rurſus, & regem paſtorem appellat ſcriptura, vt Eſaiæ 45. Qui dico Cyro paſtor meus es.

Miche. c. 5.

Math. 3.

Huiuſmodi ergo paſtor à Chriſto conſtitutus eſt Petrus ſuper ouile ſuum, hoc eſt ſuper Catholicam Eccleſiam. Eiuſdem illius omnipotens filius, qui ante dixerat Dauid: Tu paſces populum meum Iſrael, nunc dixit Petro, tu paſce oues meas, non vnius populi Iſrael, ſed ſimpliciter vniuerſas, & totius (vt Theophilus ille exprimit) orbis terrarum. Hunc ille verus Dauid princeps paſtorque noſter iam iam reuerſurus ad patrem ſuum inter nos conſtituit Vicarium, gregemque illi ſuum trina, vt audiſti, commendatione commiſit: proinde primi illi noſtri ſacerdotalis duces Apoſtoli, licet omnes eſſent ordine pariles, prædicatione æquales, quodam tamen excellentiæ gradu S. Petrus cunctis præſtabat, cui ſoli à Chriſto eſt enunciatum. Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelabit tibi, ſed pater meus, qui in Cœlis eſt. Diligis me plus his, paſce oues meas. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Confirma fratres tuos. Tu vocaberis Cephas. Tu me ſequere. Tu es Petrus. Tibi dabo claues. Vnde id notatu eſt admodum dignum, ea omnia, quæ Dominus præſente Petro retulit Apoſtolis, eamet vnius Petri auribus denuò inculcaſſe. Nonnullis dixit: Non poteſtis vna hora vigilare mecum; vni Petro nominatim, Simon dormis. Vbi oſtendit Petrum præ cæteris debere vigilare.

Hucuſq. Pighius.

Singularia Petri priuilegia ex ſcriptura.

Ea omnia, quæ Apoſtolis dix. Chriſtus, vni Petro ſingulariter replicauit.

Omnibus pollicetur, faciam vos fieri piſcatores hominum; vni Petro ſeorſum, Ex hoc eris homines capiens. Omnibus demandauit mundi curam: Euntes prædicate; Euangelium omni creaturæ; vni Petro ſingulariter, Paſce oues meas. Omnibus ligandi, atque ſoluendi tribuit facultatem: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt; vni Petro diſtinctè, Quodcumque ligaueris. Quorſum hæc? quoniam totius Dominicis gregis cura, ipſi quam maximè demandabatur. Nec parui momenti eſt, quod à ſe petra Chriſtus Simonem mutato nomine Petrum vocauit: Tu vocaberis, inquit, Cephas, quod interpretatur Petrus: quia ſuper hanc Petram ædificabo non hanc, vel illam, ſed vniuerſaliter, Eccleſiam meam. Neque caret myſterio, quod cum Dominus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſe manifeſtaret iterum ad mare Tyberiadis, ſolus Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, diuini cuiuſdam affectus impetu concitatus contulit ſe in mare, alij autem diſcipuli nauigio venerunt. Hoc quippe ſignum fuit (vt cum Bernardo profundos ſcripturarum aditus, myſticaque ſenſa adeamus) ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum.

Io. 21. Cephæ interpretatio.

Io. 21.

Bern. lib. 2. ad Eugen.

Mare enim ſæculum eſt, Naues Eccleſiæ; Inde eſt quod altera vice Matthæi decimo quarto, & Marci ſexto, inſtar Domini, gradiens ſuper aquas, vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet: ſiquidem aquæ multæ, populi multi: Solus ergo ſupra mare iuſſus eſt venire

Miſticus aquarum ſenſus.

nire

nite ad Chriſtum, vt daretur intelligi, quod totus otbis, qui per mare, eſt deſiguatus, ſuæ ditioni parere deberet. Petrus igitue ſuper omnes, vt ait Chtyſoſtomus, qui filij ſunt, poteſtatem accepit, non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo orbe. Cuius ſanè principatus rationem luculenter reddidit ipſemet Ioannes Conſtantinopolitanus, quippe qui hunc explicans locũ, Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei Petrus, etiam Domine, Tu ſcis quia amo te. Dicit ei Ieſus, paſce oues meas.

D. Chryſo. ſuper Act. Apoſtolorum.

Petrus Mundi Moaarch.

Io. 21.

Eccleſiæ, inquit, primatum gubernationemque Petro per vniuerſum muudum tradidit Dominus, quodque eſt omnium ſublimius, oſtendit, eum ad Dominum maiorem habuiſſe charitatem, quàm cæteri Apoſtoli omnes. Ad conſtituendam vtique, ac conſeruandam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ vnitatem, caput vnum, ſicuti extat omnium patrum conſentiens veritatis patrocinium, maximopere eſt neceſſarium: Ideo loquitur Dominus ad Petrum: Ego Petre dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc pettam ædificabo Eccleſiã meam: Super vnum inquit Cyprianus, ædificat Eccleſiam, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum: Tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem auctoritate ſua depoſuit. Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna eſſe mouſtretur eccleſia itaque ſieuti vnum eſt regnum, ita vnus præſes regni habenas moderatur: Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper tegna.

D. Chryſo. Tom. 3.

Ad vnitatẽ Eccleſiæ retinendã neceſſarius eſt præſes vnus. Cyp. de ſimpl. præl. vel de vnit. Eccleſiæ.

Eccleſiæ præſidia nomina
Hier. 2.
Oſe. 1.
Eccl 35.
Ezech. 34.
Ezech. 37.
1. Reg. 9.

Vnum caput totam terum ſummam tractat: Cougregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael, & ponent ſibi caput vnum. Vnus rector vnitatem retinet in vinculo pacis: Rectorem te poſuerunt, nolli extolli, eſto in illis quaſi vnus. Vnus paſtor iuclytum pecus cuſtodit, & paſcit: Suſcitabo ſuper ea paſtorem vnum: Et paſtot vuus erie omnium eorum. Vnus rex omnes tegni filios tuetur, & regit. Da nobis regem, conſtitue ſupet nos regem. Vnus ergo, inquit, ille ter ſanctus Leo, de toto mundo eligitur Petrus, qui & vniuerſatum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi ſint Sacerdotes, multique paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus.

Leo ſerm. Ter. de paſ. Dominica.

Magnum, & mirabile huic viro dilectiſſimi conſortium potentiæ ſuæ diuina tribuit dignatio, vt ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, numquam niſi per iſtum dedit quidquid cæteris non negauit. Ea propter præclariſſimum Petri principatum innuens Ieſus, ipſum Petrum in tributi ſolutione parem ſibi effecit; Cuius rei memorabile factum accuratè perpendens Auguſtinus, qui ad extremum deſudauit ſudorem, vt cunctas euerteret hæreſes, hæc deprompſit ad verbum Saluator noſter cum pro ſe, & Petro dari iubet didrama, pro omnibus ſoluiſſe videtur; quia ſicuti in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij: ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Hæc ille.

In ſolutione tributi B. Petrus Domino æqualis. Matth. 17. Aug. quæſt. ve & no teſt. c. 75. Tõ. 4.

In Petr. omnes ſunt cauſæ magiſter.

Hinc ſuborta eſt inter diſcipulos ambitioſa contentio, quiſnam primas teneret in regno cœlorum; quæ quidem ex hoc videtur traxiſſe occaſionem, quia cum Dominus diſcederet ex hoc mundo ad patrem, oportebat aliquem ſaluatoris loco gerentem vices derelinquere: Eis itaque de primatu certatim contendentibus dixit: Reges gentium dominantur eotum. Hic liquidò apparet, vnum inter eos prædeceſſorem, & principem fore inſtituendum. Ideo ſequitue: Sed qui maior eſt in vobis fiat ſicuti minot. Quis autem eſſet huiuſmodi prædeceſſor, & maior, tunc Chriſtus non obſcurè aperuit, cum Petro dixit: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Tu autem aliquando conuerſus confitma fratres tuos.

Petro onus iniungitur cõfirmandi fratres.

Dominus ergo coram Apoſtolis Petro onus imponens confirmandi fratres in fide titubantes, euidentiſſimè oſtendit, Petrum aliorum eſſe rectorem, & principem dignitate multa ab ipſo ordinatum. Qui enim alium confirmat, & continet, eo haud dubiè ſuperior, & maioe diiudicatur. Vnde non eſt ſilentio prætereundum, Dominum haudquaquam dixiſſe Petro: Ecee Sathanas expetiuie te, ſed expetiuit vos, vt eribraret ſicut triticum; vt quem totius gregis conſtituerat paſtorem, admoneret, & ſollicitudinem gerere pro vniuerſis, illi vni denunciato communi, & omnibus imminente periculo, ad quem vnum totius Eccleſiæ cura præcipua pertinebat. Itaque, & ſubiunxit: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quã ſanè Chriſti ſenteutiam egregiè exponeus Theophilatus, inquit: Tu verò conuerſus confitma fratres tuos: planus huius intellectus is eſt, quia te habebo vt principem diſcipulorum, poſtquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros: Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es fundamentum.

Theoph ſuper Lucam.

Accedeus itaque Petrus ad Ieſum dixit: Domine quoties peccabit in me fratrer meus, & dimittam ei? Vbi ſanè tamquam futurus præſes Eccleſiæ fraternæ correctionis modum diligenter præ alijs quæſiuit Apoſtolis. Alibi vero Chriſtus ei dixit: Tu me ſequere, ſeilicet ſimili mortis genere eum ſequeretur, cuius in vniuerſa Eccleſia vices præ cæteris adminiſtraturus erat. Duodecim igitut Apoſtolorum nomiua hæc ſunt; primus autem Simon, qui dieitut Petrus. In quem locum Epiphanius ait, Deus, qui nouit cogitationes cotdium, ſcit quoque qui dignus ſit primo loco collocari, elegit Petrum, vt dux eſſet ſuorum diſcipulorum. Quæ cum ita ſint, Dionyſius diuinis inſtructiot doctrinis, Petrum vocat ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum columen, ſummum, & verticalem Apoſtolum. Beatus Chryſoſtomos, os & principem Apoſtolorum, verticem totius conſortij, paſtorem, ac caput Eccleſiæ. Euſebius Petrum ſcribit probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum, fideique magnificentia primorum principem. Epiphanius affirmat, Chtiſtum elegiſſe Petrum, vt eſſet dux ſuorum diſcipulorum. Leo euangelici muneris ſacramentum, ait, ita Dominum ad omnium Apoſtolorum officium pertinete voluiſſe, vt in

Io. 21.

Matth. 10.

Petrus primo loco ponitur vt dux Apoſtolorũ.

Epiphan. in Ancorata.

Petri prima ius epitera ex patribus collecta.

De diu. nomin. c. 3.

Ad Tim. de Tranſitu Mariæ.

Chryſ. in Matth Hõ. 58. Euſeb. l. 2. Eccl hiſt. cap. 14. Epi. Hæreſ. 51.

Leo in epiſ. ad epiſcop. Viennen.

Catal. Apoſ.

Bea-

Digitized by Google

Beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret. Et vbique in Apoſtolorum catalogis primo loco ſemper ponitur Petrus, licet vocatione primus non fuerit, & perſæpe nominatim præ alijs commemoratur, quoniam vniuerſalis Eccleſiæ cura ad ipſum ſpectabat. Quare Beatus Chryſoſtomus tractans verba Chriſti ad Petrum: Cephas, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & quodcumque ligaueris ſuper terram: Hæc inquit, omnia, quæ ſolius Dei ſunt, Chriſtus pollicetur ſe daturum Petro. Ita, & Pater ad Hieremiam dicebat: ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium Pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum præpoſuit Chriſtus. Idem in Ioannem, dicit, totius orbis curam Petro commiſſam à Chriſto.

Chryſ. hom. 55. in Matth.

Hom. 87. Inſtantia, & inſtantiæ euacuatio.

Quod ſi illi, qui ſummum Eccleſiæ Hierarcam acerbis inſectantur ſpercilijs, hoſtili more inſtiterint, ac dixerint: Paulum, in cuius adhuc mortale pectus veritas arcanorum ſummi Dei è cælo defluxerat, Petrum vocaſſe circumciſionis Apoſtolorum, ſicut ſe ipſum gentium: Et ideo pontificiæ authoritatis præcones intollerantius iactare Petrum ſuper cæteris Apoſtolis. Statim occurrentes non temere confirmamus, vniuerſarum ouium tàm ex Iudæis, quam ex gentibus collectarum, nec ouium modò, ſed & paſtorum curam vnius Petri regimini Dominum commiſiſſe dicentem: Paſce agnos meos, paſce oues meas: Attamen Petrum ab exordio naſcentis Eccleſiæ dictum circumciſionis Apoſtolorum, quia apud circumciſos cœpit conſtituere fidei primordia iactis Euangelij ſeminibus. A loco autem, vbi magni momenti opera aggredimur, & totos huc noſtros inflectimus conatus, vt finem aſſequamur laudabilem, ſæpius nanciſcimur honorabile cognomen.

Galat. 2.

Petrus vniuerſarū ouium & agnorum paſtor.

Petrus itaque Apoſtolici chori princeps in illis Eccleſiæ primordijs iurè nuncupabatur circumciſionis Apoſtolus, quoniam ipſe primarius cœpit per Synagogas Iudæis verbum Euangelij annunciare, ac Chriſti nomen, quod Iudæi oderant, cane peius, & angue, glorioſiſſimè prædicare, ac in obdurata corda inducere. Propterea ab Eccleſiæ incunabulis Petrus pronominabatur circumciſionis Apoſtolus, quia vberiores ſuorum laborum fructus cœpit à Iudaiſmo colligere. Sed Spiritus Sancti oraculo tertiò admonitus Chriſti Euangelium non tantum in Iudæam, ſed etiam inter gentes diſſeminandum; ipſe ſummus Eccleſiæ paſtor oues perditas cœpit in Dominicum ouile adducere, ac ſumma cum diligentia curare, vnde & gentium factus eſt Apoſtolus ipſe dicente: Viri fratres, vos ſcitis, quod ab antiquis diebus Deus inter vos elegit, vt per os meum audirent gentes verbum Euangelij, & crederent. Ecce quomodo non ſolum circumciſionis, ſed & gentium factus eſt paſtor, & Apoſtolus, vt Eccleſia eſſet vnicum ouile ſub vnico Paſtore, ac vnicum regnum ſub vno rege.

Petrus qua de cauſa in principio naſcentis Eccleſiæ dictus eſt circumciſionis Apoſtolus.

Quando Petrus cœpit Euangelium gentib. prędicare.

Act. 15.

De quo Hugo Etherianus, qui Emanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris temporibus ſuos Græcos à ſchiſmate ad matris gremium reducere ſatagebat, ſcribit in hæc verba, quæ Petri monarchiam conſpicuè manifeſtant: Ex ipſa, inquit, rei euidentia liquidò apparet, quòd Petrum eiuſque ſucceſſorem Chriſtus principem, & caput non modò latinorum, Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuerſi; verum Armeniorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum conſtituit; ob quam rem occidui ſolis limites vniuerſi Petri ſucceſſorem vſque nunc ſibi dominum recognoſcunt, & ſub illo præſule diriguntur; quod omnem ab vtero gremioque matris errantem facere opportunum eſt: Petrus enim magnus Chriſti Apoſtolus in omnibus ferè ciuitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Elladis, Epyri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ac extremitatum Epiſcopos ordinauit; Etenim Iacobus eius fauore Hieroſolymorum Thronum tenuit; deinde Enodium Antiochiæ ordinauit; Tharſi Vrbanum; Epaphrodytum Lyciæ; Figellum Epheſi; Smyrnæ Apellem; Philippis Olympam; Theſſalonicæ Iaſonem; Sylam Corinthi; Patris Erodiana; Taurominij Magnum; Alexandriæ Marcum: amplius autem in Niceæ, Nicomediæ, & Thraciæ partibus ſimilem adparatus eſt ordinem, & eadem factum iri ſuis ſucceſſoribus commendauit. Hactenus Etherianus ille. Ex quo luce clarius conſulget Petri monarchiam ita latè patere, vt ambitu ſuo totum complectatur terrarum orbem. O mira potentia, & ineffabilis gratia Saluatoris. Quis plebeium piſcatorem Apoſtolorum facilè crederet principem, & regibus obſiſtere, reges ſanctificare, regibus imperare.

Hugo Etherianus Petri monarchiā lucidiſſimè deſcribit.

Magnitudo Eccl. Monar

Aug. in ſer. de Petro. & Paulo. Cura totius Eccl & principatus Petr. committitur.

Cunctis ergo Euangelium ſcientibus liquet, vt ſcribit Gregorius, quod voce Dominica ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro principi Apoſtolo totius eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippè dicitur, Petre amas me? paſce oues meas: ipſi dicitur: Ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos ſicut triticum. Et ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: Et portę inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis. De præpotentibus itaque Sancti Petri clauibus, quas inferni princeps tantopere formidat, aduerſus recentiores hæreticos nouam contexamus dilucidationem, quæ veluti radius è cœlo exoriens ipſorum oculos perſtringat.

Greg. in epiſtola ad Maur. Imp. legitur 4. epiſtolarum.

RADIVS XII.

De præpotentibus Sancti Petri Clauibus.

VEtus, eaque laudabilis admodum conſuetudo apud mortales inualuit, vt Principe ad legitimam ſui dominatus poſſeſſionem introeunte, ciuitatis claues, in integrum quietumque ſui iuris teſtimonium, certis præſtitis grauiſſimis, & religioſiſſimis cæremonijs, tamquam rerum omnium hero, ac do-

Conſuetum eſt, Principi ad Sedis poſſeſſionem accedenti claues afferri.

Digitized by Google

domino deferantur. Clauium enim collatione veluti compreſſo quodam dicendi genere ita Ciues ſuos aperiunt animos. Auguſte Princeps ad te peramanter venimus, tibi nos penitus tradimus: tibi ſpes noſtræ nituntur; omnia noſtra hiſce clauibus, veluti ſepimento quodam concluſa libentiſſimè concredimus: Illis, ſicuti lubet, vtimini; omnia in manu, & poteſtate veſtra ſunt; habete ea, veſtróque moderamini arbitratu; Nos omnes à veſtro nutu, ac voluntate pendemus. Cui volueritis Ciuitas hæc noſtra patens, & aperta erit ſemper; cui nolueritis etiam, erit perpetuò interclusa, & ſubſignata. Nos liberoſque noſtros, ceu theſauros in arca reconditos, cuſtoditote; vos ſalutem conſeruatote; libertatem noſtram legibus atque armis defenditote. Eodem modo maximus vniuerſorum Imperator Chriſtus Deus, Petro Chriſtiani orbis principatum cumulatiſſimè conceſſurus, ve perſpectiſſimum foret vndequaque, Petri poteſtatem in ſacro militantis Eccleſiæ regno, ita latè patere, vt omnia complecteretur, Clauium translatione ipſum deſtinauit eccleſiæ principem. Petro quidem regni cœlorum claues pollicitus eſt: & cum ſummæ veritatis promiſſio, eſſe haudquaquam poſſit caſſa, aut irrita; tametſi eo temporis momento, quo dixit: Tibi dabo claues, derepentè non fuerit impertitus, attamen poſt reſurrectionem ſuam Petro onus imponens paſcendi dominicum gregem non ſolum promiſſam contulit poteſtatem, ſed eumdem Petrum in regno firmauit, & ſtabiliuit, ea præditum auctoritate, qua Eccleſiæ regnum poſſet in iuſtitia, & veritate continere.

Clauium o-blatio quid ſignificat.

Clauium metaphora Petrus conſtituitur orbis princep.

Claues Petro promiſſæ

Petrus quo tempore in principatu fuit conſtabilitus.

Clauium enim ante optionem, electione ſolummodo Apoſtolorum dicebatur Coryphæus; ſicuti, & deſignati, candidatiuè Conſules, ciuitatumque prætores olim conſules nuncupabantur; obtenta autem clauium poteſtate, re ipſa Eccleſiæ extitit Princeps. Quũ enim in partes Cæſareæ Philippi ſeſe recepiſſet Dominus, & à diſcipulis percontaretur, quid de Chriſto ſentiret Iudeorum vulgus; quiduè ipſi à communi vita remoti, filium hominis eſſe opinarentur, & crederent: Vnus Petrus flamine diuinitatis excitatus, in hanc ruptis vocis retinaculis exiliuit confeſſionem: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Qua ſanè magnifica, atque glorioſa confeſſione, humanam omnino excedente intelligentiam, tum cœleſti commendatione vocari beatus, tum illud nominis, poteſtatiſque conſortium, illum eccleſiæ primatum, illas cœlorum claues, illam per ampliſſimam ligandi, & ſoluendi poteſtatem accipere promeritus eſt.

Diuina confeſſione Petrus multa promeruit.

Hiero Matthæi locum exponens. cap. 16.

Propterea Hieronymus hunc Matthæi locum explicans: Ego dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c. Quid, inquit, eſt quod ait: Ego dico tibi: quia tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Ego viciſſim dico tibi: ego inquam, cuius dixiſſe, feciſſe eſt: quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et ſicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur; ita & Simoni, qui credebat in Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, vt ſecundum metaphoram petræ, rectè ei dicatur, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris &c. Hæc profectò Chriſti effata inprimis admirabilia, & digna conſideratu: magnum nobis præbent excogitandi, & ſubtilius diſſerendi campum. Diuinæ enim promiſſionis vnaquæque particula, magnificis ſcatet, atque redundat vberioris doctrinæ laticibus.

Operæpretium igitur eſt, ea quæ ad præpotentes Sancti Petri claues pertinent, exactius perpendere, & perſcrutari. Qui enim iniquiore animo Petri inſectantur principatum, ſingulos iſtius ſententiæ articulos, obſcuris ac tortuoſis Epicheirematibus adnituntur, vi, & iniuria diſtrahere, atque corrumpere. Verus itaque ac germanus ſingulorum verborum intellectus ſecundum communem orthodoxæ Eccleſiæ definitionem, ſolerti induſtria a nobis inueſtigandus eſt, in mediumque producendus. Planiſſima quidem ſunt illa Domini verba, ſingulari modo vni Petro à patre cœlitus illuminato facta, & ad vnum Simonem Ioannis filium propriiſſimè attinentia. Vnus ſiquidem Petrus de nullius alterius, quam de ſua ipſius ſententia ſibi diuinitus infuſa, filij diuinitatem incredibili feruore teſtificatus eſt coram cæteris commilitonibus, adhuc nihil ſapientibus altius, aut ſublimius conquirentibus de ſuo duce, quàm vulgo Iudæorum credebatur, de ſuo, quem expectabant Meſſia, cuius rei manifeſtò fidem facit, illud Saluatoris reſponſum, quo in vltimo cœnæ colloquio, ſuis cum diſcipulis habito, Philippum adhuc inſcientiæ coarguit dicens: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe qui videt me, videt, & patrem. Vnus ergo Petrus ſupra humani ingenij vires ſuſtollitur; vnus Petrus ſapientiæ radijs perfunditur magnificentius. Vnus itaque Petrus alacriori ſpiritu Filij æterna natalia atteſtatur. Proinde vnus Petrus apud immortalem Regem factus gratioſior continuò audiuit: Beatus es Simon Ioannis fili: et ego dico tibi quia tu es Petrus &c. Tibi, inquit: Tibi ſcilicet; me ſingulariter confitentis viuentis Dei filium; Tibi Apoſtolorum Coryphæo: Tibi eccleſiæ principi: Tibi eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſummo futuro Hierarchæ: Tibi totius ſpiritualis ædificij fundamento.

Hæret. Dominica verba contorquent.

Petrus fidei ſplendore perfuſus ex ſui ſententia Chriſti diuinitatem confeſſus eſt

Io. 14.

Hic quis non facilè perſpicit retortam eorum explanationem, qui ſolitario, ſimplicique pronomine tibi, cæteros coniunctos Apoſtolos, totamque interpretantur eccleſiam, à genuino Euangelij ſenſu abhorrere plurimum? Si enim Petrus intima cæterorum cordis latibula peruadere non potuit, quia nemo nouit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in eo eſt. Si enim Petrus fratrum intimiores ſenſus haud habebat cognitos, quoniam ſolius eſt Dei corda, reneſque ſcrutari, quomodo fidei, conſcientiæuè alterius potuit eſſe teſtis? Magiſtro enim conquirente, quæ eſſet non amplius turbæ de ipſo ſententia, ſed Apoſtolorum vniuſcuiuſque de Chriſto concepta exiſtimatio, cæteris colligentibus ſe, ac conticentibus, attentiuſque meditantibus, quid de eo effunderent laudis: vnus Petrus, quem latebant aliorum conſilia, fidei feruore ſtimulatus ſe continere non potuit, quin in improuiſam, ac repentinam ſibi diuinitus traditam erumperet confeſſionem; proſiliuit Petrus in illud veritatis enco-

Tetorta hæreticorum interpretat.

1. Cor. 2.

Solius eſt Dei corda noſſe.

Vni Petro promiſſę sũt claues quia vnus Petrus confeſſus eſt Chriſti æternitatem.

mium, quod humanam ſuperabat facultatem, & quod de Chriſto præconceperat, propalam effudit.

Et nè aliquis nobis relinqueretur dubitandi locus, quin Chriſti promiſſio vni ſingulariter Petro eſſet facta, Simonem tantummodo Ionæ filium, non Iacobum, non Ioannem, non quemlibet aliorum lingua illa glorioſa nuncupauit perbeatum: & ob illud confeſſionis meritum; vni ſoli Petro clauium poteſtatem communicaturus promunciauit. Quare ex manifeſtiſſimis Chriſti verbis ſatis apertè conſtat, claues vni promiſſas, collataſque Petro. Beatus nampè Chryſoſtomus verba iſta enarrans ita inquit: Quādoquidem Chriſtus de ſententia vulgi videlicet, quem dicerent eſſe filium hominis, eos interrogauit, omnes reſponderunt: Cum verò de ſua ipſorum eos rogaret, Petrus proſilijt, & cum omnes interrogati eſſent, ipſe ſolus reſpondet: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Cui Chriſtus, Beatus es Simon Bar-Iona &c. Ea igitur de re Petrus beatificatur, quia Chriſtum patris propriè filium confeſſus eſt.

Chryſ. in Matth.

Non ita cæteri qui tamen eum Deum filium eſſe dixerunt, vt qui erant in nauigio, & alij, ſed vnum ex multis verè filium exiſtimabant; præcipuum quidem, magiſque dilectum, non tamen ex patris ſubſtantia natum: quamobrem nec beatificati à Domino ſunt, vti Petrus. Quia de cauſa nihil tale de illis dictum eſt, quale de hoc dicitur, quia pater reuelauit tibi. Petrus quidem locutus eſt, Pater autem reuelauit illi quod loqueretur; Subiecit Dominus quoque illi; Ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam; ſuper hanc petram, ſuper te videlicet confitentem me eſſe filium Dei viui. Et ego dabo tibi claues regni cælorum: Non dixit, rogabo patrem, vt tibi det; Sed quamuis magna erat poteſtas, & doni magnitudo ineffabilis, & ego tamen dabo tibi, inquit, ac ſi diceret, quemadmodum tibi pater dedit, vt me agnoſceres, ita & ego tibi dabo claues regni cœlorum, vt quæcumque ligaueris ſuper terram, ſint ligata in cælis; & quæcumque ſolueris ſint ſoluta in cœlis.

Hactenus Chryſoſtomus. Iactis modo præaſſertæ veritatis fundamentis, ſi libet, allegorijs, ac tropologijs ludere, & Petrum Chriſtum promptiſſimè confitentem in varios ſenſus deducere, non erit alienum ab inſtitutis Auguſtini, quo volat nullus vehementius. Sacrarum enim ſcripturarum latebras duplici poſſumus illuſtrare lumine; vno, quod ab hiſtoria veritate illuceſcit; altero, quod ab allegoriarum ſchematibus mutuatur. Primum, quòd præſtantius eſt maioreſque momenti, concordem Catholicæ eccleſiæ, patrumque orthodoxorum ſententiam requirit; Vnde nemini licet ſibi illud effingere; ſed ab illo fixo, inflexibilique Apoſtolicæ traditionis firmamento petendum eſt. Secundum, quod facilius eſt, minoriſque ponderis vt loci, temporis, & perſonarum ratio expoſtulat modò non euacuemus hiſtoriæ veritatem, trahere, & retrahere poſſumus, quia non ad ſcripturarum ſoliditatem, ſed ad morum inſtitutionem, non ad veritatis firmitatem, ſed ad ipſius decus, & venuſtatem vt plurimum pertinet.

Difficilia ſcripturarū loca duplici dilucidatione poſſunt explicari.

Senſus literalis difficilior myſtico

Ideo primum ædificio, ſecundum picturæ confertur.

Quia ſicuti in vacuo non pingimus, ita nec ad magnificam anagogiam extollere animos debemus, quouſque fortius in literæ ſolo fixerimus pedem, nè alta petentes ruamus in ima. De Petro itaque dupliciter poſſumus verba facere, vel ad literam, hiſtoricamque veritatem, vel ad Typum, excogitatamque figuram. Non in vmbra, non in imagine, non in typo, non in figura, non in myſterio, ſed in veritate Euangelicæ hiſtoriæ, excellentiſſima Chriſti promiſſa præponderantes aſſerimus non ad mathematicum, aut fictitium Petrum, ſed ad viuum Simonem Ioannis filium, qui cognomine petræ à Chriſto decoratus eſt, ad propriam illam perſonam ſpectare. Claues enim non primò Eccleſiæ, & per Eccleſiam Petro promittuntur, ſed vice verſa in primis Petro, & per Petrum Eccleſiæ promittuntur. Expreſſa eſt, ſoleque lucidior illa verborum Chriſti enunciatio. Et tibi dabo claues Regni Cælorum, tibi inquit cum primis tradentur claues, tamquam capiti, & Principi, ac Apoſtolorum patri, totiuſque Eccleſiæ Paſtori, apud quem eſt omnis poteſtatis plenitudo, ita tamen, vt per te, ac tui arbitrio in totam diffundantur Eccleſiam. Traditæ itaque ſunt claues à Chriſto toti Eccleſiæ, ſed in Petri perſona tamquam capitis, cæteris tamquam membris, quia Petro principaliter, & promiſſæ, & traditæ ſunt. Eccleſiæ verò collatæ in Petri perſona, ab eo clauium acceptura commoditatem, dicente Auguſtino: Eccleſiæ claues datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt: Non enim aſſeuerat, quod Petro datæ ſunt claues, cum ſunt datæ Eccleſiæ, aut poſtquam ſunt datæ Eccleſiæ; ſed potius è contra, quod Eccleſiæ datæ ſunt claues, cum Petro datæ ſunt. Petro ſiquidem datæ ſunt à Chriſto claues, & per Petrum deriuatæ ſunt in Eccleſiam. Petrus enim vnitatis perſonam gerens, clauium poteſtatem ab ipſo Chriſto, & non ab Eccleſia accepit. Singulari ſiquidem priuilegio Petro totius Eccleſiæ præſidi claues Regni cælorum datæ ſunt, atq; omnibus ſupereminens illa ligandi, ſoluendique poteſtas impertita. Ipſi ſoli enimuerò veluti vnico clauium poſſeſſori, & Domino, tantarum clauium onus promiſſum eſt: Cæteris enim minimè dixit: Vobis dabo claues Regni cælorum, neque dum ſoluendi, & ligandi eis tribueret poteſtatem, de clauibus mentionem fecit vllam. Quæcumque, inquit ligaueritis ſuper terram, erit ligatum, & in cælo: Propterea quòd cæteris Apoſtolis vſus potius clauium, quàm ipſæ claues propriè communicatus eſt: Petro verò clauium oblatione, dominatus, poteſtatis, auctoritatiſq; collatio omnino contributa. Tranſlatis enim clauibus, vt apud Iuriſprudentes notiſſimum eſt, & poſſeſſio translata intelligitur.

Senſus literalis, myſticus quibus comparent.

Ad Petri perſonam ſpect. Chriſti promiſſo

Claues in primis datæ ſunt Petro.

Clauium pondus datū eſt Petro primum tamquam capiti, alijs autē tamquam membris.

Petrus accepit poteſtatem à Chriſto, non ab Eccleſia.

Matth. 18.

Petro claues cæteris vſus clauium cōmunicatus.

Ille igitur, qui pluſquàm Salomon ſapientia enitebat, cum loqueretur Apoſtolis, ligandi & ſoluendi poteſtatem ſuſcipientibus clauium nuncupationem ſapientiſſimè omiſit, vt intelligeremus in Eccleſiaſtica Hierarchia vnum præcipua clauium iuriſdictione præfultum omnibus præcellere. Vnde ſi diligenter animaduerterimus modum quo ſeſe habuit Chriſtus, cum tribueret Petro clauium

Quare Chriſtus omiſit clauium nomen cum cæteris Apoſtolis poteſtatem tribueret.

pote-

Digitized by Google

poteſtatem, & illum, quo ſe habuit, cum ceteros Apoſtolos ſoluendi, & ligandi muniret facultate, longè vatium atque diuerſum fuiſſe inueniemus. Ibi Petri egregia, percelebriſq; confeſſio reſonat honorificentius; Hic nullum Diſcipulorum in Chriſtum præconium recenſetur; Ibi bonorum omnium largitor, & ſanctorum operum remunerator magnificentiſſimus, Petri excelſam, ſublimemque confeſſionem ampliori beneficio compenſat, beatitudinem ſuæ fidei debitam commemorat, & petræ metaphora Eccleſiam ſuam ſuper hanc petram conſtructurus, nec inferi portas aduerſus eam præualituras pollicetur. Hic nec Petri, nec petræ, nec aliquotum fit mentio meritorum, ſeu alicuius beatitudinis memoria vſurpatur. Ibi ſoli Petro clauium honos promittitur: Hic de clauibus nè minimum quidem verbum: Ibi ſoli Petro tamquam Eccleſiæ capiti confertur clauium poteſtas: Hic Eccleſiæ, cuius Petrus erat caput, & fundamentum, iuriſdictionis tribuitur auctoritas. Propterea Petrus, qui ſingularem illā à Chriſto acceperat poteſtatem, tamquam Princeps non communicato cum alijs, quamuis præſentibus Apoſtolis, conſilio, ſed ex ſua & propria auctoritate fraudolentum Ananiam conuictum mendacij, horribili mortis ſententia vltus eſt. Paulus verò, cum Corinthium illum fornicatorem inſignem, vellet anathematis muctone ferire, ſeſe coniunxit prius cum Corinthiorum Eccleſia. Ibi ob ampliſſimum Petri Principatum apertius, & ſignificantius dicitur, quodcumque ſolueret Petrus, eſſet ſolutum & in cælis. Hic verò quæcunque ſoluerent cæteri, eſſet ſolutum, & in cælo. In cælis dixit Petro, non in cælo, ſicut reliquis Apoſtolis, vt indicaret vniuerſaliorem Petro datam fuiſſe auctoritatem ligandi, atquè ſoluendi, quàm reliquis collegis, aut congregationi Eccleſiaſticæ. Etenim in plus ſe habent cæli, quàm cælum: Petri enim iuriſdictio ad omnia loca, ad omnia vincula, ad omnes imperij vires ſeſe extendit, & non ſolum vnum cælum, ſed omnes complectitur cælos.

Vario, longeq; diuerſo modo ſe habuit Chriſtus, cū Petrum poteſtate fulciret, & cum cæteris Apoſtolis facultatem ligādi atq; ſoluēdi tribueret.

Vniuerſalior Petro data eſt auctor. ligandi quam congreg. Eccl.

Quemadmodum diligentiſſimus ille ſcripturarum excuſſor Origenes ſubindicauit his verbis: Quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis, qui ter arguerunt, ideo illi quidem ſic dicit: Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis; & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Non ergo modica differentia eſt, cum Petro quidem datæ ſunt claues non vnius cæli, ſed multorum cælorum; & quæcumque ille ligauerit ſuper terram, ſunt ligata non tantùm in vno cælo, ſed in omnibus cęlis; Ad eos autem, qui multi ſunt ligatores, & ſolutores, ſic dicit, vt ſoluant, & alligent non in cælis, ſicut Petrus, ſed in vno cælo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent, & ſoluant in cælis omnibus. Hactenus Origenes. Si modo in typo, & in figura de Petro loqui volumus, optimam pro tota Eccleſia, ac omnibus Apoſtolis geſſiſſe figuram prædicamus, quandoquidem illa feruentiſſima Petri confeſſio adeo Æterno Patri fuit accepta, & grata, vt non pro Petro tantum, ſed etiam pro cæteris credentibus perbenignè acceperit, & clauium beneficium toti Eccleſiæ in Petri perſona pro tota Eccleſia typum gerente promiſerit.

Orig. Hom. 6. in Matth.

Vt quid Petro in cęlis dixerit Chriſtus, non in cælo, ſicut reliquis Ap.

Petr. confeſſio Deo pro omnib. credētibus fuit accepta.

Quare à ſummæ multipliciſque doctrinæ Theologis Sanctus Petrus os Apoſtolorum, totiuſque Eccleſiæ tuba concelebratur: quoniam illius confeſſio cæleſtem apud Regem tanti fuit momenti, & virium, ac ſi totus Apoſtolicus chorus, vniuerſuſque populus Chriſtianus filij diuinitatem aperto confeſſus eſſet ore. At propter typum non eſt comminuenda veritatis ſoliditas. Qui enim propter typum, & figuram, hiſtoricam derelinquunt veritatem, Æſopicum illum imitantur canem, qui carnis inſecutus vmbram, ſolidam illius ſubſtantiam haudquaquam potuit adedere. Quid autem clauium myſterio intelligatur apud viros Theologos, minimè eſt inexploratum. Ipſi enim clauium ſignificatione, imperium, & poteſtatem interpretantur, quando ſacris conſignatum eſt litteris: & dabo clauem domus Dauid, hoc eſt, imperium ſuper humerum eius; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat. Habeo claues, ideſt, poteſtates mortis, & Inferni.

Petrus eſt os & tuba Apoſt.

Eſa. 22.

Claues ſignificat poteſtatem & imp.

Claues igitur Regni cælorum Petro tradidit Chriſtus, quia duplici poteſtate Petri armauit principatum, vt commodè poſſet aperire, & claudere, pœnitentibus peccata remittere, impęnitentibus ea retinere, criminibus obnoxios ligare; & derelinquentes letale malum, à culpa eximere; chariſmata dignis communicare, excommunicationis, ac aliarum cenſurarum ſententia ſontes innodare; dignos benignius recipere, indignos à regno excludere. Vna autem ab ipſo Theologorum choro dicitur clauis ordinis; ſecunda iuriſdictionis. Vna ligatoria, altera ſolutoria. Hæc abſoluendi, illa leges ferendi poteſtas appellatur. Clauis ordinis eſt facultas quædam diuinitus tradita, qua non noſtro, ſed Chriſti nomine, in Eccleſia rite fungimur per ſo ſplendido, atque magnifico Sacerdotali munere; qua Sacramenta adminiſtramus, Euangelium prædicamus, auguſtiſſimū Chriſti Corpus conſecramus, peccata remittimus. Clauis iuriſdictionis, ad quam illud ſpectat Apoſtoli: In promptu habentes vlciſci omnē inobedientiam: Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, non erubeſcam: eſt optio ſecundum leges Euangelicas, ſanctioneſque Apoſtolicas conſtituendi Iura, quibus Eccleſiaſtica retinetur diſciplina, quibus ad Eccleſiæ ædificationem delinquentes coercemus; excommunicationis gladio plectimus; & dum reſipiſcunt, à cenſurarum catenis perſoluimus. Vt autem ad ædificationem, & non ad deſtructionem (nè longè à verbis Apoſtolicis diffluat oratio) rectè vtamur vtraque ditione, opus eſt illa ſcientiæ, & diſcretionis claui, cuius ita meminit Saluator: Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant prohibuiſtis. In negocijs quidem diffiniendis non ſolum eſt neceſſaria poteſtas, ſed & ſcientia, immo ſcientiæ diſcretio, quandoquidem finem accipiunt prouinciæ magni momenti, vel in abſolutione innocentium, vel in condemnatione delinquentium.

Claues habet Pontif. ad excluſionem excommunicād. & reconciliationem pænitentium.

Claues ſunt duplices.

Quid ſit clauis ordinis.

2. Cor. 10.

Quid ſit clauis Iurōnis

Clauis ſciētiæ data, vt vtraq; claue, rectè vtamur

Luc. 11.

Abſolutio autem, vel condemnatio non

Digitized by Google

Claues traditæ Petro, & eius ſucceſſoribus, quibus liberam poteſtatem exercere poſſunt.

tantum poteſtatem, ſed & ſcientiam, & ſcientiæ rationem, deſiderat præſidentium. Chriſtus igitur Petro dicens: Tibi dabo claues Regni cælorum. In altera ei ſcientiam diſcernendi inter lepram, & lepram contulit: In altera ſibi poteſtatem eijciendi aliquos ab Eccleſia impertitus eſt. Verum illud diligenti admodum eſt conſideratione dignum: Aliud eſſe loqui de ſcientia: aliud de claue ſcientiæ. Si de ſcientia, literarumque doctrina ſermo habeatur, quis neſcit plurimos in bonis diſciplinis celebratos, in omni ſcientię genere aliquibus longè præſtare Pontificibus? Si verò de claue ſcientiæ, ideſt auctoritate, & poteſtate diffiniendi, ſtatuendi, fidei nodos & ænigmata legis interpretandi verba faciamus, nemo licet literarum anteſignanus, licet in tota enciclopædia celeberrimus, licet infinitæ penè lectionis magiſter poteſt eſſe Pontifice præſtantior, quia penes Summum Pontificem non à carne, & ſanguine, ſed à cæleſti magiſtro edoctum, reſidet plena iudicandi poteſtas. Duplici igitur auctoritate, ordinis ſcilicet, & Iuriſdictionis Deus militantem præmuniuit Eccleſiam; Ordinis quidem, cum poteſtatem ſacra illa myſteria peragendi, & colligatos à peccatis liberandi Apoſtolis contulit dicens; Hoc facite in meam commemorationem; Sicut miſit me pater, & ego mitto vos; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Iuriſdictionis verò cum apud Matthæum dixit; ſi Eccleſiam non audierit, ſi tibi ſicut ethnicus, & publicanus; Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælo, & quęcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo.

Claue ſcientiæ Pontif. præſtat omnibus non autem ſcientia & eruditione.

Matth. 26. Io. 20

Matth. 18.

S. Hier. in com. ſuper Matt.

Quam ſanè ſententiam Hieronymus ille, qui in aciem quando cum hereticis prodit, nemo pugnatior, aut qui plus habeat lacertorum, exponens, inquit, & peregregiè: Quia dixerat, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta eſſe reſponſio, vel tacita cogitatio, ſi me deſpicis, & ego te deſpicio; Si tu me condemnas, & mea ſententia condemnaberis, poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant, qui à talibus condemnantur, humanam ſententiam diuina ſententia roborari; & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter in cælo. Vtroque autem poteſtatis præſidio Princeps Regum terræ Petri principatum circumuallauit; cum enim Pontificatus decore adornaret Petrum, ipſi quoque clauium imperium tribuit dicens: & tibi dabo claues Regni cælorum, claues ordinis videlicet, & iuriſdictionis, tibi me collaturum affirmo: Magno autem diſcrimine huiuſmodi claues inuicem diſtant. Ordinis ſiquidem clauis principaliter reſpicit abſolutionem, & vincula ex accidenti: Clauis autem iuriſdictionis primò nodos, ex accidenti verò ſolutiones attendit. Hac de cauſa cum ſupremus omnium Hierarchiarum Princeps, diuina iuriſdictionis poteſtate Apoſtolos pararet à colligatione orſus eſt. Quæcumque inquit, alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: Cum verò ordinis virtute eoſdem inſigniret à peccatorum remiſſione ſuam aggreſſus eſt orationem; Quorum inquit, remiſeritis peccata, remittuntur eis. Inſuper ordinis clauis ſemper ſacro coniuncta eſt ordini. Nemo profectò niſi ſacerdotali munere donatus, à peccatorum nexibus ſoluit. Secunda verò haud ſemper annexa eſt ordini ſacro. Poteſt enim & Cardinalis Legatus, ſacerdotali haud inſignitus charactere, anathematis gladio percutere. Ideo cum Eccleſiæ ſanctificator, & cuſtos, ſacris orbis terrarum ducibus primam conferret poteſtatem, à diuini ſpiritus munere exordium duxit; Accipite, inquit, Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c. Cum verò ſecundam impertiret, diuini ſpiritus mentionem omiſit. Quæcumque, ait, alligaueritis, quia vna eſt fori contentioſi, altera voluntarij pœnitentialis.

Differentiæ cõſtitutæ inter clauem ordinis, & Iuriſdict.

Poſtremo ordinis poteſtas in omni ritè ordinario Sacerdote peræque effulget Iuriſdictionis, & pœnarum, in vno magis, quàm in alio pollet; In Petro autem vt in capite, & origine ſupremam vim, & facultatem habet. Soli enim Petro replicatum eſt, vt quodcumque ligaret in terris, eſſet ligatum & in cælis: Petro enim claues Regni cælorum commiſſæ ſunt, quemadmodum concordi orthodoxorũ ſententia ſancitum eſt. Tertulianus hoc atteſtatur in libro de præſcriptionibus hæreticorum. Ambroſius hanc ſententiam eſſe veram fatetur in Lucam ſcribens. Auguſtinus aſſentitur, hoc decretum eſſe ratum, apud Matthæum, & libro ſecundo aduerſus Gaudentij epiſtolam, atque idem comprobat in Ioannè Tract. 50. Sanctus Hilarius huic ſententiæ ſuffragatur in Matthæum, & in pſalmum 52. Sanctus Chryſoſtomus hunc Matthæi locum exponens eſt eiuſdem omnino ſententiæ. Propterea Athanaſius vna cum vniuerſa illa tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum Alexandrina ſecum congregata ſynodo, quam tamquam certiſſimum Dei oraculum veneratur Eccleſia, Romano Pontifici ita ſcribit; Tibi, inquit, claues Regni cælorum commiſit Chriſtus, & ligandi, ſoluendique, & in terris, & in cælis poteſtatem. Et rurſus: ſemper fuit veſtræ Apoſtolicæ Sedis poteſtas iniuſtè damnatos, vel excommunicatos, poteſtatiuè auctoritate ſua reſtituere, & eis ſua omnia reddere, illoſque qui omnes condemnauerunt, aut excommunicauerunt, Apoſtolico punire priuilegio, ſicut etiam noſtris, & anterioribus cognouimus actum temporibus. Licet autem Apoſtoli omnes ab vno Chriſto veluti vnius magni Regis Duces ad infringendos, mundi Diabolique poteſtates fuerint miſſi; licet omnes idē Apoſtolicæ dignitatis ornamentum fuerint ſortiti, licet omnes æquè immediatè firmiſſimis Apoſtolicæ auctoritatis præſidijs fuerint muniti, licet omnes in orbem vniuerſum ad congregandos diuinos milites fuerint progreſſi; licet omnium æqualis quodammodo fuerit commiſſio non tamen omnium æqualis fuit iuriſdictio, quia vnus Rex cæleſtis vnum ſui exercitus conſtituit Imperatorem, & Ducem Petrum.

In Petro vt in fonte Iuriſdictio viget

Concors doctorũ ſententia de Petri clauibus. Synodus Alexandrina ad Roman. Pontif.

Hic recenſentur ea in quibus Ap. omnes fuere pares.

Apoſt. omnib. fuit æqualis commiſſio, ſed non æqualis iuriſdictio.

Eſt enim militantium Eccleſia caſtrorum velut acies decentiſſimè ordinata, à quo quidem exemplo nec latum, vt aiunt, digitum recedens Ioannes Conſtantinopolitanus dicit: Quamuis ſit vnus ſupremus Dux, ſiue Imperator vniuerſi exercitus, tamen & multi ſunt

Cant. 6.

Chryſ in Io vltimo.

præ-

Vnius exercitus vnus Imperator.

præfecti diuerſis partibus, in quas diſtributus eſt exercitus. Nam hi quidem tribuni, alij Centuriones &c. Omnes tamen Ducem, ſiue Imperatorem agnoſcunt, & colunt: Licet fortè præfecturas non ab illo, ſed Rege accepiſſent, qui alium Ducem, ac Imperatorem conſtituit. Ex qua aurea Ioannis ſententia ſole fulgidius claret, illos Apoſtolicos Duces, quamuis per ſe ipſum inſtituerit Chriſtus, ordinatos tamen inſtituiſſe, ac vni militię Duci ſubeſſe voluiſſe, vni illi inniti, & quaſi Imperatori adhærere. Non enim diſſenſionis, ſed pacis & concordiæ auctor eſt Chriſtus. Ordinatiſſimam autem graduum, & ordinum diſtributionem ad vnum præſidem ordinari, vnius auctoritate & imperio contineri, & ſuſtentari oportet. Quamobrem cum vnus Petrus totius Apoſtolici chori, ac vniuerſæ militantis Eccleſiæ Dux extiterit à Chriſto conſtitutus, altiori quoque Iuriſdictionis poteſtate præcellere, ac aliorum auctoritatem ipſi ſubeſſe decuit. Quemadmodum (vt res fiat dilucidior exemplo) ſi Philippus Hiſpaniarũ Rex maximus, & maximarum prouinciarum Rex, fideique defenſor acerrimus, Ducem aliquem inſtituat, & ad Principem Alexandrum Farneſium armorum firmamentum, ac Mauortiæ artis ſplendorem, qui Flandriam denuo redigit ad ipſius imperium, mittat, vt ei ſubſidio ſit: Quis neſcit, Ducem illum tanto ſubeſſe præfecto? rem alio illuſtremus exemplo.

Vnius Eccl. vnus Hier.

Similitudinibus res obſcura dilucidatur.

Si Pontifex Summus, qui ſicut ad ſacerdotale culmen Epiſcopos euehit; Ita, & ad parochialem auctoritatem Presbyteros efferre poteſt, ſi inquam, ordinationem Epiſcopi ſingularis in ſua diœceſi præuenerit, & alicui plebi Presbyterum præfecerit, quem alioquin ordinaria auctoritate inſtituere debuiſſet Epiſcopus, illum nihilominus æquè ſubiectum eſſe ſuo Epiſcopo, ac ſi ab eo eſſet conſtitutus, & ordinatus, nec minus illius auctoritatem Epiſcopo eſſe ſubordinatam intelligitur. Eodem modo vniuerſorum Dominus, tametſi Apoſtolos tamquam conſtantiſſimos Duces ad obeundam ſtrenuiſsimam operam, ad eneruanda inimicorum præſidia promptos induxerit; Tametſi ſua ordinatione eoſdem ornauerit Epiſcopali decore, attamen ſubiectionis, & prælationis ordinem nihil prorſus variaſſe perſuaſum habent orthodoxi; quia omnes ſub vno Petro tamquam ſub vno totius exercitus Imperatore ſubiectos eſſe voluit. Vnde non imus inficias, cęteros quoque Apoſtolos claues accepiſſe; Immo claues à Domino obtinuiſſe teſtamur, attamen ordinatè, hoc eſt ſub vna ſupereminenti capitis auctoritate, qua Petrum ad confirmandas reliquas Eccleſiæ columnas communiuit. Quarè ſi ex æquo omnibus fuiſſent traditæ claues, non magis fuiſſent muneris Petri confirmare cæteros, quàm cuiuslibet ipſorum confirmare Petrum. Inſuper ſi ex æquo omnibus fuiſſent impertitæ claues, eidem Petro eſſet adhibitũ, & iniunctum ouis, & Paſtoris munus; eumdem proconſulem, & ſub proconſule, eumdem & Principem, & ſubiectum, totius orbis herus conſtituiſſet. Quamuis enim Petrus ad Chriſtum ſummum animarum Epiſcopum relatus, ouis & ipſe ſit præcelſi Paſtoris, non tamen gregis, cuius Paſtor eſt, ouis eſt cenſendus. Si autem Apoſtoli omnes, ex æquo claues accepiſſent, non magis ipſe Paſtor eſſet conſtitutus, quàm cæteri Apoſtoli, ſed ſibi mutuò eſſent, & Paſtores, & oues, nihilque inter eſſet inter ouem & paſtorem, quod Chriſti ſententiæ omnino refragatur. Quoniam Petro, omnibus præſentibus, ſingularem paſcendi curam demandauit, & cauſam, propter quam cæteris præferret, expreſſit Dominus; Dixit enim Petro, Diligis me plus his? Ipſe verò præ modeſtia reſpondente, ſcis Domine, quia amo te, ſubiunxit paſce oues meas. Ex quo clarius patet, vni Petro, tamquam præcipuo totius gregis Paſtori, ampliorem paſcendi contuliſſe auctoritatem. Hinc Sanctus Chryſoſtomus, perſpiciens reliquos etiam Apoſtolos à Chriſto conſtitutos eſſe paſtores, attamen vnum Petrum omnium Principem, & Archimandritam vniuerſo præfeciſſe ouili, ſcriptum reliquit: Si quis percontaretur quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit, reſponderem, hunc totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe &c.

Solidæ rationis momento oſtéditur Apoſt. non fuiſſe Petro in auct. pares

Io. vlt.

Petrus eſt omniũ Pſi nceps ac Archimandrita

In numeroſiſſimo quidem grege, etſi vnus ſit paſtor præcipuus vniuerſo gregi intendens, attamen ſunt & alij paſtores in partem ſollicitudinis dati, quibus diſtributa eſt cura gregis, qui tamen omnes Paſtorem, Principem, & Archimandritam obſeruant: Attamen & illi quoque paſtores, munuſque eis ab vniuerſi gregis Domino demandatum paſcendi, & cuſtodiendi gregis portionem, qui & Paſtorem illum præcipuum conſtituit, & ad diligentiorem ſeruandi, paſcendique gregis curam coadiutores illi paranit. Hæcque omnia ob magnum affectum, ſollicitudinemque, quam pro ſeruando grege gerebat, cui hoc pacto proſpectum fuit commodiſſimè. Qui autem per ampliſſimam Petri iuriſdictionem ſpoliare ſuo decore, imbecillamque reddere, inquis moliuntur machinamentis, adhuc vrgent dicentes: Apoſtolis haudquaquam certos ſuorum laborum limites fuiſſe præſcriptos; quin potius Chriſtum eos tamquam Legatos in orbem miſiſſe vniuerſum ad prædicandum Regnum Dei, nec eorum auctoritatem certis diœceſum circumſcripſiſſe, aut cõcluſiſſe terminis. Quod quidem telum ab iniquo æſtimatore in Pontificem iactum, veritatis ſcuto facillimè obtunditur. Apoſtolorum enim auctoritas non coarctata limitibus, fuit potius ad congregandas oues in ouile Chriſti Petro commiſſum, quàm ad illud ipſum ouile gubernandum. Æqualis itaque fuit Apoſtolorum omnium commiſſio, ſed non æqualis omnium ſuper vniuerſam Eccleſiam iuriſdictio, quia vniuerſæ familiæ curam Beato Petro ſpeciatim Chriſtus demandauit.

Similitudo.

Hæretic inſtantia.

Diſſolutio difficultatis.

An non teſtantur hiſtoriæ vnicuiq; Apoſtolorum ſuam delegatam fuiſſe Prouinciam, ab Idolorum ſuperſtitione ad verum Dei cultum perducendam excepto Petro, ad quem totius Chriſtiani orbis ſollicitudo ſpectabat? Ideo inquit Theophilus: Cum finitum eſſet illis prandium, Petro præpoſituram ouium orbis terrarum tradidit. Rurſus in illud, quod Petro percontanti de Ioanne continuò poſt reſpondit Chriſtus: Sic eum volo manere &c. Tu me ſequere. Te namque ait, nunc dimitto ad orbis Pontificatum, & in hoc me ſequere. Sed eſto quòd Apoſtoli omnes Oecume-

Nihil minuit poteſtatem Petri etiam ſi donaremus Apoſt. omnes oecumenicã à Chriſto accepiſſe auctoritatem.

cumenicam, ac nullis concluſam regionibus à Chriſto acceperint auctoritatem, adhuc nihil detrahit maieſtati clauium Beati Petri. Quandoquidem ipſe Petrus recepit poteſtatẽ in ipſa fontali plenitudine. Cæteri verò quantum attinebat ad neceſſariam adminiſtrationem earum prouinciarum, quas prædicationis vomere excolebant: quemadmodum & legati à Summo Pontifice ad fulciendas, & redintegrandas labefactatas, ac prope ruentes priſcorum patrum optimas ſanctiones in prouincias miſſi cum poteſtate pleniſſima. Quamuis enim in reparanda Eccleſiaſtica diſciplina quamuis in reuocandis bonis motibus Oecumenica vtantur poteſtate, attamen ſub Romano Pontifice, à quo veluti à capite diuina munera in corpus omne diffunduntur. Scriptore Leone: Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omneſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis ſaluator instituit vt veritas, quæ antea legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo veluti à quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, & exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Verum hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo ædificante conſtructam, nimis impia velut præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere. Cui cum præ cæteris ſoluendi, & ligandi ſit tradita poteſtas, paſcendarum tamen ouium cura ſpecialius mandata eſt. Cui quiſquis principatum exiſtimat denegandum, illius quidem nullo modo minuere poteſt dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum ad inferna demergit. Hæc ille. Ex quo conficere valemus Beatum Petrum præſtantius, ac eminentius Regni cælorum claues ab orbis conditore eſſe ſortitum nec cæteros Apoſtolos ei omnino fuiſſe pares, nec æquè Oecumenicos, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ regimini præpoſitos; ſed Petrum diuinitus fidei lumine roboratum, præpotentibus clauibus dignius illuſtratum, in ſummo Eccleſiaſtice Hierarchiæ ſolio cum fontali auctoritatis plenitudine reſidere.

Res declaratur exéplo.

Leo ad Epiſ per Vienn. prouinciam conſtitutos.

Acacephal.

Simile.

Quemadmodum enim in peramplißimo totius mundi lumine, quod cæteris cæli luminibus claritatem impartijt; radiorum omniũ opulentia ita mirificè conſulget, vt mortalium oculi ipſam conſpicere, ipſamque ſatis demirari non queant: Simili modo in Beato Petro Epiſcoporum omnium patre, poteſtatis plenitudo adeo exundat, vt nemini orthodoxorum liceat, ipſius latitudinem præfinire, ipſiuſque præſtantiam mortali lingua determinare. Eccleſiaſticæ enim Hierarchiæ ſeparator Deus ipſi Apoſtolorum vertici, cui clauiũ onus impoſuit, apertiſſimè quoque pronunciauit, vt quæcumque poteſtatis arbitrio ſolueret in terris, eſſent ſoluta & in cælis.

Poteſtati Petri limites præſigere ſacrilegium eſt.

RADIVS XIII.

De optimis, & præclariſſimis Principis Apoſtolorum priuilegijs, quæ ter ternis Filij Dei prærogatiuis concinnè reſpondent.

In quo de primo priuilegiorum ternario agitur.

MIrifica Dei optimi, & liberaliſſimi munificentia, quæ largos diuitiarum affluxus perenni largitate effundit, vt admirabili gratiæ munere ſancti collocupletiores, illuſtrioreſque redderentur, non ſolum communia in eos contulit beneficiorum monumenta, ſed etiam ſingulariſſimis, & precioſiſſimis maieſtatis ſuæ ſplendoribus affecit. Largitur enim Deus, vt ſapientibus ſententijs, grauioribuſq; verbis enucleauit Baſilius, ſuas dignitates, non euacuans ſe, ſed habens dat. Lux eſt, vos eſtis, inquit, lux mundi: Sacerdos eſt, Sacerdotes facit: ouis eſt, ecce ego mitto vos tamquam oues in medio luporum: Petra eſt, petram facit; & quæ propria ſunt ipſius largitur ſeruis. Verum quemadmodum Petrum Apoſtolici illius chori Principem ad ſummum dignitatis, & poteſtatis faſtigium euexit in terris: Ita præcipuos honoris gradus, & titulos munere donauit. In illis enim eloquijs, quæ diuinas laudes altius inſonant, vnigenitus Dei Filius dignis huiuſcemodi laudum præconijs effertur: dicitur enim petra, caput, fundamentum, Sponſus, Paſtor, Claniger, Iudex, Magiſter, & Pontifex. Hæc ſunt magnificentiora ornamenta, quæ in illum congerunt Prophetarum oracula. Scriptum eſt: Ecce ego mittã in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum angularem, precioſum, fundamentis fundatum. Item, ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. Tum, fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et illud: tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Deinde: Ego ſum Paſtor bonus. Præterea: Hæc dicit ſanctus, & verſus, qui habet clauem Dauid, & qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Et rurſus: Pater omne iudicium dedit filio. Denique: Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim, vnus eſt enim Magiſter veſter.

B. Baſil. de pœnit. Hom. 37.

Dei benignitas valde liberalis ſingularis. priuilegijs ipſi Deo conuenientib. ſanctos ſuos magnificè cohoneſtat.

Potiora Chriſti nomina tranſumptiua.

Eſa. 28.

Ephes. 1.

1. Corinth. 3

Pſalm. 15.

Ioan. 3

Ioan. 10.

Apoc. 3.

Ioan. 5.

Ioan. 13.

Poſtremo, Chriſtus aſſiſtens Pontifex ſummorum bonorum, peramplius, & perfectius. Magna quidem, & præclara hæc ſunt, quàm vt verbis conſequi poſſint; & tamen his omnibus Petrum, vt ad diuinam propius accederet dignitatem, & poteſtatem, ornauit Dei munificentiſſima liberalitas. Omnes igitur Chriſtianæ fidei cultores exaltent Petrum, viuum quoddam Dei ſimulacrum in vniuerſo mundo, & in cathedra ſeniorum encomijs perpetuis laudent eum. Vice enim Chriſti toti orbi præeſt tamquam petra, caput, fundamentum, Sponſus, Paſtor, Clauiger, Iudex, Magiſter, & Pontifex. Certum & indubi-

Potiora Chriſti priuilegia Petro conferũtur.

Leo in ſer. 3 de paſſione Dominica.

dubitatum eſt illud: Tu es Petrus, & ſuper hanc perram ædifieabo Eccleſiam meam. Petrus petra eſt, inquit, ingenij excellentis, acertimique iudieij Baſilius Magnus, non vt Chriſtus petra eſt, ſed vt Petrus petra. Chriſtus te vera eſt petra immobilis & inconeuſſa, faciens aliam petram Petrum, qui nſt petra propter hauc perram, manens tamen petra vera, lux vera, Sacerdos verus. Tu es Petrus, ideſt, cum ego, vt maxima cum dignitate explicat Pontifex Leo, ſim immobilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod uemo poteſt aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt ptopria, ſiur tibi mecum participatione communia. Si memoria repeterimus primum ipſius Petri, cum Saluatore congreſſum, nobis erit obuium ad primum Petri intuitum in hæc verba Chriſtum proſilijſſe: Tu es Simon filius Ionæ: Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus, aut lapis.

Simoni nomeo à lapide imponi tur.

Vnde non ſine grandi myſterio nouum nomen à ſaxo, lapide, aut petra deductum impoſuit, veluti prænuncians vices geſtarum illius firmiſſimi ſaxi, cui tora Eccleſiæ conſtructio innititur.

Cyrill com. men. 10 Io. lib. 2. c. 12.

Intuitus eſt eum, inquit, ille Cyrillus qui ſenſus ſcripturarum ad medullam exquirit, vt Deum decebat, qui cotda & renes ſcrutatur, videtque, qui nihil ignorat, ad quantum, & fidem, & virtutem Diſcipulus peruenturus ſit & anteaquam aliquid de eo quæſiuiſſet, tàm ipſum, quàm Parrem eius nomine appellat, & hac re Diſcipulum inſtuir illum, ſe eſſe qui cuncta etiam antequam fiant, nouit, nec Simon iam fore nomen ſibi, ſed Petrus prædicit, voeabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo, tanquam in perra lapideque firmiſſimo, ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam. Hæc ille Cyrillus. Verum quoniam auguſtiori hoc priuilegio non erat eumulandus Simon abſque perinſigni merito, tanrummodo Cepham, hoc eſt, petram fore vocandum præmonſtrauit; ſed ſtatim vr diuino concitatus flamine in confeſſionem diuinitatis prorupit Simon, eodem temporis puncto ampliſſimis ſaxi honoribus inſignitur.

Ob meritũ confeſſionis ſaxi titulo honoratur Petrus.

Ideo non amplius vocaberis, ſed tu es, inquit, Petrus, & ſuper hane petram ſuper te videlicet me confitentem eſſe filium Dei, ædificabo Eccleſiam meam.

Ex meritiſſimo illo Chriſti coneionatore, & præcone infatigabili Ioanne Chryſoſtomo, cui iure merito ob ſapientiſſimam eloquentiã, & elegantiſſimam ſapientiam oris aurei cognomen tribuirur, hanc eruimus doctrinam.

Io Chry. in Ioan. Hom. 56.

Aduertendum, inquit, quòd non omnia, quæ venrura erant ei, hoc primo congreſſu prædixir; non enim appellauit eum Petrum, non dixir ſuper eam petram ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam, ſed dixit: Tu vocaberis Cephas, adhuc in fururum hoc defferens, maioris enim erat auctoritatis, & poteſtatis nomen. Ea enim Chriſtus nunc continuit, humilius à principio loquitur. Cum verò diuinitatem ſuam monſtraret, maiora narrauit, inqhiens: Ego dico tibi: Tu es Petrus, & ſuper hane petram ædifieabo Eccleſiam meam. Iacta hac prima petra, quæ eſt Ipſe Petrus, Chriſto veluti ſaxo firmiſſimo innixus, ſi licet eccleſiaſtico ſcriptori per amœna ingenioſiorum prata vagari, & ad locupletandas concionatorum orationes nonnullos decerpere flores, eoſque ad rranquillandos legentium animos chartis non incurioſè intexere, primò ſecreros Cabaliſtarum adibo hortos:

Cabaliſtarũ meditationes, à viro Thologo per quibuſdam aberrationibus à rebus grauioribus, ſunr accipienda.

Tu autem Cabaliſtarũ contemplatione nimium ſubtili connolantiũ, & pedem haud ſolidè fingentium cogitata, accipito: non vt veritatis præſidia, ſed potius vt lougæ orationis ſolatia, quæ defatigatis auditoribus, quandoque ab Eccleſiaſte apponi ſolenr; vt qui declamatoris prolixitate languent, excitentur; & ita ſeueriora quæ ſequuntur hilarius percipiant.

Ex cabala per pulchrũ elicitur myſterium, de lapide.

Hos igitur primos colligens flores: Apud ipſos. AB. patrem. BEN. filium. ABEN. lapidem ſignificaret ferunt. Hunc autem lapidem, in quo parris & filij diuinitas viget, illum vtique eſſe patet, quem non temere Propheta memorauir, & Petrus principibus populi, & ſenioribus obiectauit.

Io 14.
Pſalm. 117.
Act. 14.
Petra manalis.

Apud priſcos Romanos, qui nihil in bello ſine extis agebant, nihil domi ſine auſpicijs, petra Manalis extra portam Capenam iacebat, quam cum cæli ſiccitas frugibus officeret, intra vrbis clauſtra ſolemni pompa ferebaur, & ſtatim pluuia, vt memoriæ proditum eſt, cadebar: propterea Manalis dicta eſt, quòd eius beneficio impetraretur, vt aquæ è cælo maneret. Hoe humanæ menti, & intelligentiæ ſuſpicari licet, non ſine numinis prouidentia Romanis accidiſſe.

Gelidi latices ex Petro ad Romanos fluxere.

Omnem enim doctrinæ cæleſtis ſterilitatem paſſi ſunr, quouſque firma, & immobilis illa rupes, illa petra à Deo in ædifieationem Eccleſiæ primo loco poſita ad eos peruenit, & Chriſtianæ ſapientiæ fluminibus effuſis, ipſos omnium donorũ vberiori copia affecit. Quapropter ſi Romanæ ſuperſtitionis temporibus populo fuit petra manalis, ad ipſum modò ob Petri beneficium profuſiora cæleſtiũ donorum fluenta decurrunt. Aruſpex, vt meminit Caſſiodorus, interrogarus, quando Romanum Imperium corrueret præcipiti ruina, neſcio quo flamine curreptus, reſpondir, quando ſaxum Capitolij decidet; addidirque inſuper, ſi eueniret vt vmquam dilaberetur: futurum, vt poſt triginta annorum millia, denuò inſtauratum conſiſteret:

Capitoli immobile ſaxum quid ſignificauit.

Quo ſanè tantæ mulritudinis numero, perpetuitatem Imperij Romani intellexiſſe aiunt, quam apertius explicauit Maro.

Aen. 1.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium ſine fine dedit. Atque alibi.
Capitoli immobili ſaxum.

Quid enim aliud ſaxum, quàm firmamentum, & ſtabilitatem affert? Romanæ autem dignitatis monitio extirit profectò arx Chriſtianæ pietatis in Petro veluti in rupe ſita.

Petrus eſt ceu Vaticani immobile ſaxum.

Petro enim, qui Romæ ſedem fixit, poteſtas data eſt in orbem vniuerſum. Non enim vnius Prouinciæ imperium eſt Petro à Deo in ſummum poteſtatis rirulum erecto demandatum; ſed vniuerſi, vt ait Theophilactus, terrarum orbis.

Gen. 28.

Nouo igitur pietatis ſtudio accenſus Senatus, populuſque Romanus in præclarum illud proſiliat eulogium, quod diuinus Dauid multò ante præcinerar: Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.

Roma in Petro maioribus effertur honoribus.

Namque ob Petri principatum, non ſolum Romano imperio maximus dignitatis cumulus acceſſit, ſed etiã cæleſtium munerum admirabilem copiam conſecutus eſt. Ingeminata, itaque lætitia denuò

nuò

nuò afferatur Roma, & tanti commemoratione beneficij excitata rurſus decanter: Dun anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. In Petro honoraſti me: In Principe Apoſtolorum decoraſti me: Ipſi enim dixiſti: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nou præualebunt aduerſus eam.

Ambro. in ſerm. 47.

Petrus enim (vt Ambroſius præco verbi Dei ſummus, literarum monimentis conſignauit) tamquam bonus paſtor tuendum gregem accepir, vt qui ſibi ante infirmus fuerar, fieret omnibus firmamentum, & qui ipſe interrogationis rentatione nutauerat, cæteros fidei ſtabilitate firmaret. Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur: ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compage, molemque contineat. Petro ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncuparur, ſicut air Apoſtolus. Petra autem erar Chriſtus. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram. Ex quibus optimis S. Ambroſij ſententijs, verbiſque lectiſſimis poſſumus elicere diſcrimen conſtitutum inter Chriſtum, & Petrum. Nam vt diſertiſſimus, ac eruditione multiplici præditus Reginaldus Polo felici animaduerſione notauit: Chriſtus eſt petra natiua: Petrus autem eſt petra ab ædificatore primo poſita in fundamento Eccleſiæ, ac talis quidem petra fuit Petrus, quem Chriſtus vt ædificator in imo fundamento ædificij Eccleſiæ poſuit, quæ onus aliorum, quæ ſuperædificanda erant, ſuſtineret: Sed ita tamen, vt nec ipſe Petrus, nec reliqui omnes in ſe ipſis conſiſteret, ſed in altera illa petra, in monte illo magno, qui omnia ſuſtinet: Lapis, vt inquit Daniel, ſine manibus abſciſſus, factus mons magnus omnem terram complens.

Diſcrimen inter Petrũ & Chriſtum

Reginaldus Polo ad regem Angliæ lib. 2.

Daniel 2.

Eſt igitur petra Chriſtus, & eſt petra Petrus ipſe confitens Chriſtum. Qui verò per Petrum ſolum fidei donum intelligunt, mihi quidem grauiter labi videntur: coguntur enim huiuſmodi confiteri abſurda: quemlibet fide illuſtratum eſſe petram, cui primò Eccleſiæ ſtructura innitatur, & ita vnius ædificij innumera ponere fundamenta, ac vnius corporis, quod ſub aſpectum cadit, plurima ſurrogare capita vi quadam adducuntur. Licet autem Dei immortalis interpres, & internuncius Eſaias nobiliſſima Eccleſiæ membra, precioſioribus conferat margaritis dicens: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphyris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & poſtas tuas in lapides ſculptus omnes terminos tuos, lapides deſiderabiles. Et Eccleſia quotquot Chriſto nomen dederunt, expolitos lapides ſuis coaptatos locis vocet: In hac tamen nominis petræ communitate permagnum diſcrimen ineſt: Nam non omnes æqualis dignitatis, ac præſtantiæ gradum, nec parem nobilitatis locum in ædificio Eccleſiæ obtinet. Petrus enim eſt illa auguſtior petra illo ſuſtentamento, quod omnia portat verbo virtutis ſuæ innixa, ſuper quam primò conſtructa eſt Eccleſiæ moles. Cæteri

Per petram haud poteſt intelligi ſolum fidei donum.

Eſa 54.

In primo dedicationis Eccleſiæ hymno.

Multi lapides in vno lapide ſuper ædificati.

Heb. 1.

ad ſalutem ordinati, & in ſacris Ipſius Eccleſijs ædificijs coagmentati, facti ſunt petræ ſuperædificatæ ſecundum illud: Vos eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.

Philip. 2.

Neque parum hallucinantur illi, qui per petram poteſtatem primò, ac Princeps Apoſtolorum prælationem inani argumentò perſuadent: Propterea quòd ſi ſubſidijs aliquibus fulcienda eſt auctoritas, hominis virtute fulciri neceſſe eſt. Quid eſt namque poteſtas ipſa per ſe, niſi quædam hominum prærogatiua diuinitus hominibus tradita, qua principatus onera valeant æquè ſuſtinere. Per petram igitur non poteſtatem, & auctoritatem primò, ſed illum, in quo poteſtas viget, ſed illum ſuper quo veluti baſi Eccleſia conſiſtit, intelligere oportet, quemadmodum ſanctum doctæ linguæ nectar Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus egregiè dilucidauit dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ſuper te videlicet me confitentem eſſe filium Dei viui ædificabo Eccleſiam meam; ſuper te, inquit, ad explicandum, ornandumque vberior Antiſtes, non ſolum ſuper fidem, & confeſſionem tuam, ſed ob meritum tuam fidelis confeſſionis, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam. Fides enim atque confeſſio populi Chriſtiani fundata eſt ſuper ſoliditatem fidei petræ, non quod fides ſit fundata ſuper fidem, ſed ſuper Petrum credentem, & confitentem Chriſtum eſſe verum filium conſubſtantialem patri, cuius Eccleſiæ, paſtor, & caput eſt. Hic autem non poſſum amplius me continere, quin inſanam eorum interpretationem non deludam, qui per Petrum Eccleſiam ita exponunt: Tu es Petrus, ideſt, Tu es Eccleſia, & ſuper hanc petram, ideſt, Eccleſiam, vel fidei ſtabilitatem eiuſdem Eccleſiæ, ædificabo Eccleſiam meam. Ita vt ſuper Eccleſiam, aut fidem eius ædificetur Eccleſia. Eccleſia igitur iuxta horum explicationem ſuper Eccleſiam ædificatur; ipſa ſuper ſe ipſam, aut ſupra ſuam fidem, ſuper quam eſt iam ædificata.

Per petram nequaquam debemus intelligere poteſtatem primò.

Cyryſ. in Match. Hom. 55.

Eccleſia in Petro primò, & non in fide Petri fundata.

Per petram non poſſumus intelligere Eccleſiam.

Ergo Eccleſia ædificata, vti in Lutherum impegit Ambroſius Catherinus, ſuper ſuammet fidem iam ædificabitur, & ita iam ædificata ædificabitur, iam ædificata erit ædificanda. O nænias pueriles, ò ambagioſa rabularum deliramenta. Si autem abieceritis me contentione obiectantes, patrem meum Auguſtinum literarum lampadem fulgentiſſimũ, qui clarus ceu lucifer fulſit toto orbe, nomenclationem petræ fidem quandoque interpretatum, pedem non retraham illa nonnullorum recentiorum reſponſione, qua nimium arroganter audet tàm venerandum, tamquam profundum ſacrarum doctrinarum illuſtratorem, nulla adhibita reuerentia, in ſpiritu rarum expoſitione appellare varium & inconſtantem; ſed vt verus atque enucleatus tanti Antiſtitis filius, cuius eſt omni verecunda circumſpectione paternos tutari honores, eius diuina ſuffultus virtute, ſcutum aliud hoſtili telo opponam. Quum tanti ponderis Præſul, non ita facilè ſit inurendus leuitatis nota. Et ideo cum diuinioribus Theologis dico.

Ambro. Cather. lib. 2. diſp. 12. aduerſus impia Lutheri dogmata.

Modeſtia immortali auctor notat vnum ex recentioribus Theologis.

Defenditur Aug.

Mos Aug. in interpretandis ſcripturis.

Auguſtinum, quo in nodis extricandis nihil eſt acutius, more generoſiſſimæ cuiuſdam

aquilæ,

aquilæ, vt de eo teſtatur Hieronvmus, poſtquam literalis expoſitionis ſoliditatem tetigit, diuini ſpiritus feruore impatiens continuò ſolem vetſus ſubunlate, & myſtica, anagogica, atque tropoingica ſenſa altius explorare: Frænn enim literæ non poteſt contineri altiot ille animus, quin celeri cnntemplationis greſſu proripiat ſe ad penetralia diuina. Vnde in re propoſita poſtquam acris ingenij doctor valdè ſubtiliter, & peracutè diſſeruit; & vetitate enulceata clarè, dilucidè, atque apertè profeſſus eſt, in Petro veluti in fuudamento iactam eſſe Eccleſiam, & commiſſum ſibi populum docuit vt in ſermone cathedræ Petri, & in ſermione de ſanctis; ipſum Petrum eſſe petram, Eccleſiæ caput, & verticem, immobile fidei fundamentum, & rupem, ex hac certa & explorata petræ veritate delectabiliora ad corda exhilaranda, & ſurrigenda venatur arcana. Aliud autem eſt, quod aſſeritur ad fidem aſtruendam; aliud verò quòd prædicatur ad ſpiritus; & contemplationis nutrimentum; & oblectamentum. Verum huius noſtri ſanctiſſimi Patris interpretanes omnes de petra, tali linguæ cultu dirigit ad filium vnum Stanislaus Hoſius, qui admirabili quadam laude Concilio præfuit, Tridentino, vt videantur omnes ita eſſe connexæ, vt nullo pacto diuelli poſſint.

Stanislaus Hoſius de fide, & ſimb. cap. 26.

Cuius etiam præſtantiſſimi viri auctoritatem Ludnuicus Mainranus Grauinéſis Can. Reg. Lat. Epiſcopus, in ſuo Militantis Eccleſiæ clypeo ſummnpere concelebrare videtur. Hic ſanè diuinus nnſter Epiſcnpus, ſeneriori bus diſciplinis, & philoſnphiæ, atque Theologiæ ſtudijs excuſſis, ad conſtabiliendum verum Dei cultum ſe tntum cnnuertit, & varias Patris noſtri Auguſtini de petra interpretationes, ornata oratione, & perpolita, hunc in mndum ad Patris immortalem gloriam connectit: Inueniet, quòd eſt petra Chriſtus, eſt petra fides de Chriſto, qnam couſeſſus eſt Petrus, eſt petra Petrus ipſe confitens Chriſtum; & quǹd hæc adco ſibi nnn aduerſantur, vt niſi credas, Eccleſiam ſupra Petrum confitentem Chriſtum ædificatam eſſe, nihil credas. Hinc nimirum ſanctus Auguſtinus verba illa Dnmini dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, modò de fide, modò de Chriſto, modò de Petro ipſo modò de Eccleſia in perſona Petri intellexit. Hæc enim vſque adeo connexa ſunt, & inter ſe copulata, vt re vera aliud ſine alio eſſe nnn poſſit. Ex quo delirant maximoperè hæretici cum dicunt, Eccleſiam ſuper fidem ſnlam Petri ſemoto homine, fundatam eſſe: Ponnnt enim accidentia ſine ſubiecto: Nullo enim vmquam temporis momento fides conſiſtere poteſt ſeparata ab hnmine.

Lud. Maioran. Grau. Can. Reg. Lat. & Epiſcopi laudes

Lud. Maior. Grau. Can. Reg. Later. Epiſcopus in clypeo militantia Eccl. lib. 3. cap. 34.

Matth. 16. In quo ſenſu Chriſtus, fides & Petrus, dicantur petra.

Quocirca ſi fundamentum aliquod habere debet fides, in homine habere neceſſe eſt. Quid eſt namque fides ipſa per ſe, niſi qualitas quædam, niſi accidens in mente hominis quoddam? Qnamobrem qui fidem ſolam ſine homine multitudini credentium ſubijcit, putat fidem per ſe ſubſiſtere, & pnnit accidens ſine ſnbiecto: Immo ponit accidens ſubiectum, & fundamentum ſubſtantiæ. Hæc Grauinenſis noſter. & dnctiſſimè quidem. Petrus enim eſt ingens illud ſaxum, ſuper quo magna Eccleſiæ fabrica conſtruitur. Ipſi profectò dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Firmioribus quidem præſidijs innixa cohæret Eccleſia, vt nulla vi labeſactari poſſit, & portæ Inferi, inquit, cæleſtis noſter Atlas, nnn præualebunt aduerſus eam; cuius ſanè verba omni luce clariora ad duo referri poſſunt, ad Eccleſiam nimirum; & ad Petram. Si ad Eccleſiam referantur, ſenſus eſt, quod nullis Inferorum partis quod nullis aduerſariorum artibns, & potentijs euertetur, quod nullis bellorum ſæuitijs expugnabitur; quòd nullo violentiæ impetu opprimetur; ſed ſemper immobili fidei robore confirmata triumphabit: Si ad petram relata eſſe voluerimus, adhuc petræ nomine vel Chriſtum, vel Petrum intelligere poſſumus. Si Chriſtum intelligimus, licet mortem libentiſſimè occubuerit, licet in crucem ſublatus fuerit. tamen principis tenebrarum tyrannides, Chriſti ſtabilem, atque inconcuſſam virtutem haud ſuperaſſe ſcimus: Quinimmò Inferni ſuperbiam, & elatinnem, illius triumphali morte fuiſſe edomitam, atque compræſſam experimur. Si vero petræ vocabulo, Petrum ipſum accipiamus; affirmari haudquaquam pnteſt, ancillam hoſtiariam omnino profligaſſe inuictam Petri virtutem, atque coſtantiam, quum Petrus in negatione non perſtiterit, ſed amaro fletu negationis ſordes diluerit.

Et portæ inferi non perualebũt, duplicem poſſunt habere relationem.

Inuicta Petri virtus haud quaquam fuit ab ancilla profligata.

Rex enim qui prima conflictus irruptione aciem concuſſit, ſi palmam poſtremò, de hnſte nnn refert, numquam partns de alin Rege poterit agere rtiumphos. Præterea diuina oracnla nobis aperiunt Saluatorem noſtrum Beato Petro pollicitum conſtantiæ robur, pro illn tempore, quo eſſet Eccleſiæ petra: tunc autem cœpit eſſe petra, quando per Chriſtum omnia redemptinnis myſteria fuere abſnluta. Et tùm neque ancilla hoſtiaria, neque quælibet alia Auerni porta, victnriam de Petro reportauit, ſicuti Hieronymus, qui grauioribus, & ſnlidioribus ſcripturarum ſenſibus ſtuduit, planè nntar his verbis. Prudens lectnr inquitat, quomodo poſt tantam beatitudinem, Beatus es Simon Bar-Iona, & tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabn Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, nunc audiat, vade poſt me Sathana: Sed ſi conſideret, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, nnn in præſenti datam intelliget: ædificabo, inquit, ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues cœlorum: quæ ſi ſtatim dediſſet ei, numquam in eo prauæ confeſſionis inueniſſet locum.

Quando Petrus cœpit eſſe petra.

Hæc Hieronymus. Non enim decebant, ut in viuis adhuc agente præcipun Eccleſiæ rectore, & gubernatore Chriſto à Den conſtituto totius orbis paſtore & rege, vt in eius locum ſnffectus eſſet Petrus. Monſtruoſa appareuiſſet res, ſtante vero, & ſnlido, ac principali capite, vt aliud caput cum ſancto capite diuinam, in myſticum Chriſti corpus influxiſſet poteſtatem & vim. Crimen læſæ maieſtatis adiudicaſſent omnes, vero ac germano principe nondum à regno recedente, vt alius ſtans celſa in puppi conſidetet ad clauum. Id-

Quare nnn ſtatim Petrus factus eſt Eccleſiæ petra.

Digitized by Google

cireo ad euitanda huiuſmodi abſurda, Chriſtus Dei ſapientia non dixit, ædifico; ſed ædificabo Eccleſiam meam. Hæc conſtans, perenniſque petra immortali firmata virtute, contra oblattantium Iudæorum eſtrænatum, præcipitemque tumorem præſenti animo ſtetit, & inuicto quodam robore palam teſtata eſt: Chriſtum eſſe lapidem reprobatum ab ipſis ædificantibus, factumque eſſe in caput anguli, nec in aliquo alio ſalutem conſiſtere. Num etiam ſacram inuiolabilis petræ firmitatem prætulit, cum implacabili ſynagogæ vehementiſſime obſtitit, & murum pro Chriſti grege ſeſe opponens, admirabili ſpiritus magnitudine dixit: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Non enim poſſumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui. Dum igitur mihi ſeſe offert illuſtris claritudine, ſplendoreque inſignis, ac prope miraculoſa ſancti Petri præſtantia, illis decorata inſignibus; quæ ipſius diuini numinis præcipua ſunt, & pecularia, eam admodum demiror & quo magis præpondero, eo magis mente excedens obſtupeſco.

Act. 4.

Petri firmitas re ipſa declarata.

Act. 5.

Proprium enim quod in Chriſto fuit, & ſingulare, Petro quoque impertitum eſt. Chriſtus re vera omnis boni immobile fundamentum Apoſtolico ore prædicatur. Fundamentum, inquit, Apoſtolus, aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Petrus autem à Chriſto fundamenti cognomen, & ſoliditatem, vt ædificandæ Eccleſiæ ſuæ pondus loco ſui ſuſtineret, accepit; pro cuius firmitudine precibus à Deo impetrauit, vt numquam fides eius deficeret, ſed adeo fundata, optimeque conſtituta foret, vt reliquas ſtabilire, & corroborare remaneret idonea. Propterea eruditionem optimus, & optimorum doctiſſimus Hilarius Petrum alloquens, Felix appellitat fundamentum: O in nuncupatione, profert, noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, digna ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. Et ſi magni illius Dionyſij Hiſtoriæ minimè dubitanter eſt adhibenda fides: Illuceſcente illa præſtituta hora, qua glorioſiſſimi Chriſtianæ ſidei principes Petrus, & Paulus, vno tempore, vna die, vno loco, vnius tyranni ſententia ſummum excelſo triumpho obirent diē, & effuſo ſanguine Romanam illuſtrarent Eccleſiam, dum ad agonem perducerentur, geminum iſtud oculorum lumen extremas ſalutes ſibi dicens, vltimum, æternumque vale Heroem Tharſenſem, ſummo Apoſtolorum vertici hunc in modum annunciaſſe ſcribit: Pax tecum fundamentum Eccleſiarum, paſtor ouium, & agnorum Chriſti.

1. Col. 3.

Petrus Eccleſiæ fundamentum.

Hil. can. 19. in Matth.

Qua ſalutatione Paulus ſalutauit Petrum dū ambo ad ſupplicium ducerentur. Petrus fundamentum Eccleſiarū.

Clem. initio epiſtolæ primæ ad Iacobum fratrē Domini.

Hinc Clemens glorioſus Chriſti martyr, & Beatiſſimi Petri Diſcipulus affirmat: Dominico ore Simonem Petrum veræ ſidei merito, fundamentum definitum eſſe Eccleſiæ. Nec me latet, in Apocalypſi Ioannem inuoluta oratione pronunciaſſe: primum Hieruſalem fūdamentum Iaſpis: Quo perobſcuro loquendi genere ſignificauit, Petrum ſibi aſciuiſſe conſtruendæ Eccleſiæ principatum. Inter precioſiſſimos enim lapides Iaſpis mirifica quadam ſibi à natura indita virtute phantaſmata, timoreſque nocturnos propulſat, & pellit. Petrus autem cæleſti fidei religione, à Romano imperio dæmonum illuſiones deturbauit; & Romam, quæ olim erat fons, errorique ſeminarium ſolem effecit Euangelicæque veritatis lumen, teſte Apoſtolo, qui Romanos hoc eulogio honorauit: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Idcirco mirabilis ille Origenes cum de Petro loquitur, ſemper fūdamenti decore honorem debitum præſtat. Petrus, inquit, ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, duas tantummodo epiſtolas ſcribit.

Apoc. 21.

Iaſpidis, myſtica expoſitio.

Super Petrum fundata eſt Eccl.

Rom. 1.

Origenes in Matth. lib. 1 de canone noui teſtamenti.

In c. 6. epiſtolæ ad Rō.

Rurſus, Petro cum ſumma rerum de paſcendis ouibus, & ſuper ipſum tamquam ſuper petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius, niſi charitatis exigitur. Iterum, Magno illo Eccleſiæ fundamento, petræque ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuam, vide quid dicatur, Modicæ fidei, quare dubitaſti? Petrus igitur, quoniam Baſilio auctore, fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe ædificationem ſuſcepit. Quid enim prohibet ſaxum ſupra ſaxum, & fundamentum ſupra fundamentum eſſe conſtituta, Tralationes quidem ſunt hæc omnia, & vt Græci appellant ἀλληγορίαν. Nec enim Chriſtus rupes eſt, nec Petrus petra, nec cæteri Apoſtoli verè lapides ſunt; Attamen & Chriſtus, & Petrus, & reliqui duodecim Chriſti legati fundamenti titulo inſigniuntur. Extant firmiſſima illa ſacrorum eloquiorum teſtimonia; Fundamentum aliud &c. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. Fundamenta eius in montibus ſanctis: Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum: Murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum. Ex quibus ſententijs luculentè apparet, fundamenti nomen, tum Chriſto, tùm Petro, tùm cæteris ſanctiſſimis Apoſtolici chori proceribus, ſed alia, & alia ratione per aptè conuenire. Chriſto quidem fundamenti ratio non tamquam petræ iactæ, ſed abſolutè conuenit, vt natiuo cuidam, & immobili ſaxo, in quo omnis Eccleſiæ conſtructio ſolidatur; cui prima petra iacta innititur.

Hom. v. in Exod.

Baſilij ſententiis lib 2. aduerſus Eunomium.

Chriſtus, & Apoſtoli per allegoriam dicuntur petræ.

1. Cor. 3. Matth. 14. Pſal. 86. Eph. 2. Apoc. 21.

Hocque eſt illud fundamentum, de quo monumentis mandauit Paulus; Fundamentum aliud nemó poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus. Vti autem hac ratione fundamenti titulo decoratur, Ita alia architectus inſigniter dictus eſt. Struxit nempè ipſe mundi machinator, ac perpetuò ſtruere non deſiſtit Eccleſiæ ſuæ ædificium. Licet igitur cælorum conditori tùm ſaxi, tùm fabricatoris translatio accommodetur, ipſi tamen præſtantius ædificatoris nomen, quàm petræ conſentit. Petrus verò eſt primus lapis iactus, qui primo conſtanti fundamento cohęret, vt ſuper ipſum, ceu firmiſſimum ſaxum in ima radice ab ędificatore collocatum, quod aliorum onus ſuſtentat, ſpiritualis constructionis amphitheatrum erigatur, & ita fundamentum omnium aliorum à Chriſto, vt haud ſecus ab eo Eccleſiæ coagmentatio pendeat, quàm à ſuo fundamento ædificium tectiſſimè dicitur. Fundamentum igitur nuncupatur, Ambroſio dilucidatore, quòd primum in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquā ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat, vt futura, inquit, Chryſoſtomus flumen orationis aureum fundens, Eccleſia tot tantiſque fluctibus im-

Fundamēti ratio qua ratione Chriſto, qua verò Petro, cęteriſque Apoſtolis conueniat.

1. Cor. 3.

Chriſtus Eccleſiæ fundamentum & Architectus

Petrus eſt primus Eccleſiæ lapis iactus.

Ambr. ſerm 47.

In Matth. Homil 55.

petu

Digitized by Google

Adamantis firmitatem ſuperat Eccleſia ſoliditas.

petu irrupentibus immobilis maneat, cuius paſtor & caput piſcator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet. Et hæc omnia Chriſtus, quæ ſolius Dei ſunt, pollicetur ſe daturum Petro.

Hier. 1.

Ita quoque, & Pater ad Hieremiam dicebat: ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te, ſed ipſum quidem gentium pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum, Chriſtus præpoſuit. Cæteri verò Apoſtoli, qui Domini iuſſa per totum orbem detulerunt, ad cæteros lapides, quibus parietes domus Dei ſtructi ſunt, collati fundamenti honoribus extolluntur, non tamen ex æquo; quia Petrus eſt præcipuum Eccleſię fundamentum, vt clarius explicauit Cyprianus his verbis: Manifeſtum eſt, vbi, & per quos remiſsio peccatorum dari poſsit: Non Dominus primum Petro, ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit. Chriſtus enim Eccleſiam ſuam, quæ vna eſt, fundauit ſuper vnum. Si autem Beatum Hieronymum mihi obieceris aſſerentem Eccleſiam ex æquo cunctis Apoſtolici Collegij fratribus hærere, veritatem ita enucleabo; Eccleſiæ ſtructuram ex æquo omnibus inſidere; ſuper omnes Apoſtolos ex ęquo ſolidari Eccleſię firmamentum, quia ſuper eamdem fidem, & confeſſionem, ſuper eamdem conſentiētem prædicationem, & munus Apoſtolicum, ac etiam ſuper eumdem ordinem Sacerdotalem, non tamen ex æquo omnibus inhæreſcere quoad poteſtatem, Iuriſdictionem, atque functionem: Quia Petrus ſuperabat omnes poteſtatē, & functione.

Cypria. in epiſtola ad Tubaianum

Infra in eadem.

Dulci datio illius propoſitionis; Eccleſia ex æquo cunctis Apoſtolis innititur.

Ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur: Fundamenta in montibus ſanctis: Mittam in fundamentis &c. Eccleſię ſtructura innititur fidei, qua omnes Apoſtoli poſt acceptum Spiritus Sancti donum fuere pares, nullus enim hæſitauit de fidei veritate, ſed omnes fortiter ſanguinem, & animam profudere illam confitentes, ob id ex æquo fortitudo Eccleſiæ ſuper eos ſolidata eſt, cum conſentienti eorum prædicatione in omnibus, quę ad fidem pertinent, ipſis diſtributis in varias mundi regiones, diſſeminata fuerit, propagataque ac ſolidata, Domino Incrementum dante; nec hoc per Petrum magis factum eſt, quàm per cæteros. In munere enim Apoſtolatus par cæteris, etſi auctoritate definiendi ſuperior; par etiam in ordine Sacerdotij, ſed Petrus functione celſior. Concludamus ergo Petrum præcipua quadam prærogatiua fundamenti dignitate à Domino fuiſſe honoratum.

Petrus in munere Apoſtolatus præ cæteris auctoritate & iuriſdictione ſuperior.

Propterea diſcipulorum abluturus pedes, primum venit ad Petrum, ſicut ex euangelio Ioannis deducit Auguſtinus, vt ſancta Dei eccleſia ſuper Petrum ædificata, cum lucere oporteret decore, pulchritudine, & ſanctitate illius baſis; cum primis cœleſti munditia omnino conſulgeret: Idcirco dixit Petro: Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet; ſed eſt mundus totus. Neque ſine ſingulari numinis prouidentia euenit, vt primum prodigium, quod edidit Petrus, circa pedum conſolidationem extiterit; hominem enim ab ineunte ætate claudum (vt etiam in typo Petrum ſpiritualis ædificij eſſe ſuſtentamentum appareret) magna populi admirabilitate conſolidauit: Neque hoc meo marte effinxi, ſed ex Patris mei Auguſtini doctrina percepi. Vt igitur claris aſtris incedamus, verba ſublimiſſimi doctoris in medium produco: Primum, ait, ſignum mirabile Beatus Apoſtolus Petrus fecit, claudo pedum reſtituendo veſtigia: Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Si ergo Petrus petra eſt, ſuper quam ædificatur eccleſia, rectè prius pedes ſanat; vt ſicut in eccleſia Fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet; Rectè, inquam, pedes Chriſtiano curat; vt iam non trepidus quis, nec imbecillis poſſit ſupra petram Eccleſiæ ſtare, ſed robuſtus, & fortis incedere. Hæc ille. O firmum igitur, & inconcuſſum, ò integrum, & ære perennius fidei noſtræ fundamentum. Quid eo firmius? quid ſolidius? quum nec ab irruentibus tyrannorum ventis, nec ab inimicis hæreticorum imbribus, nec à malignis inferorum cuniculis quatefieri poſſit. Quid meus ò Petre ad laudum tuarum præconia lituus; ero etſi non idoneus, tamen beneuolus tuarum laudum pronunciator.

Aug. in Euang. Io tractatu. 56.

Io 13.

Primum Petri miraculū fuit circa pedum ſoliditatem, & quare.

Aug. ſerm. 16. de ſāctis.

Petrus Chriſtiani orbis caput.

Sanctus enim Petrus non ſolum, vt fidei fundamentum, verum etiam vt totius Chriſtiani orbis caput publico omnium catholicorum ſuffragio approbatur. Cuiuſcumque enim communitatis Rectorem tamquam caput obſeruamus, colimus, veneramur; & Reges, ac præſides ob eximiam authoritatis excellentiam grauiſſima populorum capita vocamus, ſecundum illud Amos: Optimates capita populorum. Cum autem Petro à Deo fuerit conceſſum, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, capitis præconio meritò laudatur; quemadmodum præclare ſcripſit Optatus Mileuitanus his verbis: Ignorantiæ tibi adſcribi non poteſt ſcienti in Vrbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam ſchiſmaticus, & præuaricator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret. Quamplurimas cenſeo ego poſſe afferri cauſas, cur mundi princeps Petrum ſapientiſſimè conſtituerit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ caput venerandum.

Princeps nuncupatur caput.

Amos. 6.

Contra Donat. in init. lib. 2.

Pluribus de cauſis Chriſtus conſtituit Petrum Eccleſiæ caput.

Primò quidem perbeatum hunc Apoſtolorum honore hoc ampliſſimo adornauit, vt ab Eccleſia ſua ſchiſmatis anſam omnino præcideret. Nam varijs obortis quæſtionibus oportet inter eos, qui diſceptant, vnum diffiniendi poteſtate cæteris præſtantiorem, cuius ſententiæ eſt poſtremo ſtandum iura definire. Regnorum itaque moderator, Petrum ea armatum facultate, qua huiuſmodi prouinciam quamamplè perfici poſſit, Apoſtolici collegij conſtituit caput; & principem. Inter duodecim, inquit, Hieronymus, vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Summe Deus, quodnam confuſionis incendium in tanto, tàm longè lateque diffuſo Eccleſiæ regno conflagraret, ſi ſacroſanctum Chriſtiani nominis caput, Chriſti vicem perſonam, humano in corpore non ageret; ſi aliqua oboriretur, ſicuti in dies vſu euenit, in-

Ad tollendū ſchiſma conſtituitur vnum caput.

Digitized by Google

ter Epiſcopos, Paſtores, & Doctores Orientales, & Occidentales, circa ea, quæ fidei ſunt controuerſa? quiſnam viuę vocis oraculo euaram quæſtionem decreto ſanciret inappellabili? Quis vt Iudex ſupremus tolleret ſchiſma? Quis turbolentas diſſentiones dirimeret; Quis tantos vnquam componeret digladiatores? An non de ſumma rerum quæſtiones, ſemper fluctuarent, perpetuò nutarent? Vnus igitur ſumma ſapientia inter duodecim eligitur, vt capite conſtituto perpetuæ concertationis tollatur occaſio.

Triplex gubernationis genus.

Præterea Petrum cæteris fide clariorem, ac vegetiorem charitate à cæteris ſelegit, & ad faſtigium maieſtatis euexit, vt tamquam ſacri principatus ſupremum caput ab omnibus veneraretur, ac eccleſia optima gubernandi ratione illuſtrata redderetur. Tria ſiquidem adminiſtrandarum ciuitatum genera reperiuntur. Vnum quod regnum appellatur, in quo vnus præſidet, & imperat omnibus. Alterum optimorum, ac præſtantiſſimorum ciuium poteſtas. Tertium cenſuarium, ac populare. Regiam maieſtatem, ceu Dei imitatricem, horum optimam eſſe voluit veterum philoſophorum authoritas; Vnde Peripateticorum princeps duodecimum primæ philoſophiæ librum concludit Homerico carmine.

Regnū omnibus præfertur gubernandi rationibus.

Eſto vnus princeps.

Popularem verò gubernationem deterrimam. Primatum clarorum ciuium mediam. Quum igitur regum omnium Coryphæus meliori gubernatione, præſtantiorique regimine ſuam illuſtrauerit Eccleſiam, vnum caput præfecit, quod illius gubernacula pleno iure tractaret: ac conſultò rerum habenas abſoluta poteſtate moderaretur. Idpropter Eccleſia in diuinitus afflatis eloquijs non Democratiæ, non Ariſtocratiæ, ſed ſacris regni inſignibus, perornatur. Deinde vt nihil inordinatum in eccleſiaſtica conſpiceretur Hierarchia, ipſe ſummus ordinis temperator Deus, vnum oculis noſtris obiectum caput praſcripſit. Eccleſiam enim ordinatæ aciei comparatam, ab vno manifeſto duce ſui ordinis rationem deſumere oportebat. Vnum igitur vniuerſali Eccleſię deſtinatum eſt caput, ne eccleſiaſticus principatus perpetua commiſceatur confuſione, & inordinatione. Quamobrem primus eccleſiaſticæ Hierarchiæ moderator, ſyro vocabulo dictus eſt Cephas; quod licet interpretatione ſecundum vocem petram, ſaxum, rupem ſignificet; dilucidatione tamen rei notę per vocem, principium, & caput oſtendit. Vnde Rector vniuerſi ſe ipſum lapidem caput effectum appellauit ijs verbis: lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Non igitur græcæ vocis figura deceptus Anacletus, Cephas rem ipſam exponens caput dixit κεφαλὴ enim græcè caput ſonat latinè; ſed etiam quoniam rem ipſam potius expoſuit, quam ſyram vocem latinæ voci reddiderit, principium à quo ordo proficiſcitur doctiſſimè interpretatus eſt. Quare & Hieronymus, qui latentia in intimis literæ penetralibus ſenſa eruit; Petrum eccleſiæ fundamentum, Cephas corporis Chriſti principem, & caput dixit elegantiſſimè: Cuius interpretationem Baptiſta Mantuanus non inſuauis poeta Theologus inſequutus, carmine vaticinatur.

Eccl. Regn. vt clariori gubernationis ſpeciei decoratur.

Cephas ſyrum eſt vocabulum, & duo ſignif. Duplex interpretatio in ſcriptur. Matth. 21. Pſalm. 117.

Hieron. in l. de obitu ſanctorum.

Petrus eſt grauiſſimū tot. Eccleſ. Hierarchiæ caput & Cephas.

Nomen erat Petro Simon ab origine: ſed cum
Vellet eum Deus eſſe baſim templo ædificando,
Fecit ei ſolidæ nomen de nomine petræ.
Poſteritas, quia rector erat, clauumque tenebat,
Appellare Cepham voluit, qua nomina graio
A ſermone trahunt, ſicut Ioans indicat ortum.

Baptiſta Mātuanus in l. de ſacris diebus de Martyrio SS. Petri, & Pauli.

Petrum igitur maximum Eccleſiæ caput deſtinauit, vt eccleſiaſticus Principatus mirabili quædam: diſpoſitione ordinatus appareret. Ordo enim cum prius habeat, & poſterius, vno neceſſe eſt conſtabiliri principio. Inſuper ipſum dedit Eccleſiæ caput, vt militantis Eccleſiæ acies triumphanti perpulchrè reſponderet. Sicut enim in illo ſidereo Capitolio vnus præſidet Deus, quo nihil eſt ſublimius: Ita in hiſce filiorum Dei caſtris, vnus veri Dei vicem gerit, quo nihil eſt diuinius, authore Magno illo Leone, qui Petri dignitatem hoc pacto explicauit: Vnus, inquit, de toto mundo eligitur Petrus, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cuntiſque Eccleſiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit, & Chriſtus Magnum, & mirabile huic viro, dilectiſſimi, conſortium potentiæ ſuæ diuina tribuit dignatio, & ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, numquam niſi per iſtum dedit quidquid cæteris non negauit.

Eccleſia militans triumphanti reſpondet. Similitudo.

Leo ſerm. 3. de paſſione Dominica.

Petrus omnium gentium vocationi & cunctis Eccleſiæ patribus præpoſitus.

Quæ cum ita ſint, vt Leo enucleauit, ſicut vnus Deus regnat in cælis; ita vnus Dei Vicarius, & vna ipſius iuriſdictio, à qua omnis alia damnat, viget in terris. Quamobrem ſanctum catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ regnum vnum eſſe omnes orthodoxi profitentur, non ſolum quia vnum veneratur Deum; nam & hebræi vnum Deum colunt; & Turcæ Deum vnum honorant; nec ſolum quia vnum in cælis glorioſo triumpho corregnantem Chriſtum agnoſcat, propterea quod omnia hæreticorum conuenticula Chriſtum optimè ſe noſſe proclamant; ſed etiam vnum eſſe conſtantiſſimè affirmamus, quia vnum caput decorum, & honoratum in Principis Apoſtolorum ſede conſtitutum diuino munere obtinet, quod inter omnes præclariſſimos, & honoratiſſimos Eccleſiæ præſules fulget, ceu ſol inter minora aſtra. Ob hoc Paulus, qui raptus eſt ad ſuperos, dum Epheſios fratres ad corporis myſtici vnitatem retinenda adhortaretur, non de vna fide ſolum, aut de vna ſpe, aut de vno baptiſmate, aut de vno Deo mentionem fecit; ſed etiam vnius Domini commemorationem intulit, eo quia militantis Eccleſiæ vnitas non tantum ab vno exoritur Deo, qui in cæleſti Hierarchia regnat, quam ab vno Domino, qui Eccleſiaſticam Hierarchiam optimè gubernare inſudat. Inquit enim Apoſtolus: Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium. Partitè enim, & explicatè diſtinxit vnum Dominum, ab vno Deo, ſicut interpunctione ſeparauit vnam fidem

A Petro deriuari alios omnes poteſtatem Eccl.

In quo conſiſtat vnitas Eccleſiaſtici regni.

Ab vnitate capiti vnitas regni dependet.

Epheſ. 4.

dem

Digitized by Google

dem ab vno baptiſmate: quando quidem corpus Eccleſiæ diuerſis membris oculis ſubiectis coagmentatum, ab vno capite ſenſibus manifeſto, & claro ſuam contrahit vnitatem.

Ambr. com. cap. 9. Luc. Inſtantiæ euacuatio.

Si quis obijciat Eccleſiam vno capite, & ſponſo Ieſu Chriſto contentam præter ea nullum requirere, in promptu eſt Beati Ambroſij reſponſio: vt enim Chriſtum Dominum ſingulorum ſacramentorum non ſolum auctorem, ſed initium etiam præbitorem habemus (nam ipſe eſt qui baptizat, qui abſoluit, & tamen is homines ſacramentorum externos miniſtros inſtituit) ſic Eccleſiæ quam ipſe intimo ſpiritu regit, hominem ſuæ poteſtatis Vicarium, & miniſtrum præfecit. Nam cum viſibilis Eccleſia viſibili capite egeat; ita ſaluator noſter Petrum vniuerſi fidelium generis caput & paſtorem conſtituit, cum illi oues ſuas paſcendas verbis ampliſſimis commendauit, vt qui ei ſucceſſiſſet, eamdem planè totius Eccleſiæ regendæ, & gubernandæ poteſtatem habere voluerit.

Lutheran. inſtantia cōtra Eccleſiæ vnitatem.

At Lutheranæ hæreſeos ſectatores, quibus periucundum eſt cum catholici pectoribus iocari, ſtatim inferunt dictum illud familiare: Papatus Athletæ, dum regnum Eccleſiæ tueri contendunt, illico monſtrum duobus capitibus altum pro ſcuto educunt; cum Paulus teſtimonium reddens ampliſſimū perfectæ laudis Chriſti, ipſum Eccleſiæ caput eſſe decernat: Et omnia, inquit, ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.

Epheſ. 1.

Miror equidem ſacrarum literarum profeſſores, in has incidere abderiticorum inſanias, huiuſmodique recenſere ſemper ſophiſtarum deliramenta. Quæſo videamus omiſſis facetijs; an nos, qui ſacram Eccleſiaſticam Hierarchiam vſque ad ſanguinem tutari conſtituimus, dum ſanctiſſimum Eccleſiæ regnum ab iniuſta vexatione vendicare enitimur, illa edamus oſtenta atque prodigia, quæ nos confingere effutiunt hæretici; an potius ab Eccleſia extorres, dum Eccleſiaſticam Hierarchiam irrident, noua ipſi affectant monſtra. Ageodum, ſi quauis in regione mater rerum omnium natura, dux optima, corpus quoddam manibus, pedibus, brachijs, ac cæteris conſpicuis membris, ſed ſine capite pareret; quiſnam tam ſtupidus, tamuè hebes exiſteret, cui non eſſet manifeſtum præter inſtitutum genuiſſe portentum? Modo ſi corpori Eccleſiæ patentibus membris conſtituto, prouidentiſſimus Deus caput non appoſuiſſet conſpicuum & apertum, an non artificioſiſſimus opifex, Eccleſiam ſuam conflaſſet quàm monſtruoſam? membris luce clarioribus coagmentatam abſque conteſtato capite? Cæterum non me latet, acerrimos Lutheri defenſores, vt hunc ſcopulum euitarent, non minus impiè, quam imperitè corpus quoddam mathematicum ab omni ſenſu abiunctum effinxiſſe, & perfricta fronte enunciaſſe Eccleſiam effugere ſenſum oculorum omnem. Propterea capite quod videri poſſit, minimè indigere. Sed quorſum hæc euaſio? Si Eccleſia haudquaquā oculis ſubijcitur, cur præclariſſimum totius Eccleſiæ numen rationem præſcribens, qua frater eſt ab errore auertendus, præcipit, cum noluerit curationem recipere, nec familiaribus admonitionibus, nec precibus, nec ſeuerioribus obiurgationibus acquieſcere, vt tandem nomen eius ad Eccleſiam deferamus.

Retorquet. argumentū in Lutherū.

Ecc. ſine ſuo viſibili capite eſt veluti portentum horribile.

Lutherani confingunt, corpus quoddam Mathematicum.

Matth. 18.

Ageſis ſi Eccleſia (vt non minus impiè, quàm ineruditè aſſeuerant Brentius, atque Caluinus) oculorum fugit obtutum, quomodo illam adibimus? quomodo ad illius tribunal fratrem vocabimus? quomodo ipſi rerum à nobis geſtarum rationem reddemus? Inſuper ſi oculorum acie non percipitur Eccleſiæ ouile, quas oues educabimus doctrina, enutriemus ſacramentis, prolectabimus exemplo, ſeptas tenebimus cuſtodia? Si Eccleſia nulla parte fulget, quorſum paſtorum omnium princeps, ab his terrenis ad illa conſcenſurus cæleſtia prata, Petro dixiſſet: Paſce agnos meos, paſce oues meas? ſi agni Eccleſiæ illiuſque oues nondum patent, quid potuiſſet paſcere? ventos? ſi Eccleſia deformis latet, ad quid paſtorum primarius cæteris munia obeuntibus paſtoralia regendi ita propoſuiſſet exemplar: paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Quò validiſſimus eccleſiæ propugnator ad ouium regimen Eccleſiæ rectores ita fuit adhortatus? Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Si enim Eccleſia nulla ſpecie eminet, quid regent? Atomos in infinito inani? Quibus effeor formam virtutum? Chimæris? Quem vultum pecoris agnoſcerent? Laruas? Si aſpectu non apprehenditur eccleſia.

Pluribus ratiocinijs oſtenditur Eccleſ. oculis noſtris eſſe ſubiectam.

1. Petr. 5.

Act. 20.

Quid eſt infirmum quod mercenarij non conſolidant? quid ęgrotum quod non ſanant? quid confractum, quod non alligant? quid abiectum, quod non reducunt? quid diſperſum, quod non quærunt? Si enim Eccleſia, vt ſubijciam rationem, quæ plus cæteris, ſtrictis gladijs ferit, obtutum præterfugit, quid tunc perſequebatur Paulus, quando immani correptus velo, membra corporis Chriſti acrius diuexabat, ſicuti ipſe teſtatur: Audiſtis enim conuerſationem meam aliquando, quoniam ſupra modum perſequebar eccleſiam Dei, & expugnabam illam. At ſi eccleſia non ſentitur, ſi eccleſia non tangitur, ſi eccleſia in latebris ſeruatur, quid perſequabatur? Auras? quid expugnabat? Vmbras? Nihil certè poterat afferri obtuſius, & inanius aduerſus catholicam fidem, quàm ſcriptis mandare, ſanctam Dei eccleſiam nulla ſpecie eminere, deformem latere, nulla parte fulgere, altis tenebris immergi, in latebri ſeruari. In ſole, in ſole poſuit tabernaculum ſuum. In manifeſto, in manifeſto ſtatuit Eccleſiam ſuam. Supra montem, ſupra montem, qui vniuerſam faciem terræ, collocauit atrium electum, Cum Eccleſia vera neminem latere poſſit; vnde illud: non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. In campo, in campo locauit terribilem caſtrorum aciem ordinatam.

Gal. 1.

In ſole poſita eſt Eccl. Pſalm. 18.

Dan. 2.

Matth. 5.

Agnoſce igitur hæretice, & reuerere Dei Eccleſiam omnibus perſpicuam, omnibus dilucidam: In qua in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: plenis faucibus confitere Eccleſiam notabili forma inueniri, excelſa facie extare, non in medijs tenebris detineri. Erubeſce tam inſanam, tamque

Cant.

1. Cor. 13.

que retuſam aduerſus Sanctam Romanam eccleſiam afferre cauillationem. Perſpice caput Eccleſiæ, ſicut cætera membra ſolis fulgore clariora, ante omnium oculos poſitum. Quem enim Theologorum præterit, ter maximum gloriæ regem trabea carnis indutum, & hominum oculis oblatum, mortaliſque naturæ ærumnis obnoxium, ac in crucis ſuffixione acerbiſſimis, & miſerandis mortis angoribus ſubiectum, poſt glorioſum de tyranno triumphum ſolutis inferni gemitibus, cum ſeipſum viuum præbuiſſet in multis argumentis, præordinatis reſurrectionis teſtibus, ab hominum mortalium oculis, iam victoria parta demigraturus, & ad optatiſsima aſcenſurus triumphantis Eccleſiæ regna, Petrum, cui antea dixerat: Tu vocaberis Cephas, ſui loco, ne tàm vaſti illius immenſique corporis compaginem abſque congeneo capite derelinqueret, ſubſtituiſſe? nec tamen propterea monſtruoſam, ac bicephalam effeciſſe Eccleſiam. Ipſa quidem tamquam corpus membris elegantiſſimis completum vbique deſcribitur. Præcipuum autem, ac nobiliſsimum corporis membrum caput omnes eſſe norunt. Corpus ſiue capite ſenſu, & vita caret: Pluribus capitibus compactum perhorreſcimus. Si igitur Eccleſia capite priuaretur, vitali quoque vacua ſpiritu iaceret intermortua. Si pluribus capitibus vitales illus influxus: ſpirituſque perciperet, inter noua Aphricæ oſtenta reponerent omnes. Itaque vt vita perfruatur, & ſpiritu, ab vno tantummodo capite Chriſto cæleſtia charismata recipit, & in hac functione eius vicem nec Petrus, nec Paulus, nec quilibet alius Apoſtolus gerere poteſt. Omnis enim gratia, omneque chariſma ab ipſo primo, & ſupremo Eccleſiæ capite Chriſto, & non à Petro in totum Eccleſiæ corpus infunditur, in omniaque viua membra vt in ipſo adoleſcant, vndique redundat: dicente Apoſtolo: veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus; ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis factum in ædificationē ſui in charitate.

Chriſtus Petrum conſtituit Eccleſ. caput.

Nihil monſtri in ſe cōtinere, & Chriſtum, & Petrum eſſe caput Eccl.

Eph. 4.

Verum quoniam in Eccleſia nobis viſibili ſpecie exhibita ad conſummationem ſanctorum, in opus miſterij, in ædificationem corporis Chriſti, oportet Chriſtianorum populum gubernare, & moderari; diuinam legem, & vitæ præcepta edocere, religioſo quodam ritu, ac cultu ſacramenta adminiſtrare; digniores diuini cultus procurationi præficere; qui tanti officij onera æquè ſuſtinere poſſint, in Domini ſortem vocare; Epiſcopos ad æternam cæleſtemque beatitudinem dirigendum populum inſtituere; errores, peruerſaque dogmata extirpare; in perduelles animaduertere; ſynodos œcumenicas cogere; cæteraque eccleſiaſtica munera ritè, & legitimè obire; quæ princeps caput Chriſtum in cæleſtibus domicilijs conquieſcentem viſibili miniſterio amplius perficere non decet. Ideo Petrum, qui ipſius Chriſti perſonam in terris gereret, ac tamquam Dei immortalis numen in eccleſiaſtica Hierarchia præfulgeret, loco cui ſapientiſsimè ſtatuit, ac totius orbis terrarum patrem, & patriarcham, poteſtate diuinitus tributa præditum, confirmauit: Ita tamen, vt vnum primarium caput, non duo capita diſtincta in Eccleſia vigeant. Vnum enim principale, & verum caput, quod ex ſe ipſo diuinam virtutis affluentiam, in totam corporis compaginem influit, agnoſcit Eccleſia; loco tamen illius capitis aliud vicarium caput ad exteriora Chriſti munia obeunda perneceſſarium veneratur, & colit.

Munera exteriora à Pōtifice: Interni gratiæ affluxus ab ipſo Chriſto proueniunt.

Caput principale Chriſtus, Vicarium caput Petrus.

Ita vt duo capita vni corpori non præfigat, quoniam quod loco alterius ſurrogatur, non ſui ipſius, ſed alterius, cuius loco ſuffectus eſt, perſonam ſuſtinet. Vnde Petrum eccleſiæ caput prædicamus, non vt ipſum reſpicitur, ſed ut illud reſpicitur cuius loco eſt, adeo vt omni tempore vnum caput cōprobemus Chriſtum, tum in ſe ipſo in his, quæ inuiſibili gratiæ munere perficit, tum in Petro in his, quæ viſibili miniſterio condit. Vicarij enim, & ordinarij, vt apud ſacros iuriſprudentiæ canones legimus, vnum eſt forum. Non enim ſunt duo reges in vno regno, licet ipſe rex quempiam præfectum conſtituat, ſicuti Pharao vniuerſæ terræ Ægypti præpoſuit Ioſephum: Eodem modo in eccleſiaſtica Hierarchia tametſi Pontifex pro tuenda ſeruandaque Eccleſia ſit loco illius capitis Chriſti, qui in cæleſtibus regni potitur potioribus bonis; non duo tamen ſunt principalia capita, ſed vnum excellens, aliud verò vicarium caput. Vnde cum Beatus Petrus ad duo referri poſsit, ad ſummum videlicet omnium Hierarchiarum principem Chriſtum, & ad Eccleſiaſticam, quam rexit Hierarchiam; ſi ad omnium regnorum auctorem Chriſtum conferatur, non caput æquale Chriſto, ſed vice capitis ſub Chriſto, hoc eſt Vicarium caput nominamus: ſicuti & ampliſsimi regni procuratorem reſpectu regis non amplius regem, ſed Vice regis, & Proconſulem vocamus.

Iuriſtarum propoſitio.

Alia iuris propoſitio.

Exemplum.

Petrus in comparatione aliorum à Chriſto hoc eſt corporis myſtici, quod ex alijs homin. à Chriſt. coaleſcit, eſt Eccle caput venerandū.

Qui autem confitentur, & ponunt Vicarium caput, neceſſariò primarium ponunt, & principale non tollunt. Si verò ad Sacrum eccleſiaſticum referatur principatum, à regimine regni illius, quod ab eo tamquam à capite proximo regitur, regium caput aliorum omnium à Chriſto appellamus: Sicut, & ducem, præfectumque regni ad eos, quos regit, etſi de mandato Regis, Regem peruulgato more dicimus. Hinc eſt, quòd Petrus tum in Apoſtolico collegio, tum in vniuerſa Eccleſia, ſemper vt princeps caput ſe geſsit, & ab omnibus, vt primarium caput, veneratus eſt. Fuit mucrò Matthæus Euangeliſta ſigillatim Apoſtolorum nomina deſcribens, exorditur à Petro. Duodecim nomina Apoſtolorum ſunt hæc, inquit, primus Simon, qui dicitur Petrus. Quam ſanè diligentem Euangeliſtæ deſcriptionem bonarum litterarum doctrina præſtantiſſimus, ac re & cognomento Magnus Albertus exquiſitiſſimè examinans ait: Petrus primus dignitate, non vocatione: propterquòd vertex dicitur Apoſtolorum.

Qua ratione Petrus dicitur Eccleſiæ principale caput.

Matth. 10.

Andreas ſecundo loco ponitur, quia omnes ſubditi Petro ſunt æquales: & attende quod licet Petrus vertex Apoſtolorum dicatur primus, non tamen Andreas ſecundus, nec Philippus tertius, & ſic deinceps, quia omnes ſecundi ſunt Petro, quia non vnus ſub alio, ſed omnes ſub Petro. Hæc ille. Quocirca

Petrus dignitate non vocatione.

Omnes ſecūdi ſunt Petro

ca ſi quis totam percurrerit Euangelij hiſtoriam, facilè intelliget vnum Petrum ſingulariſſimis priuilegijs houeſtatum, præcelſa quadam animi magnitudine impauidum pro omnibus, & præ omnibus ſolitum eſſe, aut interrogare Chriſtum, aut reſpondere Chriſto. Vni Petro ceu cæterorum primipilo impoſitum eſt, vt nullum officium, nullam operam, laborem induſtriam prætermitteret, admonendo, obſecrando, increpando, obiurgando, vt fratres lucrifaceret, & quos perpugnaces adinueniſſet, è cætu piorum exterminaret, anathemateque feriret. Ipſe autem,

Matth. 18.

vt ſibi ex animo ſcrupulum euelleret, poſtulauit quoties eſſet fratri peccanti ignoſcendum; cui myſtico numero reſeratum eſt, non vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties, ideſt, toties quoties ad ipſius miſericordiæ ſinum confugiens legitimè pœnituerit. Numerus enim ſenarius eſt numerus operis, & laboris, ſeptenatius autem repauſationis,

Numeri ſeptenarij myſterium.

Petro itaque committitur non ſolum remiſſionem fieri oportere fratribus in hoc mũdo degentibus, & ſecundum res huius mundi peccantibus: ſed eum ſi vltra ea peccata peccauerint, quemadmodum hæretici ſtudioſa prauitate peccare conſueuere, & ab errore ſuo reſipiſcere contempſerint, ab Eccleſia anathematis mucrone præcidere: Vnus Petrus, Chriſto à diſcipulis exquirente, quem eſſe exiſtimarent, ipſe diuino concitatus flamine, quod de Chriſto ſentiebat, repente effudit, & ipſum filium Dei viui cõfeſſione publica teſtatus eſt.

Matth. 16.

Vnus Petrus, mortali adhuc carne circumdatus, dum in præcelſo monte vnà cum duobus prædictis Apoſtolis, glorioſam Chriſti maieſtatem incredibili conſpiceret iucunditate; fæliciſſimum eſſe ibi commorari proclamauit.

Matth. 17.

Vnus Petrus, Chriſto carnem ſuam verum eſſe mundi pabulum, & ſanguinem ſpiritus, & vitæ potionem prædicante; dum nonnulli ſecreto murmure indignabundi ab illo comitatu ſeſe diuellerent; ipſe tamquam aſſiduus, & perpetuus Chriſti comes, præſtanti animi magnitudine, numquam ab illius latere ſe eſſe diſceſſurum ita declarauit: Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ tu habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei: Vnde præſtanti ſcientia conſpicuus Cyrillus hanc Petri, quam alacriori ſpiritu deprompſit ſententiam examinans, huiuſmodi elicit documentum: Reſpondet Petrus: Domine ad quem ibimus &c. per vnum qui præerat, reſpondent omnes; ſanctam profectò, ſautiſque congruentem diſciplinam optimè conſeruantes, & poſterioribus prudentiæ atque modeſtiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confuſè, nec proſilientes impudenter quaſi rapta vti oratione, ſed cedere his, qui & conſilio, & ordine ſunt præpoſiti. Vnus Petrus, enarrata à Chriſto parabola de patrefamilias: ait ei Petrus; Ad hos dicis hanc parabolam, an ad omnes.

Ioan. 6.

Cyril. dictũ Ioannis locum explicans.

Quam Petri interrogationem explicans Theophilus inquit; Petrus, cui iam commiſſa Eccleſia fuerat, quaſi omnium curam gerens inquirit, an ad omnes Dominum parabolam protuliſſet. Vnus Petrus, cæleſti percunctante medico, dum illa ſanguiflua inter turbas ingeſta, ex ſolius fimbriæ contactu ſanitatem recuperauerat, quis eum tetigiſſet, dixit: præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Vnus Petrus grandi adductus fiducia à Chriſto conquiſiuit, quid ſibi daretur præmij, illam ob bonorum abdicationem; qua ſuis ceſſerat facultatibus, vt Euangelicum inſtitutum liberius proſequeretur, cui ille, qui præmia promiſſa cumulata reddit, Iudiciarij throni maieſtatem aſſeuerauit.

Theophilus

Luc. 8.

Vnus Petrus interrogat, & reſpondet pro omnib.

Vnus Petrus retia magnis piſcibus referta in terram traxit, quandoquidem ad ſtabiliſſimum catholicæ fidei litus integra tyrannorum regna, ſuperba Romanorum imperia, procul poſitas à fide regiones velis, remis perduxit. Vni Petro, in periculis eſſe cum Chriſto vehementer ambienti prædictum eſt, crucis martyrio fore plectendum. In vnam, quæ erat Petri, nauem, Chriſtus conſcendit, & de ea tamquam de cæleſti cathedra turbas edocebat, vt innueret quamlibet doctrinam, quæ ex Petri nauicula non emergeret prauæ hæreſis vnda animas obruturam. Vni Petro tametſi cæteris fuerit imperatum, vt piagulas laxarent, ei ſoli tamen dictum eſt. Duc in altum, vnde peringentem ob piſcium capturam, inſolito correptus ſtupore iacuit ad pedes Ieſu, & ſupplex obſecrauit, vt eo diſcederet, quia vltimum ſe peccatorum reputabat.

Matth. 19.

Ioan. 21.

Ioan. 21.

Doctrina, quæ non eſt de cathedra Petri, eſt de hæreſibus.

Luc. 5.

Matth. 14.

Vnus Petrus, improuiſo turbine iactatus, vt ad Chriſtum ſeſe reciperet, pedibus ſuper mare inceſſit, ſed cum vndis ferè operiretur, ac aquarum illuuionibus penè abſumeretur, exanimatus magno cum eiulatu queri cæpit, ſed Chriſtus tribulatorum adiutor peropportunus manum extendens apprehendit, & animauit. Quo apertiſſime ſignificauit ſacri nauigij moderatorem, licet propriorum peccatorum tempeſtatibus quandoque agitetur, tamen in ſententijs, quæ ad fidem ſpectant, pronunciandis, nunquam in profundum infidelitatis poſſe demergi.

Pontifex licet peccatorum pondere oppreſſus tamen in his quæ ſunt fidei non poteſt aberrare.

Luc. 4.

In vnam Petri domum ſe recipiente Domino, ſocrum eius graui, ac perículoſo morbo affectam febre leuauit, vt nos planè intelligeremus, præcipuum ſanctæ Eccleſiæ amatorem, licet quandoque permittat Eccleſiam ſuam aduerſitatibus commoueri, adeo vt videatur tamquam ægrota, & prope deſperata relinqui, ipſi tamen præſto eſſe, nec vmquam pati poſſe, vt diuinum ei deſit patrocinium.

Eccleſiæ nũquam deeſt diuinum auxilium.

Petro nomẽ honoris gratia ab Angelo pronunciatur.

Vnius Petri nomen, nulla mentione facta de aliorum nominibus, ſingulariter expreſſit angelicum numen, dum mulieribus enunciauit, vt glorioſam Chriſti reſurrectionem Apoſtolis diuulgarent: Ite, inquit, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Quæ cauſa fuit, vt Petrum expreſſo nomine ſignaret? vt aliorum Apoſtolorum nomina tacita relinqueret? quia diuinæ præeminentiæ quid in ipſo effulgebat, vnde honoris & reuerentiæ cauſa illo præcipuo decore, quo à Chriſto fuerat honoratus, etiam à diuinis mentibus afficiendus erat. Vnus Petrus totius orbis paſtor conſtituendus, requiſitus eſt à Chriſto, an ipſum ſingulari præ cæteris beneuolentia proſequeretur, vnde trinæ negationi reddidit, vt ait Auguſtinus, trinam confeſſionem, ne minus amori lingua ſeruiret, quàm timori: & plus vocis elicuiſſe videretur mors imminens, quàm vita præſens.

Marc. 16.

Ioan. 21.

Vni

Vni Petro, poſtquam Chriſtus in æternam patriam ingreſſus eſt, comitem indiuiduum ſe præbuit Ioannes, re ipſa oſtendens perſonam Domini in Petrum fuiſſe tranſlatam. Vnus Petrus, vbi Chriſtus ſuper omnium creaturarum cæleſtium dignitatem conſcendit, inter Apoſtolos tamquam caput Apoſtolici Collegij ſe gerens, & Domini poteſtatem ſingulari munere exercens, Matthiæ in locum proditoris electionem propoſuit, & ipſum diuinum ad numerum aggregauit, Iacobumque Epiſcopum Hieroſolymorum conſtituit. Vnus Petrus, omnibus Apoſtolis diuinis flaminibus afflatis, inaudita & noua animi amplitudine ſtetit cum vndecim ſenatoribus, at vt ipſorum caput ipſe primus vocem exultantem, & triumphantem eleuauit, ac Chriſti magnalia publica in concione animosè prædicauit. Vnus Petrus, vndique ſtipatus principibus, ſenioribus, ſcribis, templi magiſtratibus, & ſadducæis, ab ipſis duobus Apoſtolis Petro & Ioanne ſciſcitantibus, in qua virtute, aut in quo nomine tam admiranda facerent, ipſe vir primarius animo illo ſoluto & libero, quo paratus erat mortem ipſam pro Chriſto oppetere, audacter confeſſus eſt: illa admiranda prodigia in nomine Ieſu Chriſti Nazareni crucifixi producere.

Perſona Domini in Petrum tranſlata. Act. 1.
Vnus Petrus auctor eligẽdi Matthiã in locum Iudæ.
Act. 2.
Semper ſe geſſit Petrus inter Apoſtolos, tamquam caput collegij Apoſtolici. Act. 4.

Ad vnius Petri ſententiam in conſpectu diſcipulorum prolatam fraudolentes Ananias & Saphira animam egerunt, quo omnibus innotuit Petri auctoritatem tam vitæ, quàm morti eſſe terrificam. Vnus Petrus incluti pecudis paſtor, perditam Simonis nequitiam exprobrauit, in faciemque liberrimè impegit. Æneam (vt euidentiſſimè pateat omnibus in virtute etiam miraculorum excelluiſſe) in lecto miſerè iacentem paralyticum ſanauit. Tabitam communi luce priuatam ad vitam reuocauit. Corporis tantum vmbra plurimos ſanitati reſtituit, cæterorumque miraculorum ac prodigiorum virtute omnes ſuperauit. Vnus Petrus vas magnum, velut linteum de cælo ſubmiſſum, quadrupedibus, ſerpentibus, volatilibuſque confertum, in mentis exceſſu conſpexit; quo ſibi, vt omnium curam gerenti, ſignificatum eſt, vt Idolatras quoque ſacro fonte tingeret, & ablueret, primitias gentium ex dæmonum cultu ad veræ fidei ſinum confugientes reciperet. Vnde nullus Apoſtolorum auſus eſt ad lauacrum regenerationis admittere gentes, quouſque Apoſtolici ſenatus Coryphæus re ipſa approbaſſet. Quamplurimis etiam alijs à primordio naſcentis Eccleſiæ repetitis, de quibus volumina impleta ſunt, poſſem confirmare venerandi Eccleſiæ capitis auctoritatem, ſed vt ſatietatem longæ orationis effugiam, hæc digna aureis ſcribi characteribus ſatis eſſe exiſtimaui. Ad reliqua igitur Beati Petri præclariora ornamenta recenſenda nos ipſos accingamus, ex illoque profundo diuinarum ſcripturarum pelago nouas gemmas ad texendam noſtri Ducis coronam eruere adlaboremus.

Act. 5.
Act. 8.
Miraculorũ prodigiorũque virtute omnes excelluit Petrus.
Act. 9.
Act. 10
Act. 11.
Petrus ipſe primus gentes ad lauacrũ recipit.

RADIVS XIV.

De ſecundo priuilegiorum Beati Petri Ternario.

PEreximiam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ pulchritudinem, regum ſapientiſſimus Salomon, calamo ſuo illo diuino accuratè exarans; nihil ea pulchrius, nihil formoſius, nihiluc dilucidius eſſe in Epithalamio tradidit. Quid enim poteſt Eccleſia eſſe pulchrius, cum agni immaculati purpurata ſanguine, ſyderibus nitore præſtet? Quid ea formoſius, cum ſempiterno Deo conſecrata, omni ſanctitatis honore præfulgeat? Quid ipſa dilucidius, quùm gemmarum circundata ſplendore; cum, inquam, virtutum irradiata ornamentis, ſolis candorem quàm longiſſimè vincat? Hanc veluti ſponſam formæ doribus decoratam, monilibuſque coruſcantem Eſaias qui Eccleſiæ dignitatem nobili & diſerto prophetiæ penicillo ad viuum depinxit, ita exſcribere viſus eſt: Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento Iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis: & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. Quis diuinis excultus literis, myſterio ſponſæ eleganti viro decoratæ, non intelligit nouam illam è cælo procedentem Hieruſalem, quam præſtantiſſimus cælorum Imperator, filio indiſſolubili vinculo copulauit.

Nihil Eccleſia venuſtius eſſe poteſt.
Cant. 6.
Eſai. 41.42.
Eccleſia eſt veluti ſponſa ſuis ornamentis perornata.

Hæc profectò ſine ſuperbo, ac procaci faſtu, ſine pigmentis, ſine ſuco, ſine macula, ſine labe, electæ pulchritudinis faciem oſtendit; quia catholicam fidem Apoſtolica voce collaudatam inuiolatè cuſtodit. Hæc corona gemmis onuſta inſignitur; quia ſuper omnes reges, & principes ab ipſo rerum procreatore eminentiorem obtinuit dignitatis gradum. Hæc in veſtitu deaurato ſplendidior apparet; quia omnibus virtutum generibus inſtructior, aurea confulget charitatis amœnitate. Hæc monilibus collocupletata eniteſcit; quia doctoribus cultioris ſapientiæ candidatis, tamquam quibuſdam effulgentibus ſtellis decoratur. Ex ſuarum autem virtutum celebritate, tãquam ex ſingularibus ſponſæ doribus ſponſus ipſe ſummoperè lætatur. Nobiliſſimus itaque vates hanc Eccleſiæ nobilitatem longè proſpiciens, totus lætitia exultans deprompſit: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Verum ſicuti Chriſtus vniuerſalem Eccleſiam Petro enixè commendauit; ita ipſimet arctiſſimè in fide coniunxit. Et quemadmodum quilibet ſingularis Epiſcopus ſingularem Eccleſiam, ſuam recipit in ſponſam; cuius rei euidentiſſimum in teſtimonium, aureum induit annulum.

Facies Eccleſiæ fides eſt.
Veſtitus deauratus Eccleſiæ.
Monilia Eccleſiæ.
Eccleſia Petro coniuncta.
Epiſcopus eſt ſpiritualis ſponſus.

Ita œcumenicus Eccleſiæ Epiſcopus, non hanc, vel illam Eccleſiam, ſed catholicam planè Eccleſiam ſpiritualem ducit in matrimoniũ. Si autem obieceris Eccleſiam vno viro, ac vnico ſponſo eſſe contentam, ſtatim argumenti robur infringam illa ſolemni, & peruulgata Theologorum diſtinctione, qua inquiunt; Aliud eſſe viſibile caput noſtris obiectum oculorum

Pontifex Eccleſiam velut in ſponſam recipit.
Caput viſibile & inuiſibile.

lorum luminibus aliud inuiſibile, qui modo obtutibus noſtris nou exhibetur. Chriſtus profectò vnicus ac ſingularis eſt Eccleſię ſponſus, pro qua illuſtranda ſanguinem etiam abundè effudit. Petrus verò eſt ſponſus Eccleſiæ quæ in terris aſpicitur. Sicuti enim ſponſus in ſui fidem atque tutelam recipit ſponſam; ita Petrus Chriſti Eccleſiam alia ratione Dei filiam euocatam à Chriſto ſuſcepit in ſpiritale fidei coniugium, quo genitos fideles procrearet, in fideique firmitate conſtabiliret. Ideo ipſi ſingulariter dixit: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Noſtra autem hæc vita abſque ciborum ſoliditate confirmati haud quaquam poteſt. Verum enimuero ſicuti duplici vitæ genere, corporali ſcilicet, & intellectuali homo prouidentiſſime conſtat: ita duplici alimentorum copia, ad ſuſtentandam vtramque vitam ſummopere indiget; vno, quo corpus alat; alio, quo ſpiritum educet, atque ſoletur.

Petrus eſt viſibilis Eccleſiæ ſponſus.
Luc. 22.
Vita alimétorum vi roboratur.
Duplex ciborum copia.
Similitudo.
Petrus ouiũ & paſtorum Archimandrita.

Sicuti ergo montani paſtores, montana ouibus præbent nutrimenta: ita ſpiritales paſtores ſpiritus, & vitæ paſtus ouibus benigniter ſubminiſtrant. Cæleſti itaque paſtore infima ab hac terreſtri plaga abeunte, ne oues eius tamquam perditæ aberrarent, non ſolum oues vniuerſas, ſed etiam ouium magiſtros vnius Petri cuſtodiæ, Apoſtolis vnam præſentibus, ſemel, iterum, & tertio commiſit, vniuerſique gregis paſtorem conſtituit dicens: Simon Ioannis diligis me plus his? perinde ac ſi diceret: Diligunt quidem & iſti, ſed à te plus eſt quod exigo. Te ijs plus amare conuenit, quem præ ijs, & ſuper eos paſtorem ouilis mei conſtitui. Reſpondente autem quòd amaret, & ſui amoris non alium, quàm omnia ſcientem & contuentem Chriſtum teſtem citante, dicit ei; Paſce agnos meos, rege, paſceque oues meas. Et nè ſuſpicari quis poſſet, ob trinam illius negationem irrita ſe feciſſe verba ſua, quibus ante ob glorioſam illam ſuæ deitatis confeſſionem, eundem pronunciauerat eſſe illam petram, ſuper quam fundaturus erat Eccleſiam ſuam, etiam tertiò Eccleſiæ ſuæ curam illi commiſit.

Io. 21.
Vim amoris vegetiorem, à paſtore requiſit Chriſtus.
Non ſemel & iterum, ſed etiã tertiò Eccleſia Petro commendatur.
Chryſ. Homil. 55. in Ioann.

Id propter Sanctus Chryſoſtomus hunc locum explicans: Quid tandem eſt, inquit, quòd omiſſis alijs dumtaxat affatur Petrum? vt ei oſtenderet eam habendam fiduciam, tamquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum ei curam committit, neque negationis meminit, nec exprobrat, tantum dicit, ſi amas me, fratrum curam ſuſcipias, & quomodo in omnibus dilectionem oſtendiſti, & qua delector nunc oſtende, & animam, quam pro me te poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade. Ex quibus planiſsime conſtat, Petrum œcumenicum eſſe Chriſtiani gregis paſtorem. Huiuſmodi enim indefinitę propoſitiones, vniuerſali æquipollent. Hæc igitur enunciatio: Paſce oues meas, huic ſanè perlatè reſpondet, Paſce omnes oues meas. Ideo ait Chryſoſtomus: Petrus Apoſtolus à filio ſuper omnes qui filij ſunt, poteſtatem accepit. Et Bernardus hanc elucidans ſententiam adiecit; paſce oues meas, quas? illius, vel illius populos ciuitatis? aut regionis? aut regni? Oues meas inquit. Cui planum eſt non deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſse omnes. Paſtor igitur ille præcipuus, quem magnificis hiſce laudibus Petrus commendauit: Eratis ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis ad paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum, qui peccata noſtra ipſe pertulit ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus; Petrum ſui ipſius loco vniuerſo præfecit ouili, vt exiret prædicando; & intraret orando; & educeret oues ex peccatorum tribulis; & perduceret ad pinguiora vitæ pabula. Proinde diligentiſsimum paſtorem publicæ famæ præconio concelebrans Eccleſia decantat.

Petrus œcomenicus Chriſtiani Gregis paſtor.
Propoſitio indefinita vniuerſali æquipollet.
Bern. 2. de conſider. ad Eug.
1. Petro 2.
Exitus, & introitus paſtoris.

Iam bone paſtor Petre clemens accipe
Vota præcantium, & peccati vincula
Reſolue, tibi poteſtate tradita,
Qua cunctis cęlum verbo claudis, aperis.

Io hymno.

Quam ob rem cum Petro paſcendi præpoſituram contulerit, quis tam craſſo erit ingenio, vt non intelligat, eidem collatam paſcendi poteſtatem? Quum nemo hominum gregem abſque poteſtatis & auctoritatis pedo paſcere valeat. Paſcendi actum hiſce verbis, paſce oues meas, enodatè commemorauit; Paſtoris auctoritatem vnà colligauit. Qui enim aliquid concedit, & illud concedit ſine quo id conceſſum exequi legitimè non poteſt. Tria igitur paſtoris verbo colligata ſunt; doctrinæ traditio; vitæ exemplum; & deinde correctio. Non enim paſcit, qui doctrinæ catholicæ paſtus copioſè non affert. Non enim paſcit, qui lupos ad paſcua in veſtimentis ouium venientes inuictiſſimè non coercet. Hi autem ſunt hæretici, qui Euangeliorum ſententijs tamquam quibuſdam agni velleribus ſe obtegunt, & ſimplices Chriſti oues ſub pietatis tegumento helluantur; de quibus ſempiternæ hominum memoriæ traditur; Intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces non parcentes gregi; & iterum: Venient ad vos in veſtimenti ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

Sub verbo, paſce, duo concluduntur actus paſcendi explicitè, & auctoritas paſcendi implicitè.
Iuriſprudẽtum propoſitio.
Tria ſunt propria paſtoris.
Lupi velleribus ouium contecti.
Act. 20.
Matth. 7.

Hinc ſanctiſsimus ille martyr Ignatius, lupum, ouem Chriſti ſeſe effingentem, ſignis indicare voluit, vt eo apparente, extemplo oues illius ab aſpectu fugitarent; Omnis, inquit, qui dixerit præter ea, quæ tradita ſunt, tametſi fide dignus ſit, tametſi ieiunet, tametſi virginitatem ſeruet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem faciens. Paſtoris igitur eſt lupus propellere, vt grex Chriſti in paſcuis quàm tuto degat. Non enim paſcit, qui pietatis ſpeciem in tota vita non oſtendit. Non enim paſcit, qui errantes oues paternè non corrigit. Cælorum ergo princeps, Petro præpoſituram ouium orbis terrarum accumulatiſſimè tradens, coniunctè præcipit: vt ſana & incorrupta doctrina tamquam vitæ pabulo fideles nutriret; vt perſpicuo integerrimæ vitę ſpectaculo paruulos ad virtutum ſemitam conſectandam prolectaret; vt legis præuaricatores non ſolum leuiter accuſaret, non ſolum ſeuera obiurgaret inſultatione, ſed etiã acriori pœna mulctaret. Et quoniam tantam ad peragendam prouinciam, vnus non erat ſatis oneri enim ſuccubuiſſet; Ea propter gubernator ille, qui peringentem cælorum molem ſecundarum cauſarum miniſterio regit, opitulatores & pecuarios in ſollicitudinis partem euocatos paſtorum principi adiunxit, vt ipſi totam Eccleſiaſticam moderanti Hierarchiam præſtò eſſent: Dicebat enim, Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Meſſis multa,

Ignatius epiſtola ad Heronem.
Ex quibus ſignis cognoſcitur lupus ouem ſe eſſe ſimulans.
Epiſcopi veluti opiliones Petro adiuncti.

D . totus

totus erat orbis in Chriſtum crediturus; operarij autem pauci, perexiguus Apoſtolorum numerus.

Sicuti autem ſpatioſi ſpicatique agri plurimos exigunt quam maximè laborantes meſſores:

Io. 4.

ſic innumerabilis Chriſticolarum multitudo creberrimis indiget doctorum & præconum culturis. Ideo ſubdit: Rogate dominum meſſis,

Meſſis Chriſti.

qui Eccleſiæ campum nobis exhibuit præparatum, vt mittat operarios in meſſem, Præſules ſcilicet ſollicitos, & laborioſos ſpiritualibus muneribus obeundis præficiat.

Agri Chriſtiani operarij.

Nulla profectò dicendi, aut ſcribendi tanta vis eſt, tantaque copia, quæ ſatis enarrare valeat cæleſtes Petri admirabilitates, cuius arbitrio, vt inquit, Hilarius, claues æterni aditus traditæ ſunt, cuius terreſtre iudicium, præiudicata auctoritas ſit in cælo, vt quæ in terris aut ligata ſunt, aut ſoluta, aut tradita, aut declarata, aut edocta, ſtatuti eiuſdem conditionem contineant in cælo.

Hil. can. 11. Petri iudicium quanti momenti apud Patrem.

O beate cæli ianitor, ò cæleſtis regni clauiger peramplisſimè, quis ad te animum intendit, & graui non tenetur admiratione? quis formidabilem tui auctoritatem excogitat, & non perhorreſcit? Tu mortali carne circumdatus, cæleſtes aditus occludere, & reſerare, & reſeratos denuò intercludere; Tu clauſa Ditis regna patefacere, & patefacta iterum obſtruere valebas: Quid eſt ergo quòd miretur, ſi Petrus in vincula coniectus, ſi catenarum laqueis conſtrictus, ſi manicis colligatus omnes nodos, omniaque ligamentorum genera ruperit?

Cur Petro pateure fores vectibus obſeratæ.

Quid mirum vectibus, & ferramentis obſerata oſtia, ei vltrò patuerint, cum Abyſſi clauibus præmunitus, poſſit & ſupera & infera occludere, & aperire? quemadmodum perpolito carmine explicauit diſertiſſimus Arator.

Arator.

Ferrea, quid mirum, ſi cedant oſtia Petro,
Quem Deus æthereæ cuſtodem deputat aulæ?
Eccleſiaque ſua faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare iubet.

Ipſe enim, aſſertore Bernardo, claues regni cælorum tam ſingulariter accepit, vt præcedat ſententia Petri ſententiam cæli. Petrus igitur meritò clauiger æthereus, & olympi Ianitor ab omni Eccleſia prædicatur.

Sententia Petri præcedit ſententiam cæli.

RADIVS XV.

De Tertio priuilegiorum Sancti Petri Ternario.

Mirabilis ille vniuerſorum conditor, qui Paradiſum numinibus, prata floribus, cælum ſyderibus, maria gemmis & margaritis, aera volucribus, ac omnem mundi ſcænam mirificis ornauit rerum pulchritudinibus; Petrum Apoſtolici chori principem, Iudicis, Magiſtri, atque Pontificis honoribus illuſtrauit.

Totum mũdi opificium quàm maximis pulchritudinibus claret.

In omni enim benè adminiſtrata Republica, vno ſupremo iudicio, quod lex eſt loquens, opus eſt; cuius prudentia, atque iuſtitia lites obortæ terminentur. Quum autem in Republica Chriſtiana circa res diuinas perarduæ quotidie emergant difficultates, ne perpetuò penderet controuerſia, vnus vltimus conſtitutus eſt Iudex, qui omnium quæſtionum nodos præſtanti auctoritate diſſolueret.

In omni Republ. vna ſuprema iudicij poteſtas per opportuna eſt.

Licet autem Concilia ad dilucidandas ſubobſcuras veritates cogantur, attamen niſi ſupremus adeſſet iudex, veritas in anguſtijs coarctata ſemper deliteſceret. Si enim Concilij optimates adinuicem digladiarentur, quis tantas præcertationes, tantaque litigia componeret vnquam? An omnia relinquenda ſunt in incerto, vt lites perpetuis temporibus foueantur? Vno igitur ſummo arbitro operę pretium eſt in Eccleſiaſtica Hierarchia, qui in concludendis Chriſtianæ fidei dogmatibus à recta veritatis ſemita aberrare non poſſit.

Neceſſitas conſtituendi ſupremi iudicij ſedē in Eccleſiaſtic. Hierar.

Hunc autem extitiſſe Petrum compertum habent Catholici omnes ex illo Lucæ teſtimonio;

Luc. 22.

Simon, Simon, ecce Sathan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Quum autem Chriſtus poſtulata obtinuerit, id etiam certè conſecutus eſt, nè Petri fides defectum pateretur, vt fratres valeret in tanto fidei momento firmare. Non eſt obſcurum, ſingulari quodam priuilegio non vnius cæli, ſed cælorum omnium claues Petro eſſe collatas, vt omnia cælorum tolleret præpedimenta. At ex parte intellectus ingreſſum in cælos impedit ignorantia fidei, ſicut ex parte affectus, affectio praua.

Duo in cælum præpedimenta tollit Petri poteſtas.

Data eſt igitur Petro poteſtas non minus ad tollendam ignorantiam, quàm ad tollenda peccata. Quæcumque itaque ſoluit & quæcumque ligat Chriſti Vicarius, ſiue ad intellectum, ſiue ad affectum ſpectent, ea ligata, ſolutaque in cælis cenſendum.

Integra iudicandi poteſtas apud Petrum.

Quamobrem quæſtiones in fide difficiles ſoluere iure ſuo Pontifex poteſt, ligareque proinde ſuo iudicio, vt id teneat fideles quod ipſe decernit.

Pōtificis eſt elucidare quæſtiones circa fidem contingentes.

Atqui falſo de fide iudicio fideles ligari non queunt. Quod ſi diuinatio in labijs regis, & in iudicio, non errabit os eius, cur exiſtimabimus Petrum à Deo conſtitutum ſuæ Eccleſiæ principem in grauiſſimo de fide iudicio errare potuiſſe?

Prou. 16. Argumento validiori probetur Petrum non poſſe errare.

Si impius ille Cayphas, quia Pontifex erat, prophetauit, non nè magis Petrum Eccleſiæ Pontificem ad veritatem finiendam agi diuino ſpiritu credendum; Petrum quippe inter cæteros elegit Chriſtus, vt gentes in fidei controuerſijs & audirent loquentem, & crederent deliberantem.

Petrus cæli iudex & arbiter.

Petro enim ſententiam edicente, tacuit omnis multitudo ipſi definienti conſentiens. Si igitur Petrus eſt à Deo conſtitutus Iudex Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Doctor quin etiam & Magiſter Eccleſiæ ſupremus effectus eſt, vt diſcipulos à pernicioſis abduceret erroribus, & ad inſpiciendum veritatis iubar ad manum deduceret.

Act. 15.

Ideo Petrus propalam teſtatus eſt: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Rarum profectò ac ſingularem Eccleſiæ ſuæ præbuit magiſtrum, quem pater cæleſtis non in gymnaſijs philoſophorum; neque in ſcholis mundi ſapientum, ſed in diuinitatis Muſæo edocuit,

Petrus à quo didicit ſapientiam.

Math. 14.

cui filius dixit: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. Quis ergo ambiget Petrum, qui in ſupercæleſti fonte aquam ſapientiæ imbibit, veritatis ſtillas non poſſe effundere? Quis non affirmabit, ex aureo illo

Aquam ex flumine diuinitatis hauſit Petrus.

ſacræ

Digitized by Google

ſacræ ſapientiæ alueo, illibatæ eruditionis aquam ſemper effluere? Paulus qui ad perſpicienda diuinitatis arcana ad tertium vſque cælum fuerat euectus, certò ſciens ſupremam magiſterij auctoritatem in Petro, vt in capite, reſidere, ad ipſum tamquam ad fidei oraculum ſeſe contulit, vt Euangelium, quod in Italiam propagare inſtituerat, vnà ſecum priur communicaret. Ex quo illud argumenti habemus, nemini etiam reuelatæ ſcientiæ peritia ſpectatiſſimo licere in ſuo ſenſu, tametſi longè peritiſſimo, abuudare, ne carnis exiſtimatione inflatus in grauiſſima impingat blaſphemiæ flagitia, ſed depoſita animorum arrogantia ad ſummum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ magiſterium, tanquam ad lapidem lydium, omnes ſuas referat meditationes.

Supremum Eccleſiæ magiſterium eſſe in Petro re ipſa oſtendit Paulus.

Omnes literarum partus an ſint legitimi vel ſpurij Eccleſiæ eſt diiudicare.

Gal. 1.

Ait enim Apoſtolus: Poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim; alium autem Apoſtolorum vidi neminem niſi Iacobum fratrem Domini. Quæ verba diligenter animaduertens Ioannes Chryſoſtomus inquit: Venit ad Petrum, & non ad alios, nec tantum venit, & mox receſſit, ſed apud eum manſit diebus quindecim, nec dicit ſe caſu vidiſſe Petrum, ſed veni, inquit, quod manifeſtat ſtudium, & votum conueniendi ipſum: eo quod agnouerat aliquid in Petro eſſe præ cæteris. Non enim dicit, veni ad Iacobum, ſed vidi Iacobum, qui tamen Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præerat. Non venit ad Epiſcopum Vrbis, nec manſit apud eum; ad Petrum autem, & venit, & manſit, quod certè animaduertendum oon fuiſſe peractum citra myſterium. Singulari tandem Pontificatus ſublimitate Petrus præ cæteris præfulget. Ab ipſo enim, vt teſtis eſt Anacletus, in nouo teſtamento poſt Chriſtum dominum ſacerdotalis cœpit ordo, qnia ipſi primo Pontificatus in Eccleſia datus eſt.

Paulus venit ad Petrum, & non ad alios.

Anacl. in epiſt. ad Epiſcopos Ital.

Vnde quemadmodum illius populi legiſlator Moyſes conſcenſurus in montem reliquit poſt ſe Aaronem, à quo in ea ſynagoga cæpit ſacerdotij principium: Ita ſacerdos in ęternũ ſecundum ordinem Melchiſadech Chriſtus Dominus, aſcenſurus in cælum reliquit poſt ſe Petrum, vt ſummo in Eccleſia perfungeretur ſacerdotali officio. Solius ſummi ſacerdotis erat ingredi in ſancta: Id propter Ioannes certò ſciens ſplendidiori Pontificatus honore Petrum cæteris eſſe præpoſitum, licet præcucurrerit citius Petro, & prior venerit ad monumentum, noluit tamen in illud, velnti in ſancta, introire, hanc prærogatiuam Petro cedens. Propterea, inquit Ambroſius, Reſurrectionis tempore præſto ſunt mulieres, & cum viri fugarentur, ſolæ tamen ab Angelo nè timeant admonentur; Petrum euocant ſtudio priores, ſed poſteriores fiducia. Denique ille ſine metu aduenit, & incunctanter qui poſterior venerat, primus ingreditur, quaſi qui claues regni vt alijs aperiret, acceperat. Summi ſacerdotis intereſt, quoties neceſſitas poſtulat, euocare concilium, quod etiam apud gentes erat Diuum patris, atque hominum regis, quemadmodum & quidam noſtrorum poetarum dixerunt:

A Petro poſt Chriſtum cæpit in Eccleſia ſacerdotalis ordo.

Similitudo.

Quod erat ſummi ſacerdotis proprium.

Ambroſ. in Lucam ſcribens.

Quid eſt quòd Petrus monumentũ ingreditur licet Ioannes præcurreras citius Petro.

Summi Pontificis eſt cogere concilium.

Virg. 10. æ.

Conciliumque vocat Diuum pater, atque hominum Rex.

Conciliumque vocat, tenuit mora nulla vocatos.

Petrus itaque ſummo dotatus Pontificatu poſt glorioſam Chriſti in cælos aſcẽſionem publicum Hieroſolymis aduocauit concilium, & in Cathedrali Eccleſia Iacobi ipſe Petrus vt honoratior ac maioris poteſtatis amplitudine eminentior, primus ſuam dixit ſententiam, quæ tandem in vniuerſum præualuit orbem. Sanciuit enim graue legis iugum Chriſtianis ceruicibus haud eſſe imponendum. Ego quidem non ſum neſcius, primi ordinis ſacerdotũ munus eſſe, ſacro fonte renatos ſacro chriſmate inungere, vt nouæ virtutis robore firmiores, ſtrenui Chriſti milites eſſe incipiant. Proinde cum ex prædicatione Philippi, non quidem Philippi Apoſtoli, vt nonnulli perperam arbitrantur, ſed vnius ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, recepiſſet Samaria verbum Dei, ad confirmandos maiorique virtute conſtabiliendos Samaritas nouiter ad fidem conuerſos, vnà cum Ioanne aduenit Petrus tamquam honoratiſſimus Eccleſiæ Præſes, cuius præſentia ad tantam peragendam prouinciam erat admodum perneceſſaria. Quo circa perſpici poteſt Petrum, non ſolum exiſtere totius iuriſdictionis caput, ſed etiam primum, & præcipuum omnium ſacramentorum miniſtrum.

Petrus in concilio ab ipſo euocato primus ſententiam edit.

Vis ſacramenti confirmationis.

Act. 8

Ex qua ſcripturarũ auctoritate eliei poteſt, cõfirmationis ſacramenti miniſtrum propriũ eſſe Epiſcopum.

Petrus eſt præcipuus omnium ſacrorum miniſter.

Nam & referente Eudomio Petri in Antiochia ſucceſſore, quemadmodum apud Nicephorum legere eſt, à Chriſto Deo Optimo Maximo proprijs manibus, Petrus tantummodo fuit baptiſmi lauacro ablutus, qui Andream, & filios Zebedæi, ſacra tinxit aqua, & ij deinceps ſacrum Chriſti chorum abluerunt. His paucis de ter ternis Beati Petri priuilegijs enarratis; eſt mihi perorandum, concludendumq; Sanctum Petrum Apoſtolici chori principem; cui Chriſtus in gubernanda Eccleſiaſtica Hierarchia ſuas commiſit vices, tantis fuiſſe inſignitum prærogatiuis, vt meritò dicatur petra; caput Eccleſiæ, fundamentum in quo poſt Chriſtum Dei ſtructura conſurgit, deinde ſponſus, paſtor, & clauiger: poſtremo Iudex, Magiſter, & Pontifex.

Petrus à Chriſto proprijs manibus fuit baptizatus.

Niceph. lib. 11. cap. 3.

Trium præcedentium Radiorum Anacephaleoſis.

RADIVS XVI.

De ſublimi, almaque Ciuitate, cui Apoſtolorum Coryphæus vigintiquinque annorum curiculo præſedit.

DE inclyta, præcelſaque illa virtutis, imperij, dignitatis, & gloriæ ciuitate, qua in terris nulla auguſtior conſpici vmquam potuit, verba facturus ego; in primo orationis veſtibulo tanta dicendi copia obruor, vt à quo capite mihi ſit exordiendum ignorem. Si enim tantæ vrbis molitorem mentis acie conſidero; ſingulari quadam numinis prouidentia educatum, & ad conſtruendum hoc totius orbis theatrum fuiſſe diuino excitatum impulſu reperio. Si ciuitatis ſitum animaduerto in montibus poſitum, & cœnaculis ſublatum, atque ſuſpenſum video. Hæc enim ciuitas veluti regina in editiori loco conſedit; ac veluti lux orbis terrarum in eminentiori ſolio præfulget. Quid dicam de vrbis amplitudine? operum magnificentia? peringenti templorum mole? Theatrorum, & amphitheatrorum

Roma nihil auguſtius.

Loca, ex quibus ducitur Romæ maieſtas hic elegãtiſſimè recenſentur

 pul-

Digitized by Google

pulchritudine & maieſtate? cum, vt illuſtris ait Poeta:

Virg. 1. Eclog.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Plutar. commen. de fortuna Rom. Fortuna ex Plutar. ſententia Romæ perpetuò degit.

Quid proferam de illius ciuitatis gloria, victorijs, triumphis, fortunis? quum Plutarchus gentilium more loquutus dixerit: Fortunam traiecto Tybri, poſitis alis, exutis talaribus, abiecta inſtabili fallente pila, ita Romam ingreſſam, vt ibi ſit conſtanter permanſura, neque aliò in poſterum abuolatura. Quid de rebus, terra, marique pace, & bello præclariſſimè geſtis enunciabo? quæ tot, ac tanta fuere, vt nec alteram orbis partem illi meritò comparare. Romæ idcirco caput galeatum in Nummis paſſim, & alijs veterum monumentis adinuenies, vt fuiſſe eam omnino Martiam intelligas. Quid de Imperij latitudine, ac duratione commemorabo? quum præclariſſimus Poeta mentis viribus excitatus; & quaſi diuino quodam afflatus ſpiritu vaticinetur:

Virg. 1. æn.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

Et de Cæſare tanti imperij rectore cecinerit.

1. Aen.

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris.

Roma primum quadrata.

Hinc vt feliciſſimis auſpicijs vnicuique eſſet perſuaſum, Romam perpetuò duraturam, olim quadratam, & ea ſpecie primùm ædificatam, diuque ita permanſiſſe ferunt, vt quadrata Roma diceretur. Præcipuè locus in Palatio ante templum Apollinis vbi reponebantur ea, quæ boni ominis cauſa in Vrbe condenda adhibebantur, eius loci meminit Ennius eo verſu:

Ennius.

Eſt nunc, & quis erat Romæ regnare quadratæ.

Qoadrata figura perennitatem ſignificat.

Cubicæ ſiquidem figuræ ſpecies, quoquouerſum iacta, verſataque fuerit, recta ſemper conſiſtit, quatuor lineis, & totidem angulis ſemper ſtabilis ac immobilis permanet. Strenuiſſimus Carthaginenſium Dux Annibal, huius ciuitatis æternitatem perſenſiſſe viſus eſt: Nam cum Romæ exercitum admoueret, & Romani cum ipſo pugnam inire non recuſarent, ac ſemel & iterum à conſerendis manibus pluuia ingruente prohibiti eſſent, palam faſſus eſt: Diuinum numen Romanis adeſſe propitium. Quocirca abducto ab vrbe exercitu querebatur: Romæ capiendæ aliquando ſibi deeſſe voluntatem, aliquando facultatem. Vnde ſilentio minimè inuoluendum iudicaui id, quod de Romæ æternitate traditur. Inquiunt enim antiquitatis ſtudioſiores, in Nummo quodam perſpici Romæ ſimulacrum, in ſede cum ancili, & inſcriptione: ROMÆ ÆTERNITAS. Cælorum enim moderator huic ciuitati nec metas rerum, nec tempora decreuit, ſed Imperium vſque ad ſæculi interitum dilargitus eſt. Propterea in ſella pingebatur Roma, quoniam ſella, perennitatis, æternæque quietis hieroglyphicum eſt. Vnde inter multa, & varia ſummorum principum ornamenta & inſignia, nullum vnquam extitit ſella ſublimius, neque auguſtius, neque venerabilius.

Romæ perennitatem perſenſit Annibal.

Romę ſimulacrum & ſimulacri interpretatio.

Sellæ hieroglyphicum.

Præcipuum Romanorũ inſigne.

Reliqua porrò ad humanæ tantum amplitudinis decus facere videntur, hoc ad diuinæ propemodum maieſtatis honores proximum accedit. Roma igitur in ſella exprimebatur, vt edoceremur huiuſce ciuitatis præſtantiam diuinam eſſe potius, quàm humana arte comparatam. Quare & in numiſmate, cuius inſcriptio eſt: CLOD. SEPT. ALB. AVG. Idem ſimulacrum dextera genium porrigens, læua verò iaculum terræ affigens, cum eadem Æternitatis inſcriptione inſpicitur. Num & ipſum Romæ vocabulum, nationes nonnullæ ex patriæ linguæ ſignificatione æternitatem interpretantur? Ipſa profectò orbis terrarum princeps Roma, tot præclaris oratorum ingenijs floruit; tot inclytis & potentiſſimis ducibus enituit; tot fortiſſimis & ſummis Imperatoribus excelluit; tot militibus animum geſtantibus innulnerabilem corruſcauit; tot ſapientiſſimis & prudentiſſimis Senatoribus reſplenduit; tot virilibus matronis emicauit; tot hominibus factis ſua virtute nobilibus fulſit; tot iuuenibus ingenua de ſtirpe ſatis, alta atque præclara ſemper mollientibus ſplenduit; tot ſignis, clariſſimiſque rebus geſtis claruit; vt ſplendidiſſimum illius iubar vbique terrarum diffuſum, omnium oculos perſtrinxerit, ac pro ſplendoris magnitudine, cuius florentiſſimo oratori viam præcluſerit exprimẽdi, quantum maieſtatis, quantum decoris, quantum pulchritudinis, quantum roboris, quantum excellentiæ, & diuinitatis in ea præfulſerit.

Romæ vocabulum apud nónullas exteras Nationes ſignificat æternitatem.

Gens inclyta Romæ.

Facultas dicendi deficit in enunciandis Romanorum geſtis.

Non igitur noſtrarum eſt virium, etiam ſi linguis omnium loqueremur oratorum, ſatis oratione complecti immenſam Romæ amplitudinem; quæ immortalem nominis gloriam perpetuò pariter cum ipſa æui diuturnitate producendam propagauit. Quæ cum ita ſint; Eſaias ſanctiſſimi numinis afflatu ductus, hanc Ciuitatem nulla cum gente comparandam euocauit ciuitatem ſublimem, ciuitatemque in excelſo collocatam dicens: Incuruabit habitantes in excelſo, Ciuitatem ſublimem humiliabit, conculcabit eam pes, pes pauperis, greſſus egenorum. Meſſias enim ſua peringenti virtute, vt apertius expreſſit Rabbi Salomon, Romam omnibus fortunæ bonis florentem, protriuit, Italiæque poteſtatem proſtrauit. Cui ſanè interpretationi, Galatinus vir ſanè nunquam ſatis laudatus, pondus adiecit his verbis: Tunc enim pes pedum pauperis, ideſt, Regis Meſſiæ Romam atque Italiam humiliauit, cum ſublimitas Romani Imperij cælum penè tangens, iugo Chriſtianæ fidei humiliter collum ſubmiſit, vſque ad pauperum, & humilium Chriſti vices gerentium pedum oſcula. Vates igitur qui illuſtriora prædixit Eccleſiæ tempora, eo ſanè oraculo apertiſſimè denunciauit, tum magnificentiſſimam Romanorum excellentiam, tum humillimam Chriſtianæ pietatis prædicationem, qua piſcator Petrus hanc terrarum omnium arcem, latiſſima imperio prementem regna, & præter cæteras gentes, vt illo Bruti dicto patet:

Eſai. 16.

Roma ab Eſaiæ oraculo dicitur ſublimis.

Rabbi Salomon.

Galatin. lib. 4. de Arcanis catholicæ veritatis cap. 27.

Bruti dictũ.

Vincat amor patriæ, laudiſque immenſa Cupido.

Leo in ſer. de Petro & Paulo.

Laudis, & gloriæ auidam protcruit, ac perſuaui Chriſti iugo ſubiecit. Cum enim (vt beatiſſimi Leonis verbis dicamus) Apoſtoli duodecim accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum diſtributum ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, & Beatiſſimus Petrus

Digitized by Google

Petrus venit ad arcem Romani Imperij.

Gerthius.

Princeps Apoſtolici ordinis, iam populos, qoi ex circumciſione erant, erudierat, Antiochenam Eccleſiam, vbi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundauerat, & Pootum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus euangelicæ prędicationis impleuerat ad arcem Romani deſtinatur Imperij; vt hic ſicur eſſet terrenus Imperator, & rector orbis, ita & ibidem præſideret hic paſtor, qui præſul eſſet, & caput Eccleſiæ totius. Id propter ſi Gerthio minimè contemnendo auctori credendum eſt, antiquum Capitolij nomen Cephalon extitit, qnia Roma Chriſtiani nominis caput futura erat; & Dominus Petro, quem Romæ principatui deſtinauerat, nomen illi Cephas conuenire prædixit.

Petrus igitur, Euſebio Ceſarienſi conſcriptore, natlooe Galilæus Chriſtianorum Pontiſex primus, cum primùm Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitur, vbi Euangelium prædicans vigiutiquinque annis eiuſdem Vrbis perſeuerat Epiſcopus. O felicem, & fortunatam Romæ illam diem, quando Chriſtiani nauigij gubernator in illam ſanctiſſimum intulit pedem. Cum ipſo profectò omnium bonorum copia ingreſſa eſt; & oraculum illud, qood ex vaticinio, ſeu ex veterum arcanis, aut Sibyllæ, aut Hetruſcorum prædicatioue excerperat Ouidius, nempè:

Hoſpes tam diu expectatus fuit Petrus ex Galilæa oriundus.

Quãdo Romam ingreſſus eſt Petrus.

Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Completum omnino cognouimos. Hoſpes enim ille, quem Romanorum Natio dioinitus admonita, ſummo expectabat cum deſiderio, feliciſſimè acceſſit, & vera, ac viui Dei fidem conſerendo, ſalutem tanto generi attulit. Eo itaque tempore, quo Roma Simouis Magi prętigijs eluſa, diuinos mortali impendebat honores (De Simonis euim Magi maleficis artibus; diabolicisque fallacijs, quas Plinius vocat incantamenta, multa memoratu digna referunt Eccleſiaſtici ſcriptores, quæ minimè eſſe conficta teſratur illa ſtatua, quæ Romæ poſita eſt hac cum inſcriptione; Simoni Deo ſancto; quam ſaoė ſtatuæ conſecrationem, Iuſtinus philoſophus & martyr, Romanis exprobrat) Dum igitur iſte Simon, quinimmo Simon ſecundo Claudij temporibus anno, velut verius probatur Nèronis, quibuſdam propemodum fidem excedentibus prodigijs, apud Romanos diuinitatis famam ſibi conciliaret, Simon Petrus impendentem ciuitatis ruinam miſeratus, ad expugnundam magicam fraudem, Romam pergir, ibique orationibus ſuis Magum de aetis vacuo præcipiti ruina proſtrauie.

Iuſti in Apolog.

Concertatio Simonis Petri contra Simoné Magum.

Euſeb. Cæſar. Eccleſ. Hiſtor. l. 2.

Non enim in longium, vt inquit Euſebius Cæſarienſis, permanſit fraude quæſita diuinitas. Continuo namque clementiæ diuinæ prouideutia, probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum fidei magnificentia, virtutis meriro primorem Principem Petrum, ad vrbem Romam, veluti aduerſus humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, præfectom quemdam, atque magiſtrum militiæ ſuæ, ſcientem diuina prælia, caſtraque parata ductare. Cum enim idem Simon, ſicuti S. Maximus ornatiſſimè enarrat, ſe Chriſtum diceret, & tamquam filium ad patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubito magicis artibus volare cœpiſſet; Tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum, & præcatione ſancta vicit magicam leuitatem; prior enim aſcendit ad Dominum oratio, quàm volatus; & ante peruenit iuſta petitio, quàm iniqua præſumptio, ante Petrus in terris poſitus obtinuie quod petebat, quàm Simou perueniret in cæleſtibus, quo tendebat, Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo elidens eius crura confregit, & hoc in opprobrio facti illius, vt qui paulo ante pennas aſſumpſerat, plantas amitteret. Hæc Maximus. Non eſt autem rationi conſentaneum aſſeuerare; Petrum abſque peculiari diuini ſpiritus afflatus Romam in Apoſtolici principatus ſedem elegiſſe.

Maxim Ep. Homil. 5. in Nat. Apoſt. Petri, & Pauli.

Quo amorũ genere Petrus de Simone Mago victoriã retulit.

Singulari Sancti Spiritus impulſu Petrus Romam acceſſit.

Si enim in veteri Synagoga Moyſi conſpicuè manifeſtatus eſt illc locos, quem Dominus ſingulari quadam ratione ſelegerat, vt inde à Iudaico genere diuina peterentur oracula: quanto magis exiſtimandum eſt Chriſtum demonſtraſſe Petro, rebus diuinis præſideuti, quænam eſſet illa Ciuitas, vbi vellet regui ſui ſedem collocari. Si vt transferretur Eccleſia Hieroſolymitana in Ciuiratem Pellam, voce Domini, vt Euſebius & Epiphanius referunt, Apoſtoli ſunt admoniti, multò magis credendum, vt e ciuitate Antiochena Romam emigraret Petrus, carhedramque inde tranſportaret, Dominicis oraculis ſactum fuiſſe certiorem. Tribus profectò de cauſis arbitror ego, præcelſam Dei maieſtatem Romæ potius, quàm Hieroſolymæ voloiſſe Petri Cathedram, in qua hereditario iure, ſucceſſioneque perpetua continuatur diuina auctoritas, figi, firmarique.

Euſeb 3. lib. Eccl Hiſt. cap. 5. Epiph lib. 3 contra Hæres cap. vlt.

Triplici de cauſa voluit Deus vt Apoſtolica ſedes Romæ firmaretur.

Primò vt Chriſtus ereptis omnibus Diaboli ſpolijs, ad ſe traxiſſe videtur cunctorum regnorum iura. Dixit enim: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Ille ſiquidem armatus miles, imperij ditionem fraudolenter occupauerat, & falſo Idolorum cultu, Imperatorum maieſtatem adeò obcæcauerat, vt ſpreto vero Deo, honoramentorom omnium inſignia falſis dijs ſacrilegè impenderene; & quoniam Romæ præcipuè radices egerat falſa religio, armis Crucis victricibus, espulſo mundi principe, in eo ſolio, in quo ipſe peramplo potiebatur imperio, decreuit vnius paoperrimi nudi pedis concione, illius regnum euerti, & iniqua ſuperſtitione abolitas, imperiales aſces Chriſto cruci affixo ſubmitti, ac omnibus Diaboli diadematibus obtritis voluit Eccleſiaſticam Hierarchiam inuito hoſte, illis Regis, & Pontificijs illuſtrari decoribus, quibus Satbam ſe ipſum ſuperbiſſimè orauerat. Diuioæ igitur prouidentiæ munere euenit, vt ſacra & Apoſtolica ſedes in alma figeretur vrbe, qnæ terrenæ dominatiouis imperio, caput, ac imperatrix totius mundi exiſtebat, vt Dei Vicarius legitima inſtitutione, cæleſtiſque regis commiſſione latius præſideret, perbeata iuriſdictionis auctoritate quàm Caius Cæſar quondam orbis terrarum vnicè fulgor vſurpatione, & vi. Vnde quidquid excellentis, quidquid Imperatoris iu illa magna, lateque diffuſa Romanorum Monarchia, omnium domina rerum, ac domitoris omnium gentium populi marte illucebat, mutatis rerum viciſſitudioibus, in Chriſti Hierarchia præſtantius eluxit.

Leo ſerm 1. in Nat. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Leo itaque in illo ſermone, qui ex dulci

aurea

aurea lingua ſtillauit ad populum Romanum, beneficia potiora, quæ ob aduentum Petri & Pauli confluxerunt in inclytam vrbem, hunc in modum recolit: Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt patres tui, verique paſtores, qui te regnis cæleſtibus inferendam multò melius, multoque felicius condiderunt, quā illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt; ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis, & regia, per ſacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra, marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit. Diſpoſito namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confunderentur imperio, & cito peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. Hæc autem ciuitas ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Vnde quantò erat per diabolum tenacius illigata, tantò per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta.

Roma facta eſt inſignior Petri præſentia, quam alijs rebus omnibus pace belloque geſtis.

Hactenus Leo. Id propter ſi pulcherrimam inſpexerimus atque florentiſſimam ciuitatis magnificentiam, eo temporis, quo ipſa Roma barbarorum victrix, totius terrarum orbis imperium obtenebat, facile comperiemus, poſtquam facta eſt Chriſtiani nominis caput, ſplendidioribus confulſiſſe ornamentorum ac dignitatum priuilegijs. In ipſo quidem imperij, & gloriæ domicilio, vt Romanæ amplitudines, dignitates, & ordines recenſeam, non omnibus præſidere, aut regnorum ſceptra, & gubernacula obtinere datum erat; Sed alij ex ordine imperabant; Alij ad nutum parati erant; Alij arbitratu ſuo cuncta moderabantur, ac regebant; Alij à patrum conſcriptorum voluntate pendebant.

Romani Imperij dignitates, & ordines.

Dictator, in ſummo poteſtatis apice præcelſum dirigebat clauum, magiſtratum gerebat, omnibus, præerat, omnibus dictabat, ideſt, imperabat ac præcipiebat: Penes eum Lictoribus, Trabea, cæteriſque regum inſignibus circumornatum, erat rerum capitalium animaduerſio, à qua appellationis diffugio nemini ſe ſubtrahere licebat.

Dictatoris poteſtas, & amplitudo.

Imperator, ſeu exercituum ductor, ac belli gerendi adminiſtrator, Senatus, ac populi Romani iuſſu copijs militium præponebatur, exercituſque ductabat duobus cum legatis, qui non domini, ſed curatores, miniſtrique nuncupabantur.

Imperator.

Conſules duo, expulſis regibus, Senatui conſulebant, annum imperium, & magiſtratum tractabant, alterniſque diebus imperabant.

Conſules.

Proconſules ad prouinciam gubernandam extraordinaria cōſulari cum poteſtate loco Conſulum mittebantur.

Procōſules.

Senatores, aut à ſenectute, aut à ſapientia, & generis nobilitate appellati, ob honorem Patres conſcripti, & patricij dicti, ſuo ipſorum conſilio Rempublicam adminiſtrabant.

Tribuni plebis, illius defenſores, & cuſtodes Conſulibus opponebantur, ne iniuria plebs afficeretur.

Tribuni plebis.

Præfectus vrbis, tum cuſtodiæ, tum cæteris negotijs ad vrbem pertinentibus præficiebatur.

Præfectus vrbis.

Quæſtores, ærario, publicæ pecuniæ ſumptibuſque publicis præpoſiti, publicas quoque conquirebant, pecunias.

Quæſtores.

Aediles curules, ædium ſacrarum curam habebant.

Aediles Curules.

Cenſores, ciuitatis mores conſtituebant, & quos parum dignos officio adinueniſſent, à miniſterijs amouebant.

Cenſores.

Magiſtri equitum, equitibus regendis præerant.

Magiſtri equitum.

Decem viri, regum inſtar pro ipſis conſulibus creati legum condendarum, interpretandarumque cauſa Senatus conſulto, populique Romani conſenſu conſtituti, pro cæteris magiſtratibus officia, & munera exequebantur.

Decem viri

Trium viri, rebus capitalibus, & carceribus, excubijs, nocturniſque incendij præerant.

Trium viri.

Legati, Nuncij, Oratores, mandata ex Senatus auctoritate deferebant.

Legati, Nūcij, Oratores.

Augures, auium geſtus prædicentes; auſpicijs, prodigijſque publicis præficiebantur.

Augures.

Flamines, diuino cultui conſecrati, res diuinas faciebant.

Flamines.

Prothoflamines, alijs præponebantur flaminibus.

Prothoflamines.

Pontifices ſacris, & religioni præerant; ex ipſorum autem collegio vnus Pontifex Maximus, vt alijs præeſſet Pontificibus, eligebatur.

Pōtificices Max. Pont.

Veſtales, ſacris Deæ Veſtæ ac perpetuæ ignis cuſtodiæ dicatæ erant.

Veſtales.

Duces, exercitus ductabant.

Duces.

Salij, per Vrbem carmina canebant cum tripudijs.

Salij.

Tribuni militum, in caſtris electi Imperatori pro militibus opponebantur;

Tribuni militum.

Scribæ, magiſtratus nomine, vel mandato literas, vel acta ſcribebant.

Scribæ.

Lectores, aliorum cauſas, ſcriptaque propalam legebant.

Lectores.

Legiſperiti, promulgatas leges adducebant, & intepretabantur.

Legis periti

Conditionis priuatæ innumerabiles ordines, muneribus ſuo ſtatui conuenientibus fungebantur.

Vulgus.

Hæ erant præclariores Populi Rom. dignitates, & gradus, qui Rempublicam reddebant ornatiorem, & adſpectabiliorem. Cæterum Spiritus Sancti conceſſu, & munere poſtquàm Roma Chriſtianam amplexa eſt religionē huiuſmodi dignitates meliorem ſortitæ ſunt conditionem.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ dignitates præclariores ſunt perantiquis illis Romanorum.

Namque regnorum omnium Princeps Chriſtus, poſtquam prępotenti Crucis vexillo, ſathanam de mundi Monarchia deturbauit, vniuerſis ipſius honorum, & graduum inſignibus obtritis, & conculcatis, ad nihilumque redactis, alia multò præcellentiora inſtituit religionis monumenta: quæ fulgidiori quodam diuinitatis ſplendore adeo enitent; vt & ipſi Eccleſiaſticæ dignitatis hoſtes, fateri adducantur, è cælo eorum originem traxiſſe.

Chriſtus caput Zabulō obtriuit, & ſpolia eius diſtribuit.

Perinſignis humani generis Redemptor, ille reuera extitit è monte ſine manibus inciſus lapis; quippè qui in Idola impingens ea omnia vſque adeo contriuit, vt teterrima in abyſſi penitus iaceant conſepulta. Ipſe præfectò eſt expugnator ille acerrimus, qui omnibus tenebrarum principis profligatis viribus, ſplendidioribus Eccleſiæ Hierarchiam condecorauit honorum diadematibus.

Chriſtus tū lapidi, tum expugnatori confertur.

Propterea non eſt mirum, ſi euerſo deletoque Romanorum Dictatore, Pontificem Maximū diuina, & humana, regali, & Pontificia pręditum poteſtate, in Eccleſiaſtico apice conſtituerit ſummum Regum omnium Principem,

vt vica-

Digitized by Google

vt vicariam ipſius perſonam in terris gereret, ac diuino obtento principatu omnibus præſtaret poteſtatibus.

Rom. Pont. non ſolum eſt omnium paſtor, ſed etiam paſtorum Epiſc. Greg. lib. 1. epiſt. 58. Ruff. lib 2. cap. 23. & 24.

Romanus quidem Pontifex, ipſe eſt maximus omnium paſtorum Epiſcopus, ac vniuerſæ Eccleſiæ Hierarchia, à quo, vt à capite, cætera membra in partem ſollicitudinis vocata, virtutem, ducunt, Propterea Grego. Petrum pleno ore nominat: primum vniuerſale Eccleſiæ membrum; Paulum, Ioannem, & Andream, ſingularium plebium capita. Ruffinus verò, Petrum omnium caput, & principem appellat: quia ipſe, quem ad ſummum eccleſiaſticæ dignitatis culmen extulit Deus: ſupremo in Chriſti Eccleſia fungitur magiſtratu.

Romani Imperatoris Electio.

Olim ſuperſtitionis æuo, Romanorum Imperator, tyrannico militum impetu, imperatoriam ſibi arripiebat maieſtatem: Modò Romani Imperij auriga, à præſtantiſſimis Archiepiſcopis, Regibus, Ducibus, Archiducibus delectus, vt armorum patrocinio fidem religionemq; ſumma animi pietate tueantur, eò excellit, quia non amplius neſando, neque tyrannico, ſed optimo, legitimoque iure omnibus eminet ſæculi principibus. Quid de ipſis Regibus, Romano ſubiectis Imperio dicam? Omnes Idolorum fæcibus conſtuprari, quot Ducibus præerant, tot diademata ſathanico capiti imponebant.

Patriarchale faſtigiū.

At in Eccleſiaſtica Hierarchia, Patriarchæ, græca lingua ſummi patrum interpretati, alterum dignitatis gradum in Eccleſia obtinent, diuinoque Patriarchalis eminentiæ ſplendore Apoſtolicum principatum exornant. Et quemadmodum Rex tribus ducibus præeſt: Ita primas tribus Archiepiſcopis.

Anacl. xcix d. Primates Eccl. Gulielm. Duran. lib. 2. cap. 1. Primatia vnde dicta.

Porrò ex Anacleti ſententia, Prouinciæ Primates, & Patriarchæ diuerſorum nominū, ſed eiuſdem formæ, atque officij ſunt; & ideo quidam Primates, vt ait Gulielmus Durandus in ſuo rationali, ſibi nomen Patriarchæ vſurpant, vt Aquilegienſis, & Gradenſis: Primatus autem dictus eſt à primitijs celeſtis conuerſionis ad fidem. Propterea Epiſcopus Hieroſolymitanus dictus eſt Primas, & Patriarcha; quandoquidem ab ipſis Eccleſiæ crepundijs, Iacobus frater Domini Epiſcopus Hieroſolymitanus conſtitutus eſt. Quid de conſcriptis enarrabo patribus; non è omnibus ſuis in rebus, atque conſilijs, humanæ tantum innitebantur ſapientiæ? At peringentes ſunt Deo referendæ gratiæ, qui viros ſcientia, atque ſapientia conſpicuos, ex omnibus mundi plagis delectos, Eccleſiæ ſuæ prouidit Cardineos patres, vt diuiniori conſilio cum ſupremo Eccleſiæ moderatores, vniuerſam Eccleſiæ latitudinem gubernent, illiuſque ſaluti, totis ingenij viribus conſulant: inde enim dicti ſunt Cardinales, per quos tota Eccleſia ſicut oſtium per cardines igitur.

Cardinei Senatus præſtantia.

Cardinales vnde dicti.

Peramplifſimos equidem à latere Legatos, Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanos Chriſtiano cætui magis prodeſſe, quàm tanti temporis Romanæ ditioni Conſulum, ſeu Proconſulum mille perſpicio: Proconſules enim ad retinendam ſeu Prouinciæ, ſeu exercitus inſolentiam allegabantur: A latere autem Legati his potioribus de cauſis, ad Reges & principes mittuntur; vt ſcilicet inſolentiſſimorum ſuperbiam, in Eccleſiaſticam Iuriſdictionem nimis affrænem contineant; vt regnorum gubernacula ſecundum Apoſtolica patrum decreta, tractanda & moderanda eſſe commoneant; vt ſublimiores poteſtates, ſummo omnium patri ſanctiſſimè deuotas teneant; vt animarum vulneribus opportuniori fouendis cataplaſmate medeantur: vt tandem Prouincias Apoſtolicis imbutas præceptis, ab hæreticorum veneficijs ſuſtentent immunes & liberas.

Munus præcipuum à latere legatorum.

Archiepiſcopi verò, ſeu Metropolitani, cæteris præficiuntur Epiſcopis, vt plebs ſancta appellationis diffugio poſſit alium adire iudicem, Epiſcopo ſuperiorem. Archieſpiſcopus enim Græco vocabulo dicitur Epiſcoporum princeps, quia cæteris præſidet Epiſcopis. Metropolitani vero à menſura ciuitatum vocati, prouincijs ſingulis præſunt. Sollicitudo quidem totius prouinciæ ipſis incumbit. Quapropter Pelagius ita ſcripto mandauit: Scitote certam eſſe prouinciam, quæ habet decem, aut vndecim Ciuitates & vnum Regem, & totidem minores poteſtates ſub ſe, & vnum Metropolitanum, alioſque ſuffraganeos decem, vel vndecim Iudices Epiſcopos; Ad quorum iudicium omnes cauſæ Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac ciuitatum referantur.

Archiepiſc. & Metropolitani cur in Eccl. inſtituti.

Archiepiſcopatus ſeu Metropolitanus deriuatio.

Pelagius Papa V. q. 3. ſcitote.

Nolo autem, quia eſſet operis propè infiniti, totum Eccleſiaſticæ nobilitatis chorum recenſere modò; non enim tanta hortorum lilia, aut ſegetum ariſtæ, ſeu meſſium ſpicæ in aruis æſtiuo tempore rident; quanta in eccleſieſtico principatu ſacrarum dignitatum, & officiorum lumina coruſcant. Sat ſit quod falſo deorum cultu deturbato, atque in inferni clauſtra detruſo, ſanctitatis religio, à Saluatore noſtro honorificentioribus fuerit honorum, dignitatum, & officiorum ſplendoribus illuſtrata.

Quamobrem Redemptoris ob merita glorioſiſſima, non amplius intueris (armato illo ſatas expulſo) neglectam atque vaniſſimam Idolatrorum turbam, non amplius Tribunos, Quæſtores, Ædiles, Cenſores illos admodum ſuperſtitioſos, in Eccleſiaſtica Hierarchia conſpicis; ſed Commiſſarios Apoſtolicos, diuinos Rectores, atque Gubernatores, Cameræ Clericos, & Inquiſitores demiraris. Non amplius Decem viros, Trium viros, equitum magiſtros, oraculorum relatores conuenis; ſed ſapientiſſimos Rotæ Auditores, Sanctiſſimi officij præſidentes magnos, Religionum Generales Præfectos, Sedis Apoſtolicæ Nuncios, attendis. Non amplius Augures, Flamines Prothoflamines, Centuriones, militumque Tribunos honoras: ſed ornatiſſimos verbi Dei proclamatores; Presbyteros, Archipresbyteros, Præpoſitos, & Archidiaconos reuereris.

Commiſſarij Apoſtolici. Rectores. Cameræ Clerici. Inquiſitores Rotæ Auditores. Inquiſitionis præſides. Generales ordinum. Nuncij. Concionatores Presbyteri Archipresbyteri. Præpoſiti. Archidiaconi.

Non amplius Salios, atque Veſtalis, cæteroſque Idolatriæ, Miniſtros veneraris: ſed Abbates, Canonicos, Monachos, atque Moniales [Diaconos, Hypodiaconos, Acolytos, ac reliquos diuino cultui mancipatos adminiſtratores honorificè colis. En quanto præcelſiori claritatis ornamento, Eccleſiæ decorator ſuam Eccleſiaſticam Hierarchiam illuſtrauit. En quantis dignitatum, & officiorum varietatibus inſigniuit: quæ nam aula? quæ nam Regia? quod vè Ducum, ſeu Principum, aut Imperatorum atrium tantis vnquam ſplenduit adminiſtrantium ordinibus. Si autem Petrus ad Romanam arcem non aduentaſſet, adhuc falſæ religionis ſordibus ſcaterent omnia. Petrus er-

Abbates Canonici. Monachi. Moniales. Diaconi. Hypodiaconi. Acolyti. Adminiſtratores.

go,

Digitized by Google

go, Deo omnium gubernatore ſapientiſſimo præordinante, ad mœnia Romæ tamquam ad commune omnium gentium domicilium acceſſit, & Martyrij ſui Trophæis Romam conſecrauit, aliſque omnibus vrbibus, in vniuerſo mundo ſua præſentia atque venerando triumpho prætulit. Iſt hæc igitur prima extitit cauſa, cur Romæ Apoſtolica ſedes locata eſt: Deinde cenſemus Romæ potius quã Hieroſolymis ſedem eſſe conſtitutam, vt Iudæorum prorſus confunderetur arrogantia, quæ mirum in modum in lege gloriabatur, & Sacerdotio. Cum autem eorum ob peruicaciam, regnum ab ipſis abſtulerit Deus, illudque traduxerit ad gentes, quemadmodum ſacris conſignatum eſt literarum monumentis. Auferetur à vobis regnum Dei; & illud, Oportebat vobis loqui verbum Dei, ſed quia indignos vos redditis, ecce conuertimur ad gentes; Rationi conſonum erat, vt ibi figeretur ſedes, vbi latius vigebat imperandi poteſtas, ac ita innoteſceret principatibus, & poteſtatibus, ad ſublimiſſimum Chriſti regnũ cuncta Imperialia iura eſſe delata.

Petri præſentia Roma excellantioribus triumphalibus honoribus Sedes Ap. Romæ potius quã Hieroſol. conſtituta.

Matth. 2.

Act. 13.

Petrus igitur Romæ ſe recepit, & ibi martyrij ſui teophæa appendit, quemadmodum Gaius ſcriptor antiquiſſimus aduerſus Proculum quemdam cataphrygam ſcriptura perſequitur: Ego habeo trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam, ſiue enim via regali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, ſiue via Oſtienſi, inuenies trophea defixa, quibus ab vtraque parte ſtatutis Romana communitur Eccleſia. Poſtremo Reipublicæ Chriſtianæ maximè conducebat, vt Romanæ potius, quàm alibi ſedes firmaretur, quia in morbis, vt quiſque eſt difficillimus, ita medicus nobiliſſimus, atque optimus quæritur. Roma autem ſicut Imperij caput extabat, ita etiam omnium ſcelerum fons euaſerat, in eam enim vt in quamdam cœnoſam latrinam, omnes prorſus confluxerant flagitiorum ſordes: Qua de re Petrus Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ Princeps, Romanorum immo Chriſtianorum omnium Pontifex primus, ex Vrbe Roma Priorem ſcribens epiſtolam ad peregrinos, & aduenas diſperſionis Ponti, Galatię, Cappadociæ, Aſię, Bithynię, ex Babylone figurata verbi immutatione ſcribere confirmat: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Hoc meo non effingo marte; ſed Papias Hieropolites, qui vnà cum Petro, & Apoſtolis vixit; Sed Victor Antiochenus; ſed Clemens Alexandrinus; ſed B. Hieronymus; ſed Iræneus Policarpi auditor communiter referunt. Propterea Afrorum antiquiſſimus, qui Romanis Clericis inimicus fuiſſe legitur, ſcripſit: Si Italiam adieris, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt, ſtatuta fęlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, vbi Petrus paſſione Dominica adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur; videmus quid dixerit, quid docuerit. Quam ob cauſam legitimus Petri ſucceſſor, ex communi omnium orthodoxorum conſenſu, Romanus eſt Epiſcopus, non autem Antiochenus; quoniam, vt Marcellus chartis prompſit; Etſi Petri ſedes initio apud Antiochenos fuerit, & ſeptem annis ibi perſeuerauerit, tamen poſtremo iubente Domino Romam tranſlata eſt, vbi Petrus, teſte Hieronymo vigintiquinque annis cathedram tenuit Sacerdotalem, ac Romanis ſuo ſanguine obſignatum reliquit Euangelium.

Gaius ſub Zepherino Ep. Rom.

Recẽſentur auctores, qui affirmant Petrum Romã decoraſſe ſedem, & Romæ conquieuiſſe, vi tamq; fuiſſe.

1 Pet. cap. 5. Papias.

Vict. Antioch. 6. informationum Clem. Alex io 6 diſpoſitionum.

B. Hier. in Marci vita. Iræn de ord Euang. lib. 3 aduer. hæret Tertul. lib. 3 de præſcrip. hæretic.

Marc. in ep. ad presbyt. Antioch. B. Hier. in catalogo.

Tribus igitur de cauſis adducimur aſſeueranter dicere: Romanum Epiſcopum legitimum eſſe Petri ſucceſſorem, non Antiochenum. In primis, quia Petrus diutius Romæ, quàm Antiochiæ vitam egit. Deinde, quia anni, quibus Romæ degit, poſteriores fuere illis, quibus Antiochiæ commoratus eſt. Tandem, quia Romæ inuerſis veſtigijs, ne Domino ſuo æqualis videretur, vlnis patentibus, ore in humum verſo, cruci eſt affixus, ac ita Romanam Eccleſiam ſuo ſanguine conſecrãs omnibus præcelſiorem reddidit, Apoſtolicamque ſedem ibi ſuo ſanguine conſtabiliuit. Sicuti Dionyſius ille Corinthiorum Epiſcopus, ex Vrbe Roma, ad Eccleſiam ſuam hunc in modum ſcribit, cuius verba Euſebius Cæſarienſis ſuæ hiſtoriæ inſeruit: Vos, inquit, à Petro & Paulo commonitionem habentes, & Romanæ, & Corinthiorum Eccleſiæ plantationem coniunxiſti. Ambo enim aduentantes, & in noſtra Corinthiorum docuerunt Eccleſia, & per omnem Italiam, atque in hac Vrbe ſimul docentes, etiam martyrio pariter vno eodemque tempore coronati ſunt. Hac profectò de cauſa Eccleſia Romana diuino iure nuncupatur prima, potiorique ſanctitate donata; quandoquidem Epiſcopus diuino iure primus, qui petræ nomine cenſetur, ibi ſedens fungitur illo perampliſſimo munere, atque diuinitatis participe, quod inter omnia ſacerdotalia munera excellit. Enim verò nomine Romanæ Eccleſiæ inuiolabilis, non perituræ, neque Ciuitatem, neque Romam, neque homines, neque mœnia intelligimus, ſed Pontificem Romæ præſidentem atque vniuerſam regentem Eccleſiam, in quo velut in capite Eccleſia viget, ſicuti regnum in regente. Quemadmodum enim Petro ſedente Antiochiæ illa eadem penitus murata eſt nomine ſolum in Antiochenam, & dicta eſt Antiochena; quare ſi Petrus Antiochiam ſuo decoraſſet ſanguine, ac ibi extremum obijſſet vitæ diem, eoque in loco ſucceſſores eius permanſiſſent, illa Eccleſia quæ cæleſti beneficio omnibus præfertur, vocata eſſet Antiochena. Eodem modo ipſa eadem penitus Eccleſia, tranſlata ſede in Romanam Vrbem. Romana nuncupata eſt, per Romanam intelligendo Eccleſiam, cęteris prælatam, matrem ſacerdotalis dignitatis, & Eccleſiaſticæ magiſtram rationis. Vnde ſicut eadem poteſtas vna, & indiuidua in ſingulis ipſis ſibi inuicem ſuccedentibus manet Pontificibus; Ita Eccleſia illa, quæ tenet gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, ſedis mutatione haud quaquam immutatur, ſed vna eademq; perſeuerat Eccleſia, licet rector ipſius modò Romæ, modò Antiochiæ degat. Ex ſcripturarum quidem traditione vnum tantum percepimus Eccleſiæ Principem, quippe qui vbi vis locorum ſederit, ipſe ſemper primariam conſtituit Eccleſiam. Romana igitur diuino iure nuncupatur prima, quia Epiſcopus diuino iure primus ibi commoratur. Petri enim principatum cuilibet Epiſcopatui præferen-

Tres rationes quibus ducimur affirmare Romanum prælatum legitimum eſſe Petri ſucceſſorem, non Antioch.

Dionyſ. Corinth.

Eccl. Rom. diuino iure prima.

Rom. Eccl. nomine quid intelligatur

dum

dum ait Auguſtinus, his verbis: Puto quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam.

Aug. lib. 2. de vnico Baptiſmo.

Petri principatus cuilibet epiſcopatui præferendus.

Cæterum quis neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Quæ cum ita ſint, aſſeuerandum eſt; Apoſtolicam ſedem hand eſſe ita muris circumuallatam, vt mœnibus anguſtetur, vbiq; Chriſtus, vbique Eccleſia in membris ſuis; ſed quia ſummum Pontificem, qui à Chriſto accepit claues non vt Romæ ſedens, ſed vt Petri ſucceſſor, & Dei Vicarius, oportet alicubi commorari, hac de cauſa illa Eccleſiā, cui ſingulariter præeſt cæteris præfertur, quia Epiſcopus diuino iure cæteris prælatus, cui in Beato Petro à Chriſto dictum eſt; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ſua præſentia excellentius condecorat. Sella enim à ſedente, non ſedens a ſella capit dignitatem. Propterea Cyprianus Romanam Eccleſiam appellat principalem his verbis; poſt iſta adhuc inſuper Pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto nauigare audeant, & ad Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaricis, & prophanis literas ferre. Atque ideo Anacletus cum de Romanæ Eccleſiæ primatu verba facit, non ſynodicis decretis, ſed cæleſti beneficio prædicat conſtitutum; cum verò de aliarum honore, & præcellentia loquitur, pro cauſa Romani Pontificis auctorieatem aſſignat: Quoniam diuino iure nullus Epiſcopus eſt ſecundus, aut tertius, pariter nulla Eccleſia diuino iure eſt ſecunda, aut tertia; ſed ſicuti diuino iure vniuerſæ Eccleſiæ vnum proponitur caput, & Princeps; ita diuino iure vna præponitur cæterarum Regina Eccleſiarum. Eam autem eſſe dubio procul affirmant omnes Orthodoxi, cui præſidet Petri ſucceſſor; ob potentiorem quidem, & præſtantiorem capitis principatum illa Eccleſia aliarum prędicatur Princeps Eccleſiarum. Quamobrem ſi Romanus Pontifex ſedem transferret, & Alexandriæ locaret, ipſe idem maneret primus, & aliorum Epiſcoporum ſimiliter Coryphæus perſeueraret. Si verò Alexandrinus Præſul Antiochenæ Eccleſiæ curam ſuſciperet, iam de ſecundo tertius euaderet Epiſcopus, quandoquidem ille honor iuxta Anacleti decretum loco datus eſt à Romano Pontifice, poſitiuo iure, non autem perſonæ præſidenti. Romanam igitur Eccleſiam, in qua, vt ait Auguſtinus, Apoſtolicę Cathedræ ſemper viguit principatus, habere Apoſtolici ſacerdotij culmen ex his certum, & ratum eſſe poteſt. Namque Eccleſiæ Romanæ præſtantior principatus, non ſynodicis conſtitutionibus, non œcumenicorum decretis, aut conciliorum ſanctionibus, ſeu patrum documentis tantum; ſed cæleſti Dei beneficio, ſed perenni, & incorrupto Euangelij iure, ſed præpotenti conditoris nutu, ſed ſacroſancto diuinorum oraculorum teſtimonio, cunctis Eccleſijs anteponitur, vtpotè cui in Apoſtolorum Principe replicatum eſt: Paſce agnos meos, paſce oues meas.

Eccl. Rom. dicitur principalis.

Cypr. epiſt. 3. contra hæret. & ſchiſ.

Diſcrimen inter Rom. Eccleſ. cæterarumq; eccleſiarum.

Rom. Pont. propter loci mutationem haud quaquam mutat iuriſdict. eminentiam

Aug. Epiſt. 162 to. 2. & cōtra Epiſt. Permeniani lib. 1. cap. 2. tom. 2.

Nonnulla R. E. priuil. ipſi diuinitus dilargita. Io. 21.

Quocirca qui ſacrum vniuerſalis Eccleſię clauum moderatur, primus, & Apoſtolicus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Epiſcopus diuino iure nuncupatur, & eſt; Atque ter ſancta illius auctoritas, prima, & Apoſtolica ſedes diuino inſtituto concelebratur. Etenim viuo, & enucleato diuini Architecti promiſſo, Apoſtolorum primo pollicitum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Rationabili itaque de cauſa, Romana Eccleſia mater ſacerdotalis dignitatis, & eccleſiaſticæ magiſtra rationis, à Vigilio Papa decantatur: quia Petrus Cephas dictus eſt, ideſt, petra & ſaxum ingens, caputque & Princeps omnium Apoſtolorum: ex quo cæteræ Eccleſiæ, Romanam Eccleſiam vt membra venerandum caput, iurè colunt & venerantur; ad illiuſque nutum, omnia properatè exequi, nec ab illius ſanctiſſimis ordinationibus vmquam diſcedere tenentur. Mēbra ſiquidem quæ capitis intermittunt imperia, aut morbo diuexata langueſcunt; aut intermortua iacent à corpore diſſecta, aut vinculis obligata cruciantur: pariter & illi omnes qui paternis Apoſtolici Principis monitis, atque præceptis obtemperare aſpernantur, aut ſchiſmatis morbo laborant, aut hæreſis peſte infecti, ab Eccleſiæ corpore interciduntur, aut malorum principum cupiditatibus internecti, rationes ob ſæculares, diuinis Hierarchis terga obuertunt. Nos autem Sanctæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum matri immobiliter innitamur; & ad inuictum Petri Thronum, tamquam ad inconcuſſam perfugij petram confugiamus; Ipſa enim eſt nationum oraculum, Catholicorum ſacra anchora, orthodoxorum omnium aſylum; veritatis cathedra. Chriſtiani orbis caput, eccleſiaſticæque dignitatis fulgor, & gloria. Quibus ſic conſtitutis, oratio habenda eſt de perpetuo illius Cathedræ ſucceſſore, in qua ſcilicet Petrus ſedit, nunc verò auſpicato conſidet Syxtus Quintus, ſapientia, & vitæ integritate adeo ſingularis, iuſtitia, & pietate adeo admirandus; animi excelſitate, rerumque geſtarum monumentis, breui temporis interuallo tam ad ſempiternam crucis reuerentiam, quàm ad perpetuum Romanæ celebritatis ornamentum editis, adeo glorioſus; vt tota pulcherrimorum animorum ſoboles, tamquam quoddam diuinum numen è cælo perditiſſimis hiſce temporibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ contributum colat, amet, prædicet, atque vt Hierarcham ab altis illis cęlorum Hierarchijs delapſum ſuſpiciat, & demiretur.

In Epiſt. Vigilij Papæ ad Eutheriū Cephæ interpretatio.

Simile.

Qui ſunt, qui Pontif. mandata decalcant.

Apoſt. ſedis præſtantia.

Syxti V. percelebris cōmendatio

ALEXANDRI
A TVRRE CREMENSIS
CANONICI ORDINIS LATERANENSIS,
DE FVLGENTI RADIO HIERARCHIÆ
Eccleſiæ Militantis.

LIBER QVINTVS.

DE APOSTOLICÆ SEDIS AMPLITVDINE, ET CVLTV.

RADIVS XVII.

Summum Romanum Pontificem in vniuerſa Eccleſiaſtica Hierarchia ſummopere eſſe neceſſarium, apertiſſimo demonſtratur Elogio.

Diuinæ prouidentiæ vis duplici miniſterio mũdum gubernat & regit.

1. De Nat. Deor.

DIuinum Dei imperium, duplici regimine, vniuerſo ſcilicet, & particulari, perampliſſimam mundi molem adminiſtrare adeo certum eſt, vt nemo mentis compos illud poſſit inficiari. Quis eſt tam vecors, vt Ciceronis vtamur ſententia, qui cum ſuſpexerit in cælum, moderatorem aliquem eſſe non ſentiat, qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſeruat, terras, & maria contemplans, hominum commoda, vitaſque tuetur. Quis vnquam fuit tam alienus à naturali philoſophia, qui præter vniuerſalium cauſarum ordinem, etiam ſingularium neceſſitatem non perceperit? Quis neſcit ad hominis procreationem non ſolum Ducem illum, & Principem, ac communem illuſtratorem luminum reliquorum ſolem, ſed etiam in eadem ſpecie communicantem generatorem neceſſariò poſtulari? Huius ſanè regiminis ordinem in homine, veluti in minore mundo inuenire, haud dificile eſt. Ratio ſiquidem ceu moderator Deus (etenim corpori præſidet anima, velut toti orbi præſtans, æternaque natura) vniuerſa membra, ſpiritaleſque virtutes ſuo mouet imperio; Cæteræ autem ſenſuum poteſtates ſuis delegatis funguntur muneribus, Quemadmodum ergo in tota mundi Republica, duo clariſſima, & maxima exiſtunt bonorum beneficia; nempè vniuerſaliora, & indiuidua: Ita quoque ad eorum adeptionem duplici neceſſe eſt gubernatorum genere. Vno quidem, quod moueat, & pertrahat ad proprium vniuſcuiuſque rei bonum; Aliud verò, quod commune omnium emolumentum diſtribuat, atque tueatur. Quare ſi rectæ rationis trutina, & examine ponderauerimus diuinæ prouidentiæ rationem, nobis profectò erit peruiũ, in omnibus, quæ in vnum ordinantur, ſemper quoddam ampliſſimi Principis gerere vicem. In corporum quidem vniuerſitate, corpus primum omniumque præcipuum, reliqua corpora diuinæ prouidentiæ munere moderatur. Omnia verò animantia rationale animal regit, & frænat. Homini ipſi diuinior anima feliciter dominatur.

In homine duplex regiminis ordo.

Principum genera duo

Dominatus deſpoticus, & ciuilis in homine conſpicitur.

Salluſt. in proœmio Catil.

In homine quidem proſpicimus imperium, primò dominicum, mox, & ciuile, Animus enim in corpus deſpoticum exercet principatum, quia moueri nequit corpus, ni motus initia ſortiuntur ab anima, & ideo ei ſubijcitur prorſum. Propterea nobilis dixit Hiſtoricus: Animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur. Mens verò in appetitum

ciui-

ciuilem, regiumque dominatum exercet; quia appetendi facultas, non à ratione ſolum, verum & à ſenſu moueri poteſt; proinde non omnino rationi obnoxia eſt. Inter animæ partes, iraſcibilis & concupiſcibilis, rationis moderamini ſubijciuntur. Inter corporis membra, vnū præcipuum, ac nobiliſſimum caput, ſiue, ve malunt alij, cordis inſtrumentum reliqua velut nutu quodam agitare certum, ac perſuaſum iam habemus. Hæc enim prouidentiæ munera, quæ tam in maiori, quàm in minori conſpiciuntur mundo, in adminiſtratione quoque regnorum adeo conſpicua ſunt, vt ea ipſa potius experientia, quàm inueſtigatione agnoſcant omnes. Siquidem in omnibus, quibus certus præpoſitus eſt finis, opus eſt dirigente aliquo, quod ad præſcriptum finem iucundè perducat. Neque enim nauis diuerſis expoſita ventorum flatibus in portum appellet vmquam, niſi præſidentis induſtria, niſi gubernatoris arte conuehatur. Neque ipſe, qui per intellectum agit, qui arte, & ratione viuit homo, cuius eſt ex fine operatio, qui ſtudiorum diuerſitate finem propoſitum nanciſci contendit, & ad quem inſito rationis lumine ducitur, finem aſſequetur vnquam; niſi ad ſcopum dirigatur ab vno, qui conſilio & prudentia optimè noſcat in portum deducere, & ad præmeditatum finem pro certo peruenire. Præclara itaque extat Salomonis ſententia: vbi non eſt gubernator, diſſipabitur populus. Sicuti enim hominum, cæterorumque animantium corpora diffluerent, niſi vis aliqua foret excellentior, quæ ſui aſſiſtentia membrorum aleret, cuſtodiretque compagem: Ita & in multis cohabitantibus, & in vnoquoque ſua commoda procurante, nullo negotio dilaberentur Reſpublicæ, ni princeps aliquis præſideret, qui publico bono tāquam mitis parens aſſiduè conſuleret.

In omni per egregio facinore opus eſt aliquo motore, & directore.

Prouerb. 11.

Simile.

Vbi igitur non eſt gubernator, qui ſaluti Reipublicæ toto pectore incumbat, populus tāquam grex ſine Paſtore diſpergetur. In omni profectò benè iuſtituto regimine vno opus eſt directore; in omni Ciuitate, vno rectore; in omni domo, vno patrefamilias; in omni aula, vno œconomo; in omni ſchola, vno magiſtro; in omni exercitu, vno Imperatore, in omni grege, vno Paſtore; in omni naui; vno nauclero; in omni vinea, vno vinitore; in omni conſtructione, vno architecto; in omni corpore, vno capite; in omni cœtu, vno Principe, in omni republica, vno Duce, & in cunctis, vt rem concludam, magni ponderis facinoribus, vno primario auctore. Cur ergo Eccleſia, quæ in ſacris eloquijs paſſim appellatur regnum Dei; Ciuitas ſolis, Domus ſpiritualis; Aula Dei; ſchola veritatis, caſtrorum acies, puſillus ouium & agnorum grex; inſtitoris nauis, vinea electa; & viuis lapidibus extructio, Corpus Chriſti; cętus euocatus; reſpublica magna, carebit ſuo Rege, ſuo rectore, ſuo patrefamilias, ſuo œconomo, ſuo magiſtro, ſuo Imperatore, ſuo Paſtore, ſuo nauarcho, ſuo vinitore, ſuo architecto, ſuo capite, ſuo Principe, ac Duce? Id propter cum eadem Eccleſia noſtris obiecta ſenſibus, vſque ad ſæculi conſummationem immortali conſtantia perduret, ſuo prę ſide gaudere neceſſe eſt. Sicuti enim pereunte Rege, ad regenda regni gubernacula alter ſerie continuata ſuccedit: Ita decedente Apoſtolorum Principe, loco eius ad regendam Eccleſiaſticam Hierarchiam ſuffectus eſt Linus, poſt Linum Cletus, &c.

Diuerſa gubernatorum nomina.

Nomina principaliora, quibus in ſcripturis nominatur Eccleſia.

Nomina ſummi Pontificis tranſlata.

Similitudo.

Et ſicuti in Apoſtolorum locum reponuntur Epiſcopi: ita in Petri vicem ſufficitur Pontifex Maximus, nè Eccleſia tamquam quoddam confuſum, & inornatum Chaos, contentionibus, litibuſque repletum remaneat. Salus ſiquidem Eccleſiæ, ſcriptore Hieronymo, à ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficerentur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Non enim aliunde ſchiſmata, & hæreſes, teſte Cypriano, obortæ ſunt, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur. Ideo per membra ſua Sathanas Eccleſiæ præpoſitum infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato, atrocius, atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur. Intelligit enim concordiam ſimul iunctam omnino vinci non poſſe. Affirmare igitur nemo poteſt, ita Petro poteſtatem eſſe commiſſam, quin ad alios ſucceſſores non deriuet, cum Eccleſia ſic inſtituta fulgeat, vt ad mundi ſenium vſque perduret, ſecundum illud Eſaiæ: Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodo & vſque in ſempiternum. Id propter ſicut Dominus, vt ſcripto mandat Cyrillus, accepit à patre Dux ſceptrum Eccleſiæ gentium, ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur, pleniſſimam poteſtatem, ſic, & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, vt totam ſibi commiſſam familiam ad finem poſſet perducere: Totus enim Chriſtianus orbis tametſi per diuerſas regiones, tametſi per diuerſas Ciuitates, & diœceſes ſit longè lateque diffuſus, vnum tamen regnum eſt; quod eodem baptiſmali charactere inſignitur, quod eidem legiſlatori ſubijcitur, quod eiſdem religionis inſignibus decoratur; quod eoſdem fidei articulos profitetur; quod ad eumdem finem, & ſub eadem charitatis ratione ordinatur. Propterea vno opus habet præcipuo dirigente, tali, tantaque iuriſdictionis auctoritate præfulto, qua vniuerſam ſibi commiſſam Eccleſiam, & in officio continere, & ad ſummam felicitatem deducere poſſit. Illi autem Eccleſiaſtici ſtatus perturbatores, qui ſemper ganniunt, tantummodo noſtræ religionis anteſignanum, & Ducem Petrum, auctoritatem regendi Eccleſiam vniuerſam, à Chriſto ſuſcepiſſe, non autem reliquos Romanos Pontifices, tum perantiqua ipſius Dei in conſtruendis rebus inſtituta, tum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ vnitatem ad ſæculi vſque conſummationem perpetuò duraturam prorſus ignorare oſtendunt.

Neceſſitas Pontif. in Eccleſia.

B. Hieron. contra Luciferianos.

B. Cypr. ad Floren. Pupianum lib. 4. Epiſt. & ad Coro. lib. 1 Epiſt. 3.

Io B. Cypr. lib. 1, Ep. 3.

Eſa. 2.

Cyrill lib. Theſau.

Tota Eccl. eſt vnum Regnum latiſſime diffuſū.

Quanta ſit Pontificis poteſtas.

Craſſa eorū ignorantia, qui vult in Petro no iſſe Pontificatu

Conſuetudinis enim Dei eſt, rerum primordia tamquam formas, & ſubſequentium exemplaria ex ſe efficere, vt deinde continua perpetuaque ſucceſſione in natura propagentur; proinde priores parentes noſtri, ab ipſo auctore editi ſunt, poſterior ſoboles ab illis

Mos Dei perpetuus in efficiēdis rebus.

Gen. 1.

oborta, & nata eſt. Quum Moſi legis decreta marmoreis rabulis inciſa tradidit, lapides illos ipſe delegit, quibus ad montis radicem confractis, voluit vt legifer Moſes ſecundos præcideret. In percelebri illa ſummi ſacerdotis electione, magnificentiſſimo aridæ virgæ miraculo, Aaronem ad Pontificalia culmina vocauit, quo more abſumpto, ipſe Moſes Eleazarum ſacro in ſacerdotem vnxir oleo; & ita ſacri Pontificatus honos, ex filio in filium legitima carnis hæreditate proceſsit. In nouo inſtrumento duodecim primos Eccleſiæ primipilos, à Chriſto eſſe delectos ſcimus, & vno ab illo facto deficiente Apoſtolatu, Petro vnà cum Apoſtolico collegio Matthiam ſacris ſortibus datis, ad complendum diuinum illum numerum in Apoſtolum adoptaſſe accepimus.

Exod. 34.

Num. 17.

Ita in ſacri Pontificatus inſtitutione, ipſe princeps Eccleſiæ architectus, Petrum nullo in alio intercedente electore inſtituit totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Pontificem maximum: Petri autem authoritas donec militantis eccleſiæ caſtra in terris aduerſus tenebrarum principes præliabuntur, in omnes protenditur legitimos ſucceſſores; propterea quod Eccleſiam ſuo ordine, ſua poteſtate, & iuriſdictione ſuffultam perſeuerare oportet, donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Mortem igitur occumbente vno Papa, eius in locum alter ſufficitur, & à Chriſto velut alter Aaron eſſe ſuffectus in illo primo potifice intelligitur. Vnde illud myſterio minimè vacuum eſt, quòd Chriſto promittente ſacroſanctum Principatum ipſi Apoſtolorum ac omnium Hierarcharum principi, verbum vſum eſſe ſubſtantiali, dicens: Tu es Petrus: quod quidem nomen perennitatem, continuationem perſeuerantiamque ſignificat.

Act. 1.

Quouſque militantiũ Eccleſia per durabit.

Epheſ. 4.

Verbo eſſẽtiali quare vſus eſt Chriſtus in conferend. principatu ipſi Petro.

Perpetuus eſt Petrus, perpetuum eſt Petri ſacerdotium: perpetuus eſt Petri primatus, perpetua eſt Petri cathedra. Pontifex, qui modo regnum ſacerdotale diuinis moderatur rationibus, licet Siſtus vocetur Quintus, eamdem tamen Petri dignitatem, & auctoritatem diuinitus obtinet. Ipſi quoque dicit Chriſtus: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hoc præclarè vidit, & ſcripſit Sanctus Hieronymus ad Damaſum: Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri conſocior, ſuper illam petram ædificatam eſſe Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: Si quis in arca Noe non fuerit, regnante diluuio, peribit. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ex his videre poſſumus, Romanum Pontificem, qui ſedem Petri tenet, alium eſſe Petrum, ſuper quem fundata eſt Eccleſia. Numerate, inquit Auguſtinus, ſacerdotes ab ipſa Petri ſede, & quis patrum cui ſucceſſit, videte; ipſe enim eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Ad vnitatem ſiquidem Eccleſiæ retinendam, huiuſmodi petra admodum neceſſaria eſt, quæ ſi omnino auferretur Eccleſiaſtica Hierarchia protſus corrueret. Sancta autem Catholica, & Apoſtolica Eccleſia vſque ad ſæculi interitum duratura, vna eſt, quæ, vt ſanctiſſimi martyris Cypriani teſtimonium extat, vna intus eſſe & foris non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt; apud Cornelium non fuit; ſi verò apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter ſacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ordinatus eſt.

Pontif. eſt alter Petrus

Auguſt. in pſal. contra partem Donat.

Pontif. eſt petra.

S. Cypr. lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum.

Habere namque, aut tenere Eccleſiam non poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Quod ſi nullo modo poteſt dici Eccleſia, in qua ſchiſma eſt, reſtat vt (quoniam Eccleſia eſſe nulla ratione poteſt) ea ſit, quæ in Apoſtolicæ ſedis per ſucceſſiones Epiſcoporum radice conſtituta viguit ſemper. Solus enim Petrus hoc præſtanti honoratur priuilegio, vt ipſe ſolus ſpeciatim dicatur in Eccleſia habere ſucceſſorem, quoniam Catholica Eccleſia, quæ ſine rectore eſſe non poteſt, ei præcipuè commiſſa eſt. Cæterę non huius ſunt priuilegij, non huiuſmodi gaudent honore; quemadmodum Gregorius his verbis opportunè commendat. Quis enim neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate fundatam? quæ firmitatem mentis traxit in nomine; vt petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Et tu aliquando confirma fratres tuos. Et iterum: Simon Ioannis amas me, paſce oues meas. Vnde & cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum principis ſedes conualuit. Quamobrem illud Theologorum axioma: Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores; etſi prima facie omnibus videatur clariſſimum, tamen multis inuoluitur difficultatibus, quas nos breui quadam dilucidatione è medio tollimus.

Eccleſia eſt vna perenniter.

Quæ ſit vera Eccleſia.

Præcipuum Petri priuilegium in Pontificatus continuatiõ.

Greg. lib. 4. ad Eulogiũ Alexandrinum.

Iſtud profectò ſcholaſticorum proloquium: Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores legitimi, duplici poteſt interpretari ſcholio. Primo, Epiſcopi in vnam certam illius, vel illius Eccleſiæ ſedem ab Apoſtolis obtentam ſerie non perturbata ſuccedunt; & iſte ſenſus adeo eſt à veritate alienus, vt nihil eo ſit abſurdius; ſi non omnes Epiſcopi præſident illis Eccleſijs, quibus Apoſtoli præfuerunt; ſi quamplurimæ innumerabiliter auctæ ſunt Eccleſiæ, ad quas forte nullum habuerunt acceſſum Apoſtoli; ſi aliquæ earum omnino ſunt deletæ, & extinctæ, quibus Apoſtoli præerant; ſi duodecim tantum extitere Apoſtoli, quomodo ſpirituali epiſcopatus cura tot eccleſias, quæ modo ſub Epiſcopis ſingulis reguntur, comprehenderunt? Valeat iſte ſenſus à peritiſſimorum ſcholis explodendus ſibilo. Iſte quidem germanus eſt, effati intellectus: Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores legitimi in cura paſtorali, non autem in cura vniuerſalis Eccleſiæ; In cura quidem, hoc eſt in opus illud bonum quod explebant Apoſtoli, ſummittuntur. Solus autem Pontifex Romanus in cura, & neceſſariò in Eccleſia, Petri locum occupat, quia ipſi totius eccleſiaſticæ Hierarchiæ regimen diuinitus demandatur.

Epiſc. quomodo dicantur Apoſtolorum ſucceſſores.

Papam eſſe Petr. ſucceſſorem quomodo intelligitur.

Sicuti enim in cæleſti Hierarchia, quam Eccleſiaſtica pro viribus imitatur, vnus Deus, à quo omnia, & ſub quo omnia regnat, imperatque glorioſiſſimè: Ita hic vnus Pontifex in cathedra ſedens tenet omnia; & ab

Similitudo.

eius

eius voluntate ac nuru pendent omnes. Huiuſmodi quoque veritatem nonnulli ſchiſmatici, & hæretici, qui ab Eccleſia Romana ex hæreticorum ſollicitatione deſciuerant, agnouerunt; vnde pænitentia ducti errorem confeſſi ſunt, de quo his verbis refert Cyprianus: Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ eccleſiæ electum à Deo omnipotente, & à Chriſto Domino noſtro ſcimus: Nos errorem noſtrum confitemur; Circumuenti ſumus perfidiæ loquacitate, factio ſana, amentes videbantur, quaſi quamdam communicationem cum ſchiſmatico homine ſemper habuiſſe. Syncera tamen mens noſtra in eccleſia ſemper fuit; nec ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Chriſtum eſſe dominum, quem confeſſi ſumus, vnum ſpiritum ſanctum, & vnum Epiſcopum in Catholica eccleſia eſſe debere.

Cyprian. ad Cornelium Papam.

Vnus Pontio Eccl. neceſſario veneratur.

Hæc Cyprianus. Nè igitur nobiliſſimus Eccleſiæ ſtatus diſſenſione, ac multorum capitum diſtractione diſcerperetur, ac dilaceraretur, ſed concordia coniunctiſſimus aduerſaretur, cathedræ maieſtas in Vrbe locata eſt, contra quam qui aliam conſtituit cathedram, tamquam perduellis à Dijs, hominibuſque indicatur, dicente Optato Meleuiteno: Ignorantiæ tibi adſcribi non poteſt, ſcienti in vrbe Roma, Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus ſeruaretur, nè cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam ſchiſmaticus, & præuaricator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Concludamus ergo cum Concilij Florentini patribus, ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro paſcendi, & gubernandi vniuerſalem eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam traditam eſſe poteſtatem.

Optat. Mileuit. contra Donat. in inic. lib. 2.

Conc. Flor.

Romano ſedes in vniuerſum orbem primatum tenet.

RADIVS XVIII.

De verò, ac certo Apoſtolicæ Sedis Oraculo.

Eburnea ſella quanto in honore habita apud Ro.

EBurnea ſella Ædilium Curulium propria, apud Romanos adeo in honore, & exiſtimatione fuit, vt huiuſmodi ſellis, clariſſimos quoque reges, quorum amicitiam ſibi conciliaſſent pulcherrimè donarent. Inter ampliſſima munera, quibus Maſſiniſſam Numidarum regem affecerunt, vt nullum obſeruantiæ genus in eo ornando prætermiſſe viderentur, ſellam etiam Curulem poſuere. Quum Siphax per legatos profeſſus eſt, ſe Carthaginenſibus inimicum, Romanis amicitia deuinctum, vt omnibus quæ erant in Republica digniſſimis honorarent, præter innumera quæ in illum contulerunt donorum monumenta, ſellamquoque munificentiſſimè largiti ſunt. Et Ptolomeum Ægypti regem, cum legati ad renouandam amicitiam conueniſſent, togam & tunicam purpuream cum ſella eburnea tulerunt. Conſules quin etiam cùm magiſtratum inhibant in ſella eburnea ſedere conſpiſpiciebantur, vnde Ouidium legis:

Et noua conſpicuum pondera ſentit ebur.

Non nè Prætor palam de ſella ſententias pronunciabat? Eburnea itaque ſella, honoris, iudicij, ac dignitatis certiſſimum extitiſſe ſignum manifeſtò comperimus. Verum ſicuti Roma, Petri Apoſtolatu effecta eſt diuinior, & honoratior; Ita ſedis Apoſtolicæ ſoliditate, ſanctius, illuſtriuſque conſecuta eſt tribunal, non quidem æneum, aut eburneum, ſed diuinum atque cæleſte, de quo illud ſcriptis myſticè mandatur: Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Summa enim auctoritatis plenitudo quæ in Romano Pontifice, vt in ſupremo capite viget; aliquando thronus; aliquando cathedra; aliquando ſedes à diuinis viris conſultò nuncupatur. Thronus ob maieſtatis ſplendorem; Cathedra ob ſapientiæ certitudinem; Sedes ob humilitatis decorem.

Roma Petri præſentia effecta ſublimior. pſal. 88.

Sedes Apoſtolica quibus tituli decoretur.

Maieſtas ſiquidem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis tanta eſt, vt maxima cum ratione ſacrum Chalcedonenſe concilium, Leonem qui in Petro vniuerſalis epiſcopi nomen fuerat conſecutus: non alio appellauerit quàm eodem nominis inſigni quod ſolius Romani Pontificis peculiare ſemper fuit, quoniam Dominica voce ſancto & omnium Apoſtolorum Petro principi, totius Eccleſiæ cura demandata eſt, quemadmodum ſanctiſſimus hoc ſcripto fatetur Gregorius; Curæ nobis fuit, quæ vniuerſis Eccleſijs à nobis impenditur, ad fraternitatem tuam præſentia ſcripta dirigere. Curam, inquit, a ſe vniuerſis Eccleſiis impendi, vniuerſis ait, quoniam Romani Pontifices, vt in eorum geſtis luce clarius cōſtat ſemper ſe geſſerunt, & vniuerſales omnium eccleſiarum Paſtores in vniuerſi orbis Eccleſias, Aſianas, Africanas, Græcas, & primarias ipſas Alexandrinam, imperando, admonendo, iudicando, corrigendo in omni cenſura, & iuriſdictione. Si quis autem obijciat Gregorium huiuſmodi vniuerſalis Epiſcopi abnuiſſe decus, in promptu eſt diſſolutio; Duplici enim intellectu aliquis vocari poteſt vniuerſalis Epiſcopus; Vno quidem, quoniam ad eum pertinet vniuerſæ Eccleſiæ cura, & hoc pacto non potuit Gregorius refutare titulum, quem ſibi Victor, & Eleutherius vt proprium vendicarunt: Alio ſenſu poteſt intelligi, vt iſta vniuerſalis epiſcopi appellatione cæteri omnes extrudantur Epiſcopi, adeo vt, nullus præter ipſum Romanum Epiſcopum in eccleſia vocetur epiſcopus, & nullus præter ipſum honore proſequatur Epiſcopali; & ab hoc ambitionis fumo, plurimum abhorruit Gregorius; licet enim ampliori dignitatis excellentia præfulgeret, voluit, vt par eſe, reliquos conſpiciendos patres ſuis honoribus proſequendos. Primo itaque ſenſu, Romanus Pontifex verè dicendus eſt vniuerſalis epiſcopus, quia totius eccleſiaſticæ Hierarchiæ regimen, ipſi tamquam paſtorum principi, ac omnium patriarcharum Coryphæo

Conc. Chalcedon inſig. vniuerſalis Epiſ. ſolum Papa appellabat.

Greg. ad Gaudent. Nolan. Epiſc. lib. 4.

Pontifex vniuerſalem Eccleſiam iurè accur.

phæo

phæo commiſſum eſt: quapropter Pelagius acriter reprehendit Ioannem Conſtantinopolitanum, ſe ipſum temerario auſu vocantem vniuerſalem epiſcopum; nec Imperatoris Mauritij, nec Conſtantiæ Auguſtæ præcibus flecti potuit vmquam, vt huiuſmodi ornaretur inſigni, quoniam ſoli Petro vniuerſaliter eſt dictum: paſce oues meas; & licet Concilium Conſtantinopolitanum, præſulem ſuum cæteris præferat, intelligit de epiſcopis alicuius vrbis, non autem de epiſcopo orbis: eodem modo Concilium Carthaginenſe Tertium, temporibus Siritij concelebratum, & Africanum temporibus Bonifacij coactum; licet prohibeant, nè primæ ſedis Epiſcopus princeps appelletur ſacerdotum, non potuit inhibere, quin Romanus Pontifex, iure non diceretur columen, quum omnium ſit epiſcoporum epiſcopus. Verbo igitur illo, primæ ſedis Epiſcopus, aliquem intellexit Antiſtitem illa primatis dignitate conſpicuum, non autem Pontificem Romanum.

Solus Rom. Pont vocandus vniuerſ. Epiſcopus.

Conc. Conſtant. cap 2.

Conc. Carthag.

Conc. Africanum.

Qui dicatur primas.

Romani enim Pontificis maieſtas, tantis in vniuerſo orbe conſulget dignitatis radijs, vt facilius ſit Oceani fluctus in perangustam concludere Naſſam, quam ſingula illius ornamenta numerando percenſere ſilentij igitur nube obtectis, ad Apoſtolicæ ſedis oraculum me confero. Tanto ſiquidem ſapientiæ ſplendore prelucet illa ſedes, vt ab ea tamquam à ſecretiori oraculo diuinos reſponſus expectemus: In ipſa enim primùm, vt in clariſsimo lucis fonte, firmum, certumque doctrine iubar elucet, mox verò in eccleſiam ad illuſtrandas hominum mentes diffunditur. Petro enim tamquam capiti, & eccleſię fundamento peculiariter dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiã meam, & iterum: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Fons luminis dicatur Apoſtolica ſedes.

Matth. 16.

Luc. 22.

Propterea quotquot ambiguitatum ſcrupulos à mente euellere peroptant, ad ſedem Apoſtolicam, tamquam ad fidei normam, accedunt, & ab ipſo Pontifice Maximo, ceu à cæleſti numine iudicium ſententiamque expectant; quoniam in Romano Pontifice, vt in ſupremo iudice, eſt de cauſis fidei vltima iudicandi poteſtas, à qua appellationis diffugio diſcedere nemini vmquam licuit. Quocirca B. Hieronymus hanc veritatem animo catholico firmatam, certam eſſe cognoſcens, Damaſum per literas ita conſuluit; Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam: Apud vos enim ſolos incorrupta patrum ſeruatur hæreditas, apud vos ſol iuſtitiæ oritur, vos lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa, & argentea, à ſacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium eius flagito. Iterum ad eundem: hæc fides, inquit, eſt Papa beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus; in qua ſiquid minus peritè, aut cautè poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & ſedem tenes. Hæc profectò de cauſa Lucius Anglorũ Rex præclariſſimus percipiens Eleutherium in Petri cathedra ſedere, in qua quicumque ſedet, quamuis ex infimo, & abiecto genere aſſumptus, quamuis liberalium artium rudis, & imperitus, ſtatim diuino delinitur lumine, nè in rectæ fidei dogmatibus caliget perobſcurius, Chriſto dicente ad Petrum ex in gloria arte vocatum, meliorumque literarum expertem: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt; ab ipſis Galliæ finitimis epiſcopis minimè voluit erudiri, ſed ab illo Petri ſucceſſore vicarium Chriſti perſonam in terris agente, qui in lumine fidei tradendo, nequaquam poſſet cæcutire, voluit ſumma fidei capita accipere. Et quemadmodum ſtellæ à ſolis ſplendore illuſtrantur: ita cæteri doctores, qui in Eccleſia, veluti in cœli firmamento, elucent, in dilucidandis perobſcuris fidei dogmatibus, ab ipſo Romanæ plebis Antiſtite ſplendorem iugiter mutuant.

Fidei oraculum. A Pontifice ad alium non fit appellatio.

Hier de Arrianis ſcribens.

In rebus dubijs Pontif. vt oraculum conſulendus eſt.

Refert Polo ad Regem Angliæ.

Similitudo.

Celeberrimæ totius Chriſtiani orbis ſynodi in ipſum, vt fulgentiſſimam lucem reſpiciunt, maioreſque eccleſiæ cauſas ad ipſum Romanum epiſcopum referunt; quoniam Chriſti oratione obtentum eſt à patre, nè Petrus Petrique ſucceſſor, & ipſius Chriſti Vicarius, cum de fide publica, publiciſue fidei quæſtionibus decernendis pronunciat, aberrare poſſit. Petro enim non vt homini priuato, ſed vt Eccleſiæ præfecto, quippe quem in Eccleſiaſtica Hierarchia perſeuerare oportet, quouſque Eccleſiæ regnum perdurabit, apertè pronunciatum eſt: Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Quare Pontifex non poteſt aberrare.

Luc. 22.

Vnde ſi longam Pontificum ſeriem à Petro vſque ad Siſtum Quintum productam inſpexerimus, nobis vtique erit obuium, ne vnum quidem ſummum Pontificem in fidei decreto, & iudicio, in hiſque omnibus, quæ ad fidei ſummam decernendam attinent, ab Apoſtolica traditione deflexiſſe, atque iudicio contra fidem definiſſe. Immo ſi hiſtoriarum ſcriptoribus fides eſt adhibenda, cum Ioannes vigeſimus ſecundus vellet iudicio decernere, iuſtorum animas vſque ad vltimum iudicij diem non videre Deum, morte præuentus definire nequiuit. Quoniam illius eſt Apoſtolicæ ſedis priuilegium, à Deo Chriſti præcibus impetratum, nè in conſtituendis fidei controuerſijs poſſit à vero deerrare; alioquin non amplius cathedræ ſapientiæ, ſed peſtilentiæ afficeretur titulo; quod omninò à ſanctitate illius Tribunalis abhorret. Quapropter Epiſcopi prouinciæ Tarraconenſis facile agnoſcentes Romani epiſcopi reſponſum, vt diuinum eſſe expectandum; in epiſtola quam ad Hilarium miſerunt; ipſum dignum Eccleſiæ doctorem, & illuminatorem his verbis appellarunt: etſi nulla extaret neceſſitas diſcipulatus, expectandum tenera nobis fuerat illud priuilegium ſedis noſtræ, quo ſuſceptis Regni clauibus poſt reſurrectionem Saluatoris, per totum orbem Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio, miniſterij illuminatione percipitur. Cuius vicarij Principatus, ſicuti eminet ita metuendus eſt, & ab omnibus eſt amandus: per quem Dominum in nobis primitus adorantes, cuius ad ſedem requiſiuimus Apoſtolico ore laudatam. Vnde reſponſa quærentes, nihil errorum, nihil præſumptionis ſed Pontificali totum deliberatione percipitur. Qua epiſtola perlecta in Synodo ab Hilario Papa celebrata Romæ ſtatim concilij facta eſt acclamatio.

Vt refert Benedict. Vod in extra ſua.

Papa non poteſt dogma inane defin.

Nibil erroris percepi poteſt ex Pontificali deliberatione vt Epiſcopi Tarraconenſes teſtant.

Humiſitatis laus.

Ex quo accommodate conficias ad Beati

Pe-

Petri cathedram tamquam ad veritatis ſanctuarium ſine nulla dubitatione eſſe adeundū. Poſtremo Apoſtolici Iuris auctoaitas, communi nota concelebratur ſedes; Sedis enim vocabulum, quamdam præſefert ſimplicitatem, & modeſtiam, quam in numine Pontificio ad proleſtandas animas confulgere oportet. Nihil enim ſpleudidius humilitate in Pontifice micat. Illa ſiquidem eſt clauis precioſiſsima quæ aperit regnum cœlorum, & reſerat myſteria ſcripturarum. Illa eſt oblatio, quæ Deum placat, quæ vltoris quàm benignè ſedat iram; vnde & canes, authore Ariſtotele, ſedentes non mordent. Quocirca Gregorius, tametſi ſacerdotum, & Epiſcoporum eſſet princeps perquam excelſus, Chriſtiana tamen ductus humilitate, quam Chriſtus præſulibus potiſsimum commendauit dicens; Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter; ſeruum ſeruorum Dei ſe appellare conſueuit, quemadmodum Iuſtinianus ſe tantum Dei ſeruum inſcripſit. Verum id quod ex humilitate fit, non debet ad iuris neceſsitatem trahi. Propterea idemmet Gregorius ad Mauritium Auguſtum ſcribens; Ego, inquit, cunctorum ſacerdotum ſeruus ſum in quantum ipſi ſacerdotaliter viuunt; nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem, & contra ſtatuta patrum ſuam ceruicem erigit, in omnipotenti Domino confido quia meam ſibi nec cum gladijs flectet.

Ariſt. l. 2. c. 2. Rhet. ad Teodect.

Greg. ix. in proem. Decret. in princip. Bonif. viij. in proem. l. 1. cir. prin. C. de off. præfect. Pulcrha iuſperitorum auctoritas.

Greg. animi incōcuſſa præſtantia.

Romani igitur Pontificis poteſtatem, & amplitudinem iure optimo ſedis, cathedræ, & Throni, præconio laudamus. Aptiſsima autem, quadam Solis, & Lunæ ſimilitudine ſumma ipſius Eccleſiæ præſidis authoritas declaratur. Itaque cum Pſalte iterum carmen repetamus: & Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum; & teſtis in cœlo fidelis. In primis Romani Antiſtitis magnitudo clariſsimo confertur luminati; quandoquidem ſicuti Phœbea illa fax, aſtrorum obtinens principatum, cuncta ſua luce luſtrat, & complet, & ipſa à nullo alio ſplendore neque illuſtratur, neque completur: Simili modo Pontificis authoritas omnibus mundi præeſt poteſtatibus, cunctaſque dignitates ſuo radio præclariores reddit, ac omnium ſynodorum legitimè in ſpiritu ſancto cōgregatarum ſanctiones perficit. Ipſa verò à nullo ſacerdotum conuentu aut dilatari, aut coarctari poteſt, quia ea eſt, quæ diuino iure ſupra omnia Concilia eminentius ſplendeſcit. Conciliorum enim aliud prauum, & reprobum aliud ſanctum, & legitimum. Primum à ſynagoga ſathanæ coactum, malignantium repræſentat Eccleſiam: Secundum à ſupremo eccleſiaſticæ Hierarchiæ moderatore euocatum, totam Dei Eccleſiam nobis exhibet.

Concilia ſunt in duplici differentia.

De primo illud literis mandatur: Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſtendit me; De ſecundo iſtud poſteritati traditur; Iuſtitiam tuam non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. Primum catholicam fidem euertere conatur. Secundum ſpiritus ſancti munere, & beneficio eamdem intactam adſeruare nititur. Primum diaboli ſpiritu ductum incumbuit in hanc curam, vt impietas omnibus ſathanæ artibus inſtructa longe progrediatur. Secundum Spiritus ſancti virtute, & ductu gubernatum, magno adhibito labore, ſtudio, & diligentia contendit, vt pietas e ognitione e cœlo delapſa communita radices altius figat. Primum luci tenebras offundit. Secundum grauioribus Catholicæ doctrinæ capitibus, perſpicuitatem affert. Vt autem huiuſmodi cœtus clariſsimo, & fęlicisſimo diuini ſpiritus fulgore præluceat, ac diuino confirmatus robore impiam hæreticorum dementiam confutare valeat, duo potiſsimum requirit; decentem videlicet materiam; conuenientemque formæ rationem, ex quibus ſynodus in ſpiritu ſancto legitime congregata, velut corpus vnum conſtituitur.

Pſal. 21.

Pſal. 39.

Sanctorum, & prauorū conciliorū diſcrimina.

Concilij materia, vt vnico verbo hæc res tota abſoluatur, cum primis eccleſiæ caput; deinde membra. Vbi enim non præſidet caput, quod vim in membra diffundit, membra illa vita, & ſpiritu carentia vana iure optimo cenſentur. Propterea illud concilium, cui hęc potior deeſt materia, ex qua ſtruendum eſt concilium, meritò vanitatis concilium dijudicatur; de quo pſalmorum præco effudit: Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Forma autem concilij eſt ſpiritus almus, quippe qui intimo quodam afflatu, fidei duces, doctoreſque ſanctos tunc illuſtrat, cum ex varijs ſententijs, quas ſinguli in commune conferunt, catholicam veritatem è medijs controuerſiarum nebulis educere, ac intima cordis pietate pernicioſis ſæculi malis ſalutarem medicinam adhibere, ac prolapſos mores in priſtinum locum obnituntur reſtituere. Quapropter etſi ea quę ad concilij coagmentationem requiritur materia haudquaquam deeſſet; ſed caput vnà cum membris ſimul in concilio adeſſent: at de his rebus, quibus æterna ſalus comparatur, numquam agerent, ſed tantùm quæ ſua ſunt, & non quę Ieſu Chriſti molirentur; ſtatim abeunte forma, hoc eſt, diuino illo Spiritus ſancti influxu, qui cœleſti quodam ſplendore præſules colluſtrat, non amplius ſanctorum ſed flagitioſorum congregatio eſſe inciperet; Ideo diuinorum carminum cantor pariter adiecit: Et cum iniqua gerentibus non introibo.

Quæ requiruntur in concilium legitimè cōgregatum.

Concil. materia.

Conc. form.

Congregatio flagitioſorum quæ.

Concilium ſanctum.

Illud itaque verum ſanctumque concilium eſſe ſine vlla hæſitatione certum, & perſuaſum habent doctores omnes, in quo nec apta & idonea deficit materia, quæ eſt caput vnà cum membris; nec forma, quæ eſt Spiritus ſancti virtus abeſt. Hæc autem forma tunc fauorabiliter abſiſtit, cum patres eccleſiæ ſaluti, ac animarum commodis in illo conuentu proſpiciunt. Quare, & ipſe Dominus, huiuſmodi concilium diuino oris ſui teſtimonio confirmauit, illique præſenti ſuo ſpiritu patrocinium præſtiturum teſtatus eſt: Vbi fuerint, inquit, duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.

Spiritus ſanctus quando do concilijs adſiſtit, & præſto eſt.

Matth. 18.

Ex eo autem conſequitur, quò ſi Concilium pro ipſis membris ſumamus; perridiculum eſſet aſſerere membra ſupra caput habere imperium. capite enim dominatus reſidet, & à capite vim membra ipſa deducunt. Si vero pro Concilio, totum corpus integrum, caput ſcilicet cum membris accipimus; digna profectò quæſtio eſt, quæ omnium irriſione ludatur, inquirere an cœtus ille imperandi ius in illum habeat, à cuius voluntate, ac nutu

Dilucidatur illa quæſtio, an Cōciliū ſit ſupra Papam.

pen-

Digitized by Google

peudent omnes; ad cuius iudicium poſtremò confugiendum eſt, & cuius auctoritati obtemperandum. Qui igitut tale excitant quęſitum, eſt perinde ac ſi ſcrutarentur; Numqnid caput cum membris ſuis ſit ſupra ſeipſum caput ſine membris: Penes ſolum Eccleſiæ caput eſt lata poteſtas, quam non à membris, ſed ab eo, qui in cælis tenet omnia cæleſtia, atque terreſtria iura, diuinitus ſuper omnes obtinuit. In his profectò, quæ incommutabili veritate permanent, vt diuinorum præceptorum iura cæleſtia, ac ſacramentorum reuerendiſſima inſtituta, in quibus ex Spiritu ſancti conceſſu, & munere aberrare non poteſt ſummus Eccleſiæ præſes: nulla eſt auctoritas, vel Pontificis ſupra concilium, vel concilij ſupra Pōtificem. In his autem quæ mutationi, ac mobilitati ſubiacent, & ex temporum varietate pariter variantur, pro voluntate, & arbitrio tollere, interpretari, renouare, ac delere poteſt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſes.

In quibus poteſtatem habent Concilium, & Papa.

Tanta enim vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex fultus eſt auctoritate, vt celeberrima concilij decreta, nihil firmi, nihil ſancti, nihil rati habeant, niſi ab illo ſacrorum principe ſint approbata. Ad ſacerdotalem ſiquidem præſtantiam attinet, conuentus publicos conuocare; pro legitimis ſacra comitia declarare; cæterorum Epiſcoporum ſanctiones ſua ſubſcriptione munire; as conuocatorum patrum ſynodales Canones, viuæ vocis oraculo, ceu quadam euangelica è cælo clangente tuba approbare. Quod ſatis apertè dignoſci poteſt ex illo viuo, & expreſſo Eccleſiæ fabricatoris proloquio, ipſi Petro Apoſtolicum primatum obtinente replicato: Simon, Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt ſcribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Hæc eſt illa firma, inuiolataque doctrina, ex ipſis puris & limpidiſſimis Euangelij fontibus hauſta, quæ apud grauiſſimos Nicænæ ſynodus patres adeo valuit, vt abſoluto peraugusto illo concilio, ſub Conſtantini Magni feliciſſimis auſpicijs apud Nicænam concelebrato, Illæſum conſcriptum miſerint ad Beatum Sylueſtrum Pontificem Romanum, vt inde approbationem, firmitatem, & robur adipiſceretur.

Romani Pōtificis eſt Concilia conuocare.

Concilij Canones nihil roboris habent, niſi a ſummo Pōtifice approbentur.

Luc. 22.

Quo circa venerandus orthodoxę veritatis magiſter, ſynodum, hunc in modum confirmauit: Quidquid in Nicæna Bithyniæ conſtitutum eſt, ad robur ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, à ſanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore confirmamus, omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitionem ſancti, & magni concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt, ſub præſentia pijſſimi, & venerandi principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus. Quem profectò ritum, ab omni œcumenico legitimeque congregato concilio pleniſſimè fuiſſe obſeruatum, ex eccleſiaſticis hiſtorijs vndequaque patet: cuius rei haud infirmum afferri poteſt rationis momentum: Ædificium enim firmiſſimæ baſi inniti neceſſe eſt, quòd ſi peringentem molem ſuper imbecillo conſtruere tentaueris fundamento, ad minimum auræ flatum collabi, ad interitumque ruere oportebit. Petro autem, Petrique ſucceſſoribus haud ſecus ac fundamento inhæret totius Eccleſiæ conſtructio: quidquid igitur ſolidæ fidei ſuperſtruitur, eo validum eſt, quo huic cohæreſcit fundamento: Petrus enim poſt Chriſtum iactum eſt Eccleſiæ fundamentum, vt in eo eiusque propagine, Dei ſtructura conſurgeret.

Synodus Nicæna a S. Syluestro approbationem obtinuit.

Ratiocinio probatur Cōcilia nulla eſſe, niſi pontificis auctoritate firmentur.

In propria ſiquidem ipſius Petri perſona, fundata extructaque eſt ſanctæ Eccleſię moles, vt non ſolum Petrus tamquam totius iuriſdictionis caput; ſed etiam vt primus & præcipuus ſummorum Doctorum magiſter, in perbeata cathedra veneretur. Propterea omnia illa concilia, immo conciliabula, quæ vel ſine Pontificis auctoritate collecta, vel præter illius auctoritatem concelebrata ſunt, vt nulla, vt irrita, vt inualida, atque deiecta cauerunt, quæ autem ab Apoſtolica ſede promeruerunt ſuarum conſtitutionum accipere ſoliditatem, veluti è cælo dilapſa oracula, ſuſcepit venerataque ſemper eſt tota orthodoxorum Eccleſia. Et id quidem æquiori iure; propterea quod ſi cunctis, vt Gelaſius Papa Anaſtaſio Imperatori ſcribit, generaliter ſacerdotibus rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit colla ſubmitti, quantò potius ſedis illius prǽſuli conſenſus eſt adhibendus, qui cunctis ſacerdotibus, & diuinitas ſumma voluit præminere, & ſubſequens Eccleſię generalis pietas iugiter celebrauit. Quæ cum ita ſe habeant, planè conuincitur ipſum eſſe quaſi refulgentem mudi ſolem, qui in aſtrorum medio, hoc eſt, in antiſtitum cœtu refulget; qui ſplendore vbique diffuſo, omnia colluſtrat, & ipſum à nemine qui in terris degat, ſed ab ipſo ſolo Deo colluſtrari poſſe. Quid ergo mirum, ſi cum pſalmographo cantauimus illius thronum, illius amplitudinem, & auctoritatem, ſicuti ſolem coram Deo lucere? Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.

In propria Petri perſona, conſtructum eſt Eccleſiæ ædificium.

Quæ Concilia in veneratione ſunt habita, & quæ non.

Vt refert Greg. 7. li. 8. epiſt. ad Here Matenſē Epiſcopum.

Celeberrimus profectò Eccleſiæ Doctor ille claſſicus, & primæ dignitatis Ambroſius in Theatro Theologico primis ſubſellijs collocandus, qui Theologiæ abdita non modo è tenebris ad lucem euocauit, ſed etiam rhetorum floſculis diſertiſſimè ornauit; ſolis præſtantiam contemplatus, multa nomina, quæ plena ſunt myſterijs, ad ſolarem dignitatem ſignificandum traduxit; ipſumque vocauit mundi oculum, diei iucunditatem, cæli pulchritudinem, temporum menſuram, terræ naſcentium virtutem, ſtellarum ornamentum, & decus, omniumque planetarum regem. Martianus verò ſingularem ipſius ſolis maieſtatem mirificis proſequens laudibus, quàm egregiè dixit: principium eſſe lucis; vniuerſi orbis mentem, olympi fulgorem, ac firmamenti moderationem, Princeps autem Poetarum Homerus, hoc diutnum, ac maximum ſidus, quod in ſuperiori plaga, tamquam cæleſtis ignis emicat, ab inſigni claritate nobili epitheo illuſtrauit, & Ipſum παμφαέθων ideſt, ſolem phaeton nominauit. Et quis eſt qui non videat ſolem tam eximium, tamquam omnium maximè mirum à veteribus diuinum creditū, in mundo imaginem eſſe, Vicariumque Dei. Ipſe enim in cælo conſulgens, ſpecioſiſſimam vultus Dei claritatem noſtros ponit ob oculos; Radiorumque copia, quæ ab Arithmeticis dinumerari haudquaquam poteſt, ſummi Dei immenſam perfectionum abundantiam clariſsimè iudicat; propterea priſci, vt Plotinus enunciat, ceu Deum venerabantur.

Ex Græcis, & Latinis auctoribus hauſta Solis encomia, & poteſtati pōtificiæ applicata.

Sol Dei imago, perfectionumque diuinarum Typus.

Moſes

Digitized by Google

Moſes cæleſtium dominum in die ſolem arbitratur. M. Tullius ſolem veneratur, vt ducem & principem, ac moderatorem luminum reliquorum, mundi mentem, & temperationem. Heraclitus fontem cæleſtis lucis nuncupauit. Phyſici etiam cor cæli: Id enim in æthere Sol eſt, quod in animali cor; cuius id proprium, ne vmquam ceſſet à motu. Hæc autem ſplendidiſsima appoſita, quæ clariſsimum mundi lumen ampliſsimo afficiunt honore, amplitudini Pontificiæ quæ in Eccleſia, vt præfulgidiſsimum iubar eluceſcit, aptè conuenire poſſunt. Ea enim, vt perſpicuus mundi oculus, in Apoſtolica ſede, vt in ſuprema ſpecula collocata, vniuerſalem reſpicit Eccleſiam, & veluti Argus ille centoculus, communi ſaluti commiſsi ſibi gregis proſpicit: & ſicuti oculus per ſigula ſeſe voluit, vt & alba, & atra diſcernat: Ita vigil Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſpeculator, in altiſsimo loco diuinas agit excubias, vt omnibus ſapienter prouideat; Vt diei iucunditas; diuinas condonationes, ſpiritualeſque gratias de locupletiſsimo Eccleſiæ theſauro excerptas, quibus conſcientiæ, tenebris peccatorum occupatæ hilarantur, Chriſtifidelibus elargitur. Vt cæli pulchritudo, inuiolato fidei candore, qui in illo ſacratiſsimo ſolio omni tempore effulſit, precioſiſsimum Apoſtolorum depoſitum ſemper cuſtodit immaculatum, & ſanctum; à communi ſanctiſsimorum procerum præſcriptione & regula non deflectens, perenni cum laude ſacramentorum vſum integerrimè retinet. Vt aliorum menſura; in ea amplitudine collocatus, vt nemo mortalium propius Deum attingat, cæteris legem imponit, aliorum iura expoſtulante temporum occaſione dilatat, & coanguſtat.

Sol cæli cor.

Pontifex eſt mundi oculus.

Pōtifex eſt diei iucunditas.

Pontifex eſt cæli pulchritudo.

Pontifex eſt cæterum præſulum menſura.

Quare Hieronymus literarum fons abundantiſsimus, & in nullo doctrinæ genere non perfectus, apertiſsimè enunciauit: Salutem Eccleſiæ à ſummi Sacerdotis dignitate pendere, qui ſi non exors quædam & eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiæ efficerentur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Non enim aliunde, vt ait Cyprianus, ſchiſmata & hæreſes abortæ ſunt, quàm inde, quò Sacerdoti Dei non obtemperatur; dum Epiſcopus, qui vnus eſt & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur. Vt terræ naſcentium virtus; ordinis, iuriſdictionis, & poteſtatis vim cæteris membris impertitur, diuina ſua auctoritate ſanctiſsimos inſtituit Epiſcopos, ipſoſque confirmat; alioquin & promotio eſset irrita, & præoccupatio ſolij Epiſcopalis vſurpata, & auctoritas iure repudiata. Illud medullæ eruimus ex illo, quod decantauit Eſaltes nempè: Ecce quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum: Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram &c.

S. Hieronymus contra Luciferianos.

S. Cypr. ad Florentium Pupianum lib. 4. epiſt. 9. & ad Cæcilium li. 1. epiſt. 3.

Pontifex eſt Eccleſiæ vis

Pſal 133. elucidatio perbreuis.

Quod illud vnguentum gratiæ Spiritus ſancti, quod in Chriſto vt in capite ſcaturit, deſcendit in Apoſtolos, & Apoſtolorum filios ipſi Chriſto tamquam barba copulatos, ſed præcipuè in Aaron, hoc eſt in eum qui ſummo fungitur ſacerdotio: Et iſtud gratiæ vnguentum defluit ab ipſo ſupremo Antiſtite, in oram veſtimenti eius, vſque ad eos qui vltimis ordinis inſignibus initiantur, ſicut ros Hermon, ſicut vitalis ille humor, qui ſereno cælo noctibus fluit, & montes, valles, & colles rigat, atque fœcundat. Vt ſtellarum, hoc eſt, prælatorum decus, & ornamentum; latente quadam diuinitate, quæ in Pontifice admirabiliter confulget, rebus obſcuris nitorem præſtat; ſingularibus dignitatis, gloriæ, & honoris priuilegijs Chriſtiani orbis principes illuſtrat, iuraque regalia condecorat. Nam Chriſtianorum regna præconijs, encomijs, inſignibus, prærogatiuis, & priuilegijs eatenus gaudent, quatenus in ſupremo Hierarcha præfulgent. Vt Rex, Princeps Dux, Moderator, Temperator, & Dominus Eccleſiæ gubernacula tractat; de potioribus, difficilioribuſque Chriſtianæ Reipublicæ negotijs cum primatibus agit; fidelium aciem ad Deum deducere, Petri cymbam rectè moderari, ea qua poteſt ſapientia tumultus ſedare, hoſtiumque impetus reprimere, & retardare adlaborat. Vt lucis principium & fons; cæteras Eccleſias ſuæ poteſtatis, & auctoritatis radijs illuminat; nam ab Eccleſiæ Romanæ capite, diuini verbi auctoritate firmato, & conſtituto, reliquæ Eccleſiæ virtutem recipiunt.

Pontifex prælatorum ornamentū.

Omnes nobilitatis gradus à Pontifice dimanant.

Pontifex mundi temperator.

Pōtifex lucis origo.

Ipſa autem Eccleſia Romana, quæ nulla hominis opera, aut miniſterio, ſed ſine alio interpoſito medio caput ſuum à Deo ſortita eſt, nulla alia media terrena ſententia conſtabilitur; cæteræ autem in ſui capitis creatione, Petri prouidentia, ac miniſterio egent; & ita à Deo conſtitutæ dicuntur, vt tamen media terrena Petri ſententia. Vnde ſicuti in cæleſti Hierarchia, inferiora numina à ſuperioribus illuminantur, vſque quod luminum patrem peruenitur: Ita in Eccleſiaſtica Hierarchia, vſquequo ad Pontificem ſummum accedamus iuxta gradus, quo eius imperio præſules ſunt ſtaturi, alter alteri ſubeſt. Quemmadmodum ergo illæ mentes, quæ medio ſuperiore numine ſacris deliniuntur illuminationibus, non propterea dicuntur non illuminari ab ipſo luminis fonte: Eodem modo cæteras Eccleſias, non propterea negatur verbo Dei conſtabiliri, & dimanante ab eo ſplendore affici, quòd media terrena Petri ſententia conſtituantur: Sed quod caput ſortiantur de ſummi Pontificis decreto, & auctoritate. Quamobrem cum Eccleſia Romana Romana ſit omnium Eccleſiarum princeps, & caput omnes ei vinculo ſe catholicæ vnionis obſtringere tenentur: ſicuti antiquiſſimus Latinorum Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus ſcribit in hæc verba: Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſibi placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & ſeorentiam malam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenirr ecclrſiam, hoc eſt eos, qui ſunt vndique fideles: in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ ab Apoſtolis traditio. Vt mundi mens; ab omni errore immunis, fidei immaculatæ

Eccleſia Romana verbo Dei firmata

Similitudo.

In Eccleſiaſtica Hierarchia ad vnū Hierarchā perueniendum.

Quomodo cæteræ Eccleſiæ ab Eccleſia Romana proueniant.

Eccleſiæ Romanæ principatus.

Iren lib. 3. contra hæreticos cap. 3.

Omnes Eccleſias cum Eccleſia Romana oportet eſſe copulatas.

Pontifex eſt mundi mens

Digitized by Google

ſplendorem ſemper purum, ſemper inuiolatum aſſeruauit, & numquam in decernendis fidei dogmatibus potuit hæreticæ prauitatis nubilo offundi, ſed incorrupta doctrina, tamquam pabulo vitæ, ſemper fideles enutriuit.

Cyrill. Alexand. in Theſauro.

Cuius rei teſtis eſt Cyrillus, qui ita inquit; ſecundum autem hanc Domini promiſſionem, Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, hæreticaque circumuentione manet immaculata, ſuper omnes præpoſitos, & Epiſcopos, primateſque eccleſiarum, & populorum in fide pleniſſima, & auctoritate Petri; & cum aliæ eccleſiæ quorumdam errore ſint verecundatæ, ſtabilita; in quo ſtabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium obturans ora inimicorum. Vt olympi fulgor; excommunicationis tonitru contumaces proſternit; conatus impios, conſceleratumque furorem reprimit; inferni audaciam continet; nefarioſque reges de ſolio deturbat. Vt cœli cor; ad totam fidelium compagem, ſacroſanctam diffundit virtutem, quia ab ipſo tota Eccleſiæ Catholicæ vis tamquam à centro oboritur. Vt Dei imago, excelſæque illius maieſtatis Vicarius; vices Chriſti veri Dei in terris gerit; quia vt admirandum quoddam mundi numen, nec Deus, nec homo, ſed inter vtrumque exiſtimatur, & Papa à papè, ideſt admirabilis, dicitur. Ideo Apoſtolicæ ſedis præſul in ordinatione, & conſecratione ſua Primas omnium qui in orbe terrarum ſunt Sacerdotum, & vniuerſalis Eccleſię doctor à Deo datus, & electus decantatur, & propè etymologiam nominis, ipſe ſummus Pontifex eſt Patriarcha, pater patrum, pater pauperum, Summus Sacerdos, Epiſcopus Epiſcoporum.

Ad Eccleſiā Romanam numquam acceſſum habere potuit perfidia

Pōtifex eſt veluti fulgur.

Pōtifex eccleſiæ cor.

Pōtifex potior Dei imago.

Papa nec Deus, nec homo eſt, ſed inter vtrumq; Papa à papè admirabilis dicitur.

Io Pontificali in Rub. de conſecr. ſummi Pont

Mundus, vt Alexander ille magnus Darij legatis non diſſimulanter dixit, duos non patitur ſoles: & quo pacto terra duplicem perferret ſolem, quæ multis partibus nè vnum quidem ferre valet? Eccleſia verò, quæ vna eſt, vno tantum gaudere poteſt ſummo Pontifice, à quo vnitas Sacerdotalis conſeruatur. Et quis non videt, nocte lunam quaſi nocturnum eſſe ſolem? Ideo altiſſimus Chriſti Vicarius, qui errore iudiciali & publico non poteſt aberrare; tametſi perſonali quandoque aberret; vnde illud erratum hominis, & non Pontificis creditur, lunæ quoque toto orbe completæ confertur; ſicuti enim luna, dum lumine omnino conferta lucet, noctem reddit claram & ſplendidiorem: eodemque modo Pontificia maieſtas, dum de fidei quæſtionibus ſententiam dicit, diuino afflata ſpiritu, perobſcuros ſacrorum eloquiorum locos dilucidat, perarduas fidei controuerſias adeo perſpicuè determinat, vt videantur ab illo diuino oraculo cælitus illuſtrari. Illud igitur carmen: & Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum; & teſtis in cœlo fidelis, à cantore diuino mutuantes, Apoſtolicam Sedem, Soli & Lunæ rectè comparauimus, & ipſi inſidentem, fidelem eſſe teſtem apertiſſimè profetrimus: quandoquidem turbulentis hæreticorum ſupeſtitionibus, non poteſt in errorem rapi iudicialem, vt contra fidei catholicæ regulam, ex cathedra illa, decreto, & iudicio proloquium edat hæreticum.

Perſarum Legati quo pacto ab Alexan. dimiſſi. Alex iuſſit Legatos Dario ita renūciare, neque mundum ſoles duos, neque duo ſūma regna coocoquere poſſe.

Quomodo errore non poſſit hallucinari Papa Error duplex iudicialis & perſonalis.

Similitudo.

Pōtifex eſt teſtis eccleſiæ fidelis.

Pro cuius ſanè axiomatis dilucidatione, illud profectò eſt accuratè animaduertendum: Hęc magno differre interſtitio; aliquid ſentire, & aliquid definire; aliquid firmiter definire; & obiter atque in tranſitu alicui priuatæ quæſtioni reſpondere, ac explicare ſententiam & opinionem ſuam, non ſententiam ferendo. Præterea aliud eſſe edere libros, & vt doctor diſciplinis exornatus, ſeu vt iuris peritiſſimus ſuam exprimere ſententiam: aliud vt Pontifex, & Eccleſiæ iudex, ac Chriſtiani orbis magiſter de fide pronunciare. Tamdem in decretis Pontificijs duo diligenter ſunt inſpicienda. Vnum quod eſt intentio, concluſioque decreti: Aliud quod eſt quaſi ratio, & cauſa à Pontifice reddita eius rei, quam conſtituit. His ſic ordinatè diſtinctis, duo effata ſole ipſo clariora, & dilucidiora, quæ à nullo rectè ſentiente refelli poſſunt in medium ſtatuimus: & pro his, tamquam pro aris, & focis depugnare parati ſumus. Vnum eſt: vniuerſalis Eccleſiæ pręſul, cùm ex cathedra firmiter definit, & vt Chriſtiani orbis magiſter, ex decreto de fide pronunciat; atque vt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ iudex, de controuerſijs abortis ſententiam dicit: numquam in intentione, & concluſione poteſt abertare & hallucinari. Hoc vtique veritatis pronunciatum adeo firmum & immobile conſiſtit, vt facilius ſit mundi centrum concuti, quàm illud euerti; vndique hoſtibus obſeſſum, ex omni parte machinis tentatum, & oppugnatum non concidit, ſed catholicorum omnium conſenſu omni tempore præſtat.

Doctiſſima, & celeberrima illius axiomatis; Papa non poteſt aberrare, dilucidatio.

Effatum maximum.

Effati declaratio.

Ipſi profectò Romanæ Eccleſiæ paſtori, qui Petro in eadem poteſtate, & auctoritate ſuccedit, hæreditario iure obtigit, nè in his decernendis, quæ fidelibus credenda ſunt nè in his, quę ad fidem attinet, nè in his, quæ ad vitā Chriſtianam directò ſpectant, poſſit in iudicio de via catholicæ veritatis deflectere. Chriſtus enim pręcipuus Chriſtiani orbis moderator, nè omni doctrinæ vento circumferrentur, ſed in religionis controuerſijs quibuſque grauiſſimis cauſis certum ac manifeſtum daretur ei tribunal, ad quod tamquam ad diuini reſponſum poſſet confugere, & ab illius ore cæleſtem expectare veritatem, à qua non poſſet ſeſe amplius appellationis diffugio ſubducere; Petrum fidei oraculum conſtituit, & precibus à patre conſecutus eſt, nè ipſius fides deficeret, vt fratres poſſet in fide firmare: Ait enim: Simon, Simon, ecce Sathan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Vnde illud non eſt ſilentio prætereundum, cum dixiſſet Dominus: Sathan expetiuit vos, non ait, ego rogaui pro vobis, ſed pro te. Quid: eo quoniam cęteris epiſcopalibus ſedibus euertendis, vel hæreticorum perfidia labefactandis, vel ſchiſmaticorum tumultu conterendis, vel paganorum procellis opprimendis, vel imperiorum tyrannide, & tyrannorum impietate, & ſæuitia extermrnandis, apud ſolam Petri cathedram contra omnes inimicorum incurſus, atque impetus fidei robut permanſurum erat immobile, & inconcuſſum.

Luc. 22. Chriſtus cur dixit Petro, & tu aliquā do conuerſus cōfirma fratres.

Ideo nec dixit, & vos aliquando conuerſi, ſed tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Quia vniuerſalis Eccleſiæ præfecti, ac totius Eccleſiaſticę Hierarchiæ præſidis eſt, imbecillos in fide firmare. Illud enim quod

Quid ſit in fide firmare.

Dei

Dei filius vni Petro vt Apoſtolorum principi, & Eccleſiæ capiti, totiuſque Chriſtiani ouilis paſtori, & moderatori contulit, cæteris omnibus in eadem auctoritate, & poteſtate ſuccedentibus contuliſſe liquidiſſimo patet. Sicut munera illa, quæ Apoſtolis, tamquam Eccleſiæ paſtoribus, ad commnnem Eccleſię vtilitatem mandauit, nè cogamur falsò affirmare Eccleſiæ principatum vnà cum Apoſtolis eſſe deletum, ea quoque omnia ad Epiſcopos & paſtores in locum & officinm Apoſtolorum ſuffectos, ſine vi aliqua, aut literę contortuplicatione madata eſſe profitemur. Quapropter cum Eccleſię Pontifex Petro ſuccedat in his omnibus, quę non ad priuatam hominis excellenciam ſpectant, ſed quæ ad communes, & neceſſarias Eccleſiaſtici principaeus commoditates attinent, & Eccleſiæ opus ſit veridicis oraculis, apertiſque decretis in fide dirigi, oportet cum omnibus orthodoxis, ſacriſuè concilijs fateri fidei indeficientis priuilegium, quo Romanæ Eccleſiæ paſtor diuina tenetur mann, nè in publicis fidei ſencentijs, conſultiſque poſſit à vero catholico declinare, ad ipſum diuinitus eſſe tranſmiſſum.

In quibus Pōtifex ſuccedat Petro

Solius Papæ eſt fidei indeficiētis priuilegium

Propterea pattes Concilij Chalcedonenſis, in epiſcola Synodali ad Leonem gratulantur, quod tantum Antiſtitem Apoſtolicæ Sedi, vnde religionis noſtræ fons, & origo manat, Dominus dedetit. Et in ſexta Synodo Generali profeſsioni fidei Agathonis innumerabiles Epiſcopi ſubſcripſerunt. Verba autem profeſsionis ſynodicæ hoc modo habent: Beati Apoſtoli adnitente præſidio, hæc Apoſtolica eius Eccleſia numquam à via vericatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: huius auctoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis catholica Chtiſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſecutæ ſunt; omneſque venerabiles patres Apoſtolicam eius doctrinam ſunt amplexi, pec quam & probatiſsima Chriſti luminaria claruerunt, quam & ſancti doctores orthodoxi venerati, & ſecuti ſune; hæretici autem falſis criminationibus, ac derogationum odijs inſecuti: Hæc enim Apoſtolica Chriſti Eccleſia, per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam eraſſe probabitur, nec hæreticis nouicatibus deprauata ſuccubuit; ſed vt ab exordio Chriſtianæ fidei percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata finetenns permanet, ſecundum ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, Petre, Petre, ecce Sathan expetiuit vos &c.

Act.8.13. & 17.

Romana Eccleſia abomni hæretica labe ſemper immunis.

Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu confirma fratres. Quid clarius, quid apertius dici vmquam potuit? Deſipit profectò omnis ille, qui exiſtimat in Eccleſiaſtica Hierarchia Chriſti ſanguine illuſtraca, ſupremum illud deeſſe tribunal, quod Synagoga præclarè obtinuit. Siquidem veteris legis Sacerdotio iudicium pro lege habendum, ac pro cæleſti oraculo venerandum atqne colendum conceſſum eſt: de quo Deuter. habetur: Si difficilè, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominns Deus tuus, veniеſque ad Sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabune tibi iudicij vericacem; & facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerit te inxta legem eius, ſequereriſque ſententiam eorum, nec decliuabis ad dextram, neque ad ſiniſtram: qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreco Iudicis morietur homo ille, vt nullns deinceps intumeſcat ſuperbia.

Agr à minori ad maius probatur Eccl. tribunal.

Deut. 17.

Qui rennit imperium ſummi ſacerdatis reus eſt mortis.

En Synagogæ tribunal Sacerdotali Senatu circumdatum, in quo vnus primus Iudex, ſummuſque Sacerdos in controuerſijs, quæſtionibusque ſedandis, ac diſſenſionibus componendis auctoritatem habet, vltimam ferendi ſententiam, quam repudiare nefas eſt, morte mulctandum. Quis autem mentis compos non cernit huiuſmodi tribunal, cui ve cerciſſimo è cœlo delapſo oraculo inniccendum eſt, multò opportunius eſſe Eccleſiæ, in qua continuè emergunt perarduæ de fide difficultaces, in qua grauiores in dies ſuboriuntur de lege concertationes, cotra quam aſſiduè hæretici eduut noua de lege figmenta. Si itaque in ea vnum non fuiſſet à Chriſto inſtitucum tribunal, quod dinina muuitum auctoritate valeret omnium diſceptaucium reſciudere lites, eccleſia perpetuis vexaca diſceptationibus, deterioris eſſet conditionis quàm Synagoga; qnod tantum abeſt à vero, quantum vmbra à corpore.

Neceſſitas Apoſtolicæ ſedis in Eccleſia.

Vnum ergo in Eccleſia extat oraculum, quod diuino afflatum ſpiritu de via veritatis declinare haudquaquam poteſt. Idcirco Marcus ad Athanaſium ſcripſit: Sancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino prouidente, & Beato Petto Apoſtolo opem ferente, in futuro manebit ſine vlla hæreticorum inſultatione firma, & immobilis. Hæc Apoſtolorum viua traditio; Hæc ſancta & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur, ſed illibaca finetenus manet, ſecundum ipſius Domini pollicitationem, ego pro te rogaul Petre, vt non deficiat fides tua. Vnde illnd eſt admirabile & ſingulare, quod Eccleſiæ cum tot præfuerint Pontifices in reliquis atro notati calculo, nullus hactenus in Apoſtolica Cathedra ſedit, qui in decernendis fidei decretis errorem emiſerit hæreticum, ant à via catholicæ veritatis deſciuerit. Hoc autem non aliunde prouenit, niſi quia ſingulari Dei priuilegio ſedes illa communitur, nè in ſtatutis fidei promulgandis hallucinari poſſit. Quemadmodum igitur ad Moſen grauiora deferebancur iudicia, & quæ minoris erant ponderis, cæteris ſapientioribus relinquebantur; ſicuti Exodo exaratum eſt: Pronide autem de omni plebe viros ſapientes, qui iudicene populum omni tempore; quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent: Ita potiores Eccleſiæ cauſæ, perdifficiliores rerum quæſtiones, maiora Eccleſiarum negotia ad Sedem Apoſtolicam referri oportet.

Marc. ad Athan.

Eccleſia Romana mater omnium eccleſiarum.

Id decernēdis fidei cōtrouerſijs nemo adhuc Pontifex errauit.

Exod. 14. Iethro conſilium Moſi datum.

Id à Sanctis Apoſtolis, & ſucceſſotibus eorum; Id à Nicæna ſynodo definitum eſt. Propterea totius Catholici orbis conſenſione, vſuque firmatum eſt, vt hoc ſupremum Apo-

Nicæ. conc. ca 15. & 19.

ſtolicæ Sedis iudicium, omnium concilinrum ſtatuta confirmet, omnes canonicas ſcripturas iudicet, omnia ad fidei veritatem ſpectantia approbet; omnes iuſtè, ac piè viuendi normas comprobet. Ab Apoſtolica igitur ſede fidei oracula ſunt petenda, ab illius iudicio in religionis controuerſijs ſententia eſt expectanda: illius denique & vim, & auctoritatem ſacra omnia concilia efflagitare conuenit. Ideo rectè dicebat Innocentius ad Concilia: Congruè Apoſtolicæ Sedis arcana conſuliris, antiquæ regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe noſtis eſſe ſeruatam, præſertim quoties ratin fidei ventilatur. Hinc inſulſus eorum euincitur error, qui in grauioribus controuerſijs, ab Apoſtolica Sede ad futurum Concilium, prouocant, cum huiuſmodi pronocationes maius tribunal requirant. Vna autem excelſa in terris conſtitnra eſt Sedes ſactoſacta, à qua nemo poteſt diſcedere appellationis diffugio, Gelaſio conſcriptore: Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quòd Sacroſancta Romana Eccleſia de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus. Sed nec illa præterimus, quòd Apoſtolica Sedes ſine vlla ſynodo præcedente, exoluēdi quos ſynodus iniqua damnauerat; quod damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habeat facultatem, & hæc nimirum pro ſuo principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus Domini voce, & tenuit ſemper & retinebit. Verum ſicut ab Imperatore ad ipſummet, quod humanis conſtat legibus: ita ab Ipſo Pontifice ad ipſummet per modum querelæ, vel ab ipſo dormiente ad ipſum vigilantem, vel ab ipſo ad ipſum ad melius infotmandum, ſiue extra concilium, ſiue in concilio ſupplicari poteſt; at ſententiam Apoſtolico illo ore prolatam haudquaquam poſſumus detrectare, vt decreto deliberauit Nicolaus Papa: Nemini licitum eſt de Sedis Apoſtolicæ iudicio iudicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum, videlicet propter Romanæ Eccleſiæ primatum Chriſti munere in Beato Petro Apoſtolo diuinitus collatum. Quis igitur tanra intumeſcit arrogantia, vt poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, poſt tanta Sacerdotum collegia, quæ omnia proclamant fidei ſoliditatem Petro collatam, ad Romanos Pontifices tamquam ad legitimos ſucceſſores pertinere, & ipſos in promulgandis ſtaturis à recto catholicæ fidei tramite non poſſe aberrare, iam audeat prædicare Romanorum Pontificum decreta, tamquam diuina oracula non eſſe veneranda? Quamobrem eum primum effatum iam clarum ſplendeſcat; ſecundum certis, integriſque rationibus illuſtrandum adducimus. Illud autem eſt huiuſmodi: Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſul, cum in familiaribus colloquijs alicui propoſitæ quæſtioni per tranſennam reſpondit, vel vt ratiocinatot, ſuam opinionem aliqua de re diſcentienda in medium affert; ſeu vt doctot, & librorum auctor aliquid proprio marte confictum edit, non eſt cur miretur, ſi quandoque aberret. Fidei enim ſoliditas, quæ neceſſaria eſt ad retinendam Chriſtianam religionem, Petro pro miſſa eſt, non tamquam homini doctori, ſeu vt operum ſcriptori, aut vt quæſtionum diſputarori, ſed vt Dominici gregis Paſtori, ac Eccleſiæ iudici, qui in iudicijs publicis diuinam ſapientiam fidelibus proponere debet. Quapropter ſi aliquis Pontifex vt homo ingenuis excultus artibus, ſuis in exprimendis ſententijs quandoque in errata prolabitur, nihil Pontificio apici obeſt. Neque irridendi ſunt illi Pontifices, qui rationes minus neceſſarias ad dilucidandas nonnullas concluſiones proferunt. Cauſas enim quandoque adferunt, non quæ cogant, ſed quæ ſuadeant, ſed in his nihil eſt immorandum. Non enim pro huiuſmodi cauſis non à Pontificibus redditis, ramquam pro aris, & focis depugnamus, non eſt operæpretium rationes illas ad viuum reſecare: Non enim ſemper patres in fidei quæſtione cauſas adferunt neceſſarias, ſed interdum veroſimiles. Quod ſi etiam Pontifices huiuſmodi ponendis cauſis quandoque falluntur, nè calumniandi ſunt quidem, tantum abeſt vt inde auctoritas infirmetur, & ab indigniſſimis hominibus poteſtas illa iudicio flocipendatur.

Apoſt. ſedis iudicium quanti æſtimauerint omnes catholici.

Innoc. I. ad concil. duo Carthag. & Mileuitanū

Quàm ſtultum ſit & erroneum ab Apoſt. ſedis iudicio ad futurum cō. cil. prouocare.

Diſt. 6. qu. 3 c. cuncta per mundum. Quomodo fiat appellatio ab ipſo Pontifice, ad ipſummet Pontificem.

Diſt. 17. q. 4. Nemini.

Aliud axioma maximi momenti cū eius dilucidatione.

Fidei concluſio & nō cōcluſionis ratio eſt attendendæ.

Melchior cano. Eccl. Rom. auct. lib 6. io Reſp. ad quartū arg.

Diſt. 9. q. 3. Nemo iud'

Prima ſedes à nemine iudicatur.

Nemo enim, vt dixit Sylueſter Papa in generali reſidens ſynodo, iudicabit primam ſedem iuſtitiam temperare deſideratiorem; neque enim ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Quandoquidem, vti etiam protulit Symmachus Papa: Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminare, ſacro verò Sanctę Sedis Romanæ præſulem, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio, voluit Beati Petri ſucceſſores cælo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam.

Diſt. 9. q. 3. Aliorum.

In rebus fidei dubijs ad Pont. veluti ad diuinum oraculum, confugiendum eſt.

RADIVS XIX.

De ſingulari ornatu Summi Romani Pontificis.

SI veſtes ac ornamenta, quibus minores Synagogæ Sacerdotes in tabernaculo miniſtratuti induebantur, itemque illa, quibus primus omnium Pontifex Aaron ſuo perfuncturus officio in gloriam vtebatur, & decorem, diligentius attenderimus; ſacris enarrantibus hiſtorijs, certum prorſus erit, & exploratum, præter eadem indumenta, quibus vulgares miniſtri ad Dei cultum, & famulatum ſelecti decorabantur, alijs inſuper præclarioribus, & excellentioribus Aaronem exornatum in ſanctiſſimum conclaue ingredi ſolitum. Diuino enim cultui mancipatos Leuitas, dum in templo ſacra exercerentur munia, communiter vti oportebat: primò feminalibus lineis ex byſſo retorta contextis, & à lumbis ad genua vſque protentis: deinde ſubucula, lineo videlicet indumento, ad talos vſque demiſſo, quod corpus circumplectebatur omne, & nè rugas contraheret, aureis quibuſdam nodulis per ſingulos connectebatur humeros. Tertiò balten digitos quatuot lato, & ſic in retis modo concinnato, vt colubri pellis ſimilitudinem quam exuit in ſenectute, referret. Po-

Cultus, & veſtes Sacerdotum veteris teſtam.

ſtremò

Digitized by Google

ſtremò Tyara, vel infula ex byſſo candida, in modumque caſſidis fabreſacta, quæ nè facilè è capite delaberetur, vittis hinc inde appendentibus conſtringebatur; quæ nè inconcinnè apparerent, byſſinum quoddam illi aſſutum velamen, ad imam vſque deſluebat barbam. Hoc vtique decorati corporis ornatu perantiquæ legis Sacerdotes, iuxta diuinæ legis præſcriptum in Dei ſeruitio adſiſtebant.

Decoris gratia velamen ex tyara defluebat.

Verum præter huiuſmodi veſtes, quibus omnibus Pontificem Aaronem velari itidem decebat; alijs inſuper magnificentioribus, ac ornatu longè ſplendidioribus opertus, in auguſtius inuehebatur ſacrarium. Super tunicam enim byſſinam, aliam inducebat talarem hyacinrhinam, in formam Dalmaticæ factam, quippe quæ fimbriæ loco malis ornabarur punicis, ex hyacintho, ex purpura, ex coceo bis tincto, atque byſſo retorta confectis: In medio verò aureis erat variara tintinnabulis; iam verò etiam malis quibuſdam punicis ita in ſcalæ figuram accommodatis, vt inter ſingula tintinnabula interijcerentur ſingula mala punica.

Exod. 28.

In humeris Ephod, vel ſuperhumerale gerebat, quatuor prędictis coloribus, auroque contextum, cuius ſuperiorem partem, duo lapides onychini auro clauſi, duodecim Patriarcharum nominibus lingua hebræa exculpti fulcibant: Ante pectus rationale præferebat, ijſdem precioſiſſimis illuminatum coloribus, auroque interſtinctum, ac quatuor ordinibus lapidum auro incluſorum onuſtum, in quo iſthæc nomina erant inſcripta. Iudicium, & Veritas, vel Doctrina, & Veritas. Adeoque rationale cum ſuperhumerali quibuſdam cohærebat iuncturis, vt à ſe inuicem haud poſſent diſiungi In capitis ornamentum, non ſolum Cydarim deferebat byſſinā, cæteris Sacerdotibus in dominico cultu communem, ſed etiam longè præclariorem Tyaram hyacinthinam ipſi Cydari conſutam quā circulus ambiebat aureus, malogranatis, & floribus illuſtratus; Et vt Summus Pontifex glorioſo vndecumque circumfuſus ſplendore appareret mirabilior, ex ipſa Cydari ſuper Pontificiam frontem lamina pendebat aurea, ad modum dimidiæ Lunæ ita fabreſacta, vt arcuatam ſurſum habens inflectionem terſanctum Domini nomen Tetragrammaton cælatoris opere commonſtraret inſculptum. His profectò cultis decoratus veſtibus Aaron, ad Sancta Sanctorum ſolemni cum pompa procedebat. Eodem modo vt figuram ad veritatem & rem ipſam, quæ nunc eſt, accommodemus, præcelſus Eccleſiæ Hierarcha, qui digniſſimam Chriſti perſonam gerit in terris, non ſolum illis communibus Epiſcoporum inſignitur ornamentis, in quibus ſingulis magna latent myſteria; verum etiam ſicuti ea dignitate nihil in Eccleſiaſtica Hierarchia magnificentius conſpici poteſt, aut admirabilius: ita par eſt ſingularibus quibuſdam maieſtatis, & præcellentiæ condecorari ornamentis, hoc loco accuratius expendendis; quæ etſi perpluribus imperitis, minimeque intelligentibus hominibus pateant, & in promptu ſint, quid tamen granditatis, ac myſterij in ſe contineant, non omnes adhuc probè cognoſcunt. Vniuerſalis igitur Eccleſiæ militantis Epiſcopus, cuius in Aarone typus præceſſit, venerandum caput diademate, triplici corona aurea compoſito, varijſque lapillis locupletiſſimè referto redimire: Veſtem purpuream exterius, candidam interius decorè induere: Crucis ſalutiferæ ſignum longo rectoque baculo impoſitum ſceptri loco præferre: Sandalia aureis crucibus inſignita pedibus geſtare conſueuit.

Cultus, & veſtes ſūmi Pont. Aarō.

Pontificia dignitate nihil præſtabilius.

Sac. Pontif. indumenta, quorum Typus in Aarone pręceſſit.

Pallio inde ſeu pluuiali poſt alia Pontificia indumenta corpus totum decentiſſimè contegere ſolitus eſt: Nec illud reticendum, Pontificem noſtrum Imperiali diademate, ſuperhumerale, chlamyde purpurea, tunica hyacinthina, calcaribus aureis, palaphreno albo, cæteriſque Romani Imperij inſignibus, quæ olim Conſtantinus Imperator, qui nomen magni meruit, Beato tradidit Syluestro, ac eius ſucceſſoribus iurè (ſicuti Martinus Laudenſis colligit) & præcellenter vti poſſe. Vnde in celebrioribus Populi Romani ſupplicationibus, cum Ciuitas per vias, & loca publica publicis rogationibus luſtratur, omnis ille apparatus, qui Auguſtis Imperatoribus quondam fieri ſolebat, Romano Pontifici reuerenter exhibetur. Hæc omnia profectò Romani Antiſtitis indumenta, moralibus ſunt imbuta myſterijs. Hæc certè diuinis ſunt grauida ſacramentis, quæ vt rectè percipere valeas, altius mentem erigito, & in primis quid ipſum Diadema, quod regnum appellant, attento aduerte animo: Sed vt ex hoc ornatu vberrimorum fructuum doctrinam exhaurire commodè poſſis, prius Pontificiæ digniratis inſpicias ſplendorem, tam regio, quàm Imperatorio fulgore magnificentiorem. Pontificia quidem maieſtas diuinitus ſuam trahit originem; Imperatoria verò haud dubie ab ipſis gentibus (quamuis non ſine diuino nutu) dominandi libidine, ſuum initium duxit. Id ſcriptura aperte declarat, cum filiorum Noe generationem texens, acrem viribuſque valentem adducit Nembroth, quippe qui lata cœpit in terris dominari poteſtate, & Babylonem tamquam principium regni eius illuſtrare.

xcvj di. conſtant.

Conſt. omnia imperialia indumēta dono tradidit Syluestro.

Mart. Lauden. in tractat. de princip. q. 210.

Pontific. fundamenta myſterijs ſunt inſignita.

Pontific. pręſtantia dignior eſt imperatoria, primum origine.

Gen. 10.

Primus mūdi tyrannus Nembroth.

Vnde cum Tyrannici figuram geſſerit imperij, ipſum robuſtum nuncupant venatorem, cuius eſt induſtria ſudore, curſu, feras in ſui emolumentum, & vtilitatem quærere, & aucupari, ipſas circumuenire, ipſis inſidiari, telis confodere, ac canum feritate opprimere. Quæ quidem omnia, & Tyranni imperandi cupiditate laceſſiti in homines exercere aſſolent. Tyrannorum enim proprium eſt, imbecilliores in ſui commodum ſubigere; ſua ſemper lucra venari; claris, & dignioribus Ciuitatis inuidere; omni conatu illuſtribus inſidias ſtruere; ancipites arte habere; ſatellitum manu fortes trucidare; crudeli dominatu ſibi ſubiectos premere, ac proculcare; & maximam gloriam in maximo imperio putare. Regia ſanequàm Imperatoriaq; maieſtas regnorum gubernacula ciuilibus moderatur iuribus; Pontificia verò plane cæleſtis, & diuina almi ſpiritus flamine, inſtinctu, ac motu, quem ethnicorum ſtatuta non percipiunt, ſacram Eccleſiaſticam gubernat Hierarchiam. Honor regius humanus, Pontificius certe diuinus. Regum terreſtre decus; Pontificum cæleſte. Honeſtas regis minime completa. Pontificis numeris omnibus expleta. Illa ciuilis,

Venationi tyrannia ritè confertur Tyrannorū mores.

Diſcrimina inter regiā, & Pontific. poteſtatem.

Vt Sol, Luna, & aurū plumbo, ita ſpiritualia ſunt digniora temporalibus.

Digitized by Google

uilis, & politica; hæc ſupercæleſtis, & ſancta. Illa Lunæ, hæc Soli. Illa plumbo, hæc auri fulgori recte comparatur. Id propter Apoſtolorum Princeps, Sacerdotalem dignitatem ſubſtantiuo; Regiam adiunctiuo explicauit verbo. Vos eſtis, inquit, genus electum, regale Sacerdotium; quòniam peramplissima Pontificis celſitudo, tantò Regia honeſtate præſtantior eſt, quantò ſubſtantia eſt accidente excellentior. Et ſicuti ſubſtantia prior eſt accidente; ita Pontificis auctoritas prior eſt, & latior Imperiali poteſtate. Primus enim Pontifex Aaron, æuo longe ſuperiori Saulem primum prælecti populi regem præcucurrit. Et Noe, qui Domino extruxit altare, & ſuper illud religioſiſſimè holocauſta obtulit, Nembrothis ætatem anteceſſit. Vtrumque reuera ſacerdotale ſcilicet, & imperiale dignisſimum munus; ſed ſplendoribus diuinitatis ſacerdotale præcellit effulgentius.

Pontif. diuturniori æuo præceſſerût Reges.

Proprerea Pontifex in ſui conſecratione, in capite chriſmate delinitur: Imperator verò in brachio oleo peruugitur: quia Pontificis præſtantia tantò eſt Imperiali poteſtate eminentior, quantò caput excellit ipſo brachio. Etenim priſca Iudæorum ſub lege, non ſolum Sacerdos, verum etiam Rex inungebatur.

Pontif in capite chriſmate conſecratur. Imp in brachio oleo delinitur, & quare

Siquidem Propheta Samuel, Dauidem oleo liniuit in Regem: & Helias, Azel ſuper Syriam; atque Ieu filium Nanſi ſuper Iſrael inunxit. Sed poſteaquam munificus, & miſericors pater, quidquid chariſmatum, & bonorum, quicquid gratiæ conferre poteſt, Ipſum præclarisſimum caput Chriſtum abundè compleuit, Regis inunctio à capite ad brachium, ſeu à capite ad humerum, vel armum, in quo virium principatus vigere creditur, translata eſt, vt Reges præclare intelligant, ſuarum eſſe partium, illud armorum robur, quod ipſis ſingulariter conceſſit diuina maieſtas, ad capitis defenſionem, atque tutelam eſſe conuertendum. Ob hoc principibus collatum certò conſtat, vt caput, ſicuti æquum eſt, ab hoſtili tueantur incurſione. Quare ſicuti brachium capiti ſubeſt: ita munus Imperatorium, Pontificio ſubſeruire muneri conuenit. Et ſicuti brachium mucronem minime verſat, niſi ad capitis nutum; ita, & Imperator ad illius arbitrium, qui in toto Chriſtiano orbe, terreni ſimul, ac cæleſtis Imperij iura diuinitus obtinuit bella mouebit.

Reges inunguntur a Sacerdotibus.

Regis fortitudo eſt propter Pontif. capitis patrocinium.

Simile.

Pontifex enim in tota Eccleſiaſtica Hierarchia eſt velut in humano corpore mens, & intelligentia. Idcirco ſacramentali chriſmatis ex oleo & balſamo confecti delinitione in capite oblinitur: quia Eccleſiæ Antiſtitem diuinioribus muneribus à Deo completum oportet abundantiori gratiæ copia, & præſtantiori bonæ famæ odore, ac feruentiori charitatis incendio conflagrare. Oleum enim in capite eſt charitas in mente. In capite verò perungitur, quia regalem illam, atque ſacerdotalem nobis refert Chriſti perſonam, quæ de ſe ipſa illud enunciauit: Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me. Pontifex igitur iurè ac meritò inſignitur mitra, exornaturque corona, quia ſummus Rex, ſummuſque Sacerdos in terris extat. Summo enim Chriſti regno ſimul ac ſacerdorio potitur, quemadmodum, & Melchiſedech, quippe qui regia, ac ſacerdotali, vt aperta extant ſacrarum literarum teſtimonia, conſpicuus dignitate, vtriuſque Chriſti honoramenti tum regij, tum Sacerdotalis typum atque figuram geſſit. Pontifex igitur regijs ſimul, & ſacerdotalibus effulgere debet inſignibus. Etenim in Chriſto regale pariter, & Sacerdotale reſplenduit genus: ipſe enim non modo cæli, ac terræ Rex eminet inuictisſimus, ſed etiam à patre cæleſti primus Chriſtianæ religionis Pontifex electus eſt. Quare vt Rex ex Iſrael egrediens, accepit à patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta conueniunt. Vt Pontifex, vni & vero Deo non taurorum carnes, aut hircorum ſanguinem, ſed ſemetipſum obtulit in ara crucis immaculatum. Vt Rex, ampliſſimum mundi regnum pleno iure adeptus, ſuper ſolium Dauidicum ſedit, vt confirmaret illud & corroboraret in iudicio & iuſtitia amodo, & vſque in ſempiternum. Vt Pontifex, proprio ſanguine introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta. Vt Rex idem ac ſacerdos, è templo vendentes, & ementes flagello extruſit, & eiecit; numulariorum menſas, & ſellas, vendentium columbas euertit. Vt Regum æquè ac Pontificum Coryphæus, cuius imperio ſubiacent omnia, peracto peregrinationis ſuæ decurſu, regreſſurus ad patriam, atque inde ad extremum reuerſurus magni diei iudicium, ſummum ius, ſummamque poteſtatem Petro ſingulari charitate ſibi deuincto contulit.

Pontif. eſt veluti Chriſtiani orbis intelligētia.

Pontif. quo myſter. chriſmate in capite delinia-tur.

Optimo iure Pontifex vtitur Mitra & corona.

Chriſtus Rex, & Pontif. plurima vt rex, quam multa vt Pô. tif. effecit.

Pontif. conſpicuus eſt vtrumq; regni ſcilicet, & ſacerdotij ornamentis.

Quamobrem cum Sanctus Petrus, cui ſanctæ Eccleſiæ adminiſtrandæ, & gubernandæ cura erat demandata, duos Domino ſuo obtuliſſet gladios, confeſtim audiuit ab hero ſuo, ſufficit; quoniam duo, mortis videlicet & vitæ, diuinæ, & humanæ poteſtatis gladij, ad retinendam eccleſiaſticam dignitatem admodum ſunt opportuni. Poteſtatem autem, & imperium tam ſpiritualem quàm temporale ex gladio iudicari & ſignificari, non tantùm à noſtræ pietatis fundatoribus accepimus, ſed etiam à peruetuſtis Chaldææ ſapientioribus; à noſtris enim illud accepimus: Non ſine cauſa gladium portat, hoc eſt, gladij poteſtatem ad continenda regni æquiora iura, in ſontes exercet, Reipublicæ moderator, & vindex: inſuper diuinis traditum eſt pſalmodijs: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, ideſt, ò præpotens fili, qui ob carnis aſſumptionem, Dei femur nuncuparis, præcinge te diuinæ poteſtatis atque virtutis gladium, quo valeas omnia peccatorum vincula quibus illa queatæ ſunt animæ præcidere, omneſque diaboli poteſtates contrucidare. Extrarios quoque pro gladio poteſtatem accepiſſe, ex ſingulari quodam Darij facto certiſſimum eſt. Darius enim Acinacis vaginam quam Perſico ornatu conſpicuam geſtabat, cum longè ante quam Alexander è Græcia exercitum moueret in Aſiam, græcanico ornatu communiri inſſiſſet, Chaldæi eo facto reſponderunt: Darij Imperium in eorum ius venturum, quorum arma eſſet imitatus.

Duo gladij qui ſignificant.

Rom. 13. Pſal. 44.

Filius ob humanitatis aſſumptionē dicitur olei femur.

Augurium notabile ex Darij gladio.

Cum igitur Chriſti Vicarius, duplicem à cæli Rege obtinuerit gladium, ſenſibilem ſcilicet, & ſpiritalem; non ſolum Pontificia Aaronis maieſtate ornatus eſt; ſed etiam Moſis, Samuelis, Dauidis, ac Machabæorum poteſtate fultus. Spiritali gladio, hæreticum ſcelus, in

Gladio ſpirituali quid efficiat Pontifex.

quo

quo vno omnia inſunt ſcelera, reſecat, & abſcindit; inemendabiles è piorum cœtu exterminat, ſcripturarum extortores anathemate percutit; à cæleſtibus Eccleſiæ decretis diſcedentes excommunicationis nexu obſtringit; Eccleſiæ paſcua vltro deſerentes, & traiecto Iordane ſeſe diabolo ſacrificandos offerentes, ad ima inferni tartara detrudit, Sathaniſmi excitatores profligat & conculcat; ab itinere regio deflectentes, & ad hæreticorum diuerticula procumbentes exterminat; Princeps à catholica deficientes pietate, imperio abdicat; regia dignitate deijcit; Illorum poteſtatis iura in alienos transfert Reges, ſicuti Samuel re ipſa & opere præſtitit. Saulem enim in Regem, ab eo inunctum ob plurima perpetrata ſcelera regno deturbauit, Dauidemque præfecit. Senſibili verò gladio tyrannidem exercentes perfodit; eccleſiaſticæ ditionis vſurpatores obtruncat; pacis perturbatores perimit: bonorum Chriſti raptores incendio cōflagrat; religioſorum inuaſores tormentis afficit: ſceleſtiſſimos & nefarios extorquet; Ædium depopulatores morte mulctat; ſacratum imaginum euerſores incendio inuoluit; Templorum diſpoliatores necat; reliquiarum execratores igni abſumit; ſanguinarios & homicidas interimit; ſeditioſos in exilium pellit; conſceleratos ac pernicioſos opprimit, grauiora flagitia acriter punit, inimicorum conatus frangit, furentes continet, gladiatorum ferociam comprimit, Tyrannidis peſtem depulſat; Infidelium impetus reprimit, & retundit; in prauos ſceleratoſque grauiter animaduertit; Sicarios, & graſſatores, prædones, & piratas expellit, effrænatos compeſcit, omnes conſceleratorum conatus prohibet, cum barbaris bellum gerit, qui poteſtatem floccipendunt vita priuat, populos ſuæ fidei concreditos ab hoſtium tuetur incurſibus. Eam ob rem cum Eccleſiaſtica Hierarchia duplici gladio, ſenſibili & ſpititali ſit præmunita, rationi valde conſentaneum eſt, vt eius Hierarcha, qui duplicem perſonam ſuſtinet in Eccleſiaſtica Hierarchia cum Regijs, tum Pontificijs vtatur faſcibus, & ornamentis: quod ſanè Innocentius his verbis confirmare viſus eſt: Eccleſia, inquit, de ſe ipſo loquens, ſponſa non nupſit vacua, ſed dotem mihi tribuit abſque pretio pretioſam, ſpiritualium plenitudinem, per latitudinem temporalium: magnitudinē, per multitudinem vtrorumque in ſignum ſpiritualium contulit mihi mitram, in ſignum temporalium, dedit mihi coronam; mitram pro ſacerdotio, coronam pro regno, illius me conſtituens in Vicarium, qui habet in veſtimento, per femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.

Senſibili gladio quid re ipſe præſtatur.

Innocēt. iij. ſer. 3. de coronatione Pontificis. Pontif. duplici dignitatis de cauſa corona ornatur & mitra.

RADIVS XX.

De Triplici aurea Summi Pontificis corona, quam vſitato vocabulo Regnum appellant, cum adhortatione ad Principes, ac proceres Chriſtianos, vt ſuos faſces ſuaque imperia, ſicuti par eſt, & decet, Pontificum maieſtati ſubmittant, & diuinum piorum Regum exemplum imitati, inuicto animi robore Chriſtianam Religionem tueantur.

Altiſſimum ſplendidiſſimumque Romani Imperij Hemicyclum, ſi Lampridio, Suetonio, & Capitolino credimus, poſt Reges, & conſules, in Imperatores translatum eſt: & iidem, qui iam gloria præfulgebant Imperatoria, Pontificiam dignitatem ſibi vendicarunt. Quod ſecluſa omni ambiguitate teſtatiſſimum reliquit Lucius Feneſtella his verbis: Flaminem dialem primus Numa Pompilius Romæ Rex creauit, cum antea Reges Pontificum, Regumque promiſcuè munera obirent, vt de Priamo, & Ænea, & Anio apud Virg. cernimus qui ait.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Idque etiam à minoribus deinceps, vt à C. Cæſare, Diuo Auguſto multis poſtea Principibus, quos Pontificatus Maximi titulis inſignitos videmus, obſeruatum eſt. Atqui hoc notisſimè demonſtratur in monumentis marmoreis ac inſcriptionibus ſæpius Romæ viſis, quemadmodum refert, & pluribus in locis depingit Bartholomeus Marlianus.

Suet. in vita Oct. Aug. cap. 31. Lāpr. in vita Ale. Seueri Capitol. in vitæ Max. & Balbini. L. Feneſte in tract. de Sacerd. cap. 3. Pont. aliquādo idem fuere qui & Imperatores & Reges. Virg. 3. Aen.

Hoc quoq; multo apertius demonſtrant vtriuſq; iuriſprudentiæ Doctores in hæc verba ſcribentes: Antea autem Pontifices, & Reges erant, nam maiorum hæc conſuetudo fuit, vt Rex eſſet Sacerdos, & Pontifex; Vnde & Pontifices Romani, Imperatores appellabuntur. Quorum ſanè auctoritati Marſilius, qui mirifica ſui ingenij præſtantia ſummam apud Platonis conſectatores laudem comparauit, ſubſcribere viſus eſt, dum inquit Ægyptiorum fuiſſe morem, ex philoſophorum numero Sacerdotes, ex Sacerdotum cætu Reges eligere. Ex quibus tantorum virorum approbatiſſimis teſtimonijs perſpicuum fit, perantiquos tum Romanorum, tum reliquarum gentium Imperatores, & Reges, vtraque regia, & Pontificia fuiſſe præfultos dignitate. Eodem quoque modo Chriſtus præcelſiori omnibus mundi principibus præditus amplitudine, Imperatoria pariter, & Pontificia decoratus nobilitate: vtraque cum Regia tum Sacerdotalia obiuit præclariſſima munera. Propterea qui Chriſti loco Pontificatum gerunt, iure maximo corona redimuntur, & mitra. Si enim Romanorum Imperator aureo inſignitur diademate, quantò magis ille, qui & amplitudine, & præſtantia excellit? Si peruetuſti regnorum moderatores, vt conſpicuum regij decoris ſplendorem honorificentiſſimè oſtentarent, aureum capite

Bart. Marli. de Antiquitat. Vrbis Romæ.

In C. de capite x. diſt. in d. c. cleros. 21. dict.

Marſ Ficin. in prolog. in pymandrum Priſcorum ethnic. Reges Pontif. quoq; extitere.

Chriſtus Imperator, & ſacerdos ſimiliter & Papa.

Corona regiæ claritatis ſignum.

defe-

Digitized by Google

deſerebant diadema, vnde Cyaxares Medicæ prouinciæ Rex, cum filiam pulchritudinis dote percelebrem, vti ſuarum hiſtoriarum illu-

Zonar. to. 1.

ſtrationibus tradicit Zonaras, Cyro nuptui traderet, ad eum aurea corona redimitam conuehi imperauit.

Maxima cũ ratione Põt. vt Sacer. Rex corona redimitur. Dei filius aurea corona inſignit.

Quantò præſtabilius eſt ſacrorum Principem, qui ſupremam cuncti potentis maieſtatem, in diuino totius Chriſtiani orbis principatu ſuſtinet, admiranda corona inſigniri? In Apocalypſi quidem, Beatiſſimus ille Apoſtolus, qui priuilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari, hominis filium conſpexit nube candida innixum,

Apoc. 14.

ac aurea corona decoratum; ſacris enim deprompſit illuminationibus: Et vidi, & ecce nubem candidam; & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo

A primo for. mationis in ſancti Chri. ſtus à patre accepit regnorum omnium imperium

Coronam auream. Propterea quod humani generis Reſtaurator, ex illibatis Deiparæ ſanguinibus conceptus, à primo ſuæ formationis inſtanti, ſuper omnia mundanæ molis imperia poteſtate coronatus, ex incorrupto illo ſanctiſſimi corpuſculi hoſpitio, veluti ex luci-

Ps. 2. Heb. 1.

diſſima & incontaminata nube egrediens, vniuerſarum gentium cohortem, in hæreditatem

Ps. 2. Heb. 1.

accepit, qua perinde ac ſpecioſiſſima locupletiſſimaque laurea in vtraque Hierarchia con-

Chriſtus hominum caterua, tamquam præſigni corona condecoratur.

decoratur. Ideo incomparabilis propheta, ſignatè intexit: Et vidi, & ecce nubem candidam. Nubes enim candida, ſplendidum impollutumque humanitatis Chriſti integumentum ſignificat. Et ſuper nubem, addidit pudiciſſimus virgo, ſedentem ſimilem filio hominis: quoniam rationalis creaturæ inſtitutor, ipſiuſmet elapſæ ſingulari magni Dei beneficio factus inſtaurator, ſuper omnem humanæ creaturæ ſobolem, veluti nubeculam, aſſiduis ventorum ærumnis expoſitam, auctoritatis & imperij ſceptra obtinuit. Id propter valde honorandus Euangeliſta, auream coronam capite geſtantem vidit: quandoqui-

Regni inſignia, quæ Chriſtus à patre accepit.

dem generis humani Redemptor, ab ipſo cœlorum, & elementorum formatore, rerumque omnium Patre, accepit regalia virtutis, & diuinitatis, & ſapientiæ, & fortitudinis, &

Apoc. cap. 5

honoris, & gloriæ, & benedictionis, & poteſtatis in æuum æternum inſignia. Si Ro-

Tertull.

manorum adhæc Duces inuictiſſimi, deuictis hoſtibus, nationibuſque glorioſa cum victo-

Plin. lib. 21. c. 3.

ria ſubactis, dum in Ciuitate ſuos agerent triumphos, aureis illuſtrabantur coronis, quemadmodum ex memorabilibus Tertulliani annalibus non obſcurè conſtat: Triumphi, dicentis, Laurea folijs ſtruitur, aduerſis lemniſcis inauratur lamulis. Cui ſanè Tertulliani teſtimonio Plinij auctoritas accedit: lemniſcatas, ait, coronas ſiue radiatas folijs aureis, &

Zonoras t. 2

argenteis fuiſſe conſtructas. Zenoras autem Romanorum triumphandi morem dilucidius enucleans, partæ victoriæ Triumphatorem, dicit duplici diademate decorari ſolitum: lau-

Mos triumphandi Romani Victoris.

reum enim ſibi imponebat Imperator, curru triumphali vectus; aureum verò gemmarum interpunctionibus illuminatum, in eodem curru publicus ſenatus adminiſter, ſupra Imperatoris caput deferebat: vt Iuuenalis non ineptè decantauit.

Iuuenalis, ſaty. x.

Tantum orbem, quanto ceruix non ſufficit vlla?
Quippè tenet ſudans, hanc publicus, & ſibi Conſul
Nè placeat, curru ſeruus portatur eodem,
Sed Perſarum Reges &c.

In ſignum victoriæ Pontifex diadema geſtat.

Quid eſt ergo cut Eccleſiaſticæ Hierarchiæ criminoſi deſertores, Pontificibus vitio vertant, quod aliquando trihumphi inſigne capite geſtent? Aut ignorantia obcæcati ignorant prorſus, Romanum Antiſtitem in terris vicariam illius potentiſſi domitoris ſuſtinere perſonam, qui Luciferi Imperium, ſpineæ coronæ præſidio quatefecit; quo quidem quaſſato, inimicorum ornamenta quaſi opima quædam ſpolia tranſtulit ij regni ſui

Pontificalia ornamenta oderunt recentiores hæretici.

ditionem; Aut diuturna temeritatis pumice adeo obdnruerunt aduerſarij, vt præfulgidos Eccleſiaſticæ dignitatis ſplendores, quos maleficioſè inſectantur, nec placidè ſpectare, nec æquo animo ſuſtinere queant. Si inſcitia inobſcurati, adhuc pontificalium non perceperunt myſteria ornamentorum; noſtri profeſſio muneris eſt, perauguſta pontificalis præſtantiæ inſignia, ea qua poſſumus clariori ra-

Regiæ præſtantiæ conculcatio.

tione enucleare. Illud ergo Dauidici militis penſitantes factum præclarum, quo regia Ammonitarum ciuitate capta, & profligata, diadema lapillis præcioſiſſimis onuſtum, Dauid è capite Regis Ammonitarum abripuit, & in ſignum ſuæ virtutis inuictæ, geſtandum ſibi ſumpſit, ac prædam copioſam victor abducens, ciuitati Hieruſalem magna cum laude

2. Reg. 12.

agglutinauit; non citra myſterium accidiſſe ab ingenuis catholicæ dignitatis ſcriptoribus traditum eſt. Tulit, inquit ſcriptura, diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum: habens gemmas præcioſiſſimas: & impoſitum eſt caput Dauid: ſed & prædam aſportauit multam valde.

Pontificiæ coronæ Typus.

Quod ſanè illuſtre, ac generoſum facinus, illud in ſe continet myſterij; nimirum depulſo idolorum cultu gentium opes, Regumque honoraria, tanta rerum mutatione, ac omnium admiratione, in eccleſiaſticam Hierarchiam erant deducenda, & ex Regum magnificentioribus ornamentis ipſa eccleſia erat egregiè adaugenda, atque etiam multis honorum cumulis propè infinita cum Chriſtiani nominis gloria amplificanda. Ita enim

Eſa. 60.

erat Eſaiæ oraculo depromtum: Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generatione, & ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, vel vt verterunt ſeptuaginta interpretes: πλοῦτον τῶν βασιλέων φάγεσαι, hoc eſt, diuitias Regum comedes. Si igitur ab eccle-

Trophæa fortiris armati, ſacro Eccleſ. Tholo pendent.

ſiaſtico principatu Regis ſuperbiſſimi gloria erat comedenda, hoc eſt, in ſui decus, & ornamentum perpetuum commutanda; operæ precium erat, vt Regum præclariora illa honoris, ac dignitatis inſignia, quibus conſpiciendos ſeſe præbebant Reges, in Eccleſiaſticum chorum inueherentur, ad ſacrumque ec-

Pſalm. 67.

cleſiæ Dei principatum traducerentur; Rex virtutum, diuino incitatus flamine modulatur propheta, dilecti, dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia: Tam Deo chari, & acceptiſſimi homines, ex animo atque ſummopere ipſi Deo ſancto addicti, quorum fidei ac prouidentiæ virtutum Rex præeminentiſſi-

mus,

Digitized by Google

Prophani cultus deturbatio, veri Dei cultus electio.

mus, eccleſiæ regnum concredidit, nempè Chriſtiani orbis ſummi gubernatores Chriſto Ieſu commendatiſſimi, labefactatis idolorum ritibus, armis ſpiritus eorum potentijs debilitatis depreſſiſque, longè propulſis veri Dei cultus oppugnatoribus, deuictis atque proſtratis religionis hoſtibus, ipſorum opes, fortunas, atque triumphos in perpetuam Eccleſiæ gloriam conuerterunt; & vt ſingulariſſima catholicæ religionis trophæa in Eccleſia erexerunt; ac ita gentium manubia, quibus ad prophani cultus pompam, prepoſterè vtebatur gentilitas, hoſte fęliciſſimè pulſo, Regiæ Chriſti eſſe cœperunt, decori, ſpeciei, & ornamento. Rex virtutum dilecti, dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia. Maximè igitur conſentaneum eſt, ſupremum Hierarcham, ſimul, & regni, & opum hæredem, & ſucceſſorem relictum, & ab vniuerſi conditore, ac regum Principe ſuper omnes mundi poteſtates Regem conſtitutum, ſupremam in eccleſia exprimentem ipſius Chriſti excellentiam, regio diademate ornari.

Pontifex ve regni ſimul, & opum hæres, ſacro adornatur diademate.

Paſcalius II. Abbas Vrſpurgenſis Hiſtoricus.

Hac nimirum de cauſa paſchalius in concilio Lateranenſi, vna patrum omnium acclamatione, vt Abbas Vrſpurgenſis eſt auctor, præclarè intonuit: Eccleſia primitiua martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines: deinde ad finem conuerſi Reges, Imperatores, quòd Romani principes matrem ſuam Eccleſiam, ſicuti boni filij honeſtauerunt, conferendo eccleſiæ Dei prædia, & allodia, ſæculares honores, & dignitates; Regalia quoque iura, & inſignia, quemadmodum Conſtantinus cæterique fideles. Tunc cœpit Eccleſia florere, tam apud Deum, quàm apud homines. Hincque nimirum factum eſt, vt Clodoueus Rex ſereniſsimus, in Chriſti Vicario planè regiam atque diuinam in primis agnoſcens excelſitatem, cum ab Anaſtaſio Imperatore, vt luculenter Sigibertus teſtis eſt, inſignia conſularia (qui honos eo temporis curriculo ab imperatore deferebatur maximus) & coronam auream cum gemmis, & tunicam blatteam accepiſſet, & ex ea die Conſul, & Auguſtus appellatus eſſet; Ipſe ſpectatiſsimæ virtutis Rex Romam ſancto Petro, auream coronam miſit, gemmis precioſiſsimis decoratam, quæ regnum appellari ſolet; vt regio huiuſmodi dono reſtatur relinqueret, præminentem Chriſti maieſtatem, ſe incorrupta quadam religione in Petri ſucceſſore agnoſcere, ideo patrocinij ſui amplitudinem, eamdem amplecti, regijſque officij idipſum præcipuè teſtari.

Eccleſ. vno temporis decurſu apud Deum, alio verò etiam apud homines floruit.

Ex Sigiberti anno Domini DL. chronolog.

Clodouei erga pontificiam maieſtatem reuerentia.

Gentium Sacerd. corona aurea honeſtabantur.

Strabo.

Hiſce præclariſsimis Pontificiæ præſtantiæ iure merito inſigni corona redimitæ præſidijs, illud quoque ad confutandas, ac contundendas maleuolorum aniles fabulas addamus. Apud gentes vetuſsima fuiſſe receptum conſuetudine, vt qui ſacerdotij fungerentur muneribus, ad ipſum ſacerdotij decus pereximium ſingularibus decorarentur diadematum honoribus. Quare Comanorum ſacerdoti, ſicut Strabo ſcriptis conſignauit, maximus ſecundum Regem habebatur honos, ac coronis, fulgentibus margaritis perornatis, cohoneſtari licebat. Vnde Antonius Cæſar, ex ſolis ſacerdote, miro militis conſenſu, atque applauſu ad Romanorum euectus imperium, coronam precioſis lapidibus elucentem, inter publicas grauioreſque cauſas in teſtimonium. Antonius Cæſar ex Syria, inquit, profectus Nicomediæ hyemauit, & ſtatim cultum patrij muneris celebrare cœpit, purpura auròque redimitus, coronas ſuſtinens ad Tyaræ modum, auro lapilliſque precioſis inſignitas, forma habitus inter Phœnicum ſtolam, & Medorum amictum. Nihil ergo mirum eſſe debet, ſi ſacerdotij, regnique director, qui omnibus regia, ſacerdotalique dignitate præfulgentibus, diuino iure quàm longiſsimè præſtat, inſignem gemmis coronam induat.

Antonius Cæſar, ex ſacerdote Imperator delectus eſt.

Herodian. lib. 5.

Sacerdotij, Regnique verticem corona illuſtrari decet.

Vaticinijs ſiquidem propheticis iam erat pronunciatum: Eccleſiæ Hierarchias, ex gloria prophanorum principum illuſtriori decore fore nobilitandos. Vos, inquit, Eſaias, ſacerdotes vocabimini: miniſtri Dei noſtri dicetur vobis. fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis. Id autem quod Eſaiæ oraculum in priori teſtamento, δύναμιν, robur & fortitudinem, ſiue gentium potentiam appeltar: Ioannes in poſteriori, gloriam, & honorem regum, & gentium, eamdem ſententiam repetens, nonnumquam nominare viſus eſt: Reges terræ, inquit, adferent gloriam, & honorem gentium in illam, quandoquidem omne id quod Regibus erat magnificum, ad Eccleſiaſticam Hierarchiam erat traducendum. Magnus idpropter Conſtantinus eximia animi pietate adductus, ve ille qui iam potiſsimum nouerat, ſempiternum Dei filium regnorum omnium diademate à patre eſſe coronatum, & effeciſſe nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, beato Sylueſtro, vt Innocentius confirmat, & Leo aſſectatur, Byzantium ſecedens, omni pio, & benè inſtituto affectu, capitis ſui coronam contulit.

Eſa. 61.

Apoc. 21.

Conſtantin. ſuum diadema Syluestr. donauit.

At ea tempeſtate ſanctus Syluester in capitis ornamentum, prò regio diademate, circulare quoddam aurifrigium intulit, hoc eſt phrygia quædam Tyata, quam purpurea vitta cingebat. Quibus ſic illuſtratis, ſole clarius conſtat, liuidiores hæreticorum hiſtriones immani odio aduerſus ſanctiſsimos eccleſiaſticæ Hierarchiæ honores ſtimulatos, pontificalibus iniquè detrahere ornamentis; ac Antiſtitem Romanum ſuo decore ſpoliatum maleuolentia exoptare, ſed ipſis diſtumpentibus, Regum omnium princeps qui Eccleſiam ſuam, principatus, & regni decore inſiguit, ſemper fulgidioribus afficiet honorum, & dignitarum ſplendoribus. A Diacono igitur in ſui ipſius ordinatione Pontifex noſter regio inſigne in capite ornatur, populo Kirieeleiſon acclamante; & in imperij ſignum euidentiſsimum, Regno, corona ſcilicet vtitur Imperiali; in ſignum verò Pontificis, mitra decoratur. Ratio autem, qua Summo Eccleſiæ Hierarchæ conſuetudini eſt, mitra ſemper & vbique vti; Regno autem non ſemper, & vbique, ſed ceteris tantummodo diebus, & locis, eſſe cenſerem ego: Quoniam Catholicæ, & orthodoxæ Eccleſiæ vnitas, haudquaquam ex vnitate regij muneris, ſed ex ſacerdotij vnitate pendet, cui regia indiſſolubiliter eſt annexa poteſtas.

Loco Regni aurifrig. vſus eſt Syluester.

In Pontific. de ordin. Romano. Pont. car. 49.

Ideo Eccleſiæ Pontifex, fugit deuitatque Regis nomen, & vocari mauult paſtor, & Epiſcopus; ſæpiuſque mitram, quàm triplici corona ornatam Tyaram defert: licet enim di-

Rom. Pont. nomen regis reſpuit ab illoq. ſe abſtinet, licet iure optimo Reg. omnium ſit Dominus

uinitus ſit ei tribueum, vt ſit regum omnium princeps; attamen quoniam animarum ſanctificationi ab Epiſcopali munere ptouenienti eſt ei nauanda cumprimis opera; deinde corporum adſeruatioui, vt ſunt rationalium ſpiritum organa, ad beatitudinem propter ipſos ſpiritus ordinata; in Eccleſia aliquando Epiſcopale inſigne; aliqnando Imperiale diadema eſt illi imponendum. Romanus itaque Pontifex, vt author eſt Innocentius, in ſignum Imperij vtitur Regno, & in ſignum Pontificij, vtitnt Mitra, ſed mitra ſemper, & vbique vtitur, quia Pontificalis auctoritas, & prior, & diguiot, & diffuſiot quam imperialis, quin ſacerdotium præceſsit regnum, & Aaron Saulem anteceſsit, Noe Nembroth. De ſacetdotibus vero ſcriptura loquens, ens Deos appellat. Propter quod omnes ſuis principibus debere eſſe ſubiectos, docet Petrus; Subditi, inquit, eſtote omni creaturæ humanæ propter Deum, quaſi propter ſacerdotium hæc ſubiectio debeatur.

Innoc. 3. ſer. 1.

Saceidotiū præcedit Regnum.

1. Pet. 2.

Age imprimum ad hoc regium, pontificaleque ſertum, triplici aurea corona conſtructum, & effulgentibus gemmis illuninatum mentem referamus; & quod myſterij in ſe contineat planius explicemus. Pontificum profectò diadema, tergemina coagmentatur corona, quoniam illius indicat poteſtatem, qui cacodæmon mundum ſuæ ſubdidit ditioni, & totius vbique orbis dominatum, in cœlo, in terra, & in omnibus abiſsis ſibi ſuo quodam iure vendicans, ab omnibus itidem cœleſtibus, terreſtribus, & infernalibus creaturis honore, cultuqne proſequitur, qnemadmodum in Hyno decantat Eccleſia.

Quā ob cauſam Pontificis diadema itriplici corona compo natus, plures eius ſet tati ones afferun tur. Regnū, triplicem Chriſti ſig. poteſtatem.

In Hymno Aſcen.

Vt trina rerum machinr
Cæleſtium, Terreſtrinum,
Et infernorum condita
Flectet genu iam ſubdita.

Deinde, quia Eccleſiaſtica Hierarcbia mortalium omnium priucipi ac prœfecto, cuius ditioni ac poteſtati nihil non ſubiectum eſt; triplici iure, nempè Creationis, Redemptionis, & Conglorificationis ſubijcitur; eam ob rem Eccleſiæ Antiſtitem, Chriſti referentem vices, tali regio diademate inſigniti oportet. Præterea quoniam regnum illud auguſtiſsimum, quod rerum omnium conditor Chriſtus ſanguine ſibi comparauit, ex triplici potiſsimum hominum genere confertum eſt, ſcilicet virginum, continentium, & coniugatorum. Eorum quidem, qui plana ac priiucunda virtutum itinera, quibus pergant in patriam, aggrediuntur; & eorum, qui ad perfectiora vitæ internæ ſtudia aſpirantes, virtutum omnium perfectionem, & celſitudinem proſecuuntur & colunt, atque eorum, qui gratiæ ac virtutum maiotibus repleti incrementis, ad ſupremam vſque perſectionem pertingunt. Et in huiuſmodi regno Chriſtus dominatur, vt magnificentiſſimus Rex; illudque ſanctificat vt excellentiſſimus Pontifex; atque illud amore complectitur, vt beneficentiſſimus pater; Idcirco illi, qui per egregijs ipſius Chriſti fungitur munijs, Tyaram tribus aureis conſtructam ſertis, iure optimo gerere conuenit. Inſuper quia Chriſtus triplici corona donatus; A matre, in die conceptionis corona regiæ claritudinis; quum ex ipſa ortus, ac propugnatus fuerit ingenna de ſtirpe Dauid; A nouerca, crudeli ſcilicet Synagoga, corona miſeriæ, quæ ipſi perbenigno viuificatori in diadema potentiæ admitabiliter conuerſa eſt, quoniam ob paſſionis ignominiam, adeptus eſt iudiciariam orbis terrarum poteſtatem. A patre, in die reſurrectionis corona gloriæ.

Papale diadema, triplicia Chriſti iura ſignant, quæ nactus eſt in Eccleſ.

Pontificis ſertum ſig. Chriſti regnum ex tribus hominū generibus refertum.

Triplici corona Chriſt. coronatus eſſe dicitur.

Propterea ad innuendam hanc triplicem ipſius Eccleſiæ conditionis dignitatem, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſul, caput triplici corona aurea redimitum habet. Poſtræmò quia auctor ipſe, & largitor ſalutis, triplici conſulget ſplendore; nempè ſanctitatis, quo omnes ſanctos luce ſua efficit præclariores; houoris, quo ſui conſectatores eximijs illuſtrae ornamentis: atque fortitudinis, quo milites roborati viriliter decertant, & ad vltimum vſque ſpiritum perſeuerantes regnum decoris, & diadema ſpeciei ab eo accipiunt. Quapropter illos, qui de inimicis triumphos egerunt, in picturis conſpicimus quibuſdam laureatos coronis in formam ſcuti rotundi efformatis; quia diuini communiti virtute fidei hoſtes deuicerunt, vnde gloriæ coronis perornati cantitant: Domine vt ſcuto bonæ volnntatis tuæ coronaſti nos. Ea de cauſa pontificum omnium Coryphæus, inſigne regni, triplici laurea munito, tamquam expreſſo ſanctitatis, honoris, & fortitudinis ſigno, ex præſcripto legis inſignitus eſt. Et quia cœleſtis pater ſuarum diuitiarum theſauros in Chriſto recondidit, ac ipſum omnibus tam naturalibus, quàm gratuitis donis, tamquam precioſiſſimis gemmis ornauit; prnpterea Pontifici, Chriſti dignitatem in terris ſuſtinenti, apice magni precij lapidibus onuſto, vti quammaximè licet.

Termi. Chriſti ſplendor.

Sap. 5.

Lapides in Mitra, & corona effulgentes.

Ex quo potiſſimum perſpici poteſt, tam ſancti numinis poteſtatem, iure ac merito huiuſmodi corona tergemino diademate compoſita perornari. Eia agite mundi rectores, & principes tanto numini Dei vices in terris obeunti, veſtra inſignia, veſtra ornamenta, veſtros faſces, & ſceptra ſubmittitote. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Votis omnibus cœlorum moderator à vobis expoſtulat, vt filium tantopere dilectum, & charum, qnem hæredem conſtituit vniuerſorum, exoſculemini, ac in beato Petro ipſius filij perſonam in toto Chriſtiano orbe exhibenti, reuerenter colatis, & agnoſcatis. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. An neſcitis Principes, quod illi, qui regio dominatu vltro ſeſe ſubijciunt, & fidem iureiurando regibus ſpondent, ad dedititiorum numerum relati, æquè tenentur fidem præſtitam adſeruare; regem ſtudio, & amore complecti; ipſum vereri, & obſeruare; & ſi occaſio poſtulauerit, pro regis ſalute, & incolumitate, non ſolum periculis ſeſe obijcere, ſed etiam mortem ipſam oppetere. Quotquot vndis vitalibus tincti Chriſto nomen dederunt, ſiue regum, ſiue principum, ſiue rectorum, ſiue imperatorum præluceant maieſtate, Chriſti Vicario parere adſtricti ſūt; quomodo antem Romano Pontifici eminentiorem omnibus mundi poteſtatibus ſibi ab altiſſimo Ceo datum obtinenti, morigeros ſe præbent principes illi, qui diuina omnino neglecta poteſtate, Pontificis mandata ſpernunt;

Vnica ad principes adhortatio.

Pſal. 2.

Patres Regibus deditorum.

Eccle-

Digitized by Google

Pernicioſi effectus eorum principum qui à catholica fide deſciſcunt.

Eccleſiaſtica iura proculcant; firmiſſimum murum fidei hoſtibus numquam ſeſe opponũt; à ſuorum regnorum finibus hæreticæ prauitatis morbo confectos non propulſant, Apoſtolicæ Sedis delegatos iniquius tractant. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

1. Reg. 8.

Audiant Principes, qui cum Apoſtolica ſede iniurioſius ſeſe habent, illam diuino oraculo prolatam ſententiam, quam Dominus Samueli retulit eo tempore, quo populo ſuperbia tumeſcente, & pro nihilo Iudicum gubernaculum putante, regem improbis oculis, & quadam animi dedignatione ab ipſo Samuele gregatim poſtulauit; vt magnis illis polleret honorum cumulis, quibus faſtoſæ gentes cumulari ſolebant: Audi, inquit Dominus, vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos: Quid autem eſt, non enim abiecerunt te, ſed me, nè regnem ſuper eos? niſi qui Dei miniſtrum diuina præſultum poteſtate neglectui habet, non hominem mortalem, ſed Deum immortalem, qui conſtituit ipſum, floccifacit atque repudiat. Hoc ipſum apertis affirmauit verbis ſummus ille Iſraeliticæ gentis dux, & magiſter Moyſes, quum obtrectatori populo dixit: Nos quid ſumus? non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Qui igitur arrogantia elatus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præfectum contemptui ducit, non hominem mortali conditione generatum, ſed Deum ingenitum, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum, poſtmittit; at ſicut itidem in ſuperioribus dictum eſt, in ſuo miniſtro latentem repellit.

Exod. 16.

Regiæ claritatis ſplendor ob fidei defectum in obſcuratur.

Vnde ſempiternis aptus ignibus à ſua deijcitur dignitate, & cum ſuperbiente Lucifero in tartareas proijcietur cloacas. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Hic poſsimus magis demirari, quàm ad vnguem laudare eximiam & admirabilem Religioſiſsimorum, & Chriſtianiſsimorum, itemque natu maximorum Galliæ Regum, erga Romanam Eccleſiam pietatem, & obſeruantiam. Nemo enim ſatis dignè percurrere poteſt, innumera laudum ſuarum præconia. Sunt enim claritate ſplendidiora, magnitudine ampliora, multitudine multo plura, quàm vt verbis conſequi valeamus. Illud tamen non reticebo, Gallicani Regni Principes, toto orbi ſpectatos, & commendatos, extitiſſe à primis Chriſtianæ pietatis rudimentis, fidei, & religionis catholicæ ſtudio flagrantiſſimos; Veri Dei cultus per vniuerſas Europæ, Aſiæ, & Africæ plagas dilatatores heroicos; Apoſtolicæ ſedis propugnatores perpetuos; infidelium, & hæreticorum hoſtes infeſtiſſimos; eccleſiaſtici principatus ditatores glorioſiſſimos; Religioſorum omnium auctore, inclytos, atque magnificos; ſacrarum ædium monaſteriorum, & Xenodochiorum præ omnibus Chriſtianis principibus extructores opulentiſſimos; adeo vt inter reges ſacro fonte renatos, chriſtianiſſimorum nomen meritò obtinuerint; ô terque, quaterque fortunatos Galliæ Reges, quid benemeritorum ab ipſis optimis, & Deo vnicè charis Francorum principibus, non accepit Romana Eccleſia? Clodoueus (vt nonnullas Gallicani regni Regnum, perſtringam ſingularis planeque diuinæ virtutis dotes) catholicæ religionis vindex, & aſſertor, prouincijs Gallicanis, Chriſtianæ fidei ſemina mandauit. Chidelbertus Arrianiſmi, omniſque hæreſeos inſecutor acerrimus, nequiſſimos Arrianarum partium ſectatores, è ſuis finibus exterminauit, illamque eccleſiæ faciem ingenti conatu extinguere adnixus eſt. Carolus Rex, & cognomento Magnus, impudiciſſimum Saracenorum gregem viam ſibi ad imperij, & religionis euerſionem munientem, prælio deuaſtauit; eumdem Hiſpaniarum ſedes occupantem (vt religioſiſſimus Rodericus Toleti Archiepiſcopus teſtis eſt) bellicæ virtutis fulmine exterminauit; Saxones in veræ religionis firmamenta perbacchantes compreſsit; Inſolentiſsimas Danorum, Hunnorum, Boioarium phalanges, tamdiu armis fatigauit, donec perdomitis eorum ceruicibus fidem denuò exoſcularentur.

Singulariſſimum Gallorum Regum Encomium.

Chidelbertus Arrianã facem extinxit.

Caroli Magni virtus heroica.

Pipinus, Hunnorum Regem, Romani imperij ditionem longè lateque vaſtantem, profligauit; Aſtulphum ſummum Pontificem Stephanum, acriter inſectantem debellitauit; Pontificemque in priſtinam dignitatem reſtituit. Martellus Longobardorum turbam, vrbi Romæ, & pontificatui imminentem, adeo ab illa iniuria deterruit, vt Martelli metu conſternata, ab incœpto abſiſtere cogeretur. Ludouicus pius Apoſtolicæ ſedis amplitudinem perditorum nequitia deturbatam ad priſtinum dignitatis ſplendorem erexit. Quid de illa penè incredibili dicam Regum Galliæ liberalitate, qua Eccleſiaſticam Hierarchiam ditauerunt, ditatam auxerunt, auctam ſempiternis monumentis ornauerunt, ornatam victricibus armis defenderunt. Ipſi Romanæ eccleſiæ dono largiti ſunt Ducatum Spoletanum, Rauennatum Hexarchiam, Sardiniæ, Corſicæ, atque Siciliæ prouincias, ac vnicum toto orbe pontificatus quondam Domicilium Auenionem. Vnde experientia comprobatum eſt, perauguſtam, & inclytam Galliæ Regum virtutem, Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ſecundis temporibus ornamento; turbulentis, & aſperioribus præſidio. Proinde perbenigna Dei munificentia; quæ ex bonorum operum, præcipuè regalium fructibus, maximopere lætatur, Gallicanos Reges, honorificentioribus quibuſdam priuilegiorum monumẽtis condecorauit: vt non immeritò regis appellatione, quemadmodum à præclariſsimis Italiæ iuriſprudentibus traditum eſt, quotieſcumque in codicibus abſolutè reperitur, ſemper Rex Francorum per Antonomaſiam intelligatur. An non ſanctorum omnium ſanctus, nonnullos Galliæ Reges inter ſanctos retulit? vt cunctis religioſis, quos Galliarum Reges, præmijs, opibus, & honoribus ornauerunt munificentius, amplus preberetur campus, per merita ſanctorum Galliæ Regum, ſanctitatis oceanum intercedendi.

Martellus Longobard. terror.

Ludouici pietas.

Sanctitas Galliæ Regum.

Vnde & ego deuotorum minimus, quum Romæ Beatiſſimus Dominus noſter Sixtus, diuina prouidentia Papa Quintus, ſcriptorum meorum non meis meritis, ſed ſua incredibili benignitate fautor, decoratorque amabiliſſimus; religionis & pietatis Galliæ Regum optimè memor, condonationes pleniſſimas ex copioſiſſimo Eccleſiæ theſauro hauſtas, vtriuſque ſexus fidelibus Romæ pro chariſi-

Sixtum V. operum ſuorum decoratorem appellat auctor.

Digitized by Google

riſſimi Franciæ filij, Regis Chriſtianiſſimi deprecantibus, locupletiſſimè condonaſſet; in pulcherrimo illo Beati Ludouici templo, dum pro regni illius ſalute vehementius orarem, hanc deprompſi deprecantiunculam: Deus qui Beatum Ludouicum confeſſorem tuum, conſpicuo regni diademate in terris ornare dignatus es: te ſupplices exoramus, vt regnum quod vitæ ſanctitate illuſtrauit, ita in fidei ſoliditate confirmes, vt ſedatis tempeſtatibus ad regni tui triumphos peruenire mereatur. An non eorum vnus, dum ſacro fonte tingeretur, ſacro chriſmate, columbæ roſtro in ampulla è cœlo aduolitantis deportato, delibutus remanſit? vt inde ad noſtra vſque tempora Gallorum Reges, illo chriſmate in Remenſi Eccleſia aſſeruato inungantur: & lilia aurea è cœlo (vt aiunt) delata, pro regalibus inſignibus deferant perpetuis temporibus. Nonnè regnorum omnium conditor Deus, Gothofredum Bellonium Hieroſolymorum Regem coronauit? quia ſacram Ciuitatem, Patriarcharum ſedibus inclytam, prophetarum oraculis percelebrem, ſanctorum Regum dominatu perauguſtam, humanæ ſalutis, & redemptionis myſterijs fulgentiſſimá ſacro bello de ſacrilegorum manibus Galli potiſſimum detorſerunt.

Pro Gallicano regno authoris deprecatio.

Patria inſignia Francorum Regum

Hieroſolyma a Gallis recuperata.

Nec illud ſilentio diſsimulabo, quod mirabile eſt hominum oculis, ſacram ſalutaremque Chriſtianiſsimorum Franciæ Regum Dexteram, tanta ſuperorum virtute eſſe firmatam, vt illius ſigno tamquam Apoſtolica impoſitione, vel Moſis palmarum erectione, dirum ſcrophularum virus acturum recedat: O præſtantiſsimum, ò religionis catholicæ ſtudioſiſsimum Henricum Galliæ, atque Sarmatiæ Regem inuictiſsimum tanta rerum perturbatione iactatum; tot inteſtinis difficultatibus, & ſeditionibus vexatum; tantis domeſticis hoſtibus laceſsitum; tantis perditorum hominum turbis oppugnatum vt à paternarum traditionum ſemitibus deflecteres; animo immoto, & inexpugnabili, vt Chriſtianæ religionis æmulator indefeſſus; vt Catholicæ fidei vindex precipuus; fulgentibus armis, vt nunc maximè, Apoſtolicam dignitatem, & chriſtianiſſimæ celſitudinis maieſtatem, conſtantiſſimè tutatus es. Henrico igitur Tertio, rectæ fidei conſeruatori præcipuo, omnia proſpera, atque fecundiſſima cunctorum regnorum auriga, in omnem concedat æternitatem.

Dextera Galliæ Reg. Chriſmate conſperſorū virtus admiranda.

Ad Henric. III. Regem Chriſtianiſſimum Apoſtrophe.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Magna quidem dignitas regia: ſed cum à Chriſto deſciſcit, diuinioriſque poteſtatis præceptis non obedit; illicò facta ignobilior, ſempiternas fœdiſſimæ turpitudinis notas ſubit: quemadmodum ſempiterni dominantis celſitudo huiuſmodi ſacro promulgauit eloquio: Qui me contemnunt, erunt ignobiles. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Romanis ſiquidem non modò regibus, ſed etiam regum, & rerum dominis latiſſimum totius mundi imperium concredidit robuſtiſſima Dei maieſtas; quoniam, vt cenſent diuinæ prouidentiæ ſerutatores, cunctis rebus religionem præponebant, & omnia religioni poſtponebant.

Quid eſt quod inpremi imperantis fortitud. Rom. mūdi dominatus tradiderit.

Sed cur externa longè quæritamus exempla, cum domeſtica, & recentiora nobis ob oculos obuerſentur, illis multo illuſtriora, & præclariora? Cur ad Catholicum Regem regum præſtantiſſimorum iubar, Europæ decus & ornamentum, eccleſiæ propugnaculum, Othomanorum formidinem, hæreticorum fulmen, religioſorum tutelam, Chriſtianæ nobilitatis decorem, & pulchritudinem, totius catholici orbis ſplendorem, & lumen; cur inquam ad Philippum Hiſpaniarum Regem Auguſtum, tot regnorum coronæ ſunt deuolutæ? niſi quia ſuſceptum catholicæ fidei patrocinium, inuiolata, & ſumma quadam religione ſemper complexus eſt; niſi quia ad eccleſiæ tutelam enatus, & ad religionis Chriſtianæ robur, & incolumitatem è cœlo datus, omnia quæcumque in illo fuerunt auxilia pro eccleſiæ ſalute, & excelſitate numquam prætermiſit, ſed in ſalutem Chriſtianæ Reipublicæ atque ad commune catholicorum commodum ſemper, vt nunc maximè, cunctas vniuerſorum regnorum ſuorum copias, patrimonium ſuum totum, & opes ſuas omnes animo libentiſſimo detulit, effudit, atque collocauit; niſi quia effrænatorum catholici nominis hoſtium impetus generoſiſſimè, & conſtantiſſimè reprimere, & retundere omni tempore conatus eſt, niſi quia in ſummis anguſtijs. & calamitatibus Eccleſiaſticam Hierarchiam tamquam alter Gedeon, aut Dauides eximia pietate, & inuicta virtute ſubleuauit; niſi quia fidiſſimus Apoſtolici depoſiti cuſtos, & vindex ſacram catholicæ traditionis veritatem inuictiſſimè ſemper retinuit, niſi quia egregia maiorum de religione inſtituta ſemper incorruptè ſeruauit: niſi quia Hierarchas ſuo ſemper præſidio muniuit, beneficijſque affecit, & Apoſtolicam ſedem mira quadam reuerentia, & ſingulari quadam obſeruantia ſemper veneratus eſt.

Catholici Regis premium æternum.

Ration. cur Deus tot regnorum coronas Catholico Regi concrediderit.

Vnde lethali hæreticæ contagionis lue à ſuis regnis propulſata, & diſſipata, ad proſternendos omnes religionis hoſtes, ad reijciendos cunctos catholicæ fidei aduerſarios, ad opprimendos vniuerſos veritatis oppugnatores ſemper promptum ſe exibuit, & expeditum. Regum igitur omnium princeps Deus, qui preſtioſiorem filij ſui hæreditatem, præclarioribus quoque heroibus concredere ſolitus eſt; ſpecioſiores eccleſiæ ſuæ gentes, tantæ præſtantiæ, & exiſtimationis principi, tam inuicto, & generoſo catholicæ veritatis cultori, tam venerando, & iuſto nomophylaci, legum cuſtodi commiſit, & credidit. Vos igitur inclyti, & benè inſtituti principes, tam pulcherrimum, & præſtantiſsimum Regem, tam inuictum militantis eccleſiæ clypeum imitamini; in hunc tamquam in eximium Principum exemplar intuimini, præclariſſimas animi ſui dotes, mirabilem ſuarum heroicarum virtutum præſtantiam, conſectari contenditote, non ſpecioſis tantum verbis, ſed ex animo, eccleſiaſticam tenete, ſeruate, & obſeruate libertatem.

'Nomophilax, legum cuſtos.

Hac enim regnorum iuriſdictio non infirmatur, ſed confirmatur; principatus dignitas non deijcitur, ſed erigitur; Imperij amplitudo non coarctatur, ſed dilatatur; ſplendor regius non obſcuratur, ſed illuſtratur. Hæc profectò æraria non expilat ſed ditat; à ſedibus non propellit, ſed in illis ſtabiles, & firmos principes reddit; vires non obtundit, ſed exacuit: patrimonium non comminuit,

Iure Eccleſiaſticæ libertatis non prædito, ſed inuiolatè ſuſtētato, regnorū præſidia robuſtiora conſurgunt.

ſed

Huius materiæ explicatio, dilucidius reſpicitur in altero auctoris opere nôdum in lucem edito.

ſed aceteſcit: Eccleſiaſtica ſiquidem libertas ea eſt quæ à principibus non occupata, ſed ab ipſis toto regio conatu defenſitata, ſui ipſorum regnorum confeſtim robur euadit, & firmamentum: quemadmodum latius diſſeremus, Deo auſpice, in opere noſtro: De præcelſo ſummi Dominatoris Throno.

RADIVS XXI.

De Candidis, atque Purpureis Summi Romani Præſulis indumentis.

Chriſti ludibria Eccleſiæ ſūt ornamenta.

QVibus Chriſtus affectus eſt probris & dedecoribus, in Eccleſiæ ornamentum, omnia perenni cum laude ſunt conuerſa & commutata. Quare cum Dei filius duplici in ignominiam fuerit paſſionis tempore indutus veſtimento; vno quidem ab illo Herode, qui Dominum indutum veſte alba illuſit; alio verò ab inſolentibus militibus, qui detractis eius indumentis, chlamydem coccineam ei circumdederunt: Eccleſia maturè ſatis deliberauit, vt Pontifex, qui Chriſti vicariam perſonam gerit, ea veſtimentorum genera, quibus Dominus opertus eſt in opprobrium, ipſe oſtentaret in honorem & decus: veſtemque purpuream exterius, candidam interius, magna cum dignitate & ornamento indueret. Age iam diligenter attende, quid veſtis purpurea exterior, quid candida interior myſterij contineat. Apud enim antiquos aliquando color albus, vt nullius pretij color, immo vt ſtultitiæ nota apud nonnullos æſtimabatur. Amentibus enim, acerbeq; notatis in manibus baculum præbebant album.

Coloris albi ſignificatio & myſteria.

Propterea Herodes in ludibrium & irriſionem, huiuſmodi colore gloriæ Regem conueſtiuit: linea inſuper alba vitæ adhuc ingloriæ erat indicium. Ideo quidam Samnitum exercitus, vt retulit nobilis ille hiſtoriæ Romanæ ſcriptor Titus Liuius, tamquam ex nouis, & nunc etiam ſine gloria procedentibus militibus coactus, linea vna alba apparuit ſimbriatus. Milites enim tyrones, conſcriptore Vegetio, albam induebant veſtem, & candidati dicebantur; clariſſimum in argumentum, quòd non dum manus effecerant inimicorum ſanguine purpuratas. Scutum quoque iſtiuſmodi tyrones album deferebant, tamquam eo hactenus priuati honore, quem glorioſi milites ſua virtute conſequi ſoleut. Hinc Virgilius inglorium vocauit eum, qui, vt nullius egregij facinoris auctor, parmam iam tum gerebat albam, propterea cantauit:

Tit. Liu. li. 5

Veger. de re milit.

Virg. 9. Aeneid.

Enſe lenis nudo, parmaque inglorius alba.

Strenuorum enim ducum mos erat, peregregia concertationum ac dimicationum facinora, in clypeis conſcribere; quemadmodum illi robuſtiſſimi pugnatores Epaminondas, & Orſtreades te ipſa præſtiterunt. Nam mortem occumbentes, victorias ab ipſis glorioſè partas in ſcutis retulere. Herodes itaque, qui nouorum ductus cupidine quamdiu peroptauerat, Chriſtum, vt mirificum hominem, cuius fama per totam percrebuerat Galilæam, conſpicere; eo viſo, multiſque ſermonibus curioſè inquiſito, cum nullum mirandum in oculis eius voluiſſet edere (erat enim, vt diuinis ſcripeis tradit Euangeliſta, cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri) & ad plurimas illius intertogatiunculas nihil reſpondere; Tunc Ieſum tamquam inglorium, & nullius adhuc inſignioris facinoris auctorem, veſte alba iniurioſè contexit. Eccleſia igitur, quæ optimè nouit Chriſti ludibria in ſui eſſe tranſlata atque conuerſa honoraria; æquiſſima conſtitutione decreuit, vt eccleſiæ Præſes eo in ornamentum operiretur colore, quo ipſius redemptor in probrum, & ignominiam contectus eſt. Et teuera ſolus hic color purus & minimè inquinatus, ſolus præſignificat mundiciem, puritatem, & integritatem.

Qua de cauſa Herodes Dominum veſte alba indutum deluſit.

Luc. 23.

Color albus, puritatis indicium.

Ideo Perſius hominem candidum, hominem interpretatur purum, atque ſyncerum. Enimuerò Numa Pompilius, qui candidula ortus eſt barbula, ſimiliter etiam Titus Tarquinius, Principes extitere iuſtitia & pietate inſignes. Graiæ viduæ, tamquam cælibis vitæ admodum conſeruatrices, pannis eluris & candidis ſeſe obtegebant. Romanæ matronæ ad deſignandam earum puritatem, vittam albam capiti imponebant. Ecquonam modo fidem deſcribebant antiqui, niſi velo obtectam candido? Hic ignorandum minimè eſt, hiuſmodi colore olim præſtantes perſonas vt ſacerdores, vt patriæ propugnatores, vt ingenij acrimonia præditos poetas, vt magnificentiſſimos reges honeſtari ſolitos. Ægyptiorum ſiquidem ſacerdotes, Pythagoræ inſequuti præcepta, habitus ex lino candidiori induti, thura adolebant, ſacrificiaque litabant. Ariſtander vt purus caſtuſque ſacerdos, pro Alexandro, exercitū ſuperbiſſimo apparatu aduerſus Darium præparante, Deum in veſtibus albis precatus eſt. Cereris item miniſtri in illius perſiſtentes laudibus ſimili veſtitu ſeſe obtegebant. Et Hebræorum Leuitæ, qui viuum ac verum venerabantur Deum, numquid & ipſi tamquam ab omni repurgari ac emundati labe, ſuum miniſterium expleturi, in lineis non progrediebantur ad templum? Priſcorum coronas ex albis quibuſdam extitiſſe faſciolis, illud magno eſſe poteſt argumento, quòd Alexander vt Seleuci obſtringeret vulnus, è capite ſibi ſuſtuliſſe diadema, enarrant rerum geſtarum, atque memorabilium ſcriptores.

Homo candidus.

Qui orti barbula candidula.

Grecarū viduarum operimenta.

Fidei deſcriptio.

Grauiores perſonæ quo vtebārur colore.

Sacerdotum Aegypti veſtes.

Leuitarū indumenta.

Antiquorū coronæ ex quibus rebus contectæ.

Hinc inter duodecim antiquorum Romanorum ſigna regalia ſedes ex nitido, politoque ebore vexillis omnibus præponebatur. Romanæ igitur Eccleſiæ Antiſtitem, cuius eſt præclariori vitę integritate catholicam fidem ſeruare, & vt ſupremum ſacerdotalis dignitatis columen, omni facultate Deum orationibus, & ſacrificijs, populo pacatum reddere, ac totam Eccleſiaſticam Hierarchiam in ſpiritus libertatem regiè vendicare, atque omnibus ab inſidijs pro virili parte tutari; habitum candidum induere maximè decet. Id propter Sanctus Syluester candidiſſimam mitram opere phrygio prætextam in templo deferebat. Neque enim dici poteſt Eccleſiæ Præſulem, purpureo habitu præcandidis quibuſdam pelliculis in extremitate circumdato, abſque myſterio extrinſecus induere. Purpura ſiquidem, vt vno verbo plurima complectamur, communi omnium iudicio, tum regiam maieſtatem, tum ſuccenſum animi ardorem præmonſtrat,

Principale Roman. vexillum.

Rationes cur Papa veſtem deferat albam.

Sancti Sylueſtri mitra

Purpuræ myſterium.

Re-

Regiam profectò indicat amplitudinem, quia hercicis temporibus, reges purpura fulgebant; vnde in ſolio cum purpura, & ſceptro, alijſque inſignibus regijs aſſidere adſpectabantur. Etenim dignitas ſplendidaque perſona, ex amictu conijci debet, nè Pelopidis pœnas, veſtes ob indecoras, ac vilem ornatum magiſtratus, pendant. Qua de re, vt imperij maieſtatem oſtenderent ſupremi magiſtratus, purpura ad talos vſque demiſſa, vtebantur.

Purpura magiſtratus ornamentum.
Plutarchus in eius vita.

Purpura charitatis ſignũ.

Intimæ quoque charitatis, conflagrantiſque amoris indicia perſpicuè affert; quia igneo ſplendens fulgore, ignitum pariter, ac perpetuum animi deſiderium & votum deſignat. Vnde, vt Chriſtus perſpicua conflagrantis charitatis erga nos oſtenderet argumenta, corporis eius pallium roſeo vſquequaque perfundi ſanguine, ac velut purpureo atque coccineo tingi colore paſſus eſt. Iuſſu enim præſidis Pilati flagellis cæditur, adeo vt è toto corpore pretioſi ſanguinis riuuli manarent. Inde eum induerunt veſtimento extrinſecus purpureo, intrinſecus coccineo vermiculotum ſanguine tincto, ſicque indutum irridiculè adorabant ſubmiſſis humi genibus.

Chriſtus in paſſione purpurato ſanguine conſpicuus.

Æquiſſimum igitur eſt, totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ paſtorem, qui intimo erga Deum cordis amore feruere debet, ac paratum ponere animam pro ouibus ſuis; quia illius perſonam ſuſtinet, qui ex æterna in nos beneuolentia, vltro vitam ſuam neci dando, rubrum effecit corporis indumentum; teſtamentumque ſuum, quod lege Moſaica tamquam figura abrogata condidit; ſuo firmiter conſignauit ſanguine, purpura præfulgere. Purpuræ autem oram, candidis circumplicatam pelliculis, magno conſilio deferre conſueuit. Pelliculæ enim illæ videntur vtique commemorare petuetuſtum Adæ peccatum, quo ipſe primus humani generis protoparens, talibus à ſuo opifice veſtitus eſt pelliceis.

Quare Pontifex purpuram pelliculis candidis circumdatã induat.

Quin immo ad memoriam reuocant agni illius immaculati Chriſti manſuetudinem; qui, vt tantum deleret facinus, ex liberrima ac pijſſima erga nos bonitate & miſericordia, pœnis, preſſuris, & afflictionibus obnoxiam hominis naturam ſuſcepit, ac eamdem hilari animo in ara crucis ſummo patri pro mundi ſceleribus obtulit. Hædorum ſanè pelliculas manibus Iacob circumdedit Rebecca, vt membris hædinis pellibus tectis, atque latentibus, prioris fratris ſimilitudinem exprimeret. Quod ſanè factum, vt inquit Auguſtinus, ſi diligenter & fideliter attendatur, & ad illud, propter quod ſignificandum reuera factum eſt, referatur; non fuit mendacium, ſed myſterium: Per hædinas pelles peccata, per eum verò, qui eis ſe operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua, ſed aliena peccata portauit. Quid iam igitur mirí eſt, ſi Catholicæ Eccleſiæ Pontifex in argumentum, quòd mitiſſimi ſemper & obedientiſſimi Agni Chriſti perſonam exhibet, purpureum indumentum huiuſmodi pelliculis circumdatum geſtet? Pellis illa ob ſui candorem, ſæpe innuit animi mundiciem, vitæque innocentiam & puritatem, qua itidem tantum Sacerdotem oportet eſſe præditum. In lana aſperitatem, in candore benignitatem iugi quadam conſideratione animaduertimus.

Hædorum pellis figura & ſignificatio.

Gen. 27.

Aug. in lib. contra Mendacium cap. 10.

Quo conſilio Papalis purpura pelle candida circumdatur.

Luc. 10.

Eccleſiaſticæ enim diſciplinæ cuſtodis maximè intereſt, & perduelles ſeueritatis fræno cohibere; & manſuetos benignitatis amplexibus excipere. In curandis quippè ſemiuiui vulneribus, Samaritanus ille vinum adhibuit, & oleum; vt vino moderarentur vulnera, & oleo fouerentur. Enimuerò qui ſanandis vulneribus præeſt, vino ſeueritatis oleum pietatis adiungat. Non enim ſine cauſa, in arca tabernaculi ſimul cum tabulis planè contineri voluit Deus tam virgam, quàm manna; quoniam in mente rectoris cum benè perſpecta & cognita diuinarum ſcripturarum ſcientia, opus eſt tam directionis virgam, quàm manſuetudinis & clementiæ manna vireſcere; nè Præſul immoderata ſæuiat acerbitate; nec intemperata indulgentia langueſcat. Iniquitas enim mortalium, auctore Caſſiodoro, more putredinis ſine fine vexaret, niſi eam medicinalis correctio minutè reſecaret. Miſcenda eſt igitur, vt præclarè admonuit Gregorius, ſeueritas lenitati, faciendo quoddam ex vtraque temperamentum; vt in nimia aſperitate non deſperent ſubditi, neque in nimia lenitate ſoluantur. Hic nimirum illam tabernaculi arcam habet, in qua ſimul cum tabulis virga, & manna erat; quia cum ſacræ ſcripturæ ſcientia, in boni rectoris ſit pectore, ſi eſt virga correctionis, ſit & manna dulcedinis.

Vini & olei myſterium.

Heb. 9.

Virgæ, & Mannæ ſacramentum.

Caſſiod. ſuper pſalm.

Greg. in moral. tractando hiſtoriam de Arca teſtamenti.

Optimè igitur, & ſapientiſſimè ordinauit Eccleſia, vt ſuus Antiſtes purpureum deferat indumentum, quibuſdam redimitum, & circumdatum candidarum pellicularum circulis. Alio quoque ſacramento, non omnibus peruio, crederem ego regalis ſacerdotij Anteſignanum indumentis candidis, atque purpureis vti, quoniam quum ipſe exiſtat, perfulgidum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ iubar, ipſius partes ſunt omnibus Eccleſiæ prognatis, prælucida ſanctitatis & doctrinæ præbere exempla. Illa autem albi, purpureique coloris ſuperficies, quæ ſupernè apparet, à Pythagoricis dicta ἐπιφάνεια ideſt corporis in extremo apparentiam, vt cum Platone diſſeram, eſt veluti flammula quædam à ſingulis partibus emicans, diffluens, & emanans; quæ quidem luculenter præſignificat, Pontificis eſſe in toto Chriſtiano orbe, claris puritatis ac charitatis præfulgere ornamentis. Candidus enim purpureuſque colores, potius lumina quàm colores eſſe arbitrantur.

Per pulchra conſideratio circa Romani pontificis veſtes.

Color à Pythag. dicitur apparentia.

Plato in Timæo colorē flammulam vocat.

Colores ſiquidem quædam dicuntur lumina, non quòd lumen verè ſint, ſed quia luminis continuata denſitate, quamdam lucem, & claritatem afferunt præcipuè quæ magis perſpicua ſunt, vt candidantia, atque purpurea, quæ eo merentur luminis nomen, quia ipſum Diaphanum mouent & exacuunt. Cuius rei ſignum eſt, quod parietes ab ipſo medio, rerum coloratarum colore afficiuntur. Quamobrem clariſſimus Portius latitantem huius rei veritatem enucleans ait: Quædam lumina dicuntur eſſe colores, quoniam efficiunt apparentiam quamdam, imprimuntque in medio ſpeciem, & illud varijs modis illuſtrauit: quòd exemplo plantarum Alexander demonſtrauit. Cum enim lumina medium mouent colore plantarum, eum parietibus in quos illabuntur, imprimunt, adeo vt lumen inde comparato colore, fiat concolor. Hinc aureus, ni fallor, color & purpureus, & ſi qui ſunt eiuſmodi, nomen ſibi inuenerunt; quòd ſpeciem quamdam eiuſmodi præſeferant, aliũde

Colores qui dicantur lumina.

Colores quomodo dicantur lumina.

Simon Portius Neapolitanus in libello de Color. in præfatione.

Ex amictu dignitas conijcitur.

Digitized by Google

de acquiſitam quàm lumina colorata aut colores illuminati; atque ob id color lumen dicitur aliquando, vel quia claritatem participat, vel quia confert aliquid lumini, & perſpicuo: hactenus ille. Ex quo quum ad Romanum Pontificem ſpectet, totius mundi eſſe lucem, non ab re illum Chriſtiani orbis patrem, indumenta quaſi luminibus corruſcantia induere decet, vt ex illo amictu, ipſius dignitatem & munera conijciamus.

RADIVS XXII.

De Calceis atque Sandalijs aurea Cruce obſignatis.

IAm inde à primis conditi orbis initijs vſq; ad hæc in quibus viuimus tempora, nulla vmquam fuit natio, quæ aliqna non teneretur religione; ex puo prorſus Sacerdorio potita ſuos ſemper habuit miniſtros ſacris agendis deditos, & occupatos. Ægyptij enim, qui in peragendis Idolorum ſœdis miniſterijs, omnibus extitere ſuperſtitioſiores, ſuis gaudebant vātibus: Indi Gymnoſophiſtis, Perſæ Magis, Hebræi Leuitis, Galli Druldibus, Romani Flaminibus, Græci Chiliarchis, atque Pentarchis, & vnaqnæque vana ſuperſtirio publicis religionis ſuæ miniſteris, ac rerum ſacrarum cuſtodibus, & præſidibus, quibus ſacrorum myſteriorum, victimarum & holocauſtorum ac reliquorum ſacrorum munera aſſignabantur. Verum quia præclara quælibet muneris perſunctio, ad quam peragendam plurimos neceſſe eſt conuenire; haudquaquam rectè geri poteſt, niſi vni ex omnibus delecto, maius opus incumbat: Nemo vmquam inficiari poterit, quin in tanta miniſtrorum caterua, vnus primarius, capitis non obtinuerit locum.

Vnaquæque Natio, ſuis ſemper gauiſa eſt ſacrorum miniſtris.

Propterea apud Romanos non ſolum fuere Flamines ſuæ religionis dinina obeuntes iura, ſed etiam primites Sacerdotes, Protoflamines, Archiflamines, & qui omnibus præerat ſacris Rex ſacrificulus; de quo ita meminit Liuius: Romę poſt exactos Reges primum creatus eſt, quód quædam ſacra ita inſtiruta eſſent, vt neceſſe eſſet ea per Regem obiri. Et Gellius ſuper Flaminem Dialem in conuiuio, niſi Rex ſacrificulus haud quiſquam alius accumbit. Apud Græcos non tantum fuere Chiliarchæ, atque Pentarchæ; ſed etiam Hecatontarchæ, Tentacontarchæ, Decarchæ, atqne vnus qui publicis præerat ſacrificijs, quippe qui, vt tradit Ariſtoteles, vocabatur Rex ſacrorum; ab alijs Pontifex Maximus. Apud Gallos, Dynaſtes, ſacrorumnè princeps, cunctis præſidebat Druidibus; quemadmodum Caius Cæſar Commentariorium ſuorum libro ita teſtatum reliquit: Ijs omnibus Druidibus præeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem, hoc mortuo, aut ſiquis ex reliquis excellit dignitate ſuccedit; aut ſi ſunt plutes pares ſuffragio Druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Nec obſcurè conſtat apud Ægyptios, Mercurium dictum Triſmegiſtum, hoc eſt ter maximum, & ampliſſimum, quia apud illos ſummo inſignitus Sacerdotio, ſumma quoque regni poteſtate, ac ſumma meliorum artium peritia erat ſpectatiſſimus. Quis neſcit apud Hebręos ſummum & diuinum nunus, vſque adeo vni fuiſſe peculiare, vt vnus maximi inter eos Pontificis locum aſſecutus, diuino iure ſummum haberet imperium? Quum igitur vniuerſalis omnium gentium conſuetudo obtinuerit, vt præter ſuos præcipuos Sacerdotes, etiam vnus maiori principatu præſulgēs, apud ipſos omnibus præſideret, & imperaret; quid mirum ſi in Eccleſiaſtica Hierarchia, ad Pontificale munus obeundum vnus aſſumatur, & Pontifex maximus peculiari nomine dicatur? Ille vtique apud gentes dictum eſt Pont. Maximus, qui maximarum rerum, ad ſacra, & religionem attinentium iudex, ac contumaciæ priuatorumque magiſtratuum vindex, ſacra omnia habebat exſcripta & exſignata; nimirum quibus hoſtijs, quibus diebus, ad quę templa ſacra fieri deberent.

Nomina Pont. varia apud gentes

Liu. lib. 2.

Gell. lib. 10. cap. 55.

Antiquitus Pont. qui fuerint.

Ariſt. lib 6. Polit. c. vlt.

Cæſ. lib. 6. de bel. gall.

Mercurius cur dictus Triſmegiſt.

Poteſtas Pōtificum apud vanam gentium ſuperſtitionem.

Eius itaque ſcitis, cum omnia publica priuataque ſacra eſſent ſubiecta, non modò cæremonias ducebat, ſed iuſta quoque ſunebria, atque prodigia, quomodo ſuſciperentur, edocebat. Et quia interpretandi pollebat ſcientia; ipſum Pontificem tamquam diuinum quoddam oraculum, populus conſulebat. Modo Chriſtiana religio, quam verè ſummus Sacerdos, & Pontifex Chriſtus, ceu fons & caput cæleſtis pietatis, fundauit; illum profectò maximum nuncupat Pontificem, qui in terris vicariam Chriſti perſonam, & Sacerdorij principatum gerit. Rationabili autem de cauſa, qui in terris Chriſti vicem obtinet Pontifex appellatur, tum à poſſe & facere, quia poteſt omnia, quæ ad Eccleſiæ ſalutem faciunt, tum à potentia ſacra, quia diuina vi qua præditus eſt, ſacroſancta auguſtius perficit myſteria, rum quia ad Sacerdotij apicem aſſumptus omnium Sacerdotū verè princeps exiſtit. Tandem eo dicitur Pontifex, quaſi pontem faciens, quia vitæ & doctrinæ exemplo in Eccleſia eſſe debet, veluti ſequentium via, ad vehendum ſubditos per regia orthodoxæ diſciplinæ itineta, ad vitalem æternæ beatitudinis lucem. Eam ob rem Pontifex noſter ſandalia induit, tamquam calciatus pedes in præparationem Euangelij pacis, & hunc pedum veſtitum, & tegmen crucis ſigno adornat; quandoquidem qui Chriſti ſequi inhiat inſtituta, neceſſe eſt, vt tollat crucem ſuam, & ipſum virtutum omninm exemplar nobis viam muniens conſectetur.

Summus Epiſcoporum Coryphæus ſingulariter dicitur Pontifex.

Pontificis noſtri etymologia.

Cur Pontifex ſandalia cruce ornata deferat.

Ad ſandalia igitur cruce aurea omnium ornamentorum pretioſiſſimo decorata & conſignata, quibus Pontifex pedes conueſtit, noſtram conuertamus orationem, ſcriptum eſt enim: Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis? & alibi: Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius. Equidem arbitror ego huiuſmodi ſandalia, tum Dominicæ incarnationis calciamentum; tum Euangelij præparationem inſinuare. Diuinitas enim in carnis aſſumptione, latentem & abditam, non manifeſtam & nudam ſeſe dedit, ſed ſui claritudinem, quam ſenſus noſtri præ imbecillitate ferre haud poſſunt, carnis corio obtexit. Huc illud Ioannis eulogium ſpectat: Cuius non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere; amabile videlicet vnionis myſterium enucleate. In pede ſiquidem, qui totum corpus

Can. 7. Deut. 33.

Io. 1.

Corrigiæ & calciamenti myſterium.

pus ſuſtentat, diuinitatem mundi grauamina continentem; in loris ſandalia Ipſa conſtringentibus humanam naturam arctiſſimo hypoſtaticæ vnionis vinculo, diuino ſuppoſito copulatam, intelligimus. Copula enim inſolubili Dei filius noſtræ ſe carni coniunxit, & tam diuinum, tamquam mirabile ſecretum, gentibus propalauit, ſicuti iam antea prophetæ oraculo erat enunciatum; In Idumæam extendam calciamentum meum; hoc eſt, gentibus notam atque conſpicuam faciam incarnationem meam.

Pſal. 59.

Carnis enim indumento, Diuinitas quodammodo calceata effecta eſt. In calceis quoque præclectam euangelizantium pulchritudinem admiratus Dei vates, in hanc prorupit iubili vocem. Quam ſpecioſi pedes euangelizancium pacem, euangelizantium bona.

Eſa. 53.

Similitudo.

Quemadmodum enim ſandalia integris in ima parte præmuniuntur ſoleis, in ſuperiori verò vt commodè aſtringi & relaxari poſſint, aperto corio efformatur: Eumdem in modum ab Euangelij præconibus, impudicæ & obſcęnæ naturæ propenſiones & appetitiones, adeo ſunt reprimendæ, vt animi terrenis neutiquam poſſint commaculori illecebrarum quiſquilijs.

Pedes ſunt Euangeliz-ans.

Matth. 10.

Pulueris excuſſio quid.

Excutite inquit pudicitiæ amator, puluerem de pedibus veſtris, ideſt, non ſolum à grauioribus vos continete vitijs, ſed etiam honeſtati, & munditiæ ita ſtudete, vt nihil impudicitiæ quantumcunque minimum, quod Apoſtolico muneri maximo dedecori eſt, veſtris inhæreat animis. Verum hoc non facit ſatis, niſi quoque verbi declamatores propudiata ſenſualitate, introſpectione ſurrecta, & ad æternam aperta veritatem, ſeſe idoneos reddant ad percipiendos diuini ſpiritus affluxus, de quibus concinit propheta: Reuela oculos meos, ideſt, à me ignorantiæ velum auertas; & conſiderabo mirabilia de lege tua; & tunc internis contemplationis oculis, in ſummum mentis meæ faſtigium conſcendam, ibique intellectu æternæ veritati patenti, & quibuſcumque rebus terrenis occluſo, tam ſublimia, tamquam ingentia tuæ voluntatis penetralia experiar, ac perſpicua conſideratione comprehendam.

Pſal. 118.

Romanæ igitur Eccleſiæ Præſul, toto Chriſtiano orbi tamquam quoddam viuidum, ac præclarum Dei maieſtatis ſpeculum præpoſitus in argumentum Euangelicæ præparationis, ſandalia induit, quia vt Apoſtolicus Princeps id ſuarum partium eſt, ad omnium eccleſiarum cuncta orbis climata diffuſarum incolumitatem, ſemper promptum ſe præbere, ac præparatum. Et quia Eccleſiæ ſublimitas, in imo humilitatis Chriſti cruce affixi cōſiſtit (Crux enim Eccleſiam ad ſummam vſque dignitatem prouexit; quare in cunctis ſacrarum ædium frontiſpicijs, tamquam Chriſtianæ ſublimitatis vexillum erigitur, & illud ſincera ac minimè ficta veneratione & reuerentia proſequitur) Ideo Pontifex crucem calceis affigit, vt quæ contemptui habebatur ab omnibus, magna venerationis exhibitione proſequatur ab omnibus, quod re ipſa eueniſſe decantat Aurelius Prudentius.

Crux Eccleſiam ſi ſtaſiam in ſtatum ſubliniorem euexit.

Aurelius Prudentius in Apotheoſi lib. 1. contra Symmachum.

Iam purpura ſupplex
Sternitur, æneadæ victoris ad atria Chriſti,
Vexillumque Crucis ſummus dominator adorat.

Et alio epigrammate

Complexus pedes victoris, ad inclita flendo,
Procubuit; vexilla iacens, tunc ille ſenatus
Militiæ vltricis titulum, Chriſtique verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.

Genua itaque ipſi ſummo Chriſti vicario perenni cum honore ſubmittimus, & noſtræ excelſitatis monumentum ſuis calceis fixum pedibus prouoluti humillimè deoſculamur. Iuſtum quippè eſt, vt inquit Leo, vt ibi gentes pro Chriſti nominis confeſſione colla flectant, vbi eorum doctor ſanctus Paulus Apoſtolus, pro Chriſto, extenſo collo, martyrio coronatus eſt. Ac ibi proni, & humi proſtrati, cæleſtis Regis Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti famulentur officio, vbi ſuperbi terreni Regis ſeruiebant imperio. Si æquum profectò eſt, vt ibi oſcula Romani Pontificis pedibus iaciant, vbi & olim Imperatoribus imprimebant. Hæc ille. Cuius profectò facti rationem, hunc in modum reddidiſſe viſus eſt Theophraſtus: Quare illæ, inquit, cum plurima reuerentia & honore Chriſtum colerent, eius pedes tenuerunt? quia ob ſummam reuerentiam, nullas alias corporis partes contingere ſunt auſæ; cum pedes omnium partium corporis infimi ſint atque extremi.

Pōtifex eo in honore habetur, vt deoſculetur in pede.

Leo ix. epiſt aduerſus præſumptionē Michaelis. cap. 13.

Chriſti itaque exemplo ad Eccleſiam hæc promanauit conſuetudo, vt Pontifex qui Chriſti loco in terris præpoſitus eſt Eccleſiæ fideles pietatis cauſa, procumbentes, ad ſacrorum oſcula pedum excipiat, non meo marte huiuſmodi ſenſa confingo; ſed Innocentius Tertius meas rationes corroborat his verbis: Cęterum Subdiaconus, vel Diaconus, non manus ſed pedes Romani Pontificis oſculatur, vt ſummo Pontifici ſummam exibeat reuerentiam, & eum illius oſtendat eſſe vicarium, cuius pedes oſculabatur mulier illa, quæ erat in ciuitate peccatrix. Adorandum eſt enim ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt; cuius pedes tenentes mulieres, reſurgentem à mortuis adorauerunt, & deinceps: Quod autem Subdiaconus cum Acolutho ad Epiſcopum accedit, illud inſinuat, quod Ioannes cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, duos ex diſcipulis ſuis miſit. Quia verò dextera Domini fecit virtutem, ideo Subdiaconus exoſculatur dexteram. Quia verò per viſa miracula cognouit, hunc eſſe, de quo magiſter prædixerat: qui poſt me venit, ante me factus eſt, cuius non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere; pronus ad pedes, calciamentum Romani Pontificis oſculatur: hactenus Innocentius.

Innoc. 3. li. 2 Myſt. miſſæ ca 5. & c. 30.

Cultus deoſculādi pedes Rom. Pont. ex Euang. deductus & conſuetudine confirmatus

Si ergo ſacroſanctis Chriſti pedum veſtigijs, oſcula fuerunt infixa, cur viuæ ſponſi imagini hunc denegabimus obſequium? Expreſſo enim Eſaiæ vaticinio prædictum eſt, reges cultus gratia ad ſupremi ſacrorum principis pedes ſtratos, ipſius fore veſtigia veneraturos: Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedū tuorum. Quòd Otho ſua hac elucubratiuncula dilucidat. Vt cognoſcamus non fortuitis caſibus, ſed Dei profundiſſimis, ac iuſtiſſimis iudicijs id factum: Vide pridie latitantem, ac quemlibet infimæ conditionis virum fugientem, in breui tantæ auctoritatis fieri, vt de regibus iudicet. Vide tantæ à ſæculo veneratio-

Eſa. 60.

Otho Friſingenſis Epiſc lib. 4 in prologo.

Digitized by Google

Photius patriarcha Conſt. in epiſt ad Nicolaum 1.

tionis haberi, vt veniant curui, veſtigiaque pedum eius in ſolio ſedentis, adorent orbis domini; quem ſanè ſuauiandi ritum, pedum fruitionem appellauit Photius Patriarcha Cōſtantinopolitanus Nicolao Poutifici ſcribens: quem etiam gratiſſimæ beatitudinis, & paternæ ſanctitatis titulo decorauit. Pontificem enim &c. Oſculo enim ſubmiſſis humi genibus dato, non tantum beneuolentiam ſignificamus, ſed etiam honorem deuotiouem & obſeruantiam, qua adſtricti ſumus, & tenemur Pontificem Chriſti perſonam in Eccleſia ſuſtinentem, ceu ipſius eccleſiæ fundamentum & baſim, perpetua cum reuerentia venerari, & ſanctiſſimum veluti numen excolere.

Matth. 28.

Nam & Maria pedibus Domini obuoluta deoſculabatur, quæ ſanè ſuauia ſuæ deuotionis eſſe teſtimonia confirmauit Chriſtus: Et mulieres cum ad Chriſtum de funere ſurrectum irruiſſent, in argumentum ſuę erga Chriſtum obſeruantiæ cultus, religionis, & reuerentiæ tenuerunt pedes eius: & adorauerunt eum quod rectè interpretari poſſumus, deoſculatæ ſunt ſeu oſculis defatigarunt; cui ſanè expoſitioni, Eccleſia in Hymno conſentit ita decantans:

Pedū oſculum eſt honoris, & venerationis ſignum.

Illæ dum pergunt concitæ
Diſcipulis hoc dicere,
Videntes eum viuere,
Oſculantur pedes Domini.

Pontificem ſanctiſſimum iurè prædicamus.

Pontificem enim ſanctiſſimum, & beatiſsimum meritò prædicamus, non quia peccatorum labe omnino ſit immunis; ſed quia præcipua vnctionis, & Sacramenti ſanctitate conſperſus, in beato illo ſolio reſidet, nec perfidia commaculato, nec ob venerabilem & efficaciſsimam Chriſti orationem commaculando. Licet autem temporibus naſcentis Eccleſiæ, Pontifex nec ſanctiſsimi, nec beatiſsimi nec fortaſſe huiuſmodi prægrandibus, & excelſis ornaretur titulis nihilominus Petro, vt Eccleſiæ paſtori, talia conueniebant inſcriptionum honoraria; vnde à Dionyſio Petrus cognominatus eſt diuinus. Quinetiam Auguſtinus, & Hieronymus ſe inuicem ſanctiſsimos appellabant, & beatiſsimos; & eiuſmodi pariter ſe titulis honeſtabant. Nimium igitur inuidioſè, ſtomachoſeque nonnulli de huiuſcemodi honorum compellationibus contendunt.

Dioniſ. in princ. eccl. Hierarch.

RADIVS XXIII.

De ſalutifero Crucis vexillo, quod ſceptri loco ante Pontificem defertur.

Proemium.

MIrabiliſsimum Crucis trophæum Iudæis quidem ſchandalum, gentibus opprobrium, & ignominia, cum mihi ante oculos obuerſatur, vno ſtatim contueor obtutu, tot tantiſque conſulgere potentiæ, & ſapientiæ, bonitatis, & iuſtitiæ ſacramentorum radijs, vt ſi eorum non nihil vellem calamo exarare, tertia, & quarta prius pertranſiret aurora, quàm ſermonem hunc meum aliqua ex parte perſolutum videre poſſet perpetuus lector. Sicco igitur pede ſed pertranſactis innumerabilibus de cruce meditationibus, quæ ad tanti ſigni bonorem, & laudes huc inuehi, introducique poſſent, & auſpicatò; vnum tantum de hoc ſaluberrimo crucis ſigno celeriter perſtringam myſterium; quod illi, qui non vmbram rerum, ſpectant, ſed vim illarum naturamque reconditam intuentur, magnopere demirari ſolent. Illud autem erit, de mirifico Crucis veſtigio omnibus mundi rebus ita impreſſo atque in fixo, vt ſi ex ſuperiori mundi plaga ad inferna hæc venerimus, & ex ſublunaribus quæ hic ſunt cæli vultibus, vt ſic dicam, obnoxijs, ad ſubliniora mundi domicilia præpetes ſuſtulerimus mentis alas, nobis profectò tamquam ſcrutatoribus acerrimis patebit, huiuſmodi crucis veſtigium in tota rerum vniuerſitate deliteſcere. Et nè multis morer, à mundo commodiſſimè ordiar Archetypo; à quo licet quidquid corporeum, quidquid concretum, & admiſtum longiſſimè ſit remouendum, attamen aliqualem crucis formam non incurioſa ſubtilitate in illius eminentiſſimæ diuinitatis fecunditate, quam Plato appellat boni ideam reperimus.

Narratio.

Deus omnis corporeæ qualitatis expers.

Plat. 7. de Repub.

Pater enim ſicut omnis originis eſt fons, ita cunctarum rerum principium extat, & caput. Diuinitas verò, in qua radices habent fixas tres diuinæ perſonæ, pedis gerit vicem. Filius à dextris perpetuò manet. Spiritus ſanctus ab altero latere, quia ab alio dimanat principio, degit. Ex quo in diuinis illis receſſibus imaginem crucis aliquam ſubtili eſt peruestigare intelligentia. Sed prætermiſſa tam de cruce ſpeculatione, quam in ſummo Archetypo contemplantur abſolutiſſima diuinorum hominum ingenia, licet ſimus in hac vitæ vmbra collocati, cum viris in omni doctrina principibus, cæleſtes adeamus Hierarchias, & exquiſitè inſpiciamus, an in Angelico illo, & intellectuali mundo, crucis veſtigium conſulgeat expreſſius. Frequentiſſima enim verò ſanctorum Angelorum agmina, crucem præſignem in cœleſtibus illis choris mihi videntur conſtituere. Nam cum Angelorum, & Archangelorum numina, in inferiori collocentur parte, à latere dextro virtutes, & Poteſtates aſtent; à latere ſiniſtro Principatus, & Dominationes commorentur; In medio Throni permaneant; In ſublimiori ſede Cherubin, & Seraphin aſſideant; nulla certè figura affabrè magis in crucis modum diſpoſita concerni poteſt.

Angeli, & præclare atque diuinæ illæ mentes in mūdo intellectuali crucē quamdam demonſtrant.

Esai. 6

Propterea Eſaias cœleſti illuſtratus lumine, ex hoc mundi antro ſubuectus ad præclariſſimam Angelorum regionem, conſpexit cœlicas illas mentes in ſuis perſoluendis munijs, crucis formam obſeruare. Ita enim vaticinatur: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum; & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum; Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem, & duabus velabant pedes; & duabus volabant. Equidem occulta hæc & quaſi inuoluta aperientes nos, negare non poſſumus, iſtiuſmodi alas crucis delineaſſe exemplar. Ex alis enim ſuperiorem regentibus parrem, Deique faciem viciſſim obuelantibus, ſummum crucis verticem facile eſt animaduertere: ex illis, quæ infimos obducebant pedes, imam crucis radicem: ex hinc, & inde conuolantibus crucis tranſuerſum. Qui verò eximio valent ingenio, dum cœlum omne peruagantur, & ad Solem præcipuè oculos, animumque ſuſtollunt, ſatis acutè proſ-

piciunt ipſum Solem, dum ſigniferum decurrit orbem, quatuor anni tempora in crucis modum afferre; ac diem in quatuor partes diſtributum, in mane videlicet, & veſpere, in meridiem, & noctem, producere.

Et ſi quis diligentius perſpexerit totam mundi digeſtionem, tametſi videbitur in formam ſphæræ eſſe redimitam, & circumuallatam, in crucem quoque permaximam haud inconditè coaptari certum deprehendet. Orientis enim mundi pars, caput eſt ipſius vniuerſæ naturæ: Occiduæ verò regiones, pedes: Auſtralis, & Septentrionalis, dextera atque ſiniſtra. O perbellam, & maximè præclaram crucis figuram, in toto orbe expreſſam, non adumbratam. Quatuor elementorum corpora, Terra, & Aqua, Ignis, & Aer, ex quibus ſimul concretis conſurgit corporum compoſitio, an non & ipſa conficiunt, mirum quoddam Crucis inſigne? Ignis enim, qui in ſublime fertur, ſuperius conſtituit punctum; imis mundi radicibus defixa terra, punctum inferius: Aqua & Aer dextrum, atque ſiniſtrum præſcribunt lineæ extremum. O verè diuinum Crucis ſpectaculum, quod tam affabrè amplexatur vniuerſitatis corpus. Enimuerò procera crucis arbor, ſi erecta manet, ſuperiori tigillo cælum petit; ſtipite terram fodit; dextro ſiniſtroque cornibus cætera videtur omnia circumplecti.

Mundus ipſe crux eſt ingens, cuius caput eſt oriens, occiduæ regiones pedes.

Elementorũ diſpoſitio crucis inſig. præmonſtrat

Conſtanter igitur affirmarim, ſanctiſſimum, ac glorioſiſsimum crucis Idolum, quo nihil humilius, nichilque ſublimius effingi poteſt, perbellè oſtendere noſtri redintegratoris virtutem in cœlo, & in terris, in mari, & in omnibus abyſsis latiſsimè dominantem. Adhæc crucis deſignatio, & apparatus, in homine, tamquam in auguſtiſsima Dei ſtatua eximiè veneranda, elucet expreſsius. In interiori quidem pectoris conclaui, tam in quatuor cordis affectibus, quàm in quatuor corporis qualitatibus abdite latet crucis figura. Gaudium enim cor furſum erigit, & ſuſtolit. Triſtitia cor deorſum proterit, atque depellit. Timor à dextris cor refrænat, & continet: Dolor à ſiniſtris contorquet, & vexat. Sanguis ſpiritibus confertus ad ſuperiora fertur; pituita ad inferiora redditur; Atra, flauaque bilis vltro citroque commeant. En crucem in hominis penetralibus penitus abſtruſam, quam illi, qui intellectus lumine vigent, ac florent, contemplantur intimius, Quid de ſublimi hominis ore proferam? quod cætera animantia tremebunda venerantur? An non præſulgida quadam extat crucis imago? Quũ enim brachia extendit homo, extemplo aſpectabilem crucis figuram omnibus non nè oſtentat? Quid plura? Quæcumque rerum vniuerſitate comprehenduntur, crucis, vt ita dicam, tentorium conſtruunt.

In quatuor mundi gradibus ſplendeſcit crucis trophæum.

Quatuor ſiquidem rerum gradus, in vniuerſa annumerantur natura; commune nempe eſſe, ſentire, vigere, & intelligere. A corpore abiuncta intelligunt; animantia perſentiunt; arbores, & vigent, & feneſcunt; lapides in naturæ gremio tantummodo cõmorantur: Intelligentiæ in excelſo naturæ faſtigio conſtitutæ, ſuperiorem Crucis partem demonſtrant; lapides in vltimo inſidentes loco inferiorem innuunt; arbuſta ſiniſtram; animantia dexteram patefaciunt. Hinc priſcæ illæ Ægyptiorum nationes, à quibus fulſerunt humanæ ſapientiæ lumina, ſuis in Hieroglyphicis crucem admirandis proſequebantur honoribus; & quum reliquarum omnium figurarum acutè, & ſubtiliter & ingenioſè redderent rationem; huius ſolius ex duabus conſtituti lineis, vna in tranſuerſum deducta; alia à ſummo ad imam laterum æqualitatem propendenti; tamquam ſecretioris, ac diuinioris characteris, & notæ, quam nos Thau nuncupamus, nullam aſſignabant cauſam.

Ægyptiorũ religio crucem in primis coluit.

O clariſſimum gloriæ crucis argumentum, priuſquam fides Chriſtiana toto vbique terrarum orbe inualeſceret, naturæ vſque ad impietatem admiratores, manibus tangentes & pedibus, crucis ſigno innumerabilia edi portenta, ad cœleſtes confugiebant influxus; & vt Chriſti imminuerent gloriam, crucis characterem eximijs amplificabant laudibus. Si quidem verum vt loquamur, inter figuras nulla eſſe poteſt aut nobilior, aut præſtantior illa, quæ quatuor æqualibus lineis in crucem eſt conformata; hæc enim in quadrum poſita ſapientis ſymbolum eſt, perfectionemque ſignificat. Num, & quadratum corpus illud dicitur, quod medio quodam temperamento decorum eſt? Quare vt generatim ea, quæ maximè nota ſunt, dicam Crucis figura tanta eſt prædita virtute, vt in cauſa ſit, quòd magna pondera celerius moueantur. Nauigiorum quidem moles, tunc celerius feruntur, tunc pernicitate valent, cum ad malum tranſuerſum illud apponitur lignum, cui velum alligatur. Volucres tunc ocyus ſpatioſiſsima aeris oberrant interualla, quum alarum expanſione, crucis formam volitando efformat.

Crucis virtutem vt imminueret Aſtrol. quid effutiebant.

Crux perfectionis ſymbolum.

Crucis inſtrumento pondera facil. mouent.

Piſcibus vt perniciori lapſu laberentur in vndis, natura in omnibus operibus admirabilis, ſtudioſè, & accuratè pinnulas, quibus veluti remigio quodam natant, hinc & hinc affigit; Eodem modo qui Chriſtum ſibi ducem ſtatuunt, vt ad ſalutis portum tutò, ac velocius ſeſe recipiant, crucem libentius amplectuntur; & cruce viam ſibi muniunt, qua ad cæleſtem beatitudinem perueniant. Nos igitur gloriari oportet in Cruce Domini Noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati, & liberati ſumus. In cruce enim noſtra conſiſtit ſalus, vita, reſurrectio, & in libertatem vendicatio. Cruce enim, vt aceruatim omnia perſtringam, Chriſtus, qui etiam cognomen ſibi ex crucis trophæo arripuit, admirabiliter ſummaque cum gloria redemptionis opus perfecit. Cruce patris iram atque indignationem prorſus mitigauit. Cruce abundè, & cumulatè iuſtitiæ ſatisfecit. Cruce peccata horrenda, & funerea extinxit. Cruce præcipua nobis bona reſtituit. Cruce vitam impertiuit, & ſancti à morte ad vitam plurimos Cruce reuocarunt. Cruce hoſtem profligauit, preſſum preſſit, & proculcauit. Cruce ampla eripuit dæmonum ſpolia, triumphumq; egit, Cruce ex miſera illius cuſtodiæ moleſtia, in qua parentes ob noxam incluſi, & conſtricti tenebantur, liberauit. Cruce diſſoluto debito, cælorum aditum communi humani generis peccato intercluſum, patefecit. Cruce ſibi chariſſimas animas inde ereptas ad beatitudinem traduxit. Cruce ab immaniſſima Sathanæ tyrannide libertatis ſalutem mundo attu-

In piſcibus, in volucrib. crucis form. admirabilis eſt.

Chriſtus à cruce nouũ ſibi adſcripſit cognom.

In cruce õne bonum collocatum eſt.

Cruce quid effecerit Chriſtus.

Athletarum Chriſti cultus & limb.

attulit. Et in Crucis præſidio omnem ſpem eſſe ponendam ſtatuit. Propterea omnes illi Athletæ, quibus ineundum eſt cum Tartareo hoſte certamen, Crucis ſigno ſe debent communire, vt in ſpiritali lucta, & agone rem benè gerant. Horribilis enim, & formidoloſus eſt, cunctis ex altiſſimis illis ſedibus deturbatis dæmonibus, Crucis gladius. Crucifugi ob hoc dicti ſunt, quia ad Crucis occurſum veluti ad repentinam quamdam inſtar fulguris lucem perculſi aufugiunt. Ecce ſignum Domini, fugite partes aduerſæ. Quamobrem cum eam gloriam fuerit conſecutum Crucis lignum, quæ vix cælo capi poſſit, Conſtantinus omni laude ſuperior, legibus ſanciuit, nè amplius quiſquam Crucis ſupplicio afficeretur: ſed huic victoriæ ac pacis inſigni, honores quàm maximi ac propè diuini, ſicuti par eſt, deferrentur. Splendidum enim Crucis exemplar trifariam poteſt conſiderari; primo vt res, deinde vt res Chriſti; demum vt imago Ieſu Cruce affixi. Si primo modo conſideretur; Crucis ſignum proculdubio nullis eſt afficiendum honoribus; honor ſiquidem & obſeruantia, rationali tantum debetur creaturæ. At verò ſi, vt res Chriſti ipſius precioſo ſanguine tincta, animo præponderetur, tunc ampliorem hyperduliæ honorem tribuendum decernunt Chriſtianorum dogmatum dilucidatores, dicente Damaſceno: *Ipſum quidem precioſum lignum Crucis venerabile, in quo ſe ipſum pro nobis Chriſtus obtulit, vt ſanctificatum tactu corporis, & ſanguinis decenter eſt adorandum.* Tandem ſi, vt imago Chriſti Cruce affixi, animaduertatur; huiuſmodi Crucis monumento, profectò latriæ cultum adhibemus; honor enim imaginis refertur ad prototypum. Idem enim (vt maturè, cogitatò, prudenterque decreuit Damaſcenus) eſt adorare imaginem, & eum cuius eſt imago. Hinc pulchrum illud paſſim celebratur carmen.

Crux terrificus eſt gladius.

Admirabiles crucis radij.

Legib ſancitum nè crucis ſupplicio afficiatur mortis reus.

Honor rationali conuenit creaturæ.

Damaſc. ſuis in ſententijs cap. de cruce.

Quo honore proſequēda eſt crucis imago.

Effigiem Chriſti, qui tranſis, pronus honora,
Non tamen effigiem, ſed quod deſignat, adora,
Eſſe Deum, ratione caret, cui contulit eſſe
Materiale lapis, effigiale manus.
Nec Deus eſt, nec homo, præſens quam cernis imago.
Sed Deus eſt, & homo, quem ſacra figurat imago.
Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa.
Hanc videas, ſed mente colas, quod noſcis in ipſa.

Paſtor. curuato, non vtitur Pontif. ſed cruce baculo recto impoſita.

Romanæ itaque Eccleſiæ Antiſtes, qui Chriſti nobis vices refert, Crucem loco ſceptri ante geſtare conſueuit. Cæteri enim Epiſcopi paſtorali curuato, & quaſi adunco, in baſilicis ſuis vtuntur. Ipſe verò vniuerſæ Eccleſiæ curator, & cuſtos, recta Cruce: magno profectò ſacramento Pontifex ille, qui honore, & dignitate cunctis præfertur; Crucem recto impoſitam pedo, ſibi perpetuò præferri conſtituit, vt eius ſemper imaginem gerere meditetur, qui Crucem propter homines æquo animo tulit; recto autem ſuper ponitur baculo, quoniam à ſolo Deo recipit poteſtatem, alij autem Epiſcopi ab ipſo coarctam: Ille liberam, alij coanguſtatam obtinent auctoritatem, quæ, Beato Thoma aſſertore, baculi incuruatione probè denotatur. Hinc eſt, quod neque ampliſſimis Patriarchis, neque reliquis præſulibus, tametſi ad ſublimiorem erectis dignitatem, legibus conceditur, vt Martinus Laudenſis ſuis quæſtionibus mandauit, nec in alma Vrbe nec vbi Papa, ſeu Papæ legatus deferens inſignia Apoſtolicę dignitatis adfuerit, ſui ante conſpectum, Crucis vexillum portare. Virga igitur illa ſurrecta, quam ſummopere videtur commendare vates, dum inquit: *Virga directionis, virga regni tui: dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem;* rectè & appoſitè præfert integram, atque omnibus numeris perfectam poteſtatem, quam ſuo Vicario contulit Chriſtus.

B. Th 4. ſēt. dict. 14.

Mart Lud. in tract. de Princ q. 550

Virgæ ſurrectæ myſteriū Pſ. 44.

Quemadmodum enim Deus ſeruo ſuo Moyſi, mirificam illam contulit virgam, qua mira, & ſtupenda in cælo, & in mari citra vllum impedimentum exequi, ac præſtare poſſet. Eodem modo longè amantiſſimus Dei filius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ præfecto, tantam contulit poteſtatem, qua terribilem militantis Eccleſiæ aciem ad finem ſuum poſſit felicibus auſpicijs perducere. Propterea Eccleſiæ moderator, & rector, vt oſtendat ſe neceſſaria, & opportuna primarij ducatus auctoritate eſſe præfultum, qua totius Chriſtiani orbis exercitum fauſtè, & feliciſſimè dirigat ad conſequendum diuinæ vocationis, atque promisſionis brauium, quod Deus illis præparauit decertatoribus, qui repreſſo fœdisſimorum hoſtium impetu, de omnibus viriliter victoriam reportant. Crucis vexillum comprehenſum in Eccleſia peregregiè continet. quo Sacerdotalem ductum veramque diuini principatus rationem ſibi plenisſimè iniunctam declarat. Inter cunctos autem Pontifices maximos, qui Crucis trophæum deuotiſſime venerati ſunt, Syxtus V. Pontificum religioſisſimus, primarium ſibi ſuo quodam iure arripuit locum. Namque, vt crucis venerator magnificentisſimus, ſurrectis illis peringentis, & molis, & ponderis obeliſcis, præpotentis Romanæ ditionis olim miraculis, ſed temporum iniuria, obſcurioribus, & ignobilioribus, iacentibus in tenebris, adeo clariſſimis Crucis nitoribus cohoneſtauit, vt formidoloſo illo fulgore, quem almæ Vrbis inclyta proles, vnquam, niſi præſenti Syxti V. felicisſimo hoc æuo conſpicere digna fuit, cunctas videatur æreas poteſtates à Romanis finibus propulſaſſe, ipſiſque hoſtilibus nequitiæ aciebus asſidue minitare, ne huic regiæ Sacerdotalique Ciuitati mala inferre pertentent, quoniam flammeo ſuæ diuinæ poteſtatis gladio eas longe arcebit, ac grauioribus ſanctisſimæ Crucis ictibus contrucidabit.

Virga Pont virgam virtutis ſyon ęcialiſſimè indicat Exod. 4.

Crucis vexillo oſtendit Pōt. eſſe ſummū militum Eccl. ductorem.

Inimicorum victores optato felicitatis præmio potiuntur.

Syxtus V. crucis venerator magnificus.

RADIVS XXIV.

De Pontificio Pluuiali; vbi longitudo, latitudo, ſublimitas, atque profundum Pontificiæ auctoritatis enucleatur.

Eccleſia, ab omni ſanctitatis fonte, & largitore Deo, ſanctitate donata; tam lon-

Digitized by Google

Vna eccl. proprietas eſt, vt cath. nempè vniuerſalis vocetur.

ge lateque diffunditur, vt a ſolis ortu vſque ad occaſum, vnius fidei ſplendore illuſtrata, non vnius tantum regni terminis, aut vno hominum genere definiatur: verum omnes homines veram fidem profitentes; & in illo lapide angulari Chriſto, qui fecit veraque vnum, & pacem ijs qui prope, & pacem ijs qui longe: conſiirutos, & fundatos, ſiue illi barbari, ſint, ſiue ſcythæ, ſiue ſerui, ſiue liberi, ſiue maſculi, ſiue fœminæ, charitatis ſinu complectatur. Inter cætera igitur, quibus inſignitur, præconia, hoc vno potiſſimum condecoratur, vt Catholica, nempe vniuerſalis, vocetur. Quam ob cauſam illius moderator, & rector iure ac meritò œcumenicus, & generalis compellatur Epiſcopus; cum quo eſſe idem eſt, teſte Cypriano, cum Catholica Eccleſia communicare; & ab eo deſciſcere; eſt perinde ac ab Eccleſiæ caſtris aufugere. Romana igitur Eccleſia, cui tanta cum maieſtate Chriſti Vicarius præſidet, virtute ac poteſtate catholica cenſenda eſt, quia diuinitus illud obtinet capue, à quo Sacerdotalis virtutis profluuium, ad cunctas promanat Eccleſias. Cæteræ autem Eccleſiæ eo quidem nuncupantur Catholicæ, quia Romanam, quam Hieronymus apertisſime contra Ruffinum appellat catholicam, inſequuntur. Quemadmodum quiuis fidelis ob hoc nominatur catholicus, quia in huius ſanctisſimæ parentis ſinu ſeſe continet; & præſtantisſimus Hiſpaniarum Rex, Catholicus in toto orbe prædicatur, quoniam Romanam Sedem Apoſtolica voce laudatam, nó ſolom ipſe honorifice colit, ſed etiam grauiſſimo, ac ſeuerisſimo vult edicto, vt cuncti, qui ſuo imperio parent, eam retineant traditionem, ac religionem, quam Eccleſia Romana ſemper inuicte cuſtodiuit. Poſt alia itaque Pontificia ornamenta, ſiue aurea, ſiue purpurea, Romanus Antiſtes peramplum ſuperinduit pallium ſeu pluuiale, quo poteſtatis ſuę amplitudinem peregregie oſtendit. Pallij igitur, ſeu pluuialis tegumentum ſuper omnem Irin effulgens, quo perſonam ſuam obnubat ſanctiſſimus Eccleſiæ Hierarcha, veluti illud quod cætera omnia complet ornamentorum genera, ſeſe nobis vltimo loco offert attentiſſimis animis conſiderandum, & perpendendum. Pluuialis igitur myſteria dum breuiter expono, quæſo diligenter attende lector, & perturbationem, ſi quam habes depone. Iam porrò id ſcire conuenit, pallium ſupremam oſtendere poteſtatem, & pallij latitudinem, poteſtatis profluentiam in omnes Chriſtiani orbis partes dimanantem ſignificare. Hac enim & illac Papæ auctoritas perfluit, & ad vltimos Purgatorij carceres vſque pertingit. Cæteri quidem Eccleſiarum Epiſcopi in partem tantum ſollicitudinis ſunt vocati: Ipſe verò Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſes, in plenitudinem poteſtatis.

B.Cypr.lib. 1. Epiſt.6.

Rom.Eccl. capitis gratia dicitur Catholica.

Hier contra Ruffinú lib 1 In quem ſenſum ecc per orbem diffuſæ dicuntur Catholicæ.

Hiſp. Rex vt Cath vbique terrarū celebratur, & quare.

Adagium.

Singularū Eccl Epiſc. in parté ſollicitudinis vocati.

Totus mundus eſt dięc. Papę & ipſe eſt ordinarius cunctorum.

Quanta ſit Pontif.auct.

Vnde cum totus mundus ſit eius Diœceſis, non ſolum Romanorum, immo Chriſtianorum omnium Pontifex eſt ac totius Eccleſiæ Princeps. Cuius iuriſdictionis, & auctoritatis latitudo, tanta eſt, qua vniuerſam ſibi commiſſam Eccleſiaſticam Hierarchiam in officio, ſolidaque vnitate continere queat. Illi ergo, qui Chriſti nobis vices refert, palliolo quoque ſemper, & vbique in Miſſarum ſolemnijs vti ęquiſſimè licet. Cum autem ille, qui primatum in Eccleſia obtinet, poteſtatis, dignitatis, ac imperij magnitudine ita latè præfulgeat, vt omnia claue non errante, ſupra, extra, & contra iura, tamquam fons iuſtitiæ viuus, canonque animatus æquè poſſit, cui nemini licet, ipſo à nullo dependente, neminem vè habentem ſuperiorem, aut parem, petulantius dicere: cur ita facis? tantæ amplitudini haud inconcinnè adſcribimus, altitudinem, longitudinem, ſublimitatem, atque profundum. Tanta quidem eſt Pontificiæ auctoritatis altitudo, vt diuinorum iuriſdictione; Sacramentorum diſpenſatione, pęnarum inflictione, vel condonatione; omnium cæleſtium mentium poteſtatem excedat; citius dixerim, in adminiſtratione Paulo, cæteriſque Apoſtolis præter quàm Petro, cui in Vicariatus functione par eſt, quàm longè præſtare, & omnibus ſanctis auctoritate quàm ſublimiter eminere. Quapropter in opinionum ambiguitate magis ipſi, vt ſupremo iudicio, quàm ſanctorum dictis, eſt adhibenda fides. Ideo qui Papæ, Chriſti legationem obeunti mentitur: ſacrilegorum pœnis mulctandus eſt. Ille ſiquidem, quem Deus Pontificali munere donauit, in Eccleſia ſeſe habet, vt Sol in planetis, qui lucis ſuæ radios omnibus impartitur, & cunctis rebus perobſcuris nitorem præſtat. Huius autem altitudinis præſtantiam, Bernardus ab omni adulationis veneno alienus hunc in modum ſuo Eugenio commendat: Agè indagemus adhuc diligentius, quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedeh, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Hęc ille. Quid igitur ego de tantæ poteſtatis longitudine proferam? Nullis quidem verbis eam explicare, aut mentem comprehendere poſſum: adeo enim protenditur, vt nullis certis coarctari poſsit limitibus; In omnes quidem mundi cingulos attingit, & in omnibus tenere omnia perſuaſum habent cumulatiore ſapientia præditi doctores; ex quorum numero B. Bernardus, dum in illius meditatione verſaretur, ita conſcribere viſus eſt: Sunt quidem & alij cæli Ianitores, & gregum paſtores; ſed tu tantò glorioſus, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti.

Palliolum ſupremam quoq; oſtendit poteſtaté

Altitudo pō tificiæ poteſtatis.

Papæ mentiens vt ſacrilegus habetur.

Lib.2.de conſil.

Pontific. magnitudo, nobilitas atq. præſtantia.

Eodem l. Bernar.

Pontifex eſt generalis paſtor, & mūdi cuſtos.

Habent illi ſibi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus: nec modo ouium, ſed & paſtorum. Tu vnus omnium paſtor. Vndè id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues! Si me amas, paſce oues meas. Quæ? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni: oues meas, inquit. Cui non planum eſt, non deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſſe omnes. Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et forte non præſentes erat cæteri condiſcipuli, vt committens vni, vnitatem cæteris commendaret in vno grege, & vno paſtore. Inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur

Digitized by Google

Pontificis poteſtas, nullis arctatur limitibus.

batur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Potrò cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxtà canones tuos, alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos qui poteſtatem ac ceperunt. Non nè ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu depouere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum tibi iam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Hactenus ille. Nec affirmare dubitem, celſiſſimam Pontificum maieſtatem, ita latè patere, vt Pontifex, qui tam electo, ac prædilecto eccleſiæ regno præeſt; Deus ac Dominus iurè dicatur in terris. Quocirca aptè aiunt, factum Papæ, Dei factum cenſeri: & idem cenſendum eſſe Dei, & Pontificis conſiſtorium, à quo non poſſumus appellationibus diffugio recedere. Ad expromendum igitur ſublimiſſimam tanti Pontificis præſtantiam, multa variaque adinuenta ſunt omnia, vt illud decus, quod vna vocabuli ſignificatione exprimi neutiquam poteſt, pluribus in vnum coaceruatis, aliqua ex parte depromatur.

Pontifex eſt mundi Dominus.

Idem eſt cõſiſtorium Dei & Pontificis.

Enumeratio plurimorũ dignitatis nominum, quæ iurè Pontifici Romano adſcribi poſſunt.

Propterea qui vices veri Dei gerit in Eccleſia, non ſolum Reuerendiſſimi, cæteroqui Beatiſſimi, atque Sanctiſſimi decoratur titulis, ſed etiam nuncupatur Archiepiſcopus, Princeps Apoſtolicus, Summus Sacerdos, princeps Sacerdotum, pater patrum, Epiſcopus Epiſcoporum, & culmen eorum, militantis Eccleſiæ dux, ouium & agnorum paſtor, Romanus Antiſtes & Præſul, Chriſti Vicarius, ſucceſſor Petri, mundi arbiter, dominus, & magiſter, omnium perilluſtrium dignitatum, fons & origo; à qua tam regiæ, quam Imperatoriæ profluunt dignitates, nec Deus, nec Homo, ſed admirabile quoddam inter vtrumque numen. Verum enim verò Pontifices illi, qui crebrò ſeſe in vita Domini, ceu in luculiſſimo ſpeculo inſpiciebant, & explorabant, licet in ſublimi degerent honorum culmina, nihil omnino ſibi tribuentes, ad cultum ſolum, ac famulum Chriſti ouibus impendendum ſe natos arbitrari, tot tantiſque poſt habitis dignitatis encomijs, cunctorum ſeruorum Dei ſeruos ſe dixerunt, ac humilimo huiuſmodi titulo perenni cum laude ſe ipſos cõdecorarunt. Hinc nobile ortum eſt diſtichon.

Immenſus Pontificum Eccleſiæ humilitatis decor.

Seruierant tibi Roma domini dominorum,
Seruorum ſerui nunc tibi ſunt domini.

Pontificia humilitatis virtus à Deo quã ampliſſimi honoratur.

Certè Pontificia maieſtas, quæ præſtat quàm ampliſſimè omnibus mundi celſitudinibus, nulla alia præclariori ſe cultius poterat ornare margarita, quàm huiuſmodi Chriſtianæ humilitatis Antonomaſia. Quantò enim hæc maieſtas, cunctis à Deo conditis dignitatibus præſtantior atque ſublimior, humilius ſe deponit, & præclariora præbet humilitatis exempla; Tantò magnificentius ab ipſo cœli, terræque fabricatore ſubuehitur. Quid Deo excelſius? Quid filio Dei ſublimius? Aut quid ſerui nomine inferius, vel abiectius? Et tamen ipſe tanta generis celſitudine, & nobilitate præditus princeps, ad inopum & abiectorum, ad ſui conuictum & conſuetudinem adſcitorum hominum, fœdatos pedes proſtrauit, & ad illam, vt ita dicam, vacuitatem prouoluta diuinitatis vaſtitas, illas ſordes profunda cum humilitate abluit & abſterſit, præſulibus commemorandum relinquens humilitatis monumentum, nè quidquam ſibi tribuant, ſed humilitati dent operam, & animabus ſibi in curam datis, ingenti cum timore, ac humillima cum ſubmiſſione ſeruos ſe exhibeant.

Extremus ipſius Chriſti humilitatis gradus.

Tres humilitatis gradus.

Tres profectò adnumerantur humilitatis gradus: Vnus quo aliquis ſubdit ſe maiori, & non præfert ſe æquali: Secundus quo aliquis ſubdit ſe æquali, & non præfert ſe minori: Tertius quo aliquis verè humillimus ſubdit ſe minori, & nihil omnino ſibi arrogans nulli ſe præfert. Primus humilitatis gradus eſt ſufficiens, & neceſſarius: Secundus abundans, atque perfectus; Tertius excedens atque longè perfectiſſimus. Chriſtus perfecta præditus humilitate tamquam communis orbis miniſter, vltimum humilitatis gradum re ipſa commẽdauit, vt qui in ſui reponeretur locum, abſque vlla animi elatione tantum conſcenderet dignitatis faſtigium; & in illo ſeſe exiſtimaret non poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem. Illud autem animo tenere debemus comprehenſum, Pontificis auctoritatem profundum quoddam eſſe pelagus, cuius perennis aquarum, hoc eſt gratiarum profluẽtia, ex mera Dei bonitate ſibi collata, intimiora terræ latibula vſque pertinet, & in illis penetralibus, ijs qui à ſcelerum veſtigijs ſeſe expiant, vti indulgentiarum ærario præfectus, ex peringenti iſto ſanctarum opum theſauro, talenta dilargitur, quibus valeant diuinæ iuſtitiæ copioſè ſatisfacere. Charitatis enim connexio, quia in vno corpore omnes nos, ceu viuida Chriſti membra, vna concreſcimus, exigit profectò vt diuina ferit ope nobis inuicem feramus ſuppetias.

Pontificiæ auctoritatis profundum.

Ratione à connexione myſtici corporis deſũpta oſtenditur, quomodo animæ in purgatorio detentæ adiuuentur ab Eccleſia.

Quum autem illi, relegantur ad immanes Purgatorij cruciatus, deceſſerint in charitate, Chriſti ſignati charactere, licet ibi pœnas luant pro peccatorum maculis hic contractis, licet ibi veluti fluuiali vnda peccatorum ſordes eluant; attamen ex perenni charitatis colligatione, nobis in gratia coniuncti ſunt, & in amori copulati. Ideo eorum perpeſſionibus eccleſia ſuffragari poteſt. Cuius profectò veritatis ſatis eſſe deberet hæc Damaſceni auctoritas: Myſterium conſcij diſcipuli Saluatoris, & ſacri Apoſtoli in tremendis & viuificis myſterijs memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierant, ſanxerunt. Sed quoniam duo Eccleſiæ Latinæ lumina, Auguſtinus videlicet, & Gregorius id ipſum coniunctis ſententijs profitentur, ad vberiorem ſolidioremque dogmatis huius confirmationem illorum adduco firmamenta. Non parua, inquit ſanctus Auguſtinus, eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, vt precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habeat etiam commendatio mortuorum.

Damaſc. in ſerm. de ſuffrag. mort.

Aug. in lib. de cura agẽ. pro mortuis

Greg. & ponitur in c. Animæ defũcto. 13 q 2.

Gregorius verò modos enumerans, quibus poſſunt illi, qui purgatorij flammis plectuntur, à tantis acerbitatibus eleuari, dixit: Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus ſanctorum, aut charorum eleemoſinis, vel ieiunio cognatorum; quemadmodum Dionyſius Apoſtolorum locupletiſſimus teſtis eſt: Nam venerandus, inquit, Antiſtes precem

Animæ purgatorij, quibus modis ſubleuentur

Eccl. Hierar. ca 7 Ritus orandi ſupra mortuos antiquiſſimus eſt

ſacram

ſacram ſupra mortuum agebat, vt Deus peccata dimittat per infirmitatem humanam admiſſa, eumque in luce ſtatuat in regione viuorum, in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob, in loco vnde auſugit dolor, & triſtitia, & gemitus. Quid enim prohibet (vt præter tantorum doctorum auctoritates, idipſum validiſſimis corroboremus rationibus) vt illis, quos Purgatorij pœnis mulctat iuſtitia, non poſſit ſuis ex immenſis opibus debitum pro miſertimo, perſoluere iuſtitiæ exactori? Enimuerò charitatis vis adeo mirifica eſt, vt in cælis vehementiſſimè vigens, ad nos qui è cælo quàm longiſsime diſtamus vſque pertingat, & in nobiſmet ipſis adhuc in terris degentibus effloreſcens, ad vltimos identidem purgatorij carceres ſuam emittat virtutem.

Saluo iuſtitiæ æquilibrio, locuples pro paupere ſatis facit.

Ratio ab ipſa miſericordia deſūpta.

Quod ſanè Iudas Machabæus inſigni præditus pietate compertum habens, miſit Hieroſolymam duodecim milia drachmas argenti, eas offerri ibi pro peccatis mortuorū. Illud autem eſt aduertendum; dæmigrantibus ex hac vita animabus maximè opis noſtrę indigentibus poſſe quidem viri pios, ac religioſos, ad ſtatum gloriæ conſequendum ſuis actuoſis operibus ſubuenire, & opitulari per modum ſuffragij, non autem per modum meriti. Propterea quòd iuſtiſſimus ille Iudex, qui cuncta ponderat æqua lance, ad vitam numquam interituram eos tantummodò adducit, qui ex mutua carnis, & ſpiritus concertatione palmam retulerunt, & ad vltimum vſque perſeuerantes ſpiritum de cunctis hoſtibus triumpharunt: quare vt munificus operū virilium remunerator, certaminis merita perabundè compenſat, vitæ æternæ trophæo. Nullus autem ob alterius ſtrenuitatem, laureā ſibi meretur, ſicuti ſcriptum eſt: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Ea de re Dionyſius ſuis mandauit ſcriptis: ſi enim retributiones recipiat vnuſquiſque à diuina iuſtitia eorum, quæ in præſenti vita bonorum, & malorum peregit, finiunt autem ſecundum hanc vitam ſproprias operationes qui dormiunt, quomodo per quandam ſummus Sacerdos operationem in alteram requiem tranſuehet vſtra dignitatem eius? Nos igitur illis, qui à venia dignis ſordibus abluuntur, purgatorij balneis, haudquaquam obtinemus coronam gloriæ, quæ proprijs eſt aſſequenda virtutum meritis, ſed tantum à ſumma Dei liberalitate, & libertate exorando, & obſecrando impetramus, vt quos in paterni regni hæreditatem aſciuit (ſed adhuc diſtinentur nonnullis purgatorij præpedimentis, ne in patriam tātis votis exoptatam ſubuolent) omni ſublata retardatione & mora, in æternæ beatitudinis ſinum excipiat. Pontifex itaque penes quem eſt ſumma Eccleſiæ poteſtas (dicente Chryſoſt. Homini mortali cæli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt poteſtatem commiſit Dominus, & Eccleſiam validiorem cęlo demonſtrauit) miſericordia motus in eos, qui acrioribus purgatorij exuruntur ignibus, ex plenitudine clauis iuriſdictionis, cui purgatorij portæ nō reſiſtunt, neque clauduntur, defunctis iam tū purgatorij carceribus deuinctis atque adſtrictis, Eccleſiæ impartitur ſuffragia, ex pacatiſſimis, atque opulentiſſimis Eccleſiæ gazis, quibus celerius valeant æquiſſimo illi ſatisfacere animaduerſori, qui peccata grauiter ponderat, minimaſque culpas haud leues arbitratur: Quare Indulgentiarum largitione ſatisfactionem haudquaquam tollit, ſed potius facultatem ſatisfaciendi potiorem tribuit.

2. Macha. 12

Per modum ſuffragij opitulamur animabus in purgatorij loco à reliquijs peccatorum ſe, euellentibus.

Iac. 1.

Diony. de Eccl. Hierar cap. vlt.

Quomodo Papa ex ſua poteſtat. plenitud. iuriſd. habeat in Purgatorio.

Chryſoſt. ſuper Matth. 16.

Iudicij Dei ſeuerum æquilibrium quilibrium.

Neque indulgentiarum condonatione (vt nonnulli perperam ducunt hæretici) vlla vtitur poteſtate per modum iudicij in defunctos iam ab eius foro ſolutos iudicando, ligando, aut ſoluendo, ſed tantum de alienis laboribus, & pœnis à charitatis radice prodeuntibus adiuuando, vt ait Bonauentura, præſtat opem, vt quibus aliquid diluendum ac perſoluendum eſt, quamprimum ſolui queat. Quare, vt Theologorum princeps ſchola planius elucidat, animabus purgatorio igne ſe perpurgantibus per modum adiutorij & ſuffragij opitulari poteſt; cui quidem ſententiæ ex recentioribus ſubſcribere viſus eſt Nauarrus dicens: Quoties Romanus Pontifex concedit Indulgentiam pro mortuis, toties addit, per modum ſuffragij; quaſi diceret, ſe non directè abſoluendo, ſed indirectè ſoluendo pro eis, eos iuuare: ex quo infertur Papam iuuare quidem poſſe defunctos indulgētis eo modo, quo Eccleſia, cognati, & amici iuuant eos ſuis ſuffragijs ſatisfactorijs: & ita abſoluere eos indirectè, hoc eſt, ſoluere quod ipſi debent, quod conſequitur diuina abſolutio: hæc ille, & eruditè quidem. Cum enim animæ illæ quæ purgatorij igne ad definitum tempus expiantur, quodammodo ſint in via, & quodammodo ſint in termino. In via quidem quo ad emendationem, quia in illo balneo ab omnibus ſe detergunt maledictis, & ab omnibus macularum reliquijs ſe ſe emundant. In termino verò quo ad gratiæ confirmationem, quia à Dei charitate amplius non poſſunt ſeuocari: Nulla intercedit difficultas, cur Chriſti Vicarius per modum ſuffragij, & adiutorij, licet non per modum iudicij, huiuſmodi animabus, quibus cæli aditus non eſt præcluſus, non valeat ſubſidio occurrere. Id plane voluntatis eſt diuinæ, vt charitatis vnguentum longè lateque effundatur. Ille quippè, qui pro nobis debitum exoluit, inſtigat & adhortatur, vt opibus deſtitutos noſtro ſuſcipiamus patrocinio, & mœrore miſerijſque depreſſos, noſtra ſubleuemus opera. Ex his liquidò potes animaduertere Romani Pontificis, iuriſdictionem, & auctoritatem ad imum vſque purgatorij fundum, & ad abdita vſque animarum receptacula pertingere, Eccleſiæque ſuffragia omnibus in commune præſtare, cæterum ſacrorum princeps purgatorij incluſoria protſus non euacuat, neque omnes ab illis eripit pœnis, quoniam non ita conuenit. Bonorum enim Eccleſiæ diſpenſatio diſcretè, & cum moderamine facienda eſt. Vt enim Indulgentiarum Theſaurus vim habeat, tria potiſſimum ex neceſſitate requirit. Cum primis iuſtam, & conuenientem expoſtulat cauſam, vt pro cauſæ qualitate Indulgentiæ condonentur.

Pontif. purgatorio opitulatur per modum ſuffragij, non iudicij.

4 ſen. diſt. 21 qu. 5.

Ex Alex. Alenſ.

Quid ſit Papā mortuis iuuare per modum ſuffragij.

Nauarrus de Iubelęo notab. 22.

Animæ, quæ in purgatorio diſtinentur quodam modo ſūt in via, & quodammodo in termino.

Papa totum non euacuat purgatoriū.

Cōditiones requiſitæ ad aſſequendū Indulg. theſaurum.

Ex parte verò cauſæ pietas, vnde, & Dei honor, & proximi vtilitas emergat. Ex parte verò recipientis charitas; licet autem animæ illæ in charitate degant omnes, attamen nè diuinæ iuſtitiæ iuribus omnino derogetur, neque inſuper Eccleſiæ ſuffragia penitus delean-

Digitized by Google

leantur, non omnes à purgatorij ſupplicijs
vendicat, quia neque omnes pariter merentur
vendicari, ſed diuinæ relinqui iuſtitiæ: pro
meritis enim perſoluenda eſt pena. Ita enim
inſonat cæleſtis Dei tuba. Miſericordiam, &
iudicium cantabo tibi Domine. Seueritati
quidem iuſtitiæ, admiſcenda eſt miſericordiæ
lenitas; & miſericordiæ lenitati, iuſtitiæ ſe-
ueritas. Hæc dextera Dei eſt; illa autem ſi-
niſtra. Vna veluti dextera ipſe ſummus rerum
omnium procreator Deus, innumera confert
benefitia. Altera verò tamquam ſiniſtra, pro-
merita infligit ſupplicia. His duabus vno fę-
dere copulatis, veluti inexpugnabilibus Re-
gni præſidijs, adeo roboratur principum for-
titudo, vt neque cuniculis, neque apertis im-
preſſionibus concuti vmquam poſſit. Nihil
igitur id mirum eſt, ſi Pontificia Syxti Quin-
ti Poteſtas, quæ tanta cum maieſtate habe-
nas totius Chriſtiani orbis moderatur, ſtatim
vt in ſacroſancto Solio conſidens, viuum cœ-
pit exprimere magnanimi Principis, iuſtiſſi-
mi Regis, Sanctiſſimique Pontificis exemplar,
æquiſſimè tenens iuſtitiæ, & miſericordiæ æ-
quilibria, probos miſericordiæ ſinu excipien-
do, improbos directionis virga percutiendo,
Eccleſiaſticæ Hierarchiæ dignitas, ita fuerit
confirmata, & aucta, vt reſecatis dedecori-
bus vbique eniteat, vbique conſulgeat, vbiq;
diuinis Cæleſtis Hierarchię nitoribus ſplende-
ſcat. O Regiam Syxti Quinti animi magni-
tudinem, ò perbeatam heroici pectoris excel-
ſitatem, non iam Vrbis Romæ, non iam Ita-
liæ finibus, non iam Europæ limitibus coar-
ctatam, ſed ad remotisſimas vſque, & Tagi,
& Gangis, & Antipodum partes dilatatam.
Viuat, & quàm diutisſime viuat Syxti Quinti
Pontificia Maieſtas, ſacroſanctæ Dei Eccléſię
hiſce neſaſtis temporibus, tam peropportuna,
& neceſſaria. Vos ſancta cæleſtis Hierarchiæ
numina, quæ è ſublimibus illis cælorum ſedi-
bus demiramini tanti Pontificis auguſtisſi-
mam regendarum totius Chriſtiani orbis pro
uinciarum virtutem, procul vniuerſa auerti-
te ærumnoſæ vitæ infortunia, & ex illis per-
petuæ integritatis fontibus, diuturnioris vitę
liquorem tam ſacro pectori inſunditote; vt vi-
tam ſub Antiſtitis huius beatisſimi felicisſi-
mis auſpitijs quàmdiu agentes, propulſatis
calamitatibus ex hoc infimo Eccleſiſticæ Hie-
rarchiæ ſolio, illud eminentisſimum cæleſtis
Hierarchiæ conſcendere valeamus faſtigium.
Quod vtriuſq; Hierarchiæ decorator, & Prin-
ceps Deus, omnibus Hierarchis, Hierarcha-
rumque veneratoribus præſtare dignetur, per
Chriſtum ſanctisſimæ nobilitatis illuſtrato-
rem. Amen.

Pſalm. 100.

Summi Pro creatoris dextera atq; ſiniſtra.

Duo regni præſidia.

Syxti V. dextera atq; ſiniſtra in tractando vniuerſ. Eccl. gubernacul.

Quas regiones Syxt. V fama penetrauit.

Pro Syxto V ad cæleſtia numina acclamatio.

F I N I S.

ALPHONSI
ALVAREZ GVERRERO.

Alphonſus Aluarez Guerrero (ita Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſpanica tom. 1. de hoc loquitur Auctore) Iuris vtriuſque Conſultor, & Doctor, apud Italos ſeſe conſpicuum literis, dignitateque longè à Patria exhibuit; nam ex albo Secularium poteſtatum Regiæ Cameræ Summariæ, Regni atque Vrbis Neapolitanæ Præſidem; inde ex Sacrarum, Monopoli eiuſdem Regni Epiſcopum geſſit, anno ſcilicet MDLXXII. die 11. Iunij, extare fecit documenta plurimæ, ac piæ doctrinæ, interque, *Theſaurum Chriſtianæ Religionis*, *& Speculum Sacrorum Summorum Pontificum*, *Imperatorum ac Regum*, *& Sanctiſſimorum Epiſcoporum* ad Philippum Regem Catholicum, Venetijs excuſſum 1659. & alibi, cuius operis, & meminit Ludouicus Iacobus à S. Carolo in ſuo Pontificiorum Scriptorum Indice, hinc nos quæ de auctoritate Romani Pontificis extant; ſelegimus, ſicut infra appoſita.

DE ECCLESIASTICA DIVINA POTESTATE, & de vnitate Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, & de vnitate, & pleniſſima poteſtate ſacri Summi Romani Pontificis:

C A P. I.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia Romana cæteris Eccleſijs prælata eſt, & caput eſt, & mater omnium Eccleſiarum. & num.39.*
2 *Soli Pontifici datur Canones interpretari.*
3 *Petro datum cæteris Apoſtolis præeſſe. Idem dicitur num.14.*
4 *Typus Eccleſiæ in Petro. & num.56.*
5 *Ordo ſacerdotalis à Petro initium ſumpſit. & num.47.*
6 *Solus Petrus in Eccleſia Dei plenitudinem poteſtatis habet. & num.57.*
7 *Plenitudo poteſtatis in Pontifice in quo oſtenditur? & num.6.*
8 *Papa iudex totius Eccleſiæ.*
9 *In ſede Petri totius Eccleſiæ principatus poſitus eſt.*
10 *Epiſcopi in partem ſolicitudinis aſſumuntur.*
11 *Petrus grex dominicus commiſſus eſt.*
12 *A Papa iuriſdictionis poteſtas in omnes Prælatos Eccleſiæ tranſmittitur.*
13 *Solus Petrus à Chriſto immediate poteſtatem iuriſdictionis accepit.*
15 *Militans Eccleſia à triumphante deriuatur.*
16 *Vnus Summus Pontifex in Eccleſia Dei eſſe debet.*
17 *Papa, niſi ſit hæreticus, non habet in terris ſuperiorem.*
18 *Eccleſia vſque ad finem ſeculi duratura.*
19 *Papa ſolus omnimodam exercet iuriſdictionem, alij non ſine eius diſpoſitione.*
20 *Alij Apoſtoli coadiutores fuerunt, & cooperantes Petro.*
21 *Epiſcopi ſub Papa iuriſdictionem habent, & vnde Epiſcoporum initium.*
22 *Epiſcopi ſanctiſſimi legati Chriſti dicuntur, & perfectiores fratribus religioſis ſunt. & num.38.*
23 *Petri ſucceſſores per electionem magis, quàm per carnis ſucceſſionem ad Pontificatum aſſumi debent.*
24 *Qui in Epiſcopum ſit eligendus.*
25 *Chriſtiani populi ſanitas ex voluntate capitis, & rectoris pendet.*
26 *Papæ electio à quibus primitus fiebat, vel hodie fit.*
27 *Eccleſia, quæ mater dicitur, vera eſt: nec extra Eccleſiam ſalus eſt.*
28 *Concilium ex communi intentione dictum.*
29 *Eccleſia quare dicitur Apoſtolica.*
30 *Apoſtoli genuerunt Eccleſiam.*
31 *Claues Petro data poſt reſurrectionem.*
32 *Petro tanquam capiti poteſtas clauium data,*

alijs Apoſtolis tanquam membris. & num. 37.
33 *Sacerdotis poteſtas in abſoluendo quanta eſt.*
34 *Eccleſia Dei cur nauicula Petri dicitur.*
35 *Petro ſpecialiter à Chriſto commiſſa eſt Eccleſia.*
36 *Dei, & Papa idem eſt conſiſtorium.*
40 *Eccleſia Lateranenſis inter alias omnes obtinet principatum.*
41 *Romana Vrbs altera Hieruſalem.*
42 *Papa non poteſt aliò Romanam Eccleſiam transferre.*
43 *Petrus ſolus immediate à Chriſto ordinatus Epiſcopus. & num. 46.*
44 *Epiſcopus non niſi à tribus alijs Epiſcopis ordinatur.*
45 *Moyſes ſimplex ſacerdos fuit.*
48 *Abel primus ſacerdos in lege naturæ, & num. 52.*
49 *Declaratio horum verborum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.*
50 *Chriſtus ſolus dicitur fundamentum Eccleſiæ primarium, Petrus verò ſecundarium.*
51 *Sacerdotium fuit in lege naturæ, ſed imperfectum: item & in lege ſcripturæ.*
53 *Melchiſedech prior obtulit ſacrificium.*
54 *Sacerdotium perfectum in lege Euangelica miniſterio Chriſti datum.*
55 *Triplex ſacerdotium nouæ legis.*
58 *Apoſtoli inter ſe dupliciter comparantur.*
59 *Differentiæ quinque inter poteſtatem Petri, & aliorum Apoſtolorum.*
60 *Chriſtus caput Eccleſiæ: Petrus item caput, ſed vt vicarius Chriſti.*
61 *Claues Eccleſiæ datas, quomodo intelligatur.*
63 *Eccleſiæ nomen circa diuerſa miniſteria diuerſas reſpicit perſonas.*

SAcroſancta Romana, & Apo-
ſtolica Eccleſia non ab A-
poſtolis, ſed ab ipſo Do-
mino Saluatore noſtro pri-
matum obtinuit, ſicut B.
Petro Apoſtolo dixit: Tu
es Petrus, & ſuper hanc
petram ædificabo Eccleſiam meam, vt in
cap. ſacroſancta. 22. diſt. & Matth. 16. & in
cap. loquitur 24. quæſtio 1. Itaque ſancta Ro-
1 mana Eccleſia Catholica, & Apoſtolica præ-
lata eſt cæteris Eccleſijs, & non conſtitutio-
nibus Synodalibus, ſed Euangelica voce
Domini noſtri primatum obtinuit, dicente
Domino, vt dixi: Tu es Petrus, & ſuper hanc
petram ædificabo Eccleſiam meam. c. quam-
uis. 21. diſt. cap. ideo 25. quæſt. 1. cap. rogamus.
24. quæſt. 1. Vbi litera dicit: Rogamus vos
fratres dilectiſſimi, vt non aliud doceatis, ne-
que ſentiatis, quàm quod à B. Apoſtolo Pe-
tro, & alijs Apoſtolis, & patribus accepiſtis.
Ipſe enim eſt caput totius Eccleſiæ: & ſedes
Petri primitus Antiochiæ fuit, poſtea iubente
Domino Romam tranſlata eſt: ad quam cun-
cta maiora negotia, diuina diſponente gra-
tia, iuſſa ſunt referri, vt ab ea regulariter
diſponantur, à qua ſumpſerunt principia.

Itaque ſolus Petrus inter Apoſtolos primatum gerebat, vt in cap. Paulus. 2. quæſt. 7. & in cap. in nouo teſtamento. 21. diſt. quia Epiſcopatus vnus eſt, & vnum caput, vt in dict. cap. loquitur. 24. quæſt. 1. facit text. in cap. non decet. 12. diſt. vbi legitur: Nulli verò dubium eſt, quod Apoſtolica Romana Eccleſia
mater, & caput ſit omnium Eccleſiarum, à
cuius regulis nullatenus vos conuenit denia-
re, facit text. in cap. nolite errare. 11. diſt. vbi
habetur: Non licet à conſuetudine Romanæ
Eccleſiæ membris diſſentire, vbi Dominus
poſuit principatum. Et quoties ratio fidei
ventilatur, ad Romanam referatur Eccleſiam,
vt in cap. quoties. 24. quæſt. 1. Papa nanque 2
ſolus canones valet interpretari, quia ius
condendi eos habet. cap. 1. 25. quæſt. 1. cum
ſimilibus, facit text. in cap. præceptis. 12. diſt.
vbi dicitur: Præceptis Apoſtolicis non dura
ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ
à ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica au-
thoritate iuſſa ſunt, ſalutiferè impleantur, ſi
eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ, quæ eſt caput ve-
ſtrum, communionem habere deſideratis:
cùm nulli dubium ſit, quòd non ſolum Ponti-
ficalis accuſatio, ſed omnis ſanctæ ſpei Ro-
manæ Eccleſiæ, & religionis relatio ad Se-
dem Apoſtolicam, quaſi ad caput omnium
Eccleſiarum, debuit referri, & inde normam
aſſumere, vnde aſſumpſit exordium, ne caput
inſtitutionis videatur omitti, vt in cap. qui
ſe ſcit. 2. quæſt. 7.

Prima ergo ſedes in cœleſti beneficio eſt
Romana Eccleſia, quam Beatiſſimi Petrus, &
Paulus ſuo martyrio conſecrauerunt. Et in-
ter Apoſtolos fuit diſcretio poteſtatis: Nam
licet omnes eſſent Apoſtoli: Petro tamen à 3
Deo conceſſum eſt, vt reliquis omnibus præ-
eſſet Apoſtolis, vt cephas idem caput, & prin-
cipium teneret Apoſtolatus. Eademque for-
ma ſucceſſoribus, & reliquis Epiſcopis tenen-
da tradita eſt. Itaque Apoſtolicæ Sedis au-
thoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente
reguntur, vt in dicto cap. ſacroſancta. 22. diſt.
& in dicto cap. qui ſe ſcit. 2. quæſt. 7. Sed inter
ipſos Apoſtolos non fuit par inſtitutio, ſed
vnus ſcilicet Petrus (vt dixi) præfuit omni-
bus alijs: & facit text. ſingularis in cap. in il-
lis. 80. diſt. Itaque Apoſtoli non fuerunt pares
Petro in adminiſtratione, ſed in ordine, &
conſecratione; vt per Docto. in dict. cap. lo-
quitur, & in dicto cap. in nouo teſtamento, &
ibi dicit Archidiac. doctiſſimus Canoniſta-
rum, quòd Dominus ante reſurrectionem
elegit Petrum in principem, ſed confirmatio-
nem diſtulit poſt reſurrectionem: ſed Petrus
ratione adminiſtrationis fuit maior. Hæc il-
le. Et in cap. 5. Lucæ legitur, Chriſtum di-
xiſſe Petro: Noli timere, ex hoc iam homi-
nes eris capiens.

Itaque Typus Eccleſiæ in Petro. Et ad- 4
uertite, quia ſoli Petro dixit Chriſtus: Duc
in altum. Et cum hoc feciſſet, conduxerunt
multitudinem piſcium copioſam. Quod cum
videret Simon Petrus, procidit ad genua
Ieſu, dicens: Exi à me Domine, quia homo
peccator ſum: Stupor enim circundederat
eum, & omnes, qui cum illo erant in captura
piſcium, quos cœperant: ſimiliter autem Ia-
cobum, & Ioannem, qui erant ſocij Simonis,
& Andream, qui in ea naui erat, ſecundum
narrationem Matthæi, & Marci. Et ait ad
Simonem: Noli timere, ex hoc iam homines
capiens eris. Et attendite, quia ſolus Petrus
procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me
Domine, quia homo peccator ſum. Et ideo
ſoli Petro fuit dictum: Noli timere, ex hoc
iam homines capiens eris, ita caput eris.

Digitized by Google

5 Sed poſt Chriſtum Dominum à Petro ſa-
cerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primo Pon-
tificatus Eccleſiæ Chriſti datus eſt. Hic ergo
ligandi, & ſoluendi poteſtatem primus acce-
pit à Domino, primuſque ad fidem populum
ſuæ prædicationis virtute adduxit, verboque
inſtituit, vt in dicto cap. in nouo teſtamento.
21. diſt. & in perſona Petri ligandi, & ſoluen-
di Eccleſia poteſtatem accepit, & Eccleſiam
ſanctam ſignificauit, vt in c. quodcunque. 24.
6 quæſt. 1. Itaque ſolus Petrus in Eccleſia Dei
habet plenitudinem poteſtatis. Et Dominus
Petro iubet hamo piſcari, vt eſt text. in cap. eſt
aliud 24. quæſt. 1. & Chryſoſt. ſuper illud Mat-
thæi 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.
dicit: Sicut filius à patre veniens ad ſalutem
omnium mittitur cum poteſtate omni ſuper
omnes, quod nulli hominum credimus eſſe
conceſſum. Hoc idem dicit text. in cap. mul-
tum. 3. quæſt. 6. & text. in cap. decreto, & in
dicto c. qui ſe ſcit. 11. quæſt. 6. Vnde Ioan. 10.
dicitur: Erit vnum ouile, & vnus paſtor: &
loquitur de Eccleſia. Et in cap. Baſilicas, de
conſecr. diſt. 1. & in cap. nolite errare. 11. diſt.
habetur, quod in Apoſtolica ſede Dominus
totius Eccleſiæ poſuit principatum: & Augu-
ſtin. in epiſt. ad Glorium dicit, quòd in Ro-
mana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ cathedræ
viguit principatus. Et vide de hoc Inno. &
& docto. in cap. cum ex eo, de pœnit. & re-
miſs. Vbi dicunt, minores prælati habent po-
teſtatem à Papa, & ipſe à ſolo Deo.

7 Et eſt notandum, quòd plenitudo pote-
ſtatis in Romano Pontifice oſtenditur in po-
teſtate clauium in foro conſcientiæ. Vnde
gloſ. ſuper illud Matth. 16. Tibi dabo claues
regni cœlorum; & quodcunque ligaueris ſu-
per terram, &c. dicit: Quia Chriſtum Petrus
maiori deuotione confeſſus eſt, merito præ
cæteris ipſe collatis clauibus donatus eſt. Se-
quitur gloſ. quodcunque ligaueris ſuper ter-
ram ideſt quodcunque indignum remiſſione
iudicaueris, dum viuit, indignum apud Deum
iudicabitur: & quodcunq; ſolueris, ideſt quem-
cunque ſoluendum iudicaueris, dum viuit,
remiſſionem peccatorum conſequetur à Deo.
Et plenitudo poteſtatis oſtenditur in clauibus
iudiciariæ poteſtatis in foro exteriori: eſt
8 enim iudex totius Eccleſiæ, vt eſt text. in cap.
Epiſcopo, & in cap. cuncta per mundum. 9.
quæſt. 3. & teſtatur Innoc. in cap. ſoluite, de
maieſt. & obed. Et in cap. nouit. de iud. dici-
tur: Nullus, qui ſit ſanæ mentis, ignorat,
quoniam ad officium noſtrum ſpectat de quo-
cunque mortali crimine corripere quemlibet
Chriſtianum, facit text. in cap. & plantare. de
priu. & dicitur in dicto cap. nolite errare. 11.
9 diſt. In ſede Petri Dominus totius Eccleſiæ
principatum poſuit, facit text. in cap. quam-
uis. 21. diſt. Propter quod Innoc. in cap. vt
priuilegia, de priuil. dicit: Romana Eccleſia
à Domino ſuper omnes alias Eccleſias ordi-
nariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpotè
mater vniuerſorum fidelium, & magiſtra:
de cuius poteſtate diſputare ſacrilegium eſt.
Plenitudo poteſtatis Roman. Pontificis oſten-
ditur in diſpenſatione theſauri Eccleſiæ; quo-
niam Ipſe ſolus, vtpotè Chriſti principalis
Vicarius, & diſpenſator, dat plenariam in-
dulgentiam omni homini fideli in vniuerſo
mundo. Vnde S. Thomas in 4. diſt. 20. dicit:
Papa habet plenitudinem poteſtatis, qualem
Rex in regno. De indulgentia plenaria dice-
mus poſtea in iſto tractatu.

Sed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſoli- 10
citudinis, quaſi iudices in ſingulis Ciuitati-
bus præpoſiti: & ideo Papa poteſt concedere
indulgentias, prout vult, cauſa tamen exi-
ſtente legitima; ſed in Epiſcopis eſt taxata
indulgentiarum conceſſio ſecundum ordinem
Papæ: & adduco illud Ioan. 1. Tu vocaberis
Cephas; quod ſecundum Iſidorum interpre-
tatur caput. Et vide Doctor. in cap. propo-
ſuit, de conceſs. præb. & facit text. in cap. Pe-
trus. 2. quæſt. 7. & facit text. in cap. ita Domi-
nus. 19. diſt. & Eccleſia vniuerſaliter decantat:
Tu es paſtor ouium, princeps Apoſtolorum,
tibi tradidit Deus claues regni cælorum: &
Petro, totus grex dominicus commiſſus eſt, 11
Chriſto dicente Petro, Ioann. vlt. Paſce agnos
meos, paſce agnos meos; & tertio dicit ei,
paſce oues meas: inter has, & illos non di-
ſtinguens. Et Apoſtoli ipſi nequaquam ex-
tra gregem dominicum cenſendi ſunt, ſed in-
tra computandi. Ex quibus manifeſtè con-
funditur error, & ſtultitia dicentium. Pa-
pam non habere aliquam plenitudinem pote-
ſtatis. Et ideo notabimus, quod tota iuriſ- 12
dictionis poteſtas omnium prælatorum Ec-
cleſiæ de lege communi deriuatur à Papa.
Ita Beatus Thomas in 2. & in 4. ſenten. & in 4.
contra genti. Ergo ſequitur, quod Prælati,
qui ſunt in Eccleſia, iuriſdictionis poteſtatem
ſuſcipiunt immediatè à Papa: & eſt text. in
cap. ſacroſancta, 22. diſt. vbi dicitur: Inter
Apoſtolos quædam fuit diſcretio, & licet om-
nes Apoſtoli eſſent, Petro tamen à Domino
conceſſum eſt, vt reliquis omnibus præeſſet
Apoſtolis, vt Cephas, ideſt caput, vt princi-
pium teneret Apoſtolatus. Cùm autem no-
mine capitis, & principij, origo deſignetur
poteſtatis, non videtur poſſe dici Petrum ca-
put, & principium tenere Apoſtolatus, niſi
ab eo poteſtas iuriſdictionis deriuaretur in
Apoſtolos cæteros. Et adduco etiam text. in
cap. loquitur. 24. quæſt. 1. cuius verba ſunt: lo-
quitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico,
quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædi-
ficabo Eccleſiam meam.

Super vnum ædificat Eccleſiam, & quam-
nis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem
ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Si-
cut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipi-
te Spiritum Sanctum: tamen vt veritatem ma-
nifeſtaret vnitatis, eiuſdem originem ab vno
incipientem authoritate ſua diſpoſuit, hoc
vtique erant cæteri Apoſtoli, quod Petrus fuit
pari conſortio præditi, & honoris, & pote-
ſtatis, vt dixi: ſed exordium ab vnitate pro-
ficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur,
&c. dicit text. quòd Chriſtus, vt Eccleſiæ vni-
tatem manifeſtaret, poteſtatis originem ab
vno incipientem diſpoſuit. Ex quo manife-
ſtè datur intelligi, quòd ſolus vnus, ſcilicet 13
Petrus, ſuper quem vnam fundatam dicit Ec-
cleſiam, à Chriſto immediatè poteſtatem
ſuſceperit Iuriſdictionis: alij verò Apoſtoli
mediante ipſo Petro. Et ſi immediatè omnes
Apoſtoli poteſtatem iuriſdictionis accepiſſent
à Chriſto, origo poteſtatis non incepiſſet in
Eccleſia ab vno Apoſtolorum, cùm data fuiſ-
ſet ſimul, & immediatè omnibus. Facit etiam,

quod dicit Auguſt.in homil.114.ſuper Ioann.
facit etiam text. in cap. ita Dominus. 19. diſt.
& text.in cap.audiuimus.24.quæſt.1. Vbi cum
Dominus daret omnibus diſcipulis parem
ligandi, & ſoluendi poteſtatem, Petro præ
omnibus dedit claues regni Cœlorum. Qui-
cunque ergo ab vnitate Eccleſiæ,quæ in perpe-
tuum intelligitur, fuerit alienus, execrare po-
teſt,conſecrare non valet,excommunicationis,
vel reconciliationis poteſtatem non habet.

In qua authoritate duo ſunt præcipuè
notanda, primo quòd Petro præ omnibus
datæ ſunt claues Eccleſiæ: in quo datur in-
telligi, quod Petrus in poteſtate iuriſdictio-
nis ſuperior eſt, & maior fuit omnibus alijs
Apoſtolis ſimul coniunctis, & per conſequens
ſucceſſor Petri, videlicet Romanus Summus
Pontifex, ſuperior, maiorque fuit omnibus
Prælatis, etiam ſimul coniunctis: & Petro
fuit dictum, Sequere me, Ioann.21. Secundo
notandum eſt id, quod dicitur, quòd Petrus
præ omnibus ſuſcepit claues Eccleſiæ: In quo
manifeſtè denotatur, quòd alij Chriſti diſci-
puli, & horum ſucceſſores, ſcilicet Epiſcopi,
poteſtatem iuriſdictionis non acceperunt,
niſi per Petrum, & non immediatè à Chriſto.
Et Petro conceſſum eſt à Chriſto, vt cæteros
fratres Apoſtolos,ac Chriſti diſcipulos,ſi forte
eos fluctuare, aut deficere à fide contingeret,
in fide firmaret, & roboraret, iuxta illud
Lucæ 22.Et tu aliquando conuerſus confirma
fratres tuos.

14 Ergo Petrus primatum habet ſupra Apo-
ſtolos, & ipſe accepit poteſtatem regni: vt
legitur in cap.1. Act.Apoſt. Et dico etiam,
quod Dominus de hac Eccleſiæ ſuæ regiminis
diſpoſitione futura loquens per Prophetam
ait: Suſcitabo ſuper eos paſtorem vnum. E-
zech.37. Sed tu vide ea, quæ de mente Cardi-
nalis Sancti Xyſti dicam in iſto capitulo ad
finem circa iuriſdictionem, & poteſtatem
15 Beati Petri, & Apoſtolorum. Et Eccleſia mi-
litans ab Eccleſia triumphante deriuatur.
Vnde Ioann. in Apoc.21. ait, Vidi ciuitatem
ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de
cœlo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam
viro ſuo. Sed in triumphante Eccleſia vnus
præſidet, ſcilicet Deus; Ergo in militante
Eccleſia etiam debet eſſe vnus præſidens: & in
Eccleſia Dei nõ debet eſſe minor vnitas,quàm
in Synagoga: imo tanto maior, quanto Sa-
cerdotium Euangelicum maius eſt Leuitico.
Sed in Synagoga erat vnus Summus Pontifex,
qui præerat omnibus Sacerdotibus, ſcilicet
Aaron, & poſt Eleazar, & ſic de alijs ſucceſ-
ſoribus. At qui Summo Sacerdoti non obe-
diebat, reus erat mortis, Deuter.cap.17.

16 Ergo multo magis in Eccleſia Dei debet
eſſe vnus Summus Pontifex, cui omnes tan-
quam ſuperiori obedire tenentur: vt in tota
machina vniuerſi eſt vnum cœleſte corpus,
ſcilicet primum mobile, per cuius motum
mouentur, & reguntur motus aliorum corpo-
rum,vt habetur per Ariſt.8. Phyſicorum:Ergo
neceſſario in tota Eccleſia congregabuntur fi-
lij Iudæ, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibi
caput vnum: & erit vnum ouile, & vnus Pa-
ſtor, vt iam dictum eſt. Ioann.10. Vnde Am-
broſ. in libro de pœniten. & Hieronym. ſuper
Matth. 16. dicunt, quòd ſoli Petro data eſt
poteſtas pleniſſima, & poſt reſurrectionem

Chriſti Apoſtoli de nouo elegerunt Petrum in
principem eorum, & Eccleſiæ, dando hanc
formam cunctis ſucceſſoribus, vt dicit text.in
cap.ſacroſancta. 22.diſtinct.& cap.dudum. 3.
quæſt.6. & vide Panor. in quæſt.1. vbi etiam
dicit, quòd Chriſti Apoſtoli poteſtatem, &
authoritatem prædicandi acceperunt à Petro,
& Apoſt. ad Gal. cap.2. dicit: Dixi Cephæ,
ideſt Capiti, & vide Ludou. Roman. in ſerm.
incipiente: Vos eſtis lux mundi, ad fin. Et eſt
aduertendum, quòd licet Petrus cæteris Apo-
ſtolis par fuerit ordine, tamen ijſdem maior
adminiſtratione, & dignitate; vt eſt text. in
cap.puto, & quæſt.8. vnde notabimus, quòd
Romanus Pontifex in terris extra caſum hæ- 17
reſis, non habet iudicem ſuperiorem.

Et eſt communis opinio Theologorum,
& multi præcipuè Doctores Iuris Canonici
ſeruant iſtam opinionem, & iudex ordinarius
Papæ non eſt Imperator, aut poteſtas ſecula-
ris; vt habetur in cap.ſuſcipitis.10.diſt. & fa-
cit text.in cap.definimus.22.diſt. & cap.conti-
nua. 11. quæſt. 1. & legitur de Conſtantino,
qui cùm in ſancta Synodo,quæ apud Nicæam
congregata eſt, querelam quorundam clerico-
rum conſpiceret, ait: Vos autem à nemine
dijudicari poteſtis; quòd ad ſolius Dei iudi-
cium reſeruamini: & vide text. in cap. ſacer-
dotibus.11.quæſt.1.& text.in cap.ſatis.96.diſt.
& in cap.placuit.11.quæſt.1. Et in Chalcedo-
nenſi Concilio legitur, quod tota Synodus
clamauit Leoni Papæ: Leo Sanctiſſimus Apo-
ſtolicus, & Oecumenicus ideſt vniuerſalis Pa-
triarcha. Hoc adde ad ea, quæ ſuperius di-
ximus. Et in Canone vltimo Concilij gene-
ralis primi celebrati Nicæe legitur: Nemo iu-
dicabit primam ſedem; & vide Auguſtinum
de Ancona in tractatu de poteſtate Eccleſia-
ſtica, in quæſtione prima. Dixi ſupra, quòd
Romanus Pontifex extra caſum hæreſis non
habet iudicem, vide infra in cap.16. & omni-
no vide; & dic, vt ibi diximus.

Itaque talis ordo ſic eſſe debet in Eccle-
ſia, vt vnus ſit rector, princeps, ac guberna-
tor: quod multiplici ratione colligitur (vt di-
ximus) in libro de generali concilio indicen-
do, cap.17. & in cap.18.vbi multa dixi contra
hæreticos dicentes, quòd nullus in Eccleſia
Dei Petro ſucceſſit;& in cap.16.diximus mul-
ta de vnitate Eccleſiæ. Et ad conuincendum
errorem dicentium, quòd nullus in Eccleſia
Petro ſucceſſit; dico, quod manifeſtum eſt 18
ſic Chriſtum Eccleſiam inſtituiſſe, vt eſſet vſq;
in ſeculum duratura, ſecundum illud Iſaiæ 9.
Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius
ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in
iudicio, & iuſtitia, amodò, & vſque in ſem-
piternum. Patet ergo, quòd ita illos, qui
tunc erant in miniſterio, conſtituit, vt etiam
eorum poteſtas deriuaretur ad poſteros pro
vtilitate Eccleſiæ vſque ad ſeculi finem; præ-
ſertim cùm ipſe dicat Matth.vlt. Ecce ego vo-
biſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.
& bene facit text. in cap. quodcunque. 24.
quæſt.1.vbi dicitur, quòd quando Petrus cla-
ues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit,
vt iam dixi, quia ſcilicet non tantum pro ſe,
ſed etiam pro omnibus ſucceſſoribus vſque ad
finem ſeculi duratura eſt Eccleſia. Vnde non
immerito comprobatur, quòd poteſtas col-
lata in perſonam Petri, & Apoſtolorum fuit

data

Digitized by Google

data Eccleſia; alias illis mortuis non potuiſ-
ſet illam poteſtatem Eccleſia exercere: quod
eſt abſurdum dicere. De quo vide Panormit.
in tract. quæſtion. quæſt. 1. 3. colum. & certum
eſt, quòd poteſtas data eſt Petro ad Eccleſiæ
ædificationem, vt dixit Apoſt. in epiſt. 2. ad
Corinth. cap. 10. Ergo oportuit hanc poteſta-
tem tandiu durare in Eccleſia, quandiu Ec-
cleſia ipſa ædificatione indigeret: ergo vſque
ad finem ſęculi Petri primatus in ſuis ſucceſ-
ſoribus eſt duraturus; aliter eſſet minor cura,
& dilectio Dei erga ſponſam ſuam Eccleſiam
poſt tempore Petri, quàm fuerat tempore
eiuſdem Apoſtoli, quod nullatenus admitten-
dum eſt. Quia ſi Eccleſia non haberet claues
ligandi, & abſoluendi, non conſtaret, & por-
tæ inferi præualerent aduerſus eam. Vnde
Cyrillus Hieroſolymitanus Patriarcha dicit
ex perſona Chriſti: Tu cum fine, & ego fine
fine cum omnibus, quos loco tui ponam,
pleno & perfecto Sacramento, & authoritate
cum eis ero, ſicut ſum tecum. Et Innoc. in
cap. quanto, de renunc. dicit, poteſtatem
transferendi Pontificis ita ſibi retinuit Deus,
& magiſter, quòd eam ſoli Petro vicario ſuo,
& per ipſum ſucceſſoribus ſuis prębuit, & con-
ceſſit; & vide eundem in cap. ad Apoſtolicæ
de re iud. in 6. Et ex his apertiſſimè conuin-
citur error dicentium, quòd nullus in Eccleſia
Dei Petro ſucceſſerit: & ſatis facilè intelligi-
tur, quàm longè à veritate, & à ſtatu ſalutis
abhorrent, qui dicunt non eſſe obediendum
ſtatutis Papalibus: contra quos eſt text. in
cap. hoc. 11. diſt. dicens: Hoc veſtræ indicimus
charitati, vt ab Apoſtolicis inſtitutis nullo
alterius recedatis exceſſu, quia multum poſt
hoc eſſe non poterit, ſi quiſquam Apoſtolicas
regulas in aliquo crediderit negligendas; fa-
cit etiam text. in cap. præceptis. 12. diſt. vbi ad
conteſtum dicitur: Præceptis Apoſtolicis non
dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam,
quæ à ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica
authoritate iuſſa ſunt, ſalubriter impleantur,
ſi eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ, quæ eſt caput ve-
ſtrum, communionem habere deſideratis.

Facit etiam text. 25. quæſt. 2. in cap. ſi quis
dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones,
vel decreta pro catholica fide, & eccleſiaſtica
diſciplina, pro correctione imminentium, vel
futurorum malorum à Sedis Apoſtolicæ Præ-
ſule ſalubriter promulgata contempſerit, ana-
thema ſit. Facit text. in cap. omnes. 22. diſt.
vbi dicitur: Qui autem Romanæ Eccleſiæ pri-
uilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſia-
rum capite traditum auferre conatur, hic
proculdubio in hæreſim labitur. Iſtum text.
allegat Sanctus Thomas in tract. contra im-
pugnantes religionem, vbi multa dixit circa
iſtum articulum: vnde patet, quòd quicunque
dicit, non eſſe obediendum his, quæ per Pa-
pam inſtituuntur, in hæreſim labitur.

19 Ex quibus concludo, quòd Papa ſolus,
tanquam caput, poteſt exercere omnimodam
iuriſdictionem, expoſcente cauſa rationabili,
non ad libitum: nec eſt opus conuocare Con-
cilium pro conſenſu habendo. Alij verò præ-
lati non exercent ſine diſpoſitione capitis,
ſcilicet Papæ: habent enim poteſtatem à Deo,
ſed in illa ſummiſſi ſunt Papæ, tanquam capiti:
& forte ad hoc deſignandum, Petro dixit mul-
ta ſeparatim, vt ſuperius dixi: ſed alijs Apo-
ſtolis locutus eſt coniunctim, & generaliter;
vnde Petro dixit, vt in Euangelio habetur
Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam. Et in Euangelio
Ioann. 21. cap. dixit: Paſce oues meas, non
ſemel, ſed ter. Pro ſua fide ſpecialiter orauit
etiam. Item conſidera, quòd in ſingulari di-
xit Chriſtus in Euangelio Ioann. in cap. 10. fiet
vnum ouile, & vnus paſtor: & ſic voluit, vnum
eſſe paſtorem, & non plures. Sed hanc pote-
ſtatem paſcendi contulit Petro, dum dixit:
Paſce oues meas: & ſic fecit eum paſtorem,
& non plures loco ſui: ipſe enim erat, & eſt
verus paſtor, & Pontifex, vt de ipſo dixit
Ioann. Ego ſum paſtor bonus: Alij namque 20
Apoſtoli fuerunt coadiuuantes, & cooperan-
tes, & ideo dicitur, quòd Papa fuit aſſumptus
in plenitudinem poteſtatis, alij in partem ſo-
licitudinis. cap. ad honorem, de vſu pallij, &
vide Panor. in quæſt. 1.

Sed recordentur Pontifices verborum
Gregor. ad Eulogium Patriarcham Alexan-
drinum, vt notatur in cap. ecce. 99. diſtinct.
Nam omnes Apoſtolos fecit pares reſpectu
conſecrationis, & ordinis, non autem iuriſ-
dictionis: in illa enim Petrus præfuit omni-
bus, vt not. gloſ. in cap. in nouo teſtamento. 21.
diſtinct. & in cap. loquitur. 24. quæſt. 1. & vide-
tur bonus text. in cap. in illis. 80. diſtinct. & in
cap. per venerabilem. qui filij ſint legit. Et ſi
velis dicere, quòd poteſtas etiam iuriſdictio-
nis fuerit data omnibus, fundamentum ta-
men, & caput fuit datum Petro: probatur in
dicto cap. loquitur, non impropriando lite-
ram, vt gloſ. ibi vult impropriare. Alij ergo 21
habent iuriſdictionem ſub Papa, vt hodie eſt
videre in Epiſcopis, qui non ſolum habent or-
dinem, ſed etiam iuriſdictionem ſpiritualem
in ſuis diocęſibus ex conſtitutione Eccleſiæ,
& licet hanc iuriſdictonem habeant ſub Papa,
qui dicitur habere plenitudinem poteſtatis:
cæteri Sacerdotes repræſentant Apoſtolos,
quoad adminiſtrationem ſacrorum, vt not.
gloſ. in cap. videntes. 12. quæſt. 1. text. in cap.
in nouo teſtamento. 21. diſtinct. Sed vide infra
ad finem capituli, & notabimus, quòd poſt
reſurrectionem Chriſti ſacerdotes quandoque
appellabantur presbyteri, quandoq; Epiſcopi.

Nam cùm alter vellet alterum præferre
dicendo, ego ſum melior te, quia baptiza-
tus à Petro; fuit ordinatum per Apoſtolos, &
alios ſeniores, quòd vnus de presbyteris præ-
poneretur, qui vocaretur Epiſcopus, prout
hodie eſt. Et ſic videtur, quòd Epiſcopus fuit
inuentus ordinatione Apoſtolorum, non au-
tem iure diuino; ita apertè dicit Hieron. &
probatur in cap. olim. 95. diſtinct. & cap. legi-
mus. 93. diſtinct. Vnde Beatus Petrus in prima
epiſtola vocabat ſe presbyterum. Sed contra
Hieronymum tene, quod Epiſcopi ſunt de
iure diuino, vt in cap. in nouo teſtamento. 21.
diſt. cap. videntes. 22. quæſt. 1. & cap. quorum.
68. diſt. vbi litera dicit: Pro patribus tuis nati
ſunt tibi filij: patres dicti ſunt Apoſtoli; pro
Apoſtolis filij nati ſunt, & conſtituti Epiſco-
pi: hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per vniuer-
ſum mundum, inde nati ſunt. Ipſa Eccleſia
patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa
illos conſtituit in ſedibus patrum. Non ergo
te putes deſertam, quia non vides Petrum,
quia non vides Paulum, quia non vides illos,
per

De genu in ſenſu S. Hier. cōſule inter alios D. Th. 2. 2 qu. 184. art. 6. ad 1 & Turrecrem. diſt 1 de Eccleſ. cap 79.

per quos nata es; de prole tua creuit tibi poſteritas; pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Filios genuit eccleſia, conſtituit eos pro patribus ſuis Principes ſuper omnem terram. Et
22 Epiſcopus dicitur Sanctiſſimus Chriſti legatus, vt in Clementina 1. de pœnis, & ibi etiam dicitur, quod ſunt columnæ Eccleſiæ Romanæ. Et Epiſcopi ſunt perfectiores fratribus religioſis propter officium regendi, ex quo maior fructus prouenit, vt in Clementina, exiui, de verb. ſig. Et iſta opinio eſt communior, & ſecurior, vt per Durandum in quarto ſententiarum 24. diſtinct. quæſt. 5. vbi latè, & doctiſſimè de hac re diſputat, & omnino vide; & de hoc dicemus infra. Et ſic patet, quod tam de iure diuino, quam naturali con-
23 ſonum eſſe videtur, vt ſucceſſores Petri Romani Pontifices magis per electionem, quàm per carnis ſucceſſionem, aut inſtitutionem ad pontificatum aſſumerentur; quoniam tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat cap. tranſlatio de conſtit. & videbis Apoſtol. in cap. 7. ad Hebr. & eſt tex. in cap. Moyſes 8. quæſt. 1. vbi dicitur: Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem locutus eſt Dominus, potuit vtique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, ſed extraneus ex alia tribu eligitur Ioſue, vt ſciremus principatum in populo non deferendum eſſe ſanguini, ſed vitæ facit ad hoc tex. in cap. licet 8. quæſt. 1. vbi di-
24 citur, quòd, qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, eligendus eſt; quia ſanitas Chriſtiani populi multum pendet ex vo-
25 luntate capitis, & rectoris, iuxta formam traditam in cap. ſi Papa 49. diſtinct. & certius prouidetur populo de vtili paſtore per viam electionis, quàm ſucceſſione carnis, vt manifeſtum eſt; & Chriſtus ſuæ eccleſiæ immediatè non prouidit, niſi de Petro: vnde per conſequens, quia non prouidit de perſona nominatim ſucceſſoris Petri, eccleſiæ electionem dimiſit, prout habetur in cap. electionem 79. diſtinct. vbi dicitur; electionem verò ſummorum Pontificum, vel Sacerdotum ſibi Dominus reſeruauit; licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſerit. Sic ergo patet, quod tam de iure diuino, quàm naturali conſonum eſſe videtur,
26 quod ex electione vniuerſalis eccleſiæ, vel illorum, ad quos de conſenſu vniuerſalis eccleſiæ tranſlatum eſt ius eligendi; ſicut hodie ſunt Reuerendiſſimi Cardinales, eligatur Papa, vt in cap. in nomine Domini 23. diſtinct. & cap. 1. 79. diſtinct. & per totam diſtinct. & vide tex. in cap. licet euitanda, de electio. eſt etiam bonus tex. in cap. vbi magis, de elect. lib. 6. & vide in Clementina, cap. ne Roman., de electio. Sed antiquitus clerus, & populus Romanus eligebant, & exercitus, vt in d. cap. electionem. Poſtea Nicolaus II. anno 1060. condidit decretum, quòd Pontifex eligatur à Reuerendiſſimis Cardinalibus; & iuſſit, quòd clerus, & populus ad conſenſum nouæ electionis accederent, atque eam Imperator confirmaret, vt in cap. in nomine Domini 23. diſt. & vide in cap. ſi quis pecunia 79. diſtinct. qui textus loquitur de electione Cardinalium, & clericorum: & libertas eligendi conceditur à Ludouico Imperatore tempore Papæ Adriani II. cap. ego Ludouicus 63. diſtinct. & Benedictus V. relegatur, & authoritas eligendi Pontificis ad Imperium transfertur. Ita Platina in hiſtoria Benedicti. Et in ſynodo congregata Romæ conceditur Imperatori ius eligendi Pontificem cap. in ſynodo cap. Adrianus 63. diſtinct. quod poſtea fuit reuocatum, & emanarunt iura noua circa electionem Pontificis, vt ſuperius diximus. Sed de iure antiquo ad concilium generale pertinebat 79. diſt. quaſi per totum: vel ad clerum Romanum, vt in cap. in nomine Domini 23. diſt. & vide Panor. in cap. licet euitanda, de elect.

Et eſt aduertendum, quòd eccleſia vna 27
eſt. Magiſter veritatis teſtatur per ſpiritum Sanctum dicens; vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea. Et ex multis colligitur vnitas eccleſiæ: primo ex vnitate principis, quo gubernatur, qui vnus eſt, Chriſtus ſcilicet Dominus Deus noſter, vt ait Apoſtolus ad Epheſ. c. 1. Dicitur etiam eccleſia vna ex vnitate fidei, in qua fundatur. tex. eſt in c. legimus. xciij. diſtin. Dicitur vna ex virtute baptiſmi, qua ſanctificatur, vt Ioan. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Apoſtol. ad Epheſ. c. 4. dixit: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Dicitur vna eccleſia ab vnitate ſpei, de qua Apoſt. c. 4. Vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ. Eſt etiam vna vnitate charitatis, qua annectitur, & viuificatur, de qua inquit Apoſt. ad Philippen. c. 2. Eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipſum ſentientes. Dicitur item vna eccleſia, vnitate Spiritus Sancti viuificantis. Vna etiam vnitate vltimi finis, quæ eſt ipſa beatitudo, ad quam ordinatur. Hæc eccleſia eſt Chriſti tunica inconſutilis, quæ non debet ſcindi. 24. quæſt. 1. cap. quoniam. In hac tunica, Chriſti corpus repræſentatur, non ſcindibile. 24. quæſt. 1. cap. aduocauit. Et eccleſia eſt vna vnitate vnius præſidentis, de quo dicitur Oſeæ 1. Congregabuntur filij Iudæ, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum. Et Dominus dixit: Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor. Hic autem vnus præſidens, Paſtor, rector, & gubernator in tota vniuerſali eccleſia vicem Chriſti gerens Summus Pontifex eſt: & ſuper vnum Chriſtus ædificat eccleſiam.

Nam quamuis omnibus Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem manifeſtarit, vnitatis tamen originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit, vt vna eccleſia vna monſtretur: habetur hoc in cap. quodcunque. 24. quæſt. 1. Vnitas eccleſiæ per arcam Noe etiam deſignatur, quæ in vno cubito conſummata fuit, vt habetur Gen. 7. Et hæc eccleſia eſt, quæ mater dicitur, cùm per baptiſma ab ipſa regeneramur. cap. quod abſtulerit. 12. quæſt. 2. & extra iſtam eccleſiam nec eſt ſalus, nec remiſſio peccatorum. Et Chriſtus pro vnitate eccleſiæ conſeruanda rogauit eccleſiam, Ioan. 17. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro his, qui crediturí ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint. Referuntur etiam formaliter hæc verba in cap. fraternitatis. 35. quæſt. vlt. & Dominus per os Prophetæ pulcherrimè loquitur, ſic dicens: Dies planctus, & ieiuniorum, quos habuiſtis hactenus in luctum, ſciatis vobis (quia cogitaui, vt benefaciam Hieruſalem, id eſt eccleſiæ)

in

Digitized by Google

In lætitiam, & gaudium eſſe vertendos; ita
duntaxat, ſi vniratem diligatis, & pacem:
ita formaliter teferuntur in cap. ieiunium. 76.
diſtinct. Nonne etiam per os Prophetæ inquit:
Quàm bonum, & quam iucundum eſt habita-
re fratres in vnum? Illi vero non habitant in
vnnm, qui fratrem de ſolatio ſubtrahunt, vr
in cap. nulli dubium. 3. quæſt. 1. & cap. dile-
ctiſſimus. 12. quæſt. 1. Attendite quæſo, quòd
28 Concilium appellatur ex communi intentio-
ne, eo quòd in vnum dirigunt omnem mentis
intuitum. cap. canones. 15. diſtinct. Item in
alio eſt attendendum, quòd non niſi congre-
gatis in vnum dictum eſt per Chriſtum: Acci-
pite Spiritum Sanctum; nec niſi ſuper congre-
gatos in vnum die Pentecoſtes Spititus San-
ctus deſcendit. Item vbicunque duo, vel tres
congregati fuerint in nomine meo, ibi in me-
dio eorum ego ſum. Matth. 18. & in cap. cum
ſcriptura. 1. quæſt. 1. cap. nimium cunctis:
oſtendens non multitudini, ſed vnanimitati
deprecantium plurimum tribui, vt ad literam
legitur 24. quæſt. 1. cap. alienus, &c. audiui-
mus. 1. quæſt. 1, cap. cum ſcriptura. Et ec-
29 cleſia dicitur Apoſtolica, quia in Apoſtolis,
qui fuerunt ptimi, qui adhæſerunt Chriſto,
initiata eſt: & ſuum eſſe ſecundum tempus
gratiæ reuelatæ ſuſcepit originem: vnde dici-
tur in cap. cnm igitur 35. quæſt. 1. §. eſt au-
tem; quod de plebe Indaica primum Apoſto-
los elegit, quos quaſi fundamentum eccleſiæ
inſtituit. Apoſt. ad Theſſal. epiſt. 2. cap. 2.
de ſe, & alijs Apoſtolis loquitur, ita dicens:
Elegit nos Deus ptimitias in ſalutem, & cæt.

Dicitur etiam eccleſia Apoſtolica, quia
poſt Aſcenſionem Domini Apoſtoli in fide, &
ſancta doctriua, verbo prædicationis, & mi-
raculis roborarunt eccleſiam; vt ait Apoſt.
Superædificati. ſ. eſtis ſuper fundamentum
Apoſtolorum, & Prophetarum. i. ſuper no-
uum, & vetus teſtamentum. Et dicitur ec-
cleſi a ſancta Apoſtolica, quia Apoſtolorum
fidem, prædicationem, documenta, atque
authoritatem tetinet, & obſeruat: retiuet qui-
dem poteſtatem in clauibus, ſcientiam in
verbo, & vitam in exemplo. Patres autem
eccleſiæ dicti ſunt Apoſtoli, vt habetur In
Pſalmo: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij:
& ibi dicunt Auguſtin. & Hieron. quòd ge-
30 nuerunt eccleſiam Apoſtoli. Et dicuntur Apo-
ſtoli Principes, & Duces totius orbis, vt in
pſalmo: Principes Iuda duces eorum, Ptinci-
pes Zabulon, Principes Neptalin. Sed maxi-
mè neceſſarium eſt eccleſiæ obſeruare anti-
quos terminos, quos poſuerunt ſancti Apo-
ſtoli. Vnde in eccleſia ſumus, ſi habemus fi-
dem Apoſtolorum, fidem Chriſti, dogmata
veritatis. Et dicitur eccleſia Apoſtolica, quia
omnes Chriſtianæ religionis ritus, & ſacra-
rum inſtitutionum eccleſiaſticarum obſeruan-
ria à tradirione Apoſtolica creditur in eccle-
ſia deriuara, vt colligitur in cap. rogamus,
24. quæſt. 1. & cap. eccleſiaſticarum. 11. diſt.
Vocata eſt etiam Apoſtolica, quia Petrus, &
Paulus Principes Apoſtolorum Romanam ec-
cleſiam, quæ caput eſt, & prælata omnibus
eccleſijs, pariter Chriſto Domino conſecra-
uerunt, vt in d. cap. ſacroſancta Romana ec-
cleſia 22. diſt. facit in iſta materia tex. notab.
in cap. ſolitæ; de maio. & obed.

Nunc aduertendum rogo, quia volo mul-
ta recolligere ex ſupradictis: & notate, quod
per illa verba: Tibi dabo claues regni cælo-
rum, non fecit Petrum Principem Apoſtolo-
rum, nec dedit ei poteſtatem clauium; ſed
tantummodo ſe daturum promiſit; quia illa
verba ſonant in futurum tempus. Poſt paſſio-
nem igitur, & reſurrectionem, Chriſtus pro- 31
miſſa impleuit dando Petro claues regni cę-
lorum, & conſtituendo ipſum caput eccleſiæ,
& Principem Apoſtolorum, quum inſufflauit
in Apoſtolos Spiritum Sanctum, dicens: Si-
cut miſit me pater, & ego mitto vos: hoc cum
dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite
Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis pec-
cata, remittuntur eis: & quorum retinueritis,
tetenta ſunt, Ioan. 20. Petro autem dixit: Pa-
ſce oues meas, vt habetur Ioannis vltimo:
tranſumptiuè in cap. ſignificaſti, delectio. Et
verba originalia ſunt hæc: Dicit Simoni Pe-
tro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his?
dicit ei, etiam Domine, tu ſcis, quia amo
te: dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei ite-
rum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi; etiam
Domine, tu ſcis, quia amo te: dicit ei ite-
rum, paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Si-
mon Ioannis amas me? contriſtatus eſt Pe-
trus, quia dixit ei tertio, amas me; & dixit
ei, Domine tu omnia noſti, tu ſcis, quia
amo te: dicit ei Ieſus, paſce oues meas. Ex-
ercitium autem clauium in aſcenſione conceſ-
ſit, dum dixit: Ite in vniuerſum mundum, &
prædicate Euangelium omni creaturæ. Idem
dicitur Matth. vlt.

Duplex autem ratio poteſt aſſignari, quare
poſt paſſionem claues Chriſtus Petro cóceſſit:
vna eſt, quia quandiu Chriſtus inter homines
corporaliter vixit, ipſe per ſe ipſum fidē rexit:
vnde tunc nec decenter, nec neceſſe, nec vtile
fuiſſet, alium loco ſui conſtituere; ſed quando
poſt reſurrectionem apptopinquabat tempus,
quo ſe debebat aſcendendo in cęlum à nobis
abſentare, tunc alium loco ſui poſuit, ſcilicet
Petrū, ne grex Dominicus Paſtoris ſolatio de-
ſtitueretur. Aliam rationem aſſignat tex in c.
conſiderandum, & in c. fidelior. 1 diſt. vt is,
qui futurus erat Paſtor eccleſiæ, in ſua culpa,
quàm tempore paſſionis commiſerat, Chri-
ſtum negando, diſceret, qualiter alijs miſere-
ri debuiſſet. Prius itaque eum oſtendit Do-
minus ſibi, & poſtea præpoſuit cæteris; vt ex
ſua infirmitate cognoſceret, quàm miſericor-
diter alienas infirmitates tolerare deberet.
Data autem eſt poteſtas clauium Petro, tan- 32
quam capiti, & alijs tanquam membris; quia
ipſe eſt vocatus in plenitudinem poteſtatis,
alij autem inferiores in partem ſolicitudinis,
vt in cap. ad honorem, de vſu pallij: & in
cap. decreto. 2. quæſt. 6. cùm enim meſſis eſ-
ſet multa, operarij autem pauci, fuit neceſſe,
quòd non ſolum Petrus, ſed etiam alij habe-
rent poteſtatem: vnde per ipſos Apoſtolos po-
ſteà fuerunt electi 72. vt probatur in cap. in
nouo teſtamento 21. diſtinct. &c. loquitur.
24. quæſt. 1. Et hoc modo debet intelligi ver-
bum Domini, quod habetur Ioan. 20. Accipi-
te Spiritum Sanctum. Et ità debet intelligi
tex. in cap. noua, de pœnitent. & remiſſio:
vbi dicitur, quòd Apoſtolis datæ ſunt claues,
quia verum eſt tanquam membris, ſed Petro
tanquam capiti: vt probatur in d. cap. in no-
uo, & in cap. ita Dominus. 19. diſtinct. &
cap.

Digitized by Google

cap. loquitur 24. quæſt. 1. & cap. omnibus,
quæ iura ſunt valdę bona ad hoc. Et poteſtas
clauium eſt in eccleſia: vnde Theologi tenent,
33 quòd exceptis caſibus reſeruatis Papæ,& Epi-
ſcopis, tantam poteſtatem habet quilibet Sa-
cerdos in abſoluendo, quantam Papa. ita
Anton. in cap. noua, de pœniten. & remiſſio.
Et Beatus Hieronymus in libro contra Ioui-
nianum ſic inquit: Super Petrum fundata ec-
cleſia, & inter duodecim vnus eligitur, vt ca-
pite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio:
Ad denotandum igitur eccleſię vnitatem vnus
creatus eſt Paſtor, qui alijs præeſſet vt caput,
penes quem eſſet omnis poteſtatis plenitudo:
quoniam monſtroſum eſſet, vt in vno corpo-
re eſſent plura capita. cap. quoniam in plæriſ-
que, de officio ordina. facit tex. in cap. in
apibus. 7. quæſt. 1. & 12. Metaph. inquit Ari-
ſtot. Entia nolunt malè diſponi, pluralitas
principatuum eſt mala, vnus ergo Princeps.
Sicut ergo vnicus eſt Dominus cęleſtis totius
mundi, iuxta illud Prophetæ: Domini eſt ter-
ra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vni-
uerſi, qui habitant in eo: traſumptiuè in cap.
tua nobis,de decimis: Ita decens fuit,vt vnum
in terris relinqueret Vicarium, qui fuit Pe-
trus, & poſt eum ſui Succeſſores. Pro iſta
vnitate capitis eſt illud verbum Domini Ioan.
17. Volo pater, vt vnum ſint in nobis, ſicut
& nos vnum ſumus: facit tex. in cap. damna-
mus, de ſumma Trin. & fide cath. & Ioan. 10.
erit vnum ouile, & vnus Paſtor: facit tex. in
cap. cum beatiſſimus. 24. quæſt. 1. Pro iſta
vnitate capitis bene facit etiam tex. in cap.
factus eſt Cornelius, & in cap. non autem. 7.
quæſt. 1. vbi gloſ ſingulariter dicit: quod di-
cere, duos eſſe ſummos Pontifices in eccleſia,
eſſet errare, vt ſuperius dixi, contra illum ar-
ticulum fidei, vnam ſanctam catholicam ec-
cleſiam, &c. de quo eſt bona gl. in Clemen. ad
noſtrum, de hæret. Vbi dicitur: Peccatum
paganitatis incurrit, qui ſedi Apoſtolicæ obe-
dire contemnit. Item ſupra illud Lucæ 22.
Tu aliquando confirma fratres tuos; dicunt,
quòd tunc Petrus à Chriſto obtinuit, vt eſſet
Antiſtes mundi: & ſi Chriſtus alijs Apoſtolis
imperauit, vt laxarent retia, ſoli tamen Pe-
tro dictum fuit, duc cimbam in altum, Ioan.
vlt. quod ad ipſum ſolum pertinet cimbam
34 eccleſiæ regere, & gubernare: propter quod
etiam vſque in hodiernum diem eccleſia ca-
tholica dicitur nauicula Petri. facit tex. in
cap. non turbatur nauis. 24. quæſt. 1. & dixit
Chriſtus Petro: qui primo aſcenderit, tolle.
vbi dicit gloſ. quod per hamum intelligitur
iuriſdictio, & Ioan. vlt. dicit Gregor. in Ho-
35 melijs, quod ſpecialiter à Domino commiſſa
eſt eccleſia Petro, vt eam ducat ad portum
ſalutis. Non obſtat, quod omnes Apoſtoli
pari conſortio honorem, & poteſtatem ha-
buerunt cum Petro: quia debet intelligi non
de paritate quo ad officium in eccleſia ſanctæ
dignitatis, ſed quo ad paritatem vitæ, & ſan-
ctitatis, vt ſuperius dixi. facit ad hoc tex. in
cap. Paulus 2. quæſt. 7. vbi legitur: Paulus
Petrum reprehendit; Quod non auderet, niſi
ſe non imparem ſciret. Hoc non de officio
eccleſiaſticæ dignitatis, ſed de puritate vitæ
intelligitur, & ſanctitatis conuerſatione. Se-
quitur text. Solus enim Petrus inter Apoſto-
los primatum gerebat.

Nec ſit aliquis adeo temerarius, qui di-
cat hanc ſuperioritatem, & poteſtatem con-
ceſſam Petro, non autem ſuis ſucceſſoribus,
vt iam dixi: quia ſicut Adæ Deus conceſſit
quædam priuilegia perſonalia;vt omnes ſcien
tias; quædam realia in ſtatu innocentię, ſci-
licet originalem iuſtitiam: ſic Petrus à Chri-
ſto habuit quędam dona perſonalia, puta
faciendi miracula, vt ad eius vmbram infirmi
ſanarentur: quędam realia, ſcilicet pro ſe, &
ſuis ſucceſſoribus, vt fuit poteſtas clauium,
alias portæ inferi aduerſus eccleſiam pręua-
luiſſent; quod eſſet contra promiſſionem Do-
mini, Matth. 16. Hanc igitur plenitudinem
poteſtatis, per quam reſiſtit mundo, & diabo-
lo Chriſtus contulit Petro, & ſuis ſucceſſori-
bus, qui ſunt Romani Pontifices. tex. eſt pul-
cherrimus in cap. pro humani, de homicid.
in 6. data eſt enim hæc poteſtas Petro, & ſuc-
ceſſoribus, vt eccleſia duret vſque ad finem
ſęculi, iuxta illud Matth. vlt. Ecce ego vobiſ-
cum ſum vſque ad conſummationem ſęculi.
Item, quòd hanc ſuperioritatem, & poteſta-
tem Papa à Deo habuerit, gloſ. notabilis eſt
in Clemen. cap. ne Romani, de electio. facit
tex. in cap. inter corporalia, de translat. prę̨-
lato. & ibi dicit Hoſtien. in cap. quanto, quòd
Dei, & Papæ idem eſt conſiſtorium. facit tex. 36
in cap. 2. de conſue. lib. 6. & c. Romana, de
appellatio. lib. 6. Licet autem firmiter cre-
dam, hanc ſupremam poteſtatem datam eſſe
à Deo Summis Pontificibus, puto tamen po-
teſtatem clauium datam etiam eccleſiæ mili-
tanti; cum Papa ſit tanquam Petri ſucceſſor,
& Vicarius Ieſu Chriſti. Quod patet, primo
per id, quod ſupra tetigi; quòd non ſolum
Petro, ſed etiam omnibus Apoſtolis Chriſtus
dedit poteſtatem; ſed Petro tanquam capiti, 37
& Principi: Apoſtolis autem tanquam mem-
bris. Cùm ergo ex capite, & membris vnum
corpus componatur, non negabo poteſtatem
clauium eſſe in hoc corpore, & ſic in eccleſia.
Secundo hoc patet per id, quod habetur
Matth. 18. tranſumptiuè. 2. quæſt. 1. ſi pec-
carit. de iudic. cap. nouit. vbi Dominus dicit.
Si peccauerit in te frater tuus, &c. demum
dicit; dic eccleſiæ; quod ſi eccleſiam non au-
dierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.
Et immediatè ſubiunxit: Amen amen dico
vobis, quæcunque ligaueritis, &c. Nec ſolum
Apoſtoli habuerunt poteſtatem reſpectu ordi-
nis, ſed etiam reſpectu iuriſdictionis, vt pa-
tet de pœnit. & remiſſio. cap. noua quædam,
& quod ibi notat Ioan. And. vbi dicit, quòd
Apoſtoli habuerunt claues; & quia nunc hic
loquitur in plurali, ſequitur quòd & iuriſdi-
ctionis, & ordinis claues habuerunt: ſic de-
bet intelligi. cap. firmiter. §. vna. de ſum. Trin.
pro hoc facit, quod legitur Actuum 15. vbi
habetur, quòd commota ſeditione aduerſus
Paulum, & Barnabam, ſtatuerunt, qui accu-
ſabantur, & qui accuſabant, aſcendere Hie-
roſolymam ad Presbyteros, & Apoſtolos.
Cumque illuc perrexiſſent, ſurrexerunt qui-
dam de hæreſi Phariſæorum dicentes; opor-
tet circuncidi eos, & præcipere eis, vt ſeruent
legem Moyſis.

Et cùm magna ſuper hoc oriretur quæ-
ſtio, Petrus ſolita libertate inquit: Viri fra-
tres, vos ſcitis, quoniam in antiquis diebus
in nobis elegit Deus per os meum audire gen-
tes,

tes, audite verbum Euangelij, & credite, &c.
Et ſic oportet, quòd non ſolus Petrus, ſed
etiam omnes Apoſtoli, qui cum eo erant, ha-
berent poteſtatem clauium. Aduertendum
eſt tamen, quòd ille text. ſolet per quoſdam
allegari, quòd Concilium ſit ſupra Papam;
ſed re vera non probat, ſi rectè intelligatur:
pro hoc facit 24. quæſt. 1. cap. quodcunque;
vbi dicunt, quòd cùm Petrus recepit claues,
ſanctam eccleſiam ſignificauit. ad idem. cap.
ab omnibus. 24. quæſt. 3. & cap. notandum.
Item vt habetur Act. 20. Paulus vocauit ma-
iores natu Epheſiorum, & eis dixit: Attendi-
te vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiri-
tus Sanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam
Dei, quam ſuo ſanguine acquiſiuit. Item in
Euangelio Matth. dixit Chriſtus diſcipulis
ſuis: Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti
eſtis me, ſedebitis ſupra ſedes duodecim, iu-
dicantes duodecim tribus Iſrael. Ex quo ap-
paret, quòd ipſe Dominus in fine ſeculi iudi-
cabit cum Apoſtolis, quaſi cum his, quibus
iudicandi dederat poteſtatem. Hinc patet,
quod in hac eccleſia militanti etiam Epiſcopi
habent iuriſdictionem, licet Papa loco Dei ſit
principalis. Propter hoc forte ius canoni-
38 cum vocat Epiſcopos ſanctiſſimos Chriſti le-
gatos, ſpirituales fratres, & columnas eccle-
ſiæ, vt habetur in Clem. ſi quis ſuadente: §.
nec ſuper de pen. Ex his itaque omnibus, vt
ſupra deductis, clarè concludo, quod Roma-
39 nus Pontifex, & Romana eccleſia habent præ-
rogatiuam, & excellentiam ſupra omnes alias
eccleſias. 9. quæſt. 3. ſaluo, & cap. cuncta per
mundum, & cap. per principalem. 11. diſt.
cap. quis neſciat; & diſponente domino, alia-
rum omnium mater eſt, & magiſtra, dicit tex.
de ſum. Triu. cap. 2. in fin. 24. quæſt. 1. hæc
eſt fides, & cap. quoniam 25. quæſt. 1. §. hic
Ita. cap. ideo permittente, de hær. ad abo-
lendam, in prin. de presbyt. non bapt. cap. 2.
Item eſt mater omnium. 13. quæſt. 2. ſuper
prudentia. 12. quæſt. 2. aurum habet eccleſia,
& vxor Chriſti. 21. quæſt. 2. ſicut & cap. ſa-
croſancta 22. diſt. & de hoc latè dixi in iſto
tractatu.
40 Iſta eſt illa eccleſia, quam Imperator cœ-
leſtis inſtituit, vt in cap. fundamenta, de elect.
in 6. & iubente Domino ab Antiochia Ro-
mam tranſlata eſt, vt in cap. rogamus 24.
quæſt. 1. quam ſolus Deus fundauit, vt in c.
1. 22. diſt. & Petrum Roma exeuntem, & per-
ſecutionem fugientem iuſſit tacitè redire,
dum Petro interroganti, Domine quò vadis?
reſpondit; vado Romam iterum crucifigi, vt
habetur in cap. per venerabilem. §. ſanè, qui
filij ſint legit. vbi dicitur: Volens Petrum Do-
minus ad locum, quem elegerat, reuocare,
reſpondit; iterum venio Romam crucifigi,
vt dixi; non quia ipſe Dominus vellet iterum
crucifigi, ſed vt Petrus rediret in Vrbem, &
ibi pro Chriſto crucifigeretur. Et ſic hoc mo-
do Chriſtus in Petro dicitur crucifigi. cap. nul
li. 3. quæſt. 1. & in d. §. ſanè. vbi dicit Ho-
ſtien. quòd vrbs Romana effuſione ſanguinis
41 Petri, qui fuit Vicarius primus, facta eſt al-
tera Hieruſalem; adeo quòd per talem effu-
ſionem voluntas Dei fuit, vt ille locus firma-
retur, & conſecraretur pro eccleſia ſancta,
quæ eſſet caput, & domina omnium eccleſia-
rum: & probatur clarè in d. cap. fundamenta,
de electio. in 6. adde Bald. in authen. quas
actiones. C. de ſacroſanctis eccleſijs, vbi di-
cit, quod eccleſia Romana dicitur tribus ideſt
immo omnium mater, & regina. Atq; idcirco
Romæ potius quàm alibi voluit Dominus ec-
cleſiæ ſuæ caput ſtabilire: vt vbi erat caput ſu-
perſtitionis, ibi caput quieſceret ſanctitatis:
& vbi gentilium principes habitabant, illic
eccleſiarum Principes morerentur, vt in cap.
beati 2. quæſt. 7. adduco tex. in cap. fin. 89.
diſtinct. vbi dicitur, quod eccleſia militans
diuinitus eſt exemplata ab eccleſia trium-
phante. Sed non poteſt Romanus Pontifex 42
eccleſiam Romanam alio transferre, vt per Ar-
chidia. in cap. rogamus. 24. quæſt. 1. & in d.
cap. fundamenta, de elect. lib. 6.

Itaque ex ſupradictis negari non poteſt,
quòd Papa ſit caput eccleſiæ, tanquam Vica-
rius Chriſti, in quem collata eſt plenitudo
poteſtatis; vt eſt expreſſum in d. cap. rogamus
24. quæſt. 1. cap. ad Romanam. 2. quæſt. 6.
Imo dicere contrarium eſt hæreticum, vt di-
xi, & per tex. qui ſingulariter ad hoc allega-
tur in cap. 1. iuncta gloſ. 22. diſtinct. Et nota-
bimus, quòd ſolus Petrus inter Apoſtolos à
Chriſto immediatè ordinatus, & factus fuerit
Epiſcopus, & de hoc vide in cap. porro. 66.
diſt. & ſancto Petro Pontificatus in eccleſia
datus eſt, vt in cap. in nouo teſtamento. 21.
diſt. & Chriſtus Petro inquit: Simon Ioannis
diligis me? paſce oues meas. Ioannis vlt. Poſt
quæ verba cùm nulla alia legantur, per quæ
alij Apoſtoli à Chriſto immediatè facti intel-
ligantur Epiſcopi, neceſſario videtur dicen- 43
dum, quod ſolus Petrus inter Apoſtolos à
Chriſto immediatè ſit Epiſcopus ordinatus:
Alij verò Apoſtoli à Petro mediatè, vel im-
mediatè, ſolo, vel cum alio, vel cum alijs ſint
Epiſcopi facti, vel ordinati. Quod authori-
tatibus, & rationibus patet: primo per tex.
in d. cap. porro. 66. diſt. vbi dicitur: porro
& Hieroſolymitanus primus Archiepiſcopus
Beatus Iacobus, qui iuſtus dicebatur, & ſe-
cundum carnem frater Domini nuncupatus
eſt, à Petro, Iacobo, & Ioanne ordinatus
eſt, ſucceſſoribus ſuis formam dantibus, vi-
delicet vt minus quàm à tribus Epiſcopis E-
piſcopus non ordinetur. Ex quo apparet,
quòd iſte Apoſtolus non à Chriſto immedia-
tè, ſed à Petro cum alijs Apoſtolis fuerit or-
dinatus: & per conſequens verum eſt, quod
non omnes Apoſtoli à Chriſto immediatè ſunt
ordinati Epiſcopi, & d. cap. in nouo teſta-
mento, dicitur, quod in nouo teſtamento poſt
Chriſtum Dominum à Petro ſacerdotalis cœ-
pit ordo, immo Pontificalis, & ſoli Petro
commiſſa eſt cura paſtoralis. Item Paulus &
Barnabas fuerunt ordinati à Beato Petro, vt
patet Act. 13. Dixit eis Spiritus Sanctus: Se-
gregate mihi Paulum, & Barnabam in opus,
ad quod aſſumpſi illos.

Tunc ieiunantes, & orantes, imponen-
teſque eis manus, dimiſerunt eos: vbi gloſ.
imponenteſque eis manus, dicit, in modum
ordinandorum. Quòd verò tunc fuerint or-
dinati, vide tex. in cap. quod die 75. diſtinct.
Aduerte, quod legitur Matth. 18. Quæcunque
ligaueritis: ſed per illud non ſunt ipſi facti
Epiſcopi; quia Petrus per ſimilia verba, &
etiam maiora, Matth. 16. quodcunque liga-
ueris, non fuit factus Epiſcopus. Nec etiam

B per

per illud Lucæ 22. hoc facite in meam com-
memorationem, facti ſunt Epiſcopi, ſed ſim-
plices Sacerdotes. Dicitur etiam Ioannis 20.
Quorum remiſeritis, &c. Sed nec per ſunt or-
dinati ſunt Epiſcopi; quia cum ordinatio
Epiſcopi ſit diſtincta ab ordinatione ſimpli-
cis Sacerdotis, & in ordinatione ſimplicis Sa-
cerdotis dicitur ab Epiſcopo quemlibet ordi-
nando: Accipite Spiritum Sanctum; quorum
remiſeritis, &c. non eſt veriſimile, quòd per
illa verba propriè, & præciſè facta fuerit or-
dinatio Epiſcoporum primorum, qui fuerunt
ſummi Sacerdotes: quia etiam in lege erat
alia ordinatio ſimplicium Sacerdotum, alia
ſummi: & verba ſacramentalia prolata à mi-
niſtro ſunt eiuſdem virtutis in effectu ſacra-
mentali Euchariſtiæ, in qua verba illa, hoc
eſt corpus meum, proferuntur; atque illud ef-
ficiunt, quod effecerunt Chriſto ea dicente,
Si ergo Chriſtus dicendo illa verba: Accipite
Spiritum Sanctum, feciſſet Apoſtolos Epiſco-
pos, qui iam erant facti Sacerdotes in cœna,
quo ad characterem ſacerdotalem, per illa
verba; hoc facite, &c. eis data in traditione
panis, & calicis; pari ratione Epiſcopus di-
cens illa verba, ſcilicet accipite Spiritum
Sanctum, quorum remiſeritis, &c. quia ille
iam factus eſt Sacerdos per verba ſibi dicta in
traditione calicis cum pane, & vino: faceret
eum Epiſcopum; quod eſt abſurdum ſecun-
dum Cardinalem Sancti Sixti in ſumma ſua,
lib. 2. cap. 32. Item Thomas, qui præſens non
erat illis verbis, non fuiſſet factus Epiſcopus.
Item, quòd per neutra verba, ſcilicet hoc fa-
cite, &c. & quorum remiſeritis, &c. ſint facti
Epiſcopi, patet in creatione humani generis,
in qua vt eſſet maior vnitas, Deus ex vno ho-
mine fecit omne hominum genus, vt dicit
Paulus Act. 17. Ergo ſimiliter videtur ad con-
ſiderandam eccleſiæ vnitatem, quod Deus non
fecerit ſimul plures Epiſcopos, à quibus alij
deriuarentur, ſed vnum primum, à quo cæ-
teri fierent. Et Moyſes legiſlator non fecit ſi-
mul plures Epiſcopos, ſed vnum tantum, ſci-
licet Aaron, à quo omnes alij immediatè pro-
ceſſerunt.

Videte ergo, quod iſte fuit proceſſus in
ordinatione Epiſcopali ſecundum vnam opi-
nionem, ſcilicet quòd Petrus fuerit ſolus Epi-
ſcopus à Chriſto factus ante aſcenſionem;
poſt Spiritus Sancti autem miſſionem, ſiue ip-
ſa prima die dominica, ſiue alia, ſolus Petrus
fecit Ioannem Epiſcopum, deinde Petrus con-
ſecrato Ioanne fecit Iacobum Zebedæi, qui-
bus tribus factis, tunc ordinauit Petrus, quod
44 deinceps non ordinaretur Epiſcopus niſi à tri-
bus Epiſcopis, vt in d. cap. porro. Et ad
oſtendendum formam huiuſmodi, ipſe cum
duobus prædictis ordinauit Iacobum, vt in
d. cap. porro; licet propter paucitatem Epi-
ſcoporum, quando Apoſtoli fuerunt, non
potuit hæc forma ſemper ſeruari. Ideo Pau-
lus ſolus Timotheum, & Titum ordinauit E-
piſcopos, qui ſeparatus à Barnaba non habe-
bat in ſocietate ſua Epiſcopos, niſi quos po-
ſtea fecit: ratio autem, quare filij Zebedæi
fuerunt priùs à Petro in Epiſcopos ordinati,
eſt, quia illi poſt Petrum fuerant maiores, &
honorabiliores, & hos cùm Petro Chriſtus
præ cæteris præferebat; vt patuit in transfi-
guratione, in ſuſcitatione filiæ Archiſynago-
gæ, in oratione in horto, Matth. 9. 16. 17. &
Chryſoſt. ſuper illud: Aſſumpſit Ieſus Petrum,
Iacobum, & Ioannem, dicit, hos aſſumpſit,
quia alijs potiores erant. Ex prædictis ap-
paret, falſam gloſſam eſſe d. cap. porro. 66.
diſt. quæ dicit, quod à principio, & in pri-
mitiua eccleſia omnes Apoſtoli erant ſimpli-
ces Sacerdotes, & tamen poterant conſecrare
Epiſcopos: nam Moyſes ſimplex Sacerdos 45
fuit, & tamen conſecrauit Aaron in Pontifi-
cem; neque tunc erat differentia inter Epiſco-
pum, & ſimplicem Sacerdotem. cap. olim.
95. diſtin. quia conſiderandum eſt, quòd Moy-
ſes, licet non eſſet Sacerdos viſibiliter cum
Aaron, quem fecit Pontificem, vt habetur
Leui. 7. & 21. diſt. cap. 1. erat tamen dignior
alijs, & virtute maior in omnibus; quia in
illis ordinibus non erat character, nec illi Sa-
cerdotes habebant claues, ſed tantummodo
offerebant pro populo, & erant mediatores;
quod multo melius faciebat Moyſes. Sicut
ergo Moyſes conſecrauit Aaron in Pontifi-
cem, & filios in ſimplices Sacerdotes, à quo
quidem Aaron deriuatus eſt Pontificatus,
Nume. 20. Sic & Chriſtus per ſe immediatè fe-
cit Petrum Epiſcopum, à quo poſtea Ponti- 46
ficatus deriuatus eſt; & fecit alios Apoſtolos
ſimplices. d. cap. in nouo teſtamento; vbi di-
citur: Poſt Chriſtum Dominum à Petro ſacer- 47
dotalis cœpit ordo, quia ipſi primo Pontifi-
catus in eccleſia Dei datus eſt, ſed tu vide in-
fra ad finem capituli. Vnitas item eccleſiæ
requirit vnum habere caput, à quo dona
fluant. facit tex. in cap. ita Dominus. 19. di-
ſtinct. & Abel fuit primus Sacerdos; quoniam 48
in Abel, in quo dicitur eccleſia incepiſſe, vi-
detur ſacerdotium habuiſſe exordium in po-
pulo Dei, cùm ipſe in ſcriptura ſancta ſacrifi-
cium Domino acceptum obtuliſſe legatur pri-
mus, Geneſ. 2. Vnde Auguſti. ad Oroſium
ſcribens dicit, tria maximè iuſtitiæ præconia
in Abel fuiſſe comprobantur, virginitas ſcili-
cet, ſacerdotium, & martyrium; in quibus
Chriſti figuram primus geſſit. Sed in lege
ſcripturæ Aaron fuit initium, qui iubente Do-
mino victimas obtulit ſacerdotales. cap. cle-
ros. 21. diſt. Vndè verò nomen eccleſiaſtico-
rum graduum ſumatur, videbis in d. cap.
cleros.

Dixi ſuprà in iſto tractatu de poteſtate
eccleſiaſtica, & de pleniſſima poteſtate ſacri
Summi Romani Pontificis, & allegaui illam
diuinam authoritatem: Tu es Petrus, & ſuper 49
hanc Petram ædificabo eccleſiam meam, &c.
Iſta verba aurea, & pluſquam gemmea refere
Beatus Gregor. in c. præceptis. 12. diſtinct.
Itaque Chriſtus Dominus ſuper Petrum vni-
uerſalem fundauit eccleſiam: & quatuor mo-
dis verificatur prædicta concluſio, vno modo
ratione profeſſionis fidei, qua præ cæteris Pe-
trus Chriſtum confeſſus eſt dicens: Ego dico,
quod tu es Chriſtus filius Dei viui: vt ſit ſen-
ſus, ſuper petram, immo confeſſionem Petri,
qua dixit Chriſto: Tu es filius Dei viui, &c.
fundauit eccleſiam vniuerſalem. Et hoc mo-
do Beatus Auguſt. de verbis Domini expouit
illud Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc
petram ædificabo eccleſiam, dicens: Tu es
Petrus, à petra dictus, quam confeſſus es,
quam cognouiſti, dicens: Tu es Chriſtus fi-
lius Dei viui: & ſuper hanc petram, immo ſu-

per

per me ipſum filium Dei, ædificabo eccleſiam
meam. Secundo modo poteſt explanari dicta
concluſio, ſcilicet quòd in Petro fuerit funda-
ta ecclefia ratione primitatis confeſſionis fi-
dei, quia ſcilicet ipſe fuit primus, qui in na-
tionibus fidei fundamenta poſuit: & hanc ra-
tionem aſſignat B. Ambroſius: & habetur in
cap. fidelior l. diſtinct. vbi ſic ait: Petra enim
dicitur ſcilicet Petrus, eo quòd primus in
nationibus fidei fundamenta poſuit. Tertio
verificatur iſta concluſio, videlicet, quod in
Petro eſt vniuerſalis eccleſia fundata, ratione
ſcilicet magiſterij, doctrinæ, veritatis, inde-
clinabilitatis, authoritatis, de qua Chriſtus
ait Petro, Luc. 22. Et tu aliquando conuer-
ſus confirma fratres tuos. Et aduerte, quia
poſt cœnam ante paſſionem Chriſtus tradidit
eccleſiam Petro, ne quandiu Chriſtus eſſet in
ſepulchro deſolata maneret, orbata capite, &
Paſtore. Conceſſit enim hanc prærogatiuam
Chriſtus Petro, & in Petro Apoſtolicæ Sedi,
vt ipſa tanquam ſaxum immobile, totius coe-
potis Chriſtiani compagem, molemque con-
tineat, vt inquit Ambroſius. Vnde Geego-
rius in regiſtro ait: Quis neſciat ſanctam ec-
cleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate
firmatam, qui firmitatem mentis traxit ex
nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui ve-
ritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni
cælorum: cui rurſum dicitur: Et tu aliquan-
do conuerſus confirma fratres tuos, vt dixi.
Quarto modo poteſt verificari prædicta con-
cluſio, videlicet, quòd ſuper Petrum Chriſtus
vniuerſalem eccleſiam fundauit, ratione ſcili-
cet originis ſacerdotalis Pontificatus, qui ab
ipſo Petro in nouo teſtamento videtur habuiſ
ſe originem, vt in d. cap. in nouo teſtamento
21. diſtinct. dicenti: In nouo teſtamento poſt
Chriſtum Dominum à Petro ſacerdotalis cœ-
pit ordo; ipſi enim primo datus eſt pontifica-
tus in eccleſia Dei. Hic ergo ligandi atque
ſoluendi poteſtatem primus accipit, primuſq;
ad fidem populum virtute ſuæ prædicationis
adduxit. Itaque ſuper Petrum vniuerſalem
eccleſiam Chriſtus dicitur ædificaſſe, quo ad
illos, qui credituri erant in Chriſtum: eccle-
ſia enim hoc modo dicitur continuè ædifica-
ri, vt dictum eſt.

Sed eſt aduertendum, quòd ſolus Chri-
50 ſtus dicitur fundamentum eccleſiæ, ſicut pri-
marium, & maximum fundamentum, & à
quo ſalus dependet totius ædificij: Petrus ve-
rò, ſicut ſecundarium. Vel dicendum iuxtà
ſanctum Thom. in expoſitione epiſtolæ ad
Corinth. quod duplex eſt fundamentum; vnum
quidem, quod per ſe habet ſoliditatem, ſicut
rupis aliqua, ſupra quam ædificium conſtitui-
tur. Et huic fundamento Chriſtus compara-
tur: ipſe enim eſt petra, de qua dicitur Matth.
7. Fundata enim erat ſupra firmam petram.
Et de hoc dicit Apoſtolus in authoritate præ-
fata, quod fundamentum nemo aliud poteſt
ponere, &c. Aliud autem eſt fundamentum,
quod habet ſoliditatem non ex ſe, ſed ex alio
ſolido ſubiecto; ſicut lapides, qui ptimo ſu-
perponuntur petræ ſolidæ. Et hoc modo A-
poſtoli dicuntur eſſe fundamentum eccleſiæ,
quia ipſi primo ſuperædificati ſunt iuxta
Chriſtum per fidem, & charitatem, & ſuper
eorum doctrinam alij ædificantur, Apoſt. ad
Epheſ. Superædificati eſtis ſuper fundamen-
tum Apoſtolorum: inter quos Beatus Petrus
quanto ſingularius præ cæteris Chriſtum con-
feſſus eſt, & regni cęleſtis clauibus donatus
eſt; tanto excellentius præ cæteris Petri, &
fundamenti nomen, & honorem ſortitus eſt.
Itaque cùm dicimus Petrum fundamentum ec-
cleſiæ, non ea ratione ponimus, quaſi dator
ſit gratiæ, (hoc enim modo dignitas funda-
menti ſoli Chriſto conuenit) ſed his rationi-
bus, quæ ſupra aſſignatæ ſunt à ſanctis Do-
ctoribus. De hoc vide Cardin. Sancti Sixti in
cap. præceptis Apoſtolicis 12. diſtin. vbi no-
tanter loquitur more ſuo. Et Beati Petrus, &
Paulus æquales fuerunt meritis, licet gradu
differentes, vt in cap. Beati Petrus, & Paulus
2. quæſt. 7. & præcellunt, & eminent inter vni-
uerſos Apoſtolos.

Sed hic ad propoſitum noſtrum aliqua
de ſacerdotio dicamus. Sacerdotium, quod 51
fuit in lege naturæ, fuit ex humana inſtitutio-
ne; ratio enim naturalis dictat, Deum eſſe
colendum, & ei eſſe offerendum; vnde tunc
primogeniti Sacerdotes inſtituebantur, vel
alij propria voluntate offerentes officium Sa-
cerdotis exercebant. Sed ſacerdotium in le-
ge naturæ erat imperfectum, quia gratia per-
ficit naturam. In lege naturæ initium ſacer- 52
dotij Abel fuit, in lege verò ſcripturæ Aaron,
quanquam Melchiſedech prior obtulit ſacri- 53
ficium, ſed ſpontanea voluntate. Melchiſe-
dech non erat nomen proprium viri, ſed di-
gnitatis; quilibet enim Rex Hieruſalem voca-
batur Melchiſedech nos dicimus Melchiſe-
dech, Hebræi Malchiſedech vide in cap. 14.
Gen. & vide Caietanum in pſalmo incipiente,
Dixit Dominus Domino meo. Itaque Aaron
obtulit victimas Domino eo iubente. Ter-
tium ſacerdotium eſt à Deo inſtitutum, in
lege Euangelica datum, & ordinatum mini-
ſterio Chriſti, qui fuit Deus, & homo. Et hoc
eſt ſacerdotium gratiæ, & ſacerdotium perfe-
ctum; quod poteſt dici ſacerdotium magnum
in comparationem imperfecti, (vt dixi) quia
gratia perficit naturam, & ſacerdotium per-
fectum in comparationem ſacerdotij legis Mo
ſaicæ: quia illud erat ſacerdotium figuratiuū,
figura autem ceſſat adueniente veritate. Ita-
que ſacerdotium in lege Euangelica eſt ſacer- 54
dotium verum, & perfectum; & Sacerdos le-
gis Euangelicæ eſt verus, & perfectus; ad ip-
ſum enim pertinet ſacrificium offerre pro pec-
catis populi, & orare pro populo, & ipſius
vota, & preces Deo offerre, & quinque ſacra-
menta miniſtrare, per quæ confertur gratia;
quæ omnia ſanctificationem important. Vn-
de Sacerdos medius dicitur inter Deum, &
populum. Sed hac autem ſacerdotali digni-
tate comprehenditur omnis eccleſiaſticus or-
do: & dicemus, quòd triplex eſt ſacerdotium 55
nouæ legis, magnum, maius, ſimplicis pre-
sbyteri. Magnum dicitur, vt dixi, reſpectu
ſacerdotij legis naturæ, & reſpectu ſacerdotij
legis ſcripturæ. Sacerdotium maius eſt ſacer-
dotium Epiſcopoeum, tum quia in ipſis eſt
ordo ſacerdotalis, ſecundum quandam perfe-
ctionem: quia perfectum vnumquodque dici-
tur, cùm poteſt aliud ſibi ſimile producere,
quoniam ad eos pertinet diſpenſare ſacramen
tum ordinis; tum etiam quia eis competunt
aliquæ actiones, quæ non poſſunt competere
alijs Sacerdotibus: ſicut conſecrare virgines,

Digitized by Google

manus imponere, confirmare, &c. vnde ſi alij
Sacerdotes adminiſtrant quinque ſacramenta,
ipſi adminiſtrant ſeptem. Iſtæ autem inæqua-
litates omni tempore videntur fuiſſe: nam
apud gentiles ſecundum Iſidorum in libro E-
thymolog. minores Sacerdotes dicebantur fla-
mines, & maiores archiflamines.

In veteri teſtamento Aaron erat maior
Sacerdos (vt diximus) ſub quo erant filij eius
minores Sacerdotes miniſtrantes ſub eo. In
nouo teſtamento Chriſtus inſtituit maiores
Sacerdotes duodecim Apoſtolos, quibus ſuc-
cednut Epiſcopi; & ſeptuaginta duos Diſci-
pulos, quibus ſuccedunt Sacerdotes. Et ſa-
cerdotium maximum eſt ſacerdotium Summi
Pontificis, qui eſt Vicarius Chriſti, & ſucceſ-
ſor Petri, vt ex ſupradictis conſtat: & de ſa-
cro Summo Pontifice multa diximus in iſto
primo cap. & in toto iſto libro, & in cap. 16.
Sed tex. in cap. in illis 80. diſtinct. dicit iſta
verba: In illis verò ciuitatibus, in quibus
olim apud ethnicos primi flamines eorum,
atque primi legis doctores erant, Epiſcopo-
rum primates, vel Patriarchas Beatus Petrus
poni præcepit, qui reliquorum cauſas Epi-
ſcoporum, & maiora negotia in fide agita-
rent. In illis autem, in quibus dudum apud
prædictos ethnicos erant eorum Archiflami-
nes, quos tum minores eſſe tenebant, quàm
memoratos primates, Archiepiſcopos inſti-
tui præcepit. In ſingulis verò reliquis ciuita-
tibus ſinguins, & nnn plures Epiſcopos con-
ſtitui præcepit, qui Epiſcoporum tantum vo-
cabula ſortirentur; quoniam neque inter ipſos
Apoſtolos par fuit inſtitutio, ſed vnus præ-
fuit omnibus. Notate à tempore Petri eſſe
limitatas prouincias: quod eſt notandum, fa-
cit etiam tex. in cap. rogamus 24. quæſt. 1. &
Apoſt. inſtituit Titum in Archiepiſcopum
Cretæ, vt in cap. 1. ad Titum. Et Timotheus
erat primas in eccleſia Epheſina, & in tota
illa prouincia, vt in cap. 3. ad Timotheum.
Sed notabis etiam, quod beatus Auguſtin. in
quodam ſermone dicit: Petrum itaque funda-
mentum eccleſiæ Dominus nominauit: & ideo
digne hoc fundamentum totius eccleſiæ, ſuper
quod eccleſiſtici fundamenti altitudo conſur-
git. Ipſi etiam Sancti Apoſtoli quantumcun-
que eſſent à Chriſto immediatè vocati, & in-
ſtituti, communi tamen approbatione reco-
gnouerunt Petrum ipſorum caput, Principem
& magiſtrum, & per conſequens totius eccle-
ſiæ. Sibi enim ſoli dictum eſt in Ioanne: Tu
vocaberis Cephas, qui licet Petrus interprete-
tur ſecundum vnam linguam: tamen ſecun-
dum aliam caput exponitur.

Vnde ſtatim aſſumpto Chriſto in cælum
Petrus, tanquam eius ſucceſſor, eccleſiam re-
gerè cœpit, dum ad complendum duodena-
rium numerum Apoſtolorum loco Iudæ præ-
uaricatoris ex verbis prophetę alium inſtituit,
& ſubrogari fecit. Ipſe etiam in Ananiam, &
Saphiram vxorem eius, tanquam Princeps A-
poſtolorum, mortis ſententiam promulgauit,
quia mentiti fuerant Spiritui Sancto. Ipſe
ſolus in Simonem Magum ſententiam dam-
nationis pronunciauit, licet non ei ſoli, ſed
omnibus communiter pecuniam obtuliſſet.
Quæ omnia & plura alia, quæ adduci poſſent,
ſatis oſtendunt, quòd omnes alij Apoſtoli, &
Diſcipuli, licet à Chriſto immediatè poteſta-
tem habuerint, Petrum tamen ſemper reco-
gnouerunt in Dominum, & magiſtrum. Ita- 56
que typus eccleſiæ in Petro. Et ex omnibus
colligite quod Papa in eccleſia habet plenitu- 57
dinem poteſtatis; & vide doctiſſimum Cardi-
nalem Sancti Syxti in tractatu illo ſuo de au-
thoritate Papæ, cap. 1. Sed non deſunt, qui
arguant Apoſtolos reliquos parem poteſta-
tem accepiſſe à Chriſto immediatè. Altera
quidem opinio eſt dicentium, quòd ſolus Pe-
trus immediatè poteſtatem accepit à Domi-
no: probant ex tex. in d. cap. in nouo teſta-
mento 21. diſtinct. vbi dicitur: Petro primo
Pontificatus in eccleſia Dei datus eſt: in ſpe-
ciali autem intellige, qun ad poteſtatem or-
dinis, non ſacerdotalem; hanc enim poteſta-
tem ſacerdotalem conſtat habuiſſe omnes A-
poſtolos immediatè à Chriſto in cœna dicen-
te: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei me-
moriam facietis, quo ad actum celebrandi
miſſas: & poſt reſurrectionem, quo ad actum
abſoluendi in ſacramento pœnitentiæ: Acci-
pite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis
peccata, remittuntur eis, &c. Sed Epiſcopa-
lem probant ex conſecratione Iacobi, & Pau-
li, ac Barnabæ. Iacobus enim ordinatus fuit
Archiepiſcopus Hieroſolymitanus à Petro,
Iacobo, & Ioanne cap. porro 66. diſtinct. ſed
dicit ibi gloſ. quòd dicti tres Apoſtoli viſibi-
li vnctione conſecrauerunt Iacobum; quia is
prius erat inuiſibiliter vnctus à Domino. Et
dicunt, quòd in cœna, vel per illa verba Ioan.
20. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos;
accipite Spiritum Sanctum, &c. vt in d. cap.
in nouo teſtamento dicitur; cæteri Apoſtoli
cum Petro parem honorem, & poteſtatem ac-
ceperunt, & in eorum loco ſurrexerunt Epi-
ſcopi. Et concludunt, quòd Petrus, & Ioan-
nes, & Iacobus intronizauerunt Iacobum ad
adminiſtrationem certi loci; prius enim erat
Epiſcopus ſine titulo certo. Sed non poſſu-
mus negare, quòd Apoſtoli, in quantum A-
poſtoli, omnes fuerint æquales: vnde Cardi-
nalis Sancti Sixti in d. ſuo tractatu cap. 3. di-
cit: Apoſtoli inter ſe poſſunt comparari du-
pliciter, primo inquantum Apoſtoli, & ſic 58
omnes fuerunt æquales: alio modo in quan-
tum oues Chriſti ab eo hic corporali conuer-
ſatione ſeparatæ, & ſic Petrus ſolus eſt paſtor,
& reliqui Apoſtoli oues ſub illius cura.

Sed ex ſupradictis in toto iſto capitulo
facile eſt videre, quòd Apoſtoli, in quantum
Apoſtoli, habuerunt poteſtatem ordinis, &
iuriſdictionis immediatè ab ipſo Domino no-
ſtro Ieſu Chriſto, iuxta illud Ioan. 20. ſicut
miſit me pater, & ego mitto vos: & Matth. 10.
& Marci 3. & Luc. 6. & ad Galat. 1. Paulus
probat ſe Apoſtolum, quia neque ab homini-
bus, neque ab homine tam mittente, quàm
decente eſt Apoſtolus. Quomodo autem ve-
rificari poſſunt hæc duo ſimul, quòd ſcilicet
omnes fuerint pares in authoritate gubernan-
di eccleſiam, atque à Ieſu Chriſto immediatè
eam habuerint; & quòd Petrus ſolus fuerit in-
ſtitutus paſtor vniuerſalis eccleſiæ, & maior
authoritate ſuper alios Apoſtolos. Sed mo-
dus varius dandi, & accipiendi poteſtatem
clarificat veritatem: in Petro enim, & à Pe-
tro inchoatur omnis eccleſiæ poteſtas, & de-
riuatur in totam eccleſiam via ordinaria. Et
ſi eccleſia vna ſub vnico tantum capite, Petro
ſci-

Digitized by Google

ſcilicet. Et habent Apoſtoli omnes immedia-
tè à Chriſto poteſtatem ordinis, & iuriſdi-
ctionis, habentes ex gratia præueniente. Et,
vt clarius eluceſcant dicta, ſcito quinque eſſe
59 differentias inter poteſtatem Petri, & aliorum
Apoſtolorum.

Prima eſt in modo dandi, & accipiendi;
quia Petro data eſt ordinariè: Apoſtolis alijs
autem ex ſpeciali gratia, vt dictum eſt. Se-
cunda eſt in officio, & ſequitur ex prima,
quia Petrus factus eſt Vicarius generalis Chri-
ſti: alij verò Apoſtoli facti ſunt legati, ſeu de-
legati, iuxta illud Pauli: legatione pro Chri-
ſto fungimur. Item ad Epheſ. legatione fun-
gor in cathena iſta. Tertia eſt in obiecto po-
teſtatis, quia aliorum poteſtas iuriſdictionis
non erat ſupra ſe inuicem, ſed ſuper alios: Pe-
tri verò poteſtas erat, & ſuper alios, & ſuper
ipſos reliquos Apoſtolos, dicente ſibi ſoli
Chriſto: Paſce oues meas; in quarum nume-
ro ſine dubio erant Apoſtoli: Vbi Chryſoſto-
mus dicit in perſona Chriſti ad Petrum: Lo-
co mei præpoſitus eſto, & caput fratrum tuo-
rum. Quarta in perpetuitate poteſtatis, quia
ſolis perſonis proprijs, & non pro eorum ſuc-
ceſſoribus: Petri verò poteſtas vſque ad con-
ſummationem perſeuerat: quia data eſt ſibi
in perſona propria, non ſolum pro ſeipſo,
ſed & pro omnibus ſucceſſoribus ſuis: quod
ſancti docto. exprimunt ſub alijs verbis dicen-
do, quod data eſt poteſtas Petro in perſona
eccleſiæ. Et ex hac differentia oritur, quod
nullus eſt ſucceſſor Ioannis, aut Iacobi, nec
etiam Pauli Apoſtoli in authoritate Apoſto-
latus vniuerſalis gubernationis eccleſiæ, ſicut
Apoſtoli gubernant vbiq; ſed ſuccedunt tan-
tum in poteſtate ordinis, & regiminis vnius
certæ eccleſiæ, vt hodie ſuccedunt: ſed ſolius
Petri ſucceſſor eſt, & dicitur Papa, vt patet
in toto iſto capitulo, Ideo benè dicit tex. in
d. cap. in nouo teſtamento 21. diſtinct. quòd
Epiſcopi ſuccedunt in loco Apoſtolorũ Chri-
ſti. Quinta eſt in ipſa eſſentia poteſtatis, quia
authoritas communiter data Apoſtolis fuit
velut potentia exequtiua: vnde à ſancto Tho-
ma vocatur authoritas gubernandi. Autho-
ritas verò data ſoli Petro, quum factus eſt Pa-
pa, dicente Chriſto: Paſce oues meas, eſt po-
tentia præceptiua: & propterea vocatur à S.
Thom. authoritas regiminis. Propter quod
dixit ſanctus Thom. Paulus fuit par Petro in
executione, non in authoritate regiminis: ad
Galatas cap. 2. & ad Corinth. 12. vide etiam
ſanctum Thom. Dedit enim Saluator omni-
bus Apoſtolis, vt exequi poſſent in eis, ad
quos mittebantur, omnia, quæ poterat exe-
qui Petrus; puta inſtituere eccleſias, & Epi-
ſcopos, docere, excommunicare: Petro au-
tem abſolutè dedit poteſtatem omnium, & ſic
Paulus aliquo modo, immo executione erat
par Petro, quantum ad defenſionem fidei.
Et vt benè intelligas, aduerte Epiſcopi habent
officium prædicandi, & fratres prædicatores
etiam habent officium prædicandi, cùm ad
hoc inſtituti ſint, ſed differenter: quia Epiſco-
pi ex propria authoritate ordinaria hoc fa-
ciunt, fratres verò prædicatores authoritate
Papæ delegantis eos in officium hanc prædi-
cationis exercendæ poteſtatem habent: de
hoc videbis Cardinalem ſancti Sixti in d. cap.
60 3. & in cap. 4. Et Chriſtus eſt caput eccleſiæ,
ad Epheſios cap. 1. & Petrus caput, vt Vica-
rius Chriſti: & Papa etiam caput, vt Vicarius
Chriſti; & ſic pro vno tantum capite reputan-
tur. Notate benè omnia iſto capitulo conten-
ta, quia gemmea, & aurea ſunt, & funda-
mentum totius ſacræ paginæ, & totius ſacri
iuris pontificij.

Dixi ſuperius, quòd eccleſiæ vniuerſali
ſint claues datæ. Nunc notate veram intelli- 61
gentiam, quia verus intellectus eſt, quòd vni-
uerſali eccleſiæ datæ ſunt claues, non in om-
nibus membris eius, ſed in aliquibus membris
eius tantum: & plenitudo poteſtatis data eſt
illi in vno membro tantum, ſed principali,
quod eſt caput in corpore, & eſt Roman. Pont.
Et iſte eſt verus, & catholicus ſenſus, & quem
habent ſancti Doctores, cùm dicunt claues
datas eſſe vniuerſali eccleſiæ. Vndè de pote-
ſtate ligandi, & ſoluendi peccata dicit beatus
Ambroſ. libro de pœnitentia, quòd ius ligan-
di, & ſoluendi ſolis Sacerdotibus eſt permiſ-
ſum. Et B. Hieron. dicit, & habetur in gloſ.
Matth. 16. quòd datæ ſunt claues omni eccle-
ſiæ in Epiſcopis, & Presbyteris. De poteſta-
tis verò plenitudine dicunt ſancti Doctores,
quos ſupra induximus, quod ſoli Petro data 62
ſit, & in eo Rom. Pont. eius ſucceſſori.

Pro cuius intellectus pleniori notitia eſt 63
ſciendum, quod poteſtas clauium, vt colligi-
tur ex Apoſtolo tam 1. ad Cor. 12. quàm ad
Eph. 4. ponitur inter gratias gratis datas,
quas Chriſtus dedit corpori eccleſiæ, vnde
aie: Dedit quoſdam paſtores, &c. gratiæ au-
tem gratis datæ non ſunt ita datæ corpori ec-
cleſiæ, quòd omnibus eccleſiæ membris ſint
diſtributæ, ſed quibuſdam tantum aliquæ, &
alijs aliæ: vnde ait Apoſtolus 1. ad Cor. 12.
Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpi-
ritus: Vbi dicit gloſ. gratias hic appellat di-
uerſos gradus, & ordines, qui ſunt in officijs
eccleſiæ. Et inquit Apoſtolus: Poſuit qui-
dem Deus quoſdam in eccleſia, primum Apo-
ſtolos, ſecundo prophetas, tertio Doctores,
deinde virtutes, & exinde gratias curatio-
num opitulantes, gubernationes, genera lin-
guarum: nunquid enim omnes Apoſtoli? nun-
quid omnes Prophetæ? nunquid omnes Do-
ctores? nunquid omnes virtutes? nunquid
omnes habent gratiam curationum? nunquid
omnes linguis loquuntur? nunquid omnes in-
terpretantur? hæc Apoſtolus. q. d. non. Et ad
Rom. 12. poſtquam dixit: Multi vnum cor-
pus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter al-
terius membra; ſequitur: Habentes donatio-
nes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis,
differentes, ſiue prophetiam ſecundum ratio-
nem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando,
ſiue qui docet in doctrina, &c. Ex quibus ver-
bis Apoſtoli manifeſtum habetur, quòd huiuſ-
modi gratiæ non infunduntur, nec ſunt ſin-
gulis membris eccleſiæ corporis communes;
ſed infunduntur ſingularibus membris corpo-
ris particulatim, non autem vniuerſitati, aut
communitati membrorum. Nullus enim do-
ctus ignorat, quod talium gratiarum ſubie-
ctum capax eſſe non poteſt ipſa communitas.
Præterea notandum eſt, quòd propter vnita-
tem ipſorum membrorum in ipſo corpore ec-
cleſiæ ipſum corpus eccleſiæ dicitur ſæpè reci-
pere, habere, & exercere, ſiue operari, quæ
officialia membra ſua, vel aliquod etiam
vnum

Digitized by Google

vnum membrorum recipit, habet, aut operatur: licet illud tale conueoire non poſſit toti vniuerſitati membrorum, nec propriè veraciter poſſit dici de ea, ſed tantum per figuram ſynecdochen nominando totum à parte, ſicut in corpore naturali hominis exemplum eſt manifeſtum: homo enim criſpus dicitut, vel caluus, licet caluities, & criſpitudo vni tantum membro hominis, ſcilicet capiti inſiot. Ita ſimiliter teperitut io corporibus alijs pet ſimilitudinem dictum: plura nanq; attribuuntut vni populo, licet toti non conueniant, ſed tantum aliquibus illius populi: vnde gloſ. ordinaria ſuper illud Apoſt. 1. ad Corinth. 10. Sedit populus manducare, dicit ſic: Populus, immo quidam de populo, totum pro parte ponit. Sic in propoſito propter vnitatem in corpore eccleſiæ multa, quæ quibuſdam tantum conueniunt, attributa leguntur ipſi toti corpori eccleſiæ, vt poteſtas miniſterialis clauium ligandi, & ſoluendi à peccatis, quæ ſolis Sacerdotibus conuenit, & in quibus ſubiectiuè, & diſpenſatiuè eſſe poteſt, dicitur eccleſiæ data, cuius membra ſunt ipſi Sacerdotes. vnde Ambroſ. vbi ſupra dicit: Ius ligandi, & ſoluendi habet eccleſia, quæ veros habet Sacerdotes: & ſimiliter de alijs actibus. Vnde Archidiaconus ſuper illud, Eccleſiç charitas, de conſec. diſtinct. 4. dicit: Eccleſia dicitur facere, quod eius miniſtri faciunt ſecundum inſtituta: puta paruulos baptiſmo offerre, baptizare, peccata dimittere. hæc ille. Propter præfatam etiam vnitatem corporis myſtici oon ſolum dicitur eccleſia habere illud, quod ſingulariter prælati in eccleſia habent, ſicut claues, & plenitudinem poteſtatis, quam ſolus Papa habet, ſed etiam quod Chriſtus principale ipſius eccleſiæ caput habet vnde Beatus Auguſtinus tractans illud Apoc. 2. Qui vicerit, & ſeruauerit opera mea vſque ad finem, dabo poteſtatem ei ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & vt vas figuli comminuentur, ſic & ego accepi à patre meo, dicit: Sic in Chriſto habet eccleſia hanc poteſtatem: ſicut dicit Apoſtolus, cum illo omnia nobis donauit. Vbi conſiderandum multum vtiliter venit ad vitãdos multos errores, quod cùm aliqua legantur attributa eccleſiæ, eſt aduertendum reſpectu quorum, vel reſpectu cuius illa talia attribuantur ei: cùm noo omnia omnibus conueniant, ſed quædam quibuſdam, quædam alijs, & quædam vni; aliàs facilitet qois poſſet errare. Cuius conſiderationis defectus videtur nobis, quod fuerit cauſa aduerſarijs multorum errorum: vnde valdè conuenientet venit hoc loco notanda illa regula, quæ ponitur in gloſ. Pſalm. 17. quæ originaliter eſt Beati Auguſtini dicens: Attende regulam vnitatis capitis, & corporis, quaſi enim vna perſona eſt caput, & corpus, ideoque vna voce vtitur caput cum membris: licet ea, quæ dicunt, ad diuerſa referantur: quædam enim ſoli capiti conueniunt, quædam ſolis membris, quædam capiti, & membris. Item quę membris conueniunt, quædam præteritis, quædam præſentibus, quædam futuris, quædam perfectis, quædam imperfectis conueniunt; & tamen in tanta diuerſitate vna vox eſt, & quaſi vna perſona loqui videtur: hæc gloſ. Ex quibus omnibus manifeſtè patet, qualitre intelligendæ veniant omnes authoritates Sanctorum dicentes, quod eccleſiæ catholicæ datæ ſunt claues: quia non quidem io ipſa tota communitate, ſiue multitudine membrorum, ſed in aliquibus tantum, ſcilicet io principalibus, vt in Epiſcopis, & Presbyteris, vt ait Hieron. & io iſtis, vt ſingularibus, non vt collegio: quoniam (ſicut apertiſſimè monſtratum eſt) in communitate, ſiue vniuerſitate non poteſt eſſe ſubiectiuè, nec diſpenſatiuè poteſtas ligandi, & ſoluendi à peccatis: de qua authoritates ſanctorum maximè loquuntur, vt patet ex ipſa litera. de hoc videbis Cardinalem doctiſſimum Sancti Sixti in ſumma. in titulo 72. libro ſecundo.

C A P. I I.

Quod ad ſolum ſummum Romanum Pontificem ſpectat de fide, & hæreſi determinare.

S V M M A R I V M.

1 *Ad ſolum Pontificem ſpectat de fide, & hæreſi determinare.*

2 *Papa ſuccedit Petro in adminiſtratione perſonali, Chriſto autem in officio.*

3 *Petrus Antiochiæ primo cathedram Epiſcopalem ſuſcepit, quæ poſtea Romam tranſlata eſt.*

4 *Papa in omnibus eccleſijs totius mundi iuriſdictionem habet, ſed ſingulariter eſt Romæ Epiſcopus.*

INuictiſſimè, clementiſſime Rex noſter per
ſuperius dicta ad ſolum ſummum ſacrum 1
Romanum Pontificem ſpectat de fide, & hæ-
reſi determinare; & de his etiam, quæ perti-
nent ad vnitatem diuinæ eſſentiæ, & ad natu-
ram humanam à Dei filio aſſumptam: & de
hoc tractat Auguſt. de Ancona in ſuo tract.
de poteſtate eccleſiaſtica, quæſt. 10. 11. 12. 13.
Et per ea, quæ ſuperius diximus, dicendum 2
eſt, quòd Papa ſuccedit Petro in perſonali
adminiſtratione: in officio, vt in vniuerſali
iuriſdictione: & reſeruata Deo, videntur re-
ſeruata Papæ eius Vicario de hoc videbis ſu-
pra in cap. 1. & io cap. 16. infra in iſto libro.
Et factum à Papa, & à Vicario Chriſti, cen-
ſetur factum à Deo, cuius locum Papa tenet
in terris. ita Panor. in cap. quanto, de tranſ-
lat. Epiſc. Quamuis autē Petrus adminiſtratio- 3
nem primo habuerit in Antiochia, poſtea ta-
men iubente Domino Romam tranſtulit, vt
in cap. rogamus 24. qu. 1. Itaque Antiochiæ
primo cathedram Epiſcopalem ſuſcepit, quæ
poſtmodum Romam translata eſt, vt in cap.
ſacroſancta Romana, & Apoſtolica eccleſia
22. diſt. vndè ſingulariter prima Apoſtoli Pe-
tri Sedes eſt Romana eccleſia. Quia verò Pa-
pa ſuccedit Chriſto io officio, & vniuerſali
iuriſdictione, quoniam Petrus (vt ſuperius
dixi) in perſona omnium Summorum Ponti-
ficum recepit vniuerſalem iuriſdictionem à
Chriſto non in vno loco, nec in vna gente ſin-
gulariter, ſed vniuerſaliter in toto orbe, iux-
ta illud Matth. 16. Tibi dabo claues regni cæ-
lorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram,

crit

erit ligatum, & in cœlis: & quodcunque ſol-
ueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis,
4 & Ioan. 20. Paſce, &c. ideo Papa non ſolum
habet (vt dixi) iuriſdictionem Romæ, ſed vni-
uerſaliter in omnibus eccleſijs totius mundi.
Quantum verò ad officium, & vniuerſalem
iuriſdictionem, Papa eſt Epiſcopus vniuerſa-
lis eccleſiæ, & Epiſcopatus vnus eſt; ſed quan-
tum ad perſonalem adminiſtrationem ſingu-
lariter eſt Epiſcopus Romæ propter rationem
iam dictam. Sed iterum eſt aduertendum,
quòd Sedes Petri primitus Antiochiæ fuit,
poſtea iubente Domino Romam tranſlata eſt,
ad quam cuncta maiora negotia diuina diſ-
ponente gratia iuſſa ſunt referri, vt in d. cap.
rogamus, 24. qu. 1. vt ab Eccleſia Romana
regulariter diſponantur, à qua ſumpſerunt
principia: & inter Apoſtolos ſolus Petrus pri-
matum gerebat, vt dixi in cap. præcedenti,
& vt in cap. Paulus Petrum 2. qu. 7.

C A P. III.

Quod Papa, cum teneat Primam ſedem, habet authoritatem congregandi Concilium generale.

SVMMARIVM.

1 *Papa habet authoritatem congregandi Concilium generale.*
2 *Concilium debet habere caput, & membra.*
3 *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire.*
4 *Quod Romana ſeruat Eccleſia, ab omnibus ſeruari debet.*
5 *Decretales epiſtolæ in canonicis ſcripturis connumerantur.*
6 *Sanctorum dicta an ſint neceſſario obſeruanda.*
7 *Cum diuerſitas eſt inter dicta Sanctorum, & Pontificum, quibus ſtandum.*
8 *Qui tranſgreditur Canones, hæreticus reputatur.*
9 *Omnia membra ſequi caput debent.*
10 *Mos populi, & inſtituta patrum pro lege habenda ſunt.*
11 *Papæ ſufficit, quòd per Legatos ſuos concilio interſit.*
12 *Inſignia Apoſtolicæ Sedis quæ ſint.*

ITem inuictiſſime potiſſime Rex aduerten-
1 dum eſt, quod Papa, cùm teneat primam
ſedem, habet authoritatem congregandi Con-
cilium generale, vt fides catholica vna, & ve-
ra radiet in dominico grege: quia conuoca-
rio facienda eſt per maiorem partem vniuerſi-
tatis: vt notatur in l. 1. ff. de albo ſcribendo,
& in l. 2. C. de decurio. lib. 10. & in cap. in
ſynodo 63. diſt. Et cùm nemo ex Chriſtianis
maior ſit, quàm Papa, ideo ſibi competit con-
uocatio ad Concilium generale: nam vniuer-
ſalis eccleſia abſque Papa eſt corpus repræ-
ſentatum (ita Auguſtinus in libro 2. de doct.
Chriſtiana) cùm Papa ſit Vicarius Chriſti in
2 terris cap. 2. & 3. de tranſlat. prælat. & Con-
cilium debet habere caput, & membra, vt in
cap. ſubmittimur, 21. diſt. & 3. diſtin. cap.
regula. §. porrò. Sed ab omnibus cuſtodien-
da ſunt decreta, & ſtatuta ſanctorum patrum:
& ſic omnes ſanctiones Apoſtolicæ Sedis acci-
piendæ ſunt, tanquàm ipſius diuina voce Pe-
tri firmatæ. cap. ſic omnes, 19. diſtinct. & to-
lerandum eſt iugum, quod à Sancta Sede im-
ponitur, licet intolerabile videatur: & quic-
quid Romana eccleſia ſtatuit, vel ordinat, ab
omnibus obſeruandum eſt, vt in cap. enimue-
ro, 19. diſtinct. & miniſterij diuini ſe exſortem
intelligat, qui à ſoliditate Petri recedit, vt in
cap. ita Dominus 19. diſt. facit tex. in c. hæc
veſtræ 11. diſt. vbi litera dicit: Hæc veſtræ in-
dicimus charitati, vt ab Apoſtolicis inſtitu-
tis nullo vlterius recedatis exceſſu, quia mul-
tum poſt hoc eſſe non poterit, ſi quiſquam
Apoſtolicas regulas in aliquo crediderit eſſe
negligendas. Et prima ſalus eſt rectæ fidei re-
gulam cuſtodire, & à ſtatutis patrum nullate- 3
nus deuiare, vt in c. prima ſalus 25. qu. 1. facit
tex. in c. quæ ad perpetuam generaliter ordi-
nata ſunt vtilitatem, nulla commutatione va-
rientur humana 25. qu. 1. Et ab omnibus ob- 4
ſeruari debet, quod Romana ſeruat eccleſia,
vt in c. quis neſciat. 2. diſt. ridiculum enim
eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditio-
nes, quas à patribus recepimus, infringi pa-
tiamur. c. ridiculum 12. diſt. facit etiam tex.
in c. ſi ea 25. qu. 2. vbi legitur: Si ea deſtrue-
rem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non
conſtructor, ſed euerſor eſſe iuſtè comproba-
rer. Et decretales epiſtolæ vim authoritatis 5
habent, & in canonicis ſcripturis decretales
epiſtolæ connumerantur. c. ſi Romanorum, &
in c. in canonicis ſcripturis 19. diſt. Et non
eſt iudicandum per dicta Hieronymi, & Au-
guſtini omiſſis canonibus, vt in c. de libellis,
20. diſt. c. ſi ille 1. diſt. Et dicta ſanctorum an
ſint neceſſario obſeruanda, dico, quod ſi ſunt 6
dicta non retractata, nec corrupta per eccle-
ſiam, ſeruanda ſunt in his, quibus ſancti com-
muniter conueniunt, vt in c. ſancta Romana
eccleſia 15. diſt. Sed vbi inter ipſos ſunt opi-
niones, poſſumus tenere, quod volumus. Sed 7
ſi reperitur diuerſitas inter dicta aliquorum
ſanctorum, & ſummorum Pontificum, dico,
quod potius credendum eſt Papæ, quia Papæ
fuit data poteſtas interpretandi legem dubiã,
& non ſanctis, vt in c. per venerabilem, qui fil.
ſint leg. & vide in c. nulli fas, iuncta gloſ. 11.
diſt. Et cui magis credendum eſt inter docto.
eccleſiæ, vide notabilem gl. in c. vt veterum
9. diſt. & videbis c. 58. infra in iſto ſpeculo,
& omnino vide; quia ibi dilucidaui iſtam ma-
teriam, & explanaui multa. Et de his omnibus
videbis Inno. & Compoſtel. & Panor. in d. c.
ne innitaris, de conſtitut. Et Papa habet ple-
nariam poteſtatem etiam in concedendis ti-
tulis beneficiorum: Phil. Francus in c. 2. de
præbend. lib. 6. & ſolus ipſe poteſt dare ius ad
eccleſias vacaturas. Et qui tranſgreditur ca- 8
nones credens Romanam eccleſiam non habe-
re poteſtatem condendi canones, vt hæreticus
reputaui c. nulli fas 19. diſt. c. violatores 25.
qu. 1. legitur etiam Prouerb. 20. Non tranſ-
grediaris terminos, quos poſuerunt patres tui.
Et non decet à capite membra diſcedere, ſed
iuxta ſcripturæ teſtimonium omnia membra 9
caput ſequantur c. non decet 12. diſt. vbi etiã
litera dicit: Nulli vero dubium eſt, quod Apo-
ſtolica Romana Eccleſia mater ſit omnium
eccle-

ecclefiarum, à cuius regulis nullatenns vos
conuenit deuiare. Et omnia talia, quæ neque
ſanctarum ſcripturarum authoritatibus con-
tinentur, nec in Concilijs Epiſcoporum ſtatu-
ta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis
eccleſiæ roborata ſunt, ſine vlla dubitatione
reſecanda exiſtimo, vt in c.omnia 12.diſt. fa-
cit tex. in c.in his 11. diſt. vbi habetur: In his
rebus,de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcri-
ptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum
10 pro lege tenenda ſunt, facit etiam tex.in cap.
eccleſiaſticarum 11. diſt vbi litera dicit: Ec-
cleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcri-
ptis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per
ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepi-
mus, quaſdam vero conſuetudine roboratas
approbauit vſus. Itaque authoritare genera-
li, vel ſpeciali eccleſia regitur, vt in c. catho-
lica eccleſia.ead.diſt.Et licet vniuerſalia Con-
cilia non niſi per Rom.Pontificem regulariter
conuocanda ſint, nihilominus non eſt neceſ-
ſarium, vt ſuper illis præſentialiter interſit;ſed
ſufficit quòd legati,aut Vicarij eius interſunt:
11 quod ex illo apertiſſimè oſtenditur,quod nul-
li octo Conciliorum vniuerſalium, quæ in ec-
cleſia, vt præſtantioris authoritatis, deſcri-
buntur, Rom. Pontifex perſonaliter interfuit,
ſed per legatos ſuos. Vnde Leo Papa huius
nominis primus ab Imperatore Chriſtianiſſi-
mo Marciano ad Chalcedonenſe Concilium
deuotiſſimè inuitatus, hac ratione inter alias
ſe excuſauit, quòd nullum inde exemplum à
prædeceſſoribus acceperit. Imperatores olim
congregabanr eorum authoritate Concilium
generale: deinde ſciendum eſt, quòd emana-
uerunt decreta, & iuſtè, vt Pontifices, aut eo-
rum legati ex mandato ſpeciali ſolummodo
authoritatem haberent congregandi Conci-
lium: non tamen Imperatori ademerunt ius
ſolicitandi, requirendi, & inſtandi, vt cele-
bretur Concilium vrgente neceſſitate. Et inſi-
gnia Apoſtolicæ dignitatis ſunt hæc,vti veſti-
12 bus rubeis, palafredo albo, fræno, & calcari-
bus deauratis. Et de hoc videbis Hoſtien. &
Cardin. & docto. in c. antiqua.de priuil.& ibi
de Legato de latere, & de Card. Monacho.

C A P. I V.

An ſit licitum deſiderare ſummum Epiſcopatum, & Pontificatum: & de illis, qui appetunt minores Epiſcopatus ratione honoris, vel abundantiæ honorum temporalium.

S V M M A R I V M.

1 *Epiſcopus nomen eſt operis, non honoris.*
2 *In ſummo, & minori Epiſcopatu tria poſſunt conſiderari.*
3 *Laudabile eſt deſiderare Epiſcopatum, & num. 11.*
4 *Mortale peccatum eſt recuſare Epiſcopatum, & num. 10.*
5 *Epiſcopus eſſe debet ſine crimine: & à quibus immunis eſſe debet.*
6 *Propter quid Epiſcopatus eſt deſiderandus?*
7 *Epiſcopus vnde dictus eſt?*
8 *Qualis debeat Epiſcopus eſſe, & num. 13. & 16.*
9 *Petrus poſt caſum fidelior factus.*
12 *Ementes, & vendentes Epiſcopatum, magnæ temeritatis cenſendi ſunt.*
14 *Epiſcopi nomen quid ſignificet.*
15 *Antiquitus laudabile erat Epiſcopatum quærere.*
17 *Non erubeſcat Epiſcopus etiam à minimis diſcere.*

EPiſcopus ſecundum Auguſtinum nomen 1
eſt operis, non honoris tantum, vt in c.
Epiſcopatum 8. qu. 1. vbi litera dicit: Qui
præeſſe, & non prodeſſe deſiderat, Epiſcopari
non debet. Sed in ſummo, & minori Epiſco-
patu tria poſſunt conſiderari, quorum vnum 2
eſt principale,& finale,ſcilicet Epiſcopalis ope
ratio, per quam vtilitas proximorum intendi-
tur, ſecundum illud Ioan.vlt.Paſce oues meas.
Aliud eſt altitudo, & excellentia gradus; quia
Epiſcopus ſuper multos, & Summus Pontifex
ſuper omnes conſtituitur, ſecundum illud
Matth. 25. Fidelis ſeruus, & prudens, quem
conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.
Tertium eſt, quod conſequenter ſe habet ad
iſta, reuerentia ſcilicet, & honor,& abundan-
tia temporalium ſecundum illud 1. ad Ti.c.r.
Qui benè præſunt, duplici honore digni ha-
beantur. Qua conſideratione habita eſt con-
cluſio, quòd quoad principale, & finale ſigni-
ficatum.Epiſcopatus eſt nomen operis, non
honoris, vt patet ex textu in d. c. qui Epiſco-
patum,& ex eo, quod Dominus Apoſtolos vo-
cat operarios, quos miſit in vineam ſuam.
Matth. 20. quibus ait illud Ioan.6. Operami-
ni cibum, qui non perit, ſed qui permanet in
vitam æternam, & Lucæ 10. Meſſis quidem
multa, operarij autem pauci. Itaque nomen
Epiſcopus ſuperintendens dicitur, & curam
aliorum gerens, vt dicitur in d. c. qui Epiſco-
patum. Quantum verò ad alia, quæ minus
conſideranda veniunt in Epiſcopatu, benè eſt
nomen honoris. Et ſic concludo, quòd Epi-
ſcopatus eſt nomen operis, & honoris: ſed
vnum eſt principale, & finale, vt dixi, ſcilicet
Epiſcopalis operatio, per quam vtilitas pro-
ximorum intenditur. Sed vt plurimum hæc
in temporibus iſtis infelicibus non reperitur:
ſed vt Dominus dicit de paſtoribus Iſrael,
Ezech. 34. quia paſcebant ſemetipſos: Nonne
greges à paſtoribus paſcuntur? lac comede-
batis, & lanis operiebamini, & quod craſſum
erat, occidebatis, gregem autem meum non
paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſoli-
daſtis, & cæt. Et diſperſę ſunt oues meæ, eo
quòd non eſt paſtor, & factæ ſunt in deuora-
tionem. Reuerendiſſimi Epiſcopi audite ver-
bum Domini: hæc dicit Dominus: Ego ipſe
ſuper paſtores requiram gregem meum de ma-
nu eorum, & ceſſare faciam, vt vltra non pa-
ſcant gregem meum, nec paſcant paſtores ſe-
metipſos. Sed laudabile eſt deſiderare Epiſco- 3
patum: quod originaliter habetur 1.ad Tit. c.
3. in 1. epiſt. ad Tim. Et dicunt, quòd Timo-
theus erat primarius in eccleſia Epheſina, in
qua erant multi Epiſcopi inſtituendi; propter
quod Apoſtolus inſtruit Timotheum, qualis
ſit inſtituendus in Epiſcopum. Et eſt mortale 4
pec-

peccatum recuſare Epiſcopatum interuenien-
te Papæ præcepto, cùm quis probabiliter cre-
dit ſe idoneum, vel ſaltem dubitat: quia eſt
contra fraternam charitatem, facit ad hoc
tex. in cap. in ſcripturis 8. quæſt. 1. & qui ab-
ſcondit frumenta, maledicatur in populis,
ideſt qui abſcondit doctrinam. Sed infir-
mitas impedit promouendum, ſi dubitatur de
conualeſcentia; non tamen repellit iam pro-
motum: ita docto. in cap. cùm inter canoni-
cos, de electio. Et ſtatus Epiſcoporum eſt per-
fectior, quàm ſtatus religioſorum, vt in cap.
vno 18. quæſt. 1. Ideo laudabile eſt, quòd ali-
quis deſideret tranſire ad ſtatum Epiſcopa-
lem: ſed non debet propter aduerſitatem gre-
gem relinquere cap. ſuggeſtum, cum duobus
ſequentibus 7. quæſt. 1. quia non omnis Epi-
ſcopus, qui dicit, pax vobis, eſt ſicut colum-
ba, ſed potius ſicut coruus audiendus cap.
non omnis. ea. cau. & q. quia criminoſus Epi-
ſcopus magis eſt dicendus canis impudicus,
quam Epiſcopus cap. qui nec 7. quæſt. 1. cùm
debeat eſſe ſine crimine, vt alios poſſit argue-
re cap. nemo 81. diſt. cap. iudicet. cap. pri-
mum 25. diſt. vbi litera dicit: Quomodo enim
poterit alios corrigere, qui in ſimile corruit
5 delictum. Et legitur, quòd qui eligitur in
Epiſcopum, debet eſſe ſine crimine, & ſine
criminali infamia, de quo late in cap. fin. &
cap. ex literarum tuarum de temp. ord. Et à
quibus debeat eſſe immunis, qui in Epiſcopum
ordinatur, vide textum notabilem in cap. fin.
51. diſt. vbi Concilium Toletanum IV. in cap.
18. ſic loquitur: Qui in aliquo crimine deten-
ti ſunt, qui infamiæ nota aſperſi ſunt, qui ſce-
lera aliqua per publicam penitentiam ſe ad-
miſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſim lapſi ſunt,
vel qui in hæreſi baptizati ſunt, aut rebapti-
zati eſſe noſcuntur, qui ſemetipſos abſcide-
runt, aut qui naturali defectu membrorum
minus habere noſcuntur, qui ſecundæ vxoris
coniunctionem ſortiti ſunt, aut numeroſa con-
iugia frequentauerunt, qui viduam, vel à ma-
rito relictam duxerunt, aut corruptarum ma-
riti fuerunt, qui concubinas, aut fornicarias
habuerunt, qui ſeruili conditioni obnoxij
ſunt, qui ignoti ſunt, qui neophiti, vel laici,
qui ſeculari militiæ dediti ſunt, qui curiæ ne-
xibus obligati ſunt, qui inſcij literarum, qui
nondum ad 30. annos peruenerunt, qui per
gradus eccleſiaſticos non aſcenderunt, qui
ambitu honorem quærunt, qui honorem mu-
neribus obtinere moliuntur, qui à deceſſoribus
in ſacerdotium eliguntur. Itaque à quibus
debeat eſſe immunis, qui in Epiſcopum ordi-
natur, docet ſacrum generale Concilium To-
letanum IV. in cap. 18. Ideo poſtquam ego
poſſum eſſe certus de contentis in d. cap. 18.
& in cap. fin. 51. diſtinct. licitè poſſum deſi-
derare Epiſcopatum, & Apoſt. ad Timoth.
epiſt. 1. cap. 3. dicit: Si quis Epiſcopatum
deſiderat, bonum opus deſiderat: quaſi dicat,
6 non eſt deſiderandus propter officij dignita-
tem, ſed propter annexum laborem, qui eſt
ordinatus ad honorem Dei, & proximi ſalu-
7 tem; vnde dicitur ab epi, quod eſt ſupra, &
ſcopos, intentio, quia debet ſemper intende-
re ſaluti plebis ſibi commiſſæ; & Apoſt. in d.
cap. 3. inſtruit Timotheum, qualis ſit inſtituen-
dus in Epiſcopum.
8 Ideo dixit, oportere Epiſcopum irre-
prehenſibilem eſſe, immo ſine notabili defe-
ctu, & integræ famæ, ſobrium in cibis, & po-
tibus, ornatum in motibus, prudentem in
agibilibus, pudicum, imo honeſtum in exte-
riori geſtu, hoſpitalem in pietatem actu, do-
ctorem, imo habilem ad docendum, non vi-
nolentum, imo ad potationem vini aſſuetum,
non percuſſorem ex iracundia, ſed modeſtum
per repreſſionem paſſionum, non litigioſum,
ita quod non ſolum ex ira non percutiat ali-
quem, vt dictum eſt, ſed nec etiam verbis
iniurioſis contendat, non cupidum: quia vi-
ctus, & veſtitus debent eſſe diuitiæ Chriſtia-
norum, & maximè Epiſcoporum: vnde dici-
tur: Habentes alimenta, & quibus tegamur,
his contenti ſimus: ſuæ domui benè præpoſi-
tum, imo diligentem de bona prouiſione do-
mus ſuæ, &c. Itaque de his omnibus poſſum
eſſe certus, quia Apoſtolus poſſibilia dixit; &
ſic eſt licitum deſiderare Epiſcopatum: & A-
poſtolus non dicit, qui Epiſcopatum deſide-
rat, bonum deſiderium habet, ſed bonum
opus, ſcilicet vtilitatem plebis.
Itaq; ſi tu Epiſcopatum deſideras, & ego
deſidero, hoc eſt, quod deſideramus, quia boni
opus. Et quamuis Epiſcopatus ſit dignitas ma-
gna, habet tamen ſummum laborem, & maxi-
mam ſolicitudinem ſibi annexam: ita vt potius
appelletur opus, quàm dignitas. Itaque qui-
nis Epiſcopatum licitè cupit, ſi non propter
dignitatem, ſed propter adminiſtrationem
optat prodeſſe, & non præeſſe. Ne autem
quiſpiam pronus ſit ad Epiſcopatum deſide-
randum, declarat Apoſtolus in d. cap. 3. qua-
lem oporteat eſſe Epiſcopum, quatenus Epi-
ſcopatum nemo affectet, niſi virtutibus ſupra-
dictis ornetur. Sed nec ille deinceps Sacerdos
erit, quem nec clerus, nec populus propriæ
Ciuitatis elegit, vel authoritas Metropolita-
ni, vel comprouincialium Sacerdotum aſſen-
ſus non exquiſiuit. Quicunque igitur dein-
ceps ad ordinem ſacerdotij poſtulatus, & in
his, quæ prædicta ſunt, exquiſitus, ſi in nul-
lo horum deprehenſus fuerit, & examinatus
probabili vita, & doctrina extiterit; tunc ſe-
cundum ſynodalia, vel decretalia conſtituta
cum omnium clericorum, vel ciuium volun-
tate ab vniuerſalibus comprouincialibus Epi-
ſcopis, aut certè à tribus in Sacerdotem die
Dominico conſecrabitur, conuenientibus ce-
teris, qui abſentes ſunt, ſuis literis, & magis
authoritate, vel præſentia eius, qui verè Me-
tropolitanus Epiſcopus eſt conſtitutus. Epi-
ſcopus autem comprouincialis ibi conſecran-
dus eſt, vbi Metropolitanus elegerit: Metro-
politanus autem non niſi in ciuitate Metro-
poli à comprouincialibus ibidem conuenien-
tibus. Si quis autem deinceps contra prædi-
cta vetita canonum ad ſacerdotij gradum in-
dignus aſpirare contenderit, cum ordinatori-
bus ſuis adepti honoris periculo ſubiacebit.
Sed iudicio meo, qui eſſet immunis à ſupra-
dictis, non deſideraret Epiſcopatum.
Sed aduerte, quòd exemplo Petri eligen-
dus potius eſt in prælatum, qui poſt caſum 9
pœnituit, quàm qui nunquam cecidit: quia
talis per caſum ſuum aliorum infirmitatibus
compati nouit. l. diſt. cap. conſiderandum, &
cap. ſequen. vbi legitur: Fidelior factus eſt
Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit;
atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm

amiſit : vt is, qui futurus erat paſtor eccleſiæ,
in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri
debuiſſet, & ex ſua infirmitate cognoſceret,
quam miſericorditer alienas infirmitates to-
leraret. Et Prouerb. 11. dicitur: Qui abſcon-
dit frumenta, maledicatur in populis; bene-
dictio autem ſuper caput vendentium. Sed il-
le, qui eſt idoneus vita, & ſcientia ad Epi-
ſcopatum, videtur frumenta ſpiritualia ab-
ſcondere, ſi ab Epiſcopatu ſe ſubtrahat. Per
hoc autem, quod Epiſcopatum accipit, po-
nitur in ſtatu frumenta ſpiritualia diſpenſan-
10 di, & peccat nolens acceptare dignitatem, ſi
per alium non poteſt ità benè eccleſiæ proui-
deri, vt cap. venerabilem, de elect. per Panor.
& vide notabile dictum in cap. ſi electio, de
electio. in 6. vbi dicunt docto. Electus poteſt
non acceptare electionem de ſe factam, pec-
cat tamen mortaliter recuſando, ſi putet ſe
idoneum ad illam prælaturam. allegant gloſ.
in cap. In ſcripturis veſtris 8. qu. 1. Tu intelli-
ge, quando alius idoneus deeſſet, vt per Ioan.
Andr. ibi & Ancharan. & Phi. Fran. hoc adde
11 ad ea, quæ ſuperius diximus. Ergo videtur,
quod laudabile ſit Epiſcopatum appetere, vt
vituperabile ipſum refugere, & Grego. in pa-
ſtorali pri. par. cap. 5. tractando de his, qui
regiminis culmine prodeſſe exemplo virtutum
poſſunt, dicit: Quiſquis virturibus pollens
gregem Dei paſcere recuſat, Paſtorem ſum-
mum non amat. Et Chriſtus ait: Simon Io-
annis amas me? qui cùm amare ſe protinus
reſpondiſſet, audiuit: Si diligis me, paſce
oues meas: quia dilectio eſt teſtimonium cu-
ræ paſtoris. Sed deſiderare Epiſcopatum ta-
ctione honoris, vel abundantiæ bonorum tem-
poralium, non eſt licitum, quia tale deſide-
rium pertinet ad ambitionem, vel cupidita-
tem. Vnde contra Phariſeos Dominus ait:
Amant primos recubitus in cœnis, & primas
Cathedras in ſynagogis, ſalutationes in foro,
& vocari ab hominibus rabbi. Et Dominus
arguit diſcipulos primatum quærentes, di-
cens: Scitis, quia Princeps gentium domi-
nantur eorum: Per quæ oſtendit, quòd Ethni-
corum eſt primatum appetere. Ideo prima-
tum eccleſiæ concupiſcere nec iuſtum eſt, nec
vtile; intellige, ſi idiota, & indignus apperat
Epiſcopatum. Sed deſiderare Epiſcopatum
ſine negociatione bonum, & optimum eſt, ſi
à viro digno deſideretur.

Quis enim ſapiens vult vltro cum nego-
ciatione ſe ſubijcere ſeruituti, & periculo ta-
li, vt det rationem pro omni eccleſia; niſi for-
tè qui non timet Dei iudicium? ideò locus re-
giminis deſiderantibus eſt negandus, & fu-
gientibus offerendus eſt, vt in cap. in ſcriptu-
ris veſtris. 8. qu. 1. & non intelligitur ille ab-
ſcondere frumenta ſpiritualia (vt dixi) cui
non competit ex officio; ſed ſolum tunc in-
telligitur, ſi negligat, cùm ei ex officio incum-
bit: vel ſi officium, cùm ei iniungitur, perti-
naciter renuat. Sed otium ſanctum quærit
charitas, & Epiſcopus in tabernaculo cum
Moyſe vacare aliquando debet contemplatio-
ni. Sed non continue contemplationis ſuaui-
tas amplectenda eſt, vt ſubtrahatur, vel di-
minuatur iuſta neceſſitas proximorum: cæ-
terum cum grano ſalis, & ad vtilitatem pro-
ximorum vir perfectus, & prudens, bonæ vi-
tæ, & conſcientiæ poteſt deſiderare Epiſcopa-
tum (vt dixi) & ſi inducitur ad petendum
principaliter ad bonum publicum, non vt præ-
ſit, ſed vt proſit: vt quia videt eccleſiam vi-
duatam deſtitui, neque eſt ſpes de proxima
prouiſione. itaque ductus charitate mouetur
adeundum, & impetrandum: & tunc ſatis pu-
to impetrationem licitam, & meritoriam.
Hoc videtur optimè probari in cap. in ſcri-
pturis præalleg. vbi commendatur Iſaias, qui
inſtante neceſſitate vltro ſe obtulit, dicens,
Ego mitto me. Et ex facto Iſaiæ appetentis,
& Hieremiæ fugientis arguit ibi Gregor. quod
ſicut toto deſiderio debemus occupationes
fugere: ita, ſi deſit, qui prædicet, occupatio-
nis onus libenti neceſſe eſt animo ſubire. Et
hoc caſu procedit dictum Archid. quod vide-
batur contrarium eis, quæ ipſe notat in cap.
ordinationes: pro hoc facit illud Euangeli-
cum. Maiorem charitatem nemo habet, quàm
vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.
Quid dicemus de ementibus, & vendentibus, 12
& de illis, qui appetunt Epiſcopatum indignè
ratione honoris, vel abundantiæ bonorum
temporalium, niſi quod à talibus ſuſcipitur
magiſterium paſtorale in magna temeritate?
quoniam ars eſt artium, regimen animarum.
Et ſunt nonnulli, qui intra ſanctam eccleſiam
per ſpeciem regiminis gloriam affectant ho-
noris, videri doctores appetunt, tranſcende-
re cæteros concupiſcunt: contra quos Domi-
nus per Prophetam queritur, dicens: Ipſi re-
gnauerunt, & non ex me: Principes extite-
runt, & ego ignoraui. Ex ſe autem, & non
ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui nullis
fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati,
ſed ſua cupiditate accenſi culmen regiminis
rapiunt potius, quàm aſſequuntur. Et paſto-
rum imperitia voce veritatis increpatur, cùm
per prophetam dicitur: Ipſi Paſtores ignora-
uerunt intelligentiam: quos rurſum deteſta-
tur Dominus, dicens: Et tenentes legem, ne-
ſcierunt me. Et profectò hi, qui ea, quæ ſunt
Domini, neſciunt, à Domino neſciuntur,
Paulò atteſtante, qui ait: Si quis autem igno-
rat, ignorabitur. Et de hoc in Euangelio
Chriſtus: Si cæcus cæco ductum præbeat, am-
bo in foueam cadunt, & nemo quippe magis
in eccleſia nocet, quàm hic qui peruerſe agens
nomen, vel ordinem ſanctitatis habet.

Tunc laudabile fuit Epiſcopatum quære-
re, quando per hunc quenquam dubium non
erat ad ſupplicia grauiora peruenire: Sed
mens malignorum præeſſe volentium plærun-
que ſibi ficta bonorum operum promiſſione
blanditur. Ille igitur ad regimen debet ve- 13
nire, qui cunctis carnis paſſionibus mortifi-
catis iam ſpiritualiter viuit, qui proſpera
mundi poſtponit, qui nulla aduerſa pertime-
ſcit, qui ſola æterna deſiderat: nam tantum
debet actionem populi actio tranſcendere Præ-
ſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita Pa-
ſtoris. Sit ergo cogitatione mundus, actio-
ne præcipuus, diſcretus in ſilentio, vtilis in
verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ
cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agen-
tibus per humilitatem ſocius, contra delin-
quentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, &
miſericors, vt in cap. omnes, qui iuſtè iudi-
cant 45. diſtinct. Ideo Epiſcopus, & rector ſit
operatione præcipuus, vt vitæ viam ſubditis
viuendo denunciet; & grex, qui paſtoris vo-
cem

cem, moreſque ſequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur: quia exempla magis mouent, quàm verba. Siretiam Epiſcopus diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ne tacenda proferat, aut proferenda taceat: Nam ſicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium hos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. Sæpè nanque rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè pertimeſcunt. Inter hæc quoque neceſſe eſt, vt Epiſcopus ſolerter inueſtiget, ne cum cupido placendi hominibus pulſet; ne, cùm ſtudioſè interiora penetrat, cùm prouide exteriora ſubminiſtrat, ſe magis a ſubditis diligi, quàm veritatem quærat. hoſtis nanque redemptoris eſt, qui per recta opera, quæ facit, eius vice ab hominibus amari concupiſcit; ita Beatus
14 Gregorius in paſtorali. Epiſcopi Græcè, Latinè interpretantur. ſpeculatores: nam quaſi ſpeculator Epiſcopus eſt præpoſitus in eccleſia, eo quòd ſpeculetur, & proſpiciat populorum infra poſitorum mores, & vitam. Et aduertant quæſo deſiderantes Epiſcopatum, quia videtur præſumptuoſum, quod aliquis præeſſe appetat ad hoc, quòd ſubditis præſit quia prælatus ſecundum gradum, & conuenientia debet omnes alios excedere, & in conuerſatione, & in contemplatione, ita vt in reſpectu ſui alij ſint grex: & hanc idoneitatem de ſe præſumere eſt maximæ ſuperbiæ. Sed
15 antiquitus laudabile erat Epiſcopatum quærere, quando dubium non erat ad ſupplicia grauiora peruenire: vnde non de facili inueniebatur, qui hoc onus aſſumeret, præſertim cum charitatis zelo ad hoc onus inuitarentur vt iam dixi. Sed hodie, vt plurimum, non zelo charitatis, ſed honoris, & pecuniæ incitantur. Itaque opus quidem bonum deſiderare licitum eſt, primum autem honoris locum concupiſcere vanitas eſt. Et deberent recordari de Apoſtolo dicente ad Timo. c. 3.
16 Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuę præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit? non neophitum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Deberent etiam recordari de Apoſtolo dicente ad Hebræos cap. fin. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri; & cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Oportet autem & illum teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt. Sed nullus
17 Epiſcopus propter opprobrium ſenectutis à paruulis, vel minimis eruditis, ſi quid forte eſt vtilitatis, aut ſalutis, inquirere negligat. Itaque non erubeſcat Epiſcopus diſcere à minimis. cap. nullus 38. diſt. quia non licet Sacerdotibus ignorare canones. cap. nulli, ead. diſt. & ibi in cap. omnes, videbis, quæ oportet ſcire eum, qui Epiſcopus eſt ordinandus, & in cap. quæ ipſis, dicuntur, quæ ſint Sacerdotibus neceſſaria ad ſciendum; quia Propheta ait: Tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. bene facit tex. in cap. ignorantia 38. diſtin. Et vacante ſede, & quærentibus omnibus Pontificatum per fas, & nefas, non licet viro probo, & digno quærere Pontificatum adhibendo promiſſiones, etiam propter hunc finem, vt in ſedę poſitus eccleſiæ proſit, & illam reformet: ita doctiſſimus Caietanus in 3. tomo in quæſtione de ſimonia; vbi late hunc paſſum examinauit. An licitum ſit deſiderare, appetere, & procurare Epiſcopatum, vel Pontificatum, vide infra in cap. 9. ad finem. vbi multa videbis: & adde ad ea, quæ ſuperius diximus de mente Caietani. Et dę materia præſentis capituli vide ſanctum Thom. in 2. 2. qu. clxxxv.

C A P. V.

An Principatus Summi Romani Pontificis non ſolum ad ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia ſe extendat, ita quod in toto orbe iuriſdictionem habeat temporalem.

SVMMARIVM.

1 *Principatus Summi Rom. Pontificis an etiam ad temporalia ſe extendit.*
2 *Papa dicitur Summus, omnia enim ei ſubiecta ſunt.*
3 *Poteſtas duplex eſt, ſpiritualis, & temporalis.*
4 *In tribus ſpiritualis eſt prior temporali.*
5 *Anima omnibus rebus præferenda eſt.*
6 *Imperium ſicut Sacerdotium à Deo proceſſit.*
7 *Materialis gladius ad ſolum Pontificem pertinet.*
8 *Ioannes Rex Nauarræ à Summo Pontifice Iulio Secundo tanquam ſchiſmaticus, & hæreticus declaratus fuit.*
9 *Principes à fide apoſtatantes vtrum à Pontifice temporali dominio priuari poſſint.*
10 *De quadruplici Monarchia aliqua.*
11 *Quando inceperit Chriſti Monarchia.*
12 *Chriſti Principatus quando inceperit.*
13 *Papa Adrianus concilio Romæ celebrato Imperium in perſonam Principis Caroli à Græcis in Germanos tranſtulit.*
14 *Antiquo tempore quis modus in eligendo ſeruabatur.*
15 *Gregorius Quintus Teuthonicus Imperatoris electionem per ſeptem Alemaniæ principes fieri ordinauit.*
16 *Papa à nullo iudicari poteſt.*

AN principatus Summi Romani Pontifi- 1
cis non ſolum ad ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia ſe extendat, ita quòd in toto orbe iuriſdictionem habeat temporalem, dic breuiter: quòd licet Romanus Pontifex non habeat regulariter, ſiue directè ita plenam poteſtatem in temporalibus, ſicut in ſpiritualibus; nihilominus etiam habet poteſtatem in temporalibus ex conſequenti, & hoc proprio iure, ſcilicet quantum neceſſarium eſt ad conſeruationem rerum ſpiritualium, ad directionem hominum in ſalutem æternam, ad

Digitized by Google

correctionem peccatorum, & ad conſeruanda
pacem in populo Chriſtiano, vt ex infra di-
2 cendis demonſtrabitur. Et in primis dico,
quòd Papa eſt ſummus, & omnes ſunt ei ſu-
biecti, vt eſt gloſſa valdè notabilis in Clement.
ad noſtrum, de hæret. in verbo Eccleſiæ; &
vide aliam ſingularem gloſ. in cap. cauſam, ii 2.
qui fil. ſunt legit. & vide Innoc. in cap. licet ex
ſuſcepto, de foro competenti: & vide Hoſtien.
in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi:
& vide eundem in ſua ſum. eod. tit. 5. qualiter,
& quo.
Et, vt magis materia eluceſcat, dic,
3 quòd duplex eſt poteſtas, vna ſpiritualis, quæ
eſt penes Summum Pontificem; alia tempo-
ralis, quæ eſt penes Imperatorem, vt in cap.
4 ſoluite, de maior. & obed. Spiritualis autem
eſt prior temporali in tribus, vt dicit Hoſtien.
in loco prææallegato; in dignitate, ſiue maio-
ritate, in inſtitutione, & in authoritate, ſeu
poteſtate. Eſt enim prior in maioritate, ſicut
ſpiritus eſt maior corpore: eſt prior in inſti-
tutione, nam Sacerdotium Melchiſedech prę-
ceſſit legem ſcriptam; de quo in cap. tranſla-
to, de conſtit. Item per Sacerdotem Deo iu-
bente fuit ordinata Regalis poteſtas. 1. Re-
gum cap. 8. quum dicit Dominus ad Samue-
lem: Conſtitue ſuper eum Regem. Eſt ergo
Sacerdos etiam prior poteſtate, & authorita-
te. Item patet hæc maioritas ratione ſubiecti:
quanto enim quis melioribus præeſt, tanto
maior eſt, vt in authen. de defen. ciuit. 5. nos
5 igitur, collat. 3. Sed anima, cui Papa præeſt,
præferenda eſt omnibus rebus humanis, qui-
bus Imperator præeſt. 12. quæſt. 1. cap. præ-
cipimus: ergo Papa præeſt Imperatori.
Item hoc probatur ex vi fidei, ſicut enim
ponere duo principia eſt hæreticum, vt de
ſum. Trinit. & fide cath. cap. 1. & 2. ſic etiam
ponere duos vicarios æquales in terris eſt hæ-
reticum, facit gloſ. notab. in cap. non autem. 8.
quæſt. 1. Eſt enim Eccleſia militans diuinitus
exemplata ab Eccleſia triumphante, dicente
Ioann. in Apocal. cap. 12. in prine. Vidi Hie-
ruſalem ſanctam nouam deſcendentem de cę-
lo, &c. & Moyſi dictum eſt, Exod. 25. quod
omnia faceret ſecundum exemplum ſibi de-
monſtratum. Cùm igitur in Eccleſia trium-
phante ſit vnus princeps ſummus, cuius obe-
dientiæ tota ipſa Eccleſia perfectiſſimè eſt ſu-
biecta, ſcilicet Deus, neceſſario ſequitur,
quod etiam Eccleſiæ militanti vnus ſummus
princeps præſideat. Imperator eſſe non po-
teſt, cùm non valeat præeſſe in ſpiritualibus,
ergo eſt Papa, qui & temporalibus præeſſe
poteſt, vt ſuperius diximus, & infra dicemus.
6 Sed fatendum eſt, quòd imperium, ſicut Sa-
cerdotium, proceſſit à Deo, & nedum ſum-
mum imperium, immò & quælibet inferior
poteſtas dicitur à Deo, vnde in paſſione Chri-
ſtus ait ad Pilatum: Non haberes in me pote-
ſtatem vllam, niſi data eſſet tibi deſuper: ſed
hæc poteſtas non deriuatur in principem ſe-
cularem à Deo niſi cum ſub ordinatione cum
debito ſub ordinatione ſubalternatam emana-
tionem à Vicario Chriſti Ieſu, apud quem
ſunt iura cœleſtis, & terreni imperij, vt dicit
text. 22. diſtinct. cap. omnes.
Hinc eſt, quòd imperium transferre po-
teſt de certo genere perſonarum cum maxima
cauſa ad aliud genus, vt infra dicetur. Sed
iſti exercentes iſtos duos gladios habent ſe
ad inuicem, vt maior, & minor, & vnus ſit
ſupremus in Eccleſia militante, ſicut in trium-
phante. Sed diceres, ad quid valet iſta maio-
ritas, & prærogatiua, cùm non valeat Papa
perturbare illam iuriſdictionem temporalis
principis, nec minuere, nec exercere per ſe,
vt in cap. ſi Imperator, & in cap. cum ad ve-
rum. 96. diſtinct. & cap. quoniam. 10. diſtinct.
& in cap. cauſam, qui filij ſint legitimi: & ipſe
Deus exercitium interdixit, dicendo: Mitte
gladium tuum, &c. Reſpondetur, quod valet
ad multa; & primò, vt ipſum Imperatorem,
tanquam inferiorem, deſtituat exigentibus
cauſis maximis, & arduis. Item in omnibus
arduis negotijs, & maximis difficultatibus
generantibus ſcandalum in Chriſtianitate,
poteſt huiuſmodi maioritatis ratione ſe in-
tromittere etiam inter laicos, & exercere
ipſam poteſtatem ſibi à Deo attributam, vt in
principio ipſius capituli diximus, & infra di-
cemus. Et vbi iſta negotiorum neceſſitas, &
grauitas non contingit, habent locum iura
generaliter loquentia, quòd Papa debet præ-
eſſe ſpiritualibus, Imperator verò temporali-
bus: & hæc ſufficiant, quo ad hunc paſſum.
Et quòd gladius materialis ad Romanum
Pontificem pertineat, patet Ioann. 18. Vbi di- 7
xit Chriſtus Petro: Conuerte gladium tuum
in vaginam. Quod verbum pertractans Bea-
tus Bernardus ad Eugenium Papam ſic inquit:
Qui tuum negat, non ſatis videtur mihi at-
tendere verbum Domini, dicentis: Conuerte
gladium tuum in vaginam. Io. 18. & Matth.
16. Tuus ergo tuo forſitan nutu, & ſi non tua
manu euaginandus, ſed iuſſu Imperatoris:
hæc ille, ſcilicet Bernardus. Nutus verò di-
citur non tantum exhortatio, ſed etiam diſ-
poſitio. Vnde Leo Papa IV. vt in cap. igitur
23. qu. 8. contra Saracenos iubet populum
congregari, & eis ad litus maris occurrere.
Item vt in cap. hortatu, ead. cau. & q. Horta-
tu, & precibus Adriani Papę exhortatus Ca-
rolus Rex contra Longobardos bellum ſuſce-
pit. Ad idem, Beatus Gregorius quoſdam
hortatur nobiles, vt milites congregent con-
tra hoſtes, & arma viriliter præparent, vt in
cap. quicunque, ead. cau. & q. Item in regi-
ſtro etiam legitur, quod Beatus Gregorius
ciuibus Tuſcię, vt contra Longobardos arma
pararent, mandauit, & militantibus ſtipen-
dia decreuit. Quòd etiam huius gladij mate-
rialis diſpoſitio, licet non materialis exerci-
tatio, conueniat clericis, Sanctus Thomas in
ſecunda ſecundæ, qu. 40. art. 2. declarat, ita
dicens: Omnis perſona, vel ars, vel virtus, ad
quam pertinet finis, habet diſponere de his,
quæ ſunt ad finem; bella autem carnalia in
populo fideli ſunt referenda ſic ad finem, vt
ad bonum ſpiritale diuinum, cui clerici de-
putantur, ideo ad clericos pertinet diſpone-
re, & inducere alios ad bellandum bella iuſta
hæc S. Thom. Pertinet ergo diſpoſitio autho-
ritatiua gladij materialis aduerſus infideles,
hæreticos, ſchiſmaticos, & tyrannos, maxi-
mè ad Romanum Pontificem, qui Dux, & Pa-
ſtor, & pugil eſt populi Chriſtiani, quando
bellum eſt pro veritate fidei, vt infra in cap.
de bello. Et de hoc vide extrauagantem Bo-
nifacij incipientem, vnam ſanctam. Ideò
Imperium Romanum à Gręcis tranſtulit in
Ger-

Germanos, & poteſtatem, ac ius eligendi Im-
peratorem poſtmodum certis principibus con
tulit, vt in cap. venerabilem, de electio. Vbi
dicit gloſ. Legimus in Chronicis, quòd cùm
Romana Eccleſia opprimeretur ab Aiſtulpho
Rege Longobardorum, petijt auxilium à Con
ſtantino, & Leone eius filio Imperatoribus
Conſtantinopolitanis, qui cum nollent patro-
cinari eccleſiæ, Stephanus Papa ſecundus, na-
tione Romanus, tranſtulit Imperium in Caro-
lum Magnum, qui fuerat filius Pipini, quem
Zacharias prædeceſſor eius ſubſtituerat loco
Regis Francorum: de quo in cap. alius 15. qu.
8 6. Nonne igitur iuſtè Iulius ſecundus ſanctiſ-
ſimus Pontifex maximus Ioannem Regem
Nauarræ ſchiſmaticum, hæreticum, Apoſto-
licæ Sedis hoſtem publicum, atque reum læſæ
Maieſtatis declarauit? regnumque, & omnia
eius bona publicauit primo occupanti, atque
nominatim Catholico Regi Hiſpaniarum
conceſſit? quemadmodum Stephanus ſecun-
dus Sanctiſſimus Pontifex Conſtantinum, &
Leonem Occidentis Imperio deiecit, propte-
rea quòd ipſi eccleſiæ cauſa imploranti auxi-
9 lium denegauit. Poteſt itaque Papa Princi-
pes apoſtatantes à fide, priuare Dominio tem-
porali, quod habent ſuper fideles: quod pro-
batur ex iam dictis, & oſtenditur ex iam di-
ctis S. Tho. ſecunda ſecundæ, quæſt. xl. art.
vltim.

Sed quia tempus acceptabile eſt, dica-
10 mus aliqua de quadruplici Monarchia. Pri-
ma fuit Aſſyriorum, cuius caput Ninus fuit
tempore Abrahæ Patriarchę, quæ durauit
1240. annos, vt ſcribit Auguſtinus lib. 4. de
ciuit. Dei, vſque ad Sardanapalum, qui prop-
ter merita muliebria perdidit principatum.
Arbazanes tranſtulit Regnum ad Mædos, &
Perſas, eo tempore, quo regnabat Procas Dux
Romanorum, vt idem Auguſtin. in libro 18.
de ciuitate Dei. Hæc ſecunda Monarchia
Mædorum, & Perſarum durauit vſq; ad tem-
pora Alexandri 223. annos, quando videlicet
deuincitur Darius à prædicto Alexandro, vt
ſcribit idem Auguſt. in libro 12. Sed Monar-
chia Gręcorum in Alexandro incœpit, & in
eodem finijt. Regnauit Alexander annos 12.
& mortuus eſt. Sed quamuis Græci non ha-
buerint vniuerſale dominium, viguit tamen
regnum Macedonum annis 4880. vt Auguſtin.
ſcribit in eodem 12. cap. 10. Poſt hanc autem
Monarchiam Romanus principatus vigere in-
cœpit, durauitque conſulatus, immo Monar-
chia vſque ad tempora Iulij Cęſaris, qui pri-
mus vſurpauit Imperium; ſed parum in eo
ſuperuixit. Poſt hunc Octauianus filius ſoro-
ris eius ſucceſſit, & propter ſuam modeſtiam
longo tempore in eo principatum habuit, ac
in xlij. anno ſui imperij, completa ſeptuage-
ſimaſexta hebdomada Danielis, ceſſante re-
gno, & ſacerdotio Iudæorum, naſcitur Chri-
ſtus, qui fuit verus Rex, & Sacerdos, & verus
Monarcha.

11 Sed Monarchia Chriſti quando incœpe-
rit, vide Sanctum Thom. in tracta. de Regi.
Princip. lib. 3. cap. 14. & ibi in cap. 15. dicit
Sanctus Tho. quòd quamuis temporaliter eſſet
Dominus orbis, directè tamen ad ſpiritualem
vitam ſuum ordinauit principatum, iuxtà il-
lud Ioan. Ego veni, vt vitam habeant, & abun-
dantius habeant, & ſic verificatur verbum
Domini: Regnum meum non eſt de hoc mun-
do. Et ſic conſtat poſt Natiuitatem Chriſti
multos imperaſſe: ipſe verò vitam abiectam
elegit, vnde in Matthæo dicitur: Vulpes fo-
ueas habent, & volucres cœli nidos: filius au-
tem hominis non habet, vbi caput ſuum re-
clinet. Item Chriſtus dixit: Regnum meum
non eſt de hoc mundo, vt diximus. Et inter-
roganti reſpondit. Quis me conſtituit iudi-
cem, aut diuiſorem inter vos? Item in Ioanne
ſcribitur: quòd cùm paniſſet multitudinem,
abſcondit ſe: quia volebant eum populi rape-
re, ac Regem facere. Recepit enim inſinen-
tiam Chriſti principatus ex diuina virtute,
quæ in ipſo perſonaliter erat; qua potentia
vſus eſt Chriſtus circa paſſionem, cùm Iudæi
vellent eum occidere, & ipſum quærerent: quo
dicente, Ego ſum; ſtatim ceciderunt in ter-
ram, vt in Ioanne ſcribitur; & in hoc tran-
ſcendit ſua poteſtas potentiam ſui ſucceſſo-
ris. Simili modo cum ementes, & vendentes
de templo eiecit. Sed principatus Chriſti in- 12
cœpit in ipſa ſua natiuitate temporali, & in
humilitate, & paupertate ſuum fundauit do-
minium, & in aduerſitatibus, & laboribus. &
ærumnis ad tollendam ſuſpitionem de cordi-
bus hominum, quòd quaſi principatum aſſum
pſerit, vt in mundo dominaretur. Vnde legi-
tur in Ioanne: Non venit Filius Dei in mun-
dum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mun-
dus per ipſum: & Lucæ 9. Domine vis, dica-
mus, vt deſcendat ignis de cœlo, & conſu-
mat illos? conuerſus Ieſus, increpauit illos,
& dixit: Non miſit Deus filium ſuum in mun-
dum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur
mundus per ipſum. Sed Papa Adrianus Con- 13
cilio celebrato Romæ centum quinquaginta-
quinque Epiſcoporum, & venerabilium Ab-
batum, Imperium in perſonam Principis Ca-
roli à Græcis tranſtulit in Germanos, quam-
diu enim Imperatores Romanam eccleſiam
defenderunt, eccleſia Imperatores fouit: poſt-
quam verò defecerunt, de alio Imperatore
ad ſui protectionem prouidit. Et tunc di-
uerſificatus eſt modus imperij, quia vſque ad 14
tempora Caroli in Conſtantinopoli in eligen-
do ſeruabatur modus antiquus. Aliquando
enim aſſumebatur de eodem genere, aliquan-
do aliunde, & aliquando per Principem fiebat
electio, aliquando per exercitum. Sed inſti-
tuto Carolo ceſſauit electio, & per ſucceſſio-
nem aſſumebantur de eodem genere, vt ſem-
per primogenitus eſſet Imperator. Et hoc
durauit vſque ad ſeptimam generationem.

Qua etiam deficiente tempore Ludouici
à Carolo ſeparati, cùm eccleſia vexaretur ab
iniquis Romanis, aduocatus eſt Ottho primus
Dux Saxonum in eccleſiæ ſubſidium, liberata-
que eccleſia à vexatione Longobardorum, &
impiorum Romanorum, ac Berengarij tyran-
ni, in Imperatorem coronatur à Leone VII.
genere Alemano, qui Ottho imperium tenuit
vſque ad tertiam generationem: & omnes Ot-
thones vocati ſunt. Et ex tunc, vt hiſtoriæ
tradunt, per Gregorium V. genere ſimiliter 15
Teuthonicum prouiſa eſt electio, videlicet, vt
per ſeptem Principes Alemaniæ fiat; quæ vſ-
que ad iſta tempora perſeuerat: quod eſt ſpa-
tium quingentorum ſeptuaginta annorum,
vel circa. Et tantum durabit, quantum Ro-
mana eccleſia, quæ ſupremum gradum in prin

cipatu

ciparu tenet Chriſti, fidelibus expediens iudicauerit. In quo caſu, vt ex verbis Domini ſupra inductis, eſt manifeſtum, videlicet pro bono ſtatu vniuerſalis eccleſiæ, Vicarius Chriſti habet plenitudinem poteſtatis, cui competit dicta prouiſio. Sed Papa à nullo iudicari
16 poteſt., vt in cap. nemo, cap. aliorum, & cap. cuncta per mundum 9. qu. 3. & cap. electionem 79. diſtin. cum ſimilibus: & vide tex. in cap. oues & cap. nos. 2. qu. 7. & ſic Papa eſt ſupra Concilium, vt eſt communis ſententia doctiſſimorum Virorum, & ego eam ſequor, tanquam piam & ſanctam, quia oportet tollere ſchiſmata.

Notate bene omnia contenta in toto iſto capitulo, quia magna, & ardua ſunt, & quaſi fundamentum totius iuris noſtri, non ita alibi tacta per iuriſconſultos, licet aliqui inſenſati multa vaniloquia contra ſacrum imperium moliri conati ſint. Tota ſchola Pontificia, & Cæſarea communiter in hoc concordare videtur; ſed modernorum ingenia adeo deprauata ſunt, vt ſemper ſuſcitent diuiſionem inter vtrunque gladium. Et concludendo dico, quod ſi enarrare vellem facultatem, & ſupremam dignitatem, & excellentiam Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, ante diem clauſo componet veſper olympo. Nec mihi ſi mille linguæ ſint, oraque mille, ferrea vox, &c. minimam partem earum attingere poſſem. Omnia tamen in toto iſto libro, & ſpecialiter in iſto capitulo contenta ſubmittimus ſub correctione Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, & ſub correctione ſacri Summi Romani Pontificis.

F I N I S.

FR. ALPHONSI DE CASTRO ZAMORENSIS MINORITÆ,

Aduerſus omnes hæreſes,

LIBER DVODECIMVS.

P A P A.

Fr. Alphonſus de Caſtro Hiſpanus Minorum Franciſcanæ Familiæ Alumnus; inter elapſi ſęculi ſcriptores ſatis celebris, varias reliquit ſacrę eruditionis monumenta, inter eaque illud quod contra hæreſes ſcripſit Libris XIV. diſtiuctum, vbi nonnulla de Romano Pontifice habet, quæ hic exhibentur, huius meminit Cardinalis Bellarminus tom. 1. controu. lib. 3. de Concilijs & Ecclefia cap. 4. & tom. 2. lib. 2. de Imaginibus cap. 6 Vvadingus in Bibliotheca Franciſcana; de eodemque loculenter Nicolaus Antonius Hiſpalenſis in ſua Bibliotheca Hiſpanica tom. 1.

Lutherus.

LVtherus qui toties à nobis proſtratus eſt, ſolo Papæ nomine audito recuperat vires, vt denuo poſſit nobiſcum de hac re congredi. Adeo nanque Papæ odium imbibit, vt etiamſi in cineres redactus fuerit, ad Papam inſectandum reuiuiſcat. Omnium enim ſuorum ſcriptorum ſcopus is vnus eſt, Papam videlicet à ſua Sede deijcere: omnem poteſtatem quam à Deo in terris recepit, illi adimere: & vt hoc conſequeretur nihil intentatum teliquit, nullum non mouit lapidem. Nam pro hac ſola re tuenda totam Eccleſię domum euertere curauit. Quod autem ex odio Papæ & non ex zelo id fecerit, inde conijciet quiſque, ſi rerum ab eo geſtarum ordinem plene nouerit. Cum enim is Lutherus aliqua à veta fide aliena docere tentaſſet, fuit de hac re à Leone Decimo, qui tunc vniuerſali Eccleſiæ pręſidebat, admonitus: cui admonitioni cum idem Lutherus obedire contempſiſſet, Leo Decimus velut bonus paſtor hunc Lutherum excommnnicauit & velut putridam ouem ab Eccleſiæ ouili eiecit, ne reliquas attactu ſuo inficeret oues. Qua de re factum eſt, vt Lutherus qui antea primatum Petri & ſucceſſoris eius probauerat, & libris editis docuerat: poſt hanc in eum latam excommunicationem vſque à Deo papatui detrahat, vt non ſit contentus illius poteſtatem minuere, ſed etiam illum acerbiſſimis conuitijs afficere & contumelijs atrocibus inſectari.

Dicit enim Pontificum nomen inane prorſus eſſe, nec re quicquam aliud eſſe quàm regnum Babylonis & potentiam Nembroth robuſti venatoris, quoniam mera tyrannide factum eſſe ait, vt Papa ſuper alios Epiſcopos fuerit exaltatus. Hinc ergo conijcere licet, quo ſpiritu Lutherus ducatur qui in tractanda fide catholica magis affectu quàm ratione regitur. Huius tamen erroris primus author non eſt Lutherus. Primo enim ille ſerpens antiquus hunc errorem perſuaſit Græcis, qui ab Græci.
Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt propter errores Neſtorij, Dioſcori, Euticetis, quoniam Neſtorius in Epheſina Synodo: Dioſcorus vero Armeni.
& Eutices in Chalcedonenſi damnati ſunt. Eadem ratione Armeni ab Eccleſiæ vnitate ſe ſubtraxerunt, quod videlicet concilij Chalcedonenſis decreta recipere contempſerunt. Et ab hoc tempore obedientiam Romano Pontifici negare cœperunt vſque ad tempus Eugenij Quarti, quo tempore celebratum eſt Concilium Florentiæ, ad quod confluentes Græci & Armeni, qui poſt longam de hac re cum Latinis habitam diſputationem, tandem veritatem plene cognoſcentes Eccleſiæ Romanæ ſe ſubdiderunt.

Poſt Græcos & Armenos venere impij &

A idiotæ

idiotę Waldenſes nihilo minus omnibus Epiſcopis inimici quàm Græci & Armeni fuerant Vualdenſes. Romano Pontifici. Hi enim Waldenſes, docent omnes Presbyteros eſſe pares, neque vnum Marſilius. eſſe alio poteſtate ſuperiorem. Waldenſibus in hac parte conſenſit quidam Marſilius Patauinus. Patauinus. De Ioanne Wicleff & Ioanne Huſs non Ioannes. eſt opus dicere, quoniam ille in verba Waldenſium, & hic in verba Wicleſi iuraſſe videntur. Vuicleff. Iſtorum ergo omnium communem errorem iam diu ſepultum, Lutherus hoc noſtro ſeculo Io:Huſs. ab inferis reuocauit, vt faciliori modo quas conceperat hæreſes docere poſſet. Nulla eſt enim alia via apertior ad hæreſes introducendas quam ſi primatum Petri ab Eccleſia ſubtraxeris. Quapropter omnes oportet adhibere huic operæ vires, vt aperte primatum Summi Pontificis oſtendamus, ne via pateat hæreticis ad ſuas hereſes introducendum. Pro hac Matt. 16. re apertum teſtimonium eſt id quod Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cęlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* In quibus verbis multa ſunt quæ primatum Petri manifeſte innuere videntur. Primo quia mutato nomine Simonis eum nomine Petri vocauit, quæ res ſine grandi myſterio contingere non potuit. Nunquam enim Deus nomen nouum alicui homini indidit, quem non magnis donaſſet beneficijs, & ad aliam quandam extuliſſet dignitatem.

Gen. 16. Sic enim in veteri teſtamento, Abrahæ & Gen. 32. Saræ quos facturus erat in gentem magnam, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem propagandus erat, nomen à Deo tributum nouum. Sic etiam Iacob quoniam fortis fuerat contra Deum, mutato nomine Iacob vocatus eſt Iſrael. Et vt ad nouum teſtamentum accedamus: Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius vocauit Chriſtus Boanerges, hoc eſt filios tonitrui. Hos autem duos fratres quantum præ cæteris Apoſtolis poſt Petrum extulerit, Matt. 17. ipſa euangelica hiſtoria aperiſſime docet. Nam hos duos ſimul cum Petro aſſumpſit in teſtes ſuæ glorioſæ transfigurationis. Hos ſolos Luc. 8. permiſit intrare domum Iairi archiſynagogi cum illius filiam ſuſcitare voluit. Et Matt. 26. quum paſſione ſua inſtante oraret, hos etiam aſſumpſit ſecum, vt vel inde conijcere poſſimus non ſine cauſa iſtis noua tribuiſſe nomina. Cum ergo Petro nouum à Deo imponatur nomen: grande in eo futurum myſterium deſignatur: præſertim ſi bene quiſque aduertat quale fuerit nomen illi tributum. Nomen ſiquidem Petrus à petra deriuatum eſſe videtur. 1. Cor. 10. At cum Chriſtus iuxta Paulum vocetur petra: conuincitur inde Petro tale nomen fuiſſe datum, quod nomine Chriſti ſimillimum foret, & quod à Chriſti nomine deriuationem acceperit, vt vel hac ratione nominis, edoceremur Petrum Chriſti vicem in terris habiturum, cuius nomen tunc accepiſſe cognoſcimus.

Secundo in illo Matthæi loco prius citato, aduertere oportet quod ſequitur. Nam eundem Petrum vocauit poſtea petram ſuper quam fundanda erat Eccleſia. *Tu es* (inquit) *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Conſidera ergo qualis ſit futurus Petrus ſuper quem Eccleſia ædificanda promittitur. Sic enim Theophylactus illa Chriſti verba exponens ait: Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod ſupra eum ædificauit Eccleſiam. Hæc ille. Quibus verbis ſatis aperte declarat Petrum eſſe petram ſupra quam Deus ſuam Eccleſiam fundare decreuerat. Eodem modo etiam exponit Hieronymus ſuper Matthæum decimo ſexto. Eodem modo interpretatur Hilarius canone decimo ſexto ſuper Matthæum, quamquam huius verba quidam detorquere conatus, adiecit in margine hæc verba. Eccleſiæ fundamentum eſt fides. Quibus verbis interpretari voluit Hilarium, quiſquis ille fuit, quaſi Hilarius ſentiret fidem eſſe fundamentum & petram: non autem Petrum. Hilarius tamen apertiſſime de Petro loquitur vt facile eſt videre. Idem ſentit Chryſoſtomus ſuper Matthæum. Simili modo illum locum exponit Auguſtinus ſæpe, præſertim in libro contra epiſtolam Donati, & ſermone vigeſimo ſexto de ſanctis. Eodem modo etiam exponit Leo Papa huius nominis Tertius in ſermone tertio de anniuerſario die ſuæ aſſumptionis. Iſtis omnibus ſubſcribit Beatus Gregorius libro ſexto ſui regiſtri epiſtola 36. Quorum omnium ſacrorum virorum verba, cauſa prolixitatis vitandæ omiſi citare. Tertullianus etiam idem ſentit in libro de præſcriptionibus hæreticorum: cuius verba infra ſubijciemus.

Tertium quod in illis Chriſti verbis Petro dictis, eſt conſideratione dignum: quod ſoli Petro nominatim Chriſtus promiſit claues regni cœlorum. Quoniam etſi alijs Apoſtolis datæ ſint claues, non tamen cœlorum omnium ſed cœli. Petro enim dicitur: *Quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Matt. 18. Cum vero omnibus Apoſtolis ſimul dantur claues, ſic dicitur: *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlo.* Ecce vides hic dictum, in cœlo ſingulari numero: quum tamen Petro claues promittuntur, claues cœlorum promittuntur: & in cęlis dicitur eſſe ligandum quod ille ligauerit, non in vno cœlo: vt videlicet ex hoc diuerſo locutionis modo intelligas fortiores & potentiores claues fuiſſe datas Petro quàm cæteris Apoſtolis. Et hoc ipſum annotauit Origenes in expoſitione Matthæi. Et ante Origenem hoc idem innuere videtur Tertullianus. Is enim in libro de præſcriptionibus hæreticorum diſputans contra eos qui dicebant Apoſtolos non omnia ad fidem neceſſaria ſciuiſſe, ſic ait: Quis enim integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos Matt. 13. magiſtros Dominus dedit indiuiduos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in conuictu, quibus obſcura quæque ſeorſum diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere arcana quæ populo intelligere non liceret.

Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cœlorum conſecutum, & ſoluendi & alligandi in cęlis & in terris poteſtatem. Latuit & Ioannem aliquid, dilectiſſimum Domino, pectori eius incumbantem, cui ſoli Dominus Iudam traditorem demonſtrauit, quem loco ſui filium Mariæ demandauit. Quid eos ignoraſſe voluit, quibus Matt. 17. etiam gloriam ſuam exhibuit & Moyſem & Deute. 17. Eliam

Eliam, & inſuper de cęlo patris vocem non
quaſi cæteros reprobaus, ſed quoniam in tri-
bus teſtibus ſtabit omne verbum? Hactenus
Tertullianus. Quibus verbis poſtquam omni-
bus Apoſtolis tribuerat arcana cognoſcere
quæ populo intelligere non licebat: poſtea
diſtribuens cuique Apoſtolorum quæ illi fuiſ-
ſent propria, Ioanni dedit, ſupra pectus Do-
mini in cęna recubuiſſe. eidem & Iacobo at-
que Petro tribuit, vidiſſe Dominum Iu gloriæ
maieſtatem transfiguratum. Petro antem de-
dit, Eccleſiæ petram eſſe, claues regni cęlo-
rum conſecutum, & ſoluendi & ligandi in cę-
lis & in terris poteſtatem. Quæ omnia ſi ſoli
Petro dicuntur, ex illis aperte conuincitur,
Petrum fuiſſe cæteris Apoſtolis prælatum.
Nam ille ſolus ex Apoſtolis, inſtituitur petra
ſupra quam fundetur Eccleſia: illi ſoli pro-
mittuntur claues regni cęlorum: ille ſolus ac-
cipit ſoluendi & ligandi in cęlis & in terris
poteſtatem.

Quapropter non poſſum ſilentio præteri-
re quæ B. Rhenanus de hac re loquens ait: Is
enim in quodam argumento quod præfixit
libro Tertulliani de præſcriptionibus hæreti-
corum, innuit ſe ſentire Romanum Pontifi-
cem non eſſe à Deo inſtitutum ſuperiorem cæ-
teris Epiſcopis, & hanc dicit eſſe ſententiam
Tertulliani in illo libro & alibi. Vt autem
oſtendat Tertullianum illud ſentire ſic colligit.
Tertullianus nominans Eccleſiam Romanam,
inter Apoſtolicas Eccleſias illam nominat, nec
tamen illam præfert alijs: inter ſummates il-
lam recenſet, nunquam tamen illam dicit ſum-
mam. At ſi eam credidiſſet eſſe ſummam Ec-
cleſiarum, eam vocaſſet aliquando ſupremam
Eccleſiam. Nunquam vocauit eam ſummam,
non ergo credidit eam eſſe ſummam. O for-
tem argumentatorem. O alterum Ariſtote-
lem. Hæccine eſt dialectica, colligere aliquid
negatiue per locum ab authoritate? Quis
hanc collectionem ignorat eſſe nullam? Talis
aut talis doctor non dicit hoc, ergo non ita
eſt, aut ille credidit non ita eſſe. Si etiam tali
modo ſemper colligere liceret, multa inde in-
commoda ſequerentur. Sequeretur patrem
non eſſe ingenitum: Mariam non fuiſſe perpe-
tuo virginem, quoniam nullum illorum ex-
preſſerunt ſacræ literæ etiam cum de his rebus
mentionem fecerunt.

Abeat ergo Rhenanus non beatus ſed mi-
ſer: & ſi ſuam ſententiam voluerit confirmare,
veris teſtimonijs hoc faciat & non meris ca-
lumnijs & impoſturis, prout nunc eum feciſſe
conuicimus. Nam cum ipſe impingat Ter-
tulliano illum ſentire Eccleſiam Romanam
non eſſe ſummam: nos oſtendimus Tertullia-
num ſenſiſſe Petrum fuiſſe cæteris Apoſtolis
prælatum, & hoc oſtendimus illum aperte do-
cuiſſe in eodem libro cui Rhenanus tale præ-
fixerat argumentum. Præterea Chriſtus do-
cens Apoſtolos quis illorum futurus eſſet ma-
ior, dixit Petro: *Simon ecce Satanas expetiuit*
Luc. 22. *vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem ro-
gaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu ali-
quando conuerſus confirma fratres tuos.* Quibus
verbis aperte docuit Chriſtus Petrum eſſe fu-
turum cæteris Apoſtolis maiorem, per hoc
quod illi iniungebat onus confirmandi alios
Apoſtolos quos diabolus expetiuerat vt cri-
braret ſicut triticum. Vt autem Petrus rectius
poſſet officium ſibi commiſſum exercere: Chri-
ſtus promittit illi ſe rogaturum Patrem, vt
non permittat fidem illius perire. Quæ Chri-
ſti verba exponens Theophylactus ſuper Lu-
cam ſic ait: *Tu vero conuerſus confirma fratres
tuos.* Planus huius intellectus is eſt. *Quia te
habeo vt principem Diſcipulorum, poſtquam me
negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, con-
firma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me
Eccleſiæ petra es & fundamentum.* Hæc Theo-
phylactus.

Petrus ergo declaratus eſt à Chriſto cæ-
teris Apoſtolis maior, quia illi iniungitur
onus reliquos Apoſtolos confirmandi. Rur-
ſum Chriſtus commiſit Petro curam ſuarum
ouium, cum bis illi dixit: *Paſce agnos meos:*
& tertio iterum dixit: *Paſce oues meas.* Qui- Ioan. vl.
bus verbis apertiſſime declarauit Chriſtus, to-
tum ouile tam ouium quàm agnorum, hoc eſt
Eccleſiam vniuerſalem eſſe Petro commiſſam.
Nam (vt ait Propheta) *Nos ſumus populus eius,* Pſal. 94.
& oues paſcuæ eius. Harum ouium curam
commiſit Deus Petro. Verum Lutherus eum
ſuis, quoniam non ſunt ex ouibus his, ſed ex
numero illorum hœdorum quos Deus conſti-
tuet ad ſiniſtram, ideo non volunt eſſe ſub cu-
ra huius paſtoris, videlicet Romani Pontificis.
Deinde, illa quæ Petrus operatus eſt oſten- Matt. 25.
dunt apertiſſime, illum fuiſſe reliquis Apoſto-
lis prælatum. Pro ſe enim Petrus & pro Chri-
ſto didrachma ſoluit. Cum etiam exactores
didrachmatis percontarentur à Petro: num
magiſter eius didrachma ſoluiſſet, dixit Chri-
ſtus Petro: *Vade ad mare & mitte hamum, &* Matt. 17.
*eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto
ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro
me & pro te.* Vt autem ex hoc loco apertius
noſtrum propoſitum doceamus, prius opor-
tet ſcire qualiſnam fuerit huius didrachmatis
exactio.

Pro cuius rei cognitione, audiamus quid
Beatus Hieronymus de hac re loquatur. Sic
enim in commentarijs ſuper Matthæum hunc
locum pertractans ait: Poſt Auguſtum Cæſa-
rem, Iudæa facta eſt tributaria, & omnes cen-
ſi capite ferebantur. Vnde & Ioſeph cum Ma-
ria cognata ſua profeſſus eſt in Bethleem. Rur-
ſum quoniam nutritus erat in Nazareth, quod
eſt oppidum Galileæ Capharnaum vrbi ſu-
biacens, ex more poſcunt tributa, & pro ſi-
gnorum magnitudine hi qui exigebant, non
audent ipſum repetere, ſed diſcipulum conue-
niunt. Hæc Hieronymus. Si ergo tributa (vt
Hieronymus ait) per capita ſoluuntur: quid
eſt quod Petrus iubetur ſtaterem hoc eſt du-
plex didrachma pro ſe & pro Chriſto ſoluere,
niſi quia iam Chriſtus meditabatur Petrum
poſt ſe caput Eccleſiæ relinquere? Quod ſi hac
ratione tributum fuiſſe ſolutum negatur: qua-
re magis pro Petro quam pro alijs Apoſtolis
didrachma ſoluitur, cum talis cenſus non niſi
pro capite familiæ ſoluebatur? Cuius rei cum
alia nequeat inueniri cauſa, niſi quia Petrus e-
rat cæteris præferendus: fateri oportet vt Pe-
trus qui pro ſe tributum, quod non niſi pro
capite exigebatur, ſoluere iubetur, ſit hac ra-
tione declaratus caput familiæ. Quod autem
cum Chriſto iunctus fuerit in ſolutione di-
drachmatis, ita vt vnica moneta videlicet vno
ſtatere pro ſe, & Chriſto ſolueret, declarat
Petrum eiuſdem familiæ videlicet Eccleſiæ

Digitized by Google

futurum caput, cuius eſt Chriſtus.

Nec tamen inde ſequitur Eccleſiæ corpus eſſe monſtrum biceps (vt Lutherus nobis obijcit) quoniam Petrum non dicimus eſſe caput, æquale Chriſto, ſed caput ſub Chriſto. Chriſtum enim dicimus eſſe primum, & ſupremum Eccleſiæ caput: Petrum autem non dicimus eſſe primum caput totius corporis quod eſt Eccleſia, ſed Vicarium caput, hoc eſt caput, Chriſti loco ſubrogatum, & caput ſecundum poſt Chriſtum, id eſt caput aliorum omnium à Chriſto. Quapropter ſicut Petrus non eſt dicendus prior omnibus ſimpliciter, ſed prior in comparatione aliorum à Chriſto; ita nec dicendus eſt caput ſimpliciter, & abſolute reſpectu omnium, ſed ſolum eſt caput reſpectu aliorum à Chriſto. Chriſtus vero eſt abſolute, & ſimpliciter caput totius Eccleſiæ qui eſt principium. Et hoc modo conſtat non eſſe duo capita eiuſdem corporis totalis, quoniam illius totalis corporis ſolus Chriſtus eſt caput, & huius corporis Petrus eſt vnum membrum cæteris tamen præſtantius. Corporis vero myſtici quod ex alijs hominibus à Chriſto coaleſcit, Petrus eſt caput, & ita non eſt caput totius corporis integri, quoniam non eſt caput reſpectu Chriſti qui ad hanc Eccleſiam pertinet. Simillimum eſt huic quod in alijs rebus publicis videmus.

Nam Proconſul caput eſt illius prouinciæ quam adminiſtrat, quamuis Conſul ſit illo ſuperior, & primum omnium prouinciarum caput. Prorex caput eſt illius regni, cuius curam gerit: Rex tamen eſt illo ſuperior, & primum omnium ſuorum regnorum caput, Prorex etiam aut Proconſul eſt caput partialis corporis videlicet talis regni, aut talis prouinciæ: Imperator autem eſt caput primum totius integri corporis. Sic Petrus & Chriſtus. Ad hunc modum etiam oportet intelligere id quod ſupra diximus, Petrum videlicet eſſe petram, & fundamentum Eccleſiæ: Fundamentum inquam non primum, cui ſcilicet totius Eccleſiæ ſtructura innititur, quoniam tale fundamentum eſt ſolus Chriſtus: de quo Paulus ait: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, videlicet Chriſtus Deus noſter. *1. Cor. 3.* Et in comparatione ad hoc fundamentum Pertus eſt tanquam vnus eſt alijs lapidibus qui fundamento innituntur. Verum poſt primum lapidem, pro fundamento iactum ſunt alij lapides in ipſa ſtructura, qui licet ſuſtentātur à primo, tamen ſuſtentant omnes reliquos qui ſupra illos ſunt in ædificio conſtituti. Et iſtorum quilibet dici fundamentum, non ſimpliciter & abſolute reſpectu omnium, ſed reſpectu illorum lapidum quos ſuſtentat. Et iuxta hunc modum plura ſunt Eccleſiæ fundamenta. Nam de omnibus Apoſtolis dicit B. Ioannes eos eſſe fundamenta Eccleſiæ. *Apoc. 21.* Sic enim in Apocalypſi loquens de noua ciuitate deſcendente de cœlo quod eſt Eccleſia, ait: Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum. Ecce audis omnes Apoſtolos dici fundamenta ciuitatis, quia eorum doctrina ſuſtentatur hucuſque Eccleſia.

Quid ergo miratur Lutherus ſi non dicimus Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ? Sed licet omnes ſint, & dicantur fundamenta: Petrus tamen cæteris omnibus præſtat, quia etſi non ſit lapis primarius in fundamento iactus: eſt tamen primus poſt Chriſtum, & ita erit fundamentum, non quidem omnium lapidum, qui ſunt in ſpiritali ædificio, quoniam non eſt fundamentum Chriſti qui ad hoc ædificium pertinet, ſed eſt fundamentum omnium aliorum lapidum ſpiritualium, & ita eſt fundamentum ſecundum poſt Chriſtum: quia prima petra, poſt Chriſtum petram. Et ita ſuper hanc petram quæ eſt Chriſtus fundatur tota Eccleſiæ ſtructura: ſuper aliam vero petram quæ eſt Petrus, fundatur reliqua Eccleſia à Chriſto, hoc eſt tota Eccleſia dempto capite Chriſto. Hęc autem, vnico verbo deſignauit Theophylactus in illis verbis, quæ ex cōmmētarijs illius ſuper Lucam nunc paulò ſupra citauimus. Sic enim exponens Chriſti verba ait: Quia te habeo vt Principem Diſcipulorum, poſtquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet qui poſt me, Eccleſiæ petra es & fundamentum. Hæc Theophylactus. Ex cuius verbis conſtat Petrum dici fundamentum Eccleſiæ, non quidem abſolute, & reſpectu omnium, ſed fundamentum poſt Chriſtū, hoc eſt fundamentum omnium aliorū à Chriſto. Et ita non ſunt duo lapides primarij quoniam ſolus Chriſtus eſt primarius lapis. Petrus vero non primus ſimpliciter, ſed primus poſt Chriſtum. De hac re adeo diffuſe & vltra metas breuitatis ſtatutæ diſſeruimus: quoniam hoc eſt fortiſſimum telum quod nobis obijcit Lutherus, & quo ſe tueri conatur.

De quo cum iam pluſquam ſatis dictum ſit, oportet vt reliqua Petri opera breuiter percurramus. *Mar. 16.* Mariæ Magdalenæ, & alijs eius conſortibus viſitantibus Chriſti ſepulcrum apparens Angelus, ait illis: Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit non eſt hic: Ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Quid eſt quod ſolius Petri nomen exprimitur tacitis omnibus aliorum nominibus, niſi quod Petrus cæteris omnibus præeminet? Si enim Petrus non fuiſſet cæteris pręſtantior, ſat erat dixiſſe: ite, dicite diſcipulis eius. *Ioann. 20.* Sed cum addidit, & Petro, innuit aliquid eſſe in Petro ſingulare propter quod eſſet proprio deſignandus nomine tanquam aliorum princeps. Deinde cum venirent ad monumentum Petrus, & Ioannes, licet Ioannes præcurrit citius Petrus & prior peruenit ad monumentum, non tamen intrare auſus eſt ante Petrum, honorem per hoc exhibens Petro tanquam ſuperiori. Poterat quidem Ioannes monumentum intrare, qui ſupra pectus Domini recubuerat, qui enim dignus fuit ſupra corpus viuum recumbere, multo dignior erat monumentum in quo iacuit corpus mortuum intrare. Verum etſi ad hoc dignus eſſet, intrare tamen recuſauit, hunc volens deferre Petro honorem, vt quam Petrus erat dignitate prior, ſic etiam prius monumentum intraret. Et cum Chriſtus iam aſcendiſſet ad cœlus, exiſtente duodenario Apoſtolorum numero incompleto propter mortem Iudæ traditoris: *Acto 1.* Petrus alijs diſcipulis ſermonem facit perſuadens illis vt in locum Iudæ alius ſubrogetur. Niſi Petrus fuiſſet alijs ſuperior a Deo inſtitutus, non fuiſſet adeo arrogans,

&

& gloriæ cupidus, vt ab alijs non rogatus, in medio illorum ſurgeret, & cunctis ſermonem faceret.

Quod ſi hoc ante receptum ſpiritum fuiſſe factum cauſeris, quod poſt aduentum ſpiritus ſancti egerit, videamus. Acto. 2. In illo nanque die quo Spiritus Sanctus in linguis igneis deſcendit: cum Apoſtoli omnibus linguis loquerentur, & omnis multitudo rei nouitatem miraretur, & cuidam ebrietati tribueret, Petrus omnium ipſorum condiſcipulorum cauſam agens ſermonem ad populum habuit, docens illum, diſcipulos non eſſe ebrios vt putabat, quo ſermone audito, conuerſi ſunt circiter tria milia ex ipſis auditoribus. Quare Petrus vnus pro omnibus reſpondet: niſi quia vnus omnibus præ eſt? Paſtori nanque officium eſt ſuas oues à luporum infeſtatione defendere, ideo Petrus velut bonus paſtor, volens ſuas oues defendere, ſermonem pro eis ad populum fecit. Acto. 3. Poſt hæc cum Petrus & Ioannes aſcendiſſent in templum ad horam orationis nonam, cuidam claudo ad portas templi petenti eleemoſynam, ait Petrus: Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Et ſtatim conſolidatæ ſunt baſes eius. Hoc autem primum eſt miraculum, quod à quouis Apoſtolo factum eſſe legimus, vt videlicet qui prior cæteris erat dignitate, & poteſtate, prior etiam virtutem Dei ſui miracula faciendo oſtenderet. Nec myſterio caret quod Ioanne exiſtente in comitatu Petri, Ioannes tacet & Petrus ſolus claudum ſanat.

Qui enim Druſianam mortuam poſtea ſuſcitauit, bene poterat tunc claudi pedes conſolidare: Verum quia Ioannes Petrum agnoſcebat ſuperiorem, noluit quidquam in eius præſentia tentare, ne illius videretur minuere honorem. Dominus etiam poſt ſuam in cœlos aſcenſionem volens docere Eccleſiam ſuam, illum ciborum delectum, qui in lege Moyſi fuerat præceptus, non eſſe iam neceſſario faciendum, ſoli Petro de hoc reuelationem facit. Petro enim exiſtenti in mentis exceſſu oſtenditur linteum magnum ſubmiſſum de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli, Acto. 10. & poſtea facta eſt vox ad eum: Surge Petre occide & manduca. Quæ res etſi omnes tangebat, ſoli tamen Petro reuelatur: quia Petrus perſona erat communis omnium curam Acto. 15. gerens. Cum etiam orta eſſet quæſtio de ceſſatione legitimorum quibuſdam dicentibus, illa eſſe neceſſaria, alijs autem contra, & pro huius quæſtionis definitione concilium Hieroſolymis congregaretur: ſurgens Petrus in medio illorum primus loquitur, & illius ſententiæ omnes conſenſerunt.

Primus loquitur Petrus, cum tamen in illa eſſet diœceſi in qua alius erat Epiſcopus videlicet Iacobus. Hoc autem non feciſſet Petrus niſi ipſe ſuperior fuiſſet Iacobo in ſua etiā diœceſi exiſtente. Ex his ergo omnibus quæ Petrus fecit, conijcimus illum fuiſſe à Deo cæteris Apoſtolis Prælatum. Præterea quotieſcunque Apoſtolorum catalogus in euangelio texitur, ſemper Petrus primo loco recenſetur, quod non factum fuiſſet ſi Petrus non fuiſſet cæteris ſuperior: præſertim cum in alijs recenſendis non idem ſeruetur ordo ab omnibus Euangeliſtis. Nam Andream quem Matthæus poſuit ſecundo loco, Marcus poſuit quarto. Mat. 10. Mar. 3. Lucæ 6. Actu. 1. Thomam Matthæus poſuit ſeptimum, quem Marcus & Lucas nominant octauum. Et Lucas ipſe non eundem ſemper ſeruat ordinem: quoniam in euangelio Andream poſuit ſecundum, quem in Actis Apoſtolorum ponit quartum. In euangelio Bartholomæum ponit ſextum, in Actis vero Apoſtolicis eundem ſcripſit ſeptimum. At Petrum ordine nunquam variato, omnes vbique ſcribunt primum. Neque ideo factum eſſe dici poteſt vt primus ſemper ſcribatur, quoniam primus ad Apoſtolatum vocatus fuit, quoniam conſtat Andream fuiſſe prius illo vocatum, & Petrum per Andream fuiſſe ad Chriſtum adductum. Petrus ergo qui poſterior vocatus, prior omnibus vbique ſcribitur, hac ratione declaratur eſſe cæteris omnibus ſuperior. Et certe niſi ita à Deo fuiſſet inſtitutum vt vnus in Eccleſia eſſet Summus Sacerdos, eueniret neceſſario in Eccleſia id quod in libro Iudicum dicitur: In illis diebus non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi videbatur bonum faciebat. Et hac ſola de cauſa (vt exiſtimo) hæretici conantur primatum Petri, & eius ſucceſſoris minuere, vt videlicet liberius quas voluerint poſſint docere hæreſes.

Ex hac enim radice putat Cyprianus hæreſes in Eccleſia oriri, qui in primo libro epiſtolarum ſuarum epiſtola 3. quæ eſt ad Cornelium Papam, ſic ait: Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum collegium quidquam moueret, nemo poſt diuinum, poſt populi ſuffragium, poſt Epiſcoporum conſenſum, Iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris nouam hæreſim conderet. Hæc Cyprianus. Quapropter ſi aliquis eſt coniecturis in hac parte locus, iuſte conijcere poſſumus, hæreticos hac ſola ratione motos ad primatum Petri deijciendum, vt facilius quas conceperant hæreſes euomere potuiſſent. Poſt hæc tam aperta ſacræ ſcripturæ teſtimonia, extat etiam omnium ſacrorum Doctorum de hac re concors ſententia. Quorum verba citare omittam, ne promiſſam breuitatem tranſgrediar.

Verum ſi curioſus lector ea videre deſiderat, illi deſignabo ſolum loca, in quibus hoc ſacri Doctores aſſeuerant. Et (vt recentiores omittam) B. Gregorius in lib 40. homiliarum, homilia 21. Theophylactus ſuper Matth. 16. & ſuper Luc. 22. Leo Papa huius nominis tertius in ſermone 3. de anniuerſario ſuæ pontificiæ aſſumptionis. Leo Papa huius nominis primus in epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, quę eſt in ordine epiſtolarum eius nona. Auguſtinus ſæpiſſime præſertim tractatu 56. ſuper Ioannem lib. 2. contra Donatiſtas, ſermone 124. de tempore, & ſermone 26. de Sanctis Hieronymus etiam ſæpiſſime & apertiſſime, præcipue tamen in pluribus epiſtolis ad Damaſum Papam. Ambroſius ſuper primum caput epiſtolæ Pauli ad Galatas, & in

quo-

quodam ſermone de pœnitentia Perti. Chryſoſtonius homilia 55. ſuper Matth. Athanaſius in quadam epiſtola ad Liberium Papam. Euſebius Cæſarienſis lib. 2. eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 14. Hiralius ſuper Matth. & libro ſexto de Trinitate. Cyprianus in pluribus epiſtolis, præſertim libro primo epiſtolarum, epiſtola tertia, & lib 4. epiſtola 8. quo loco apertiſſime fatetur Eccleſiam Romanam eſse omnium eccleſiarum matricem. Origenes homilia 6. ſuper Matth. Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes, cap. 3. Anacletus Papa & martyr, qui quartus à Petro Pontificatum obtinuit, in epiſtola terria, quæ eſt de patriarchis & primatibus, & reliquis Epiſcopis. Attendat ergo lector & bene conſideret, num Iuſtinus ſit vni Luthero credere, quam tot ſacris Doctoribus ſanctitate perinde ac doctrina claris, quorum aliqui martyrio coronati ſunt.

Iſtorum omnium concors ſententia ſufficit ad captiuandum noſtrum intellectum, etiamſi ſcripturæ ſacræ teſtimonium deeſset. Quoniam etſi hos omnes aliquis ſequens erraret (quod fieri poſse non credo) certo ſcio talem errorem nemini ſore imputandum ad culpam: ſi ex humilitate maluit aliorum iudicio credere, quam propriam ſententiam tueri. Sed poſt tot apertiſſima teſtimonia, vel hoc vnum ſufficere poſset, quod pôſt pacatum orbem omnes Chriſtianæ Eccleſiæ, paruerunt Romano Pontifici. Omnes Epiſcopi illum tanquam ſuperiorem reueriti ſunt. Omnia concilia quæ aliquid valuerunt illius authoritate ſunt confirmata. In Concilio Nicæno præſedit Oſius Cordubenſis Epiſcopus tanquam legatus Papæ Iulij. In Concilio Chalcedonenſi fuerunt legati Leonis Papæ primi. Concilium Mileuitanum in quo damnatus eſt Pelagius, confirmatum eſt per Innocẽtium Papam, quoniam omnes ex Concillo petierunt à Papa vt vellet illius Concilij decreta probare & rata habere, quod & Papa fecit, vt patet ex epiſtolis Auguſtini 90. & 91. Concilia Carthaginenſia tertium & quartum fuerunt confirmata per Zozimum Papam. Concilium Thelenſe quod etiam Africanum fuit, **in quo damnatus** eſt Iouinianus, petijt confirmationem ſuæ ſententiæ à Siricio Papa qui eiuſdem Concilij decreta firmauit, vt patet ex decretis eiuſdem Siricij Papæ, quæ habentur in volumine Conciliorum generalium. Reliqua Concilia Africana fuerunt cõfirmata per authoritatem Boniſacij, qui ad illa miſit quendam Fauſtinum Epiſcopum tanquam legatum ſuum. Concilium Braccareoſe primum authoritate prius à Romano Pontifice petita celebratum eſt, vt patet ex actis eiuſdem Concilij.

In Cõcilio Francfordienſi præſedit Theophylactus tanquam legatus Adriani Papæ huius nominis primi. Et non ſolum in concilijs hunc exercuit primatum Romanus Pontifex, ſed etiam in litibus ſedandis. Quoniam ad illum tanquam ad ſupremum Iudicem ſemper ſunt cauſæ deuolutæ ex omni terrarum orbe. Cum enim ipſis ferme naſcentis Eccleſiæ primordijs, orta eſſet quæſtio inter Orientales, & Occidentales de Paſchæ celebratione, venie hac de cauſa Romam Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus, & Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, vt Anicetum tunc Romanum Pontificem de hac re conſuleret. Cum poſtea Orientales vellent ſemper Paſcha XIV. luna more Iudaico celebrare, & Victori Papæ oppoſitum præcipienti obedire nollent: Victor Papa voluit eos excommunicare, Verum Irenæus qui ex Lugduno ad Victorem hac de cauſa venerat, veritus ne propter hoc Eccleſia turbaretur, & diſſidium perpetuum inter Orientales, & Occidentales maneret, conſuluit Victori ne id faceret, cuius conſilio Victor ceſſit. Cum Athanaſius fuiſſet ab Arrianis expulſus à ſua ſede Alexandrina, fuit idem reſtitutus per Iulium Papam huius nominis primum. Chryſoſtomus cum fuiſſet eiectus à ſua ſede Conſtantinopolitana procuraute hoc Thephilo Alexandrino Epiſcopo, fuit poſtea reſtitutus per Innocentium Papam. Et tamen vterque Græcus Athanaſius videlicet, & Chryſoſtomus. Taceo de Hiſpania & Gallia, quia harum prouinciarum Epiſcopi ſemper obedierunt Romano Pontifici, neque vnquam ab illo receſſerunt, niſi forte vnus aut alter hæreticus. Hoc enim facile eſt noſſe ex epiſtolis ſummorum Pontificum ad Epiſcopos iſtarum nationum, preſertim ex epiſtolis Innocenrij primi, & Leonis primi, & Gregorij etiam primi.

Ergo ſi tantam ac tam late ſuſam poteſtatem, non Dei iuſſu Romanus Pontifex, ſed ſua vi (vt Lutherus ait) acquiſiuit, oſtendat obſecro Lutherus quatenus primum tam latam poſſeſſionem adeptus eſt, quibus ſuffragijs, quod milite hanc tyrannidem vſurpauit. Non eſt enim vero ſimile, vt tam immenſæ potentiæ obſcurum ſit initium, ex hiſtorijs nobis rei initium deducat. Illud ſane coget vt huic fabulæ nulla præſtetur fides, ſi aduertat quiſque minime fieri poſſe Sacerdotem inermem, ſolum, nullo milite ſtipatum (qualem fuiſſe neceſse eſt prius quam hac tyrannide potiretur) nullo iure fultum, nullo fretum titulo, in tot vbique pares Epiſcopos, apud tam varias tamquam diuiſas nationes, tantum obtinere imperium, vt non ſolum Epiſcopi, ſed Reges & Imperatores qui extra illius diœceſim vitam degunt, illi obediant. Quis etiam tam ſtupidus eſt, vt credat populos omnes, regna, prouincias, ſuiſse ſui iuris ac libertatis tam prodigos, vt externo Sacerdoti cui nulla ſubiectionis cauſa tenerentur obnoxij, tantum in ſe poteſtatis darent, quantum ipſe forte vix auſus eſset optare aut ſaltem petere. Abeant ergo hæretici, & nos fidem Eccleſiæ Catholicæ tenentes, fateamur vnum in illa ſummum eſse Sacerdotem, vt ſicut ipſa vnum eſt ouile, ita ſit vnus illius paſtor. De hac re extat concilij Conſtantienſis definitio.

Nam prædictum concilium ſeſſione octaua damnauit 45. articulos Ioannis Wicleff, ex quibus trigeſimus ſextus eſt iſte. Eccleſia Romana eſt ſynagoga Satane, nec Papa eſt immediatus, & proximus Vicarius Chriſti. Quæ aſsertio ſimul cum alijs eiuſdem ibidem damnata eſt. Et ſeſſione 15. damnantur in eodem concilio plures aſsertiones Ioannis Huſs, quarum aliquæ ſunt ad hanc rem pertinentes. Obiectiones Lutheri impræſentiarum non attuli, quoniam omnes friuolæ ſunt, & earum præcipuis iam cum aduerſus illum nos ageremus, reſpondimus. Contra hanc hæreſim ſcripſit egregium & grande volumen Ioannes Echius, quod inſcribitur de primatu Petri: ſcripſit etiam Ioannes Faber in magno opere quod fecit

Concilium Conſtant.

cit

Digitized by Google

cit contra Lutherum. Rem eandem optime pertractat Ioannes Roffenſis articulo 25. aſſertionis quam fecit pro Lutheri damnatione.

Pſeudoapoſtoli. Secunda hæreſis eſt quæ etſi non tollat Papæ poteſtatem, illam tamen aſſetit pendere ex ſanctitate, ita vt ſi Papa bonus non ſit, nullam prorſus habeat poteſtatem. Huius peſtiferę ſectę authores fuerunt quidā dicti Pſeudoapoſtoli, qui docuerunt Papam non poſſe aliquem abſoluere, niſi ea eſſet præditus ſanctitate qua polluit Beatus Petrus. Quapropter aſſerebant iſti, omnem poteſtatem quam Chriſtus Romano Pontifici, & Petri ſucceſſori conceſſit, eſſe iam inanem redditam, & omnino perijſſe propter malitiam Romanorum Pontificum. His pſeudoapoſtolis in hac parte aſſentit Ioannes Wicleff: hunc autem ſemper imitatus eſt Ioannes Huſs, qui in vniuerſum de omni poteſtate tam laicali quam Eccleſiaſtica dicunt eam per peccatum mortale amitti. Quapropter huius erroris expugnationem vſque ad illum locum differimus, quod de poteſtate in genere loquimur. Illo enim loco Deo adiutore probabimus, nullam poteſtatem ammitti propter ſolum peccatum mortale.

Alij ſunt errores qui ad hanc materiam ſpectant, de quibus iam alijs locis pro noſtris viribus diſſeruimus. Nam quod Papa poſſit facere conſtitutiones, & per illas omnes Chriſtianos obligare, ſupra in titulo de Eccleſia, hæreſi tertia probauimus contra Waldenſes, Begardos, Wicleſitas, &c. De poteſtate concedendi indulgentias, ſupra in titulo de indulgentijs nonnihil diximus.

FINIS.

REGESTVM
TOMI SECVNDI.

Principium eſt duernio.

Ægidius Columna A B C D E F G H I.

Adolphus Schulchenius A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Agobardus A.

Alanus Copus A B C D E F G.

Albertus Pighius A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc.

Albertus Pius A B.

Alexander a S. Elpidio A B C D E:

Alexander a Turre A B C D E F G H.

Alphonſus Aluarez A B C.

Alphonſus de Caſtro A.

Ægidius Columna Ab A pertingit vſque ad I, in A eſt folium cum duobus pag. 5. 6. & eſt ſemifolium, in ſignatura I. eſt ſemifolium; reliquæ ſunt duerniones. Adolphus Schulchenius pertingit ad ſignaturam Q, omnes ſunt duerniones excepta vltima quæ eſt ternio. Agobardus ſignatura A, eſt folium. Alanus Copus ab A vſque ad G, omnes ſunt duerniones. Albertus Pyghius ab A vſque ad Cc excepta ſignatura A, quæ eſt ſemifolium & Cc ternio, reliquæ ſunt duerniones. Albertus Pius ab A vſque ad B, & in B ſecundo eſt ſemifolium. Alexander a Sancto Elpidio ab A vſque ad E omnes ſunt duerniones. Alexander à Turre ab A vſque ad H, omnes ſunt duerniones. Alphonſus Aluarez ab A vſque ad C & B ſunt duerniones. Primum C eſt ſemifolium, ſecundum C eſt folium. Alphonſus de Caſtro ſignatura A eſt duernio.

R O M Æ,
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni. M. DC.XCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google